THEOLOGICA

DOGMATA

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

DOGMATA

THEOLOGICA

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

EDITIO NOVA

DISSERTATIONIBUS AC NOTIS F. A. ZACHARIÆ, ALIORUMQUE, NECNON ADRIANI LECLERC SELECTIS NOTIS, ALIISQUE NONNULLIS NUNC PRIMUM EDITIS ILLUSTRATA ET ORNATA, CUI ACCESSIT INDEX GENERALIS TUM VERBORUM, TUM RERUM LOCUPLETISSIMUS, NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS, CURANTE

J.-B. FOURNIALS

PAROCHO S. SATURNINI, CANONICO HONORARIO INSIGNIS ECCLESIÆ METROPOLITANÆ ALBIENSIS, OLIM MINORIS SEMINARII CASTRENSIS MODERATORE.

TOMUS SECUNDUS

IN QUO, PRIMUM DE PRÆDESTINATIONE, POST DE TRINITATE AGITUR

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
Via vulgo dicta Delambre, 9

M DCCC LXV.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER NONUS

QUI EST PRIMUS DE PRÆDESTINATIONE AC REPROBATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quid vox prædestinationis significet, ac destinationis : tum præscientiæ; et quid invicem distent. Prædestinatio tam in bonum, quam in malum dicitur; sæpe tamen in bonam partem. Ad hanc pertinere illa quoque, quæ pendent ab libera hominum voluntate. Damasceni locus contrarius explicatur. Prædestinationem non tantum esse gratiæ, et mediorum, sed etiam finis; quæ est æterna felicitas, contra quam recentiores aliqui theologi sentiunt. Itaque prædestinatio cum electione promiscue habetur : etsi nonnihil differant.

Quid vox prædestinationis significet.

I. Quam Latini *prædestinationem* nominant, eam Græci προορισμὸν appellarunt, vel simpliciter ὁρισμόν : quemadmodum et Latina voce simplici *destinatio* dici potuit. Itaque quid sit proprie *prædestinatio*, ex Græcæ vocis proprietate prius colligendum, quam ex Latinæ; etsi inter utramque admirabiliter convenit.

Ὅρος apud Græcos proprie terminum significat, quo res aliqua finitur; hoc est, ex infinitate, et amplitudine ad certum modum finemque restringitur. Hinc Glossarium vetus optimum sic habet, ὅρος, *modus*: Et ὅρος ἐπὶ χώρας, *terminus*, *finis :* Et, ὅρος ἐν δίκῃ πράγματος. *Diffinitio*, *sponsio*, *terminatio*, *lex*. Quæ eodem omnia referuntur. Nam et agrorum confusa, et indivisa possessio certis limitibus ac terminis finitur; et lites, ac negotia judicum sententia; et mores hominum, ac voluntates legum arbitrio coercentur. Hinc ὁρίζειν idem est quod *definire*, ac *determinare*, et constituere, ut Lucæ XXII, 22: *Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est*, *vadit*, κατὰ τὸ ὡρισμένον; et *Actorum* secundo, *Hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis* [a];

a *Act.* II, 23. Τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε.

et in epistola *ad Romanos: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*[a]. Sic etiam Latina vox *destinare* tum *mittere* significat, ut est in iisdem glossis, tum *proponere*, *constituere*, ut ibidem legimus. Nam *destinat* interpretantur *consecrat*, *proponit*, *segregat*, *emittit*, *attribuit;* et, *destinavit* προῃρηται, hoc est, *deliberato statuit*[b].

II. Cassianus collatione prima *destinationem* vocat, quem Græci σκοπὸν nominant, quem et a fine distinguit. « In omni arte, ac disciplina, ait capite IV, præcedit quidam scopos, id est animæ destinatio, sive incessabilis mentis intentio; quam nisi quis omni studio perseverantiaque servaverit, nec ad finem desiderati fructus poterit pervenire. Nam, ut dixi, agricola finem habens secure copioseque vivendi, in proventu segetum secundarum scopon, id est destinationem gerit, agrum suum sentibus cunctis expurgare, eumque universis infructuosis vacuare graminibus, » etc. Sic finem professionis monasticæ ait esse regnum cœlorum; « destinationem vero, id est *scopon*, puritatem cordis. » Nimirum destinationem vocat id ad quod assequendum totam mentis aciem, ac conatum intendimus, velut arcum in scopum, quod quidem in actione ac potestate nostra situm est, Dei opitulante gratia, per quod ultimum finem adipiscimur : ut sit quasi proximus, interjectusque finis. Hæc vis est, et notio destinandi.

Interdum προορίζειν, et *prædestinare* dicitur, quod ad simplicis significationem vix quidquam adjicit. Nam ὁρίζειν, et *definire*, vel *destinare*, eo, qui nunc agitur, sensu nonnisi futura possumus. Cornelius Nepos auctor cum primis castigatus, et elegans, in *Eumene* usus est eo verbo. « Primus Leonnatus, inquit, Macedoniam præoccupare prædestinaverat. » Itaque quod ὁρίζειν Græce scriptum est in loco illo primi *ad Romanos* capitis, Latinus noster vertit *prædestinatus est*, quasi esset προορισθείς; ut est in nono capite. *Quos præscivit, et prædestinavit*[c]. Et, *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit*[d]. » Et alibi. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum*[e]. Et, *Prædestinati secundum propositum ejus*[f].

III. Hæc illa est *prædestinatio*, de qua disputare hoc in libro decrevimus, quam præscientiæ vocabulo nonnunquam exprimi videas. Sic enim Augustinus « Prædestinationem definit eorum præscientiam, quæ Deus ipse facere disposuit[1]. » Sed et Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*[2]. Verum hæc scientia, quæ cum prædestinatione confunditur, non est mera, et otiosa rei futuræ contemplatio; sed cum nutu aliquo voluntatis, ac deliberatione conjungitur. Hinc Ambrosius, « Nec mirum, ait, si apud quem rerum perfectio non in consummatione operis, sed in suæ prædestinatione est voluntatis, laudat singula, quasi convenientia futuris[3]; » quam dispositionem vocat Augustinus, qua Deus futurarum rerum, quas se sua vi producere posse cognoscit, rationem, ordinemque constituit. Hinc idem in libro de *Bono perseverantiæ*, capite XVII : « In sua, inquit, quæ falli mutarique non potest, præscientia opera futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est, nisi prædestinare. » Et in libro eodem, capite XVII : « Hæc, inquit, Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur a Deo. Præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus. » Et capite sequenti, *prædestinationem* significari nomine præscientiæ probat ex illo Apostoli loco, quem paulo ante citavimus : *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*[4]. « Hoc, quod ait, præscivit, non recte intelligitur, nisi prædestinavit. » Tum capite XIX probat, antiquos Patres, velut Cyprianum, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum prædestinationem Dei non ignorasse, quia gratiam confessi sunt. « Numquid autem quisquam eos dicturus est ita confessos istam Dei gratiam, ut auderent negare ejus præscientiam, quam non solum docti, sed indocti etiam profitentur? Porro, si hæc ita Deum noverant dare, ut non ignorarent, eum daturum se esse præscisse, et quibus daturus esset, non potuisse nescire, procul dubio noverant prædestinationem. » Quod et capite XX repetit, et XXI.

Prædestinatio nonnunquam præscientiæ vocabulo exprimitur.

Cujus appellationis causam recte tradit

a Rom. I, 4. Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει.
b Gloss. Ἀφοσιοῖ, προτίθεται, ἀφορίζει, ἀποπέμπει, ἀπονέμει.
c Rom. VIII, 29. Ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε.
d Ib. vers. 50 Οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε.
e Ephes. I, 5. Προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν.
f Ib. vers. 11 Προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν.

1 Aug lib. II *de Persev.* c. XV. — 2 Rom. XI, 2. — 3 Lib. II *Hexaemeron*, c. V. — 4 *Rom.* XV.

Origenes in caput octavum epistolæ *ad Romanos*, cum verba illa declarat : *Quos præscivit, et præsdestinavit*. Nam solos justos, et electos præsciri dicit a Deo; malos autem, et reprobos nesciri : *Cognovit enim Dominus, qui sunt ejus* [1]. Ideo apud Matthæum Christus reprobis dicturum se ait : *Nunquam novi vos* [2]; quæ scientia dici solet *approbationis*. Idem Augustinus *prædestinationem*, et quidem ad interitum *præparationem* vocat, et *præcognitionem*, in tractatu XIV in *Joannem*. « Est quidam populus, inquit, præparatus ad iram Dei, damnandus cum diabolo. Horum nemo accipit testimonium Christi. » Et mox : « Est quidam populus natus ad iram Dei, et ad hoc præcognitus. »

Differt prædestinatio a præscientia.

IV. Differt tamen nonnihil a prædestinatione præscientia, etiam ea, quæ *practica* vocatur, quæ divinam voluntatem dirigit. Nam si absolute sumatur pro quavis futurarum rerum notitia, non est dubium, quin et longe a prædestinatione distet, et multo latius pateat. Siquidem præscientia solam ex se, et proprie mentis notionem significat; prædestinatio vero *propositum* insuper, et προαίρεσιν, id est *electionem*, ac *voluntatis actionem* complectitur, ut supra diximus. Itaque et Apostolus in illo capite octavo *ad Romanos*, præscientiam a prædestinatione separat : *Quos præscivit*, inquit, *et prædestinavit* [3]. Et ibidem prædestinationem appellat πρόθεσιν, id est *propositum*. Cum enim scripsisset, *omnia cooperari in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti* [4], mox rationem subjicit : *Nam quos præscivit, et prædestinavit*. Ubi προορισμὸν indicat, idem esse ac πρόθεσιν.

Joannes vero Damascenus πρόγνωσιν, id est *præscientiam*, et προορισμὸν id est *prædestinationem* distinguit; quod illa sit eorum, quæ libere a nobis fiunt, hæc eorum, quæ absolute vult. « Scire, inquit, convenit præscire omnia Deum, non tamen omnia prædestinare. Nam ea quoque præscit, quæ in nobis posita sunt; non tamen ea prædestinat. Non enim malitiam esse vult, neque necessitate virtutem exprimit. Quare jussionis cujusdam præscientis opus est prædestinatio [a]. » Sed illa Damasceni ratio, qua Deum negat, ea prædestinare, quæ sunt liberæ nostræ potestatis, nisi benigne eam interpretemur, est falsa : de qua paulo post agemus.

Prædestinatio in bonam et malam partem sumpta.

Hactenus prædestinationem ita ex Augustino definivimus, ut in utramvis partem, bonam scilicet, aut malam accipi possit; hoc est tam de electione ad salutem, quam de reprobatione : quemadmodum revera passim ab Augustino, Prospero, Fulgentio, Lugdunensi Ecclesia, aliisque veteribus sumitur.

V. Augustinus tractatu XLVIII in *Joannem*, « Quomodo ergo, inquit, istis dixit : *Non estis ex ovibus meis* [5]? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos. » Et in libro secundo *de Peccatorum meritis et remissione*, cap. XVIII : « Sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, » etc.

Rursus tractatu XLII in *Joannem*, cum ita dixisset, « Præsciebat eos, quibus talia dicebat, in eo permansuros, quod ex diabolo erant, id est in suis peccatis, atque impietate morituros, » etc., subjicit : « Secundum hanc prædestinationem locutus est Dominus, » etc.; ubi tam de salute, quam de damnatione vocabulum hoc usurpat, in *Enchiridio ad Laurentium* capite centesimo, « Bene utens et malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gratiam. » Item in libro *de Perfect. justitiæ* contra Cælestium, verba illa Davidis explicans e *Psalmo* XIV : *Non est qui faciat bonum*, etc., ita loquitur : « Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum; sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. » Tum libro XV *de Civitate Dei*, capite primo, qui locus postea citabitur.

Sic et Prosper libro primo *Respons. ad Cap. Gall.* object. XIV : « Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. » Quibus verbis indicat prædestinari homines vel ad pœnam, et damnationem, quod est justitiæ; vel ad vitam, quod est gratiæ : ad culpam vero nullo modo prædestinari; quæ

a Damasc. lib. II, cap. XXX. Χρὴ δὲ γινώσκειν ὡς πάντα μὲν προγινώσκει ὁ θεὸς, οὐ πάντα δὲ προορίζει. προγινώσκει μὲν γὰρ καὶ τὰ ἐφ' ἡμῖν· οὐ προορίζει δὲ αὐτά. οὐ γὰρ θέλει τὴν κακίαν γίνεσθαι, οὐδὲ βιάζεται τὴν ἀρετήν. ὥστε τῆς θείας προγνωστικῆς κελεύσεως ἔργον ἐστὶν ὁ προορισμός.

1 In II *Tim.* II, 119. — 2 *Matth.* VII, 23. — 3 *Rom.* VIII, 29. — 4 Ibid. vers. 28. — 5 *Joan.* X, 25.

est detestanda Calvini blasphemia. Qua de re luculenter in primo libro *ad Monimum* scripsit Fulgentius, qui de Augustini loco illo, quem ex libro *de Perfect. justitiæ* retulimus, interrogatus pluribus docet, prædestinari homines ad utrumque, vitam scilicet, aut interitum, sed hunc supplicii, non delicti. Sic Valentinum concilium anno Christi MCCCCLIII in Gallia celebratum, capite III, « prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem » vocat. Honorius Augustodunensis, « Nihil aliud est, inquit, prædestinatio, quam pro meritis cujusque vel ad gloriam, vel ad pœnam æterna Dei præparatio [1]. » Nec aliter ecclesia Lugdunensis libro *contra Joannem Erigenam Scotum;* et in libro *de Tribus epistolis.* Ex quibus in priore stolidam Joannis illius Scoti sententiam refellit, qui prædestinationem ita cum Dei essentia unum et idem esse defendebat, ut ex eo deduceret, non esse prædestinationes duas, unam videlicet ad gloriam, alteram ad supplicium. In posteriore vero quamplurima Augustini testimonia colligit adversus epistolas tres, quibus ad utrumque prædestinari homines docuit. Quinetiam, quod multo est mirabilius, electionis vocem ancipiti notione usurpavit Augustinus in libro *de Correptione et gratia*, cap. VII. « Electi autem sunt, ait, ad regnandum cum Christo, non quo modo electus est Judas ad opus, cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui novit bene etiam uti malis; ut et per ejus opus damnabile illud, propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. »

Prædestinatio frequentius in bonam partem sumitur.

VI. Verum frequentius ac libentius tam Augustinus, quam ejus discipuli omnes, prædestinationem meliorem interpretantur in partem, ut ad eos, qui proprie electi, et prædestinati dicuntur, attineat; ac vel *prædestinationem* absolute sic usurpant, vel addito vocabulo, *sanctorum*, aut *in bonum*, aut altero simili, ut a reproborum prædestinatione discernant. Hanc prædestinationem ita definit August. libro *de Dono perseverantiæ* cap. XIV. « Hæc prædestinatio sanctorum, ait, nihil est aliud, quam præscientia scilicet, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. » Ex quo evidens est, quid a simplici præscientia, vel prævisione differat prædestinatio. Addit enim præparationem, vel dispositionem, quæ ex duobus constat, judicio, quod *practicum* vocant, et voluntate eligente ac destinante, vel applicante; quod discrimen recte idem Augustinus explicat libro *de Prædestin. Sanct.* capite X. « Prædestinatio est, inquit, quæ sine præscientia non potest esse : potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus, inquit, ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est : *Fecit quæ futura sunt.* Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata [2]. » Et in libro XI, qui est *de Dono persever.* capite XVII, XVIII, et XIX ostendit, ut supra demonstravimus, prædestinationem nihil aliud esse, nisi præscientiam eorum, quæ in tempore facturus, ac daturus est. Ubi vigilanter, ut loqui ipse solet, dixit, prædestinationem esse *præscientiam* eorum duntaxat, *quæ ipse facturus est*, non absolute omnium. Quod et Prosper in *Responsione ad Objectionem* XIV *Gallorum* animadvertit. Cum enim hi sic adversus Augustini sententiam objecissent, « Quod idem sit præscientia, quod prædestinatio : » sic ille respondet : « Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed, cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint; dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum et præscisse simul, et prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda. Præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia. Prædestinatio autem sine præscientia esse non potest. » Quod et in sententia XIV mox repetit. Itaque duo ibi maxime necessaria Prosper significat. Alterum, Deum neminem ad peccatum prædestinare, neque ejus auctorem esse : quod sacrilegum, ac detestandum est dogma Calvini, de quo postea. Alterum, præscientiam latius patere prædestinatione; et hanc non minus ad pœnas infligendas pertinere, quam ad mercedem bonorum repræsentandam.

VII. Quocirca prædestinationi divinæ subjacent ea omnia, quæ facturus est Deus. In quibus non ea solum intelligenda sunt, quæ solus, ac per se citra liberi nostri arbitrii

1 Tom. IX, *Biblioth. Patrum.* — 2 *Isaiæ.* XLV, ex Septuaginta.

Cooperationem. συνεργίαν molitur, ut Damascenus existimasse videtur; qui προορισμὸν negavit esse virtutis, et peccati : qua ratione solius primæ gratiæ, et adjumentorum aliorum, quæ a voluntate nostra minime pendent, prædestinatio esse dicetur. Sed non est ita. Nam et opera ipsa bona Dei beneficia sunt, et a Deo præparantur, ut passim disputat Augustinus ex iis verbis Apostoli : *Ipsius enim sumus factura, creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*[1]. Itaque in libro *de Gratia et libero arbitrio,* capite VI : « Dona, inquit, sua coronat Deus, non merita tua; si tibi a te ipso, non ab illo sunt merita tua; hæc enim, si talia sunt, mala sunt : quæ mala sunt, non coronat Deus. Si autem bona sunt, Dei dona sunt; quia, sicut dicit apostolus Jacobus, *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est*, » etc.

Prædestinationem. Sed nimirum Damascenus προορισμὸν talem interpretatus est, quo Deus per se unum absoluteque aliquid ordinat ac definit, non adjuncta voluntatis nostræ operatione præstandum; sive ejusmodi, quæ necessitatem rebus afferat, et consensionem voluntatis excludat. Qualis non est divina prædestinatio etiam bonorum operum ac meritorum. « Prædestinationis enim nomine, ait Fulgentius libro primo *ad Monimum*, non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur; sed misericors et justa futuri operis dispositio prædicatur. » Denique prædestinatio gratiæ est, ac gloriæ, ut paulo post docebitur. Ad gratiam vero pertinent opera bona, quæ ab hominis arbitrio, opitulante Deo, proficiscuntur, ut identidem repetit Augustinus.

Inter prædestinationem autem, et gratiam quid intersit, diligenter exponit idem lib. *de Prædest. Sanct.* cap. X : « Inter gratiam porro, inquit, et prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio : gratia vero, jam ipsa donatio. » Et paulo post : « Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio; gratia vero est ipsius præparationis effectus. »

Prædestinatio non ad solam gratiam coarctatur. *Cooperatione.* VIII. Quo gratiæ vocabulo non solum gratuita Dei beneficia comprehenduntur, cujusmodi est prima vocatio, fides, et id genus alia, quæ partim nulla liberi arbitrii συνεργίᾳ extrinsecus affluunt, partim non sine nobis fiunt, sed, nullis antecedentibus meritis, ex sola misericordia tribuuntur ; verum illa quoque, quæ ex meritis, usuque voluntatis humanæ gratia Dei excitatæ, ac provectæ comparantur : qualia sunt incrementa justitiæ, ac bonorum operum, quæ pii ac sancti laboribus suis, officiisque christianarum virtutum obtinent, imo ipsa quoque gloria, et æterna vita prædestinationis gratia ista continetur. Hanc enim Deus insigniter præparat electis suis neque negari potest beneficium id esse Dei, et quidem summum ac præstantissimum, nec non Dei esse opus ejusdem; ac denique prædestinationis effectum, unde prædestinationi vel tanquam beneficium subjicitur, vel tanquam opus Dei, vel tanquam prædestinationis ipsius effectus. Nam est prædestinatio, uti superius ex Augustino demonstravimus, sive donorum beneficiorumque, sive gratiæ, hoc est effectus ipsius præparatio, sive operum Dei dispositio. Non igitur solius est gratiæ, ut a gloria discernitur; sed hujus etiam præparatio electorum prædestinatio. Hinc recte sanctus Fulgentius libro III *de Veritate prædest.* : « Prædestinavit ergo Deus sanctos suos et ad gratiam vitæ bonæ, et ad gratiam vitæ æternæ. » Et eodem libro : « Prædestinavit, quos voluit, et ad opera bona, et ad præmia sempiterna; prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam. » Augustinus vero non uno loco vitam æternam gratiam appellat ; præcipue autem libro *de Gratia, et libero arbitrio*, c. VIII. « Itaque si vita bona nostra nihil aliud est, quam gratia, sine dubio et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est, et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est : hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia. » Quod epistola quoque CV declarat, et utrobique testem citat Apostolum ita scribentem : « *Gratia*, inquit, *Dei vita æterna*[2]. » Verba Augustini. « Unde et ipsa vita æterna, inquit, quæ utique in fine sine fine habebitur, et ideo meritis præcedentibus redditur, tamen, quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo, quia meritis non datur, sed quia data sunt et ipsa merita, quibus datur. » Et paulo post, « Quapropter, o homo, si accepturus es

1 *Eph.* II, 10. — 2 *Rom.* VI.

vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est et ipsa justitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia, cui debetur. Nunc ergo de plenitudine ejus accepimus, non solum gratiam, qua nunc juste in laboribus usque in finem vivimus, *sed etiam* gratiam pro *hac* gratia, *ut in requie postea sine fine vivamus*[1]. » Idem et in tractatu tertio in *Joannem* ad illa ejus verba *gratiam pro gratia*, scribit. Et in libro *de Correptione et gratia*, capite XIII.

IX. Ex iis illorum convincitur opinio, qui prædestinationem ad solam gratiam, qua ad consequendam gloriam adjuvamur, pertinere volunt; electionem autem ad gloriam[2]; atque ita putant Augustinum distinxisse.

Prædestinatio et electio ab Augustino ejusque asseclis promiscue sumptæ.

Sed multum sine dubio falluntur, uti plene postea constabit, cum de Augustini sententia disputabitur. Hic interim admonemus, *prædestinationem*, et *electionem* ut et *prædestinatos*, et *electos* ab Augustino, ejusque discipulis promiscue solere accipi, ut tam ad gloriam, quam ad gratiam, per quam ad illam pervenimus, ambo referantur; quod aliquot Augustini locis adstruemus. Primus in tractatu *ad Psalmum* LXXXVII. « Sed quia solis prædestinatis ad æternam salutem, inquit, non autem omnibus hominibus, nec ipsis, inter quos facta sunt, ejus bona opera profuerunt. » Idem in epistola CLVII : « Tam multos autem creando nasci voluit, inquit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit, ut in multitudine incomparabili plures sint illis, quos in sui regni gloriam filios prædestinationis prædestinare dignatus est. » Vides, ut prædestinari dicat homines ad regni gloriam. Item libro *de Prædestinatione sanctorum* capite XVII : « Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua facta futura præscivit. » Et libro secundo *de Dono persever.*, capite XXI , « perseverantiam ait nonnisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum et gloriam. » Rursus libro V, *cont. Julian.* cap. IV. « Absit enim, ut prædestinatus ad vitam, sine sacramento mediatoris, finire permittatur hanc vitam. » Ad hæc libro XV *de Civit. Dei*, capite primo, humanum genus in duo genera distribui asserit, « unum eorum, qui secundum hominem, alterum eorum, qui secundum Deum vivunt. Quas etiam mystice appellamus civitates duas; hoc est duas civitates hominum, quarum est una, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera æternum supplicium subire cum diabolo. » Tum eodem libro capite XXII, clarissime : « Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus, et gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt. » Quæ verba tergiversationem omnem respuunt. Nam non aliter, quam de æterna felicitate et gloria prædestinatio ibi potest intelligi, cum eos neget esse prædestinatos ad regnum et gloriam, qui Dei gratiæ, et vocationi paruerant. Ad gratiam ergo referri illa non potest. Accedit Fulgentius , cujus verba paulo antea retulimus. Auctor etiam *Hypognostici* vetus, et eruditus in libro VI, idipsum clare profitetur adeo, ut verba illa Christi *Matth.* XXV : « *Venite benedicti Patris mei*, *percipite regnum paratum vobis ab origine mundi*, » sic interpretetur, ut *paratum* idem sit ac *prædestinatum*. Et paulo post, « Qui vero secundum propositum Dei vivunt, præscitos esse, et prædestinatos electione gratuitæ gratiæ ejus, et regnum eis cœlorum esse prædestinatum, sine dubitatione dicendum est. » Sic Valentinum concilium can. III, « prædestinationem electorum ad vitam et prædestinationem impiorum ad mortem » appellat. Lugdunensis Ecclesia libro *de Tribus epistolis*, et in altero contra Joannem Scotum plenis id paginis adstruit. Nec omittendus est sanctus Gregorius Papa; cujus in primo dialogo, capite VIII, verba sunt : « Ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hanc electi pio labore perveniant. »

Gennadius item patriarcha Constantinopolitanus in epistola *de Prædestinatione* sic eam, quam vocat προορισμὸν, definit, ut sit « sempiternus ordo in Deo perductionis hominis ad vitam beatam. » Addit, ita illam habere ex æterno, « quamvis in tempore fiat ; eo quod Deus ad destinatum terminum mittat illum ; quemadmodum sagittarius ad scopum sagittam emittit[a]. » Quæ similitudo cum illo Cassiani

a GENNAD. in fine tomi II operum Basilii. Ὅς ἐστιν ἡ ἀΐδιος ἐν τῷ θεῷ τάξις τῆς ἐπὶ τὴν μακαρίαν ζωὴν ὁδηγίας τοῦ ἀνθρώπου, καί τοι γινομένης ἐν χρόνῳ, τοῦ θεοῦ πέμποντος αὐτὸν ἐπὶ τὸν ὅρον ἐκεῖνον, ὡς τοῦ τοξότου τὸ βέλος πρὸς τὸν σκοπόν.

Joan. I, 16. — 2 Vasq. in I Par. in *Explic.* art. 3, qu. XXII et disp. LXXXIX, c. VIII.

loco congruit, quem supra posui. Idem paulo post, prædestinationem dicit esse providentiam, qua proprie Deus homines procurat; eoque differre ab providentia late sumpta, quod « hæc universe ad res creatas omnes pertinet; illa vero peculiaris sit hominum generi, adeo, ut circa hominem id plane sit providentia cum prædestinatione. Nam utrumque significat ordinationem ad proprium finem[a]. » Qui locus scriptoris recentis quidem, sed pii et eruditi valde est notandus. Ostendit enim prædestinationem ad finem proprie spectare; ad ea vero, quæ dicuntur media, nonnisi ea ratione, qua ad finem pertingunt.

X. Quibus omnibus testimoniis efficitur Augustinum, ac cæteros Patres, qui in hac quæstione idem cum Augustino, et iisdem fere vocibus usurpant, prædestinationem cum electione confudisse, et utrumque tam ad gratiæ adjumenta, quam ad gloriæ præmia comparasse. Sane Petrus Lombardus, qui eo simplicius ac sincerius communem, et ab Augustino traditam sententiam exposuit, quo illo scripsit tempore, in quo nondum partium studiis controversia illa ferbuerat; nihil ut præjudicati ad eam tractandam quæstionem posset afferre, prædestinationem ab electione non separat. Etenim libro primo, distinct. XL, « Prædestinatio, inquit, est gratiæ præparatio, id est divina electio, qua elegit, quos voluit, ante mundi constitutionem, » etc. Mox quæ sit illa gratia, quam prædestinatio præparat, ita declarat. « Sicut enim prædestinationis effectus illa gratia est, qua in præsenti justificamur, atque ad recte vivendum, et in bono perseverandum adjuvamur, et illa, qua in futuro beatificamur, » etc. Et sequenti XLI distinct. « Cum ergo gratiæ, quæ apponitur homini ad justificationem, nulla sint merita, multo minus et ipsius prædestinationis, qua ab æterno elegit Deus, quos voluit, aliqua possunt existere merita. » Hinc illa prædestinationis definitio, quam *magistralem* sanctus Thomas in I, dist. LX, quæst. I, art. 2, nominat; ut sit « præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. » Quod si vim vocabuli ipsius inspicere velimus, intelligemus ex usu Latinorum veterum, *destinationem* non eorum esse tantum, quæ ad finem diriguntur, sed finis etiam ipsius, sive per se, ac solius, sive ut certa ratione comparandus est. Destinare quippe est certam sibi rem proponere; et in eam sibi, vel aliis obtinendam animum intendere. Sic « destinare alicui provinciam, » dixit Livius libro primo. Plinius junior « destinare puellam, » pro *despondere;* item « destinare aliquem imperio, » Ovidius; vel *aræ*, id est immolationi, Virgilius *Æneidos* XI; tum *destinata pecunia*, id est promissa, Ulpianus; *destinata*, et *desponsa laus*, Ciceroni; et id genus alia, quæ perpetuo finem ipsum, ac scopum respiciunt, ejusque non implicatam ac confusam, sed directam et expressam notionem exhibent: sed ita tamen, ut hunc ipsum propositum finem certa ratione, et industria consequendum significent.

Prædestinatio *media* nonnisi *connotando* designat.

XI. Quare tantum abest, ut, quod plerisque persuasum est, prædestinatio proprie, et explicate circa illa, quæ vocant media, hoc est finis assequendi præsidia versetur; confuse autem, et quasi secundo finem includat; ut ad finem per sese potius, rectaque pertineat; adjumenta vero ipsa, sive media, vel secundo loco, et ut vulgo loqui solent, *connotando*, vel eodem cum fine ipso contuitu designet: quod posterius tum dici convenit, cum ad finis rationem, et essentiam media ipsa pertinent; cum videlicet res illa, quæ obtinenda proponitur, non absoluta conditionibus omnibus, ac per sese, studiis nostris objicitur, sed quodammodo affecta, et sub certa conditione, ac ratione, quæ ad finis integritatem attinet. Uti si militi cuipiam equum, vel præfecturam imperator destinet ea lege, ut strenue cum hoste confligat, eumque superet. Hic enim ex utraque re constat finis; equo, vel militari dignitate, et labore ac victoria; quia non gratuitum illud est donum, sed fortitudinis, et honesti facinoris præmium; ut si alterum vel cogitatione divellas ab altero, jam non idem sit finis, ac propositi genus; sed natura, et ratione diversum. De qua re paulo post plura.

Prædestinatio et electio aliquatenus differunt.

Est tamen nonnullum discrimen electionis, et prædestinationis, in eoque positum, quod prædestinatio absolutam significationem habeat, hoc est nullam cum aliis, qui non prædestinantur, comparationem notione sua contineat. Est enim simplex aliquorum designatio, qui per adjumenta gratiæ, ac sui, vel alieni laboris meritum ordinantur ad gloriam;

[a] Gennad. in fine tomi II operum Basilii Τὸ τῆς θείας προνοίας ἀγαθὸν εἰς πάντα διήκει τὰ ὁπωσοῦν τοῦ εἶναι μετέχοντα. προορίζειν δὲ τὴν λογικὴν φύσιν μόνον τὸν ἄνθρωπον. ὡς εἶναι ταυτὸν μὲν ἐπ' ἀνθρώπου πρόνοιαν θεοῦ, καὶ προορισμόν· ἑκατέρῳ γὰρ ὁ λόγος δηλοῦται τῆς εἰς τὸ οἰκεῖον τάξεως τέλος.

vel est certorum hominum ad gratiam, et gloriam suo tempore perducendorum æternum Dei consilium, et propositum. At electio eadem est illa designatio, vel propositum Dei, quatenus, aliis relictis, istos separat, et asciscit. Unde σχέσιν habet ad eos, quibus anteponuntur. Utraque tamen non minus gloriam respicit, quam gratiam, ex antiquorum usu, præsertim Augustini, qui illam electionis, ac prædestinationis differentiam, quam scholastici deinde quidam invexerunt, funditus ignoravit.

Relationem.

CAPUT II.

Quid de electione divina, vel prædestinatione senserint antiqui, ac primum hæretici, vel a communi sensu catholicorum abhorrentes, Valentiniani, Prædestinatiani; horum hæresim certam fuisse. De Semipelagianorum opinione circa prædestinationem. De eadem, sententia Catharini.

Hæretici plus æquo prædestinationi tribuentes.

I. Duæ sunt ex adverso respondentes invicem, ac contrariæ factiones. Nam alii ultra fines jaculo expedito, præter omnem modum hoc negotium intenderunt, ut Valentiniani, Basilidiani, Manichæi, et hujus generis alii; qui duplicem humani generis naturam asseverabant, et hominum naturaliter bonos alios, ac fideles, ac proinde salvandos; alios naturaliter malos, et infideles, ac reprobos esse dicebant. Clemens Alexandrinus initio libri V *Stromateon* testatur ex opinione Valentinianorum, quosdam esse φύσει σωζομένους; Basilianorum vero, quosdam φύσει πιστοὺς, καὶ ἐκλεκτούς, *natura factos ad salutem, ac fidem, et electos.*

Natura salvatos.

Irenæus quoque lib IV, cap. LXXII, eosdem refellit, qui naturaliter bonos alios, alios malos esse dicebant, et hos ipsos χοϊκούς nominabant, hoc est *terrestres* et *crassos*. Ejusdem erroris meminit Origenes, et eum refellit libro I in *Epist. ad Rom.* dum ea verba declarat: *Segregatus in Evangelium Dei*, necnon in lib. III *Periar.* capite primo, ubi ait, hæreticos asseverare, « non esse in nostra potestate, ut salvemur, sed naturas esse animarum tales, quæ in omni genere vel pereant, vel salventur; nec ullo modo possit anima, quæ mala facta est, bona fieri, aut quæ bona fuerit, mala effici. » Exstat in calce *Stromateon* Alexandrini Clementis, Epitome quædam e scriptis Theodoti, ejus fortasse, qui *Coriarius* dictus est. Ea Valentiniani dogmatis summam continet; quod et inscriptio ipsa docet, « Ex Theodoti commentariis, et orientalis, ut vocant, doctrinæ Valentini temporibus, Epitome. » In hoc opusculo vestigia illius erroris apparent de naturali τῶν πνευματικῶν salute, ac justitia, eorum videlicet, qui a Demiurgo « ex meliori, et spirituali semine procreati sunt; » ac de naturali itidem reprobatione, et τῶν ὑλικῶν καὶ χοϊκῶν, *concretorum ex materia terrestrium, et lutulentorum.* Isti ergo congenitam, et natura insitam nonnullis asserebant, fidem, ac justitiam, et salutis semina, quam necessario ac nulla sua voluntate consequebantur. Ex adverso vero alios natura impios, et infideles esse, et a salute prorsus alienos. De quibus Ecclesia Lugdunensis in libro contra Joannem Scotum [1]: « Nam antiquissimi, ait, et impiissimi illi hæretici Marcion, et Valentinus, et Manichæus, qui vel duo, vel tria principia introduxerunt, et ideo duas naturas vel angelorum, vel hominum asseruerunt, id est unam bonam, et alteram malam; illam ita esse bonam, ut aliud esse non possit; istam e contrario ita esse malam, ut similiter aliud esse non possit: nihil omnino de gratia Dei dixerunt, sed solam naturam naturaliter vel bonam esse, vel malam stultissime defendere conati sunt. »

Spiritualium.

II. In eumdem gregem prædestinationi divinæ plus æquo tribuentium includendi sunt hæretici illi, quos *Prædestinatos* appellarunt. De quibus Prosper in *Chronico*, « Prædestinatorum, inquit, hæresis, quæ ab Augustini libris male intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa. » Nec disertius aliquid hac de hæresi memoriæ prodidit. At in calce indiculi *de Hæresibus*, qui Hieronymo inscribitur, ex Gennadio Massiliensi presbytero nonnulla referuntur eorum opinionis capita, quæ majori ex parte Augustini dogma sapiunt, nisi quod ad invidiam illi faciendam calumniose concepta sunt. Velut cum ait illos, qui « Deo inspirante obediunt vocationi, si non sunt de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono. » Quod adversus Augustinum Galli, et Massilienses objiciebant, ut ex Prospero liquet. Ita et illud, « Quod alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad sa-

Error Prædestinatorum.

[1] Tom. II Auct. *Biblioth. Patrum.*

lutem ; alios post bona rejiciat, et compellat in malum, quo pereant in æternum. » At Sigebertus in *Chronico* ad annum CCCCXV, de iis agens, ita scribit : « De prædestinatione, et divina gratia disputantes asserebant, quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem prædestinati fuerint ; nec impiis obsit, quod improbe vivant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ hæresis ex libris Augustini male intellectis initium sumpsisse dicitur. » Ergo isti salutem, ac perditionem hominum quadam fatali necessitate constare dicebant, nihil ut in alterutram partem merita conferrent. Licet ex Fausti Rejensis epistola ad Lucidum presbyterum, et ejusdem Lucidi libello, in quo errorem suum retractavit, doctrinæ illius capita cognoscere. Hic enim de concilii Arelatensis auctoritate a Fausto monitus, Prædestinatorum, quibus irretitus erat, ejuravit hæresim, ubi ei anathema dicit, qui asserit, « quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt. » Item, « qui dicit, humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum. » Tum, « qui dicit, post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. » Addit et caput aliud, quod peræque damnat, « qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos ; » quod injuria quidem retractat, est enim verissimum : nisi eo forte sensu, uti fatalis illa, quam dixi, necessitas utrobique constituatur. Adversus hanc hæresim acerrime pugnavit idem ille Faustus duobus in libris, quos scripsit de libero arbitrio ; sed intemperantius evectus catholicæ modum professionis excessit. Nam et Augustini doctrinæ, quantumlibet dissimulare conetur, adversatur in omnibus, et Semipelagiana decreta propalam asseveravit : quod utrumque demonstrat Joannes Maxentius in responsione prima. Sed hac de re postea dicetur. Neque vero illorum conjecturam approbo, qui Prædestinatorum hæresim nullam in rerum fuisse natura putant, sed meram Augustinianæ doctrinæ calumniam ; cum qui illam tuerentur, invidioso illo nomine a Pelagianis, et eorum reliquiis onerarentur. Verum apparet, Augustini quidem sententiam ab æmulis, et obtrectatoribus hac infami appellatione traductam esse ; non tamen idcirco nulli extiterunt, qui, quod scriptores a nobis supra laudati referunt, illa Augustini opinione freti extra catholicæ fidei regulas procederent : quemadmodum non ideo nulli vel Eutychiani, vel Nestoriani fuerunt, quod Catholicos in medio positos utroque nomine ex diverso appellarent contrariæ invicem hæreses. Igitur Prædestinatos proprium quemdam errorem habuisse, ex Lucidi presbyteri recantatione verisimile est.

Semipelagiani prædestinationem sustulerunt.

III. Alii ex diametro istis oppositi prædestinationem ita sustulerunt, ut negarent propositum illud, et immobile decretum Dei, quo certum hominum numerum ac definitum ad salutem, et efficacem ac perseverantem gratiam destinavit; alios autem perinde certo numero ad æternam damnationem, id est supplicium ordinavit sic, ut ab uno statu non sit transitus ad alterum, neque aut de prædestinatorum numero periturus sit quispiam, nec de reprobis ad salutem aliquando venturus. Imo vero qualicumque ordine constituto, de salute, id est statu salvandorum ad perditionem, hoc est ad reproborum sortem, et de perditione ad salutem posse transiri. Hæc fuit Semipelagianorum sententia, qui Augustini doctrina et libris offensi, negarunt, id sibi vel divinæ bonitati, quæ vult omnes homines salvos fieri, vel humanæ libertati consentaneum videri, certos duntaxat ad salutem excipi, repudiari cæteros, neque communem ac promiscuam omnibus patere Dei bonitatem, ac justitiam. Ita docuit Faustus Rejensis Semipelagianorum antesignanus in libris duobus *de Libero arbitrio;* præsertim in primo, capite IV, ubi istud ipsum Augustini dogma tacito nomine illius oppugnat, « eumque sensum, qui diceret, unum ad mortem præordinatum alterum ad vitam prædestinatum esse ; » et iisdem contra eum utitur argumentis, quæ Augustinus a Prospero, et Hilario proposita dissolvit in libro XI, qui est *de Dono perseverantiæ.* Sic idem caput Faustus hac sententia concludit : « Si ergo unus ad vitam alter ad perditionem, ut asserunt, deputatus est, sicut quidam sanctorum dixit, non judicandi nascimur, sed judicati. « Ad hæc capite XII, locum illum Apostoli, *An non potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam*[1] ? quem de æterna Dei electione, ac prædestinatione ad gloriam, aut reprobatione Augustinus aliique solent interpretari ; Faustus ita declarat, ut qui contumeliæ vas fuerit, vas in honorem, si

1 *Rom.* IX.

velit, possit fieri; et contra vas honoris in contumeliæ vas transire possit: quasi nullum sit æternum et immutabile Dei decretum, quo sua cuique sors attributa fuerit. Itaque sic in capitis fine colligit: « Aperte ostendit, statum hominis in diversa, non pro constitutione Dei, sed pro arbitrii libertate posse versari. » Vide et caput XIII, ubi hæc Apostoli verba ex capite IX, ejusdem *ad Romanos* epistolæ, *Miserebor cui voluero, et misericordiam præstabo, cujus miserebor*, quæ ad prædestinationem accommodat Augustinus, ac vulgo cæteri; aliter exponit, ut sit, « miserebor, cui voluero, id est, quem justum esse cognovero, cujus promptam fidem videro, » etc. Quinetiam hæreticum vocat illum, qui prædestinationem Dei, vel præfinitionem hic intelligat.

IV. In epistolis quoque duabus, altera Prosperi, altera Hilarii ad Augustinum, in quibus Massiliensium, ac Semipelagianorum conatus adversus Augustini doctrinam explicant, eadem contra prædestinationem illorum querela proponitur: « Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt (verba sunt Hilarii), ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia? » Neque vero prædestinationis illa definitio ab Augustino tradita solos eos offendebat, qui vel fidem, vel fidei saltem obtinendæ voluntatem, sine peculiari gratiæ præsidio, ex cujusque voluntate suppetere dicebant; qui fuit Pelagii reliquiarum proprius error; sed eos etiam, qui in cæteris Augustino, et catholico dogmati consentiebant, ut ex Prospero postea demonstrabimus. Quod si dimidiati illi Pelagiani prædestinationis mentionem, ac sempiternum et immobile Dei decretum, quæ facturus est præscientis, ac definientis adeo refugiebant; multo id magis Pelagianis ipsis displicuit, qui totum salutis negotium liberi arbitrii viribus imputabant. Hinc Ecclesia Lugdun. libro *de Tribus epistolis*[1], ait Pelagianos prædestinationem in parte reproborum in Augustini scriptis minime reprehendisse, « sed tantummodo in parte electorum, ut divinam gratiam destruerent, et liberum arbitrium hominis afficere confirmarent, eam negaverunt; quia videlicet, si omnipotens Deus ante mundi constitutionem quos salvaturus esset elegit, et dona sua, quæ eis largiturus fuerat, prædestinavit, cessat hic omnis humani arbitrii præsumptio, et sola Dei gratia evidentissime, et firmissime commendatur. » Ergo utriusque prædestinationem et gratiæ, et gloriæ Pelagiani sustulerunt. Ideo sanctus Augustinus libro II ad Hilarium, et Prosperum, qui est *de Dono perseverantiæ* capite XIX et XX, ait, se contra novos hæreticos Pelagianos prædestinationem operosius diligentiusque defendere. Nam Semipelagianos minime pro hæreticis habuit; sed catholicos, et amicos suos appellavit eodem libro. Cæterum, uti prædestinationem ad gloriam ejusmodi, quæ rata esset, et immobiliter fixa, Pelagius, ejusque vel ex toto, vel ex parte sectatores sustulerunt; sic ad gratiam prædestinari eos putavit, quos per liberæ voluntatis arbitrium sanctos fore præscivit. « Præsciebat ergo, ait Pelagianus (Verba sunt Augustini in libro *de Prædestinatione sanctorum*, capite XVIII), qui futuri essent sancti, et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium; et ideo eos ante mundi constitutionem, in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscivit; utique ipse non fecit; nec se facturum, sed illos futuros esse præscivit. » Sed de hac electione ad gratiam hic minime agimus; quam gratuitam esse nemo dubitat catholicus, etiamsi ex meritis eligi ad salutem homines, contra quam Augustino visum est, existimet. Quemadmodum neque de illa prædestinatione sermo nobis est, quam iidem agnoscebant hæretici, ac solis definiebant apostolis, ut indicat auctor *Hypognostici* in calce lib. VI. Quam equidem non ad salutem pertinere ex illorum opinione arbitror; sed ad apostolicum tantummodo munus, et functionem, ad quod, sine ullo ad merita respectu, electos illos esse Pelagiani dicebant. Verba *Hypognostici*: « Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breviter probavimus, immanis blasphemia est. Quam non tantum, sicut soletis dicere, in apostolis debemus accipere, sed in patriarchis, et prophetis, et martyribus, et confessoribus, in omnibus sanctis, et digne servientibus Deo. »

Prædestinationem, ut supra explicatur, negat Catharinus.

V. Postremo hanc eamdem prædestinationem, sive propositum certorum hominum ad salutem dirigendorum per efficacem gratiam, ac beneficia, relictis aliis, et reprobatis, si de hominum universo genere sermo sit,

[1] Tom. II Auct. *Biblioth. Patrum.*

negavit Ambrosius Catharinus in libro *de Prædestinatione;* ubi prædestinationem nonnisi excellentium quorumdam virorum gratuitam electionem esse dicit, quos Deus singulari prosequens amore, ex nulla præsensione meritorum sic ad vitam destinat, ut ab ea non possint excidere; cujusmodi fuit beatissima Virgo, apostoli, prophetæ, et alii nonnulli; cæteros ait in communi providentia relictos, velut in suspenso manere, quandiu in vita sunt, ita ut salus eorum a potestate liberi arbitrii pendeat: « neque certus sit illorum numerus, ac determinatus in providentia Dei pro eo tempore, quo adhuc sunt in via » (hæc enim illius verba sunt); tametsi in Dei sit præscientia definitus, cum prædestinatorum, id est eximio illo delectu comprehensorum, certus sit et in præscientia Dei, et in providentia numerus. Ex quo consequens est, prædestinatos quidem omnes certo salutem assequi, nec eorum perire quemquam; multos vero non prædestinatos, ac reprobos ad eumdem pervenire, nec omnes, qui reipsa vitam adipiscuntur, ad eam fuisse prædestinatos. Quam sententiam ingenue fatetur sancti Augustini doctrinæ contrariam esse, a quo veniam idcirco precatur, nec sine tumultu ac reclamatione a multis exceptam; quod et Sixtus Senensis Catharini discipulus affirmat libro VI *Bibliothecæ,* ubi opinionis illius a se patrocinium propterea desertum asserit, cum decem propemodum annis eam publice prædicasset.

CAPUT III.

Quid de eadem electione, vel prædestinatione Græci præsertim Patres docuerunt, Irenæus, Origenes, Chrysostomus, etc. Refelluntur qui putant illos de vocatione tantum ad primam gratiam loqui: ac docetur, eos prædestinationem ad gloriam ex meritorum prævisione statuisse.

I. Sed iis remotis vel a catholica fide, vel a communi theologorum usu nimis alienis sententiis, restat illa passim inter catholicos doctores agitari solita quæstio, ecquid Deus illius propositi, quo certos homines ab aliis selectos ad æternam vitam provehere statuit, causam aliunde, quam ex seipso, ac benignitate sua capiat; ac nominatim id quæri disputarique solet, utrum in nobis et a nobis futurum aliquid prævideritDeus, etiam ex gratia sua, et auxilio proditurum; in quod intuens, eoque commotus et impulsus æternam felicitatem ex æterno destinaverit, tanquam mercedem meritorum illorum ac præmium sic, ut causa non alia præcesserit bonæ illius voluntatis Dei, quam quod eos homines, quos prædestinasse, elegisseque dicitur, bene usuros gratia sua prævideritac bonis operibus dignos se æterna felicitate præstituros: an nihil ejusdemmodi respexerit Deus, sed gratuita bonitate, soloque arbitrio liberæ suæ voluntatis delectum hunc instituerit; adeo ut ex omnium mortalium numero, quos ob primi parentis noxam communis damnationis reatus obligarat, cæteris judicio ac voluntate sua derelictis, quosdam velut eximios secreverit, quos ad æternam vitam perduceret. Hæc quæstio post Augustini potissimum tempora, ac Pelagianorum exortam hæresim disputari in Ecclesia cœpit; antiquiores autem aut ea de re breviter, ac minus distincte locuti sunt, aut, ut iis in sermonibus quos ad multitudinem magis de virtutibus ac vitiis, quam de fide ac dogmatibus instituebant, popularem se ad captum temperare studuerunt. Quamobrem eo sunt usi genere verborum ac sententiarum, quod rem illam infinite duntaxat, ac generaliter exprimeret; plerique vero non solum cujusque salutem, sed ipsam quoque gratiam, quæ nos ad illam parandam excitat et promovet, pro meritis a Deo tribui significasse videntur.

An prædestinatio sit absolute absque prævisione meritorum.

II. Sed de gratia proprius erit disserendi locus; de æterna vita, quod in præsentia quæritur, ita, ut dixi, sensisse complures scribit Prosper in epistola ad Augustinum, quæ est præfixa libris *de Prædest. Sanct. et de Dono persever.*, cujus hic verba referenda sunt: « Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum hac de re opinionibus, pene omnium par invenitur et una sententia, quæ propositum, et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, et sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esse voluntate, et actione præscierit. » Qui locus insigniter observandus est. Magno quippe nobis usui postea futurus est. Docet vero Prosper, pene antiquos omnes prædestinationem non utique ad solam gratiam, sed ad gloriam ex prævisis meritis a Deo factam putasse, et iis qui-

Antiquos prædestinationem ex prævisis meritis asseruisse affirmat Prosper.

dem meritis, quæ ex gratiæ adjutorio fore aliquando prævideret. Huic Prosperi inquisitioni respondens Augustinus libro I *de Prædest. Sanctor.* cap. XIV, istud ipsum, quod supra posuimus, asserit veteres illos, qui Pelagianam hæresim antecesserunt, in ea quæstione non accurate esse versatos; sed eam transeuntes attigisse; quod tum id necesse non foret. « Quid igitur opus est, inquit, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur? » Atque, ut illorum quænam opinio fuerit, ex ipsismet audiamus, quorumdam hic testimonia proferam, quæ ex meritis unumquemque a Deo eligi, ac prædestinari sempiternam ad vitam videntur adstruere. Irenæus in libro quarto, capite LXXVI electionem, qua Deus certos ex hominibus destinat saluti, et gloriæ, plane ex eorum libera voluntatis inclinatione, et bonis operibus metitur. Nam et alludit ad vasa eodem ex luto ficta, quæ, prout se artifici mollia et tractabilia præbent, aut dura et contumacia, ita, pretiosa vel contempta fiunt. Et electionem ex prænotione voluntatum institui asserit a Deo. « Qui igitur abstiterunt a paterno lumine, inquit, et transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii, et suæ potestatis facti. Deus autem omnia præsciens utriusque aptas præparavit habitationes eis quidem, qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, et ad id recurrunt, benigne donans hoc, quod concupiscunt, lumen: aliis vero id contemnentibus, et avertentibus se ab eo, et id fugientibus, et quasi semetipsos excæcantibus, congruentes lumini adversantibus præparavit tenebras, et his, qui fugiunt ei esse subjecti, convenientem subdidit pœnam.»

Eadem Origenis sententia.

III. Origenes in caput VIII epistolæ *ad Romanos* hæc verba declarans: *Quos præscivit, et prædestinavit*, etc. *Quos autem præsdestinavit, hos et vocavit*, etc., præscientiam illam, et prædestinationem eorum duntaxat esse dicit, qui jam conformes sunt imaginis filii ejus, hoc est justi, et sancti. Tum præscientiam ea notione sumi, qua Deus in sacris Litteris eos nosse dicitur, quos amat et approbat, malos autem nescire, quos odit. « Et ideo, inquit Origenes, etiam in præsenti loco constat, Apostolum secundum Scripturæ sacræ consuetudinem posuisse sermonem cognoscendi, ut illos ostenderet præcognitos a Deo, in quibus sciens, quales essent, amorem suum Deus affectumque posuisset. » Igitur præscientiam illam, ex qua prædestinatio oritur, posteriorem facit Origenes sanctitate, ac meritis eorum, quos eligit Deus. Paulo vero postea id, quod Apostolus habet, *secundum propositum vocari*, sic exponit, ut hoc non Dei propositum ipsius intelligat, sed hominis bonam voluntatem, qua Dei cultum amplectitur. Imo duplex ibidem vocationum distinguit genus: alterum minime efficax, quo qui vocantur non ideo justificantur: alterum, quod est secundum propositum. « Sed videtur mihi esse quædam vocationis differentia secundum illud, quod in superiori exposuimus; quia omnes quidem vocati sunt, non tamen omnes secundum propositum bonum, et bonam voluntatem, quam circa Dei cultum gerunt, vocantur. Ipsi sunt, qui secundum propositum vocati dicuntur; et isti sunt, qui vocati justificati sunt. Bono enim eorum proposito deerat sola vocatio. Hi vero, qui non habent bonum fixumque propositum vel erga divinum cultum, vel erga opus bonum, vocantur quidem et ipsi, ne eis excusatio relinquatur, » etc. Subjicit aliam interpretationem propositi, ut ad Deum referatur. « Quod si secundum propositum ad Deum referatur, hoc est, ut secundum Dei propositum, qui sciens in eis religiosam mentem, et salutis inesse desiderium, vocati dicantur, non videbitur his, quæ exposuimus, etiam hoc esse contrarium. Hoc ergo pacto neque in præscientia Dei vel salutis, vel perditionis nostræ causa consistit, neque justificatio ex sola vocatione pendebit, neque glorificari de nostra penitus potestate sublatum est. » Mox eo labitur, ut eamdem præscientiam, ex qua prædestinantur homines, nudam futuri præsensionem esse non neget, quia futurum est; ut cum futura prædicuntur a prophetis. Deinde sic loquitur: « Ut autem scias, non in præscientia Dei unicuique salutis causam poni, sed in proposito, et actibus suis; vide Paulum verentem, ne forte, cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur. »

IV. Ex his Origenis verbis efficitur, prædestinationem ad æternam salutem ex meritorum prævisione pendere; ac præscientiam, ex qua prædestinantur, illa ipsa merita, velut sibi objecta, respicere. Nec minus tamen de prædestinatione ad primam gratiam indidem colligitur. Nam utrumque comprehendit Origenes quemadmodum et plerique Patres, cum de electione, sive prædestinatione disputant,

ambo ista pro indivisis usurpare solent; ac sæpius prædestinari homines ad gratiam præcise sic intelligunt, ut eodem modo ad æternam vitam prædestinari sentiant; ut qui de ea gratia loquantur, quæ in gloriam desinat, quæque sit electorum propria : quod de Augustino superius capite primo demonstravimus, et in sequentibus iterum ostendemus; in illis autem Origenis verbis nullus tergiversationi isti locus est, cum salutis æternæ diserte ibi meminerit, ut mirum sit, a Sixto Senensi [1], cum illius sententiæ, quæ prædestinationem pendere facit ex meritis, auctorem citaret Origenem, tam evidens testimonium esse præteritum. Tametsi quæ ab illo proferuntur, eodem pertinent; nec ad solam prædestinationem ad primam gratiam restringi debent, ut putant aliqui [2], non solum quia cum de prædestinatione Patres disputant, utrumque significant, nec alterum ab altero dirimunt, licet pro opportunitate unius tantummodo diserte meminerint, ut jam diximus; verum etiam quia gloriæ, perinde ut gratiæ, mentionem facit Origenes libro primo Comm. in *Epist. ad Rom.* ad illa verba *Segregatus in Evangelium Dei.* Ibi enim primum asserit Paulum electionis suæ causas in semetipso dedisse : neque ob naturæ bonitatem a Deo prædestinatum ; adversus hæreticos illos, qui electorum, reproborumque discrimen ex naturali differentia proficisci putabant.

Quocirca non de prima solum gratia capiendus est Origenes, ut affirmant illi, sed de salute pariter, æternaque vita; quandoquidem hæretici illi, nimirum Valentiniani, quorum dogmati suum opponit Origenes, ex naturali bonitate non ad gratiam tantum, sed ad salutem quoque homines volebant eligi; φύσει, inquam, τοὺς σωζομένους simul et πιστοὺς fieri dicebant: ut antecedenti capite e Clemente Alexandrino docuimus, et ex Origenis tertio *Periarchon*.

V. Quare de utraque electione interpretandus est Origenes. Tum id vero paulo post apertius indicat his verbis : « Denique et ipse in consequentibus latius disserens ait : *Quia quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui ;* evidenter ostendens, quod eos, quos præscivit Deus tales futuros, ut Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes, ac similes imaginis ejus prædestinavit, et gloriæ. Præcedit ergo præscientia Dei, per quam noscuntur, qui in se labores, et virtutes habituri sint, et ita prædestinatio sequitur. » Hic prædestinatio manifeste refertur ad gloriam ; quamvis ad gratiam præterea spectet. Nam eos ad utrumque censet eligere Deum, quos recte gratia sua usuros, et allaboraturos esse præviderit : quod si de sola gloria diceret, suffragatores haberet catholicos, ac theologos nonnullos; dum autem ad primam ipsam gratiam eligi ex eadem præsensione defendit, id cujusmodi sit paulo post viderimus. Ejusdemmodi est, quod ex libro VII ad cap. IX Sixtus retulit, ubi Pauli verba ista Origenes exponit : « Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, » etc., atque ita disserit Jacobum, Isaaci filium, quod se emundasset, factum esse vas in honorem. « Et videns, inquit, Deus puritatem ejus; potestatem enim habens ex eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam, Jacob quidem, qui, ut diximus, emundavit semetipsum, fecit vas ad honorem : Esau vero ,cujus animam non ita puram, nec ita simplicem vidit, ex eadem massa fecit vas ad contumeliam. » Non debet in illis verbis solam ad gratiam electio intelligi, sed etiam ad æternam gloriam, ut res ipsa demonstrat.

VI. Verum idem Origenes paulo ante ista, quæ descripsimus, aliter sentire visus est de prædestinatione, ac duorum illorum discrimine. « Sed hæc omnia, inquit, eo spectant, ut illud probet Apostolus, quod si vel Isaac, vel Jacob pro his meritis electi fuissent ad ea, quæ in carne positi quæsierant, et per opera carnis justificari meruissent, posset utique meriti eorum gratia ad posteritatem carnis quoque, et sanguinis pertinere. Nunc vero, cum electio eorum non ex operibus facta sit, sed ex proposito Dei, ex vocantis arbitrio, promissionis gratia non in filiis carnis impletur, sed in filiis Dei ; hoc est, qui similiter ut ipsi ex proposito Dei eligantur, et adoptentur in filios. »

Hæc sunt contraria superioribus illis, ac prædestinationem ex sola Dei voluntate, non ex meritis, quæ in carne quisque pararit, fieri demonstrant. Porro in libro II *Periarchon* c. IX et in lib. III, c. I, priorem sententiam amplectitur, ex præcedentibus meritis eligi homines, et alios fieri vasa in honorem, alios in contumeliam. Unde concludit Jacob et Esau propter antecedentia merita, quæ scilicet eorum animæ, antequam laberentur in

1 Lib. VI, n. 25. — 2 Vasquez disp. LXXXIX, cap. III.

corpora, peperissent, dissimilem sortem esse consecutos; quem hominis errorem illo ipso de libro commemorat Hieronymus in epistola *ad Avitum*. Sed missum faciamus hunc scriptorem neque catholicum, et in plerisque futilem, minimeque constantem; cæteros videamus.

Chrysostomus prædestinationem ad salutem ex prævisis meritis fieri censet.

VII. Chrysostomus haud uno in loco, Deum censet ex cujusque meritis eligendi, aut damnandi occasionem sumere, ubi de ea electione loquitur, qua ad salutem ordinamur. Ex iis quædam attulit testimonia Sixtus Senensis, quæ Vasquez negat ad electionem illam, de qua agitur, referri; sed ad alteram, qua Deus primam gratiam destinat. Quod etiamsi falsum est, secundum ea, quæ proxime ante super istiusmodi Patrum sententiis exposuimus; suppetunt tamen ejusdem alia scriptoris loca, quæ de salute disertiora sunt iis, quæ Sixtus protulit. Ea nos, omissis, præter unum, alterumve, quæ ab Sixto commemorantur, paucis attingemus.

Homilia XVI in caput IX epistolæ *ad Romanos* ait Paulum id satagere, ut ostendat « Deum solum eos nosse, qui digni sunt; hominum vero neminem, quamlibet accurate scire videatur : sed plerumque talia aberrare judicia[a]. » Agit autem de ea dignitate hominum, ac meritis, quibus Dei in se amorem, odiumve provocant; quæ ad salutem pertinere docet in sequentibus. Nam statim subjicit : « Qui enim mentis occulta cognoscit, ipse manifeste scit, quinam coronis digni sint, quinam supplicio, atque pœna[b]. » Ac licet subinde iis exemplis affirmet illud, quæ in utramque partem a Deo statuuntur hac in vita; ut cum nonnullos, qui probi esse videntur hominum judicio, pœnis subjicit, eorumque nequitiam retegit, alios, qui improbitatis erant suspecti, coronat, ac bonos esse declarat; nihilominus ad eam quoque prædestinationem, qua ad æternam salutem eliguntur homines, respexisse Chrysostomum, fit ex eo perspicuum, quod eo spectet omnis ista narratio, ut quod paulo ante dixerat, ostendat Deum ex geminis duobus alterum adamasse, Jacobum; alterum exosum habuisse, nimirum Esau, quod tanto ante quam nascerentur, prævidisset illum bonum, hunc malum futurum. Non enim, ut post illa, quæ adduximus, idem disserit, eventu rerum et exitu opus habet Deus, ut de iis sententiam ferat, dignoscatque τὸν φαῦλον, καὶ τὸν οὐ τοιοῦτον; *eum qui malus sit, et qui ejus dissimilis*. Et ad illa verba capite VIII : *Quis accusabit adversus electos Dei?* electionem istam *virtutis esse signum* ait. Ut enim equorum domitorem, si pullos, quos ad cursum idoneos ex arte cognorit, eligat, ridiculus sit qui accuset, ita cum Deus animas eligit, reprehensioni nullus est locus.

VIII. Igitur amor ille, odiumque Dei, hoc est electio, ac reprobatio ex bonis meritis ac virtute, aut improbitate oritur illorum, quos malos ex sese, bonos vero gratiæ suæ beneficio fore Deus prævidet. Quare merita ista bona justificatione, et sanctitate posteriora sunt; qua remota, par est utriusque causa, nec melior est Jacobus, quam Esau. Ideo non de hac electione interpretandus est, qua ad primam gratiam exceptus est Jacobus, quæ profecto justificationem antecessit. Ac mirum est, Vasquezium asseverare Chrysostomum hoc, et similibus in locis, eam electionem intellexisse, qua ad primam gratiam ex arbitrii meritis homines eligit Deus[1]. Non enim erravit adeo Chrysostomus, ut sine Dei gratia, sanctum ac justum viribus suis esse factum Jacobum crederet, aut illa ipsa, propter quæ amatus a Deo esse dicitur, opera bona per se, ac suapte voluntate præstitisse. Nam hoc sentire non ex dimidio est, sed ex toto esse Pelagianum; siquidem ἀγαθὸς, id est *bonus*, et στεφάνων ἄξιος, *dignus coronari*, et ἄξιος τῆς ἀρετῆς τοῦ γεγεννηκότος, *genitoris sui virtuti respondens*, et ψυχῆς ἀρετῇ *animi virtute præditus*. Jacobus præsensioni illi divinæ ante est objectus, quam amaretur, et eligeretur a Deo. Tum ita concludit Chrysostomus : « Qui novit animum, hic probare potest, quis sit salute dignus[c]. »

a CHRYS. in cap. IX. *ad Rom.* vers 13. Ὅτι τοὺς ἀξίους ὁ Θεὸς οἶδε μόνος, ἀνθρώπων δὲ οὐδεὶς, κἂν σφόδρα εἰδέναι δοκῇ, ἀλλὰ πολλάκις διαπίπτει τὰ τῆς ψήφου ταύτης.

b Ibid. Ὁ γὰρ τὰ ἀπόῤῥητα τῆς διανοίας ἐπιστάμενος, αὐτὸς οἶδε σαφῶς, τίνες μὲν στεφάνων ἄξιοι, τίνες δὲ κολάσεως καὶ τιμωρίας.

c CHRYS. in cap. IX. *ad Rom.* vers 13. Ὁ γὰρ εἰδὼς ψυχὴν, καὶ δοκιμάζειν, οὗτος οἶδε καὶ τίς ἄξιός ἐστι σωθῆναι.

1 Vasquez. disp. LXXXIX, cap. 3.

Dignus ergo salute Jacobus fuit, cum est electus; proinde jam justificatus, et opem Dei consecutus, ac gratiam.

IX. Hic suspicari posset aliquis Chrysostomum non illud existimasse, quod Vasquez putat, eligi ad primam gratiam homines propter merita quædam, et initia bonæ voluntatis, ut Massilienses opinati sunt; sed quod illos bene usuros gratia sua, et operibus bonis responsuros esse præviderat; ideo primam ipsis gratiam decrevisse dare : qui fuit aliorum non minor absurdus error. Sed non est ita. Quippe ad caput idem adnotat Chrysostomus, vasa electionis, hoc est electos constitui eo ipso, quod Deus non id solum prævidet, quod eorum voluntate confertur, sed gratiam quoque suam, qua illos adjuvat. « Ut igitur Pharao vas iræ factus est propria iniquitate, sic et isti vasa misericordiæ suapte probitate fiunt. Nam, etsi majori ex parte id a Deo geritur, tamen a nobis exiguum confertur aliquid. Idcirco non dixit, vasa præclarorum facinorum, neque vasa fiduciæ, sed vasa misericordiæ, ut ostendat totum illud Deo esse tribuendum [a]. » Quæ sane verba calumniam interpretationis illius excludunt. Siquidem vasa misericordiæ sunt electi a Deo, et peculiari quodam amore dignati. Ob id vero ait electos illos esse, quod εὐγνωμοσύνην *animi probitatem* in iis præsenserit, quam ope gratiæ suæ sic adepturos vidit ex æterno, ut perpusillum ipsorum voluntati, et consensioni, revera totum gratiæ ipsius adscriberetur. Cum igitur, id, quod illi præscientiæ propositum erat, et ad eligendum impellebat Deum, affectus ille esset animi divinæ gratiæ beneficio insitus; necesse est primam gratiam, quæ illius objectæ bonitatis artifex, et fundamentum erat, non ex electione ista consecutam, sed antegressam, et priorem fuisse. Unde perspicuum est electionem, qua vasa misericordiæ destinata sunt, ad incrementum sanctitatis, et gratiæ simul, et ad gloriam spectasse, eumque fructum, et effectum habuisse, qui sit prima gratia posterior.

Sed nec ad eam quam vocant *conditionatam* scientiam licet confugere; tanquam haud absolute futurum affectum hunc animi, meritaque præviderit Deus : sed ita demum, si necessariam ad id opem conferre decreverit. Etenim Chrysostomus πρόγνωσιν *præscientiam* ejusmodi, ex qua oritur electio, absolutam significat, ac rei haud aliter, quam præsentis, existentisque notitiam. Id enim Deum inter, hominesque esse discrimen, quod hi jam exstantibus, productisque de rebus judicium ferant, et ab invicem secernant; Deus autem ex æterno futura prospicit, et tanquam reipsa præsentia contuetur, ac distinguit. « Quod non exspectat, inquit, hominum more, ut ex rerum exitu videat, quis bonus sit, necne; verum antea novit; quis malus sit, aut aliter se habeat [b]. » Eodem pertinent ea verba, quæ paulo ante descripsi, cum ait eos, qui digni sunt electione, et amore isto, quo fiunt vasa misericordiæ, accurate a Deo cognosci. Tum occulta cordis ab eo pervideri; item quis sit bonus, et corona, ac salute dignus : qua ex scientia consequi electionem ex Chrysostomi sententia demonstravimus. Igitur absoluta est ista cognitio, cui res absolute futura, et veluti jam præsens objicitur.

X. Denique hanc electionem, qua vasa fieri misericordiæ, vel iræ Dei docet Chrysostomus [c], ad salutem ordinari, non ad primam gratiam ibidem indicat. « Undenam ergo alii vasa sunt iræ, alii misericordiæ? ex arbitrio proprio. Nam Deus, cum sit optimus, in utriusque eamdem benignitatem exhibet. Non enim eos, qui salvantur, solum miseratus est, sed etiam Pharaonem, quantum in ipso fuit. Eamdem quippe in se tolerandis patientiam experti sunt. Quod autem non est salvatus, totum id illius voluntati tribuendum est; quia, quod ad Deum pertinet, nihil minus, quam ii, qui salvati sunt, est adeptus : » per-

a Chrys. ad cap. IX *ad Rom.* com. XXIV. Ὥσπερ οὖν ὁ Φαραὼ σκεῦος ὀργῆς γέγονεν ἀπὸ τῆς οἰκείας παρανομίας· οὕτω καὶ οὗτοι σκεύη ἐλέους ἀπὸ τῆς οἰκείας εὐγνωμοσύνης. εἰ γὰρ καὶ τὸ πλέον ἐστὶ τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ὅμως καὶ αὐτοί τι μικρὸν εἰσηνέγκαμεν. διὸ οὐδὲ εἶπε, σκεύη κατορθωμάτων, οὐδὲ σκεύη παῤῥησίας, ἀλλὰ σκεύη ἐλέους, δεικνὺς ὅτι τὸ πᾶν ἐστι τοῦ Θεοῦ.

b Chrys. Hom. XVI ad cap. IX *ad Rom.* com. XIII. Ὅτι οὐκ ἀναμένει, καθάπερ ἄνθρωπος, ἀπὸ τοῦ τέλους τῶν πραγμάτων ἰδεῖν τὸν ἀγαθὸν, καὶ τὸν οὐ τοιοῦτον. ἀλλὰ καὶ πρὸ τούτων οἶδε τίς μὲν ὁ πονηρὸς, τίς δὲ ὁ μὴ τοιοῦτος.

c Chrys. ibid. Πόθεν οὖν οἱ μὲν σκεύη ὀργῆς, οἱ δὲ ἐλέους; ἀπὸ προαιρέσεως οἰκείας. ὁ δὲ Θεὸς σφόδρα ἀγαθὸς ὢν ἐπ' ἀμφοτέρων τὴν αὐτὴν ἐπιδείκνυται χρηστότητα. καὶ γὰρ οὐχὶ τοὺς σωζομένους ἠλέησε μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν Φαραὼ, τόγε αὐτοῦ μέρος· τῆς γὰρ αὐτῆς μακροθυμίας κἀκεῖνοι, καὶ οὗτος ἀπήλαυσαν. εἰ δὲ μὴ ἐσώθη, παρὰ τὴν αὐτοῦ γνώμην τὸ πᾶν· ὡς τόγε εἰς τὸν Θεὸν ἧκον, οὐδὲν ἔλαττον τῶν διασωθέντων ἔσχεν.

spicuum est, quid de prædestinatione sentiat. Nam et ad salutem eam refert, cum misericordiam illam, quæ nihil est aliud, quam certorum hominum secretio, ad eos, qui salvantur, comparat; et ex cujusque arbitrio, non sine Dei gratia, ut hactenus expressit, divini illius consilii causas, ac velut segetem oriri docet.

Præterea in homilia prima ad epistolam *ad Ephesios* ait Deum in eligendo ad id respicere; quod optimum est, cum et ab hominibus talia deligantur; hanc porro electionem argumentum esse divinæ benignitatis pariter, et eorum virtutis, qui eliguntur [a]. Omnino enim eos, qui probi erant, elegit.

XI. Sed omnium expressissimus, et hæc, quæ de Chrysostomi sententia dixi hactenus, universa continens locus ibidem sequitur in hæc Apostoli verba : *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum*, etc. ad quæ sanctus doctor : « Non enim nostris ex laboribus, vel recte factis hoc suppetit, sed ex charitate; neque ex charitate solum, sed etiam ex virtute nostra. Nam, si id e sola charitate penderet, salvari omnes oporteret. Sin autem sola ex virtute nostra, supervacaneus fuisset adventus illius, et quæcumque ab eo sunt administrata. Verum, neque sola ex charitate, neque sola ex virtute nostra illud accidit, sed ex utroque [b]. » Hic igitur sanctus Chrysostomus prædestinationem, quæ tendit ad salutem, qua scilicet non omnes, sed aliqui salvantur, ex Dei charitate, et virtute nostra censet existere. Quam virtutem utique gratia, et auxilio Dei constare docet. Nam subjicit : « Etenim virtute esse præditos, et fide, atque ad Deum accedere, fuit id quidem vocantis ipsius beneficium; sed nihilominus et nostri aliquid fuit [c]. » Quid clarius afferri potuit, ut appareret Chrysostomum illam ipsam affectionem animi nostri, causamque prædestinationis non ex nobis ipsis oriri, ac fine Dei auxilio putare?

Denique homilia secunda in eamdem Epist. *ad Eph.* hæc verba declarans commatis II capitis secundi, «*In quo etiam nos sorte vocati sumus*, etc. scribit electos non simpliciter esse sortito captos, quasi temere, ac sine delectu, aut eorum, qui eliguntur, nisu, ac voluntate prædestinentur. Id enim fortuitum esset. Sed ita *sortis* meminisse, ut tamen liberum nostrum arbitrium haud excluderet. Itaque duo in divina prædestinatione Chrysostomus agnoscit; alterum, quod sortis nomen meretur, quod est propositum Dei; ac bona voluntas, quam erga certos adhibet; alterum, voluntas hominis bona cum Deo laborantis : quod posterius includi ait in notione προθέσεως, *propositi;* cui adjuncta est πρόγνωσις, *præscientia* virtutis eorum, quos eligit. «Etenim sors virtutis non est, sed, ut ita dixerim, fortuiti casus, quasi dicat : Sortitione facta, nos elegit : omnino vero ex libero arbitrio prædestinatos, hoc est sibi ipsi eligens segregavit. Puta videbat nos, antequam sortito capti essemus. Mira est enim Dei præsensio, quæque omnia novit, antequam existant [d]. » Et homilia xx, in *Acta*, de iis verbis agens : *Vas mihi electionis est iste* [1] *:* ait *electionis* ideo vas nominari, « ut ostenderet illum esse probum. Nos enim id, quod probum est, eligere solemus [e]. »

XII. Post Chrysostomum Theodoretus occurrit; qui in Comment. ad caput VIII epist. *ad Rom.* in eadem opinione videtur fuisse; imo nonnunquam et vocationem ipsam imputare proposito, ac voluntati bonæ, quam Deus præviderit. Quippe Apostolum observat pru-

a Chrys. Hom. I *ad Ephes.* ad cap. I, vers. 4. Εἰ δὲ ἄνθρωποι ἐκλεγόμενοι τὰ κάλλιστα ἐκλέγονται, πολλῷ μᾶλλον ὁ θεός. καὶ τὸ ἐκλεγῆναι δὲ, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας τεκμήριον, καὶ τῆς αὐτῶν ἀρετῆς. πάντως γὰρ ἂν τοὺς δοκίμους ἐξελέξατο.

b Chrys. hom. I in ep. *ad Eph.* ad vers. 5. Οὐ γὰρ ἀπὸ πόνων, οὐδὲ κατορθωμάτων τοῦτο γίνεται· ἀλλ' ἀπὸ ἀγάπης· οὔτε ἀπὸ ἀγάπης μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς. εἰ γὰρ δὴ ἀπὸ ἀγάπης μόνης, ἐχρῆν ἅπαντας σωθῆναι. εἰ δὲ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας πάλιν μόνης, περιττὴ ἡ παρουσία αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ οἰκονομηθέντα· ἀλλ' οὔτε ἀπὸ ἀγάπης μόνης, οὔτε ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς, ἀλλ' ἐξ ἀμφοτέρων, etc.

c Paulo post : Τὸ γὰρ ἐναρέτους γενέσθαι, καὶ πιστεῦσαι, καὶ προσελθεῖν, καὶ τοῦτο μὲν αὐτοῦ ἦν τοῦ καλέσαντος· πλὴν ἀλλὰ καὶ ἡμέτερον.

d Chrys. Hom. II in epist. *ad Eph.* Ὁ γὰρ κλῆρος οὐκ ἀρετῆς ἐστιν, ἀλλ' ὡς ἄν τις εἴποι, συντυχίας· ὡς ἂν εἰ ἔλεγε, κλήρου γενομένου ἡμᾶς ἐξελέξατο. τὸ δὲ ὅλον ἀπὸ τῆς προαιρέσεως προορισθέντας· τουτέστιν ἑαυτῷ ἐκλεξάμενος ἀφώρισεν. οἷον ἑώρα ἡμᾶς πρὶν ἢ γενέσθαι κεκληρωμένους. θαυμαστὴ γὰρ ἡ τοῦ Θεοῦ πρόγνωσις, καὶ πάντα εἰδυῖα πρὶν γενέσεως αὐτῶν.

e Chrys. *in Acta.* Ἵνα δηλώσῃ ὅτι καὶ δόκιμός ἐστι. τὸ δόκιμον γὰρ ἐκλεγόμεθα.

1 *Act.* IX, 19.

Theodoretus etiam electionem ipsam prævisis meritis tribuere videtur.

denter dixisse, *iis, qui secundum propositum vocati sunt, omnia cooperari in bonum*[1], et vocationi propositum adjunxisse, quod non vocet simpliciter Deus, sed eos, qui habent propositum[a]; et, quos præsciverit assensuros, eos prædestinet. *Quorum*, inquit, *propositum præscrivit, eos ab initio prædestinavit*. Ac subinde disputat, præscientiam Dei non esse causam istorum omnium; nimirum justificationis, et gloriæ. «Prædestinatos, ait, ac præfinitos etiam vocavit; deinde vocatos per baptismum justificavit, justificatos vero glorificavit, ut, quos filios nominaverit, et sancti Spiritus eis gratiam dederit. Cæterum nemo præscientiam horum causam esse dicat. Non enim præscientia eos tales effecit; sed Deus, ut Deus, quæ futura erant procul prospexit[b].» Subjicit ejus similitudinem, qui hominem feroci insidentem equo, et in præceps abeuntem e specula prospicit, et casum prædicit. Eadem docet et ad caput IX. Nam de Esau, et Jacobo loquens, asserit, ideo, altero spreto, alterum electum, quod, dum adhuc in utero gererentur, Deus eorum differentiam, et propositum utriusque præscivisset. « Non est enim, ait, injusta electio, sed quæ hominum proposito convenit[c].» Item paulo post ait eodem modo, quo Jacobum præposuit Esau, «licet in eodem utero, eodem tempore ipsi effícti, formatique fuerint,» Deum nunc eos, *qui ex Judæis credituri erant, suscepisse, eos autem, qui hunc radium non susceperunt, repulisse*[d]. Rursus ad illa Pauli, *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit*, etc. ita scribit. «Recta est ergo, et justa Dei universorum sententia. Jure ergo punit peccatores, ut qui hoc sua sponte facere audeant. Jure etiam lenitate, et benignitate utitur; a nobis enim accepta occasione præbet misericordiam[e].» Quocirca videtur Theodoretus arbitrari divinam electionem, et prædestinationem, qua unus antefertur alteri, ex amborum voluntatis, et propositi differentia pendere, quam Deus futuram præviderit sic, ut eos, quos assensuros, et vocanti sibi responsuros videt, vocatione, et salute dignetur.

Eadem Œcumenii sententia.

XIII. Œcumenius in *Scholiis* ad VIII caput ejusdem epistolæ ad hæc Apostoli verba: *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*[2], scribit Deum non omnibus mala in bonum convertere, sed iis, qui a Deo vocati sunt. «Deinde, ne, quasi certis hominibus indulgens Deus, eos præ aliis vocare videatur, adjecit, *iis, qui secundum propositum*, hoc est arbitrium suum, dignati sunt vocatione: ostendens omnes quidem nos esse vocatos; illos autem auscultasse. Idcirco opitulatur iis Deus, qui secundum proprium propositum facti sunt vocati[f].» Mox item, ad illa verba: «Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: quos autem vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, hos et glorificavit;» notat, in singulis subaudiendos esse, *qui secundum propositum*, id est arbitrium voluntatis eorum vocati sunt; « ne absurdum videatur, Deum quibusdam bene facere, non aliis. Quod autem additur, *secundum propositum*, efficit, ut iis facti illius laus adscribatur, quia suapte voluntate crediderunt, et a personarum acceptione reddit immunem Deum[g].» In iisdem commentariis ad

a Theodor. in cap. VIII *ad Rom.* vers 28. Σφόδρα δὲ ἀκριβῶς συνέζευξε τῇ κλήσει τὴν πρόθεσιν. οὐ γὰρ ἁπλῶς καλεῖ, ἀλλὰ τοὺς πρόθεσιν ἔχοντας.

b Theodor. ib. ad vers. 30. Ὧν προέγνω τὴν πρόθεσιν, τούτους προώρισεν ἄνωθεν. προορίσας δὲ καὶ ἐκάλεσεν· εἶτα καλέσας διὰ τοῦ βαπτίσματος ἐδικαίωσε· δικαιώσας δὲ ἐδόξασεν, υἱοὺς ὀνομάσας, καὶ πνεύματος ἁγίου δωρησάμενος χάριν. ἀλλὰ μηδεὶς τὴν προγνωσίαν αἰτίαν εἶναι τούτων λεγέτω. οὐ γὰρ ἡ πρόγνωσις αὐτοὺς τοιούτους εἰργάσατο· ἀλλὰ πόῤῥωθεν ὁ θεὸς τὰ ἐσόμενα προεθεώρησεν ὡς θεός.

c Theodor. in IX *ad Rom.* vers. 13. Οὐ γὰρ ἄδικος ἡ ἐκλογὴ, ἀλλὰ τῇ προθέσει τῶν ἀνθρώπων συμβαίνουσα.

d Ibid. Αὐτὸς καὶ τὸν Ἰακὼβ τοῦ Ἡσαῦ προτετίμηκε, καί τοι ἐν μιᾷ γαστρὶ κατὰ ταὐτὸν τὴν διάπλασιν αὐτῶν δεξαμένων. τί τοίνυν θαυμάζεις, εἰ καὶ νῦν ταὐτὸ τοῦτο πεποίηκε, καὶ τοὺς ἐξ ὑμῶν πεπιστευκότας ἐδέξατο· τοὺς δὲ τὴν ἀκτῖνα ταύτην μὴ δεξαμένους ἀπώσατο;

e Ibid. Ὀρθὴ οὖν ἄρα, καὶ δικαία τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων ἡ ψῆφος. ἐνδίκως γὰρ κολάζει τοὺς ἁμαρτάνοντας, ὡς γνώμῃ τοῦτο ποιεῖν τολμῶντας. ἔχει δὲ καὶ ἡ φιλανθρωπία τὸ δίκαιον. πρόφασιν γὰρ παρ' ἡμῶν λαμβάνων ὀρέγει τὸν ἔλεον.

f Œcum. in VIII *ad Rom.* Εἶτα ἵνα μὴ νομισθῇ μονομερῶς ὁ Θεὸς ἐνίους καλέσας, φησὶ, τοῖς κατὰ πρόθεσιν, τοῖς κατὰ γνώμην, ἤτοι προαίρεσιν ἀξιωθεῖσι τῆς κλήσεως· δεικνὺς ὅτι πάντες μὲν ἐκλήθησαν, ἐκεῖνοι δὲ ὑπήκουσαν. διὸ καὶ βοηθοῦνται εἰ κατὰ οἰκείαν πρόθεσιν γενόμενοι κλητοί.

g Id. Œcum. Ἵνα μὴ ἄτοπον ἀπαντᾷ εἰ ὁ Θεὸς τινὰς μὲν εὖ ἐποίησε, τινὰς δὲ οὔ. τὸ δὲ, κατὰ πρόθεσιν

1 *Rom.* VIII, 28. — 2 *Rom.* VIII, 28.

caput IX, Photius ista declarans : « Ut secundum electionem propositum Dei maneret, » sic scribit : « Cum dixit propositum Dei, consilium ipsius ostendit ; cum dicit secundum electionem, demonstrat ipsos invicem discrepasse. Nemo enim unum præ altero eligit, nisi ab eo differat[a]. » Deinde istud ipsum discrimen non in factis, quæ nulla adhuc exstabant, sed in præscientia fuisse dicit, qua salute dignos futuros animadvertit, « Siquidem homines ea, quæ sunt in homine, post eorum ortum fortassis agnoscunt. Deus etiam antequam extiterunt[b]. » Ad hæc, Jacobum tanquam bonum adamatum esse, Esau tanquam malum odio habitum.

XIV. Præterea ad hæc verba : *Ergo cui vult miseretur*[1], etc. « Digno, cujus misereatur, misericordiam adhibet ; obduratum, et contumacem, obduratum esse permittit[c]. » Paulo post vero *vasa iræ, et vasa misericordiæ* a seipsis, et suopte arbitrio fieri docet ; et vasa misericordiæ ad salutem perduci, et in eos, qui digni sunt, misericordiam effundi. Rursus, cum ait Paulus, « de vasis misericordiæ, quæ præparavit Deus. » « Præparavit, inquit, quoniam illos misericordia dignos agnovit propter fidem[d]. » Statim vero illos ipsos, qui ex gentibus crediderunt, non simpliciter, ac speciali favore, sed quod salute digni forent, ad salutem pervenisse dicit, ob ipsorum probitatem; et fidem, εὐγνωμονύσην καὶ πίστιν. In eadem igitur opinione sunt Œcumenius, et Photius cum Theodoreto ; ac prædestinari ad gloriam, imo ad gratiam homines asserunt, ob eorum prævisam fidem, et probitatem. Nec aliter Theophylactus, cujus de prædestinatione verba sunt ad caput VIII, in hæc Pauli : « *Quos præscivit, illos et prædestinavit,* » etc. « Præcognoscit, vel præscit Deus eos, qui vocatione digni sunt : deinde sic prædestinat. Prior itaque est præscientia, postea sequitur prædestinatio. Prædestinationem autem intelliges, impermutabilem Dei bonam voluntatem. Prænovit itaque Paulum Evangelii vocatione dignum esse ; sicque præfinivit, seu prædestinavit, hoc est impermutabiliter decrevit, adeoque statuit vocare ipsum[e]. » At in commentario ad caput nonum, explicans illa Pauli verba, « *Quum enim nondum nati fuissent,* » etc. negat, « propter virtutem, aut vitia alterum electum, alterum repudiatum ; sed divino proposito, hoc est præscientia, et prædestinatione[f]. » Quod sic intelligendum est, ut nondum reipsa bona, vel mala ipsorum extitisse facta velit, sed a Deo prævisa. Etenim paulo post ad ea verba, *Numquid figmentum dicit ei, qui se finxit*[2] ? scribit, ex eadem massa fieri vasa, alia quidem nobilia, alia vero ignobilia non natura, sed eorum arbitrio, ac voluntate.

Necnon Theophylacti.

XV. Ad hos omnes, qui electionem ad gloriam ex cujusque fieri meritis apertius indicant, adjungi possunt alii complures, quorum ex dictis idem consequi videtur, dum Evangelii locum illum explicant, in quo Zebedæi filiis consessum hinc et inde ad dextram, sinistramque postulantibus Christus ita respondet : *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*[3]. Quæ verba sic exponunt, non ut penes Christum dandi, quod rogabatur, potestas non fuerit ; sed ut intelligerent, pro meritorum dignitate suum cuique locum attribui : « quia præmia certantium laboribus proportione quadam respondere debent[g], » ut ait Cyrillus ; quibus consentanci sunt Epiphanius, Basilius, Chrysosto-

Et aliorum

συνυπακουόμενον αὐτῶν ποιεῖ κατόρθωμα τῶν κατὰ οἰκεῖαν πρόθεσιν πιστευσάντων, καὶ προσωποληψίας ἀπαλλάττει τὸν Θεόν.

a PHOTIUS ad cap. IX. Εἰπὼν πρόθεσιν τοῦ Θεοῦ, τὴν βουλὴν αὐτοῦ ἐδήλωσεν· εἰπὼν, κατ' ἐκλογὴν, ἔδειξεν ὅτι καὶ διέφερον ἀλλήλων. οὐδεὶς γὰρ ἐκλέγεται ἕτερον ἀφ' ἑτέρου, εἰ μή τι αὐτοῦ διαλλάσσοι.

b Ib. Οἱ μὲν γὰρ ἄνθρωποι ἴσως μετὰ τὸ γενέσθαι· ὁ δὲ θεὸς πρὸ γενέσεως ἐπίσταται τὰ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ.

c Ibid. Τὸν ἄξιον ἐλεᾶσθαι, ἐλεεῖ· τὸν δὲ σκληρὸν, καὶ ἀπειθῆ, σκληρὸν εἶναι συγχωρεῖ.

d Ibid. Προητοίμασε δὲ, ἐπεὶ ἔγνω ἀξίους ἐλέου διὰ τὴν πίστιν.

e THEOPHYL. in cap. VIII *ad Rom.* vers 30. Προγινώσκει ὁ θεὸς τοὺς ἀξίους τῆς κλήσεως· εἶθ' οὕτως προορίζει. προτέρα οὖν ἡ πρόγνωσις· εἶτα ὁ προορισμός. προορισμὸν δὲ νοήσεις, τὸ ἀμετάθετον τοῦ θεοῦ ἀγαθὸν θέλημα. προέγνω οὖν ὅτι Παῦλος ἄξιος τῆς κλήσεως τοῦ εὐαγγελίου· καὶ οὕτω προώρισε· τουτέστιν ἀμεταθέτως ὥρισε, καὶ ἔστησε τὸ καλέσαι αὐτόν.

f Id. ad cap. IX, vers 11. Ὅτι οὐ δι' ἀρετὴν ὁ ἐκλεγεὶς ἐξελέγη, οὐδὲ διὰ κακίαν ὁ μισηθεὶς ἐμισήθη. οὐ γὰρ ἐπράξαντο ἀγαθὸν, ἢ κακὸν ἔτι ἐν νηδύϊ τῆς μητρὸς ὄντες. ἀλλὰ τῇ θείᾳ προθέσει, τουτέστι τῇ προγνώσει, ὁ μὲν ἐξελέγη, καὶ ἠγαπήθη, ὁ δὲ ἐμισήθη.

g CYR. lib. XXVI *Thes.* Οὐχ ὅτι μὴ ἐδύνατο παρασχεῖν, ἀλλ' ὅτι τῶν πονούντων ἐστὶν ἀναλόγως οἷς κάμνουσι κομίζεσθαι τὸν μισθόν.

1 *Rom.* IX, 18. — 2 Vers. 20. — 3 *Matth.* XX, Mar. X.

mus, quos alibi citavimus[1]. Tametsi non desit iis, qui in contraria sunt opinione, quod pro ea respondeant. Sed magnum mea quidem sententia præjudicium faciunt ad electionem ex meritis definiendam, qui sic sentiunt, ac scribunt, de quo postea.

Nec omittendus est Gennadius patriarcha Constantinopolitanus, qui in libro *de Prædestinatione* manifeste voluntatem hominum causam constituit, cur a Deo, qui, quantum in se est, eos salvare vellet, nonnulli reprobentur. Nam videtur generalem quamdam agnoscere voluntatem in Deo, ac providentiam, qua ad salutis communem veluti terminum omnes dirigere satagit; quosdam vero suapte voluntate exorbitare, ac deflectere ab illa via, et divino decreto se subtrahere. Proinde « istos aït jam reprobatos esse, antequam nati sint, apud Deum; non quod eos ex æterno reprobare velit, sed quod ex æterno reprobatum iri sciat, et omnem circa ipsos Dei, ac Patris providentiam irritam facturos[a]. »

Macarius denique homilia XV pessimum quemque « in libera sua potestate habere dicit, ut fiat vas electionis, et vitæ[b]; » ut ex meritis eligi quemque demonstret.

CAPUT IV.

Exponuntur regulæ quædam, ex quibus Veterum dicta probabiliter interpretari licet, quæ gratiam tribui ex meritis affirmare videntur; et a Pelagiana labe illos defendere adversus recentiorum quorumdam sententiam. Plerumque Patres gratiæ nomine externam vocationem, ac statum significare; quomodo Deus in danda gratia voluntates hominum respiciat. Interdum eam gratiam Patres intelligere, quæ perfectior sit, non inchoata. Alias salutis initia nominare salutem.

I. Sed, ut erudito lectori meam in proponendis, et interpretandis Patrum sententiis fidem, ac diligentiam approbem, atque ut procul abesse me ab eo demonstrem, ut præjudicati aliquid ad illorum tractatïonem afferam, aut ad id, quod semel opinione præsumpserim, eorum dicta quoquo modo trahere studeam; quædam hic exponam, quæ in illorum scriptis, ac verbis observasse videor, ex quibus clarius, et liquidius de mente ipsorum, et auctoritate constet. Eæ velut generales erunt regulæ, in quas intuens, et intendens oculos illorum lector theologus, complura, quæ apud eos absona, et interdum quoque pugnantia secum, ac fidei contraria catholicæ specie prima videntur, explicabit facile; ac tam se ab errore, quam illos ab fœdissimæ labis suspicione vindicabit. Quod eo libentius hic facio, ne singulos Græcos, vel Latinos ante Augustinum, itidem ut Græcos, loquentes commemorare, et singillatim interpretari necesse sit : quod sane longum esset, et alterius etiam instituti est et operis, in quo de Gratia disputatur.

Cum gratiam tribui ex meritis affirmant Patres, 1° loquuntur de gratia exteriori non de interiori.

Horum veluti canonum primus est iste : Plerumque vetustiores illos, quos dixi, cum de gratia Dei, et vocatione agunt, non tam de interiore animi motu, ac sive illustratione mentis, sive voluntatis inflammatione loqui, quam de externo aliquo beneficio Dei, veluti Evangelii prædicatione; aut statu aliquo vitæ, ad quem occulto deinde animi instinctu trahuntur. Exempli causa, Theodoretus in caput epistolæ Pauli *ad Romanos* nonum, verba illa declarans, *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit*[2]; quæ propter gratiæ largitionem dicta esse passim Augustinus interpretatur, refert ad salutem, et sospitatem vitæ præsentis, ac Dei misericordiam, qua paucos Judæorum e Babyloniorum crudelitate liberavit, plerisque interfectis; uti Abimelechum Æthiopem, imo Abdemelechum, qui ob pietatem, et constantiam fidei servatus est[3]. Refert item ad divinam in Judæos providentiam, quapropter sacrilegum vituli cultum, damnatis gladio compluribus, aliis data venia est. Hæc igitur, et cætera hujus generis beneficia, quæ ad externum Dei favorem, et gratiam spectant, promereri pietate, ac virtute sua certos homines, ut est verissimum, sic Theodoretus jure prædicat.

a Genn. in fine tomi II Basil. Τῷ δὲ θεῷ προαποδεδοκιμασμένοι, καὶ πρὶν γενέσθαι τυγχάνουσιν, οὐχ ὡς αἰωνίως ἀποδοκιμάζειν ἐθέλοντι, ἀλλ' ὡς αἰωνίως ἀποδοκιμασθησομένους εἰδότι, καὶ πᾶσαν τὴν περὶ αὐτοὺς ἀκυρώσαντας τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς πρόνοιαν.

b Macar. Ἀλλ' ἔχει τὴν ἐλευθερίαν τοῦ γενέσθαι, σκεῦος ἐκλογῆς, καὶ ζωῆς.

1 Lib. II *de Trin.* cap. III, n. 12. — 2 *Rom.* IX, 14. — 3 *Jer.* XXXIX, 16.

II. Sic illa, quæ in eadem epistola proxime sequuntur, *Miserebor, cujus misereor, et misericordiam præstabo, cujus miserebor*[1], Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, et qui Theodulus vulgo nominatur, de eorumdem Judæorum discrimine intelligunt, quo, alii adorati vituli scelus impune tulerunt, alii supplicio affecti sunt; cum Augustinus, ac cæteri passim gratiam sine ullis meritis dari ex eo loco confirment. Ambrosii quoque commentarius, qui Hilarii Diaconi esse creditur ejusdem ætatis scriptoris, quod ibidem scribit Apostolus : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*[2], ad Saulem, et Davidem accommodat; quorum « ille peccans, cum petisset veniam, non accepit; at contra David peccans, et ignosci sibi postulans, veniam consecutus est. Ex hoc utique dantis Dei, et non dantis judicium sequendum est; quia non injuste judicat, qui omnes salvos vult, manente justitia. » Non igitur instinctum Dei, et gratiam significari in illo loco credidit, sed externum favorem, et beneficium pro merito repræsentatum a Deo.

Imprimis autem gratiæ vocabulo Evangelii notitiam, et externam ad id vocationem, ac statum ipsum adoptionis evangelicæ veteres contineri putant. De quo et Apostolus ipse loquitur iis verbis : *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum*[3]. Quem ad locum Chrysostomus adnotavit, beneficium illud adoptionis tantum esse, ac tam incredibile, ut nullo ad id merito pervenerint homines, sed solius Dei benignitatis et gratiæ munus fuerit. « Etenim virtutis fuisse compotes, et credidisse, et accessisse ad Deum, erat quidem et hoc illius, qui vocavit; verum et nostrum quoque fuit. At vero eos, qui accesserant, tantis honoribus afficere, ut statim ab inimicitia ad adoptionem proveheret, fuit eximie cujusdam charitatis[a]. »

III. Quo quidem illud referri debet, quod alibi, si Deus dederit, ostendemus, illam adoptionis dignitatem, ac statum filiorum Dei ex quorumdam antiquorum sententia distinctum quiddam esse ab gratia, et justificatione, qua sancti fiunt homines; et cumuli, accessionisque loco provenisse singulari, et gratuito, et Novi Testamenti proprio munere. De quo non sunt prætermittenda Theophylacti verba ab eum epistolæ *ad Ephesios* locum : « Cum dixit : *Elegit*, inquit, intelligendum reliquit, se tanquam probatos ob virtutem elegisse nos. Sed quoniam non ab sola virtute nostra salus constat, adjecit : *Qui in charitate prædestinavit nos;* hoc est propter suam benignitatem, cum amasset nos, prædestinavit. Præterea credere, et accedere nostrum est; tametsi vocantis etiam est Dei. At vero, postquam accessimus, adoptionem nobis tribuere, solius est charitatis, et benignitatis illius. Ideo addidit : *Qui prædestinavit in adoptionem*[b]. » Nituntur autem hoc potissimum, quod ab Apostolo discerni ista videntur, cum scribit ita primum. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus.* Deinde alterum adjicit : *Qui in charitate prædestinavit nos in adoptionem filiorum*, etc. Differt igitur ex illorum opinione adoptionis gratia ab simplici sanctitate, ratione saltem, et ἐπινοίᾳ. Et quamvis gratis hanc tantam dignitatem oblatam esse ex sola Dei charitate illi sentiant, nec ullis adeptam meritis; sic tamen intelligendi sunt, non ut nulla, sed ut longe inferiora fuerint merita. Nam si justificatio ipsa, et sanctitas sola, ut iidem asseverant, non solum ex divina gratia, et vocatione obtigit, sed etiam ex quodam vocatorum merito; multo magis alterum illud donum adoptionis, licet paribus nullis meritis, certe nonnullis meritis obtinetur, si jam sanctis, ac justificatis conceditur.

Gratiam adoptionis a gratia sanctificante distinguebant veteres.

IV. Cornelius ecce centurio ad Christi fidem, et evangelicam professionem vocatus, piis hanc operibus gratiam meruisse dicitur *Actorum* decimo. Non enim prima ista gratia fuit, sed accessio, et complementum ejus,

a Chrys. Hom. I in epist. *ad Eph.* Τὸ γὰρ ἐναρέτους γενέσθαι, καὶ πιστεῦσαι, καὶ προσελθεῖν, καὶ τοῦτο μὲν αὐτοῦ ἦν τοῦ καλέσαντος, πλὴν ἀλλὰ καὶ ἡμέτερον. τὸ δὲ προσελθόντας τοσούτων ἀξιῶσαι τιμῶν, ὥστε εὐθέως ἀπὸ ἔχθρας εἰς υἱοθεσίαν ἀγαγεῖν, ὑπερβαλλούσης ὄντως ἀγάπης.

b Theophyl. Εἰπὼν ὅτι ἐξελέξατο, δέδωκε νοεῖν ὅτι ὡς δοκίμους διὰ τὴν ἡμῶν ἀρετὴν ἐξελέξατο, ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς μόνης ἡ σωτηρία, προσέθηκεν. ὅτι ἐν ἀγάπῃ προορίσας ἡμᾶς, τουτέστι δι' οἰκείαν φιλανθρωπίαν ἀγαπήσας ἡμᾶς προώρισεν. Ἄλλως τε, τὸ μὲν πιστεῦσαι, καὶ προσελθεῖν ἐστιν ἡμέτερον, καί τοι καὶ τοῦ καλέσαντος Θεοῦ· τὸ δὲ προσελθόντας ἀξιῶσαι τῆς υἱοθεσίας, μόνης τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, καὶ φιλανθρωπίας. διὸ προσέθηκε, προορίσας εἰς υἱοθεσίαν.

1 *Rom.* IX, 15. — 2 Ibid. vers. 16. — 3 *Eph.* I, 5.

quam ante consecutus fuerat. « Cujus, ut ait Augustinus, acceptæ sunt eleemosynæ, et exauditæ orationes antequam credidisset in Christum; nec tamen sine aliqua fide donabat, et orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus apostolus Petrus[1]. » Imo vero, ut idem alio loco tradit, « iste et ante baptismum sancto Spiritu repletus est[2]. » Quocum Hieronymus concordans[3]. « Cornelius, inquit, centurio adhuc ethnicus dono sancti Spiritus mundatur. » Sed et Chrysostomus tam hunc, quam Eunuchum illum Candacis reginæ ministrum[4], propter religionem, ac pietatem ad illam vocationem provectos esse dicit.

Ex apostolorum quoque numero quosdam ad tam sublimem dignitatem nonnullis meritis ascitos esse, Patres interdum asserunt. Quod de Paulo Theophylactus scribit[5]. Nam etsi nondum justus, neque fidelis erat, quædam tamen, ut in lege, ac veri Dei cultu educatus, habere merita potuit, non absoluta, et perfecta, sed ejusmodi tamen, quæ tantæ vocationis munus elicere possent a divina bonitate. Et Ambrosii commentarius, qui Hilarii Diaconi esse creditur, « dignum fuisse Judam ait tempore, quo electus est[6]. »

2° De meritis loquuntur non tanquam causa sed occasione gratiæ.

V. Quanquam et Theophylactus, et alii qui Paulum, aut cæteros apostolos dicunt ideo, quia digni erant, vocatos ad apostolatum, aut ad Christi cognitionem et fidem tam hos, quam alios nonnullos, sic intelligi aliquando possunt, non ut præcessisse illorum velint ulla merita, quibus id impetraverint; sed quod ita eos affectos, et comparatos esse Deus præsciverit, ut divinæ vocationi morigeros, ac tractabiles se præberent; sive quod illorum indolem, ingenium, ac naturalem industriam aut etiam alia gratiæ ornamenta perspiciens, vidit illos, si divinis præsidiis, ac donis instruerentur, utiles, atque idoneos fore administros Evangelii. Ita nullum quidem in illis meritum fuit evangelicæ, aut apostolicæ vocationis, neque præsens, neque futurum; sed nonnulla tamen conditio potuit esse, quæ Deum impelleret; sive occasionem dicere malumus, quæ gratuitæ liberalitatis ejus fontes recluderet. Atque hæc secunda potest esse regula interpretandorum Patrum, cum de gratia, et vocatione disserunt, ac videntur affirmare, Deum eorum, quos vocat, delectum quemdam facere, et eorum animi statum, habitumque prius inspicere. Non enim statim existimare debemus primæ gratiæ causam aliquam antecedentem ab illis statui, quæ in hominum potestate sit. Sed, cum gratis, ac sine meritis ullis bene de illis mereri constituit, prudenter id tamen, considerateque facere; ut quo quisque modo sit affectus videat, et quemadmodum accepta gratia se gerat, ac quantum efficere possit; tum etiam quo temporis momento, et qua in rerum concursione, occasioneque vocanti se Deo sit auscultaturus. Has, et ejusmodi alias opportunitates persequi Deum in prima impertienda gratia sic, ut meritum nullum hominis antecedat, sine erroris periculo plerique veterum dixerunt.

VI. Quod multo magis verum est, cum, præter gratiam illam, quæ ad justificationem pertinet, agitur etiam status aliquis, ac munus, ad quod eadem illi vocatione destinantur. Sic in vocando ad fidem, et apostolatum Matthæo rationem Christus habuit, quid illo facere posset, et quem ad usum idoneus esset, si eum gratia cœlestis afflaret, ut ait Paschasius Radbertus. « Novit enim artifex singula, licet incomposita, ad quos valeant usus suo proficere opere. Idcirco præteriens vidit materiam operis sui, elegit unde formaret vas in honorem, quod prius in contumelia jacebat[7]. » Quam elegantissimam similitudinem ex Augustino videtur expressisse; qui universe ad peccatores divina vocatos gratia illam accommodat. « Robur est, inquit, ligni positum ante oculos. Faber optimus vidit lignum non dolatum, de silva præcisum : adamavit : nescio quid inde vult facere. Non enim ad hoc amavit, ut semper sic maneat. In arte vidit, quod futurum est, non in amore, quod est, et amavit quod inde facturus est, non illud, quod est[8]. » Quanquam, si de prima duntaxat gratia loquimur, multum ista distant invicem. Nam faber ad truncum, et informe lignum eligendum, dote propria, sed latente, ignotaque cæteris materiæ istius adducitur. Deus autem causam, uti dixi, nullam ex cujusquam peccatoris merito gratificandi capit, sed sola ad id benignitas, ac misericordia illum incitat. « Datur ergo unicuique sine merito, unde tendat ad meritum; et datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem, » ut ait Prosper. Cætera ta-

1 L. *de Præd. Sanct.* c. VII. — 2 L. IV *de Bap. cont. Don.* c. XXI. — 3 Ep. I. — 4 Hom. XXII, in *Acta* — 5 In c. VIII *ad Rom.* vers. 30. — 6 In c. IX epist. *ad Roman.* col. 291. — 7 Lib. in *Matth.* c. IX, col 432. — 8 Aug. tract. in epist. I *Joan.*

men, quæ velut circumstantiæ sunt gratuitæ largitionis, potest pro eorum, qui vocantur, ratione moderari; tum vero singulorum arcanos sensus, et molles aditus, ac tempora captare : ut tum maxime alliciat eos, et excitet, quando consensuros esse novit [1].

VII. Ad hæc nonnullis ideo gratiam, ac cœlestem motionem aspirare Deum, Græci præsertim veteres docent, quod illorum voluntates cognitas habet, et inclinationes animorum, ac scit esse consensuros : aliis contra gratiam sive extrinsecus affluentem, sive interius excitantem non tribuere, quod eos novit sic affectos esse, ut vocanti refragaturi sint. Quod ipsum misericordiæ esse non dubitant; ne alioqui suapte sponte in perniciem incumbentem gravior ex illo contemptu ruina prosternat. Hæc qui apud antiquos illos legunt, non debent statim Pelagianæ hæresis invidia innocentissimos Patres adspergere : quod nimis præcipiti stylo, et inconsiderate aliqui fecerunt. Nam multum ab illius hæretici vecordia illi absunt, qui non causam, ut vulgo loquuntur, *meritoriam*, sed gratuitæ largitionis opportunitatem in futura, et prævisa consensione statuunt. Ita enim Hilarius Diaconus in commentario in epistolam *ad Romanos* [2], verba illa *Exodi* ab Apostolo usurpata, *Misericordiam præstabo ei, cui misericordiam præstitero* [3], declarat sic : « Id est, ei misericordiam dabo, quem præscivi post errorem recto corde reversurum ad me; hoc est dare illi, cui dandum est, et non dare illi, cui dandum non est : ut eum vocet, quem sciat obaudire, illum autem non vocet, quem sciat minime obaudire. Vocare autem est compungere ad recipiendam fidem [4]. » Ad hunc modum explicari, excusarique complura possunt Chrysostomi dicta, quorum aliquot in tertio capite descripsimus; quæ gratiæ primæ, vocationisque meritum aliquod in vocatis prima specie legentibus objiciunt. Sed sic intelligenda sunt, ut dispositionem potius, et affectionem, quam meritum eorum, qui vocantur, exprimant.

Huc illud etiam spectat, quod de Christi adventu, et carnis susceptæ tempore quidam existimant; idcirco non prius advenisse, quod se, doctrinamque suam admissuros non esse mortales cognosceret; quare tum in terras descendisse, cum ad divinos illos satus excipiendos apta, et idonee temperata esse hominum corda præscivit. Quod Chrysostomus fuse disserit, et alii præterea [5]. Nec abhorret ab illa divinorum consiliorum ratione, quod Christus Judæis ait : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Nam hac velut occasione, et conditione moveri potuit Deus, ut in gentes transferret regnum suum; hoc est notitiam sui, ac fidei, et Ecclesiæ possessionem : quod illas nosset bene hoc usuras beneficio, nec inanem hanc fore sementem velut ingrato, ac sterili solo commissam.

3° Non de prima gratia, sed de augmento gratiæ loquuntur.

VIII. Præter hæc, tertio id loco animadvertendum est, non raro veteres, cum de gratia loquuntur, plenam, et perfectam intelligere, non inchoatam, ac rudem, quæ prima nominatur; cujus plerumque rationem non habent, quemadmodum alioquin usuvenit, ut, cum de forma et qualitate aliqua sermonem facimus, in eam intenti simus, quæ sit numeris omnibus absoluta. Certum est autem, uti primam gratiam nulla ob merita tribui, sic accessionem illius, et incrementum, ac plenam denique possessionem, meritorum, ac laborum pretio comparari. Ad hanc formulam puto exigendas plerasque veterum sententias, quæ divinam gratiam iis duntaxat, qui digni sunt, aspirare docent; cujusmodi in antecedenti capite nonnullas adduximus. Non enim simpliciter, et universe gratiam omnem, etiam primam, meritis, ac dignitati rependi operum existimant; sed uberiorem, et ad salutem propius pertinentem. Nam, ut natura solet ab exiguis, et rudibus initiis progredi ad perfectum; ita etiam divina gratia paulatim cœlestem in nobis structuram excitat. Ac sunt quædam auxilia, et adjumenta gratiæ proposita omnibus, et ipsi Christiano statui, qui ad æternam felicitatem, et quoddam divinitatis consortium dirigitur, quodammodo naturalia; sicut habent formæ naturales omnes congenitas sibi qualitates, et adminicula ad sui conservationem, et ad agendi facultatem necessaria, quæ illas propterea perpetuo sequuntur, nec auctarii habentur loco; sed eadem, ac forma, et natura ipsa, conditione censentur. Hæc igitur, quoniam usitata, et ordinaria sunt, gratiæ interdum nomine non vocantur a Patribus. Ideo sæpe ex meritis, et fide, tanquam citra gratiam humana voluntate præstitis, Dei misericordiam, et gratiam affluere docent. Hunc habere sensum illa

1 Prosp. II *de Vocat. gent.* c. II. — 2 Com. Ambr. — 3 *Exod.* XXXIII. — 4 *Rom.* IX, 15. — 5 Hom. IV, in epist. *ad Coloss.* c. I, vers. 25.

Græcorum loca videntur, quæ Deum impertiendæ gratiæ suæ capere occasionem demonstrant ex nobis, et conatu, ac proposito nostro, ut Theodoretus, Photius, Œcumenius, Theophylactus, atque ipse quoque Chrysostomus, quos in antecedenti capite citavimus. Non enim primum voluntatis motum, et rationis in gratia numerant; veluti fidem et desiderium, quo ad pleniorem quærendam Dei notitiam, et amorem excitantur; quæ sunt excellentiora gratiæ munera, proindeque gratiæ nomen, ac titulum præcipue merentur.

Salutis initia salutem simpliciter appellant.

IX. Illud vero quarto, postremoque loco ad sanctorum Patrum intelligentiam, et interpretationem scire proderit : plerumque salutis nomine, id est finis ipsius, quo per labores pios, ac merita contendimus, appellari salutis initia; veluti fidem, ac prima gratiæ lineamenta. Quod in Scriptura frequentissimum est. Ut cum Zacchæo commodum ad meliora converso, ac recte deinceps vitam instituere cupienti Dominus inquit, *Hodie salus huic domui facta est*[1]. Et Apostolus : *Spe enim salvi facti sumus*[2]. Et in *Actis : Dominus autem augebat, qui salvi fierent, quotidie in ipsum,* τοὺς σωζομένους, id est *qui salvi fiebant,* nimirum qui salutis potiundæ iter ingredi cœperant. Hoc enim κατ' εὐφημισμὸν, ut Græci dicunt, id est *boni ominis gratia,* de iis quibus id precamur, et speramus, usurpare consuevimus; ut quod fore confidimus, et quo Dei nos, quantum ex se est, gratia perducit, pro certo, et adepto jam habeamus. Quare in istis tacite, et ex usu communi subaudiendum est, *ut spes est, et ut optamus, ac precamur*. Sic in epistola quadam ad Appium Cicero, cum eum censorem jam renuntiatum esse cuperet, « Appio Pulchro, inquit, ut spero, censori [3]. » Hæc regula ad mentem, et sententiam Augustini præsertim explicandam utilissima est, ut suo loco docebimus. Nam de gratia fere loqui sic solet, ut cum ea perpetuo fere conjunctam, et annexam salutem, ac vitam æternam dicere videatur : nec, nisi de ea, quæ prædestinatis tribuitur, loqui : ex quo imperiti errandi causas habuerunt.

Colliguntur itaque regulæ quatuor ad veteres interpretandos apprime utiles : quarum prima est, nonnunquam illos, cum de gratia loquuntur, et eam meritis obtineri dicunt, de externa vocatione, et beneficio intelligendos esse, non de interiori, ac prima motione. Secunda, nihil illos velle aliud, nisi Deum gratiam, et inspirationem, quam ex sola gratuita liberalitate impertiri statuit, iis plerumque tribuere, quos consensuros, et quo tempore consensuros esse præscivit; non ut meritum sit ista consensio, sed occasio tantum, et conditio. Tertia regula, sæpe gratiæ nomine eam Patres appellare duntaxat, quæ uberior, perfectiorque sit, et saluti propior; primam autem motionem, et communem, quasi ordinarium aliquid, et minus singulare, ac velut fundamentum spiritualis ædificii prætermittere. Quarta regula est, interdum illos inchoatam, et rudem adhuc gratiam perfecto salutis, et æternæ vitæ, hoc est absolutæ, completæque gratiæ nomine significare; quod initia illa divinæ vocationis, afflatusque cœlestis, nisi per nos steterit, certissima nos ad salutem via perducant.

CAPUT V.

Explicatur usus regularum antecedenti traditarum capite, et ostenditur Græcos Patres a Pelagiano errore alienos fuisse, nec fidem, primamve gratiam humanis attribuisse viribus. Irenæus, et Chrysostomus exponuntur. Refutatur opinio illa, quæ Patres eosdem asserit prædestinationem non ex meritis, sed ex sola Dei voluntate definisse; ac de præscientia practica interpretandos esse.

I. Quatuor illi interpretandorum Patrum modi, ac regulæ, quas antecedens caput exposuit, opinione majorem habent usum ad veterum sententias explicandas, et ab suspicione Pelagiani erroris absolvendas; quam præter meritum iis adspergi video, et iniquo dudum animo patior. Ac postrema sane ad Augustini mentem, ac pleraque illius dogmata declaranda incredibiliter nos adjuvat, ut postea monstrabimus. Nam illius, propter ubertatem argumenti, seponenda tractatio est. Reliquæ tres ad Græcos potissimum intelligendos pertinent; quorum capite tertio testimoniis usi sumus. In quibus sic de divina prædestinatione, et electione disputant, ut totam seriem præsidiorum gratiæ a prima profectam, et in gloriam desinentem, affirmare videantur, ex

1 *Luc.* XIX, 9. — 2 *Rom.* VIII, 24. — 3 Lib. III epist. *ad Fam.* ep. XI.

hominum pendere voluntate et affectu, sive operum meritis; in quæ Deum intuentem asserunt, certos ex omni delegisse numero, qui vel antequam vocarentur, illustrarenturque gratia, commodis moribus, ac pio animi proposito præstarent alios; vel concessa divinitus gratia bene essent usuri. Sed nullus fere locus illorum est tam ad istam, quam dixi, suspicionem Pelagianæ labis expressus, ut non una, vel altera ex nostris adhibita regula purgari ab hac invidia possit. Cujus ut hic aliquod specimen extet; et in cæteris, si quæ præterea ejusdemmodi incidant, commode, ac sine offensione versentur theologi, usum canonum nostrorum exemplis aliquot ostendam.

Applicantur præcedentes regulæ ex Irenæo.

II. Irenæus in illo LXXVI capite libri quarti, ex quo quædam capite tertio descripsi, de vocatione ad gratiam, et videlicet ad gloriam, scribit sic : « Si igitur tradideris ei, quod est tuum, id est fidem in eum, et subjectionem, percipies ejus artem, et eris perfectum opus Dei. Si autem non credideris ei, et fugeris manus ejus ; erit causa imperfectionis in te, qui non obedisti, sed non in illo, qui vocavit. Ille enim misit, qui vocarent ad nuptias ; qui autem non obedierunt ei, semetipsos privaverunt regia cœna. » Neque vero putandum est, Irenæum censuisse fidem ex arbitrii humani viribus in solidum existere ; vel non movente, et inspirante Deo in nobis excitari. Verum, quia principium illud, ac semen est vitæ melioris, ad quam instauramur ; et ordinariis gratiæ adjumentis elicitur, tanquam præparatio quædam, et additus * ad exquisitiorem gratiam : idcirco pene in gratiæ loco ac numero non habetur ; et a nobis velut in antecessum erogandum dicitur, non utique sine ope Dei, et adjutorio gratiæ. Atque hoc Irenæi, et aliorum similia dicta non plus offensionis habent, quam innumera utriusque loca Testamenti, in quibus fides ab hominibus exigitur, et alia velut initia, et rudimenta gratiæ, quibus imbuti, ac præculti ad perfectiora provehimur. Quid enim frequentius, maxime in Evangelica historia, quam illa fidei, ac bonæ voluntatis postulatio, ut in animam, velut subactum, et mollitum solum, divinæ largitatis copia jaceretur ? Ut igitur, cum ab hominibus fidem, ac pium affectum animi, velut illicium gratiæ suæ, ac donorum cœlestium repræsentari sibi Christus petit, nemo inde concludat, fidem, ac voluntatem bonam opus non esse gratiæ, sed humani arbitrii, ac naturalium virium. Ita, cum aut Irenæus, aut Chrysostomus , aut Patres reliqui fidem ex nostro tribui, et ad promerendam Dei gratiam præstari significant, non tam iniqui interpretes illorum esse debemus, ut nullam credamus eos agnovisse gratiam Christi, qua initia ista coaluerunt. Sed nimirum trita, et usitata sermonis ea ratio est, ut ei, quod in genere aliquo eminet, generis appellatio soli propemodum tribuatur. Ut, cum poetam Latini Virgilium, Græci Homerum simpliciter vocant. Et, ut propius aliquid attingam instituto nostro, Christus apud Matthæum, « *Si habueritis*, inquit, *fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc*, *et transibit*[1]. Credo, cum hæc dicebat Dominus, fidem jam Apostolos habuisse. Verum nondum eximiam illam, et excellenter eo dignam nomine fuerant adepti. Sic alibi, postquam Apostoli primum illud videre miraculum aquæ in vinum conversæ, *credidisse in eum*[2] dicuntur, non quod hactenus non crediderant, sed quod tunc perfectius credere cœperunt. Sexcenta sunt ejusdem formæ alia ; quibus similia sunt, quæ de gratia veteres illi scripserunt, ut eam solam interdum nominasse ita videantur, quæ non rudis et inchoata sit, sed ad justitiam, ac salutem propius pertingat.

III. Hoc sensu Chrysostomi loca quædam conciliari cum catholica professione poterunt, in quibus justitiæ primordia naturæ viribus, et voluntati hominum assignare videtur[3]. Quod insigniter facit homilia XII, in epistolam *ad Hebræos*, ubi sic scribit : « Oportet primum nos eligere bona, et cum elegerimus, tunc suas partes præstat. Non prævenit voluntates nostras ; ne liberum nostrum arbitrium violet. Sed, postquam nos elegimus, tunc copiosum nobis auxilium inducit [a]. » Et homil. XVIII, in

a CHRYS. Δεῖ γὰρ ἡμᾶς πρῶτον ἑλέσθαι τὰ ἀγαθά· καὶ ὅτε ἑλώμεθα ἡμεῖς, τότε καὶ αὐτὸς τὰ παρ' ἑαυτοῦ εἰσάγει. οὐ προφθάνει τὰς ἡμετέρας βουλήσεις, ἵνα μὴ λυμήνηται τὸ αὐτεξούσιον ἡμῶν. ὅταν δὲ ἡμεῖς ἑλώμεθα, τότε πολλὴν εἰσάγει τὴν βοήθειαν ἡμῖν.

* Omnes editi habent *additus*. Legendum videtur *aditus*. J. B. F.

1 *Matth.* XVII, 20. — 2 *Joan.* II, 11. — 3 Quem Vasq. Pelagianismi suspectum habet disp. LXXXIX, c. IV et disp. XCI, c. VIII, in prima parte.

Necnon Chrysostomo.

Joannem : « Hinc docemur, inquit, Deum non prævenire voluntates nostras donis suis ; sed cum nos cœperimus, cum voluntatem præbuerimus, tunc ipse multa nobis dat adjumenta salutis [a]. » Nimirum prima illa rudimenta gratiæ, quæ in fide, ac bona voluntate sita sunt, distinguit ab iis donis, quæ deinceps majora, et ampliora consequuntur. Quemadmodum fides, cum sit opus christianæ justitiæ, ejusque principium, ab operibus tamen secernitur, quorum fundamentum esse dicitur; ita fides eadem, et voluntatis prima propensio, etsi gratia constet, ab ea nihilominus separatur interdum, hoc est a donis gratiæ reliquis, quibus efficimur *nova creatura*, *creati in Christo Jesu in operibus bonis*, *quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* [1]. Ergo, ut fides opus est pium, ac sanctum, et tamen ab operibus etiam bonis, ac christianis, velut diversa ponitur ; ita gratia illa, quæ fidem excitat, ab ea utique discernitur, quæ opera bona in nobis, et nobiscum efficit adeo, ut præ illa, ista neutiquam in gratiæ censu, et vocabulo numeretur.

IV. Rursus idem Chrysostomus homilia secunda in *Psalmum* quinquagesimum [2], Pelagianæ doctrinæ affinis putatur. Sed immerito. Nam hoc solum ait Deum ita misericordiam impendere homini , ut eum ex sese aliquid præstare velit. Sic enim latronem in salutem suam contulisse fidem ; Deum autem peccatorum condonationem [b]. Atque, ut medicus pauperi medicinam facturus , pauca quædam ab eo exigit, reliqua de suo suppeditaturum se recipit ; « Ita, inquit, Deus facit. Confitere mihi, dicit, da et lacrymas, et pœnitentiam, et cætera de mea benignitate præstabo tibi [c]. » At non illa ipsa, quæ ab homine postulari scribit Chrysostomus, sine ope Dei, et gratia provenire putavit. Nisi forte Pelagianus et ipse Paulus fuit, qui *ad Ephesios* scribens , *Surge*, inquit, *qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus* [3]. Ibi prius surgere, et excitari jubet hominem, quam a Christo illuminetur. Quod de peccatore ab torpore quodam, ac somno vitiorum expergiscente, Chrysostomus, aliique interpretes exponunt. Num igitur illum ipsum excitandi sui impetum , et resipiscentiam humanis viribus imputavit Apostolus, eo, quod hæc ab homine postulavit? Certe nihilo plus Pelagianismi continent illa, quæ ex Chrysostomo, et cæteris Græcis Patribus proferuntur ab recentioribus theologis, quam ista, et similia, quæ in Scripturis frequentissima sunt. Et apparet utrobique, tametsi non expressa sit, intelligendam esse primam adspirationem divinæ gratiæ, qua ad fidem, et pœnitentiam excitatus homo, et ad ampliorem est provectus. Quod breviter, sed accurate Augustinus ita complectitur : « Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam, ut convertamur, ipse adjuvat [4]. » Adjungunt et alium Chrysostomi locum ex libro, *De eo, quod nisi a seipso nemo læditur* [d]. Ubi hoc unum hortatur, ut quæ nostrarum sunt partium diligenter exequamur ; ita quæ sunt Dei propria statim secutura. Quod quam leve sit ad illam opinionis pravæ suspicionem, nemo non videt.

Non aliter interpretandum illud reor ejusdem Chrysostomi, quod in Damasceni *Eclogis*, sive *Parallelis* citatum reperiri : « Eligere quæ sunt optima; et velle, et studiose persequi, atque omnem laborem perpeti, propositi est nostri. Eadem vero ad exitum perducere ita, ut non intercidant ; sed ad finem ipsum recte factorum perveniant, cœlestis est gratiæ. Deus enim virtutem nobiscum partitus est ; ac neque in potestate nostra totum reliquit, ne ad superbiam efferamur, neque totum ipse suscepit, ne in socordiam declinemus. Sed paululum nostris laboribus permittens, majorem partem ipse perficit [e]. »

Nec non Methodius ab eodem Damasceno commemoratus, « Omnis honestæ actionis, inquit, initium in nostra voluntate positum

a Chrys. Hom. in cap. I *Joan.* vers. 38. Ἐντεῦθεν παιδευόμεθα ὅτι οὐ φθάνει τὰς βουλήσεις ἡμῶν ὁ Θεὸς ταῖς δωρεαῖς· ἀλλ' ὅταν ἡμεῖς ἀρξώμεθα, ὅταν τὸ θέλειν παράσχωμεν, τότε καὶ αὐτὸς πολλὰς δίδωσιν ἡμῖν τῆς σωτηρίας τὰς ἀφορμάς.

b Chrys. Hom. II. in *Psal.* L. Τί εἰσήνεγκεν ὁ Θεὸς εἰς τὴν σωτηρίαν τὴν ἐκείνου ; λύσιν ἁμαρτημάτων. τί εἰσήνεγκεν ὁ λῃστὴς εἰς τὴν σωτηρίαν τὴν ἑαυτοῦ ; πίστιν.

c Ibid. Οὕτω ποιεῖ καὶ ὁ Θεός· ἐξομολόγησόν μοι, δὸς καὶ δάκρυα, καὶ μετάνοιαν, καὶ τὰ ἄλλα ἀπὸ τῆς ἐμῆς φιλανθρωπίας δωροῦμαί σοι.

d Chrysost. Μάλιστα μὲν οὖν καὶ σὺ τὰ παρ' ἑαυτοῦ πάντα ἐὰν παράσχῃς τὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἕψεται πάντως.

e Chrysost. in Hom. de eo, *Quod non est in potestate hominis via ejus,* apud Damasc. in *Eclog.* littera S. Titulo XXI. Τὸ ἑλέσθαι τὰ κάλλιστα,

1 *Eph.* II, 10. — 2 Vasq. loc. cit. — 3 *Eph.* V. 14. — 4 Aug. lib. II *de Pec. mer.* cap. V.

est, ut existat; exitus autem in Dei voluntate situs est[a].» Nimirum quotidianum, minusque mirabilem divinæ vocationis et beneficentiæ modum, et ordinem vix gratiæ vocabulo censet; sed illud maxime, quod extraordinaria, et singulari ratione fit, in quo plenior, et usu ipso clarior, insigniorque Dei virtus, ac bonitas apparet. Sed de gratia proprie, ac fuse alio in loco disputabitur; nunc, quod ad prædestinationem spectat, quæ sunt reliqua, pertexam.

V. Superioribus illis theologis, qui electionem non modo ad gloriam, sed etiam ad primam gratiam, ex operum contemplatione factam a Deo putant asseverare Chrysostomum, Græcosque reliquos, multum adversatur theologus alter, qui *de Prædestinatione* ingens nuper volumen elucubravit[1]. In quo illos ipsos Græcos Patres asserit aperte fateri prædestinationem causam esse meritorum, et gloriæ; adeoque, non propter prævisa merita, constituisse Deum certos homines ad salutem eximere, sed ex eo potius, quod illos saluti destinat, gratiam, ac bona merita largiri. Præterea, cum de præscientia loquuntur iidem[2], ex eaque fieri dicunt, ut Deus pœnas hominibus, vel præmia decernat; ejusmodi scientiam intelligere, quam practicam nominant; videlicet qua hoc ipsum, quod facturus est, prævidet. Non enim absolutam hanc esse meritorum in seipsis notitiam, sed qua suo ipsemet in decreto, quæ in nobis, ac nobiscum facturus est præsentit opera: quemadmodum Augustinus veterum Patrum sententias exponit in libro *de Bono perseverantiæ*, cap. XVIII. Unde ad Augustinianum sensum illorum revolvi dogma putat; prius, ut gloriam quibusdam dare statuerit Deus; tum vocationem, primam gratiam, ac deinceps reliquas ordinarit.

Male Ruizius asserit Græcos Patres fateri prædestinationem esse causam meritorum.

Atqui neutrum horum, meo quidem judicio, Patrum illorum doctrinæ consentaneum est, præcipue Chrysostomi, quem præ cæteris ille produxit. Nam, quod ad prius attinet, quæ ab illo Chrysostomi loca proferuntur, non illud efficiunt, quod putat, meritorum omnium, et gloriæ causam esse Dei prædestinationem; si prudenter cum his alia comparentur, quæ nos capite antecedenti retulimus. Primum ex homilia prima epist. *ad Coloss.* petitur, ad illa verba, *gratias agentes Deo, qui idoneos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine*[3], ubi Chrysostomus expendit Apostoli sententiam asseverantis non eum modo nobis honorem tribuisse Deum, sed etiam ad eum obtinendum nos idoneos fecisse: quod principes efficere nequeunt, ut quos ad magistratus, ac præfecturas evehunt, eos gerendis illis idoneos faciant. Ex quo deinceps colligit ideo sortem hanc vocari, « ut ostenderet neminem propriis operibus bonis cœleste regnum assequi; sed ut sors fortunæ magis est, sic etiam hic evenit. Nam nemo talem vitam exhibet, dignus ut regno censeri possit; sed hoc totum beneficii illius est. Ob id, cum feceritis, inquit, omnia, dicite, quia servi inutiles sumus; quæ enim debuimus facere, fecimus[b].» Ac subinde verba ista declarans: *In partem sortis sanctorum*; ita scribit: « Videtur autem mihi et præsentibus pariter, ac futuris loqui[c], » etc. Ex his verbis concludit Ruizius prædestinationem ex mente Chrysostomi, velut sortem, nulla meritorum habita ratione tribui tam ad gratiam, quam ad gloriam.

VI. Verum haud adeo præcise interpretandus est Chrysostomus, ut, exclusis omnino meritis, putaverit velut sorte quadam, ac sola Dei voluntate capi homines ad gloriam. Sed, quoniam perexiguum illud est, quod a nobis in eam rem confertur; si eatenus spectetur,

καὶ βουληθῆναι, καὶ σπουδάσαι, καὶ πάντα ὑπομεῖναι πόνον τῆς ἡμετέρας ἐστὶ προθέσεως· τὸ δὲ εἰς τέλος ἀγαγεῖν αὐτὰ, καὶ μὴ συγκυρῆσαι διαπεσεῖν, καὶ πρὸς αὐτὸ τὸ πέρας ἐλθεῖν τῶν κατορθωμάτιων τῆς ἄνωθέν ἐστι χάριτος. ἐμερίσατο γὰρ πρὸς ἡμᾶς τὴν ἀρετὴν ὁ θεὸς, καὶ οὔτε ἐφ' ἡμῖν ἀφῆκεν εἶναι τὸ πᾶν, ἵνα μὴ εἰς ἀπόνοιαν ἐπαιρώμεθα· οὔτε αὐτὸς τὸ πᾶν ἔλαβεν, ἵνα μὴ εἰς ῥαθυμίαν ἀποκλίνωμεν· ἀλλ' ὀλίγον ἀφεὶς ἐπὶ τοῖς ἡμετέροις πόνοις, τὸ πλέον αὐτὸς κατορθοῖ.

a METHODIUS Episcopus Patarorum ibid. Πάσης ἀγαθῆς πράξεως ἡ καταρχὴ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ βουλῇ τὴν ὑπόστασιν κέκτηται, τὸ δὲ συμπέρασμα, ἐν τῷ θεῷ.

b CHRYS. Hom. I in Epist. *ad Coloss.* Δεικνὺς ὅτι οὐδεὶς ἀπὸ κατορθωμάτων οἰκείων βασιλείας τυγχάνει· ἀλλ' ὥσπερ ὁ κλῆρος ἐπιτυχίας μᾶλλόν ἐστι, οὕτω δὲ καὶ ἐνταῦθα, οὐδεὶς γὰρ τοιαύτην ἐπιδείκνυται πολιτείαν, ὥστε βασιλείας ἀξιωθῆναι. ἀλλὰ τῆς αὐτοῦ δωρεᾶς ἐστι τὸ πᾶν· διὰ τοῦτό φησιν· ὅταν πάντα ποιήσητε, λέγετε ὅτι ἀχρεῖοι δοῦλοί ἐσμεν· ἃ γὰρ ὀφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν.

c Ibid. Δοκεῖ δέ μοι καὶ περὶ τῶν παρόντων, καὶ περὶ τῶν μελλόντων ὁμοῦ λέγειν.

1 Ruiz. Disp. XI, sect. 3. — 2 Ibid. sect. 6. — 3 *Coloss.* I, 12.

ut a nobis proficiscitur; idcirco gratis, ac sorte potius rependi dicitur id omne, quod propter merita illa tribuitur. Quemadmodum, cum quidquid nobis a Deo præceptum est, obedienter egimus, non utique nihil ipsi fecimus; sed quia quantumcumque istud est, nihil est ad tantam majestatem, et ejus in nos beneficiorum magnitudinem : propterea nihil obsequia nostra fieri, ac nos inutiles videri nobis ipsis voluit. Hanc esse Chrysostomi mentem persuadet simillimus ejusdem locus, quem capite superiore citavimus, ex comment. ad IX cap. epist. *ad Rom.* vers. 24, ubi asserit nos ad id, ut vasa simus misericordiæ, pusillum contribuere, quod nihili sit faciendum; atque ideo totum adscribendum esse Deo, indeque nos misericordiæ vasa, non recte factorum vocari. Vide et homiliam XII in epistolam *ad Hebræos.* Non potest igitur utrinque colligi omnem prorsus excludi meritorum rationem, cum nos Deus eligit ad gloriam, et gratiam. De hac enim perinde ac de illa capiendus est Chrysostomus, non ut de prima gratia loquatur, sed de posteriore, cujus per merita nostra fit ad priorem accessio.

Alter locus ex homilia tertia in II *ad Thessalon.* ad com. II, ubi Chrysostomus peculiarem quamdam vocationem agnoscit, qua excitati quidam obsequuntur, cum alii similiter invitari renuant; ut in decem virginibus evenit, et in eo, qui ad nuptiale vocatus epulum, ad id sordidatus accessit [1]. Ergo eam optari vocationem ait, cui reipsa pareamus. Non igitur generali tantum vocatione conveniuntur electi [2]; sed præcipua quadam, quæ successu non careat. Atqui ne hoc quidem diffitentur ii, qui ex operum præsensione prædestinari gloriam arbitrantur, peculiarem esse vocationem electorum, et ex singulari in ipsos Dei voluntate descendere. Sed non ex eo statim consequens est nullis istorum meritis provocari Deum, ut salutem, gloriamque decernat.

VII. Tertio profertur ex Chrysostomi homilia secunda in epistolam *ad Ephesios* ille locus, in quo demonstrat non esse recentem in electos amorem Dei, nec ab eo profecta beneficia, sed ex æterno definita, ἀλλ' ἄνωθεν τὰ πράγματα οὕτω τετύπωτο. (Male interpres *præfigurata* reddidit; est enim τυποῦν *statuere*, *præfinire.* Sic et paulo post πάντα ἄνωθεν διατυπώσας : translatione ducta ab architectis, aut aliis artificibus, qui faciendi operis rationem in protypo, et imagine adumbrantes, administris suis præscribunt.) Item sequenti sermone ; «Prædestinavit ad hoc, ut credant.» Ergo fides videtur esse prædestinationis finis, ac velut causæ hujus effectum. Ne id quidem valde causam promovet. Neque qui ex operibus prædestinari gloriam existimant, id gravate concesserint, et ex æterno definiri consequendam ab electis gloriam ; et ad hoc prædestinari, uti finem habeant : quod ad suum sensum accommodare solent; quippe qui prædestinari censent homines ad fidem, primamque gratiam absque merito ullius operis. Reliqua testimonia sunt ejusdemmodi, quæ nimirum utramvis in sententiam trahi haud invita possunt. Itaque missa faciamus.

Quod ad alteram Ruizii conjecturam attinet, Patres illos, qui ex præscientia futurorum oriri prædestinationem asserunt, et imprimis Chrysostomum, de ea loqui præscientia, quam *practicam* appellant, qua videlicet illa ipsa merita Deus efficit, propter quæ gloriam destinat; est illa primum, si universe, et de omnibus Patribus, quos idem attulit, usurpetur, profecto falsa. Nam Theodoretus diserte præscientiam negat esse causam meritorum, propter quæ Deus gloriam tribuit. Deinde nihil ad quæstionem ratio illa pertinet. Siquidem præscientia ista *practica*, ex qua Deus hominibus gloriam destinat, ad gratiam refertur, non ad gloriam. At fatentur ii, qui in contraria sunt parte, ex illa præscientia, qua Deus primam gratiam, et illius bonum usum prævidet, cujus utique est auctor, ad uberiorem gratiam, ac demum salutem ordinare homines, et eligere; nec aliter respondere gloriam, quam propter merita, sive usum illum gratiæ, quam architectata sit præscientia practica; adeo ut moveatur ad certos eligendos homines Deus contemplatione meritorum, quæ per illam scientiam ipse contulit. Proinde non multum refert ad disceptandam controversiam inventum istud præscientiæ *practicæ*, cum de electione ad gloriam agitur. Valet autem in nonnullis Patribus, ut Chrysostomo, cum adversus Pelagianos de sola gratia disputatur.

Item de præscientia practica eosdem loqui.

1 *Matth.* XXV, 6. — 2 *Matth.* XXII, 11.

CAPUT VI.

Demonstratur, ex Augustini sententia, electionem ad gloriam, sive prædestinationem ex nullis prævisis a Deo meritis fieri, sed ex gratuita voluntate : ad idque octo ex ejusdem scriptis argumenta promuntur.

I. Cum de gratia, vel electione, ac prædestinatione disputandum est, minor haberi solet antiquorum Patrum ratio, qui ante Pelagianam ortam hæresim extiterunt, quam eorum, qui postea sunt secuti. Latinorum vero multo major, quam Græcorum, etiam hæresi illa posteriorum; propterea quod magis aliquanto Latinam Ecclesiam, quam Orientalem exercuit hæresis Pelagiana, quæ iis de rebus altercandi occasionem præbuit, sic ut Græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignorarint funditus, vel minus accurate perspexerint. Omnium vero Latinorum, quorum in hac controversia majorem dixi auctoritatem esse, princeps est consensu theologorum Augustinus; cujus de gratia sententia quotquot deinde consecuti sunt Patres, ac doctores, tum vero Ecclesiæ Romanæ præsules, præsulumque conventus aliorum, ratam, et catholicam esse judicarunt; ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, ac decretum esse constaret. Paucos duntaxat recentiores excipio, qui in electione potissimum ad gloriam, vel prædestinatione pertractanda, ultro se ab Augustini opinione discessisse profitentur, ut præ cæteris Ambrosius Catharinus, ac nonnulli de scholasticis theologis fecerunt. Alii porro, ne tantum a se pondus auctoritatis abjudicarent, Augustinum quoquo modo trahere in partes suas conati sunt, et contra quam omnis retro antiquitas instituit illius interpretari sententiam; quod inter alios aggressus est Gabriel Vasquez [1], qui duo quædam præscribit adversus omnia Augustini testimonia, quæ ad prædestinationem gloriæ sine operum præsensione comprobandam afferri vulgo solent; alterum, prædestinationis vocabulum ab Augustino ad solam gratiam restringi ; quem errorem supra capite primo confutavimus : alterum, nunquam Augustinum adversus Pelagianos, vel eorum reliquias de electione, vel prædestinatione ad gloriam, sed gratiam tantummodo disputasse; hanc vero posteriorem constat soli Dei bonitati sine ullis meritis adscribendam ; priorem autem ad bonorum operum merita comparari : ut, quemadmodum Deus in fine gloriam propter merita redditurus est, sic ex æterno ad eadem futura merita respiciens gloriam decernat.

Quocirca, ut quæ mens Augustini super proposita quæstione fuerit, definire possumus, ea proferri testimonia necesse est, in quibus de electione, vel prædestinatione ad gloriam, non ad gratiam tantum, liquido, ac diserte loquatur; cujusmodi, cum ab theologis pleraque hactenus allata fuerint, nos, majori eorum omissa parte, nonnulla proferemus in medium, quæ sive præteriisse illos animadvertimus, sive minus, quam par erat, expendisse, ex quibus ita Augustinum sensisse colligitur : Deum, etsi gloriam bonis meritis, velut mercedem attribuat, ad eam tamen ob illa merita decernendam nullis adductum meritis, sed gratuita voluntate sola fuisse ; hoc est, Deum, bonorum operum merita compensare gloriæ præmio, gratis ex æterno statuisse.

II. Ex his Augustini locis primus ille procedat in medium, qui ex libro primo *de Prædest. Sanct.* cap. XVIII et XIX, petitur. Horum capitum in priori docet Augustinus, Deum eligere, ac prædestinare homines ad gloriam, ut ex ea prædestinatione sanctos, et immaculatos faciat; non autem, quia sanctos, et immaculatos fore præscivit, ideo elegisse, ac prædestinasse : quod Pelagius asserebat. Quamobrem hoc inter ambos constare ait, *Deum eligere sanctos, et immaculatos;* sed aliter idipsum a Pelagianis, quam a catholicis intelligi. Illos enim eligi putare homines a Deo, quia sanctos, et immaculatos fore prævidit; catholicos autem dicere, eligi a Deo, ut sancti, immaculatique sint. Verba Augustini : « Elegit Deus in Christo ante mundi constitutionem membra ejus, et quomodo eligeret eos, qui nondum erant, nisi prædestinando? Elegit ergo prædestinans nos : numquid eligeret impios, et immundos? Nam si quæstio proponatur, utrum hos eligat, an potius sanctos, et immaculatos, quid horum respondeat*, qui requiratur, ac non statim ferat pro

Juxta Augustinum Deus prædestinat ad gloriam ut sanctos faciat, non quia sanctos fore præscivit.

* *For.* Quis ambigat quid horum.

1 In. 1 par. disp. LXXXIX, cap. IV et VIII.

sanctis immaculatisque sententiam? » Mox subjicit Pelagii verba, quibus communem illam sibi cum catholicis enuntiationem ad suum sensum accommodat. « Præsciebat vero, ait Pelagius, qui futuri essent sancti, et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium; et ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscivit, utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse præscivit. » Contra hunc errorem Pelagii Augustinus Apostoli verba producit: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*[1]. Tum ita colligit : « Non ergo, quia futuri eramus, sed ut essemus, nempe certum est; nempe manifestum est. Ideo, quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus. » Capite vero sequenti contra Semipelagianos disserens, quid inter hos, et Pelagianos intersit, aperit, et amborum de electione, ac prædestinatione sententiam expendit, ac primum de Pelagianis ita loquitur : « Ipsi enim putant, acceptis præceptis, jam per nosipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos, et immaculatos in conspectu ejus in charitate; quod futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit, et prædestinavit in Christo, cum dicat Apostolus, non quia futuros tales nos esse præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto Filio suo : cum ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos, et immaculatos facit. » At Semipelagiani longe diversum esse dogma suum his verbis asseverabant : « Nos autem dicimus, nostram Deum non præscisse nisi fidem; qua credere incipimus, et ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam sancti, et immaculati gratia atque opere ejus essemus. »

III. Ex his omnibus Augustini verbis, ac tota disputatione ita, quod propositum est, efficitur. Pelagius, cum diceret, eligi ac prædestinari homines a Deo, quia sanctos et immaculatos fore prævidit, de electione illa loquebatur, qua prædestinantur ad gloriam, non ad gratiam. At Augustinus de eodem omnino electionis genere ac prædestinationis intelligendus est, de quo Pelagius verba faciebat. Consequens est igitur, de electione ad gloriam agere Augustinum; adeoque sentire, electionem ad gloriam non ex meritis pendere sic, ut propter merita Deus eligat, iisque moveatur ad eligendum, sed ex eo, quod elegit ad gloriam, iis gratiam ac merita providere, quos elegerit. Duo hic nobis demonstranda sunt : alterum de electione ad gloriam loqui Pelagium : alterum de eodem cum illo genere electionis Augustinum accipi debere, quæ sic ostendimus. Pelagiani quadruplex omnino gratiæ genus agnoscebant, ut ex Augustino alio in loco demonstrabitur : prima est natura ipsa, sive liberum arbitrium, ac possibilitas; secunda remissio peccatorum, quam sine meritis asserebant dari, ut ait Augustinus libro *de Gratia et libero arbitrio*, cap. VI ; tertia lex, et doctrina, hoc est revelatio et ostensio ejus, quod fieri debeat; quarta vita ipsa æterna, quam reddi meritis putabant. Ad trium igitur priorum aliquod Pelagium retulisse necesse est, quod dixit, prædestinari, vel eligi homines; siquidem ad gratiam comparari electionem illam putavit, non ad gloriam. At nullum ex illis tribus intelligere potuit. Non liberum arbitrium, sive possibilitatem; quia tam prædestinatis, quam reprobis est communis. Non remissionem peccatorum; quia sine meritis conferri credidit. Non legem, et doctrinam; quia non minus hæc reprobis, quam prædestinatis tribuitur : prædestinatio vero, et electio peculiare aliquid electis respicit. Deinde, quia jam sancti et immaculati ponuntur a Pelagio, quos Deus prædestinat. Non possunt autem sancti esse, et expertes maculæ, nisi legem impleverint, adeoque cognoverint legem. Non igitur ad legem capessendam eligi dixit illos ac prædestinari, quam utique jam eos accepisse sumebat.

Pelagius et Augustinus loquuntur de prædestinatione ad gloriam.

IV. Præterea tale illud esse debet, ad quod assequendum eliguntur et prædestinantur homines, ut absque illo electi, et prædestinati, ac salvi esse nequeant; at Pelagius « increpatus a fratribus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correctioni eorum hactenus cessit, ut diceret, ad hoc eam dari hominibus, ut, quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa, » (ait Augustinus libro *de Hæresibus*, ad Quodvultdeum, et

[1] *Eph.* I.

libro primo *de Gratia Christi*, cap. VII). Cum igitur Pelagius docuit prædestinari, et eligi certos homines præ aliis, non de prædestinatione ad gratiam locutus est, cum sine gratia justificari, et salvari homines posse crediderit. Restat igitur, ut de electione ad gloriam accipiendus sit Pelagius, atque hoc Vasquez ipse disput. LXXXIX, cap. VIII, fatetur. Quod autem non de alia contra ipsum disputans Augustinus illic egerit, inde certo concluditur, quod alioqui ridicula esset ista conflictio, et in

Homonymia ὁμωνυμίᾳ frustra se jactaret Augustinus. Quid enim absurdius, quam ut Augustini, et Pelagii litigationem in hanc formulam includat aliquis? Dicat Pelagius, Deus elegit ad gloriam, et prædestinavit eos homines quos fore sanctos immaculatosque suo marte, ac propriis viribus animadvertit; Augustinus e contrario ita pronuntiet : imo elegit eos non ad gloriam, sed ad gratiam, ut essent sancti et immaculati. Hoc esset Andabatarum more præliari, dum quod de uno Pelagius affirmat, id de altero negaret Augustinus. Neque vero pertinet ad rem, quod Pelagius sanctos et immaculatos propriis nos esse viribus asseveraret. Primum enim id eo loco non quæritur, utrum per nos ipsos, an auxilio gratiæ ad illam sanctitatem pervenerimus, sed hoc solum in controversia ponitur, utrum electio ex prævisa sanctitate, an sanctitas ex electione pendeat, electione, inquam, non ad gratiam solam, sed ad gloriam. Quocirca præcise sanctus Augustinus electionem illam, de qua loquebatur Pelagius, negat ex prævisione operum a Deo fieri, sed operum potius merita vult ex electione pendere. Deinde sanctitatem illam, qua sancti et immaculati fiunt electi, non negabat Pelagius ex Christi gratia proficisci, non solum naturali, et omnibus insita, hoc est possibilitate, seu libero arbitrio ; verum etiam in actu posita : utputa remissione peccatorum, lege, interna mentis illustratione, fide in Christum, adoptione denique filiorum Dei, quæ per Christum obtinetur, sine qua nemo regnum cœleste consequi posset, tametsi vitam æternam adipisceretur. At Pelagius illo in loco de electione ac prædestinatione loquitur, quæ est fidelium propria; non ad qualemcumque statum, sed ad eum, qui eorum, quos electos insigniter vocamus, peculiaris est, non communis cum parvulis, qui sine baptismo decesserint. Igitur non omnem Christi gratiam Pelagius excludebat ab ea sanctitate et integritate, propter quam prædestinari homines putabat. Denique Augustinus in epistola XCV explicat, de qua gratia inter Pelagium, et catholicos fuerit contentio; ac primo respuit illam gratiam, quam Pelagius inter alias ponebat, nempe creationem, et liberum arbitrium, itemque legem, ac doctrinam. Mox addit : « Alia est tamen, qua prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur, etc. De hac gratia quæstio vertebatur. » Quocirca status in eo fuit illius controversiæ positus, utrum ex prævisa sanctitate, et justitia per qualemcumque Christi gratiam adepta eligerentur, ac prædestinarentur homines ad gloriam, regnumque cœlorum, an ex eo, quod elegit eos, ac prædestinavit Deus, sanctitatem ipsis et justitiam indulgeat. Horum prius affirmante Pelagio, posterius tutatur Augustinus.

V. Alterum argumentum eodem ex libro, capite XVII, petendum est[1]; ubi Augustinus de electione, ac prædestinatione subtilissime disserens, duplicem electionem constituit : unam, quæ est ex omni æternitate, qua Deus in seipso, quos voluit, elegit : alteram, quæ in tempore facta est, et est executio, expressioque interioris illius, et æternæ. « Elegit ergo eos, inquit, de mundo, cum hic ageret in carne, sed jam electos in seipso ante mundi constitutionem. Hæc est immobilis veritas prædestinationis et gratiæ. » Hanc vero

Duplicem electionem statuit Augustinus.

electionem, qua ex æterno illos elegit, quos in tempore postea re, et actu eligit, ad seque vocat, eamdem cum prædestinatione facit; aut, si aliquo modo discernit, apparet, non ad gratiam duntaxat, sed ad gloriam primo et præcipue pertinere, ac talem esse denique, ut sine ullo meritorum intuitu, velut causæ moventis et impellentis, utrumque in tempore destinet. Etenim subinde ista scribit : « Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit. Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit, implevit. » Electio illa, qua ante mundum, id est ab æterno, et interiore proposito Deus istos elegit, idem est ac prædestinatio. Nam electi dicuntur prædestinatione ipsa. Porro prædestinatio, qua electi sunt, non solum gratiam respicit, sed etiam gloriam; imo hanc præcipue, et hujus causa

1 Lib. *de Prædestin. sanct.* c. XVII.

gratiam. Pergit enim : « Quos enim prædestinavit, ipsos et vocavit, inquit, illa scilicet vocatione secundum propositum. Non ergo alios, sed, quos ita vocavit, ipsos et justificavit; nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos et glorificavit. » Prædestinatos ait vocatione secundum propositum, quod propositum gloriæ dandæ interpretari solet Augustinus. Itaque perspicuum est, vocationem ejusmodi, qua ad fidem et justificationem alliciuntur, ex tali proposito sequi, quo gloriam illis, et salutem destinat : quam esse prædestinationem ex Augustini mente supra demonstravimus. Igitur, ut omnis ad gratiam electio prædestinatioque gratuita est, nec ullis ex meritis occasionem accipit; sic illa peculiaris, ac prædestinatorum propria, quæ ex proposito fit, prævisionem meritorum omnium antecedit, non solum quatenus ad gratiam destinat, sed multo etiam magis ut ad salutem refertur. Siquidem idcirco ad fidem et gratiam vocare constituit electos, quod eos ad gloriam perducere propositum habet : qua ex deliberatione vocandi ac justificandi consilium oritur. Hinc apud Augustinum sequitur : « Eligendo ergo facit divites in fide, sicut hæredes regni. » Qui enim secundum propositum vocati sunt, non sunt alii apud Augustinum, nisi electi ad hæreditatem, et prædestinati. Alioquin ad solam gratiam electi, ac prædestinati possunt reprobi censeri; qui ad tempus justificati, ac Deo grati, neutiquam in eo statu perseverant. Neque tamen *secundum propositum vocati* dicuntur, quod profecto dicendum fuit, si propositum illud non ad salutem ipsam pertineret, nec esset voluntas tribuendæ gloriæ. Denique, cum affirmet Augustinus, non alios glorificasse Deum, quam quos prædestinavit, vel prædestinatione elegit; non potest electio ac prædestinatio ista sola circumscribi gratia, quam communem habent illi cum reprobis; sed ad salutem necessario comparatur.

Necnon voluntatem in Deo electos salvandi infallibilem.

VI. Tertium argumentum ducitur ex libro *de Correptione et gratia,* capite XIV, ubi Augustinus voluntatem salvandi, quam erga electos peculiarem ex æterno Deus habuit, absolutam esse docet, et, quod dicere solent, *infallibilem*, ex qua, et cujus implendæ causa Deus efficacem gratiam præstat. Cum enim id sibi objecisset Apostoli ex prioris ad *Timotheum* secundo, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, respondet, præter alias loci hujus interpretationes, quas alibi varias adduxisset, eam sibi aptissimam videri, ut omnes intelligat prædestinatos, quia omne genus hominum in eis est. Ideo vero non de omnibus mortalibus intelligenda putavit hæc Apostoli verba, quia si Deus omnes homines salvari vellet, nemo utique excluderetur a salute, eo quod omnipotentissima est Dei voluntas, cui nemo potest resistere. « Non est itaque dubitandum, ait, voluntati Dei, qui in cœlo, et in terra omnia, quæcumque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult; quandoquidem de ipsis etiam hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit. » Proinde voluntas illa, qua Deus ab Apostolo dicitur velle salvare, est electio et prædestinatio certorum ad gloriam, quæ et absoluta est, hoc est omnipotentissima, cui voluntas humana non potest resistere; etsi nihilominus libere consentiat, ut ibidem docet Augustinus. Atque hic subinde quod dixerat, exemplis probat Saulis, et Davidis, quos ita reges fieri voluit, ut hoc ipsum per Judæorum voluntates efficeret; quæ ita libere, quod Deus volebat, operabantur, ut ei resistere non possent. « Nisi forte (ut ex multis aliqua commemorem), quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere[1]; quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » Demum ex ea similitudine concludit, eodem modo, quos Deus ad salutem elegerit, eorum in potestate habere voluntates, ut, quo velit, inflectat : « Si ergo, cum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; quis alius facit, ut salubris sit correptio, et fiat in correpti corde correctio, ut cœlesti constituatur in regno. » Quamobrem uti, cum Saulem ad regnum extolleret, Deus illum elegit, ac destinavit ad regnandum, ex eoque decreto voluntates Israelitarum movere instituit, non autem ex eo, quod horum voluntates movere statuit, Sauli regnum decrevit : ita ex eo, quod vitam æternam, ac salutem gratis homini destinavit Deus, necessariis gratiæ suæ præsidiis illum instruit, hoc est cor illius præparat, et ad correctionem in-

1 I *Reg.* x.

flectit, quæ est prima gratia, *ut cœlesti constituatur in regno*, quo scilicet electio divina tendit, uti ad regnum Israeliticum prior illa Saulis. Quod autem de electione non ad gratiam solum, sed ad gloriam interpretandus sit Augustinus, præter ea, quæ diximus, validius etiam in sexto argumento colligetur.

De eadem massa corruptionis alios, sine ullis eorum meritis eligere, alios relinquere.

VII. Quoniam autem ut de cujuspiam e Patribus sententia constet, præcipue illud intuendum est, non quid uno alterove in loco quasi obiter injecerit; sed quæ sit per ejus scripta continens ac perpetua doctrina, ut id in Augustino faciamus, quartum ex ejus libris argumentum promemus ejusmodi. Ea peculiaris Augustini fuit, ab eoque passim repetita de electione, ac prædestinatione sententia : post Adami peccatum totum genus humanum velut massam quamdam, fuisse corruptam et exitio devotam, ex qua per solam electionem, ac prædestinationem nonnullos Deus gratis ac misericorditer separat, nullis eorum meritis impulsus; alios autem justo judicio ibidem relinquit, cum non minus juste priores illos, si voluisset, posset relinquere. Hæc adeo est Augustiniana sententia, ut ejus primus auctor habitus sit, quam ex Apostolo capite IX *ad Romanos* deduxit. Quippe Pelagiani, ac Semipelagiani, et quicumque Augustino vel vivo, vel mortuo refragati sunt, hoc inter alia, tanquam absurde fabricatum ab illo, inventumque dogma vexarunt, ex eoque maximam illi invidiam concitare studuerunt, quasi ex pristino Manichæorum errore sentiret, natura ac velut fato quodam, sine ullo meritorum discrimine, salutem contingere; unde consequens sit, non esse in hominum potestate, ut salutem adipiscantur, atque ex vasis iræ transeant in vasa misericordiæ, quoniam fixa semel et immobilis est divina sententia, certusque definitus electorum numerus, cui, ut decedere nihil, ita nihil possit accedere. Has contra Augustini dogma frequentissimas fuisse temporibus illis querelas ostendimus supra capite secundo, ex Prosperi et Hilarii epistolis, et ex Fausto Reiensi lib. I, cap. IV et XII, necnon ex Ambrosio Catharino, libro *de Prædestinatione;* qui omnes Apostoli verba aliter interpretari conabantur, ut, contra quam putabat Augustinus, non ex solo beneplacito et gratuita voluntate Deus alios ab ista massa secerneret, alios relinqueret : verum id ex cujusque arbitrio penderet, qui divinæ vocationi et gratiæ consensionem suam accommodare vellet.

Hæc secretio fit omnino gratis.

VIII. Quibus positis, duo sunt probanda nobis, ut ad mentem Augustini pervenire possimus : alterum gratis, ac nullis adductum meritis Deum certos ex illa massa discernere : alterum, secretionem illam non solam esse gratiæ destinationem, sed etiam gloriæ, imo per hujus potissimum desponsionem vasa misericordiæ in Dei præscientia fieri. Igitur gratis, ac sola Dei misericordia, et ex nullis omnino meritis ab illa massa secerni docet in *Enchiridio ad Laurentium*, cap. XCVIII et sequenti; ubi ex cap. IX epistolæ Pauli *ad Romanos* ostendit, nullam apud Deum iniquitatem esse, quamvis, antequam quidquam boni, aut mali facerent homines, hoc est, facturos prævideret, quosdam amet et eligat, alios oderit ac respuat. « Qua in re, inquit, si futura opera vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, sed diceret ex futuris operibus; eoque modo solveret istam quæstionem : imo nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem. » Mox : « Sed qui dixit, Miserebor, cui misertus ero, et misericordiam præstabo, cui misericors fuero, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam; Esau autem odio habuit per judicium debitum; quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit; sed de divinæ gratiæ largitate, quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. » Capite vero XCIX, « Sola, inquit, gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis. » Ibidem ait eos, qui ex illa massa, unde vasa iræ, aut misericordiæ fiunt, liberantur, « sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur, quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum Dei judicium duceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret. »

Rursus epistola CVI de illa loquens electione, *quæ non invenit eligendos, sed facit*, eodem Apostoli testimonio utitur : *Miserebor cui misertus ero*, etc., itaque concludit : « Quid nos hic docuit, nisi ex illa massa primi hominis, cui merito mors debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur. » Item de illa massa corrupta loquens, misericordia ex illa fieri dicit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Tum electionem eamdem, qua non in-

venit eligendos, sed facit, vocat *electionem gratiæ*, id est *gratuitam* : quia par erat in utroque mortis damnationisque conditio. Et in sequentibus frequenter idipsum repetit, sola misericordia fieri, ex illa massa vasa in honorem; judicio autem, vasa in contumeliam. Idem docet et antecedente epistola CV, ubi ait, « acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis et offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. » Mox vero : « Ubi, quia universa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativa. » Igitur qualiscumque, et quocumque modo sit ista secretio ex massa damnata, ex nullis omnino fit meritis, sed gratis, ac misericordia sola ad illam Deus adducitur. Quod ipsum repetit in quarto libro *contra Julianum*, capite octavo.

Nec est quod objiciat quispiam, Augustinum, cum excludit merita, ea solum excipere, quæ propria sunt, hoc est ex arbitrii viribus sine gratia præstari putarentur ab hominibus. Etenim, cum de Jacobi meritis agit, ac negat, ea præscientem Deum, ipsum ex originali massa segregasse, de iis meritis loquitur, qualia præscivit Deus, præscivit autem ejusmodi, qualia erant utique futura : at ex spiritu fidei, et gratiæ futura erant Jacobi merita. Talia ergo merita negat, causam, vel occasionem præbuisse Deo, ut Jacobum ex illa massa secerneret.

Hæc secretio fit non sola prædestinatione gratiæ, sed etiam gloriæ.

IX. Doceo nunc, quod erat secundum, illam ex massa secretionem non fieri sola prædestinatione gratiæ sanctificantis, aut efficacis, sed ea, quæ ad gloriam pertinet; adeo, ut ea solum ratione, qua gloriam respicit, a massa perditionis liberet divina prædestinatio. Etenim per hoc præcise ab illa massa separatur quilibet, per quod in ea contineri, et ejus pars esse desinit. At nequaquam sola gratia, quamlibet efficax, aut justitia hominem sic eximit, ut in illa massa non amplius contineri dicatur; sed sola gloriæ prædestinatio, sive gratiæ, quatenus certo habet adjunctam gloriam, et ea solum ratione, qua gloriam respicit. Quippe gratia Dei, et sanctitas reprobis multis tribuitur, qui nunquam ab illa massa sunt exclusi, ne tum quidem, cum justi ac sancti fuerunt. Est enim massa illa cœtus eorum omnium, qui divino judicio damnati sunt; quales erant mortales omnes, qui *ex uno in condemnationem* [1], iverant, ut ait Paulus, nisi peculiari benevolentia quosdam ex illa separasset Deus, non eo præcise, quod sanctos aliquando facere illos decrevit, sed quod ab æterna damnatione liberare statuit. Ut enim æternæ damnationi æterna proprie salus opponitur; sic ei, quod est, in æterna damnatione comprehendi, nihil adversatur aliud, nisi ad æternam salutem transferri. De massa illa recte Lugdunensis Ecclesia libro *de Tribus epistolis* : « Quid est enim massa damnationis, et perditionis ab initio mundi divino judicio effecta, nisi eodem divino judicio æternæ damnationi, et perditioni destinata, et tradita? »

X. Illustris ea de re, ac peremptorius est Augustini locus, qui unus dirimendæ controversiæ sufficere potest, si quis minime studio partium occæcatus, sed æquus, et quietus veritatis arbiter esse velit. Is est in libro *de Correptione et gratia*, capite VII, ubi primum asserit, tam illos, « qui Evangelium non audierunt, quam qui, eo audito, in melius commutati perseverantiam non acceperant, non esse ab illa conspersione discretos, quam constat esse damnatam, euntibus ex uno in condemnationem. Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam mediatoris, hoc est in sanguine secundi Adam justificati gratis. Itaque cum audimus, *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* [2]? ab illa perditionis massa, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere, neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit. » Ex quibus duo illa constant, quæ probanda sumpsimus : nimirum ab illa massa, quæ post Adami delictum damnata est, neminem sola gratia et justificatione secerni, cum illi, qui audito Evangelio in melius commutati sunt, non tamen ab illa discreti fuerint; tum sola Dei misericordia, hoc est gratis, in divina scilicet præscientia et prædestinatione, quotquot ab ea segregantur, eximi. Quo et sequentia pertinent. « Hæc enim omnia ope-

1 *Rom.* v, 16. — 2 I *Cor.* IV, 7.

ratur in eis, (nempe, ut in finem usque perseverent, et si quando exorbitent, correpti emendentur) qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*[1]. Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; propter quod dictum est : *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia est illis omne meritum. »

XI. Postea vero, illos ipsos, qui ex massa separati sunt, ait secundum propositum vocatos esse, et electos : « Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus, cui congruebat. » Ergo electio illa, qua secernuntur a massa, non ad solam gratiam, sed ad regnum cœleste comparatur. Denique de iis loquens, qui in accepta fide ac justitia non perseverant, ait eos in illo numero non contineri, qui per electionem gratuitam a massa damnata separatus est. « Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide christiana, et conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, procul dubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis præscientia Dei, et prædestinatione discreti, et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi, sed in eis vocati, de quibus dictum est : *Pauci vero electi*. Et tamen quis neget, eos electos cum credunt, et baptizantur, et secundum Deum vivunt? Plane dicuntur electi a nescientibus, quid futuri sint, non ab illo, qui eos novit non habere perseverantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, ut præsciret esse casuros. » Hinc evidens est Augustinum sensisse neminem ab illa massa separari, nisi quem Deus cœlesti regno destinarit ac gloriæ; ac ne tum quidem, cum justus ac sanctus est, qui ad illam gloriam minime est electus, ab eadem massa damnata segregari. Quod autem de electione non ad gratiam solam, sed etiam ad gloriam, et ad hanc præcipue, loquatur Augustinus, non solum verba illa persuadent : *Electi sunt ad regnandum cum Christo;* sed hoc præterea, quod de eodem electionis genere capiendus sit, de quo *Matthæi* XXII, 14, sermo est, cum dicitur, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Ibi vero ex Augustini mente de electis ad gloriam agitur, quos scilicet convivio interesse rex patitur; a quo plures illos vocatos, sed non electos rejicit. Sed observanda sunt imprimis illius verba in fine capitis decimi, ubi de liberatione posterorum Adami a massa illa perditionis agens, quam nondum fuisse antequam peccasset, sub initium capitis docuit : « Quotquot, ait, ex hac stirpe gratia Dei liberantur, a damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obstricti; unde etiamsi nullus liberaretur, justum Dei judicium nemo juste reprehenderet. Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ, quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur. » Hic perspicuum est loqui Augustinum de ea liberatione, qua a perditionis massa, et damnatione per prædestinationem et electionem ad gloriam segregantur aliqui, cæteris in illa relictis, ac reprobatis. Hanc vero segregationem, gratis ac sine meritis ait fieri.

XII. Rursus Augustinus libro secundo *ad Prosperum*, et Hilarium, *de Dono perseverantiæ*, capite VIII quærit « cur ex duobus piis huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur; » et ait hoc ideo fieri, quia unus erat ex prædestinatis, alius non erat. « Nam, si fuissent ex nobis, ait unus prædestinatorum, mansissent utique nobiscum. » Atqui « nonne utrique vocati fuerant, et vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati? » Mox respondet ex persona Joannis : « Vera sunt hæc : secundum hæc omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. » Igitur peculiaris est aliqua discretio, qua a massa separantur; et ab ea diversa, qua ab injustorum, et peccatorum numero secernuntur, quæ est proprie prædestinatio ad gratiam; ac proinde non alia potest esse, quam quæ ad gloriam et æternam salutem prædestinatos excipit. Cur autem non essent ex eis, hoc est ex secretis illis a massa perditionis, causam paulo post affert Augustinus : « Quænam est tandem ista discretio? Patent libri Dei; non avertamus aspectum. Clamat Scriptura divina; adhibeamus

1 *Rom.* XI, 6.

auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati : non erant in Christo electi ante constitutionem mundi : non erant in eo sortem consecuti : non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur. » Vides, ut ex proposito Dei destinantis æternam salutem, et eam eximentis, hoc est gratuito seligentis, oriatur efficax prædestinatorum vocatio, ac perseverantiæ largitio. Illud enim propositum Dei tale est, ut ejus beneficio a massa damnata secernantur, qui ob id secreti, et electi vocantur; adeoque non ad solam deligantur gratiam, sed etiam ad gloriam. Quod propositum, cum non putet Augustinus, ex prævisa perseverantia a Deo suscipi, sed ex illo potius, ceu causa et origine, perseverantiæ donandæ voluntatem proficisci, perspicuum est, prædestinationem ad gloriam ex ejusdem Augustini mente, non ex meritis, ac perseverantia pendere, sed e contrario hæc ex illa profluere.

CAPUT VII.

Pergitur in eadem probanda Augustini sententia : cujus ex scriptis argumenta quatuor alia proferuntur; præsertim vero ex perseverantiæ dono, quod ex dandæ salutis proposito tribuitur, tum ex Christi prædestinatione, quæ prædestinationis hominum est imago ac typus.

Ex Augustini doctrina electis datur perseverantia quia prædestinati sunt ad gloriam.

I. Quintum ex Augustini doctrina genus argumenti est ejusmodi : Cum duæ sint theologorum de proposita quæstione sententiæ, quarum una, Deum gratis eligere certos homines ad gloriam asserit, nullis ad id eorum meritis adductum; tum ut destinatum finem assequantur, gratiam ac perseverantiam illis attribui : altera vero Deum existimat gratiam suo tempore largiendam decernere; tum ex eo, quod recte illa in finem usque usuros esse præsentiat, gloriam tanquam mercedem non solum conferre, quod et priores illi fatentur, sed etiam tribuendam ex æterno statuere : cum in eo sit, inquam, opinionum posita diversitas, id ex utraque consequens est priore quidem, uti Dei voluntas illa, qua congruentem gratiam, et perseverantiam donare constituit, ex altera pendeat, et profluat, qua vitam æternam ac salutem destinavit; hoc est, ut ideo vocet ac justificet, et ut acceptam justitiam ad mortem usque perferant procuret Deus, quod ad cœleste regnum illos delegerit : ex posteriore vero, ut e converso decretum illud Dei, quo æternam gloriam concessurum se aliquando statuit, ex alio dependeat, quo congruentem gratiam, et perseverantiam largiturum se esse proposuit. Qui enim hoc alterum sentiunt, arbitrantur, idcirco Deum efficaci voluntate quibusdam æternam destinasse gloriam, quod illorum merita præviderit. Quare necesse est, efficacem alteram voluntatem, qua primam vocationem, et auxilia gratiæ, ac perseverantiam dare constituit, quodammodo præcedere, et iis includi meritis, quæ per illa præsidia comparantur. Atqui sanctus Augustinus passim istud asserit : ex eo, quod certos homines elegerit ad æternam gloriam Deus, vocare ipsos, ac fidem, et bonorum operum merita, perseverantiamque tribuere : adeo, ut gratia et perseverantia propterea dentur a Deo, quod ab ipso prædestinati et electi sint ad gloriam.

II. Persuadet hoc imprimis locus ille, quem ex primo *de Prædestinatione sanctorum*, capite XVIII superius adduximus; ubi Augustinus probat, ideo nos eligi, et prædestinari, ut simus sancti et immaculati : non, ut Pelagius asseverabat, quia sanctos et immaculatos fore nos præviderit. At electio prædestinatioque, de qua loquitur, ad gloriam pertinet, ut ibidem ostendimus. Igitur ob id, quia electi sumus ad gloriam, sanctitatem, et in ea perseverantiam Deus indulget. Idem efficit et alter locus ex libro *de Correptione et gratia*, capite XIV, in quo Augustinus indicat, Deum ex eo proposito, quo certos homines ad gloriam delegit, eorum movere voluntates omnipotentissima potestate, cui resisti nequeat; quamvis sponte, ac voluntate eidem homines obsequantur : quemadmodum, cum Saulem regem facere decrevisset, Judæorum ad illum creandum voluntates excitavit. Pendet itaque voluntas auxiliorum gratiæ, ac meritorum homini tribuendorum ex voluntate impertiendæ salutis; ac proinde non ob merita movetur ad eligendos homines Deus, sed quia elegit, gratiam ac merita largitur. Sic in libro secundo *de Dono perseverantiæ*, capite IX, cur alii vocentur, alii non vocentur; alii vocantem audiant, alii renuant; aliis denique perseverantia detur, negetur aliis, nullam causam affert alteram Augustinus, nisi quod priores electi erant ad gloriam, et ex massa perditionis peculiari secretione distincti, reliqui non erant. Si enim ex illo numero fuissent, utique

perseverassent, ut Joannes docet his verbis : *Ex nobis prodierunt ; sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ubi illud, *ex nobis*, idem est atque *ex electorum numero*, *et a perditionis massa separatorum*, atque *ad gloriam prædestinatorum*, ex Joannis et Augustini sententia, ut paulo ante significavi. Proinde causam reddit Apostolus, cur isti minime perseveraverint, quia scilicet electi non erant ad gloriam; ad quam si electi fuissent, et ab originali massa segregati, utique perseverassent. Ergo, cur illis perseverantia negetur, ea causa profertur, quod prædestinati non sint ad gloriam; cur autem aliis perseverantia donetur, e contrario causa hæc est, quod in prædestinatorum numerum adscripti fuerint.

III. Qua de re latius disputat Augustinus libro *de Correptione et gratia*, capite VII, ubi perinde quod aliqui in accepta justitia non perseverant, ei imputat, quod a damnatione facta per Adamum, et ab illa conspersione per electionem, et prædestinationem liberati non fuerint; sicut e contrario vocationem et perseverantiam illis a Deo provideri, qui ex eadem massa eruti electique sunt : « Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod et procuratur eis audiendum Evangelium, et cum audiunt, credunt; et in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; et si quando exorbitant, correpti emendantur, etc. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia jam non est gratia.* Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; propter quod dictum est, *Multi sunt vocati, pauci vero electi;* sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto electi sunt *per electionem*, ut dictum est, *gratiæ*, non præcedentium meritorum; quia gratia est illis omne meritum. » Ideo vocati audiunt, et in fide perseverant; et, si exorbitaverint, correpti emendantur, quia secundum propositum vocati sunt; et quia electi, prædestinati, præscitique sunt. Unde non communi illa vocatione alliciuntur ad fidem, sed peculiari, et quæ ex Dei firmo et immobili proposito profecta sit.

IV. Quo in Augustini loco duo sunt animadvertenda : alterum, loqui ipsum de prædestinatione ad æternam salutem et gloriam, non ad gratiam, ut satis indicat proximo ante capite, quod est sextum; ubi illa verba perpendit : « *Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam,* » ad quæ ita scribit : « Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono? Quandoquidem, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Qua salute, nisi æterna? » Alterum, initio capitis VII negare Augustinum, eos, qui vocati a Deo in accepta justitia non permanserunt, excusationem ex eo ullam habituros, quod donum perseverantiæ non acceperint, quia scilicet « non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam mediatoris. » Igitur Augustinus perseverantiam ideo negari quibusdam asserit, quia non sunt ordinati ad vitam æternam, nec ab illa massa separati : concedi vero aliis, quoniam ab eadem sunt massa divina prædestinatione secreti. Ex hoc vero sequitur, sine ulla operum præsensione gratis ad vitam electos ordinari, et ex illius vi ordinationis congruam vocationem et perseverantiam accipere. Sic in eodem libro *de Correptione et gratia*, capite XI, adjutorium illud gratiæ, quo perseverantia constat, ob peccatum originale subtrahi his verbis asserit : « Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est : quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. »

V. Hinc etiam sextum argumenti genus existit, quo absoluta, et citra operum prævisionem electio ex Augustini opinione probatur. Id autem ex diversa ratione petitur, qua perseverantiæ donum Adamo in statu innocentiæ oblatum fuisse, et ab ejus posteris obtineri post lapsum, ille idem existimat. Nam et priori illi statui gratiam ad perseverandum necessariam fuisse confirmat; sed disparem atque in posteriori, quod ita declarat in libro *de Correptione et gratia*, capite XI : « Tale quippe erat, inquit, adjutorium, quod desereret, cum vellet, et in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet. Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam, si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concu-

Idem colligitur e differentia gratiæ perseverandi oblatæ Adamo et ejus posteris.

1 I *Joan.* II, 19. — 2 *Act.* XIII, 48.

piscentem voluntate spiritus vincat. » Ac subinde : « Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem. In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. » Ex quibus, et proxime sequentibus liquet, hoc inter Adamum in beato illo degentem statu, et ejus posteros interesse, quod ad perseverantiam attinet, quod, cum neutri sine gratia perseverare possent, talis homini primo data gratia est, quacum perseverare posset, si vellet, et sine qua non posset; ut autem vellet, nulla ei gratia concessa est, quia per liberum arbitrium id poterat, quod integrum, ac nullo vitio debilitatum acceperat. « Namque ut reciperet bonum, ait capite eodem undecimo, gratia non egebat, quia nondum perdiderat; ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset : et acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle, quod posset. Nam si habuisset, perseverasset. Posset enim perseverare, etiamsi vellet; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, et male. » At homini post lapsum « tanto, inquit, amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, et perseveranter tenendo, non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus. »

VI. Quocirca duo illa gratiæ genera, quorum unum Adamo in pristino innocentiæ statu tributum est, alterum ex Christi meritis datur electis, ita capite duodecimo distinguit : « Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit; et aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen, cum affuerint alimenta, ei fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. » Hæc posterioris generis perseverantiæ gratia primo est homini concessa. « Primo itaque homini, inquit Augustinus, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. » Cujusmodi vero nunc per Christum perseverantia donetur, exponit sic : « Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verumetiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint. » Ex quibus utriusque doni perseverantiæ differentia illa conficitur, quod ejusmodi Adamo tributum est, quo voluntas ejus, sive possibilitas adjuvabatur, ut, si vellet, perseverare posset; ut autem vellet, datum non est; hoc est actus ipse constanter invicteque volendi libero ejus arbitrio, quod valens et sanum erat, permissus est. At illud, quod per Christi merita tribuitur, donum, non solum dat posse, si velint; sed etiam velle, quod possunt : et est tale ut, eo dato, nonnisi perseverantes sint, id est ut certo, et, quod in scholis vulgo dicitur, *infallibiliter* perseverent, tametsi libere gratiæ illi, donoque consentiant, non necessario, sed *ita, ut dissentire possint, si velint*, quod Tridentina sciscit synodus : quamvis, ut non dissentire velint, eodem illo perseverantiæ dono perficitur. Sed de his alias pluribus.

VII. Nunc, ut illud colligam, cujus gratia ex Augustino ista deprompsi; cum ejusmodi solis electis, et ex proposito vocatis perseverantiæ donum a Deo tribuatur, quocum certa nectitur æternæ salutis adeptio, ut nonnisi perseverantes sint, quibus illud conceditur; necesse est, in ea dandæ perseverantiæ voluntate propositum, ac consilium includi sempiternæ dandæ salutis et gloriæ. Alioqui, si incertus, et quasi suspensus esset divinæ inspirationis exitus, nihil aut ab Adamo concessa perseverantiæ gratia distaret illa, quæ prædestinatis ex Christi merito donatur; aut ab ea, quæ reprobis, et interim justificatis, nec illam tamen admissuris offertur. Non enim dubium est, quin ideo non perseverent, quia perseverare nolunt. Nam si vellent, utique perseverarent. Offertur ergo illis gratia, qua perseverare possunt, si velint; et ut velint, etiam invitantur, sed non datur ejusmodi, qua, ut loquuntur, *infallibiliter*, ac reipsa velint : quam solis prædestinatis Augustinus censet attribui. Unde est consequens, ut de solis ipsis, cum peculiarem iis gratiam offert, vita et salute donandis firmum et absolutum propositum habeat.

VIII. Est huic affine connexumque argumentum aliud, quod ex Christi Domini prædestinatione ducit Augustinus. Illum enim,

Idem e prædestinatione hominis assumpti ad unionem hypostaticam.

hoc est hominem ipsum, qui est assumptus a Verbo, sine ullis meritis, ac sola gratia prædestinatum esse, ut Filius esset Dei asserens Augustinus, eumdem archetypum, et exemplar esse dicit prædestinatorum omnium, et eorum, qui sic vocantur, ut ad salutem electi sint. Quod quidem multis in locis repetit[1]. E quibus insignis ille est capitis xv libri *de Prædestinatione sanctorum.* « Est etiam, inquit, præclarissimum lumen prædestinationis et gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei et hominum homo Christus Jesus : qui hoc ut esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit ? Respondeatur quæso : Ille homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit ? » Ac mox : « Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. » Neque quemquam moveat, quod illam in Christo prædestinationem humanæ naturæ ad ejusdem cum Verbo personæ communionem cum christianorum omnium vocatione confert, ita scribens : « Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. » Nam subinde declarat, non se quamcumque intelligere vocationem communemque reprobis pariter et electis, quacum illam Christi prædestinationem comparat ; sed « quamdam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt; quos præscivit, et prædestinavit conformes imaginis Filii sui, et quam intuebatur, cum diceret : *Sine pœnitentia sunt dona Dei*, etc. Quisquis ergo inde est, omnino non perit; nec erit inde, qui perit. » De hac ergo singulari vocatione Augustinus loquitur, quæ ex gloriæ certissima destinatione, et proposito venit. Quæ cum perinde nullis ex propriis meritis, tanquam ex causa movente et alliciente pendeat, ut naturæ humanæ prædestinatio ad divinæ personæ consortium ; evidens est, Augustinum pro certo habuisse, nullis itidem meritis electorum provocari Deum, ut illos prædestinaret ad salutem ; sive, quod eodem recidit, ea vocationis gratia ad se eos adduceret, quæ ex firmissimo dandæ gloriæ proposito manaret : cujusmodi non habet, cum eos efficaci vocatione ad fidem et justitiam excitat promovetque, quibus, quia reprobi sunt, perseverantiam negare statuit.

Idem ex eo quod asserat Augustinus Deum velle solos prædestinatos salvari.

IX. Octavum genus argumenti sic ex Augustino contexitur. Quicumque Deum asserunt ex præsensione operum, ac meritorum elegisse alios ad æternam salutem, alios reprobasse ; necesse est, ut ita sentiant, Deum salvos omnes, quantum in se est, velle, et ut eo pervenire possint, gratiæ illis auxilia idonea concedere : quibus quoniam ipsos culpa sua defecturos prævidet, ab numero prædestinatorum eos repellit. Hanc autem in omnium salutem voluntatis propensionem, ex illo Apostoli loco potissimum approbant : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*[2]. Atqui pluribus in locis contrarium demonstrat Augustinus, negatque, Deum velle omnes salvos fieri , sed eos tantummodo, qui prædestinati sunt ad vitam. Illud autem Apostoli testimonium diversis modis explicat, ne ex eo sequi videatur, omnes cupere salvos Deum, si oblata sibi gratia uti vellent. Quod tamen non gravate, imo vero necessario fateri debuit Augustinus, si electionem prædestinationemque nostram ex prævisis meritis, et usu gratiæ pendere judicasset. Quapropter, utcumque de illa communi voluntate Dei statuatur ; ac sive Augustinum existimes quamdam in Deo voluntatem agnovisse, qua universam hominum massam liberare, et ad salutem provehere studuerit, quantum erat in se ; sive nullam erga reprobos talem habuisse concedas : nihilominus hoc de quo solo pugnamus, ex illius mente constabit, longe diversam de electis liberandis ac salvandis, quam de reprobis in illo voluntatem extitisse. Nulla autem alia diversitas ex ejus scriptis potest confici, nisi ista : quod voluntas illa, qua electorum salutem expetiit, certa, efficax, et absoluta fuerit, qua, quod vellet exequi, omnino decrevit ; cujusmodi in reprobos non habuit. Ex quo fit, ut prior illa sola et unica salvandi voluntas ab Augustino censeatur ; alteram vero talem esse neget : quoniam ex priore certo effectum sequitur, ex altera non sequitur. Hoc saltem modo necesse est Augustinum interpretemur, etsi generalem nescio quam in universos homines voluntatem agnitam ab illo putemus. At ex hoc ipso manifestum est sequi, non ex meritorum varietate disparem in utrosque salvandos voluntatem extitisse; sed circa

1 Lib. *de Corrept. et grat.* cap. xi. et lib. *de Prædest. sanct.* cap. xv et lib. *de Dono pers.* c. xiv. — 2 I *Tim.* ii, 4.

electos, absolutam, et gratuitam: in reprobos vero nonnisi conditionatam, et quam *velleitatem* vocant, tanquam ita concipiatur : Vellem istos salvare, nisi eos primi culpa parentis odiosos et execrabiles fecisset. Absolutam vero de iisdem damnandis, ob illud originale delictum, voluntatem et sententiam fuisse. Sed jam Augustini nonnulla loca proferamus, in quibus suam de illo loco sententiam exponit.

X. Imprimis in libro primo *contra Julianum* capite VIII, cum quidem Julianus objecisset illud Apostoli testimonium : *Qui vult omnes homines salvos fieri*, etc., indeque probaret, ideo salvos non fieri quosdam, « quia nolunt petere, cum Deus velit dare ; nolunt quærere, cum Deus velit ostendere ; nolunt pulsare, cum Deus velit operire : » contra excipit Augustinus, sic intelligendum illum esse Pauli locum, ut non omnes penitus salvos esse Deus velit, sed eos tantum, quos justificaverit, ea videlicet justificatione, in qua et perseverare illis concesserit. Vel *omnes* usurpasse pro multis ; quemadmodum *Rom.* V scriptum est : *Per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ*. Libro vero *de Corrept. et gratia*, cap. XIV, *omnes homines*, pro *omnibus prædestinatis* accipi putat. Sic in epist. CVII, paulo aliter exponit ; nempe, quia « omnes, qui salvi fiunt, nisi ipso volente, non fiunt, » ut illud I *Cor.* XV, 22 : *Omnes in Christo vivificabuntur*, accipi debet ; quia scilicet omnes, qui quidem vivificantur, id per Christum obtinent. « Ita quod dictum est, omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multos nolit salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes, qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt, » nec aliter lib. XIII *de Civ. Dei*, cap. XXIII. At in *Enchirid. ad Laurent.* cap. CIII cum eodem hoc intelligit modo, tum sic, ut *omnes homines* velit esse, ex omni hominum statu, conditione, sexu, vel, uno verbo, idem ut sit, atque *omne hominum genus*. Et in fine capitis, quocumque libuerit modo, interpretari permittit ; « dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse ; qui sine ullis ambiguitatibus, si in cœlo, et terra, sicut et veritas cantat, omnia quæcumque voluit fecit ; profecto facere noluit, quodcumque non fecit. » Igitur Augustinus arbitratus est, non omnes velle salvos esse Deum, sed quosdam nolle salvos esse, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, ut ipse diserte ait epist. CVII.

XI. Ac, ne tergiversationi isti relinquatur locus, *salutis* nomen in illis locis non pro æterna felicitate ab Augustino sumi, sed pro justificatione, et gratia prima, quam ex sola Dei voluntate proficisci fatentur omnes, doceo, non aliter usurpari, quam de æterna salute atque gloria. Etenim Pelagiani, ac Semipelagiani, et omnes Augustini obtrectatores, contra quos ipse disputans, objectum ab illis locum Apostoli alio sensu capiendum esse pugnabat, de sempiterna salute Pauli verba sunt interpretati. Hilarius enim in epistola ad August., quæ est præfixa libris *de Prædestin.*, *de Perseverantiæ dono*, adversariorum sententiam exponens, refert eos negasse, « eligendorum rejiciendorumque esse definitum numerum ; atque illius sententiæ (addunt iidem) expositionem non eam, quæ a te est deprompta, suscipiunt : id est, ut nonnisi omnes homines salvos fieri velit, et non eos tantum, qui ad sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus. » Sic igitur Pauli verba illa capienda censebant, ut omnium omnino salvandorum hominum voluntatem haberet Deus, cum Augustinus in libro *de Correptione et gratia*, capite XIV (qui liber præcipue pios alioqui viros offenderat, ut scribit in epistola sua Prosper), omnes prædestinatos intelligeret, non omnes homines Deum velle esse salvos. Et quoniam Augustinus ea potissimum ratione movebatur, ut ne omnes homines salvos esse velle putaret Deum, quod alioqui contra voluntatem Dei fieret, ut multi pereant ; occurrebant illi, minime id esse mirum, cum et justificari, atque in justitia perseverare velit omnes, et tamen plerique justitiam deserant. « Nec hoc timendum, ait Hilarius, quod quidam eo invito perire dicantur, sed quomodo (aiunt) non vult, a quoquam peccari, vel deseri justitiam, et tamen jugiter illa deseritur contra ejus voluntatem, committunturque peccata ; ita eum salvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines salvari. »

Nomine salutis, salus æterna debet intelligi.

XII. Hinc apparet, tam Augustinum, quam Massilienses istos doctrinæ illius oppugnatores, *salutis*, et *salvandi* vocabula in illa Apostoli sententia non ad gratiam, vel justificationem præcise retulisse, sed ad gloriam ; cum ab justitia diserte separet Hilarius salutem ipsam, ad quam Deus omnes ex sese studet adducere. Quod ipsum non minus perspicue Prosper ostendit, qui eamdem illorum sententiam his verbis explicat : « Itaque, quantum ad Deum pertinet, omnibus para-

tam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. »

Cum igitur Augustinianæ doctrinæ adversarii illi Deum assererent omnibus salutem, æternamque vitam, et gloriam impertiri velle, idque adversus Augustini decretum tueri se profiterentur; consequens est, eam fuisse mentem Augustini, ut negaret, Deum omnes velle salvos esse, hoc est æternam felicitatem assequi.

Nam et in libro primo de duobus, quos ad Prosperum et Hilarium respondendo scripsit, capite VIII, in pristina illa sua sententia, et Apostoli loci interpretatione persistit: ut solos prædestinatos salvos esse velit Deus: quia, si omnes vellet, omnes procul dubio salvi fierent, et ad fidem perducerentur, ac per eam ad salutem: « Non enim aliter, inquit, consequuntur salutem. » Non igitur salutis nomine solam fidem, aut justitiam significari voluit Augustinus, sed ultimæ felicitatis statum, quem non omnes consequi velle Deum existimat; quod profecto statuisset, si, quod Vasquez aliique sentiunt, ex operum prævisione eligi ac prædestinari ad salutem existimaret homines, quemadmodum Damascenus tradidit, « Deum antecedenti ac præcipua voluntate velle omnes salutem assequi[a]. »

XIII. Quocirca talem esse putavit Augustinus illam Dei voluntatem, qua salutem hominibus æternam destinat, ut sit *certa*, *immutabilis*, *et efficacissima*, ut in *Enchirid. ad Laur.* capite XCV loquitur, quam voluntas hominis impedire non possit, cum, ut est in psalm. CXIII, « *omnia, quæcumque voluit, fecerit*. Quod utique non est verum, si aliqua voluit, et non fecit. Et, quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Neque enim veraciter ob aliud, ait ibidem capite XCVI, vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. » Hanc solam agnovit Augustinus; ex qua deinde vocationem congruam, fidem, justitiam ac perseverantiam Deus tribueret, e contrario vero illis minime donaret, qui proposito illo, ac voluntate non sunt electi. Nam in libro secundo *de Dono perseverantiæ*, capite IX, quod aliqui non perseverent, inde fieri docet, quod electi non sint ante constitutionem mundi. Nam si hoc essent, cum electis sine dubitatione mansissent. Hoc autem ex eo probat, quia non solum « possibile est Deo, aversas et adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, et in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliqua superati tentatione discedant; » sed etiam « poterat illos Deus, præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita. » Igitur ex illa voluntate, qua vult salvos homines, sequitur, ut eorum voluntates quamlibet contumaces ad sese convertat, et in eo perseverantes faciat.

CAPUT VIII.

Afferuntur alia ex Augustino eodem argumenta, quibus ostenditur prædestinationis ab eo decretum ex nullis electorum meritis a Deo manasse.

I. Nonum argumentum ex iis petitur, quæ sanctus Augustinus ad illum Apostoli locum docere consuevit, qui est epistolæ *ad Romanos* cap. IX, ubi de duobus fratribus, Jacob et Esau loquens, ait: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: Quia major serviet minori. Sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, etc. Quæ verba, ut et sequentia Augustinus ad divinam electionem, sive prædestinationem, qua ad gratiam, et gloriam ordinantur homines, et ad reprobationem, hoc est gratiæ perseverantis et gloriæ abjudicationem, referre solet; ex quo ita concludit, sine ullo respectu ad futura merita, amorem ejusmodi electis impendere Deum quo a perditionis, et damnationis massa segregantur; ita, ut gratuita sit omnino, et ex sola profecta misericordia ista selectio; odium vero huic oppositum justa sit aliorum derelictio ex originali culpa descendens, ob quam Adami posteri justo Dei judicio plectuntur.

Idem colligitur ex modo interpretandi Augustini electionem Jacob et rejectionem Esau.

In epistola CV fusissime de hoc argumento, et Apostoli loco disserit Augustinus; ac primum ex illa massa merito damnata liberari

a DAMASC. lib. II, cap. XXIX. Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν.

dicit homines, « non meriti prærogativa, non fati necessitate, non temeritate fortunæ, sed altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans : *O altitudo divitiarum,* » etc. Tum postea, ex illa ipsa massa aliud vas in honorem fieri, aliud in contumeliam docet ; ac satis esse illud interim scire, « quod neminem Deus liberet, nisi gratuita misericordia, et neminem damnet, nisi æquissima veritate. Cur autem illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium. » Subjicit Apostoli verba ex IX cap. ep. *ad Rom.* ubi ait, « inscrutabilia esse judicia ejus, et investigabiles vias. » Deinde, cujusmodi massa illa sit, et qua ratione cum illa contineri, tum ab illa separari homines intelligat, clarius exprimit. « Quamvis itaque Deus faciat vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram, et demonstret potentiam suam, qua bene etiam utitur malis, et ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum; tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est hominibus propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissime veritas improbat, damnare novit ipse, non facere. »

II. Demum ad illud fratrum geminorum exemplum veniens, hæc Apostoli verba ponderat, *Cum nondum nati essent, et nihil boni, vel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret*, hanc vero electionem « gratiæ, non debiti esse dicit, electionem, qua eligendos facit ipse, non invenit. » Item illa verba, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, declarans, « Quid enim diligebat, inquit, in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum ? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum ? » Mox adversariorum objectionem refert : « Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat. » Quod ex eo refutat, quia Paulus, cum tam difficilem quæstionem proponeret, cur Deus hunc potius, quam illum eligat, et utrum id sine iniquitate faciat, « non id potius tam breve, tam apertum, tam, sicut isti putant, verum absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali, recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipse, sibi objecta quæstione, motum exprimens auditoris, *Quid ergo dicemus ?* inquit. *Numquid iniquitas est apud Deum ? Absit.* Hic ergo erat locus, ut diceret, quod isti sentiunt : Futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem serviturum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit ; sed potius, ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam et gloriam commendandam voluit valere, quod dixit. »

III. In his perspicue demonstrat Augustinus, electionem, qua Deus ad gratiam et gloriam destinat, ac dirigit certos homines, ex nullis pendere meritis ; non solum ejusmodi, quæ sine peculiari Dei gratia proficiscuntur, sed iis etiam, quæ per Christi gratiam obtinentur ; electionem istam non minus ad æternam salutem, quam gratiam spectare, ex ipsius verbis ostenditur. Nam talem facit, quæ de massa damnata, ac perdita liberet ; quod, nisi voluntas impertiendæ salutis æternæ in illa simul intelligatur, explicari non potest. Quippe, uti supra declaratum est, ab ista massa nemo secernitur præsensione ulla Dei, ac proposito, nisi efficax sit, et immobilis tribuendæ gloriæ voluntas, quæ electos ab illa damnabili conditione in æternum transferat statum gloriæ filiorum Dei. Deinde, uti damnatio in reprobis, et iis, qui in massa relinquuntur, non est simplex ac nuda justitiæ gratiæque denegatio, sed etiam gloriæ ; imo hujus potissimum : sic opposita illi liberatio cum ambo eadem, tum hoc posterius maxime respicit. At Augustinus liberationem damnationi velut contrariam opponit, quam *non liberationem* appellat, et hanc ipsam *destinationem* vocat *ad supplicia.* Ergo liberatio *destinatio* esse debet *ad gloriam.* Hanc igitur voluntatem Dei in solidum esse gratuitam, ac misericordiæ solius donum existimat sic, ut latebra nulla sit ullius operis ac meriti, non tantum ex arbitrii humani viribus, sed etiam ex gratia derivati. Etenim, si ex meritis, saltem posterioris hujus generis, peti electionis illius causas putaret Apostolus, nequaquam ad solam Dei voluntatem, vel ad judiciorum illius profundissimum secretum, adeoque ad humanæ scientiæ caliginem confugeret, cum de removenda iniquitate, et προσωποληψίᾳ ageretur ab illo Dei facto et consilio, quo, aliis rejectis, alios adsciscit. *Personarum acceptione.*

Idem ex eo quod ad arcana Dei consilia amandet sciscitantem cur unus eligatur, et alter relinquatur.

IV. Sit enim verior illa sententia, quæ Deum mortales omnes salvos esse velle definit, ex eoque decreto sufficientem omnibus ad illam adipiscendam vim et auxilium sufficere : postea, ut quisque concessis sibi adjumentis uti voluerit, aut noluerit, ita eligi, vel reprobari ; tum perfecto, si quis iniquum id esse Dei arbitrium causari vellet, non exceptione, ac præscriptione illa summovendus esset adversarius, qua usus est Apostolus, nec arcanorum Dei judiciorum altitudo commovenda ; sed recta, et facilis esset illa defensio, ac communibus hominum sensibus aptior ; ideo justam esse Dei in utramque partem sententiam, quod et illos, qui invitati paruerunt, ad cœleste convivium admiserit, et eos, qui perinde vocati renuerint, excludendos censuerit. Nemo prorsus, qui ita, uti adversarii faciunt, in sua opinione poneret, aliter aut sentiret, aut inquirenti, calumniantive responderet. Fingamus enim, ut nondum ab illa Evangelii parabola recedamus[1], sciscitari aliquem, satisne fuerit æquus arbiter ille princeps, qui, cum multos invitasset ad convivium suum, non omnes tamen exceperit, sed eos tantummodo, qui ad condictum adfuerant ; reliquos autem, qui et sæpius vocati renuerant, et invitantes quoque servos qua nece, qua contumeliis affecerant, non modo non intro receperit, sed etiam per suos milites occiderit; quis de facti hujus æquitate querenti non statim respondeat, recte et ut par erat, fecisse virum illum, qui pro suis quemque meritis habuerit ; nec esse quod de iniquitate rejectitii illi querantur ; quin sibi potius imputare id debere, ac ne pœnam quidem deprecari ullam posse, qui tam insolenter ac nefarie sese gesserint ? Non aliter, opinor, vel adversarii ipsi respondere parati sunt. Quod si quis, justissima hac defensione spreta, nihil præter voluntatem principis afferret, negaretque causam, cur tam dissimilem se in eos, qui vocati erant, præbuerit a nobis intelligi comprehendique posse, nonne is ludere, ac manifeste in causa prævaricari videretur ? Par esset, imo absurdior Apostoli ratio, siquidem interroganti, cur Deus alium diligeret, alium odio haberet, hoc est, ut Augustinus interpretatur, ad gratiam et gloriam alium perduceret, alium rejiceret, non illud potius obvium ac plausibile responderet, quod utrumque sensisse isti putant, propterea nec iniquum esse Deum, nec aliter oportuisse fieri ; quoniam, cum unicuique gratia esset oblata, per quam niti posset ad salutem, quidam sponte complexi fuerint, alii vero repudiarint : « Hic erat sane locus, ut cum Augustino loquar, ut hoc tam breve, tam apertum, tam verum absolutumque responderet : Futura opera prævidisse Deum, » et ex iis electorum ac reproborum discrimen instituisse.

V. Nam quod contra Pelagianos ista disserit Augustinus, qui non ex quibuscumque meritis, et operibus delectum illum fieri censebant, sed ex iis, quæ de proprii viribus arbitrii nascuntur, nihil ad rem pertinet ; cujusquemodi enim opera illa sint, multo brevior et expeditior ad ostendendam divinorum judiciorum æquitatem, et ad retundendam illam querelam responsio ista foret, si ex operibus decerni cuique salutem, aut damnationem, vel diligi, aut odio haberi quemlibet asseveraret, quam ut inextricabilia esse Dei consilia, et ab humano ingenio comprehendi minime posse diceret. Nam et Semipelagiani, et quicumque doctrina illa sancti Augustini, ac dictis offensi sunt, et qui contrariam hodie de divina electione sententiam tuentur, ea se ratione potissimum inductos in eam significant, quod alioqui causæ nihil videant, cur Deus ex nullis meritis, solaque voluntate sua moveatur, ut aliis salutem velit, nolit aliis : quasi fati cujusdam sit ac necessitatis non humanæ voluntatis ac virtutis, æternæ salutis adeptio. Itaque probabilior iis videtur, utpote explicatu facilior, hæc opinio, quæ scrupulum, ut aiunt, omnem etiam vulgarium hominum intelligentiæ possit eximere. At hoc ipsum argumento esse vult Augustinus, non ita, ut illis placet, Apostolum de divina electione sensisse, cum talem eam esse quæstionem agnoverit, ut captum omnem humani ingenii, ac rationis excederet ; nec dissolvi aliter posset, quam in unum persuadendo sibi, Deum inique nihil omnino facere.

VI. Quod epistola sequenti non minus diserte adstruit. Imprimis enim Pelagianos redarguit, qui usque adeo eligi, vel reprobari homines ex meritis suis arbitrabantur, ut etiam Esau, et Jacob assererent, ex operibus alterum dilectum, alterum odio esse habitum ; idque ex eo confirmarent, quod intra viscera materna luctati sint. « Quomodo ergo, aiebant illi, in infantibus hæc agentibus nullum est vel ad

[1] *Matth.* XXII; *Luc.* XIV.

bonum, vel ad malum propriæ voluntatis arbitrium, unde præmia, sive supplicia meritis præcedentibus subsequantur? » Ergo de tali electione, ac reprobatione, sive dilectione, et odio intelligendus est Apostolus, intelligenda Pelagianorum, et Augustini sententia; status ipse denique quæstionis et controversiæ accipiendus est, non quæ ad gratiam solam, sed quæ ad salutem æternam, aut damnationem, hoc est *præmia*, sive *supplicia* referatur, cum illud ambigitur, utrum ex præcedentibus meritis prævisis alterutrum Deus impendat. Ejusmodi autem electionem, subinde respondens illis Augustinus, et eumdem Apostoli locum de geminis fratribus exponens, « gratuitam gratiam » esse dicit, hoc est nullis ex operum meritis concessam, et « electionem gratiæ, quæ non invenit eligendos, sed facit. » Mox vero adversarios ita sibi objicientes facit: « Sed quomodo, inquiunt, non est iniquitas apud Deum, si diligendo discernit, quos merita operum nulla discernunt? » quibus in hunc modum respondet : « Ita nobis hoc dicitur, tanquam id Apostolus ipse non viderit, non proposuerit, non responderit. Vidit utique, quid, his auditis, humana posset infirmitas, vel ignorantia cogitare, et eamdem quæstionem sibi ipse proponens: *Quid ergo dicemus?* inquit. *Numquid iniquitas apud Deum?* Continuo respondit, *Absit;* rationemque reddens, cur absit, id est cur non sit iniquitas apud Deum, non ait : Merita enim, vel opera judicat etiam parvulorum, etiamsi adhuc sint in materno utero constituti, » etc. Tum iis allatis, quæ ex cap. XXXIII *Exodi* citat Apostolus : *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo, cui misericors fuero*, » subjicit : « Quid nos hic docuit, nisi ex illa massa primi hominis, cui merito mors debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur, atque ita non esse iniquitatem apud Deum; quia neque permittendo (*for.* remittendo), neque exigendo, quod debetur, injustus est. Ibi enim gratia est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta. Et hinc evidenter apparet, a pœna debita liberato, et gratia justificato quantum beneficii conferatur, quod alter æqualiter reus sine punientis iniquitate punitur. » Post de massa illa corrupta ac damnata, et gratuita electorum ex ea liberatione disputat. Ex quibus omnibus id efficitur, sermonem hic esse de voluntate Dei, qua alios e massa liberat, eligendo illos, et ad salutem ordinando, alios vero condemnat ac suppliciis addicit, ac priorem illam et beneficam voluntatem sola ex Dei gratia, misericordia, et largitate pendere, nullis ex operum meritis petitam. Quod in sequentibus copiose persequitur; et ex illa massa liberari certos ait gratia non debita, sed gratuita, per quam ab relictis in ea sunt damnatisque discreti. Vide librum secundum *ad Bonifacium*, cap. VII.

VII. In *Enchiridio* vero *ad Laurentium*, c. XCVIII, de hoc eodem geminorum exemplo, apostolicisque verbis similia commemorat; et hoc amplius, quod non sola rejicit opera bona, vel mala, quæ in matris utero utcumque gesta ridicule tuebantur adversariorum aliqui, sed infinite, et universe futura omnia opera summovet, quibus illa continentur, quæ ab eo tempore, quo sunt in lucem editi, ad mortem usque fecerunt. Illud enim urget Augustinus, quod responsum est Rebeccæ, *Major serviet minori*[1]; quod non ex operibus esse dictum, sed ex vocante, id est ex nullo cujusquam operis merito, sed ex gratuita Dei voluntate, observat Apostolus; ad idque Malachiæ verba hæc accommodat, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, quæ de æterna Dei prædestinatione, hoc est liberatione ab illa massa, pœnalique judicio, (ita enim loquitur) aut damnatione accipit, quam vere, nihil ad rem attinet. Id enim agitur modo, quid utcumque senserit Augustinus. Hic vero gratuitum illum amorem Dei in Jacobum fuisse contendit, et, ne quis ex operibus manasse putet, addit, futura etiam opera ab Apostolo rejecta fuisse. Non igitur de illa colluctatione, quasi futura ac prævisa loquitur, cum post luctam responsum illud Rebeccæ sit editum; sed de reliquis, quæ in omni deinceps vita præstiterunt. Verba Augustini : « Sentiens autem, quemadmodum posset hoc, quod dictum est, permovere eos, qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ : *Quid ergo dicemus?* ait. *Numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Iniquum enim videtur, ut sine ullis bonorum malorumve operum meritis unum Deus diligat, odiatque alterum. Qua in re, si futura opera vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, sed diceret ex futuris operibus; eoque modo istam solveret quæstionem, imo nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem. » Subjicit

1 *Gen.* XXV, 23.

illa Mosis, *Miserebor, cui misertus ero*, etc.; tum ita colligit : « Quis enim, nisi insipiens, Deum iniquum putet, sive *judicium pœnale* ingerat digno, sive misericordiam præstet indigno ? » Denique, « Jacob, inquit, dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum ; quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum quod in eadem causa *idem supplicium* non incurrit, sed de divinæ gratiæ largitate, etc. » Hinc evidens est, agere Augustinum de liberatione Jacobi, non a peccato solum originali, vel deinceps cæteris, sed ab æterna damnatione, hoc est *pœnali judicio*, vel *supplicio*, a quo per eam solam præscientiam prædestinationemve potuit eximi, quæ illi salutem gloriamve decerneret. Hanc vero cum ex futuris neget operibus a Deo prævisis esse susceptam, perspicuum est etiam illa summoveri merita, quæ ex spiritu fidei oriuntur, et gratiæ. Nam talia Jacobi futura erant opera, utpote fidelis ac sancti ; nec alia, nisi ejusmodi, bona hujus opera fuerunt, quæ prævideri a Deo possent.

Idem adstruitur e loquendi ratione Augustini.

VIII. Decimum argumentum ex ejusdem Augustini doctrina, et loquendi ratione petitur. Hic enim gratiæ nomine id appellat omne, quod non ex debito, sed gratis, et ex misericordia tribuitur. Est autem apud illum genus gratiæ duplex. Nam alia simpliciter gratia est, quam gratuitam gratiam vocat ; quæ omnia merita, cujusquemodi sint, prorsus excludit : alia non simpliciter, neque ex sese gratia est, hoc est gratis indulta, sed quia antecedentem habet gratuitam gratiam, ex eaque profluit, ideo gratia nominatur ; quemadmodum æterna vita, quia meritis datur, non est gratia per sese, sed ea ratione, quia merita ipsa gratis donata sunt. Ita libro *de Gratia et lib. arbitr.* c. VIII, ubi hanc quæstionem proponit : « Si enim vita æterna bonis operibus redditur, quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur ? » Tum respondet : « Illa ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus, et ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere. » Ac paulo post : « Itaque, si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia, sine dubio et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est ; et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa cui datur tantummodo gratia est ; hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia, » etc. Eadem docet, et epist. CV, et in libro *de Corrept. et gratia*, capite VII.

In quibus duplex illud genus, appellatioque gratiæ cognoscitur. Atqui, cum de liberatione electorum a massa damnata, hoc est a pœna æterna ac supplicio loquitur, adeoque prædestinatione ad salutem ac vitam, *gratuitam gratiam* hanc vocat epist. CVI, ut supra meminimus, et *gratuitum misericordiæ donum*, *Enchiridii* c. XCVIII, ac non raro *electionem gratiæ*, hoc est gratuitam, ut in epist. eadem CVI, ubi et illud adjicit : « Si autem gratia, jam non ex operibus ; alioqui gratia jam non est gratia ; » ac subinde : « Cur meritis præveniri gratia perhibetur, quæ gratia non esset, si secundum meritum daretur ? » Denique passim id repetit, et inculcat, liberari electos, ac secerni a reprobis, et ab massa damnata ex sola, meraque, et gratuita gratia. Non igitur ullius generis antecedunt merita, ne ea quidem, quæ ex Dei gratia derivantur ; alioqui non ex sese gratiam hanc esse pugnaret, ac gratuitam, cui nihil, divina misericordia et largitas causam præbuerit : quemadmodum vitam æternam, ejusque in fine largitionem negavit simpliciter esse gratiam. Insignis est inter alios locus ille ex epist. CVI, ubi ait reprobos qui non sunt ex illa societate electorum, qui per electionem gratiæ, id est gratuitam salvi fiunt, propter hoc a Deo præsciente creatos esse, « ut in his ostenderet, liberum desertoris arbitrium sine sua gratia quid valeret, et in eorum justis ac debitis pœnis vasa misericordiæ, quæ non suorum operum meritis, sed gratuita Dei gratia sunt ab illa concretione discreta, quid sibi collatum esset, addiscerent. »

Necnon ex epistolis Prosperi et Hilarii.

IX. Undecimum argumentum ex epistolis Prosperi et Hilarii sumitur, quæ sunt præfixæ libris Augustini duobus *de Prædest. sanct. et Dono persever.*, ex quibus colligitur, propositum illud, ex quo vocatio oritur, esse prædestinationem ad gloriam, et citra operum prævisionem a Deo suscipi. Nam, cum Augustinus in libris, quos contra Pelagianos scripserat, ac novissime in eo, qui est *de Corrept. et grat.* multa de vocatione electorum secundum propositum disputasset, complures ab eo alienati sunt, quod hæc nova, et catholicis tractatoribus hactenus inaudita de prædestinatione et proposito Dei sententia videretur. Quod autem de prædestinatione, et proposito Dei non ad gratiam solum, sed ad gloriam, æternamque vitam ordinandorum

hominum, commotio illa Gallicanorum episcoporum, et querela de novitate Augustinianæ doctrinæ nata sit, ex epistola Prosperi cognoscitur. Hic enim adversariorum istorum sententiam, qua ab Augustiniana dissidebant, ita proponit: « Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse præviderit. Ideoque omnem hominem ad credendum, et ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata. » Agebant ergo de prædestinatione, et electione non ad gratiam, sed ad gloriam ; nimirum de ejusmodi prædestinatione, quam ex præviso perseverantiæ, ac bonæ mortis merito consequi volebant. Cui quidem opinioni Augustinianam sic opponunt: « Hoc autem propositum vocationis Dei (hoc est propositum gloriæ dandæ, ex quo vocatio sequitur, ut paulo post intelligetur), quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, et lapsis curam resurgendi adimere et sanctis occasionem temporis adferre; eo quod utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere, » etc. Quare prædestinationi, electionive, quam Semipelagiani ex prævisa perseverantia felicique obitu a Deo censebant institui, opposita est Augustiniana prædestinatio, et electio secundum Creatoris beneplacitum, ex qua perseverantiæ largitio sequebatur; quæ quidem electio ex nostra voluntate minime penderet.

X. Rursus idem Dei propositum aliter, atque Augustinus faciebat, expositum hoc modo declarant. « Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per sacramentum regenerationis, assumere; et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam prædicationem vocari. » Hoc Dei propositum tale est, quo Deus vitam æternam ac salutem tanquam remunerationem dare decrevit, ut paulo ante dicebant, sive « quo indifferenter universos vult salvos fieri, » ut statim asserunt ex Apostolo; cujus verba contra atque Augustinus interpretabantur, uti omnibus, etiam reprobis salutem dare vellet Deus, quantum in se est, sed illi suapte culpa, et voluntate ab eadem exciderent. « Itaque, quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. » Proinde propositum illud, et electio, de qua quæstio erat, æternam vitam spectat et gloriam. Quod postremo clarissime demonstrat, cum sub epistolæ finem, inquisitionis suæ capita, quibus ab Augustino responderi cupit, breviter colligens, id inter cætera proponit : « Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod, retractatis priorum de hac re opinionibus pene omnium, par invenitur, et una sententia, qua propositum, et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, et sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset, voluntate et actione præscierit. » Vides, ut propositum Dei, prædestinatio, electio, de quibus tam antiqui Patres egerant, quam Semipelagiani cum Augustino contendebant, ad gloriam omnino referatur, hoc est ad illud, quod ex prævisa perseverantia, et bono usu gratiæ, daturum se Deus ex æterno destinarat.

XI. Idipsum et ex Hilarii epistola conficitur: nimirum in ejusmodi proposito, ac voluntate Dei statum quæstionis positum fuisse, quo Deus vult omnes salvos fieri, quod illi sic accipiebant, ut « non eos tantum, qui ad Sanctorum numerum pertinent, » salvos esse vellet, ut putabat Augustinus, sed « ut nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum addit, quod quidam eo invito perire dicantur; sed quomodo, aiunt, non vult, a quoquam peccari vel deseri justitiam, et tamen jugiter illa deseritur contra ejus voluntatem, committunturque peccata; ita eum salvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines salvari. »

Ex his evidens est adversarios illos Augustini, qui et priorum librorum illius de prædestinatione et electione doctrinam oppugnarunt, et contra quos duos illos postremos libros elucubravit Augustinus, de ea prædes-

tinatione, vel electione, ac proposito Dei locutos esse, quo æternam salutem, et gloriam, non autem gratiam solam dare constituit; in eoque controversiæ statum fuisse positum. Unde et illud sequitur, de eodem genere et in superioribus omnibus libris, et in duobus istis posterioribus, Augustinum egisse. Alioqui nec illi doctrinæ Augustinianæ refragati fuissent; neque iisdem recta occurrisset Augustinus, sed in ridicula ὁμωνυμίᾳ ambo absurde confligerent.

Æquivocatione.

Quod enim de gratia perperam Semipelagiani præterea sentirent, nihil hoc ad rem pertinet. Id enim a nobis unum contenditur, de prædestinatione et electione ad gloriam eam sententiam amplexos esse Semipelagianos, quam veteres ante Augustinum secutos esse dicebant: cuique contrarium eumdem Augustinum esse tam illi querebantur, quam iste ipse, qui accusabatur, fateri non est veritus. Qui quidem in libro primo *de Prædestinatione sanctorum*, cap. XIV, antiquos illos excusans Patres, ita loquitur: « Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent breviter quibusdam scriptorum suorum locis, et transeunter attingerent, » etc. Quod eo scribit, quoniam Pelagiana hæresis non minus de prædestinatione ad gloriam, quam ad gratiam; imo de illa magis, quam de hac agendi occasionem Augustino, ac deinceps reliquis attulerit: quod ex argumento illo constat, quod primo loco posuimus.

XII. Augustinus porro in libris duobus, quibus illis epistolis respondit, de eodem prædestinationis genere, quod dicebat intelligi voluisse, patet ex pluribus locis. Capite IX libri *de Prædestinatione sanctorum*, initio ait, « omnes ex uno isse in condemnationem ita, ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur, etc. Cur autem istum potius, quam illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus, » etc. Et libro *de Dono perseverantiæ*, capite VIII: « Non itaque simus ingrati, quod secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut, si inde neminem liberaret, non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustitia judicati sunt filii iræ, sed justitia, » etc. Eodem capite, « Ex duobus autem piis, inquit, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non detur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse, » etc. Ibidem ait, etiam quando justus est, secundum quamdam discretionem non fuisse ex prædestinatis.

Capite XIV ait prædestinationem esse « præparationem beneficiorum Dei, qua certissime liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem ubi, nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? » Hæc liberatio opposita est destinationi in massa. Quare necessario gloriam continet. Quod si Augustinus in recensendis effectis prædestinationis, salutis æternæ sæpe non expresse meminit, nihil hoc movere debet. Nam plerumque unius tantum, ac primi omnium, nempe fidei meminit, non justificationis, aut charitatis, ut eodem capite XIV sub initium, ex Tyriorum et Judæorum exemplis. Et capite XVII sub finem enumerat eadem dona prædestinationis, ac solius fidei, et in ea perseverantiæ meminit. Ergone charitas excluditur, et justitia? Perinde ergo, qui ita concludunt, faciunt, atque hæretici, qui ex eo quod sæpe sola in Scriptura fides ad salutem requiritur, nihil aliud esse necessarium existimant. Sic illi, cum interdum ab Augustino prædestinationis effecta quædam commemorari vident, nulla, præter illa, putant esse. Sed postea demonstrabimus, quælibet prædestinationis effecta, donaque ex proposito et peculiari concessa voluntate, ut ejusmodi sunt, a gloria non posse separari; indeque fieri, ut uno aliquo nominatim expresso, reliqua dona, adeoque donorum ultimum, ac præcipuum, et διακριτικόν una significetur.

Separativum.

CAPUT IX.

De reprobatione, qua non solum in massa perditionis relinquuntur aliqui, sed etiam destinantur ad pœnam æternamque damnationem, quid senserit Augustinus : ac docetur, ex nullis propriis meritis, sed ob solum originale peccatum absolute reprobari homines censuisse : tametsi ratio, et quantitas supplicii in adultis ex propriorum delictorum modulo constituatur ; ex quo duodecimum, et validissimum argumentum de prædestinatione sine meritis efficitur.

I. Prædestinationi, vel electioni ad gloriam respondet ex adverso reprobatio; quam duplicem theologi vulgo constituunt : alteram, quam *negativam* vocant, quæ *præteritio*, vel *non electio* nominari potest. Ut olim Romæ censores, cum senatores legerent, quos ex illorum albo rejicere vellent, eorum nomina non recitabant; iique *præteriti* dicebantur, quod idem erat, ac *rejectitii*. Ita Deus certos ab æterno ex illa quam Augustinus constituit perdita damnataque massa segregavit, quos per gratiam, et merita perduceret ad gloriam, nullis ex ipsorum antecedentibus meritis, sed liberali et *gratuita gratia;* alios autem in illa concretione dereliquit, ac tantummodo præteriit; nondum tamen pœnis, aut æterna damnatione mactandos interdicto aliquo decrevit. Altera reprobatio *positiva* ab iisdem theologis appellatur, qua non solum præteriit illos, ac reliquit, sed etiam pœnis ac sempiternis suppliciis addixit, sive ob primi parentis, et ipsorum adeo originale delictum, sive ob alia, quæ deinceps suapte sponte commissuros esse prævidit. Hoc duplicis reprobationis discrimen, quod quidam recentiores postea repererunt, a Marcione introductum Tertullianus olim rejecit in quarto libro contra ipsum, cap. XXIX. Nam cum apud Lucam Christus dixerit de servo, qui a patrefamilias domui præpositus illo absente rem pessumdedit, et conservos verberavit: *Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora quanescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet*[1] ; Marcion, qui soli Creatori justitiæ ac severitatis opera mandabat, Deo vero Christi Patri bonitatis et benignitatis ; ne Christus usurpare quæ sunt Creatoris propria videretur, pœnam et animadversionem : segregationem illam negabat esse damnationem. Quam tergiversationem sic proponit, refellitque Tertullianus : « Temperare enim tentant hunc sensum, cum Deo ejus vindicatur, quasi tranquillitatis sit, et mansuetudinis, segregare solummodo, et partem ejus cum infidelibus ponere, ac si non sit vocatus, ut statui suo redditus: quasi non et hoc ipsum judicato fiat. Stultitia. Quis erit exitus segregatorum ? Nonne amissio salutis ? Siquidem ab eis segregabuntur, qui salutem consequentur. » Quod idem argumentum contra negativam illam reprobationem objici potest.

II. Et vero aliena prorsus est reprobationum illa distinctio ab Augustini doctrina, quam hactenus exposui. Unum quippe genus, ac simplex reprobationis agnovit, prædestinationi, vel electioni contrarium. Statuit enim, ex illa conspersione, atque massa, quæ per primi parentis peccatum vitiata est, et corrupta sic, ut ad perditionem, et damnationem universa deflueret, Deum sola inductum voluntate, sine ullo respectu ad cujusquam præterita, vel futura merita, quoscumque voluit excepisse, et ad sempiternam destinasse gloriam ; reliquos vero, propter illud idem originale delictum, æterno exitio pœnisque damnasse : quam damnationem pro diversis meritis, aliis tolerabiliorem, aliis graviorem postea decreverit. Nam parvulos, qui sine regenerationis sacramento ex hac vita subtrahuntur, in levissima damnatione fore, ac mitius esse torquendos, sed torquendos tamen ; cæteros multo acerbioribus pœnis, sed iisdem inæqualibus, pro meritorum varietate plectendos. Hanc Augustini constantem, et perpetuam esse doctrinam, qui illius scripta diligenter legerit, nemo, ut opinor, ambigere potest. Eam nos tamen hoc capite demonstrabimus : ex eaque consectarium illud, ac velut πόρισμα conficiemus, prædestinari a Deo, hoc est eligi ad gloriam homines sine ulla præsensione meritorum. Si enim ob solam Adami culpam, et inde transfusum originale crimen reprobantur ac damnantur a Deo, quicumque damnantur, antequam propria illorum opera præviderit Deus, quatenus nos cogitatione ista discernimus, cum electio ac prædestinatio reprobationem antecedat, sicut Romæ quondam nominum appel-

Reprobationum distinctio ignota Augustino.

Corollarium

[1] *Luc.* XII, 46.

latio præteritionem in legendo senatu; consequens est nullum prorsus ad merita respectum habuisse Deum, cum certos ab illa massa separaret. Quamobrem si Augustini sententiæ duo illa consentanea esse demonstrari potest : alterum, de reprobatione, ac rejectione a gloria et æterna salute, non a gratia loqui illum, cum ista disputat : alterum, sine ullis propriorum delictorum meritis, ob unius originalis criminis noxam damnari ac reprobari putasse, quotquot in illa conspersione relicti sunt; confecta res erit, neque de illius mente dubitari poterit.

Probatur asseruisse Augustinum quotquot in massa corruptionis relicti sunt, absque ullis peccatorum actualium meritis ob solum originale peccatum damnari.

III. Igitur in *Enchiridio ad Laurentium*, cap. XCVIII, sic ea de re scribit : « Quis enim, nisi insipiens, Deum iniquum putet, sive judicium pœnale ingerat digno, sive misericordiam præstet indigno? Denique infert, et dicit : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ambo itaque gemini natura filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit : *Miserebor, cui misertus ero; et misericordiam præstabo, cui misericors fuero*, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum : quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de divinæ gratiæ largitate, quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. » Hic de reprobatione non a gratia solum, sed a gloria intelligendum esse Augustinum, ad eamque Pauli retulisse locum, satis ipsa verba declarant, cum et *judicium pœnale ingeri* dicit, et *supplicium incurri* : quæ de sempiternis pœnis, et damnatione, non de peccato capienda sunt. Sed et Vasquez fatetur[1], Augustinum hæc ab Apostolo usurpata de Esau, *Esau autem odio habui*, « de reprobatione a beatitudine plane intelligere, ut et alios Patres. » Verum existimat, « Esau odio habitum, et vas contumeliæ factum a se propria iniquitate. » Quod alienissimum ab Augustini esse doctrina, ex iisdem illis verbis ostenditur. Nam ob id Esau reprobatus, damnatus, et judicio pœnali affectus est, in quo natus iræ filius dicitur, et quod habuit commune cum fratre. Eamdem quippe causam fuisse dicit amborum, et utrumque « originaliter ex Adamo vinculo damnationis obstrictum; » qua ex damnatione, nulla propriorum operum ratione ducta, per solam misericordiam liberatum esse alterum, alterum in ea derelictum. Quod de proprio Esau peccato interpretari non potest. Non enim hoc commune cum fratre Jacobo habuit Esau; neque propter eamdem causam, idemve delictum, cujus gratia damnatus est Esau, damnari quoque Jacobus meruerat. Atqui par, et uniusmodi reatus amborum extitisse fertur, neque gravior Esau, quam Jacobi; ut ex eo supplicio, quod propter eamdem noxam incurrit Esau, cui et ipse obnoxius erat, intelligeret Jacob, quid sola sibi largitas divina, et gratuita misericordia tribuisset. Ergo propter originale peccatum in talem damnationem, ac pœnas istas incidit Esau.

IV. Ad hæc, si propter commissum aliquod a se ipso peccatum æterno supplicio damnatus est Esau, non potest aliud esse peccatum, quam id, in quo ad mortem usque perseveravit, quod *ultimum* appellari solet. Non enim alteri peccato *judicium pœnale* debetur, neque quemquam destinare potest sempiterno supplicio Deus, nisi quem in peccato moriturum præviderit, et ob istud ipsum, quod in eo statu moriturum esse præviderit. Ait autem Augustinus, idem illud peccatum, eamdemque pœnalis judicii ac damnationis segetem, et causam in Jacobo fuisse, ita ut, absque gratuita gratia, et misericordia fuisset, in illud supplicium incurreret. Neque vero causam illam, ac materiam pœnalis sententiæ, ac damnationis futuram in Jacobo fuisse dicit, nisi misericordia subvenisset; sed absolute, ac reipsa parem in ambobus fuisse. Quocirca consequens erit, Jacobum in peccato ultimum claudisse diem, idque ex æterno prævidisse Deum; sed sola misericordia ipsum a debita damnatione liberasse : quæ est Calvini, ejusque discipulorum perfidia, qui prædestinatos lethalibus ad mortem usque peccatis implicari, sed ea minime imputari asserunt. Denique Jacobus aut nulla, gravia quidem, aut leviora certe, quam frater peccata commisit. Si igitur ob ea, quæ admisit, Esau peccata damnatus est; Jacobus autem ob leviora sua non est damnatus, non is sola misericordia, vel gratuita gratia liberatus est, sed æquitate quadam, quæ id postulat, ut ei, qui minorum criminum reus est potius, quam graviorum conscio venia tribuatur. At Augustinus post Apostolum contendit, solam in Jacobi libera-

[1] In I par. disp. XCV, c. VIII, n. 43.

tione locum habuisse gratiam, cum in eadem esset uterque causa, hoc est *reatu* (id enim *causa* significat) et idem supplicium mereretur. Non video quid adversus tam expressam auctoritatem ab iis, qui Augustinum secus interpretantur, possit afferri.

V. Sic in capite sequenti, hoc est XCIX *Enchiridii*, Augustinus idem, « Miseretur, inquit, magna bonitate; obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus, nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis. » Causa ergo communis, et reatus amborum fuit, nec alter altero melior ac deterior. Unde sola Dei hoc voluntate factum est, sine occasione ulla, vel causa, quam alterutrius vita præbuerit, ut altero electo, alter in illa perditione derelictus, imo supplicio damnatus fuerit : quod subinde Apostoli testimonio, et massæ figlinæ similitudine declarat : *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Hac responsione præcludi dicit ora querentium, se ex illa massa non fuisse separatos; neque aut reprobos, ait, se ipsos contumeliæ vasa fecisse, ut Vasquez asserit, sed ab ipso Deo esse factos; aut aliam, cur damnati sint addictique pœnis potius quam cæteri, causam adducit, præter voluntatem Dei, et altissima judicia, quæ nemo perscrutari debeat. Atqui facilis erat, et expedita ratio, si ob delicta propria pœnis istis suppliciisque damnantur, quam vel imperitus quilibet statim redderet; nimirum propterea divino illos decreto damnatos esse, quod vasa se contumeliæ gravibus suis delictis flagitiisque fecissent. Non sic Augustinus, qui unicam damnationis illorum causam attulit, voluntatem, ac justum judicium Dei, quo eos destinavit ad pœnam, quos libuit : alios item, quos voluit, ab illa perditione liberavit. Cujus tam disparis judicii ac decreti postquam altiores humani ingenii captu rationes esse docuit, ista capitis in fine subjicit : « Videt enim, si capit, universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut, etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam; et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum Dei judicium duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret. » Eadem pœna ac damnatione mulctatos ait esse reprobos, quam meruerant etiam electi, et in quam sibi jure debitam ruerent, nisi misericordia subvenisset; tum eamdem illam damnationem, illudque debitum ex apostatica radice manasse, a qua nimirum etiam illi, qui liberati sunt, originem traxerunt. Non igitur propter sua delicta, hoc est voluntate propria commissa, a Deoque prævisa, damnati esse dicuntur ab Augustino. Talibus enim peccatis nequaquam tota ipsa radix infecta est, massaque corrupta; sed unico tantum, et originali quod ex aliena voluntate profectum in omnes ex æquo pervasit posteros. Par enim, et uniusmodi, quod jam dixi, et dicendum sæpius est, damnationis reatus in electis, ac reprobis ab Augustino statuitur; in quem statim impositi sunt, ubi ex apostatica radice pullularunt; hoc est in ipso puncto, quo in matris utero geniti sunt, « antequam quidquam boni, aut mali fecissent. »

VI. Propterea in libro quarto *contra Julianum*, capite octavo, « non esse iniquitatem ait apud Deum, qua quemquam sine malis meritis damnet; et esse bonitatem apud Deum, quia multos sine bonis meritis liberet : demonstrans in eis, quos damnat, quid omnibus debeatur; ut hinc discant, quos liberat, quæ sibi debita pœna relaxetur, et quæ indebita gratia condonetur. » Et paulo post : « Nec damnatus ex debito, de supplicio juste queritur, nec liberatus gratis, de merito superbe gloriatur : sed potius humiliter gratias agit, quando in illo, a quo debitum exigitur, quid in eadem causa sibi donetur agnoscit. » Vide librum quintum cap. IV.

Ita et libro sexto capite X et in secundo *contra* eumdem *Julianum Operis imperfecti*, plures in massa perditionis derelictos ait, ut « ex pluribus ostenderetur, quod universæ massæ justo judicio deberetur, nisi ubi velit Spiritus spiraret, et quem vellet religiosum faceret. » Eadem docet in libro primo *ad Simplicianum* quæstione secunda, et in libro *de Natura et gratia*, cap. V.

Rursus Augustinus epistola CV negat Deum acceptorem esse personarum, quamvis sine ullis præcedentibus meritis delectum hunc instituat, quoniam omnes « una eadem-

que massa damnationis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniat, nisi gratia subveniret.» Quomodo vel eadem est massa, nisi eadem sit utrorumque noxa; vel liberatus ex non liberato supplicium, quod sibi debebatur, agnosceret, nisi et eodem cum illo reatu contineretur? Non ergo propriis delictis imputari damnatio ista potest, quæ eadem in omnibus electis, reprobisque non fuerunt; imo nec in illis ea reperta sunt, ob quæ damnari isti meruerunt, extrema videlicet, et ad obitum usque perducta, propter quæ sola perire debuerunt. Quod autem similis ambos conditio damnationis includeret, his verbis explicat : « Sed injustum est, inquiunt, in una eademque mala causa hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo justum est, utrumque puniri.» Neque causa eadem et una esset utrorumque, si propria iniquitate, ut putat Vasquez, ex illa se massa contumeliæ vas fecisset Esau; neque puniri justum esset alterum, qui se vas ejusmodi non fecisset: et aliter sine dubio respondisset Augustinus, ac multo plausibilius divinum illud judicium ab iniquitatis invidia purgasset, si ejus, qui damnatus est, propria, et ipsius improbitate, parta supplicii merita protulisset, quorum in altero dissimilia fuerunt. Atqui statim ita colligit: « Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus.»

VII. Non opinor similem Esau Jacob fuisse, diceret Augustinus, si vitam amborum ac mores æstimasset. Nam longe dissimiles extiterunt. Pergit vero : « *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*, ut nec misericordia impediat veritatem, qua plectitur dignus, nec veritas misericordiam, qua liberatur indignus. Quæ igitur sua merita jactaturus est liberatus, qui, si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus?» Si ob eadem merita damnari meruerant electi, ob quæ reprobi damnati sunt, ea non possunt esse propria peccata; quia non ob qualiacumque merita, sed ob ea tantum, in quibus perseverarunt reprobi, et a quibus, ne perseverarent, liberati sunt electi, tam illi reipsa damnati sunt, quam isti damnandi fuerunt. Quæ quidem merita, adeoque peccata, ex quibus oriuntur merita, revera, et, ut vocant, *actu* in ambobus erant. Atqui nullus electus ejusdemmodi peccata, vel merita voluntate sua contraxit, et *actu* penes se habuit, qualia reprobos in æternum exitium præcipites dederunt; quia nullus istorum in peccato perseveravit ad mortem. Ideo meritorum genus alterum intelligendum est, ob quæ damnationem reipsa, et *actu* meriti esse dicantur eodem modo quo reprobi, etsi non perinde, ut illi, damnati fuerint. Neque enim potuisse in illis esse talia merita dixit, quemadmodum de damnatione locutus est, sed merita revera jam extitisse; damnationem vero, ne consequeretur, gratuita misericordia esse prohibitam. Denique, uti clarius, et uno verbo vim hujus argumentationis colligam, meritum omne damnationis, propter quod reprobi ad eam ex æterno, non solum destinari potuerunt, sed etiam reipsa destinati sunt, si ex propriis delictis petitur, perseverantiam in iisdem illis necessario complectitur. Augustinus vero talia in electis merita fuisse fatetur aliquando, propter quæ reprobi non solum damnari poterant, sed *actu*, ac reipsa damnati sunt. Igitur non illa propriorum peccatorum merita fuerunt.

VIII. Sane, si duos aliquos assumas, quorum alter e prædestinatorum, e reproborum alter numero sit, cujusmodi Judas proditor, et Petrus fuerunt, et utriusque peccatum aliquod accipias, quod illis ex æquo condonatum sit; ut si, exempli gratia, Judam negasse Christum perinde, ac fecit Petrus, initio fingamus, cujus subinde veniam impetraverit; potest quidem de ambobus illud usurpari, ob idem delictum damnari meruisse Petrum, propter quod Judas damnari meruerit : quoniam utriusque negatio damnabilis fuit. Sed, cum propter negationis illud crimen Judas minime damnatus fuerit, utpote quod per veniam extinctum sublatumque ponitur; nemo ita pronuntiaverit, propter eamdem negationis culpam meruisse damnari Petrum, ob quam Judas reipsa damnatus est. At, si meritum utrobique ad peccatum originale referatur, reprobi, ex Augustini sententia, ante ullam propriorum peccatorum præsensionem, *pœnali judicio* ac *damnatione* plectuntur.

Rursus in eadem epistola reproborum querelas refellens, qui causantur se gratiam, unde bene viverent, non accepisse, causam hujus rei in massæ damnationem propter unius peccatum refert: « Sed, si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ illis debita redditur; sibi hoc imputent, quia ex ea massa facti sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, merito

Deus justeque damnavit. » Ergo etiam adulti propter originale peccatum in damnationem incurrunt. Et paulo post : « An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa, utique merito, recteque damnata, facere aliud vas in honorem indebitum propter misericordiæ gratiam, aliud in contumeliam debitam propter iræ justitiam ; ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, sic ostendens, quid eis largiatur, cum in supplicium recipient vasa iræ, quod pariter omnibus debebatur? » Ex quo constat Augustinum Apostoli illum de massa locum ad eam referre massam, a qua nonnisi per prædestinationem eximuntur, et in qua nonnisi ex originali labe censentur.

IX. Mentiar, nisi hoc disertissima oratione idem asserat Augustinus epistola CVI, ubi ex eadem massa corrupta fieri vas aliud in honorem, aliud in contumeliam ait, non aliam ob causam, quam quod Deus gratis alterum liberare vult, alterum propter illam massæ corruptelam meritis pœnis addicere. Quod ipsum clarissime in parvulis apparere demonstrat ; quorum nulla in utramque partem merita proferri queunt. Ex his, inquam, universe de omnibus ita concludit : « Unde cum præbetur alteri misericordiæ gratia, non habet, quod de humano merito glorietur ; quoniam non ex operibus, ne forte quis extollatur. Cum vero alteri vindictæ redditur veritas, non habet, cur juste queratur ; id enim redditur, quod peccato jure debetur : quoniam unus, in quo omnes peccaverunt, utique in singulis quibusque punitur. In quorum pœna clarius ostenditur, quid vasis misericordiæ per non debitam, sed veram gratiam, hoc est, gratuitam, conferatur. » Ibi *pœnæ vindictæque* nomina, de æterna damnatione sermonem esse, declarant ; in quam proinde reprobos propter originale peccatum singulos incurrere docet, ut Adamus in illorum unoquoque puniatur. Subjicit exemplum Esau et Jacobi, in quibus idem accidere ait, quod superius de parvulis ante rationis usum ex hac luce subtractis ostenderat ; dum nullis utriusvis meritis, alter ad gloriam per sacramentum regenerationis assumitur, alter sacramenti hujus expers ad pœnam ac damnationem rapitur. Illos ergo fratres negat, ex prævisis meritis tam dispari conditioni attributos esse, ut *Jacob dilexisse* se Dominus, *Esau odio habuisse* testetur. « Nempe Doctor gentium, ait, in fide et veritate istos geminos nondum natos, nihil boni, aut mali egisse testatur, ut gratia commendetur ; ut quod dictum est, *Major serviet minori*, non ex operibus, sed ex vocante dictum intelligatur, ut secundum electionem Dei propositum maneret, non meritum hominis anteiret. Non enim dicit electionem voluntatis humanæ, sive naturæ, cum par esset in utroque mortis damnationisque conditio ; sed electionem procul dubio gratiæ, quæ non invenit eligendos, sed facit. »

X. Mox vero absurdum esse significat, merita, vel opera dici, a Deo judicari quorumcumque, etiamsi adhuc in materno utero constituti sint ; quoniam Apostolus de Esau et Jacobo loquens, opera summovet. Non esse vero propterea iniquitatem apud Deum, quod ille misereri se dicat[1], cujus misertus erit ; et misericordiam præstare, cui misericors fuerit, sic explicat : « Quid nos hic docuit, nisi ex illa massa primi hominis, cui merito mors debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur : atque ita non esse iniquitatem apud Deum, etc. Et hinc evidentius apparet, a pœna debita liberato, et gratis justificato quantum beneficii conferatur, quod alter æqualiter reus sine punientis iniquitate punitur. » Non est æqualiter reus electus, ac reprobus, si de propriis cujusque factis agitur ; maxime si reatus accipiatur ille, propter quem reipsa punitus est reprobus ; qui cum perseverantia in peccato conjungitur. Ergo æqualitas illa meritorum ac reatuum ex originali culpa petitur. Postea, ex illa massa perditionis vasa in contumeliam fieri non hominum voluntate, sed justo Dei judicio, propter primi parentis delictum, haud minus aperte significat, cum hæc Apostoli verba memorasset : *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* quibus ista subjicit : « Hæc massa si esset ita media, ut, quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio, quod ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ ; quod vero in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ

[1] *Exod.* XXXIII, 19.

absit, ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est. » Facit ergo vasa contumeliæ figulus ipse, non vasa ipsa se faciunt. Fiunt autem ex massæ depravatione, atque corruptela, quam non propria peccata singulorum alliciunt, sed vetus, et originale crimen adspersit; cujus quidem causa relinquuntur a Deo, et justo ipsius judicio ad debitum corruptelæ isti supplicium destinantur : quod est proprie facere vas in contumeliam, vel odio habere, quod dilectioni Augustinus opponit. Ut igitur massa, ex qua vasa contumeliæ finguntur, non a vasis ipsius corrumpitur, sed ab alio, antequam vasa ipsa fingantur, sic ex eadem massa non se illa sempiternam ad pœnam ac damnationem eximunt, quod est proprie contumeliæ vas facere; sed ab alio destinantur. Itaque nimis et ab Apostoli, et ab Augustini sententia discrepat, quod scribit Vasquez, « Esau vas contumeliæ a se esse factum. » Non enim vas contumeliæ fit aliquis peccato solo, ne originali quidem, nedum cujusque proprio; sed sola damnatione ac sempiternæ pœnæ destinatione, quam Deus velle potest, ejusque auctor esse : culpæ vero qualiscumque non potest. Atqui figulus ipse vasa non minus iræ, vel contumeliæ, quam honoris facere dicitur.

XI. Postremo, non ob propria peccata vel merita Esau damnatum esse illa damnatione, quam credidit Augustinus iis a Paulo verbis significari : *Esau autem odio habui :* vel istis, *Major serviet minori*, quæ ad reprobationem solet referre, in sequentibus ostendit : « Ubi ergo liberatur indignus, inquit, tanto debetur major actio gratiarum, quanto pœna justior debebatur; ubi autem damnatur dignus, nec misericordia, nec veritas damnatur. Quomodo, inquiunt, Esau non damnatur indignus, si non ex operibus, sed ex vocante dictum est : *Quia major serviet minori?* Sicut enim illius nulla præcesserant opera bona, ut ad gratiam pertineret; sic nec hujus mala, ut ad pœnam pertinere deberet. » Hanc sibi, imo Apostolo, quæstionem proponit Augustinus; quæ si Vasquezio cæterisque ita sentientibus opponeretur, in promptu haberent, quod responderent : idcirco sine ulla Dei iniquitate damnatum, ac pœnis affectum Esau, quod sua se iniquitate vas contumeliæ fecisset, ac dignum pœna reddidisset. Verum Augustinus fatetur, etiam citra propria sua peccata, ex solo Adami delicto Esau in damnationem æternasque pœnas incurrisse. « Nulla plane, inquit, in utroque opera vel bona, vel mala, sed propria : uterque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, ut omnes in illo morerentur. Quicumque enim ex illo uno multi in seipsis futuri erant, tunc in illo uno erant; proinde illud peccatum solius esset, si ex illo nullus exisset. Porro autem in quo erat natura communis, ab ejus vitio est nullus immunis; si ambo, qui nondum propria vel bona, vel mala operabantur, rei tamen ex origine nascebantur. »

Sic in libro XVI *de Civitate Dei*, capite xxxv, eumdem Pauli locum, et ab eo citata verba *Genes.* xxv : *Major serviet minori*, de Jacobi prædestinatione, et reprobatione Esau capiens, causam hujus ad peccatum originale retulit, exclusis propriis omnibus : « Quod Paulus, inquit, apostolus magnum vult intelligi gratiæ documentum; quia, nondum illis natis, nec aliquid agentibus boni, seu mali, sine ullis bonis meritis eligitur minor, majore reprobato, quoniam procul dubio, quantum attinet ad originale peccatum, ambo pares erant, quantum autem ad proprium, nullius eorum ullum erat. » Et in *Enchiridii* capite xcii : « Quicumque vero, ait, ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur, etc. »

XII. Item in libro *de Dono perseverantiæ*, capite octavo : « Non itaque simus, ait, ingrati, quod secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, tam multos liberat Deus de tam debita perditione, ut, si inde neminem liberaret, non esset injustus. » Unde autem orta conflataque sit ista perditio, sive massæ corruptela, declarat sic : « Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat. » Itaque debitum massæ, sive corruptio, cujus gratia omnes condemnationi erant obnoxii, et in quam non minus incidissent prædestinati, quam relicti, ac reprobi, nisi illos divina misericordia liberasset, originali peccato imputatur ab Augustino. « Et hinc intelligunt, ait alio in loco, vasa misericordiæ, cum gratuita illis misericordia præbeatur, quod iræ vasis, cum quibus est eis perditionis causa, et massa communis, ira debita et justa rependitur [1]. » Quare damnatis ac reprobis ira, id est æterna damnatio repen-

1 Lib. IV *cont. epist. Pelag.* c. vi.

ditur ob illud massæ debitum, propter quod et alii juste periissent, nisi eos divina misericordia subtraheret.

Cæterum *vasa* ipsa, quæ dicuntur *iræ*, non minus ab ipso Deo fieri, quam *vasa misericordiæ;* neutra vero a seipsis fieri, idem Augustinus in libro primo *contra Julianum Operis imperfecti*[1], evidenter asserit his verbis: « Cum dicuntur omnes ex uno in condemnationem, ipsa massa significatur, ex qua fiunt a figulo alia vasa in honorem, id est, quæ assumuntur in gratiam; alia in contumeliam, quæ ad luendum debitum relinquuntur: ut filii gratiæ id sibi donari sciant, quod si exigeretur, non esset injustum. » Quod adversus Julianum opponit, qui « Deum suum aiebat neminem in contumeliam formare. » Contra Augustinum igitur sentiunt, qui vasa iræ, vel contumeliæ a se ipsa fieri, non ab ipso figulo, id est Deo prædicant. Quos insuper in secundo libro *de Duabus epistolis ad Bonifacium*, capite septimo, Augustinus idem arguit his verbis: « Ubi autem dicitur, *Ergo, cui vult, miseretur, et quem vult, obdurat*[2], qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: bonum quidem immerito, et gratis datur, quia ex eadem massa est, cui datur: malum vero merito, et debitum redditur, quia in massa perditionis malum malo non male redditur; et ei, cui redditur, malum est, quia supplicium est: ei vero, a quo redditur, bonum est, quia recte factum ejus est. Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, alteri exigitur, quod pariter ab utroque debetur. »

CAPUT X.

Exponitur aliud argumentum Augustini, quo reprobationem, ut et prædestinationem ad gloriam, nullo ex propriorum intuitu meritorum fieri probat: quod a parvulis petitur. Hos, propter originale peccatum, non privari solum Dei conspectu, sed etiam cruciari cremarique, sensisse tum Augustinum, tum alios Patres. Explicatur ejusdem sententia, in qua dubitat, an melius esset parvulis sine baptismo mortuis, non natis esse. In Florentino concilio decretum esse, parvulos pœnas sentire.

I. Postremum argumentum ad indagandam Augustini sententiam, ex illis ejus dictis petetur, quæ ad prædestinationem pariter, ac reprobationem pertinent certi hominum generis, in quo evidentius esse signum credidit absoluti, et a meritis neutiquam pendentis de utraque decreti. Hi sunt parvuli ante rationis usum ex hac luce subtracti, qui sine ulla meritorum varietate, dissimilem tamen exitum, ac sortem æternitatis adepti sunt. Horum enim eamdem, ac majorum, et adultorum, esse causam asserit, quod ad divinum de eorum sempiterno statu decretum attinet. Cujus rei fidem facient loca de multis aliqua, in quibus apertior est argumenti illius expressio. Horum primus erit ex libro *de Dono perseverantiæ*, capite nono, ubi judicium decretumque Dei de horum salute, damnatione vero aliorum, sine ulla contemplatione fieri meritorum probat hoc modo. « Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, et ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. » Hic Augustini locus, quatenus ad grandiores spectat, jam a nobis expensus est, et ex eo demonstravimus electionem Dei, qua certos ex hominum numero destinavit ad gloriam, causam esse, cur eosdem efficaci gratia et vocatione convertat, et perseverantiam illis tribuat, qua non donantur alii. Quod nisi crederet Augustinus, frustra inscrutabilia Dei judicia nominaret, quorum esset investigatu causa facilis.

A parvulis aliud ejusdem sententiæ argumentum petitur.

II. Nam de electione ac prædestinatione non ad gratiam tantum, sed etiam ad gloriam loqui Augustinum capite illo sexto et septimo probavimus; quod, vel tacente me, perseverantiæ ad finem usque mentio facta satis ostendit; tum etiam parvulorum assumptio, ac derelictio, quæ utraque ad æternitatem refertur. Non enim de sola gratia, et vocatione ad baptismum, vel rejectione parvulorum intelligi potest Augustinus, cum adeo diversa de illis judicia Dei nullis ex eorum pendere meritis asserit, ut ex iisdem illis parvulis argumentum petat, tanquam ex nota confessaque re, quo idem et de adultis obtineat. Non, inquam, de sola vocatione ad baptismum, vel

1 Cap. CXXVI. — 2 *Rom.* IX.

a baptismo rejectione illic agitur, sed de salutis adeptione vel damnatione, sive de gratia ipsa, quatenus ex salutis largiendæ immobili proposito, tanquam ex causa, oritur, et ad eam certum ex æterna Dei ordinatione respectum continet : quod quidem clarius postea constabit. Nunc, eo constituto, vis ipsa ratiocinationis apparet; quæ tam adultorum, quam parvulorum salutem soli adscribit Dei voluntati gratuitæ, quam nulla utrobique merita provocarunt.

Ac, si quis diligentius totum illud nonum libri caput percurrat, animadvertet in eo, quod gratis, ac nulla meritorum contemplatione decerni Augustinus ait, gratiam nonnisi ex consequenti, gloriam vero præcipue comprehensam fuisse. Siquidem, ut perseverantiæ dandæ, vel negandæ consilium non ex meritis hominum, sed ex sola Dei voluntate manare demonstret, qua alios salvare vult, alios a salute rejicit; assumit illud, potuisse Deum reprobos, antequam peccarent, ex hac vita rapere. Quamobrem, cur istum rapuerit, ut non periret, alium non rapuerit, qui periit, nullam in utriusvis meritis causam constituit Augustinus. Hoc autem, quod est rapere ante lapsum, vel non rapere, cum æterna salute necessario nectitur. Ex quo et gratuita salutis largiendæ voluntas colligitur.

III. Deinde, ut de parvulis potissimum disputatio nostra procedat, de illorum æterna salute ac damnatione Augustinum loqui, sequentia capita persuadent; præsertim undecimum, ubi et hoc diserte, et illud quoque alterum declarat, eamdem in adultis, quam in parvulis ponit, causam ab se prædestinationis reprobationisque constitui. Sic enim de parvulis istis agens loquitur : « Itaque misericordiam ejus in his, qui liberantur, et veritatem in his, qui puniuntur, sine dubitatione credamus; neque inscrutabilia scrutari, neque investigabilia vestigare conemur. *Ex ore* quippe *infantium et lactentium suam perfecit laudem*[1]; ut, quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt, et in his, quorum damnationem utrisque communia originalia sola præcedunt; hoc et in majoribus fieri nequaquam omnino cunctemur, id est, non putantes, vel secundum sua merita gratiam cuiquam dari, vel nisi suis meritis quemquam puniri, sive pares qui liberantur, atque puniuntur, sive dispares habeant causas malas, etc. » Hic apparet, de electione ad salutem ac reprobatione maxime Augustinum agere, ut indicant vocabula ipsa liberandi, ac puniendi, quæ ad præsentem statum minime referuntur. Ergo et in adultis, et in parvulis salutis est unica causa decernendæ, misericordia et gratuita Dei voluntas; reprobationis autem, originale peccatum. Si enim in parvulis duntaxat sola ista causa locum haberet, in adultis vero baptizatis, ac reprobis, non ista, sed altera, hoc est propria cujusque delicta; falsum esset, quod Augustinus tanto ibi conatu adstruit, utrobique et salvandi, et reprobandi causam parem et eamdem esse : salvandi quidem, solam misericordem voluntatem, a corrupta massa, quos vult, segregantis : reprobandi vero, eamdem sed justam ac severam voluntatem cæteros in massa deserentis, et propter massæ meritum sempiterno destinantis exitio. Nam dispar in adultis, ac parvulis reprobandi causa jam existeret; in his quidem sola relinquendi in massa Dei voluntas; in illis vero non ista, sed propria cujusque sponte in peccato perseverans. Atqui non ita sensit Augustinus; sed reprobationis eamdem in adultis et parvulis rationem esse defendit, massæ corruptelam. Quod cum Semipelagianis displicere Hilarius quidam (cujus ut et Prosperi epistola præfixa legitur libris *de Prædestinatione sanctorum*, et *de Dono perseverantiæ*) ad Augustinum scripsisset, perstitit ipse nihilominus in sententia, et sic illos refellit : « Cur autem causam parvulorum ad exemplum majorum, sicut scribitis, non patiuntur afferri homines, qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum; et ex uno omnes isse in condemnationem[2] ? » Quamobrem constanter ibi, et in sequenti capite, in ea opinione persistit, ut eamdem esse prædestinationis ac reprobationis in grandioribus, et parvulis causam asserat. Atque insuper in duodecimo capite evidenter ostendit prædestinationem reprobationemque parvulorum, quarum similem in adultis modum esse contendit ad salutem, vel damnationem pertinere, dum Pelagianos ipsorummet confessione convincit. Etenim, quamvis parvulos sine baptismo morientes omni prorsus carere culpa, et innocentes esse dicerent, excludi tamen a regno cœlorum fatebantur, ob illam Christi sententiam, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum*[3].

1 *Psal.* VIII, 3. — 2 Lib. eod. *de Persev.* c. XI. — 3 *Joan.* VIII, 5.

Ex quo illos redarguit Augustinus, probatque reprobationem eorumdem sine ullis eorum meritis fieri : « Nulla quippe merita, etiam secundum ipsos Pelagianos, possunt in parvulis inveniri, cur alii eorum mittantur in regnum, alii vero alienentur a regno [1]. » Quod ipsum, uti dixi, valere vult in grandioribus. Itaque prædestinandi ac reprobandi causa est universe, non ullius propria merita, sed sola voluntas a massa, quos vult, eximentis, aut in massa destituentis Dei. Nam merita parvulos habere, propter quæ jure damnentur, mala, testatur paulo post; sed non propria, id est sua voluntate contracta, sed aliena, et cum aliis, qui liberantur, communia.

IV. Præclarum quoque, et uberrimum ejusdem Augustini testimonium exstat in libro secundo *ad Bonifacium Papam*, c. VII, in quo grandiorum prædestinationem ad salutem ac reprobationem, sine ullo respectu ad privata merita fieri, parvulorum exemplo sic probat, ut ne mutire quidem contra tam evidentem auctoritatem liceat. Etenim de grandioribus ita primum scribit : « Ubi autem dicitur, *Ergo, cui vult, miseretur, et, quem vult, obdurat* [2]; *qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* [3] : bonum quidem immerito, et gratis datur, quia ex eadem massa est, cui datur; malum vero merito et debitum redditur, quia in massa perditionis malum malo non male redditur; et ei cui redditur, malum est, quia supplicium est : ei vero, a quo redditur, bonum est, quia recte factum ejus est. » Vides, ibi causam reprobationis adultorum, non propria ipsorum, sed massæ merita nominari; ex qua vasa in contumeliam non a seipsis, sed ab ipso fiunt artifice. Ac præterea de prædestinatione agi non ad gratiam, sed ad salutem, tum contrariæ reprobationis, ac supplicii subjecta mentio declarat, quæ ad ultimam in finem vitæ compensationem respicit, tum quod de geminis infantibus mox addit exemplum, quod omnem dubitationem eximit. « Sed, ut id, quod dicimus, alicujus, inquit, exempli manifestatione clarescat, constituamus aliquos ab aliqua meretrice geminos editos, atque, ut ab aliis colligerentur, expositos, horum sine baptismo expiravit unus, alius baptizatus : quod hic factum, aut fortunam fuisse dicamus, quæ omnino nulla sunt? quam personarum acceptionem, quæ apud Deum nulla est, etiamsi in istis ulla esse potuisset, qui utique nihil habebant, unde alter alteri præferretur, meritaque nulla propria, sive bona, quibus meretur alius baptizari, sive mala, quibus alius sine baptismate mori? » Mox ita concludit : « Quid restat, quantum ad baptizatum attinet, nisi gratia Dei, quæ vasis factis in honorem gratis datur; quantum autem ad non baptizatum, ira Dei, quæ vasis in contumeliam pro ipsius massæ meritis redditur? » Gratiam Dei baptizato parvulo datam appellat, non tantum baptismum, et justificationem, sed etiam mortem in illo statu gratiæ repræsentatam, et, quæ mortem est consecuta, sempiternam salutem; sicut iram vocat reprobationem et damnationem ob massæ meritum alteri redditam.

V. Cæterum geminorum istorum, quos dissimilis adeo paulo post ortum conditio æternitatis excepit, eamdem esse rationem deinceps asserit, ac geminorum aliorum Jacobi, et Esau, de quibus Apostolus loquitur [4]. « Sed ut vobis, inquit, auferretur omnis vestræ caliginis latebra, propterea geminos tales proposui, qui neque parentum meritis juvarentur, et ambo infantiæ primordio unus baptizatus, alter sine baptismate morerentur; ne diceretis, Deum, sicut de Jacob, et Esau contra Apostolum dicitis, opera eorum futura præscisse, etc. » Ergo, ut horum geminorum, qui parvuli excesserunt, alter nonnisi gratis, ac sine ulla contemplatione meritorum suorum, ad salutem electus est, alter nonnisi ob massæ meritum est reprobatus, atque damnatus; ita et Jacobum, in eoque prædestinatos omnes sola Dei voluntate, et gratia liberatos a massæ damnatione; Esau vero, et cum eo reprobos cæteros ob solum massæ meritum destitutos, id est reprobatos esse, judicavit Augustinus.

Non minus in quarto libro *contra Julianum*, capite VIII, de grandiorum prædestinatione ac damnatione argumentum sumit a parvulis, quorum alii « intrant in regnum Dei » sine ullis suis meritis, alii, « longeque plures, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei. » Ex quibus constat Augustinum loqui de æterna salute, ac damnatione, non de præsenti tantummodo vocatione, ac gratia. Ac similiter, ut in superiore loco, eamdem rationem contendit esse grandiorum electionis ad salutem, aut rejectionis, quam parvulorum constituit; ut perinde in his, et illis falsum sit, quod opponebant Pelagiani, Deum omnes, et singulos salvos esse

1 Aug. lib. *de Dono persev.* c. XII. — 2 Aug. p. 461. A. I. — 3 *Rom.* IX. — 4 *Ibid.*

velle. Vide et libri *de Correptione et gratia*, caput septimum, ubi eodem et exemplo et argumento Pelagianos refellit.

Parvulos sine baptismo decedentes pœnis cruciari censet Augustinus

VI. Porro tantam in utrisque similitudinem divinorum judiciorum esse credidit Augustinus, ut infantes sine baptismo morientes non solum reprobari sentiat, id est a beato Dei conspectu rejici, sed etiam suppliciis pœnisque damnari; quas tamen mitissimas omnium eos putavit perpeti: ut hæc Augustini fuisse sententia videatur, damnari reprobos, ac torqueri propter originale peccatum, ac certum tormenti gradum, pœnæque sensuum, ut vocant, propter illud omnibus ex æquo constitutum; hujus vero gravitatem, aut levitatem supplicii ex propriis cujusque delictis oriri. Nam, ut de electis prima omnium, et simplex a nobis in Deo voluntas intelligitur, qua certos ex illa massa segregat, et per merita perducere statuit ad coronam, quod Dei propositum generale erga electos omnes, et æquale cogitamus; postea vero de singulis, qua quisque via, quibusque modis, et meritis ad salutem sit perducendus, definire ipsum, ac tum inæqualem omnibus destinare gratiam et gloriam; sic in reprobatione prima, et absoluta, post prævisum Adami peccatum, damnatio, et pœna statuitur ab Augustino, uti mox, uniuscujusque vita, factisque perpensis, quanto quisque supplicio dignus sit futurus observet, ac pœnæ modum describat. Parvulos igitur, ac solius originalis, si qui sunt alii, culpæ reos omnes, non solum carere Dei conspectu, quam pœnam damni vocant, sed etiam cruciari torquerique demonstrat Augustinus aliquot in locis; tametsi alibi dubiam rem faciat.

VII. Primus ac præcipuus est locus in sermone XIV, *de Verbis Apostoli;* ubi contra Pelagianos disputat, qui dicebant parvulos sine baptismo vita functos non ingredi cœlorum regnum, habere tamen vitam, ac salutem æternam, « qui nullum peccatum habent, et ad damnationem pertinere non possunt. » Horum igitur novum inauditumque commentum multis argumentis refellit. Imprimis vero ex judicii novissimi formula. « Venturus est, inquit, Dominus, et judicaturus de vivis, et mortuis, sicut Evangelium loquitur: duas partes facturus est, dexteram, et sinistram [1]. Sinistris dicturus: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Dextris dicturus: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* [2]. Hanc regnum nominat; hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. » Et mox: *Percipite*, inquit, *regnum*. « Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in dextra? Ite in ignem æternum. In dextra ad regnum utique æternum; in sinistra in ignem æternum. Qui non in dextra, procul dubio in sinistra. Ergo qui non in regno, procul dubio in ignem æternum. » Quid est autem ire in ignem æternum, nisi ardere? Docet hoc non semel Augustinus; qui idcirco nonnullos reprehendit asserentes, ignem inferni æternum quidem esse ipsum; sed non arsuros in eo in æternum damnatos. Contra quos in libro *de Fide et operibus*, capite XV, sic disserit: « Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam, etc., cum et hoc prævidens Dominus, sententiam suam conclusit ita dicens: *Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio, sicut ignis.* » Locus est *Matthæi* XXV, ubi sic hodie scriptum: *Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam* [a]. » Apparet, pro κόλασιν nonnullos legisse καῦσιν, quæ est *combustio*.

VIII. Utut vero scriptum sit, non dubium est, quin omnes, quos ad sinistrum positos sententia illa percellet, arsuros esse crediderit Augustinus, etiam parvulos; quoniam omnes in æternam combustionem ibunt; nec aliud est ignis æternus, quam æterna combustio: quam non alii, sed illi ipsi tolerabunt, qui ad sinistram positi illa sententia damnabuntur. Hoc enim Augustinus capite illo tertio sermonis XIV, *de Verbis Apostoli,* concludit ita: « Extrema autem sententia ut doceret, quid sit regnum, et quid sit ignis æternus, Tunc, inquit, abibunt isti in ambustionem æternam; justi autem in vitam æternam. » Etenim, uti quicumque ibunt in regnum æternum, non ideo tantum illuc ibunt, ut ibi sint, sed ut ea percipiant, quæ ibi commoda sunt; sic illi, qui in æternum ignem ibunt, non solum ibunt, ut ibi habitent, sed ut pœnam ignis tolerent. Itaque capite quarto sermonis ejusdem XIV ait, eo ipso, quod Scriptura dicit,

[a] MATTH. XXV, 45. Καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον· οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.

[1] Aug. Ser. XIV, *de Verbis Apost.* c. III. — [2] *Matth.* XXV, 34 et 41.

aliquos in regno cœlorum non futuros, significare, in pœna ignis fore. Sic enim Paulus, cum fornicatores, idolis servientes, adulteros, et cæteros ejusmodi regnum Dei non possessuros esse scribit [1], « non eos terruit, quo erunt in igne sempiterno ; sed tantum terruit, quia in regno non erunt : ut, cum viderint, se perdere spem regni, non viderent, esse consequens, nisi pœnam ignis æterni. » Hæc, et id genus alia multa Augustinus in homilia ista; quibus eamdem causam vult esse damnatorum omnium, tam qui propter originale solum, quam qui etiam propter propria peccata mulctantur, ut utrosque ignis æternus excipiat; non utique ut in eo nihil, nisi collocentur alii, alii vero concrementur, sed ut ambo pœnam ignis sentiant, quam pœnam *combustionem* esse testatur. Quod si in illa sententia judicis, *Ite in ignem æternum*, quam parvulis adultisque communem esse reprobis censet Augustinus, quod ad parvulos spectat, id solum contineri vis, ut in igne sint, et non ardeant ; primum ab Augustino dissentis, qui hoc ipsum, esse in igne combustionem, ac pœnam ignis interpretatur ; deinde calumniandæ Scripturæ, ac novæ hæresis occasionem subministras, ut a damnatis omnibus ignis, et combustionis pœna propulsetur. Cur enim non idem universe de damnatis omnibus asseratur, quod de uno eorum genere tibi licere putas, cum ambos eadem, et simplex sententia, Augustino auctore, comprehendat?

IX. Præterea idem Augustinus tractatu in *Joannem*, de originali peccato, in quo omnes nascuntur, agens, « *Fuimus*, inquit, et nos aliquando *natura filii iræ*, *sicut et cæteri* [2]. Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. » Quid autem aliud est æterna pœna ignis, et gehenna, nisi perfecta integraque damnatio ? Et in epistola XXVIII : « Sed, cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis mihi crede coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio. Non solum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio ; quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine christianæ gratiæ sacramento, » etc. Et in libro primo *de Nuptiis et concupiscentia ad Valerium*, capite XXXVI, in parvulo nondum baptizato esse ait « reatum, qui eum teneat æterni supplicii debitorem. » Ac sæpissime parvulos non in damnatione tantum, sed etiam in pœna fore prædicat : ob idipsum, quod non crediderunt. Teneri enim illos ista sententia putat : *Qui non crediderit, condemnabitur* [3] ; quatenus per ora gestantium credere debuerunt. « Velitis, nolitis, inquit, parvulos credere confitemini in Christum per corda, et ora gestantium. Ergo et ad illos pertinet Dominica illa sententia [4]: *Qui non crediderit*, *condemnabitur*. » Quod etiam asserit in calce epist. CV, et alibi non semel. Imo vero teneri quoque præcepto illo sumendi corporis et sanguinis Dominici parvulos, idem sæpenumero docuit, ut in libro primo *de Peccatorum meritis et remissione*, capit. XX, atque ita, propter illam Christi sententiam, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*, *non habebitis vitam in vobis* [5], vita æterna carere : uti regno cœlorum, propter alteram de baptismo sententiam. Vide et lib. *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. XIII, et secundu m*contra Julianum Operis imperfecti*. Quare, si inter vitam æternam, sive cœleste regnum, et gehennam ac pœnam æternam, id est combustionem, nullus medius est status perennis quidem, et *status* appellatione dignus, qui in priore parvulos esse non patitur, necesse est, eos in posteriore constituat.

X. Atque idem sane parvulos Augustinus ita in pœna fore existimat, ut ea sit omnium mitissima : « Mitissima, inquit, omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt ; et in cæteris qui addiderunt, tanto quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem , quanto hic minorem habuerit iniquitatem [6]. » Et libro primo *de Peccatorum meritis*, *et remissione*, capite XVI : « Potest proinde recte dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit, et fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros. » Item libro V *contra Julianum*, capite XI : « Si enim, inquit, quod Sodomitis ait, et utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur, quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? » Subjicit tamen de pœnæ modo : « Quæ, qualis, et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret. » Et antea scripserat : « Ego autem non dico, parvulos sine Christi baptismate morientes tanta

1 I *Cor.* VI — 2 *Eph.* II, 3. — 3 *Marc.* XVI, 16. — 4 Aug. VI *con. Jul.* c. III. — 5 *Joan.* VI. — 6 *Enchir.* c. XCIII.

pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret, cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis, et impiissimis dixerit. » Quibus ex verbis nonnulli, contrariam de parvulis opinionem secutum esse Augustinum suspicantur, eo quod, si iisdem, quibus damnati cæteri, pœnis crucientur, nihil causæ sit, cur non eis expediret non esse natis. Atqui primaria, et præcipua damnatio, non est in pœna sita, cruciatuque flammarum, ut hoc ipsum satis esse potuerit, quod felici Dei conspectu careant, ut melius iis fuisse dici queat, non nasci, si supplicii solius ratio ducatur. Sed Augustinus non ad pœnam ipsam respexisse videtur, verum ad causam pœnæ crimenque, quod ipsum quovis inferno gravius ac detestabilius est malum. Ut, quamvis nulla peccatis constituta esset a Deo pœna, dici hoc tamen possit, melius esse non nasci, quam in Deum peccare, maxime si quis in suo peccato moriatur. Quod etsi universe de peccatis omnibus lethalibus usurpare liceat, si præcise, ac severe loqui velimus; sunt tamen in iis atrociora quædam, maximeque capitalia, de quibus solis id proprie dicitur. Nam sunt alia peccata, quibus *ignovisse velimus* [1] : quibus ex humano sensu, et quadam æquitate facilius venia tribuitur. Hoc autem multo magis de eo peccati genere dici convenit, quod aliena contractum voluntate, et ab origine insitum est. Itaque non putavit Augustinus, quod de homine scelestissimo, et peccato omnium gravissimo dixerat Christus, id ad levissimum inter lethifera omnia transferri, veniaque dignissimum.

XI. Hunc, aut hujusmodi aliquem Augustiniani dicti illius esse sensum, ex ipsis ejus verbis haud obscure constat. Siquidem illam Christi sententiam non de quibuslibet peccatoribus, sed « de scelestissimis, et impiissimis usurpari » asserit. Atqui non omnes peccatores, qui quidem lethifera culpa tenentur, scelestissimi et impiissimi sunt. Itaque nec omnes lethalis culpæ conscii, et in ea decedentes, qui propterea perfecta damnatione plectuntur, ad illam Christi sententiam pertinere putantur ab Augustino.

Qui etiam in tractatu in *Psalm.* quinquagesimum, ad illa verba : *Et impii ad te convertentur*, adnotat, non omne peccatum impietatem esse, ne ipsum quidem, quamvis grave, Davidis. Quippe « illa proprie impietas dicitur, apostatare a Deo, unum Deum non colere; aut nunquam coluisse, aut, quem colebat, dimisisse. » De hoc ergo genere peccatorum dici illud a Christo credit Augustinus, *Melius iis fuisse, non nasci*, non de minorum criminum reis, nedum de parvulis. Et tamen tam isti pœnas inferni ignemque patientur, quam peccatores adulti, qui non inter scelestissimos, et impiissimos numerantur. Sic in libro *de Dono perseverantiæ*, capite IX, ex eo, quod Christus ait : *Tyro, et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis* [2], concludit idem Augustinus, « Severius ergo punientur illi, illi remissius, sed tamen punientur. » Quod idem et de infantibus existimavit.

XII. Fulgentius quoque in libro *de Fide ad Petrum*, capite tertio, « Qualitas malæ vitæ, inquit, ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium sumit. In quo quisquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitam, quam ab ejus obligatione solvatur, si unius diei, vel unius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est, eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ sustinere supplicia, ubi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est, qui et primus peccavit, et peccatum primis hominibus persuasit. » Et c. XXVII, non modo ita sentit; sed etiam tanquam fidei dogma credendum proponit iis verbis, quæ a Gratiano sub Augustini nomine citantur [3] : « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur, sive, cum de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos; quia, etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, et nativitate traxerunt. » Hoc fidei capitulum inter ea numerat Fulgentius, quibus qui contradixerit, *hæreticus, et christianæ fidei inimicus* haberi debet. Tum in libro primo *de Veritate prædestinationis*, capite duodecimo, parvulum sine baptismo decedentem non raptum esse dicit, « ut minus torqueretur, sed raptum esse, ne liberaretur. » Et paulo post : « Si vero parentum consideretur voluntas, illi, qui christiani sunt, ut eorum filius baptizaretur, sollicite voluerunt, instantissime curaverunt; quorum tamen filius, antequam baptizaretur, morte præventus æternis est ignibus deputatus. »

Citantur alii Patres pro eadem sententia.

1 Hor. in *Art. poet.* — 2 *Luc.* X. — 3 *De cons.* dis. III. *can. Firmissime.*

Gregorius item Papa libro nono *Moralium*, capite XII, de iisdem parvulis loquens, « Quos, quia a culpa originis, inquit, sacramenta salutis non liberant, et hic ex propria nihil egerunt, et illuc ad tormenta perveniunt, etc. Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. » Sic Alcimus Avitus in carmine *ad Fuscinam sororem*[1]:

« Omnibus id vero gravius, si forte lavacri
Divini expertem tenerum mors invida natum
Præcipitat, dura generatum sorte gehennæ.
Qui mox, ut matris cessarit filius esse,
Perditionis erit; tristes tunc edita nolunt
Quæ flammis tantum genuerunt pignora ma-
[tres. »

Item concilium Florentinum.

Denique, si quis Florentinæ synodi decretum accurate consideret, hujus eumdem sensum esse perspiciet. Cum enim de hominum diverso post hanc vitam exitu catholicum dogma conderet, « Illorum, inquit, animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. » Iisdem inferni pœnis puniendas esse dicit eorum, qui cum solo originali peccato moriuntur, animas, quibus cæterorum, *qui in actuali mortali decedunt*. Horum autem pœnæ sunt combustio ignis, ut Augustinus supra citatus a nobis observat. Ut igitur quamvis eorum, qui in lethali culpa pereunt, dissimile sit in eadem concrematione supplicium; una est tamen cruciantium pœna flammarum. Ita parvuli inæquali quidem flammarum cruciatu torquentur, sed torquentur tamen. Nam disparitas pœnarum, earum naturam et qualitatem non tollit. Quemadmodum, etsi beati « pro meritorum diversitate alii aliis perfectius » vident Deum, omnes tamen vident; quod ibidem synodus illa definit. « Quibus exploratis, et confessis, ut cum Chrysostomo loquar, quid a me deinceps rationem exigis mensuræ peccati? Nam, cum extra fores maneat, cum a regno excidat, cum salute destitutus sit, cum ad sempiternam pœnam mittatur, quid tu mihi peccatorum mensuras, et trutinas, ac stateras objicis[a]? »

CAPUT XI.

Ex superioris capitis doctrina refutatur quorumdam error, qui parvulis sine baptismo nescio quam felicitatem promittit. Pelagianos itidem docuisse de naturali quodam statu beatitudinis: Gersonis, Bielis, Cajetani, et aliorum commentum de illorum salute refellitur. Nec non Calvini, et similium asserentium illos in utero sanctificari.

Status felicitatis pro parvulis non baptizatis rejicitur.

I. Ex superioris disputatione capitis prudens lector constituet quid de theologorum aliquot opinione judicare debeat. Quorum nonnulli parvulis sine baptismo morientibus nescio quem vitæ beatæ statum pollicentur, tum loco tum genere ipso vivendi medium et interjectum inter cœlites, atque damnatos. Cujus commenti propugnator fuit Ambrosius Catharinus; auctor vero Pelagius hæreticus. Qui, cum parvulos sine baptismi sacramento ex hac luce migrantes non putaret in cœleste regnum recipi, illa Christi sententia deterritus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei*[2], sic illos excludi passus est ab regno cœlorum, ut tamen æternam iis vitam, ac salutem relinqueret: « Non baptizatis parvulis nemo, inquit Augustinus, promittat inter damnationem, regnumque cœlorum quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promittit; quia nec damnationem metuit parvulis, quos nullum putat habere originale peccatum, nec sperat eis regnum cœlorum, si non perveniunt ad baptismatis sacramentum. » Quem errorem sexcentis in locis refert, et confutat Augustinus.

II. Neque vero anxie quæri hic necesse est, cujusmodi æterna illa vita fuerit, quam parvulis sine baptismo morientibus hæresis Pelagiana promisit: utrum status quidam naturæ non debitus, quem *supernaturalem* vocant, fuerit; an naturæ modum non excesserit. Uti tamen paucis obiterque quid sentiam explicem, puto equidem, nonnisi naturalem felici-

[a] CHRYS. Hom. LXXXIV. Τούτου δὲ ὁμολογουμένου, τί λοιπὸν ἐμὲ εὐθύνας ἀπαιτεῖς τοῦ μέτρου τῆς ἁμαρτίας; ὅταν γὰρ ἔξω μείνῃ τῶν θυρῶν· ὅταν ἐκπέσῃ τῆς βασιλείας· ὅταν ἔρημος γένηται τῆς σωτηρίας· ὅταν εἰς τὴν κόλασιν αἰώνιον παραπεμφθῇ· τί μοι μέτρα ἁμαρτημάτων, καὶ ζυγὰ, καὶ σταθμία προτείνεις;

1 Vers. 214 et seqq. — 2 *Joan.* III, 5.

tatem intellexisse Pelagium. Quod hac ratione mihi persuadeo. Distinguebat enim duo ille genera vitæ, ac status duos; unum, quem sine gratia homo consequebatur, alterum qui gratia constabat. Prioris generis est innocentia, et ἀναμαρτησία, id est *peccati expers animus;* cujus sibi quisque conditionis est faber, si liberi arbitrii naturæque viribus recte velit uti. Posterioris est adoptio, et filiorum dignitas, ad quam cœlestis hæreditas regni pertinet. Quamobrem quidquid a gratia Christi proficiscitur, id in posteriore isto genere censebat Pelagius : in priori vero id omne collocabat, quod naturæ velut annexum et consectarium est. Cum igitur quidquid illud ornamenti est, quod *supernaturale* dicitur, in beneficii et gratuiti doni numero sit habendum, nonnisi ex Christi meritis obvenit, et sola ex adoptione ac filiorum conditione oritur. Ita parvulis ab adoptione et hæreditate rejectis minime congruit. Quo illud etiam pertinet, quod Pelagianis in ore fuisse scribit Prosper. « Habet gratia, quod adoptet, non habet unda, quod diluat[1]. » Quibus verbis significabant hunc tantummodo Christi gratiæ esse fructum et baptismi, ut filiorum dignitatem et adoptionem tribuat; non ut peccata, quæ in infantibus sunt nulla, dimittat. Ita quisquis gratiæ est expers, caret etiam adoptione iisque commodis, quæ ab eo fonte derivantur.

III. Quæ autem adversus hanc sententiam a nonnullis argumenta proferuntur ex Augustino, ea sunt levissima. Moveri se hoc potissimum dicunt, quod Augustinus, quoties Pelagianum istud dogma refellit, et parvulos sine Christi gratia et baptismo nullam æternam vitam ac salutem assequi probat, inter damnationem ac cœleste regnum medio veluti loco positam, talia Scripturæ loca commemorat, in quibus vitæ genus illud æternæ agitur, quod naturæ captum superat. Verum quis non hoc argumentum irrideat? Etenim, cum hæretici isti vitam æternam, ac salutem nescio quam novam et inauditam comminiscerentur, non potuit alio modo erroris illos convincere, quam ut ostenderet, nullum medio illi statui locum in Scripturis attributum esse. Quæ quidem duos non amplius ordines in divino judicio constituunt; unum eorum, qui in æternis ignibus futuri sunt, alterum eorum, qui ad dexteram stantes vitam æternam cum regno cœlorum percipient. Nulli autem erunt medii, qui neque in regnum cœlorum admissi, nec in inferos relegati, vitam tamen, ac salutem adipiscentur. Apparet, nihil ex hac argumentatione colligi posse ex quo concludatur, Pelagianos *supernaturalem* parvulis statum assignasse.

IV. Huic Pelagianorum errori videtur affinis auctor fuisse *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos*. Qui, cum hanc quæstionem proposuisset, quod discrimen futurum sit in resurrectione inter parvulos baptismo initiatos et eos, qui sine baptismo mortui sunt, sic respondet : « Hoc discrimen est inter baptizatos et non baptizatos parvulos, quod baptizati bona illa, quæ per baptismum tribuuntur, obtinent, baptismo vero carentes non obtinent[a]. »

At Joannes Gerson probabile putat, infantes etiam sine baptismo decedentes, salutem æternam regnumque cœleste consequi[2]. Cum enim dixisset, « Deum misericordiam salvationis suæ non ita legibus communibus ac sacramentis alligasse, quin absque præjudicio legis ejusdem possit pueros nondum natos, extra uterum sanctificare gratiæ suæ baptismo, vel virtute Spiritus sancti, » mox hortatur prægnantes, « ut diligenter orent Deum, et angelos, ac sanctos, et sanctas, quatenus infans nondum natus, si forte moriturus est, priusquam ad baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipsum Dominus Jesus summus pontifex baptismo Spiritus sancti præveniendo misericorditer consecrare. Quis enim scit, si forte exaudiat Deus? Imo quis non devotius sperare valeat, quod orationem humilium, et in se sperantium nequaquam despiciat? » Quam opinionem amplexus videtur Gabriel Biel, tum auctoritate Gersonis[3], tum hoc argumento insuper adductus, quod divinæ misericordiæ consentaneum sit, remedio aliquo consulere nulla propria culpa perituris infantibus.

V. Ac multum quidem ambo isti, et si qui alii suffragatores sunt ejusdem commenti, ab Pelagiana distant hæresi. Nam parvulis, nonnisi per Christi gratiam, illam ipsam qualemcumque beatitatem destinant. Sed nihilominus temere mihi ac periculose divinare videntur,

a JUST. q. LVI *ad Orth.* Αὕτη ἐστὶν ἡ διαφορὰ τῶν βαπτισθέντων πρὸς τὰ μὴ βαπτισθέντα, τοῦ τυχεῖν μὲν τὰ βαπτισθέντα τῶν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀγαθῶν, τὰ δὲ μὴ βαπτισθέντα, μὴ τυχεῖν.

1 Lib. II *de Voc. gent.* c. VIII. — 2 Serm. *de Nat. Mar. Virg.* consid. 2, col. 133. — 3 In IV, dist. IV, q. II.

et adversus ratam, ac tot synodorum decretis constitutam auctoritatem Ecclesiæ vaticinari, ut de Augustino cæterisque Patribus sileam. Quorum omnium conspirant in eo sententiæ, parvulis, extra Baptismi sacramentum, aut certe martyrium, nullam esse spem consequendæ salutis. Exstant enim hac de re canones multi; velut Africanæ plenariæ synodi secundus, qui Milevitanæ vulgo tribuitur; tum Carthaginiensis, Milevitanæ ipsius, quarum synodicæ epistolæ apud Augustinum exstant [1]; tum Siricius Papa epistola prima capite secundo, « parvulos sine baptismo morientes et regnum perdere ait, et vitam.» Idque Augustinus ipsum non ejusmodi esse definit, ut de eo disputare in utramque partem liceat, « sed ad ipsa fidei pertinere fundamenta [2]. » Et in calce libri *contra Priscillianistas, et Origenistas ad Orosium*, « robustissimam ac fundatissimam appellat fidem, qua Christi Ecclesia nec parvulos homines recentissime natos a damnatione credit, nisi per gratiam nominis Christi, quam in suis sacramentis commendavit, posse liberari. »

« Nec quemquam in vitam æternam, nisi [fonte renatum,
Venturum, infantesque reos hoc munere [solvi,
Quos prima ad mortem generaliter edit [origo, »

ait Prosper carmine *de Ingratis*. Gabrielem vero et Catharinum, necnon Cajetanum admonere potuit Florentini concilii sanctio, non esse de parvulorum sine baptismo decedentium æterna damnatione dubitandum, nihilo certe magis, quam de grandiorum cum lethali peccato morientium. Nam ambos decreto suo synodus illa complectitur.

Photius in codice LIII meminit concilii Carthaginiensis generalis Honorio imperatore celebrati in Basilica Fausti [a]; in quo contra Pelagianos inter alia decretum est anathema, qui medium quemdam locum inter pœnas et paradisum constituebant : quem in locum parvuli sine baptismo mortui transferrentur, ut ibi beate degerent. Hæc est synodus Carthaginiensis anno CCCCXVIII, ex tota Africa celebrata, in qua Pelagiana hæresis penitus damnata est; cujus canones vulgo Milevitanæ inscribuntur synodo. Neque tamen inter illos iste reperitur de tertio loco, quem Photius recenset.

VI. De iisdem parvulis per baptismi sacramentum expiandis, et alioqui perituris memorabilis est Augustini locus in epist. LVII *ad Dardanum*, in qua parvulos ante baptismum nequaquam in utero sanctificari docet, nec sine baptismo salvari, hoc est non renasci antequam nati sint. Nasci porro, nonnisi cum de utero matris egrediuntur; unde nec renasci, nisi cum indidem effusi sunt. Sed nec in veteri lege quemquam renatum, aut sanctificatum sine sacramento aliquo regenerationis, sive circumcisio fuerit, sive aliud quodpiam occultum. Ideo neque Jeremiam, neque Joannem Baptistam in matrum utero sanctificatos, id est justificatos esse, videtur asserere. Ut enim aliquo sanctificationis modo donati fuerint; « Tamen illa, inquit, sanctificatio, qua efficimur et singuli templa Dei, et in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum; quod nisi nati homines esse non possunt. Nullus autem vitam, in qua natus est, bene finiet, nisi renatus, antequam finiat [3]. » Quare ne ipsum quidem Joannem ita sanctificatum in utero credidit, ut vitam, si tunc moreretur, bene finiturus esset. Nam de Jeremia posse ait interpretari, prædestinatione eum esse sanctificatum.

In quo sane, quod ad Joannem præcipue Baptistam attinet; nimium rigidus videtur; et huic communis fidelium contraria est opinio. Ex hac tamen illius sententia licet animadvertere, quantum abhorreret ab nupera illa hæreticorum, præsertim Calvini, ac similium insania, qui parvulos asserunt in matrum sanctificari utero. Quam inscitam ineptamque fabulam ex pluribus inter se pugnantibus, absurdisque portentis hæresiarcha contexuit, quæ hic paucis obiterque libabimus.

VII. Imprimis, cum laicos in mortis periculo baptizare parvulos non probat, vetat omnino mulieres; contra id, quod opponitur, « periculum esse, ne is, qui ægrotat, si absque baptismo decesserit, regenerationis gratia privetur, » occurrit, non id esse metuendum; « infantes enim nostros, antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat

a PHOT. Τοὺς λέγοντας μέσον τόπον κολάσεως, καὶ παραδείσου εἰς ὃν καὶ τὰ ἀβάπτιστα βρέφη μετατιθέμενα ζῆν μακαρίως· καὶ τούτους οὖν ἀναθεματίζει.

1 Aug. ep. XCI et XCII. — 2 Lib. I *contra Jul.* c. VI. — 3 August. Ep. LVII, p. 108.

Deus, cum se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos. » Tum ita : « Quantum damni, inquit, invexerit dogma illud male expositum, baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt. » Quare absolute definit, « Non arceri a regno cœlorum infantes, quos e præsenti vita migrare continget, antequam aqua mergi datum fuerit [1]. » Tum capite XVI, ex eodem fœdere cum Abrahamo inito argumentatur [2], non minus hodie christianorum filios sanctos esse, quam olim Judæorum, etiam « altero duntaxat fideli parente genitos. » Quod Molinæus in *Scuto fidei* [3] præcise absoluteque docet, ac multis e Scriptura petitis testimoniis probat hoc idem, quod olim Pelagiani contendebant, « Filium non portare iniquitatem parentis [4]. » Parvulorum itidem esse regnum cœlorum, adeoque sanctos omnes ex utero prodire fidelium liberos. Qua ex generali, et absoluta definitione, qualem ambo isti concipiunt, sequitur Judæos omnes, qui Dominum crucifixerunt, ac Judam ipsum traditorem, et sanctos, et salvos omnino fuisse, utpote sanctificatos in utero. Nam ab Abrahamo, Isaaco, et Jacobo omnes oriundi sunt viris sanctissimis; quorum proinde filii et ipsi sancti ex utero, et horum deinceps posteri ad illos usque cum eadem sanctitate nati sunt. Ea porro, ubi semel animos occupavit, nunquam amittitur, et adjunctam habet perseverantiam, ac certam salutis possessionem.

VIII. Atenim idem Calvinus alibi, non omnes sanctificari fidelium liberos ait, sed quos vult Deus eligere. Item, « electos nec statim ab utero, nec eodem omnes tempore, sed prout visum est Deo, suam illis gratiam dispensare, in ovile Christi per vocationem aggregari [5]. » In quo mirificam decretorum inconstantiam vides. Nam, si non statim ab utero sancti sunt, falsum est, quod paulo ante ex eo commemoravimus, fidelium liberos semen esse sanctum etiam ante baptismum, cum filii sint iræ, et exosi Deo. Falso etiam Theodorus Beza in *Confessione fidei*, cap. IV, fidelibus natos parentibus « ab ipso utero sanctificari, et ab infidelium liberis discerni » asserit. Sed de hoc immani errore ac reliquis eodem spectantibus agemus, cum de sacramentis ac baptismo disputabimus.

CAPUT XII.

Exponitur accuratius Augustini sententia de prædestinatione; ex qua docetur æternam gloriam non præcise, sed ut merces est bonorum operum, a Deo destinari; tum eidem prædestinationi gratiam perinde subjici, atque gloriam. De duplici electionis genere ex Augustino.

I. Adversus illa, quæ de Augustini sententia capite V copiose disputata sunt, multa cum a Vasquezio, et Lessio, tum a cæteris objici solent, qui Augustini mentem aliter, nec vere, ut apparet, interpretati sunt; quæ, quia singillatim excussa, longiorem, ac repetitam sæpius, ut ad singula comparetur, Augustinianæ doctrinæ declarationem exigunt, visum est hic universe capita quædam exponere, quæ ad illius notitiam, et eorum, quæ ab adversariis opponuntur, explicationem, usum deinceps habebunt.

Quomodo plerique theologi prædestinationem absolutam intelligant.

Plerique theologi, qui cum Augustino prædestinari a Deo volunt electos ad gloriam, sine operum præsensione, solo ex proposito, et voluntatis arbitrio; cum animadverterent, eamdem illam gloriam mercedem esse bonorum operum, ac tanquam præmium, et coronam dari justorum meritis, ut his locum aliquem in electorum administranda salute concederent, ita rem componere sunt aggressi, Deum ab æterno dixerunt, ex infinita futurorum hominum multitudine certos elegisse, quos absolute, ac sine ulla contemplatione meritorum, fore salvos decerneret, reliquis neque ad salutem, neque ad perditionem proprie destinatis, sed in medio relictis; quam *reprobationem negativam* mos est vocare. Postea vero deliberasse Deum, quibus modis priores illos, quos ad salutem delegerat, ad destinatam sibi gloriam perduceret; ac tum ex innumerabili varietate rationum, et copia eam cæteris antetulisse, uti per honestos labores operumque conatus ad illam contenderent, quorum suum unicuique ordinem seriemque descripserit. Hanc proprie esse prædestinationem, ut ex Augustino superius exposuimus. Ita fieri, ut et absoluta feratur in illorum salutem voluntas Dei, et nihilominus propter merita, velut merces, eadem salus illa tribuatur. Reliquis porro, quos pro indif-

1 Calv. lib. IV *Instit.* c. XV, § 10. — 2 *Gen.* XVII, 12. — 3 Par. II, sect. 20. — 4 *Ezech.* XVIII, 20. — 5 Lib. III, cap. XXI, § 6 et 7.

ferentibus hactenus reliquerat, ita prospexisse, uti sufficientia omnibus adjumenta gratiæ largiri vellet, sed quæ ipsorum vitio irrita, et inania fore cerneret; ut id verum sit, quod *ad Timotheum* scribens ait Apostolus, *velle Deum omnes homines salvos fieri*[1]. Tum igitur eorum culpas ac peccata prævidentem Deum interdicto suo, et sententia damnasse, hoc est reprobasse, ac pœnis addixisse, pro uniuscujusque merito; atque hanc *positivam reprobationem* vulgo nominant. Rursus istam Dei ordinationem aliqui ante originalis præsensionem culpæ factam esse definiunt; alii post prævisum Adami peccatum, postquam communis generis humani velut massa vitio primi sui parentis infecta est. Quod posterius longe et probabilius est, et ad Augustini sententiam unice pertinet; qui de priore illo statu prædestinatorum, qualis nunquam fuit, sed esse potuit, et sic, quasi fuisset, a nonnullis fingitur, nihil omnino tradidit. Hoc vero constituto, paulo nos aliter hanc totam actionem instruimus.

II. Deum itaque putandum est, selectis illis, et eximiis, quos ex infecta primi parentis scelere massa liberavit, æternam salutem haud absolute destinasse, sed modo quodam ac via comparandam. Non enim gratis, ac tanquam liberale aliquod munus, hanc illis decrevit dare, sed ita, uti bravium ac merces bonorum esset operum iis, quibus per ætatem sic assequi liceret. Nam de parvulis, quos ante rationis usum « abstulit atra dies, et funere mersit acerbo, » aliter existimandum est; et eorum absolutus fuisse delectus videtur. Sed, ut de grandioribus loquamur modo, duo ex Augustini opinione definienda sunt.

Primum id, quod electioni divinæ, sive prædestinationi subjicitur, hoc est, in quod intenta fuit, et quod objecit sibi voluntas illa Dei certos ad vitam eximentis, non fuisse salutem illorum simpliciter et gloriam, sed quadam ratione modificatam; uti nimirum, tanquam merces, corona virtutis illorum esset, ac perseverantiæ. Quocirca non habet hic locum quorumdam theologorum nimis enucleata et subtilis inquisitio, priusne natura, et cogitatione nostra Deus electorum gloriam, quam eorum merita, sive, ut vocant, *media* sibi proposuerit. Ac plerique prius ad illam respexisse fatentur. Id enim finis naturam exigere, prius ut in eum, quisquis agit, intentus sit, quam in ea, quæ parandum ad finem adhibentur. Atqui sempiterna gloria finis instar habet, quem ad obtinendum bonorum operum merita referuntur. Verum, ut ita se res habeat, cum per sese, et absolute quippiam, velut finis objicitur; tamen, cum idem certo modo affectus, et aliqua conditione, ac forma circumscriptus est, quæ a meritis et operibus separari non potest, hæc ipsa necesse est in illo pariter includi atque concipi. Itaque nec opera prius, ac merita, quam iis debitam gloriam objicit sibi divina prædestinatio, neque gloriam ante merita, sed utrumque simul, ac pro indiviso, quatenus gloriam non simpliciter, ut dixi, sed velut præmium dare constituit. Igitur sempiterna felicitas locum generis habet, vel materiæ, quod *objectum materiale* vulgo nominatur; cujus modificatio, et affectio, quam *formale* itidem *objectum* vocant, est mercedis conditio, vel præmii. Quibus ex ambobus integrum efficitur electionis, ac prædestinationis objectum, quatenus gloriam respicit; ad quod in solidum Dei actio illa tendit ac dirigitur.

III. Alterum, quod ad explicandam Augustini sententiam apprime necessarium judico, est ejusmodi: actio illa divinæ mentis, ac voluntatis, quæ singulos ad æternam salutem dirigit, non est nuda, simplexque destinatio gloriæ, sed etiam gratiæ ac justitiæ. Hac enim statuit Deus quemcumque vult hominem a massa perditionis eximere, cujus corruptela reatus duplici genere continetur; peccati, sive inimicitiæ cum Deo, et damnationis, vel pœnæ sempiternæ: quibus ex duobus neque sola liberare potest sine æterna felicitate sanctitas, neque sola sine sanctitate felicitas. Quamobrem utrumque simul iis decernitur, quos ab Adami corruptione vindicat æterna prædestinatio. Quod *ad Romanos* scribens Apostolus, breviter accurateque verbis istis explicat: *Nam quos præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*[2]. Ad hoc ergo prædestinavit electos Deus, quo ad imaginem conformantur Filii Dei. Hoc vero non minus in justitia, quam æterna gloria consistit. Hinc ab eodem Apostolo scriptum est alibi: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate*[3]. Mox vero: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ*. Elegisse Deum asserit

Prædestinatio non est simplex destinatio gloriæ, sed etiam gratiæ ac justitiæ.

1 I *Tim.* II, 4. — 2 *Rom.* VIII, 29. — *Eph.* I, 4.

suos, ut sancti sint, et immaculati; tum ut adoptivi sint per Christum filii, non qualicumque modo, sed ut perfectam in se Dei ac Christi similitudinem referant. Id enim filiorum natura postulat. Ac prior illa, quæ in ea, quæ est *ad Romanos* expressa vocatur imago, ac similitudo filii Dei, a plerisque veterum in illo, quem post mortem adepturi sunt, statu felicitatis æternæ ponitur, ut ab Ambrosii commentario, et Augustino ipso; qui etiam de corporum immortalitate ac beatitudine nominatim intelligit [1]. Joannes vero perfectam cum Deo similitudinem (quam filiorum naturam conditionemque propriam esse dixi) sic in futura vita pollicetur, ut in hac interim esse nos Dei filios asseveret: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* [2]. Quare prædestinatio perinde sanctitatem, et gratiam, ac salutem intuentur et gloriam. Nam utraque nos Deo similes facit, utraque simul a massa damnata liberat.

Prædestinatio media seu adjumenta complectitur.

IV. Jam vero, quoniam ad illam gratiam ac sanctitatem tum externis, tum internis adjumentis adducimur, quæ et ipsa gratiæ vocabulo censentur, cujusmodi est vocatio, fides, pœnitentia, dilectio, et hujus generis alia, quibus ad justitiam præparantur electi; in his quoque prædestinatio posita est, eaque complectitur; ut ex istis omnibus series quædam, ac velut aurea catena conficiatur, quæ a prima vocatione ad ultimam salutis adeptionem, aptis invicem et connexis variis gratiæ præsidiis texitur, quorum singula mutuum habent ordinem, invicemque pendent, ac simul divinæ prædestinationi objiciuntur omnia. Itaque, cum ad salutem Paulum apostolum, exempli gratia, destinavit, elegitque Deus, non illi simpliciter absoluteque conferre gloriam ac sanctitatem voluit, sed utramque per hæc, ut vocant, *media*, et auxilia contextam, per quæ deinde ille traductus est; cujusmodi fuere vocatio, conversio ad Christi fidem, baptismus, infiniti postea labores, et cruciatus propter Evangelium ubique superati, ac demum gloriosus in eadem Christi causa mortis exitus, qui, quod erat in illa serie postremum, felicitatem et immortalitatem attulit.

Est autem adjumentorum istiusmodi, si universe considerentur, duplex genus. Quædam enim communia sunt, quæ nullum ordinem ac respectum habent ad æternam gloriam, certo Dei proposito per illa destinatam; quamvis suo tempore effectu non careant, sed ad justitiam ac sanctitatem promoveant. Talia sunt, quæ reprobis sæpe largitur Deus, ut proditoris Judæ vocatio, et quæ inde consecuta sunt, largissima gratiæ dona, quibus aliquando ille perfusus est. Alia sunt electorum] prædestinatorumque propria, quæ ex certo Dei consilio, et sempiternæ vitæ per illa conferendæ proposito tribuuntur; quæ in eo ab antecedentibus discrepant, quod singula per sese spectata σχέσιν quamdam habent et *habitudinem*, qua et Dei propositum, atque extremam seriei totius clausulam æternam felicitatem respiciunt, et utrinque colligantur.

V. Quod in uno genere, vocatione scilicet, ab Augustino declaratur multis in locis; ut in primo *Retract.* cap. XXIII ubi de iis agit, quæ in libro *Exposit. quarumdam proposit.* ex epistola Pauli *ad Rom.* scripserat: « Sed parum, inquit, de ipsa vocatione disserui, quæ sit secundum propositum Dei. Non enim omnium, qui vocantur, talis est, sed tantum electorum. » Et in libro *de Dono persev.* cap. XIII: « Quoniam, quos prædestinavit, ipsos et vocavit vocatione illa, de qua dictum est, Sine pœnitentia sunt dona, et vocatio Dei; ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, nisi cum de hoc sæculo exierit. » Sic in libro *de Corrept. et grat.* cap. VII, ubi de vocatione ista peculiari, et ex proposito pluribus disserit, et alibi passim. Igitur vocatio, qua electi invitantur a Deo, talis est, ut et a proposito Dei proficiscatur, et ad æternam vitam certissime dirigatur.

Hinc est, quod Augustinus de prædestinatione, et hujus effectu objectoque disserens, sæpenumero solius vocationis, aut fidei, aut justificationis meminit, omissa mentione gloriæ; quoniam perinde est unum aliquod ex tota serie prædestinationis commemorare gratiæ genus, ac totam ipsam seriem ex omnibus collectam; eo quod unumquodque ex conditione sua, qua peculiare donum est, id obtinet, ut ad gloriam referatur. Quæ causa recentiores theologos impulit, ut Augustinum assererent, prædestinationem sola circumscripsisse gratia, citra gloriam, uti postea videbitur. Sed id, quod dixi, cogitandum est; tantumdem esse de electorum propria voca-

1 Ut in lib. XXII *de Civit. Dei*, cap. XVI et XVIII. — 2 I *Joan.* III, 2.

tione, vel justificatione loqui, ac de eorumdem salute, quoniam ambo ista separari invicem nequeunt.

In illa porro serie quædam sic a Deo destinantur, ut gratuita sint omnino, nec ex ullo qualicumque merito pendeant, ut prima vocatio, vel credendi voluntas, quod contra Semipelagianos egregie docet Augustinus in libro *de Prædestinatione sanctorum*. Alia posteriora sunt illis, et merito fidei, ac bonis operibus impetrantur. Sic justificatio fidei merito, ut idem asserit, impetratur. Unde et justificari per fidem dicimur, « quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. » Tum incrementa justitiæ, quæ in sanctis quotidianis accessionibus augetur.

VI. Ex horum omnium contextu singulorum prædestinatorum æterna salus oritur, cumque his implicata, et connexa eligentis Dei notitiæ ac voluntati subjicitur. Etenim, postquam omne genus hominum ex uno in condemnationem iisse Deus animadvertit, et in unam vitiatam, ac damnabilem massam esse concretum, innumerabiles vias, rationesque sibi proposuit, quibus vel omnes, vel eorum aliquos ab illa damnatione liberare posset, nec non quo quemque modo vocatum ad sese, ac periculis omnibus extricatum, ad participandam secum felicitatem adduceret. Quibus omnibus cognitis, eos singulis attribuit, ac per eosdem sempiternam destinavit salutem certis duntaxat hominibus, quos paucos ex innumerabili multitudine gratis delegit, non tamen gratis ad vitam, ac sine labore promovendos. Quare uno eodemque momento rationis, ut vocant, et æternam illis felicitatem, et merita despondit, nec unum prius altero, sed unum per alterum, ac propter alterum decrevit.

Velim hoc diligenter animadverti, quod de ordine et habitudine mutua gloriæ ac meritorum diximus. Est enim in eo quædam latebra captionis, propterea quod gratuiti vocabulum ab objecto facile transfertur ad agentem Deum, nisi acrius intendatur animus, ut ea, quæ sunt invicem complexa, discernat. Aliud est igitur, Deum gratis ac sine meritis destinare salutem, cum vox *gratis* ad destinandi verbum refertur; aliud, quando cum salute copulatur. Prius enim hoc significat, nulla ex nobis occasione captata, ac sola sua voluntate Deum impelli, ut eligat ac prædestinet; quod Augustini doctrinæ consentaneum esse hactenus contendimus. Posteriori vero subest hic sensus, vitam æternam ac salutem velle gratis obtineri ab iis, quos eligere dicitur, ac sine ulla ipsorum opera tanquam liberale donum et gratuitum: quod non Augustino tantum, sed etiam catholicæ pietati contrarium est. Ut si princeps et imperator aliquis, supra stipendii ac legitimi præmii modum, præfecturam civitatis, aut coronam auream ostendat iis se daturum, qui hostem loco pepulerint, aut in acie fortiter rem gesserint; si nullo id illorum adductus merito polliceatur, ita gratis destinabit hoc præmium, ut non gratis eos assequi, vel esse gratuitum munus velit, sed merito ac labore quæsitum.

VII. Præter hæc vero, illud habere in promptu convenit, *eligendi* et *electionis* vocabula ex Augustini usu, ac sententia dupliciter accipi. Nam est alia antecedens electio, alia consequens; quarum illa gratiæ, hæc justitiæ nominari potest. Prior ex massa damnabili gratis, ac pro arbitrio, quos libitum est, excipit, et ab reliquis segregat; posterior eo modo selectos, ac justificatos præ impiis adsciscit. De priore loquitur Augustinus lib. I *ad Simpl.* quæst. XI, ubi illa Pauli verba declarans ex capite IX *ad Romanos* com. XI: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali; ut secundum electionem propositum Dei maneret*, etc., inter alias expositiones hanc attulit: « Id est, neque aliquid egissent bonum, aut malum, ut propter ipsam actionem electio aliqua fieret ejus, qui bene egerat. Cum ergo nulla esset electio bene agentis, secundum quam maneret propositum Dei, non ex operibus, sed ex vocante, id est ex eo, qui vocando ad fidem gratia justificat impium, dictum est ei, quia major serviet minori. » Ibi electionem interpretatur, qua Deus bonos ac bene agentes a male agentibus discernit. Ideo statim ista subjicit: « Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius, sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum

Dupliciter accipitur electio.

1 Lib. I *de Prædest. sanctorum*, c. VII.

cœlorum. Nam, nisi esset electio, non essent electi; nec recte diceretur : *Quis accusabit adversus electos Dei?* Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est, *Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem*, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, *non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei, quia major serviet minori*, non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi; ne quis de operibus extollatur. » Hic electio consequens est. Nam ex bonis operibus is, qui jam justificatus est, eligitur ad salutem; quæ cum Deus ex æterno præsciret, ex æterno quoque Jacobum elegit.

VIII. Alia est electio gratiæ, hoc est gratuita, quæ ex nulla meritorum præscientia oritur, ex qua deinde justitia et sanctitas tribuitur, de qua in his libris, qui post Pelagianam exortam hæresim editi sunt, passim meminit Augustinus. Sic in libro V *cont. Jul.* capite III in fine : « Nullum elegit dignum ; sed eligendo effecit dignum : nullum tamen punit indignum. » Tum epist. CVI plenius hoc docet, et illa Pauli verba electionemque, de qua ibi loquitur, aliter exponit : « Nempe doctor gentium in fide, et veritate istos geminos nondum natos nihil boni, aut mali egisse testatur, ut gratia commendetur; ut, quod dictum est, *Major serviet minori*, non ex operibus, sed ex vocante dictum intelligatur, ut secundum electionem Dei propositum maneret, non meritum hominis anteiret. Non enim dicit electionem voluntatis humanæ, sive naturæ, cum par esset in utroque mortis damnationisque conditio, sed electionem procul dubio gratiæ, quæ non invenit eligendos, sed facit. » Addit ejusdem Apostoli verba *Rom.* XI, 5, qui *electionem gratiæ* nominat, hoc est quæ ex gratia sit, non ex operibus. Idem docet in libro *de Prædest. sanct.*, cap. VI. Et cap. XVIII idipsum disertius, ac robustius inculcat; nimirum, per hanc electionem fieri justos et immaculatos, non autem tales jam factos eligi : « Eligit Deus in Christo ante constitutionem mundi membra ejus, et quomodo eligeret eos qui nondum erant, nisi prædestinando ? Elegit ergo prædestinans nos. Numquid eligeret impios, et immundos? Nam si quæstio proponatur, utrum hos eligat, an potius sanctos et immaculatos, quid horum respondeat, qui requiratur, ac non statim ferat pro sanctis immaculatisque sententiam ? » Subjicit Pelagii sententiam, qui præscientem illos Deum, qui futuri erant sancti et immaculati, elegisse dicebat; non ut se tales facturum, sed ut eos futuros esse prævideret. Contra quem demonstrat ex Apostolo, ideo electos esse ante mundi constitutionem, ut essent sancti, non quia futuros esse prævidérat : « Ideo, quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus. » Hæc igitur electio non pendet ex meritis; id est non propterea Deus istos eligit ad regnum cœleste, quia digniores sunt cæteris, sed gratis illos destinat, ac futura subinde merita decernit.

IX. Nonnunquam vero *electionem* et *electos* sic usurpat Augustinus, ut pro effecto ipso electionis accipiat, quod in tempore producitur; ac fieri dicat electos, qui jam alia ratione, hoc est præscientia, et efficaci destinatione ab æterno fuerant electi. Ut in lib. *de Prædest. sanct.* cap. XVII. « Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur, ut credant. » Item, « Elegit ergo eos de mundo, cum hic ageret; sed jam electos in seipso, ante mundi constitutionem, ea prædestinatione, in qua Deus sua facta futura præscivit; electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit implevit. » Quamobrem hic divinæ prædestinationis intelligendus est ordo, uti postquam Deus gratuita electione certos exemit ex damnabili massa per merita, ac propter illa liberandos, eosdem subinde velut recensens, et in serie ipsa prædestinationis positos, ac jam justificatos intuens ad æternam gloriam dirigat, quod ut in tempore exequendo facturus est; sic ex æterno prævidendo fecit. « Ipse enim fecit quæ futura sunt, » quod non uno loco Augustinus, et Augustiniani omnes usurpant.

CAPUT XIII.

Expenduntur alia Augustini testimonia, quæ ab nonnullis perperam, et aliena ab illius mente interpretatione solent accipi.

I. Qui Augustini mentem secus, ac nos hactenus fecimus, interpretari student, unum illud imprimis solent præscribere, nunquam ipsum de electione ad æternam gloriam sermonem instituisse, sed de ea, quæ est ad gra-

tiam, quæ proprie prædestinatio dicatur. Etenim, cum propositum esset illi, contra Pelagianos et eorum reliquias contendere, qui de sola gratia, non autem de gloria disputabant, nihil de hac opus fuisse dicere. Quæ quidem exceptio quam a ratione sit aliena, omnia illa declarant, quæ capite primo et sequentibus ex Augustino commemoravi. Nam, quod ad hæreticos spectat, contra quos in certamen descenderat, non est dubium, quin cum inquisitione illa, quæ de gratia ex meritis, an sine meritis tribuenda, suscipitur, cohærens ista sit, apprimeque consentanea, quæ de hominum ad gloriam delectu ac destinatione proponitur. Nec enim firmior esse potest ulla gratuitæ vocationis et gratiæ contra Pelagianos approbatio, quam quæ illud assumit; sola inductum voluntate sua Deum, nec ad ulla hominum merita respicientem, certos, quos voluit, ad æternam salutem deligere. Ut enim gratuita est ad finem electorum destinatio, sic ad ea, quæ vocant *media*, hoc est præsidia comparandi finis, non potest non ejusdem esse generis applicatio. Plurimum itaque Augustini interfuit demonstrare, gratis velle Deum hominibus impertiri gloriam, ut ex eo consequens esset, perinde gratiam sine ullis meritis, obtinendi finis causa, suppetere. Præsertim cum talis ab illo gratia constituta sit, quæ prædestinatorum peculiaris esset, eoque solo distaret a communi, quæ reprobis etiam adspergitur, quod et ab certo tribuendæ salutis proposito manaret, et in gloriam non minus certo desineret; uti capite superiori docuimus. Quare de hac peculiari electorum gratia acturus Augustinus, necessario in alteram, quæ est de proposito gloriæ dandæ, et ad hanc ordinatione gratuita, cursu ipso disputationis inductus est.

II. Hanc Augustinianæ doctrinæ ac mentis interpretationem, quam rejecimus, acerrime tuetur Gabriel Vasquez; ac pleraque Augustini testimonia, quæ pro gratuita electione passim afferuntur, ad eam formulam expendit : quibus nos testimoniis, non quia non idonea videbantur, sed quod iis clariora suppeterent alia, uti noluimus. Nunc unum alterumve obiter, et refellendæ illius exceptionis gratia, proferemus in medium; ut appareat, non tam id quæsitum, quid reipsa sentiret Augustinus, quam quid positæ semel opinioni consentanee posset afferri.

Igitur locum illum ex V libro *contra Julianum* cap. III sibi imprimis objicit, in quo eligi gratis ad salutem homines affirmare videtur, cum ait : « Nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum. » Tum capite IV. « Ipsi ergo electi, et hoc ante mundi constitutionem, sed electi per electionem gratiæ, » etc. Respondet Vasquez [1], Augustinum hic « loqui de electione gratiæ, qua quis eligitur a Deo non voluntate efficaci dandi vitam æternam, sed voluntate gratuita præveniendi gratia sua. Id vero contra Semipelagianos contendere, qui ex nobis initium aliquod esse dicebant, » etc. Verum ista tergiversatio nullam habet probabilitatis speciem. In qua, cujusmodi tandem istud est, contra Semipelagianos contendere illic Augustinum, de quibus nihil ab ipso erat adhuc auditum?

III. Nam de Semipelagianis primus ad illum perlatus est rumor Prosperi, et Hilarii litteris; quibus adductus libros scripsit duos, alterum *de Prædestinatione sanctorum*, alterum *de Dono perseverantiæ;* in quibus novorum istorum, non quidem hæreticorum, (non enim pro talibus eos istic habuit) sed non satis catholice sentientium refutavit errorem. At in libris *contra Julianum*, adversus Pelagianos ipsos, quorum iste signifer erat, prorsus disputat. Tum in eo loco, qui ex quinto libro est allatus, haud dubie significat eligi homines ac prædestinari gratuita electione, et cum efficaci proposito tribuendæ sempiternæ gloriæ; quo ex proposito gratia deinde conferatur. Etenim demonstrat ibidem Augustinus Deum peccatis peccata punire, ac justo ejus judicio, in pœnam præcedentium delictorum, reprobos in nova delicta corruere; neque tamen propterea temere quidquam facere, vel injuste Deum, etsi profundam consiliorum ejus abyssum penetrare nequeamus. Quod autem non ideo sit injustus Deus, inde colligit, quia « nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum, nullum tamen punit indignum. » Hoc est, ex eo, quod indurat istum, et novis peccatis ejus priora peccata punit, alium vero liberat, et a peccatis ad gratiam transfert, accusari injustitiæ non potest; quia tum injustitiæ posset esse suspicio, si pœna is, qui punitur, esset indignus. At non est. Nam uterque, tam is scilicet, cui condonatur peccatum, quam qui peccato novo veterum pœnas luit, gratia est indignus; sed uni gratis, ac misericorditer indulgetur, ab altero juste pœna repetitur. Cur autem huic potius, quam isti

[1] Vasq. Disp. LXXXIX in I par., cap. VIII, n. 63.

parcitur, cum ex æquo rei sint ambo, nihil, præter consiliorum Dei profundam et inscrutabilem abyssum causari possumus.

IV. Cum autem Julianus objecisset adversus Augustinianum illud dogma de obduratione certorum hominum Apostoli verba dicentis, bonitatem Dei ad pœnitentiam adducere; in quibus, quantum suspicor, eo vim majorem inesse putabat, quod ibi, hoc est capite secundo *ad Romanos,* de his loquitur Paulus, qui obfirmato ad improbitatem animo esse videbantur, ut *iram sibi thesaurizarent, secundum duritiam suam, et impœnitens cor;* cujusmodi illi esse deberent, quos Augustinus justo Dei judicio non emolliri ad pœnitentiam, sed obdurari potius asserebat, cum eosdem tamen ipsos benignitate Dei adduci testetur ad pœnitentiam : hæc cum, inquam, Julianus attulisset, respondet Augustinus adduci quidem ad pœnitentiam, sed non omnes, verum eos, quos Deus prædestinaverit : *quibus omnia cooperantur in bonum,* etiam ipsa peccata; « sed his, qui secundum propositum vocati sunt. Non enim omnes, qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Qui ergo electi, hi secundum propositum vocati. » Igitur soli electi secundum propositum vocati sunt; propositum autem non qualecumque, sed efficax, ex quo salus illorum certo consequatur : nam ideo revocantur ad pœnitentiam. Non enim solius gratiæ conferendæ propositum intelligi potest : quoniam in reprobos etiam tali proposito ac voluntate fertur interdum Deus, et illos efficaci gratia liberat a peccatis. Quare propositum esse illud oportet ejusmodi, quod vel ad gloriam spectet, vel ad talem certe gratiam, quacum certissime gloria conjuncta sit, ut sit electorum peculiaris; cujusmodi nulla est, si ab efficaci dandæ gloriæ proposito separetur. Cum enim ita vocat electos, ut vocantem audiant, atque ex ea vocatione salus illorum initium capiat, et ideo vocat, ut sic audiant, hoc est ea auditione, qua ad salutem certo perveniant; non potest non salutem illis efficaci proposito destinare.

V. Post hæc Augustinus ea verba subjungit, quæ citat Vasquez, quibus electos ante mundi constitutionem ait *electione gratiæ,* κατ' ἐκλογὴν χάριτος, ut ait Apostolus; quam haud recte interpretatur ille, ut sit electio ad gratiam, cum sit potius electio gratuita, Hebræorum more, qui substantiva nomina pro adjectivis usurpare solent : quod et sequentia demonstrant. Sequitur enim apud Paulum : *Si autem gratia, jam non ex operibus* [1]. Hoc est, si gratia electi sunt. Proinde electio gratiæ est, quæ fit ex gratia, sive gratis, non ex operibus; non autem quæ est ad gratiam. Demum Augustinus prædestinatos cum reprobis comparans, illos affirmat, « etiamsi pessimam duxerint vitam, per Dei benignitatem adduci ad pœnitentiam. Cæteri autem mortales, addit, qui ex isto numero non sunt, ex eadem quidem massa, ex qua et isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum. » Tum eorum neminem ait, adduci ad pœnitentiam salubrem, et spiritualem; et quamvis utrique thesaurizent sibi iram in die iræ, « Deus tamen, inquit, alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundum justum judicium non adducit. » Quæ massæ, et vasorum iræ, ac misericordiæ mentio, ex iis, quæ cap. VI diximus, gratuitam aliorum electionem indicat ad salutem, aliorum vero damnationem haud injustam.

VI. Alter Augustini locus, quem sibi Vasquez objicit, ex libro *de Prædest. sanct.* capite XIX ducitur, in quo Pelagianorum, ac Semipelagianorum sententias refellit, quorum illi ideo electos aiebant a Deo, quoniam præsciverat eos sanctos et immaculatos fore per seipsos, acceptis tantummodo præceptis : isti vero, nihil aliud præsciri a Deo, quod quidem hominis esset, præter fidem, « qua credere incipimus; et ideo nos elegisse ante mundi constitutionem : ac prædestinasse, ut etiam sancti et immaculati gratia atque opere ejus essemus. » Quorum hæc sententia est, Deum eligere ad gloriam, quos vel initium sanctitatis, vel sanctitatem ipsam per sese præstituros viderit. His autem suum, et catholicum decretum opponit Augustinus, eligi, non quia sancti et immaculati fore prævisi sunt, sed uti sancti, immaculatique sint. Respondet Vasquez, Pelagianos de electione loqui ad gloriam ex propriis ac naturalibus meritis; Semipelagianos vero, nec non Augustinum, de electione ad gratiam. Sed hoc dici non posse, supra demonstravimus. Nam de eodem electionis genere disputari a Semipelagianis, et Augustino necesse est, nisi Andabatarum illos more pugnare, et in ambigua voce conflictari velimus. Ejusdemmodi enim a Vasquezio pugna illa fingitur, quasi Pelagianis asserentibus, eligi homines ad æternam gloriam, quia

[1] *Rom.* XI, 6.

sanctos illos fore prævidit Deus meritis naturalibus; Semipelagiani contra, non quia sanctos illos talibus meritis viderit, sed quia sanctitatis initium aliquod animadverterit, ideo ad gratiam eos elegisse defendant; Augustinus denique adversus utrosque nitatur, ideo electos esse ad gratiam, non quia ex toto, vel ex parte sancti erant, sed ut tales essent. Hæc, si ita concipiatur, ut a Vasquezio describitur, non pugna, sed ridicula jactatio est, ac ludus aliud agentium. Non enim ἀντίθεσις proprie fit inter ista duo pronuntiata : Eliguntur homines ad gloriam propter propria et naturalia merita, et, Eliguntur ad gratiam ob nulla istiusmodi merita; quandoquidem Pelagiani, qui ad gloriam nonnisi ex meritis destinari homines asserebant, eosdem ad gratiam, hoc est remissionem peccatorum, nullis meritis eligi fatebantur, ut superius ostendimus. Semipelagiani vero non ob ea merita eligi ad gloriam asserebant, ob quæ eligi putabant ad gratiam. Denique, ut solida sit, et Augustino digna contentio, eadem prorsus notione utrobique sumi vocabulum electionis oportet, adeoque electionem ad gloriam ex nullis constare vel naturalibus, ut Pelagiani putabant, vel etiam gratiæ meritis, quod Semipelagiani pugnabant; etsi merita ista gratiæ ex naturæ viribus initium capere vellent : contra quos Augustinus ex nullis omnino meritis sanctitatis peti causas electionis ad gloriam acriter tuetur; hoc est iis ipsis, quæ Semipelagiani ponebant, qui nulla nisi gratiæ merita cognoscebant, quibus justa mercedis æternæ corona tribueretur.

Antithesis.

VII. Tertio loco Vasquez, cæterique illa sibi objiciunt Augustini testimonia, in quibus idcirco dari nonnullis asserit congruentem gratiam, quia sunt electi, et prædestinati; negari vero cæteris, quia non sunt electi : e quibus unum Vasquez commemorat ex libro *de Dono perseverantiæ*, capite XIV contra quod duo præscribit. Alterum, non dicere Augustinum, ideo non dari eis congruam vocationem, quia discreti non sunt a perditionis massa; neque ideo dari, quia discreti sunt; sed his non dari, qui discreti non sunt; quod est verissimum, inquit, etiamsi voluntas negandi vitam æternam sit post opera prævisa. Sic etiam dicere potuit, conferri congruam vocationem eis, qui discreti sunt, etiamsi discretio fiat post opera; quia revera non datur, nisi iis, qui cum ea operaturi sunt, et ratione operum vitam æternam consequuntur. Alterum, negat Augustinum ibi loqui de voluntate dandi vitam æternam, sed de prædestinatione gratiæ, quæ est præparatio, non voluntas dandi vitam æternam. Hæc ille. Verum utraque responsio ex ipsius Augustini verbis, doctrinaque refellitur. Primum enim manifeste causalis est illic sensus; ut propterea negari ac subtrahi dicat illis opportuna, et congrua gratiæ præsidia, quia non sunt electi ac prædestinati; aliis vero dari quia sunt electi. Verba Augustini, cum de Tyriis et Sidoniis ageret, qui credidissent, si mira illa Christi signa vidissent. « Sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant; et tamen, si Dei altiore judicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur dicta, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. »

VIII. Subjicit Isaiæ de illis locum, quo et Joannes utitur, capite XII dum ideo Judæos ait non credidisse, quia Dominus illos excæcaverat. Quamvis autem Tyrii non sic excæcati erant, et indurati, « quoniam credidissent, si, qualia viderunt isti, signa vidissent; tamen nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, et investigabiles viæ, nec istis Judæis obfuisset, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, et induratis cor lapideum vellet auferre. » In his verbis aio causalem hunc esse sensum, ideo non credidisse Tyrios, vel Judæos, quia nec illi, qui erant alioqui credituri, si signa vidissent, nec isti, qui credituri fuerant, si Deus cor ipsis lapideum abstulisset, prædestinati erant. Etenim causalis sine dubio est enuntiatio illa, quam primo loco posuit : Idcirco, unde crederent, negatum est Tyriis, hoc est signa, et prædicatio Christi subtracta est; quia non erat eis datum, ut crederent; nimirum quia propterea miracula et fidei prædicatio conceditur, uti credulitas exprimatur. Igitur, quia Deus nolebat illis dare fidem, ideo neque vocationem ad fidem tribuere voluit. At similis est, ex eaque deducta altera collectio; idcirco dicta illa, vel facta, per quæ credere poterant, negata fuisse illis, et subtracta, quia in perdi-

tionis massa justo Dei judicio fuerant relicti : nempe propter originale peccatum, ut supra capite nono demonstravimus. Igitur ideo congrua auxilia gratiæ negantur, quia prædestinati non sunt. Unde et alterum consequens est causalis illationis genus; quemadmodum si data Tyriis fuisset fides, hoc est, si per præscientiam et prædestinationem præparata fuisset, ob hanc ipsam voluntatem fidei dandæ, data essent et illa signa, dictaque, quibus possent credere : ita etiamsi a massa perditionis segregati essent, ob hoc ipsum et fides iisdem, et fidei capiendæ præsidia suppeditata fuissent.

Deinde illa ipsa discretio, qua de massa perditionis eximi dicuntur ab Augustino, nihil est aliud, quam electio, sive prædestinatio, ut ibidem Vasquez fatetur, et Augustinus passim docet; cujus aliquot loca antea produximus. Atqui id in Augustiniana sententia tritum est, Deum ideo gratiam, et sanctitatem hominibus dare, quia sunt electi; et ideo eligi, non quia sancti sunt, sed ut sancti sint; adeoque uti fidem habeant, sine qua constare sanctitas nequit : quod paulo ante allatis Augustini verbis ostendimus. Igitur causalis est ista consecutio capite XIV libri *de Dono perseverantiæ*, cum dicit Tyrios et Judæos, si prædestinati essent, congrua gratiæ ac fidei auxilia, necnon fidem ipsam accepturos fuisse, utcumque de prædestinatione ipsa sentiamus; hoc est sive ad gratiam, sive ad gloriam pertineat. Id enim agitur modo, causalem ut esse sancti Augustini enuntiationem adstruamus.

IX. Doceo nunc, quod in secunda responsione Vasquez negat, Augustinum de illa discretione loqui, qua Deus ad gloriam certos eligit, alios vero reprobat. Etenim talis est ea secretio, ut per illam altiore judicio a perditionis massa segregentur electi. At ea, quæ fit per solam gratiam, et fidem, non est altior, et occultior illa, atque hominibus minime comperta; sed ea facile agnoscitur, seseque prodit, et in reprobis perinde ut in electis cernitur. Quod in eodem libro cap. IX declarat apertius; ubi de justis disputans, qui minime perseverant, ait, eos, tametsi vocati, et justificati fuerint, « tamen secundum aliam quamdam discretionem non fuisse ex prædestinatis, vel vocatis ex proposito. » Ergo diversa est ista discretio ab ea, quæ per gratiam, et justitiam separat, et videlicet ad gloriam refertur, et æternam salutem. Ex quo liquido constat, defendi non posse, quod asserit Vasquez, « Toto illo in opere, et ubicumque de discretione tractat Augustinus, eam gratiæ prævenienti tribuere, sicut etiam electionem ad gratiam, non autem voluntati dandi gloriam [1]. » Id enim superioribus capitibus validissime confutatum est, et cum ex capite XIV, libri *de Dono perseverantiæ,* tum ex IX quæ citavimus, idipsum evertitur. Capite quidem nono discretionem istam, diversam ab ea quæ fit per justitiam, sic adjunctam dicit habere perseverantiam, ut quibus illa non contigerit; qui, inquam, discreti non fuerint, « nec electi in Christo ante constitutionem mundi, nec in eo sortem consecuti, neque prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur, » perseverantiam non habeant. Nam, si hoc modo discreti essent, perseverassent utique. Facile enim Deus illos in omni tentatione servasset invictos; aut certe ex hac vita subtraxisset, præsciens, esse lapsuros. Non igitur discretionem soli prævenienti gratiæ imputat Augustinus; sed, quod saltem negari non possit, etiam perseverantiæ, qua cum necessario salus æterna connectitur sic, ut nemini peculiari Dei benevolentia decerni queat, quin simul salus ipsa decernatur.

X. Non minus evidens est et altero in libro Augustini sententia, qui *de Correptione et gratia* inscribitur; ubi capite VII, ex ejusdem illius vi secretionis, qua de damnabili massa separati sunt, fieri docet, uti gratia, et perseverantia tribuatur. Quem locum objiciens sibi Vasquez negat, Augustinum de electione ad gloriam illic agere, sed de sola voluntate dandi gratiam loqui putat. Atqui primum ibi tam eos, qui « audito Evangelio venire ad Christum noluerunt, quam qui, eo audito, in melius commutati perseverantiam non acceperunt, ait non esse ab illa conspersione discretos, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. » Quæ discretio a massa damnabili, propter quam perseverantia datur, quæ non discretis minime conceditur, non potest sine voluntate dandæ gloriæ consistere. Itaque pergit Augustinus : « Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod et procuratur eis audiendum Evangelium, et, cum audiunt, credunt, et in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant;

1 Disp. LXXXIX. cap. VIII, n. 69.

et, si quando exorbitant, correpti emendantur; et quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt; et nonnulli, accepta gratia, in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. » In fine vero capitis, qui a massa illa discreti sunt, eorum fidem vel nunquam deficere ait. « Aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, et deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide christiana, et conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, procul dubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis præscientia Dei, et prædestinatione discreti, et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi. »

XI. Quæ verba imprimis observanda sunt. Ait enim justos illos, qui perseveraturi non sunt, etiam illo tempore, quo justi sunt, non esse a massa perditionis exemptos. Non igitur per solam efficacem dandæ gratiæ voluntatem discernuntur, ut putat Vasquez, sed per eam, qua gloria decernitur, quod præscientia et prædestinatione fit; præscientia dico, non ea, quæ rem futuram quasi jam existentem respicit, sed quæ ipsam antecedit, et efficit; quæ est scientia ejus, quod ipse facturus est, ut Augustinus variis in locis explicat, præsertim libro *de Dono perseverantiæ* capite XVII, XVIII et XIX, ubi præscientiam ait interdum usurpari pro prædestinatione, sive designatione rei, quam est ipse facturus; et prædestinare nihil aliud esse dicit, « quam in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia futura disponere. » Jam quidquid præscientia ista, et prædestinatione disponitur, consequens est, et ex illis oritur, quemadmodum prima gratia, ad quam prædestinantur homines, sic a prædestinatione pendet, ut ejus esse causa nequeat, vel occasio, quia per illam ipsam, et ex vi illius efficitur. Ergo, cum per eamdem præscientiam, et prædestinationem asserat Augustinus, discerni a massa perditionis electos, hoc est, ut ex eodem conclusimus, ad æternam salutem eligi, et ab æterna damnatione liberari; prius animo concipitur electio Dei, quam secretio hominis ex massa damnationis, hoc est æterna ipsa salus; cumque gratuitam penitus, ac sine ullis prævisis meritis tributam homini secretionem illam existimet, ut supra probavimus, necesse est, gratis etiam ad salutem eligi. Denique Augustinus ibidem, cujusmodi electionem intelligat, aperte significat, cum ita loquitur: « Illi ergo electi, ut sæpe dictum est, qui secundum propositum vocati; qui etiam prædestinati, atque præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus : horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi sunt autem ad regnandum cum Christo. » Et mox. « Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum. » Quæ verba violenter nimium detorquet ad solam gratiam Vasquez, quæ regnum Dei nominatur. Nam perspicuum est, iis loquendi formulis, « ad regnandum cum Christo et ad obtinendum regnum suum, » sempiternam vitam exprimi; quod et secretio ab massa perditionis ostendit.

XII. Atenim, objicit Vasquez, eodem capite scribit Augustinus, illos eligi per electionem gratiæ, non ex operibus. Non negaret autem, ex meritis gratiæ dari vitam æternam, si de ea loqueretur. Sed nihil hoc obstat. Etenim aliud est eligere ad æternam vitam propter opera sic, ut particula, *propter*, causam electionis impellentem significet; aliud eligere ad eamdem vitam per opera, ac propter opera tribuendam. Horum posterius asserit Augustinus; prius negat. Unde vita æterna non est gratia simpliciter, vel gratuita gratia, quia propter opera destinatur; at electio ipsa mere gratuita est, quia Deus nullis ad eam meritis, etiam gratiæ, prævisis impellitur.

Objicit præterea Vasquez, Augustinum ibidem dicere, ideo electos esse, quia secundum propositum vocati sunt; at, si de electione ad vitam æternam sermo esset, quam volumus esse priorem omni prævisione meritorum, non recte diceret: Ideo sunt electi, quia secundum propositum vocati, sed ideo vocati secundum propositum, quia electi. Verum non animadvertit eo se argumenti genere magis suam sententiam evertere, quam nostram. Cum enim Augustinum loqui censeat de electione ad gratiam, quam homines nullis meritis consequuntur, perinde retorqueri potest illius ratio, itaque præscribi. Si de electione ad gratiam sermo esset Augustino, non recte diceret : Ideo sunt electi, quia secundum propositum vocati; sed potius, ideo sunt vocati secundum propositum, quia electi. Quamob-

rem, quod utrique respondere ex æquo necesse sit, pro nobis ipsis afferimus : Augustinum ab eo, quod posterius est, id quod antecedens est, colligere; quod in reciprocis fieri consuevit. Valet autem utrobique hæc illatio. Si est electus ad æternam salutem, et secundum propositum vocatus est; et si est secundum propositum vocatus, etiam est electus. Quarum prior ab antecedente ad consequens; posterior ad antecedens a consequente progreditur. Adde, quod capite XII, jam diximus, interdum *electi* vocabulum ab Augustino accipi pro effecto ipso electionis, ac prædestinationis æternæ, quod in tempore producitur, et est vocatione posterius; ut cum libro *de Prædestinatione sanctorum* capite XVII ait « electos fieri vocatione : » item, « eligi de mundo, qui jam electi sunt a Deo in seipso. »

CAPUT XIV.

Expenduntur Augustini loca quædam, ex quibus, electionem ad gloriam fieri propter merita prævisa, nonnulli adstruunt; præsertim locus ex libro ad Simplicianum primo; ubi iterum de duplici electione agitur.

Ex omnibus locis, quæ utcumque trahere ad sententiam suam adversarii nituntur, unus est præ cæteris insignis, quem illi nobis opponere solent, ex libro primo *ad Simplicianum*, quæstione secunda. Eum nos capite duodecimo supra descripsimus. In illo vero Pauli *ad Romanos*, capite undecimo verba declarans, quibus geminorum duorum, Esau et Jacobi usus exemplo, electionis ac reprobationis arcanum explicat, « electionem ait ex proposito, non propositum ex electione manere; id est, non quia invenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat, ideo manere propositum justificationis; sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenire opera, quæ jam eligat ad regnum cœlorum. » Tum, « Nemo, inquit, eligitur, nisi jam distans ab eo, qui eligitur. » Unde concluditur, electionem fieri ex præsensione bonorum operum, et justificatione esse posteriorem.

Respondet Bellarminus [1], Augustinum adhuc juvenem ista scripsisse; sed postea usu Scripturarum, et ætate provectiorem aliter existimasse. Atenim objicit Vasquez, et Lessius, si id verum esset, cum in libro secundo *Retractationum*, capite secundo illius libri meminerit, pristinam retractasset opinionem, si ejus postea pœnituisset; quod tantum abest, ut fecerit, ut etiam quæ de gratia illic scripserat, vehementer probet; et in libro primo *de Prædestinatione sanctorum*, capite quarto, contra Massilienses agens, veram ibi de gratia sententiam a se propositam esse confirmet. Sed hoc perleve mihi videtur. Non enim omnia, quæ utcumque aliter explicarat, aut senserat, quam fecit postea, retractavit Augustinus, aut de eo lectorem monuit; sed illa fere tantum, in quibus se errasse, aut minus catholice esse locutum animadverterat. At illud de electione, deque Pauli interpretatione, quod ibidem docuerat, nihil erroris, aut periculi continebat. Quare, tametsi post aliter et senserit, et Pauli mentem exposuerit, nihil tamen retractare priora illa necesse fuit. Sane de electione aliud postea judicasse, et gratuitam alteram ad gratiam agnovisse sanctissimum doctorem, quam antea nesciverat, Vasquez ipse non diffitetur [2], neque tamen mutationis illius mentionem facit in opere isto *Retractationum*.

II. Verum neque nos responsione utemur ista, quam Bellarminus adhibet, et illo ipso testimonio docebimus, non solum non everti opinionem alteram, quam tot in libris Augustinus approbavit, sed affirmari vehementius, ac tota illa prioris in libri parte, et quæstione commendari. Igitur, quod in capite XII jam fecimus, Augustinum asserimus, electionem ibi non antecedentem, sed consequentem usurpasse. Duplicem enim esse monuimus; alteram, qua certos ad gloriam destinat per merita comparandam; alteram, qua eosdem meritis omnibus ac laboribus perfunctos ex præscripto divinæ suæ providentiæ, adeoque justos, ac bene de se meritos intuens, præmium illis absolute, ac velut coronam in ipsius stadii ac curriculi fine repræsentat immobili æternoque decreto suo. Hæc posterior electio justitiæ, vel æquitatis appellari potest; altera liberalitatis et misericordiæ. Illa meritorum rationem habet; unde in æqualibus esse nulla potest, ut idem ait Augustinus in *Expositione quarumdam Proposition. ex epistola ad Romanos*, capite LX. Quapropter eligi fidem asseruit ibidem; quam et a nobis esse tum putavit. Sed postquam ad episcopatum pervenit, mutata sententia, fidem ipsam do-

1 Lib. II *de Grat. et libero arb.* cap. XV. — 2 Disp. LXXXIX, cap. VI, num. 74.

num esse cognovit Dei, idque scribens ad Simplicianum docuit. Electionem tamen gratuitam, qua ex æqualibus, nec ullo meriti genere discrepantibus, uno relicto, alter asciscitur, non prius intellexit, quam contra Pelagianam perfidiam sumpto prælio, vehementius in eam disputationem cœpit incumbere. Neque tamen, invento altero illo electionis genere, prius damnare aut retractare opus habuit; quoniam nihil in eo catholicæ pietati, vel vero dogmati de Christi gratia, quam propugnabat, inest contrarium. Itaque, quod de fide, et initio justificationis Semipelagianorum consentaneum errori tradiderat, id rescidit, ac mutavit unum.

III. Nihil igitur nos Augustini locus iste conturbat. Imo vero, quod deinceps ostendetur, magnopere adjuvat; atque haud scio, an ullus sit, quo certius et evidentius illi ipsi revincantur, qui indidem efficere student, Augustinum putasse, electionem ad gloriam ex meritorum præsensione fieri. Etenim Augustinus illic Apostoli verba, in quibus geminorum fratrum exemplo utitur, quorum de altero dictum est, *Major serviet minori*, de electione Jacobi non ad gratiam, sed ad gloriam, deque reprobatione Esau interpretatus est, ut contendit Vasquez, qui jam sua ipse confessione implicetur necesse est. Nam eodem in loco sancti Augustini, cum de electione illa scripsisset, quæ favere Vasquezio creduntur: nimirum electionem justificatione esse posteriorem; quia « nemo eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur; » statim hæc adtexuit: « Unde, quod dictum est: *Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem*, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.» Ex eo, quod eligantur ii, qui ab rejiciendis justitia vitæque bonitate distant, priorem esse colligit præscientiam, qua bonitatem et justitiam prævidet, electione, qua decernit gloriam; ut hæc præscientia non ea sit, qualem postea constituit, actuosa cognitio ejus, quod facturus est Deus, sed ejusmodi, quam Græcos fere solam intellexisse monstravimus, quæque *visionis* appellari solet; atque hoc modo Pauli sententiam explicat, ex capite secundo epistolæ *ad Ephesios*, cum ait, *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem*, ut electio ista præscientia justitiæ sit, meritorumque posterior. At idem mox alterum ejusdem Apostoli locum, qui is est ipse, de quo agimus, in quo de duobus fratribus, deque majoris servitute sermo est, hoc est, ut Vasquez arbitratur, de electione ad æternam salutem, et ab eadem rejectione: de illo, inquam, loco disputans, ita scribit: « Hic autem quod ait, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori;* non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. Gratia enim Dei salvi facti sumus, et hoc non ex nobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur. »

IV. Respondeatur obsecro, quæ sit illa liberalitas donorum Dei, et cujusmodi donorum. Si enim solam gratiam intelligat Vasquez, exclusa sempiterna salute, jam ab sese loci illius præsidium abjudicabit. Nam illa verba, *Major serviet minori*, non amplius ad electionem, ad gloriam, sed ad solam gratiam pertinebunt; hoc est, dominatus minoris Jacob in majorem Esau, non Jacobi gloriam, et ad eam electionem significabit, sed prædestinationem ad gratiam. Unde nihil jam de electione post prævisa merita concludi poterit. Quod si dona illa Dei, quæ in Jacobi dominatu continentur, de æterna salute, et gloria debent accipi; sequitur ex iis ipsis Augustini verbis, destinatam esse Jacobo gloriam citra ullam meritorum præscientiam. Negat enim, illa verba *Major serviet minori*, ad electionem meritorum, quæ justificatione posteriora sunt, accommodari; sed ad « liberalitatem donorum Dei, » hoc est gratuitam destinationem gloriæ, quæ ex nullis meritis oriatur. Quamobrem hoc unum abest ab hoc loco, ne cum reliqua omni, et posteriore doctrina consentiat, quod ordinationem illam certorum hominum ad salutem, quam Jacobi dominatus in majorem fratrem exprimit, non putavit electionem oportere dici; quandoquidem electionem, nonnisi ex dissimilibus institui posse credidit; sed ad « liberalitatem donorum Dei » retulit, sive meram gratificandi voluntatem, quam et ipsam postea electionem nominavit, non quæ dispares inveniret, sed quæ faceret. Est igitur hæc totius Augustiniani loci sententia: «Cum nondum nati essent ambo illi fratres, nec aliquid boni egissent, aut mali, ex quo electio fieri posset pro diversitate meritorum, secundum quam electionem propositum justificandorum illorum maneret in Deo; quo quidem de ambobus illis dici non potest; quoniam electio operum esse debet ac meritorum, quæ præsciens in electis futura Deus, ex ea præscientia facit electos: unde Apostolus *ad Ephesios* capite secundo scribit: *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem*. Cum igi-

Expenditur locus Apostoli de Jacob electione et Esau rejectione.

tur nulla in fratribus istis merita prævidisset, ac præscisset, dixit Deus, *quia major serviet minori ;* hoc est, sola liberalitate, et gratuita misericordia minor ad æternam salutem assumetur; major vero reprobabitur : quod Dei consilium, ac decretum merita omnia antecessit, tam naturæ viribus expressa, quam justificatione posteriora. » Hæc Augustini mens illo in loco debet esse, vel ipso assentiente Vasquezio, ac reliquis ejusdem dogmatis fautoribus, ut ex eo, eligi homines ad gloriam operum suorum merito, constituant. Atqui, quod prodigii simile est, idem ipse locus, destinari adsciscique sine ulla præsensione meritorum ad gloriam electos, apertius, quam ullus alius ejusdem Augustini significat; nisi quod electionem appellare nondum ausus est liberalem illam et gratuitam Dei voluntatem : quæ vocabulorum cautio nihil prorsus rei, et quæstionis ipsius interest.

V. Sed ut plenius ille ipse locus Augustini a nobis intelligatur, paululum in eo declarando commorabimur. Hoc enim primarium firmamentum esse solet, quo nituntur ii, qui Augustini mentem secus, atque oportet, exponunt, tanquam electionem ad gloriam propter merita fieri putaverit. Nam cætera ejusdem testimonia, quæ ad illud probandum afferunt, quæ sunt paucissima, momenti fere nihil habent. In illo igitur insistunt, quod proinde, diligentiorem a nobis operam requirit.

Interrogatus erat a Simpliciano Mediolanensi episcopo, qui beato Ambrosio successerat, Augustinus, sub initium episcopatus sui, quis sensus esset illius Apostolici loci in epistola *ad Romanos*, capite nono a versu nono, in quo sic habetur : *Non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitu habens de Isaac patre nostro. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Quia major serviet minori* [1], usque ad nonum et vicesimum. Huic respondens Augustinus imprimis scopum Apostoli in tota epistola, et nominatim in illius capitis disputatione proponit, asseritque de vocatione ad evangelicam gratiam illic agi, quam nullis eorum, qui ad eam adsciti sunt, meritis esse concessam, sed gratuita misericordia tributam Paulus ostendit. Itaque primarium hunc sibi finem objecit, de gratuita vocatione ad fidem Christi et Evangelium agere. Nihilominus obiter, et quasi secundo loco, sive ex consequenti, de regno cœlorum, id est vita æterna meminit, ut in illis verbis, quæ superius expendimus : « Sed, quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cœlorum [2]. »

VI. In quo illud apprime notandum est, quod alias monui, et ad Augustini mentem percipiendam non parum conducit, cum de gratia et vocatione ad fidem disputat, de illa loqui, quæ est prædestinatorum, quæque certo annexam habet perseverantiæ gratiam et salutem; sive quia cum generis alicujus exemplum ponimus, de ea specie sumimus, quæ est omnium perfectissima ; sive quia velut ex accidenti est, ac præter primariam, et antecedentem Dei voluntatem, quod sanctitatis et gratiæ perpetuitas abrumpitur; cum Deus perfecta esse opera sua, et immortalia beneficia velit, quantum est ex se, ac nisi malis accipientium meritis illius interpelletur largitas, ac munificentia; quod in reprobis accidit. Quare de illis donis fidei, vocationis et gratiæ sic Augustinus disserit, quasi continuata serie ad beatum finem usque pertexatur gratuita Dei liberalitas. Unde sæpius tantumdem est, illum de gratia et fide loqui, ac de perseverante, et ad regnum cœlorum perducente gratia ; non quod reprobis non illa conferri dona censeat, ut pessime Calvinus aliique similes existimant, contra quos alibi disputabitur ; sed quod in exemplum, ut dixi, gratiæ ac beneficentiæ divinæ, solam eam partem afferat, quæ potior est, et optabilior. Itaque, tametsi de regno ipso cœlesti mentionem interdum expressam non habeat, idipsum tamen, quia tacite significatur, prudenter et cum judicio supplendum est. Ut in illo, quem tractamus loco, fieri necesse est, in quo regni cœlorum meminit ; quod et ipsum contineri ne illi quidem negabunt, contra quos agimus : alioqui frustra ex eo argumentum peterent.

VII. Quibus animadversis, quod ad intelligentiam pertinet Apostoli verborum, observat Augustinus, exemplum illud geminorum « ad frangendam, atque dejiciendam superbiam hominum ingratorum gratiæ Dei, et audentium gloriari de meritis suis, commemorari; » ut non ex meritis suis eligi demonstret, sed gratiam prius dari, ex qua merita bona nascuntur, ob quæ postmodum electio fit. « Unde occurrit animo quærere, cur dixerit : *Ut secundum electionem propositum Dei mane-*

1 August. lib. I *ad Simpl.* q. II. — 2 Ibid.

ret. Quomodo est enim justa aut qualiscumque omnino electio, ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Jacob nondum natus, et nihil operatus; nec omnino eligi potuit, nulla existente differentia, qua eligeretur. Item, si nullo merito improbatus est Esau, quia et ipse nondum natus, et nihil operatus erat, cum diceretur; *Et major serviet minori;* quomodo ejus improbatio justa dici potest? Qua ergo discretione, quo æquitatis examine, quod sequitur, intelligimus, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui?* » Huic inquisitioni dubitando et ipse, ut sæpe consuevit, varie respondet. Possunt autem responsiones omnes ad duo veluti capita revocari; quot videlicet modi sunt enarrandi loci illius apostolici. Primum, ut illis verbis, *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*, finis et effectum significetur, cujus obtinendi gratia Deus ita de gemellis istis statuit, nempe ut intelligeretur, propositum Dei ab electione fluxisse; hoc est idcirco propositum, ac decretum habuisse subjiciendi majoris minori, quia hunc elegerat, alium odio habuerat. Quo posito, quæritur, cujusmodi ista sit electio, in qua nulla est meritorum distantia. An est aliqua naturarum? At nulla potest esse. « An, quemadmodum ex eadem terra idem creator produxit diversa animantium atque gignentium genera, ita ex eodem hominum conjugio atque complexu, produxit in geminis diversam prolem, unam quam diligeret, alteram quam odisset? » Sed, si hoc dicitur, « nulla ergo electio est, antequam esset, quod eligeretur. Si enim bonus factus est Jacob, ut placeret; unde placuit antequam fieret, ut bonus fieret? Non itaque electus est, ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit. »

VIII. Hæc ideo dicit Augustinus, quod nullam tum putaret, ut supra docuimus, electionem fieri posse, ubi non sunt merita diversa. Ideo non probat duplicem illam responsionem; quæ unum alteri anteferri vult, etsi nihil in utrovis insit, propter quod eligatur præ altero. Tertiam itaque mox affert: Elegisse Deum Jacob, quia futuram fidem in eo præscivit, vel fidei voluntatem, ob quam fratri eum anteposuit. Verum hanc etiam refellit; quia scriptum est, *non ex operibus* electum fuisse. Atqui, ut propter « fidem futuram, quam præsciebat Deus, electus dicitur; sic alius possit dicere, propter futura opera potius electum, quæ nihilominus præsciebat Deus. » Alterum respondendi genus est, ut illa eadem verba, *ut secundum electionem propositum Dei maneret*, non finem, ac velut causam exprimant, ob quam Deus Jacobum se elegisse pronuntiet, sed potius id, quod rejectum, evitatumque sit; atque ita prioribus annectantur, *Cum nondum*, inquit, *aliquid egissent bonum, aut malum;* ut propter bonum hoc opus electio aliqua fieret, ex qua propositum sequeretur justitiæ, ac salutis illi tribuendæ, *non ex operibus*, *sed ex vocante*, id est ex sola gratuita voluntate vocantis dictum est, *Major serviet minori.* Quibus deinde subtexit illa verba, quæ supra posuimus, unde præsens est orta disputatio. Hanc posteriorem responsionem magis amplecti videtur Augustinus, secundum quam electionem appellat majorem erga unum voluntatis propensionem, eo quod melior sit; propositum vero, voluntatem impertiendæ gratiæ, et huic annexæ salutis.

IX. At in plerisque aliis libris, quos Pelagiana jam orta tempestate scripsit, aliter Pauli verba illa solet explicare. Nam electionem vult esse gratuitam Dei voluntatem erga quosdam, quos ex communi corruptela, et exitio liberare statuit, relictis aliis. Propositum autem ab electione eo solo differt, quod illud absolute voluntatem gratificandi certis hominibus significet, sive consilium fixum ac ratum impertiendæ illis æternæ salutis sine respectu ad cæteros; electio vero, comparationem cum aliis includat. Est enim eligere, ex omnium numero quosdam præ aliis legere. Hinc illud apud Augustinum toties repetitum. « Secundum propositum vocati, et non vocati secundum propositum; » quod idem est, ac secundum electionem, quæ et segregationem ab aliis, et promovendorum ad gratiam et gloriam, hoc est ad hanc per illam, segregatorum consilium significat. Vide præcipue caput septimum libri *de Correptione et gratia*, ubi de electione et proposito ita agit, ut dixi, et diversa atque in libro *ad Simplicianum* notione sumit. Nec non caput XIX libri *de Prædestinatione sanctorum*, et octavum libri *de Dono perseverantiæ*; tum epistolam CV et CVI, ex quibus supra aliquot loca selegimus, cum de reprobatione diximus.

X. His omnibus, et aliis ex libris, ac tractatibus, in quibus de electione, ac prædestinatione reprobationeque agit Augustinus, constat, aliter ipsum de electione sensisse, postquam nata est hæresis Pelagiana, et adversus eam de prædestinatione cœpit accuratius contendere, quam antea, cum libros illos *ad Simplicianum* scriberet. Hic enim electionem esse nullam putabat aliam, quam

Augustinus aliter ante, aliter post natum Pelagianismum de electione sensit.

quæ ex distantibus secernit aliquos, eosque merito præponit aliis. Ideo prius esse docuit in Deo propositum, sive consilium gratificandi, hoc est voluntatem gratiæ illis largiendæ, sive, ut jam dixi, gloriæ conferendæ per gratiam. Non enim propter fidem, vel voluntatem fidei naturæ viribus exhibitam, Deum ad justitiam et ulteriora beneficia promovere credidit electos, cum ad Simplicianum opus illud elucubraret; sed jam pristinam opinionem alia, et veriore mutaverat, ut ipsius fidei voluntatem ac religiosum omnem motum animi præveniri sciret ab gratia. Verum hoc ipsum excitantis gratiæ beneficium non est ratus, electionem oportere dici, sed liberale Dei donum. Siquidem electio jam secreti ac distantis est ab altero. Porro nihil est, quod hominem ab homine discernat, præter gratiam. Quare posteriorem gratia tum electionem esse censuit. Postea vero etiam gratuitam illam Dei voluntatem, qua ex eadem massæ corruptela nonnullos excipit ad gratiam, et gloriam, electionem instituit dicere; et paulo aliter locum illum Apostoli interpretatus est, ita tamen, ut ea non retractarit, id est revocaverit, quæ in libro *ad Simplicianum*, etsi diverso modo, non tamen Pelagianorum hæresi consentaneo, de illis Apostoli verbis commentatus erat.

XI. Quo quidem in Augustini loco multum ab ejus mente ac ratione dissentire mihi videntur, qui *electionis* nomen in eadem sententia iteratum ab Augustino aliter atque aliter accipiunt. Nam, cum ita loquitur, « Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio : id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius, » de electione ad gratiam loqui illum existimant, « quam negat esse ex prævisis bonis operibus. » In his autem quæ proxime subjicit, « Sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cœlorum » de electione loqui ad gloriam, quæ præsensionem operum sequitur. Verum quis hoc persuadeat sibi, tam perplexe et incondite Augustinum ista scripsisse, ut in una voce ambigue usurpata lectoris sensus illuderet. Non est verisimile, neque hoc sententia ipsa patitur, quæ *electionem* utrobique una, et eadem significatione sumi postulat pro eo delectu, qui electorum, genere electionis illo, quod nondum constituerat, intellexit autem postea, justitia operibusque bonis posterior est, ut supra meminimus.

Quid aliud igitur, quam non expendisse verba illa, quibus utebantur, Augustini Vasquezium, aliosque putandum est, sed sola electionis ex meritis mentione percussos, ac reliquorum securos, id allegasse causa pro sua, et opinione, quod maxime illi esset adversum ? Quid si reliqua deinceps eodem in libro ab Augustino scripta legissent ? Profecto longe de ejus sententia secus existimassent. Nusquam enim expressiora sunt de gratuita prædestinatione ad gloriam, ac citra præsensionem operum Augustini testimonia.

XII. Imprimis statim post illa, quæ declaravimus, verba quærit, utrum fides saltem, a nobis utique profecta, vocatione sit prior, et illius merito divinam in nos misericordiam excitemus, quæ fuerat ante episcopatum illius quondam sententia. Huic vero quæstioni modo respondet, etiam fidem peculiare esse donum Dei, ejusque merita sequi vocationem potius, quam præcedere. « Ergo ante omne meritum, inquit, est gratia. » Tum ita concludit : « Ex vocante igitur minor accepit, non ex ullis meritis operum suorum, ut major ei serviret, ut etiam quod scriptum est, *Jacob dilexi*, ex vocante sit Deo, non ex operante Jacob. » Cum dominatus ille minoris fratris in majorem, destinationem gloriæ significet, (ut electionis voce interim abstineamus) idque et ex ratione ipsa constet Augustini, et Vasquez, « aliique, quod necessario faciunt, ita esse fateantur, quæro, quid adversus tam apertas voces hiscere omnino poterunt ? Nam, ne merita propriis extorta viribus fingere istic queant, prohibet illud, quod de meritis gratiæ sermonem sibi esse perspicue demonstrat, dum ea gratia penitus esse posteriora contendit. Ergo sine ullis gratiæ meritis ad salutem ordinatus est Jacob, ex vocante, hoc est liberali, gratuita, et nullis operum ac fide, et ex ea nascentis justitiæ provocata meritis voluntate Dei.

XIII. Neque hic argumentationis nostræ, et Augustiniani vis testimonii pondusque sistit. Nam subinde tam reprobationem ac damnationem Esau, quam Jacobi salutem ex nullis, qualia posuerat fidei gratiæque pendere meritis, hoc est a Deo definitam esse, sic approbat, ut ex uno concludat alterum. Statim enim post ea, quæ descripsimus verba, subjungit : « Quid deinde Esau, quod servit minori, et quod scriptum est : *Esau autem odio habui*, quibus malis suis hoc meruit, cum et ipse nondum natus fuisset, neque aliquid egisset boni aut mali, quando dictum est : *Et*

major serviet minori? An forte, quemadmodum illud de Jacob nullis meritis bonæ actionis dictum est, ita Esau nullis meritis malæ actionis odiosus? Si enim, quia præsciebat Deus futura ejus opera mala, propterea eum prædestinavit, ut serviret minori, propterea prædestinavit et Jacob, ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat, et falsum est jam quod ait: *Non ex operibus*. Si autem verum est, quod non ex operibus; et inde hoc probat, quia de nondum natis, nondumque aliquid operatis hoc dictum est: unde nec ex fide, quæ in nondum natis similiter nondum erat quo merito Esau odio haberetur, antequam nasceretur? » Vides, ut Augustinus eamdem utrobique concludendi necessitatem esse judicet, ut, si Esau, antequam natus esse, ac mali quippiam, vel boni meruisse prævideretur, a Deo rejectus est, etiam Jacob, ante omnem meritorum præsensionem prædestinatus sit ad salutem, et vicissim ex Jacobi gratuita prædestinatione, Esau reprobatio nullis ex propriis meritis facta colligatur. Quin illud Apostoli: *Non ex operibus*, sic interpretatur, ut non minus opera, et merita gratiæ, quam naturalia velit excludere; quippe « ante omne meritum est gratia, » ut paulo ante dixit. Quinctiam paulo post nominatim *fidei justitiam*, hoc est præsensionem talium meritorum rejicit. Denique postquam id opposuit, sibi videri iniquitatis esse aliquid in Deo, qui Esau, nullis ejus prævisis meritis, odio habuerit, et hoc ipsum sæpius inculcavit, nulla præsensisse mala merita Deum, ut Esau reprobaret; ne hoc quidem, quod vocatus venire ac respondere nollet, postremo causam, et meritum obdurationis, et reprobationis refert in corruptelam humani generis, ac massæ damnationem ex Adamo contractam, « Sunt igitur omnes homines, quandoquidem, ut Apostolus ait: *In Adam omnes moriuntur,* a quo in universum genus humanum origo ducitur offensionis Dei una quædam massa peccati supplicium debens divinæ summæque justitiæ; quod sive exigatur, sive donetur, nulla est iniquitas. » Hinc apparet, validissime ex hac Augustini disputatione confici, tam sine propriis meritis, propter solam originis noxam, damnari reprobos, ac rejici, quam electos sine propriis bonis meritis, et ex nulla istorum præsensione ad gloriam ordinari; nec id usquam doceri ab illo clarius, quam eo loco, quod esse firmissimum opinionis contrariæ præsidium hactenus omnes arbitrati sunt.

XIV. Alterum Augustini locum refert Gabriel Vasquez, ex tomo X, serm. VII *de verbis Dom.* secundum Matthæum, ubi ait, « elegisse Dominum suos, et secundum suam gratiam, et secundum illorum justitiam, » etc. Tum, *Ego*, inquit, *illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal*. Verum de electione ad gloriam ibi non loquitur Augustinus, sed de electione ad uberiorem peculiaremque gratiam; cujusmodi erat illa, de qua in libro III *Reg.* XIX significabat Dominus, cum ad Eliam ita loquitur: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*, quæ ad electionem Paulus accommodat *Rom.* XI. Est igitur hæc electio nihil aliud, quam tutela quædam, et protectio Dei, qua illos præsidio suo ita texit, ut Baalis sacrilego cultu implicari non permiserit; quod in sequentibus ostendit, cum sic Dominum inducit Eliæ loquentem: *Et tu, qui loqueris, nisi de me præsumeres, ubi esses? Nisi gratia mea plenus esses, nonne ante Baal etiam ipse genu flecteres? Gratia autem mea plenus es, quia nihil de tua virtute, sed totum de mea gratia præsumpsisti.*

XV. Tertius locus a Vasquezio et Lessio citatur ex libello quodam *de Prædestin. Dei*, qui postremus est in appendice operum August. tomo VII, quo in libro diserte prædestinationem remunerationis, ut et pœnæ, ex prævisis operibus bonis ac malis a Deo fieri disputat. Verum libellus iste non est Augustini, sed imperiti cujusdam, qui merito se cum asina Balaami comparat. Et valde miror ab ullo, qui quidem legerit, pro Augustiniano referri. Unde merito ab Lovaniensibus rejectus est, et inter spuria collocatus. Hæc sola tria testimonia Gabriel Vasquez ex Augustino protulit. Lessius vero plura commemorat; quæ tamen iis notatis, et expensis, quæ ad explicandam sententiam nostram cap. XII diximus, facile conciliari poterunt. Nam pleraque contra illam tantummodo theologorum opinionem utcumque faciunt, qui absolute, ac citra ullum operum præsensionem et implicationem eligi homines ad æternam salutem volunt; postea vero, quibus modis, adjumentisque perducendi sint, definire Deum: quod nos Augustinum si sequimur, minime sentimus, sed eodem contuitu Deum asserimus, gratiam, sive merita, et æternam salutem respicere, ac destinare, sive gloriam tanquam per certa merita et gratiarum ordinem adeptam.

XVI. Quocirca, cum Augustinus libro *de Dono perseverantiæ* capite XIV, prædestinationem Sanctorum nihil esse dicit aliud, « quam præscientiam, et præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur ; » quod quinto loco Lessius objicit, indeque concludit, « absolutam voluntatem conferendi gloriam non antecedere præparationem horum beneficiorum, et mediorum salutis; quia prædestinatio potissimum consisteret in illa voluntate, » quandoquidem « tota mediorum præparatio ex illa voluntate » nasceretur, « in eaque tanquam fundamento recumberet; » ideo non recte sola beneficiorum præparatione, hoc est mediorum, prædestinationem definiret Augustinus: hoc, inquam, Augustini testimonium, et ex eo Lessii argumentatio nihil nos commovet. Siquidem prædestinationem asserimus non esse solius gloriæ, et utcumque tribuendæ propositum; sed esse voluntatem perducendi hominem ad gloriam per quarumdam gratiarum ac meritorum seriem sic, ut prædestinanti Deo pro indiviso utrumque simul objiciatur. Jam illa prædestinationis definitio perspicue gloriam una complectitur, non solam gratiam. Primum, quia beneficia Dei vocat Augustinus illa omnia dona, quibus ex massa perditionis certissime liberantur electi, ut ex antecedenti sermone colligitur; at ista liberatio utroque fit, gratiæ videlicet, et salutis æternæ largitione. Secundo, ut prædestinationem ad sola restringamus adjumenta gratiæ, nihilominus ad illius objecti naturam et essentiam gloria ipsa pertinebit. Etenim beneficia illa Dei ea solum ratione prædestinationis propria sunt, et sub communi beneficiorum genere, ac nomine distinguuntur ab cæteris, quæ eodem genere comprehenduntur, ut exempli causa ab iis, quæ reprobis conferuntur, quod certissime gloriam afferant, et ad eam σχέσιν, ordinem et habitudinem involvant, ut supra capite VII demonstravimus. Ideo sanctus Augustinus talia hæc esse beneficia dicit, quibus certissime liberantur a massa perditionis, vel æterna damnatione ; quod ne intelligi quidem potest, nisi vitæ ipsius æternæ donatio eadem notione concepta sit.

XVII. Quarto nonnulli, gloriam æternam ex meritis destinari, persuadere putant Augustinum, cum illam ipsam gloriam non simpliciter esse gratiam affirmat, sed gratiam pro gratia, quia videlicet merita ipsa, propter quæ datur, gratis data sunt. Etenim libro *de Gratia et libero arbitrio* capite VIII hac sibi proposita quæstione, « Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissime dicit Scriptura : *Quoniam Deus reddet unicuique secundum opera ejus ;* quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur ? » mox ita respondet : « Illa ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus et ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, » ac subinde, « Itaque, si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia, sine dubio et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est ; et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est ; hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia ; ut verum sit, quoniam verum est, quia reddet unicuique Deus secundum opera ejus. » Quod et alibi repetit, ut epist. CV. Atqui, si Augustinus, inquiunt, per se gratis hominibus destinari gloriam arbitraretur, eam utique per se gratiam non dubitaret dicere ; ne propter antecedentem solum gratiam, cui rependitur, gratiam appellari contenderet.

XVIII. Respondeo, gratiam ab Augustino plerumque accipi pro effecto ipso gratificantis divinæ voluntatis, ac dono, quod in tempore largiendum designat : ita ut voluntas ipsa, vel Dei propositum gratia non vocetur, tametsi gratuitum aliquod donum, ac sine meritis tribuendum respiciat. Sic in libro *de Prædest. sanct.* capite X : « Inter gratiam porro, et prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio ; gratia vero jam ipsa donatio. » Sic alibi prædestinationem definit *præparationem beneficiorum Dei ;* quæ beneficia, donaque, quatenus merita præcedunt, gratuita sunt, et tamen horum largiendorum voluntas minime gratia nuncupatur. Quocirca appellatio ipsa gratiæ, non tam ex natura conditioneque causæ, seu propositi ipsius ac voluntatis petitur, quam ex modo et ratione conferendi. Æterna gloria si ad electionem ipsam, ac prædestinationem, cujus in Deo causa est nulla, etiam, ut vocant, *objectiva*, referatur, gratuita gratia et est, et appellari potest. Sin ita consideretur, ut ab eodem Deo illa ipsa prædestinatione tribuenda decernitur, ac reipsa in tempore aliquando dabitur ; gratia non est absolute, sive gratuita, sed gratia pro gratia. At Augustinus posterioris hujus, quod

in objecto et effecto ipso cernitur, rationem habuit, non prioris; unde gratiam simpliciter negavit esse gloriam.

CAPUT XV.

Quæ adversus explicatam hactenus Augustini sententiam objici solent, ex ejusdem doctrina refelluntur. Quomodo reprobis a Deo gratia detur, sine voluntate salutis dandæ, ex illius mente : quod apposito exemplo declaratur. Nullam antecedentem necessitatem ex Augustini opinione colligi.

I. Permulta sunt, quæ partim ex Scripturis, partim ex humana deprompta ratione contra Augustinianam illam de prædestinatione doctrinam argumentando colliguntur; imprimis autem a Vasquezio et Lessio. Sed ea fere opinionem illam eatenus oppugnant, si, quod nonnulli faciunt, decerni a Deo gloriam absolute, hoc est cum nulla meritorum serie connexam et contextam arbitremur. Sin, quod verius ex Augustino putamus, eam ipsam gloriam non præcise, absoluteque, sed tanquam præmium, atque ex meritis, quæ certo futura præscivit Deus, pendentem, et cum illis ordinatam destinasse dicamus Deum, nullum contra nos momentum pleræque illæ rationes afferunt. Itaque paucas hic, omissis aliis, adducemus in medium, quæ universe gratuitam in certos homines a perditionis massa liberandos, et ad salutem promovendos voluntatem Dei videntur evertere. Harum prima illa sit, quæ ex sacris Litteris, et ex communi piorum sensu petita, firmissima creditur. Apostolus enim primæ *ad Timotheum* secundo, Deum asserit *velle omnes salvos fieri*. Et alibi, *qui est*, inquit, *salvator omnium, maxime fidelium*[1]. At, si Deus pro sua voluntate nulla meritorum ratione, paucos tantummodo perducere velit ad salutem, non potest dici, eam omnibus velle tribuere.

Contra Augustinianam objicitur sententiam ex Apostolo Deum velle omnes homines salvos fieri.

II. Dupliciter huic argumento responderi potest. Primum ex communi theologorum sententia, qui gratuitam electionem statuunt. Secundo ex Augustini opinione atque doctrina. De priori nihil hoc loco necesse est agere; id enim ab aliis copiose est factum, qui reprobationem, sive voluntatem non salvandi duplicem constituunt, ut supra significavimus. Quoniam autem Augustinus expresse ac diserte negat, Deum omnes omnino salvos esse velle, sed eos solos asserit velle, quos ex æterno prædestinavit, quid sit ex ejus opinione consequens, explorari a nobis oportet, Hoc enim extra controversiam est, eumdem, quod habet catholica fides, existimasse, non solos prædestinatos fide ac justificatione affici, sed etiam reprobos; contra quam impie stolideque Calvinus et ejus factio omnis affirmat. Quam Augustini sententiam complura superius allata ipsius loca demonstrant, et id alias ex instituto probabitur. Hinc autem vehemens oritur et perplexa quæstio, quemadmodum Deus reprobo gratiam ac justitiam conferre velit, cui gratiæ fructum, ac justitiæ nimirum salutem nolit impendere. Nam, cum gratia ad comparandam gloriam adjumenti, et, ut vocant, medii conditionem habeat, ac nemo, qui quidem prudenter, et ex consilio aliquid agit, rei cujuspiam acquirendæ præsidia dare velit alteri, nisi idipsum, quo illa referuntur, utcumque ab illo velit obtineri; necesse est, Deum, quos ad salutem parandam idoneis auxiliis instruit, eos ipsos, quantum in se est, salutem velle consequi.

III. Ac sanctus quidem Augustinus, cum de reproborum justificatione disserit, sæpe id asserit, idcirco gratiam et justitiam iis impertiri Deum, quibus perseverantiam dare non decrevit, ut ex illorum ruina discant electi, quanto beneficio quantis ex malis sola misericordiæ suæ largitate sint erepti. Sic in libro *de Dono perseverantiæ*, cap. VIII : « Deus, inquit, melius esse judicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim a perniciosa elatione reprimit; quod ait Apostolus, *Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat*.» Idem capite XII repetit*.

* Quicumque *Vasquezii* ac *Lessii* acutissimorum hominum, quique *Petavio* lectione forte multijuga, sed ingenio minime inferiores erant, quicumque, inquam, eorum partes tueri voluerit, dicet hæc nullo modo solvere objectionem ex Pauli verbis petitam et § 1 propositam. Nam ex sententia quam defendit hic noster, Deus vult quidem suppeditare fidem ac justificationem reprobis, sed non salutem, ideoque certum est, secundum Augustini doctrinam, Deum *nolle omnes salvos fieri*, contra quam docuit Paulus. *TH. AL.*

1 *Tim.* IV, 10.

Quomodo reprobis gratia detur absque voluntate dandæ salutis.

Quocirca ex mente illius asseverandum est, reprobis, et in massa damnabili derelictis Deum auxilia quædam gratiæ velle concedere, sine dandæ gloriæ voluntate. Ac, cum finis alius sit citimus, alius longinquus, et ultimus; horum prior, in quem proxime Deus intuens, gratiam aspirat homini, est commotio illius ad fidem et charitatem, nec non sanctitatis ac justitiæ status, quo illum conatur inducere; posterior est æterna felicitas. In electis ac prædestinatis utrumque propositum habet ex Augustini sententia Deus, etiam in ipso vocationis, ac justificationis exordio. Nam ideo prædestinationis propria esse gratia dicitur, non solum quia est efficax, hoc est priorem illum consensionis nostræ ac justificationis finem a nobis exprimit, sed etiam quia ex immutabili ac fixo conferendæ proposito salutis, ita Deus illam dare decrevit, ut in istam certissime desitura sit series inde propagata beneficiorum omnium; ut nos supra demonstravimus. Atque hoc in hominibus ipsis plerumque cernimus, ut ea, quæ per sese, et ex natura sua ultimum et primarium aliquem ad finem pertinent, non hujus tamen fiant gratia; sed in proximo ac secundario consistant.

Appositum exemplum.

IV. Sic in libro primo *Machabæorum*, Simon Jonathæ fratris, quem per dolum Tryphon ceperat, liberos duos obsides cum centum talentis ad hunc misit qui se ea conditione dimissurum esse Jonatham, falso promiserat[1]. Nec latebat Simonem Tryphonis perfidia, et nihilo magis liberandum esse fratrem suum certissime noverat; verum, ne apud populum invidiam ea res haberet, quasi principatus amore fratrem perire ultro passus esset, quæ erant postulata perfecit. Fingamus id illi, quod ex Tryphonis moribus haud frustra conjecerat, divinitus indicatum fuisse. Cum igitur obsides parvulos cum pecunia mitteret Simon, quamvis Jonatham nullo modo liberandum esse cognosceret, hujus tamen recuperandi gratia facere ista videbatur, quæ infamiæ vitandæ causa faciebat. Nam illius assequendi studio, quod nulla ratione futurum intelligeret, præstare ista serio non poterat. Quod igitur homines tenuibus, et angustis in rebus suis agunt sæpius, multo id magis generalis, et omnium procreatrix, ac moderatrix causa Deus efficiet, cujus late ac per universa providentia diffunditur, eademque ex infinita secundarum varietate causarum, et concursione, singularum rerum origines, atque eventa contexit. Proinde quasdam ad res consequendas impetus, ac voluntates, aut idonea suppeditare adjumenta potest, quarum rerum compotes minime illos fore videat, imo esse nolit omnino. Hæc cum Augustini doctrina cohærentia sunt, quæ tamen ab aliis ejusdem opinionis fautoribus aliter explicantur, reprobatione assumpta duplici, quam superius attigi.

2ª Objectio e promissionibus comminationibusque divinis petita.

V. Alterum Lessii argumentum : Non videtur, inquit, ille modus electionis cum divinis pollicitationibus et comminationibus, quæ conditione quadam affectæ sunt omnes, congruere. Etenim cujusmodi est divinæ voluntatis indicium, talis et esse voluntas ipsa debet. Quare conditionata promissio signum est conditionatæ voluntatis. Unde non absolute salutem decernit electis Deus, sed eadem lege, et conditione, quam in ipsa velut stipulatione cernimus, si ad oblatam gratiam constanter adhærescant.

Hæc argumentatio potest illos commovere, qui absolutam et nullis implicatam meritis a Deo salutem in priore, quod fingimus, momento desponderi volunt electis, et iisdem viam illius consequendæ, ac rationem postea præscribi. Augustinum vero ab illa tutum ac securum præstat interpretationis nostræ formula, quæ sempiternam felicitatem haud absolutam conditione meritorum, sed cum iis conjunctam, et modificatam offerri statuit electioni Dei, qui, mercedis instar, bonis illam meritis ut rependit, ita rependere ex omni æternitate decrevit. Quocirca non vani sunt terrores et interminationes, vel promissorum blanditiæ; quibus ad officium revocantur, aut in

* Responso hoc nequaquam satisfit Lessianæ objectioni quæ hoc vult, salutis collationem pendere ex conditione, a Deo minime quasi suo opere decreta, sed a creatura præstanda. Nam si Deus decernens salutem, eadem opera decernit omnia, ut loquuntur, *media*, illa media non sunt amplius conditio a creatura præstanda, sed a Deo, omnipotentia sua efficienda. Est tantum species quædam externa conditionatæ promissionis, sed est, si in se spectetur, et gratiæ et salutis collatio prorsus absoluta. Itaque Petavius ex sententia Augustini, debuit negare ullam esse proprie dictam conditionem; sed præcepta conjuncta cum promissis et minis, et præsertim cum intus operante et efficace gratia, adeoque fidem et sanctitatem quæ sunt ejus gratiæ effectus, esse media quibus Deus utitur ad prædestinatos ad salutem perducendos. Sed Lessii discipuli hæc omnia gravibus objectionibus oppugnassent. *TH. AL.*

1 I *Machab.* XIII

officio continentur electi. His enim artibus, modisque Deus illos ad finem certissime provehere statuit, ex quibus non minus, quam ex aliis aurea illa prædestinationis catena pertexitur.

Non dissimilis ad ea responsio est, quæ plerique magni contra illam opinionem esse momenti putant. Hinc enim sollicitudinem ac timorem arceri dictitant, cum ita quisque ratiocinari possit : Aut e numero sum electorum, aut non sum. Si ex illo sum numero, fieri non potest, ut a salute excidam. Est enim decretum illud Dei absolutum, et immutabile. Si non sum, nullo meo conatu salutem adipisci potero. Ex quo neglectus bonorum operum, et quidam vel desperationis, vel confidentiæ torpor obrepit.

3ª Obj. e consectariis confidentiæ vel desperationis.

VI. Responderi potest nihil hoc adversus opinionem Augustini facere. Siquidem prædestinatio et electio nostra pendet ex operibus ac meritis, per quæ et propter quæ Deus sempiternæ felicitatis præmia destinare voluit. Quamobrem, si universe absoluteque loquamur, falsa hæc est enuntiatio : « Quidquid agas, nihilominus ad salutem pervenies, si a Deo sis electus. » Non enim alia ratione pervenies, quam per illa pietatis officia, quæ in tua fore potestate, ac te adeo libere facturum Deus ante præviderit. Quod si tota ipsa complexio sumatur, quem *compositum sensum* vulgo nominant, hoc est, si divina ipsa præscientia decretumque jungatur, verum illud erit. Si te Deus salvum fore præviderit, hoc ipso, quod prævidit, non potes non esse salvus. Verum non Augustinus istud potius, quam communem catholicorum omnium fidem oppugnat, quæ sic a Deo prævideri, antequam fiant, universa fatetur, nulla ut inde, nisi consequens eorum necessitas existat. Vide Augustinum libro *de Dono perseverantiæ*, capite XVI.

Sane quidquid adversus gratuitam electionem hujus generis ab adversariis opponitur, perinde contra illos procedit, qui efficacem gratiam et congruentem ex peculiari Dei benevolentia, certis hominibus attributam esse sentiunt; nimirum talem, quæ certo finem suum assequatur, et quam ejusmodi futuram Deus intuens, non omnibus, sed quibus voluit, sua voluntate destinarit, reliquis eam præparaverit, quam sciret, nullum exitum habituram : præsertim cum perseverantiæ donum gratis, ac quibus vult, a Deo concedi iidem illi statuant, quocum necessario conjuncta est æternæ salutis adeptio. Unde quidquid illi contra gratuitam electionem argumentando colligent, idipsum contra gratuitum perseverantiæ beneficium licebit objicere, velut est illud : Quidquid agas, si Deus efficacem gratiam, vel perseverantiam tibi dare decreverit, omnino et hanc, et æternam gloriam assequeris. Huic argumento quidquid respondere possunt, idem pro se gratuitæ fautores electionis arripient. Non enim negare poterunt, quin Deus quibusdam duntaxat hominibus, ac quibus placuit, tum ejusmodi gratiæ adminicula dare constituerit, quæ non modo certo, sed etiam sola effectum habitura cognosceret : tum perseverantiam ipsam, cui soli merces æterna tribuitur. Quod si nihilominus in electorum potestate situm esse salutis negotium acerrime defendunt, quoniam decreti illius divini usus, atque exitus libertati nostræ et consensioni illigatus est; quam non solum certissime novit accessuram Deus, sed etiam omnipotentissima sua voluntate et gratia, cui scit humanam voluntatem non posse resistere, sese illam non ab invitis, sed volentibus expressurum esse prævidit : cur non eadem et nos ex Augustini mente usurpare de electione ac prædestinatione salutis æternæ jure nostro poterimus? Hanc enim perinde immobili decreto Dei fixam, ac constitutam esse volumus, ut illius exitus in prædestinatorum libertate ponatur.

VII. Atenim, si Deus absolute salutem dare decrevit, oritur quædam necessitas antecedens omnem voluntatis consensum; atque adeo necessario, non libere salutem adipiscuntur homines; quod sanæ fidei contrarium est. Respondendum est vero propositum illud Dei non antecedere libertatis nostræ consensionem, quam eodem momento certo a nobis impetrare constituit Deus, quo æternam salutem, velut consensionis illius præmium, conferre statuit. Cum enim ante fixam de statu cujusquam sententiam animadverterit, se hos et illos tam opportunis gratiæ suæ adminiculis excitare posse, ut ad emerendam et obtinendam salutem se volentes applicent, subinde idipsum, quod se certo facere posse prævidit, reipsa constituit exequi. Unde, quemadmodum antegressa illa Dei scientia nequaquam humanæ nutum libertatis excludit, sed eum tanquam objectæ sibi rei partem una complectitur (quod enim cognitioni illi ex integro subjicitur, est sempiterna gloria per

Ex prædestinatione nulla necessitas antecedens oritur.

istam libertatis propensionem et horum operum seriem certissime comparanda, si Dei voluntas annuerit); ita quæ ex illa cognitione sequitur impertiendæ per ista præsidia salutis efficax et fixa Dei sententia, eamdem humanæ voluntatis applicationem respicit; nec eam antecedit, sed prævisam sequitur. Non enim absolute, ac sine ulla σχέσει et *habitudine* ad συνεργίαν nostram, præmium illud immortalitatis aut obtineri posse prævidet, aut, ut obtineatur, aliquando destinat. Ideo non potest antecedens vocari necessitas, quæ ex eo decreto nascitur, sed consequens. Præterea antecedens necessitas, et libertati contraria est ejusmodi, quæ necessario esse rem facit, ut ait Anselmus libro *de Concordia præsc. et prædest. Dei;* hoc est quæ sic effectum ponit, ut ejus productio ab libera nostra voluntate minime pendeat, sed in nobis sine nobis existat. At non talis ex divina destinatione necessitas oritur, quæ vel invitum, vel nihil ex sese conferens, liberum arbitrium hominis inflectat.

Cooperationem.

4° Obj. ex alio textu Apost.

VIII. Postremo id ex epistola secunda *ad Timotheum* solet objici[a]: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum*[1], ex quo sequitur in potestate esse vasorum contumeliæ, ut fiant honoris vasa. Sed hoc ipsum, quod consequi videtur, ne illi quidem fatebuntur, qui prædestinari unumquemque volunt ex meritis; siquidem prædestinatorum, ac reproborum uti certum numerum, sic immutabilem prorsus esse cum Augustino sentiunt. Quare necesse est Apostolum vasa illa pretiosa, et vilia non ad statum æternæ prædestinationis, aut reprobationis, sed ad præsentis justitiæ, aut peccati retulisse, cui vel adversarii ipsi consentiant. Lugdunensis Ecclesia in libro *de Tribus epistolis* fuse huic argumento respondet[2], atque Apostoli verba sic explicat, ut emundatio illa, qua se homines repurgant, ut sint vasa sancta, sit effectum, et probatio quædam prædestinationis æternæ, quam iis verbis antecedente versu significavit idem Apostolus: *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* » Quod ergo cognovit Dominus, qui sunt, æterna electio est : ut autem discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini, certa ipsius electionis probatio est*. »

CAPUT XVI.

De prædestinatione, ac reprobatione Latinorum Patrum ac cæterorum doctrina traditur, tam qui Augustino priores fuerunt, quam qui eum secuti sunt : quorum variant sententiæ, Joannis Scoti, et Gothescalci monachi opiniones.

De prædestinatione doctrina Novatiani.

I. Nunc aliorum, præter Augustinum, Latinorum Patrum persequendæ sunt sententiæ; præsertim eorum, qui et illo, et Pelagiani erroris controversia posteriores extiterunt. Ac primum auctoris illius, qui *de Trinitate* librum edidit, qui sub Novatiani nomine inter opera Tertulliani ponitur, cum sit neutrius amborum, consideranda sunt verba, cap. XXIV, ubi Christum esse Deum, probat illo *Joannis* XVII testimonio, quo « claritatem habuisse dicitur, antequam mundus fieret. Hoc vero non prædestinatione intelligendum est, ait; nam si prædestinatione dicitur gloriosus, cum in Dei prædestinatione ordo servetur, multi ante Christum prædestinati, et gloriosi fuerunt. » Quasi in prædestinantis Dei mente idem sit ordo futurarum rerum, quo producuntur, ac singillatim existunt; quod est absurdum. Hinc tamen, quid sit consequens apparet : nimirum hunc voluntatem illam Dei, qua vitam æternam destinat, posteriorem altera putasse, qua parandæ illius adjumenta suppeditat; siquidem non alio modo, vel ordine divina futuris de rebus consilia procedunt, quam quo oriuntur et incipiunt in tempore. Sed, eo prætermisso, cujus haud magni ponderis est opinio, commemorandus venit Ambrosius; qui in libro V *de Fide ad Gratianum*, cap. V, de illis Christi verbis agens *Matth.* XX: *Non est meum dare vobis* sic ea declarat : « Non est meum, qui justitiam servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit : *quibus paratum est;* ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis;

Ambrosii.

[a] Quæ hactenus Petavius de Augustini mente gravissime disputavit, cum illis conferenda sunt, quæ lib. X *Historiæ theologicæ* disseruit vir nunquam sine summis laudibus nominandus Scipio Maffeius. Z.

1 II *Tim.* II, 20, 21. — 2 Lugd. Eccl. col. 383.

quia Deus personarum acceptor non est. Unde et Apostolus ait : *Quos præscivit, et prædestinavit.* Non enim ante prædestinavit, quam præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit. » Manifeste prædestinationem ex meritorum præsensione fieri credidit; quod ipsum tamen sententiæ Augustini minime refragatur. Nam et ille arbitratur, non ante prædestinari electos ad gloriam, quam illorum merita præsciverit; sed eodem utrumque momento fieri dicit, ac pro meritorum magnitudine, majorem minoremve constitutam esse mercedem. At in comment. ad c. VIII et IX epist. *ad Rom.* aperte ex præscientia, qua Deus novit, qualis quisque sit futurus, eligi, vel reprobari asserit homines. Sed commentarii isti non sunt Ambrosii, ut olim ab eruditis animadversum est. Hilarius in *Psalm.* LXIV perspicue electionem ex meritis fieri demonstrat his verbis : « Itaque non res indiscreti judicii electio est; sed ex meriti delectu facta discretio est. Beatus ergo, quem elegit Deus. Beatus ob id, quia electione sit dignus. » Agit autem de electione ad gloriam, ut mox indicat : « Scire autem nos convenit, inquit, hic beatus in quam rem fuerit electus, scilicet ad id, quod sequitur : *Inhabitavit in tabernaculis tuis.* Omnis perfectio bonorum, inhabitationis cœlestis est requiei. »

Hilarii.

Hieronymi.

II. Hieronymus epist. CL *ad Hedibiam*, quæst. X, ubi de IX capite Pauli *ad Roman.* disputat, in eamdem partem videtur esse propensior. Etenim Apostolum ait, cum in exemplo fratrum duorum ostendisset, non ad eorum merita respexisse Deum, venientem e latere quæstionem more suo proponere : *Quid ergo dicemus? Iniquus est Deus?* Tum illa subjicere verba *Exodi* XXXIII : *Miserebor, cui misertus fuero*, etc., quæ non ex sua persona pronuntiata sunt ab Apostolo, sed tanquam ab objiciente prolata, qui hoc absurdum colligi dicat : *Non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Quo posito, quid tandem conqueritur, quod nos bona non facimus, vel facimus mala, « cum in potestate ipsius sit et voluntate, absque bonis, et malis operibus vel eligere aliquem, vel abjicere? » Hanc quæstionem sic a Paulo dissolvi asserit : *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo?* « Et est sensus : Ex eo, quod respondes Deo, et calumniam facis, et de Scripturis tanta perquiris, ut loquaris contra Deum, et justitiam voluntatis ejus incusas, ostendis te liberi esse arbitrii, et facere, quod vis, vel tacere, vel loqui. » Tum illud de massa, figulo, et vasis, eo pertinere censet, ut demonstret Apostolus, non similiter ac figulus vasa, Deum homines pro suo libito tractare, sed usum illis rationis, et arbitrii permittere. « Non, inquit, salvat irrationabiliter et absque judicii veritate, sed causis præcedentibus; quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt, etc. Ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates. » Hæc Hieronymus; ubi Apostoli verba minus commode est interpretatus. Nam ista : *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo*, etc., certum est id agere, ut occultorum Dei judiciorum non esse perscrutandas rationes intelligant, qui talia percontantur, quemadmodum ex alio quodam interprete statim commemoravit Hieronymus. Verum prior ejus expositio divinam electionem ex meritis institui, satis affirmat. Præterea in comment. ad hæc Esaiæ verba : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis*[1]; » etc. hæc adnotat : « Liberum servat arbitrium, ut in utramque partem non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum vel pœna, vel præmium sit. » Tum ad caput I *Malachiæ.* « Dilectio, inquit, et odium Dei vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus, etc. »

III. Prosper in plerisque locis illam, quam Augustino esse consentaneam ostendimus, de prædestinatione sententiam affirmat; tametsi in aliis nonnihil discrepare videtur. In epistola *ad Ruffinum, de Libero arbitrio*, illos redarguit, qui negabant, « ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum, certum apud Deum definitumque esse numerum prædestinati in vitam æternam populi, et secundum propositum Dei vocantis electi. » Tum de illa ipsa liberatione per gratiam perseverantem, æternamque vitam disserens, demonstrat eam non ex meritis, sed ex divinæ bonitatis divitiis ortum capere; idque parvulorum exemplo colligit, « in quibus nec præcedens eligitur, nec secutura devotio; non obedientia, nec discretio, non voluntas. » Unde nec verum esse dicit, quod quidam asserunt Deum omnes omnino velle salvos fieri. « Numquid non sunt de omnibus hominibus, qui a præteritis generationibus usque in hoc tempus sine Dei cognitione perierunt? Et si majoribus natu (quod non recte dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiserant, obfuerunt, quasi boni, non mali, gratia liberentur, inter salvatos par-

Prosperi.

[1] *Esa.* I, 19.

vulos et non salvatos parvulos quæ meritorum potuit esse discretio? quid istos introduxit in regnum Dei? quid istos exclusit a Dei regno? Equidem, si merita consideres, non una pars salvari meruit, sed utraque damnari; quia omnibus in Adæ prævaricatione prostratis, nisi quosdam assumeret misericors gratia, maneret super universos inculpata justitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa, vel ratio, et supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, et sine fidei diminutione nescitur, modo confiteamur neminem immerito perdi, neminem merito liberari, et omnipotentissimam Domini bonitatem omnes salvare, et omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos vult omnes fieri salvos et ad agnitionem veritatis venire. Nisi enim ipso vocante, docente, salvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur. »

IV. In his verbis manifeste Prosper, liberationem e massa corrupta non per solam fieri gratiam existimat, sed per æternam vitam ac salutem; hanc vero nullis ex meritis etiam gratiæ prævisis, sed ex solo Dei arbitrio contingere, probat exemplo parvulorum, qui nullis propriis meritis in salutem, aut damnationem incidunt. Quare, cum hoc ipsum, quod in illa ætate fit, argumento esse velit ejus, quod in grandioribus evenit, perspicuum est existimasse Prosperum, non propter bona, vel mala merita privatim edita prædestinari unumquemque, vel reprobari. Negat enim, majoribus natu obfuisse mala opera, quominus introducerentur in regnum cœlorum; et ideo negat, quia nec parvulis obfuerunt. Præterea, cum voluntatem, qua velit omnes facere salvos, adimit Deo, non parum Augustiniano dogmati suffragatur. Illud enim ex isto consequens est, ut supra diximus. At id non solum in epistola ista significat Prosper, sed etiam in carmine *de Ingratis*, cap. x et xi, eadem prorsus de causa, quam et Augustinus affert; quia Dei voluntas ex hominum arbitrio non pendet; quasi juris illius sit, irritum reddere consilium Dei.

« Ergo hominis valida arbitrio divina vo-[luntas,
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo [est,
Quem frustra juvisse velit, nisi præferat ille
Affectum, cujus comitetur gratia cursum. »

V. At in libro *Respons. ad Capit. Gallorum* videtur causam, cur aliqui prædestinati non fuerint, in eorum voluntatem culpamque rejicere. Nam capite secundo docet, adultos reprobos minime propter peccatum originale damnari, sed propter crimina postrema. Et capite III: « Quod ergo, inquit, hujusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo prædestinati sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. » Capite VII de reprobis agens, « illos, ait, ruituros propria ipsorum voluntate præscivit; et ob hoc a filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit. » Item c. XII: « Vires obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit, sed quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit, ideo eum non prædestinavit. » Item docet sententia VII quam in fine libri illius opponit septimo *Gallorum* capitulo; nempe quia reprobos voluntaria defectione Deum esse deserturos prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuisse. In his causam, cur in massa damnabili relinquantur reprobi, non adscribit communi cum electis originali culpæ, sed privatis ipsorum peccatis; in quo minus Augustinianam doctrinam amplectitur. Sic in libro *Responsionum ad Vincentianas objectiones*, ab eadem deflectit Augustini sententia, dum, velle omnes fieri salvos Deum, affirmare videtur, alio atque ille sensu docuit; de quo agemus postea. Et ad objectionem duodecimam, causam, cur non sint prædestinati reprobi, voluntariæ illorum defectioni tribuit. « Nullo igitur modo, inquit, prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex filiis Dei filii sint diaboli (prædestinationem ibi pro reprobatione accipit.) Hi autem, de quibus dicitur : *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum :* voluntate exierunt; voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reversuri, et in sanctitate ac virtute mansuri. » Vide responsionem XVI. Sibi constare non videtur Prosper.

In libro vero secundo *de Vocatione gentium*, (nam hoc opus Prosperi esse creditur) sententiam Augustini itidem, ut nos eam intelligendam docuimus, declarat, quatenus sic a Deo prædestinari ad vitam homines asseveramus, ut tamen piis laboribus ad illam perveniri velit. Nam c. XXXIX postquam docuit, certum esse numerum electorum qui nec minui, nec augeri potest, solvit id, quod erat objectum : non igitur orationibus, vel bonis operibus

insistendum esse, « si ex incommutabili proposito ejus christianæ gratiæ subsistit electio, nec aliter quicquam procedere potest, quam omnipotentis voluntate dispositum est. » Respondet vero, Dei scientiam « tempore non teneri, et tam in conspectu ejus adstare ea, quæ gerenda sunt, quam illa, quæ aut geruntur, aut gesta sunt. » Et capite xxxv. « Nec per electionis, inquit, propositum liberi arbitrii devotio relaxatur; cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum, et qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum merita coronentur. »

Fulgentii.

VI. Prospero Fulgentium subjicimus, alterum Augustini discipulum. Hic in libro *de Remiss. peccat.* cap. IV apertissime demonstrat, in duorum exemplo fratrum, Jacobi et Esau, alterum sola misericordia electum, non ex meritorum præscientia : « Quocirca, inquit, ex duobus istis fratribus, quos ex uno concubitu Isaac patris nostri, unus in semine conceptus accepit, unus in lucem partus effudit, sola, quem voluit, a massa damnationis misericordia divina discrevit; cui patrocinata est gratuitorum prædestinatio munerum, non futurorum præscientia meritorum. Sic enim secundum electionem propositum mansit, ut ex proposito Dei gratuita foret electio. Voluntas enim causa est electionis, non electio causa est voluntatis. » Manifeste ex sola voluntate sive proposito Dei electionem oriri significat, non autem ex electione, quæ scilicet causam aliquam et occasionem in electis inveniat, propositum dandæ gloriæ consequi. Tum Jacobi eligendi causam non fuisse meritorum illius futurorum præscientiam. Ac subinde, allato Malachiæ testimonio, « Cur igitur, inquit, non aliqua hic operum diversitas, sed sola nascentium fraternitas intimatur, cum magis et illius, qui dilectus est, bona opera, et illius mala, qui odio habitus est, commemorari debuerint, ut nec in illo, qui dilectus est, personalis acceptio, nec in eo, qui reprobatus est, injusta condemnatio putaretur? »

Idem in primo *de Prædestinationis veritate*, de isto ipso Malachiæ loco disserens, ait, ideo neutrius a Propheta merita commemorari, « ut agnosceremus per conceptionis nativitatisque consortium, quo constabat amborum fraternitas, pariter utrumque in illa massa damnationis obstrictum, a qua misericors bonitas sic unum gratis discerneret, ut alterum ibi non injuste severitas justa relinqueret. » Igitur a massa nemo, propter futura merita, etiam fidei, qualia utique Jacobi prævidebat Deus, liberatur ex opinione Fulgentii; nemo itidem, propter privata merita mala, in eadem massa deseritur. Sic in libro secundo operis ejusdem, Apostoli verba ista perpendens, *Dum enim nondum nati fuissent, aut aliquod egissent bonum, vel malum, ut secundum electionem propositum Dei maneret,* Fulgentius ita scribit : « Quod Apostolus ideo dixit, ut non secundum hominis, sed secundum electionem vocantis propositum mansisse monstraret; neque ex nascituri quolibet merito, sed ex voluntate Dei cognosceretur electio. » Atqui Fulgentius de tali prædestinatione loquitur, qua non solum ad gratiam, sed etiam ad gloriam ordinamur. Nam libro tertio, « prædestinavit, inquit, Deus sanctos suos et ad gratiam vitæ bonæ, et ad gratiam vitæ æternæ : » quod et superius capite primo retulimus. Vide et Fulgentii librum *de Prædestinatione et gratia*[1], ubi prædestinationem et reprobationem ex eadem massa imputat divinæ voluntati, sine ullis privatis meritis.

VII. Petrus Diaconus in epistola *ad Fulgentium de Incarnatione et gratia Christi*, Semipelagianorum rationem refellens aientium, Deum velle omnes salvos facere, sed eorum voluntate fieri, ut non salventur, hunc in modum disputat : « Hæc si ita sunt, ut hæretici jactitant, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia et incomprehensibilia Dei judicia. Si enim, ut ipsi volunt, nolentes damnat, salvat autem volentes, nihil est omnino, quod quæratur ulterius, etc. Nos autem incomprehensibilia credentes et demonstrantes judicia Dei, ex una massa perditionis alios salvari dicimus bonitate et gratia Dei, alios justo et occulto judicio derelinqui. » Ac subinde probat, Deum non omnes velle salvari. Perspicuum est illi scriptori Augustinianam placuisse doctrinam, cum ex massa damnabili liberari asserit, aut in ea relinqui homines, non quia velint, aut nolint, hoc est propter eorum opera, sed ex sola Dei voluntate vel miserentis, vel occulto judicio relinquentis.

Petri Diaconi.

Sanctus Gregorius Papa lib. I *Dialog.* cap. VIII, prædestinationis ordinem ad men-

S. Gregorii Papæ.

1 Cap. v, VII et XIV.

tem Augustini explicat his verbis : « Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt. Sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi pio labore perveniant; quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. » Quod subinde Abraami probat exemplo, cui cum per Isaacum prædestinata soboles foret[1], eadem tamen Isaaci precibus emerenda fuit. Unde « nimirum constat, inquit, quia prædestinatio precibus impletur, quando is, in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinaverat, oratione obtinuit, ut filios habere potuisset. » Ut igitur Dominus non ex Isaaci precibus causam sumpsit illius consilii, quo benedictum semen, ac toti hominum generi salutare ex ejus stirpe propagare decreverat, sed Abraami, si forte, meritis impulsus ; et illud ipsum tamen decretum sic æterna sententia fixit, ut, nonnisi per Isaaci preces, quibus sterili conjugi fecunditatem impetravit, beneficium istud conferre statuerit. Sic omnino Deus non electorum quidem meritis, velut causa, movetur, ut eos esse salvos velit; nihilominus hanc illis salutem non aliter destinat, quam meritis bonorum operum, et labore quærendam.

Licet eodem referre, quod in libro duodecimo *Moralium*, capite XIX, scripsit : « Solent, inquit, electi in quibusdam suis cogitationibus atque actibus superbire. Sed qui electi sunt, cunctis diebus suis superbire non possunt, quia, priusquam vitam finiant, ad humilitatis metum ab erectione corda commutant. » Dum enim ideo perseverare dicit, quia sunt electi, videtur existimasse, prius a Deo prædestinari, quam iis perseverantiam concedat; quod et Augustino placuit.

Variorum Gallicanorum antistitum. VIII. His adscribendus est consensus Gallicanorum antistitum, aliorumque Patrum, qui partim in concilio Valentino tertio, partim sub Ecclesiæ Lugdunensis nomine suam de prædestinatione sententiam explicarunt. Quam ut melius intelligas, scito, duos extitisse tempore Caroli Calvi, qui de prædestinatione quædam scripta vulgarunt, ex quibus plurimum in Galliis turbarum extitit. Alter fuit Joannes Erigena, vel potius Friugena genere Scotus, qui *de Unica prædestinatione* librum edidit, ac XIX capita, ubi inter alia docuit, unicam esse tantummodo prædestinationem in Deo, qua electos ad æternam felicitatem destinat ; nullam autem ad æternam esse damnationem. Sed et alia sophisticis argutiis potius, quam solida eruditione referta super eodem argumento disseruit. Idem a Carolo Calvo unice dilectus, sed postea in suspicionem adductus hæresis in Angliam abiit, ubi post annos aliquot a pueris, quos docebat, graphiis confossus est anno DCCCLXXXIII, ut refert Matthæus Westmonasteriensis.

Erigenæ.

Goteschalci. Alter fuit Gothescalcus monachus, Suessionicæ parochiæ ex Orbacensi monasterio presbyter, qui de prædestinatione et ipse scripsit; ac Moguntiaci in synodo, cui Rhabanus Maurus præfuit, condemnatus anno 848, et ad Hincmarum Remensem archiepiscopum remissus, ab eodem in alia synodo apud Carisiacum iterum damnatus est, ac retrusus in monasterium, virgis tamdiu cæsus est, dum librum suum in ignem, qui juxta erat accensus, injiceret. Hujus autem dogmata potissimum hæc fuerunt : ex æterno Deum, quos voluit, prædestinasse ad regnum, et quos voluit, prædestinasse ad interitum : Et qui prædestinati sunt ad interitum, salvari non posse ; qui autem prædestinati sunt ad regnum, perire non posse : Item Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed eos tantum, qui salvantur : Christum non venisse, ut omnes salvos faceret, nec passum esse pro omnibus, sed solum pro iis, qui passionis ejus salvantur mysterio : Denique post lapsum primi parentis, hominem libero arbitrio uti non posse ad bene agendum, sed tantum ad male agendum; quæ omnia Lugdunensis Ecclesia commemorat libro *de Tribus epistolis*.

Carisiacensis synodi. IX. Igitur in Carisiacensi synodo contra hæc capitula, quatuor decreta sunt[2] : quorum primum definit prædestinationem uniusmodi tantum esse, videlicet ad bonum, vel ad pœnam æternam; non autem ad hoc, ut pereant homines, licet perituros præsciverit. « Ac per hoc, inquiunt, unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ. » Ex quibus apparet, sic illos Gothescalci mentem interpretatos esse, quasi ad peccatum prædestinatos esse reprobos sentiret. Secundo capitulo statuunt, liberum arbitrium nos in primo homine perdidisse, quod per Christum recepimus sic, ut ad bonum adjuvante gratia, et ad malum deserente gratia feratur. Apparet

1 *Gen.* XXV. — 2 Tom. III *Concil. Gall.*, page 66.

ergo, Gothescalci sententiam sic accepisse, quasi, ne gratia quidem opitulante, uti nos ad bonum libertate nostra putaverit. Tertium est, Deum omnes homines salvos esse velle, etsi non omnes salvi fiant. Quartum, Christum pro omnibus esse passum, licet non omnes redimantur.

Valentini concilii. Postea anno Christi DCCCXLV Valentinum concilium celebratum est, cui interfuerunt episcopi XIV, ex provinciis tribus Lugdunensi, Viennensi, et Arelatensi; ubi damnata sunt capitula illa IV, nec non capitula XIX Joannis Scoti, ut apparet ex canone quarto. Porro in canone tertio decreverunt prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem. « In electione tamen salvandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnationem autem periturorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium. »

Canone IV reprehendunt eorum errorem, qui dicunt, Christum pro omnibus etiam impiis, qui a mundi exordio, usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, suum effudisse sanguinem; ac statuit, pro iis tantum id fecisse, qui æternam vitam consequuntur. At canone secundo, « Nec ipsos malos perire statuunt, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt. » Ubi causam reprobationis adultorum voluntariæ ipsorum nequitiæ imputant; tametsi potest hoc de judicii illius, ac decreti divini exitu, et executione accipi.

Flori Magistri. X. Præterea Florus magister, diaconus Ecclesiæ Lugdunensis, ut creditur, sub ejusdem ecclesiæ nomine, librum scripsit contra XIX capitula Joannis Scoti; necnon alium *de Tribus epistolis*, in quo trium episcoporum datas ad Lugdunensem Ecclesiam epistolas contra Gothescalcum refellit, et ab illis damnata hujus dogmata, si sane intelligantur, catholicæ et Augustinianæ doctrinæ consentanea esse declarat. Denique liber alius editus est nomine ejusdem ecclesiæ, de tenenda Scripturæ sanctæ veritate, in quo confutantur capitula IV Carisiacæ synodi. In illis autem libris omnibus propugnatur acerrime Augustini illa sententia, quæ ex massa generis humani per peccatum primi hominis infecta, sola Dei misericordia quosdam ad æternam eligi salutem asserit, alios justo judicio reprobari. Vide inter alios librum *de Tribus epistolis;* in quo regulas quasdam de divina præscientia, et prædestinatione præscribit, quarum in septima, prædestinari homines ad æternam damnationem, hoc est reprobari idcirco docet, quia Deus in æterna sua præscientia verissime prævidit, illos in sua malitia sponte esse permansuros; ut hac ratione, non propter solam originis noxam reprobari censeat, sed ob voluntariam et perseverantem a Deo defectionem, si de grandioribus agatur.

Ibidem vero neque salvos omnes esse velle Deum, neque pro omnibus passum asserit Christum, idque sanctorum Patrum testimonio confirmat*.

XI. At Honorius Augustodunensis in dialogo *de Prædestinatione* contra quam Augustinus, prædestinationem ita definit, ut sit « pro meritis cujusque, vel ad gloriam, vel ad pœnam æterna Dei præparatio[1]. » Tum ita scribit : « Porro qui prævisi sunt in bonis permansuri, ad gloriam sunt prædestinati; qui vero præsciti in malo vitam finituri, ad pœnam sunt utique prædestinati. Ergo, quos Deus præscivit in Filium suum credituros, et mandata ejus voluntarie servaturos, hos ante sæcula prædestinavit, hos suo tempore ad fidem vocavit, hos per baptisma justificavit, hos virtutibus magnificavit, hos vasa misericordiæ glorificavit. Quos autem minime facturos præscivit, hos a regno gloriæ reprobavit, et vasa iræ, et contumeliæ, apta ad pœnam prædestinavit. » Honorii Augustodunensis.

In iis quidem affirmare videtur, quod rectæ doctrinæ minus congruit, non modo prædestinari ad gloriam, « quos voluntarie mandata servaturos esse prævidit, » quod ipsum probabile est, ut postea dicetur; verum etiam eosdem illos ad fidem vocari. Atqui causam vocationis ad fidem rejicere in consensionem eorum a Deo prævisam, non satis consentaneum est. Sed hoc modo non agitur. Illud enim satis est scire ab auctore isto, qui circa annum Christi millesimum et centesimum floruit, aliter, atque Augustinus fecerat, de prædestinatione ac reprobatione judicatum fuisse. Itaque pergit ille paulo post : « Quos ergo Deus ante mundi constitutionem prædestinando elegit, hos non necessitas, sed proprium meritum ad gloriam traxit. Quibus ipse in fine mundi dicturus erit : *Venite bene-*

* Confer Petavium ipsum *de Incarnatione*, lib. XIII, cap. VI et VII. Z.

1 Tom. IX *Bibl. Patrum.*

dicti Patris mei, » etc. Item postea, subjicienti discipulo, « videri, quosdam non secundum merita, sed secundum propositum Dei salvari, vel damnari, » idque Esau, et Jacobi exemplis probanti, respondet, « Deo nihil esse futurum ; et quod ipsi suo tempore per liberum arbitrium erant futuri, hoc, antequam nati essent, fuisse in conspectu Domini. Ergo, quia Jacob in conspectu Domini simplex fuit, ideo Dominus eum dilexit; quia vero Esau profanus erat, ideo eum odio habuit. »

Petri Lombardi.

XII. Paulo post tamen extitit Petrus Lombardus [1], qui Augustini sententiam secutus est, quemadmodum et Hugo Victorinus æqualis Lombardi, qui pleraque iisdem etiam, quibus iste, verbis expressit in *Summa sententiarum* [2] ; etsi de reprobatione minus diserte loquitur. Missos facio scholasticos; qui ad librum sententiarum Magistri, ac deinde sancti Thomæ *Summam* disputationes ediderunt ; ac varias in partes divisi sunt. Non enim scholasticam hic tractationem instituimus.

Laurentii Justiniani.

Postremum itaque commemorabimus Laurentium Justinianum, qui prædestinationem ex meritis negat fieri, sive electionem ad gloriam, in libro *de Disciplina et perfectione monasticæ conversationis.* Scribit enim sic : « Hæc namque beata visio et visionis admiratio vita æterna est, quam Dei sapientia passibili unita naturæ, per crucis patibulum, aspersionemque sanguinis sui prædestinatis acquisivit fidelibus, non ex ipsorum præcedentibus meritis, sed propria, mera, libera, et sua ipsius gratuita dignatione. » Quæ tamen verba sic possunt intelligi, ut Christi passionem ipsam ac redemptionem nullis eorum, quibus profuit, partam meritis affirmet ; vel de tota loquatur prædestinationis serie, atque contextu ; ut et prima ipsa vocatio, ac fides, et gratia contineatur : quæ profecto simul sumpta extra meritum sunt, et gratuita benignitate donantur*.

* In præcedenti libro severiorem Augustini sententiam de prædestinatione exponit auctor, in sequenti vero, mitiorem aliorum multis prosequitur, probatque priorem ad fidem non attinere. Quodnam vero fuerit ipsius de utraque sententia judicium scire gratum erudito lectori judicamus. Mentem igitur suam clare asserit in appendice lib. XIII *de Incarnatione*, cap. IX, quod opus aliquot annis post tractatum de Prædestinatione elucubravit: ibi enim hæc leguntur : « Hanc sententiam (scilicet priorem) amplexus est Augustinus ; suffragatores habuit complures posteros ; neque tamen aut illius auctoritas, aut illorum consensus... a contraria sequenda tuendave retardavit insignes aliquot pietate ac doctrina theologos, quorum tantum valuit exemplum, ut hoc tempore communiter ac promiscue adhibeatur in scholis, et ut initia se habent, paulatim obducta altera, rerum potitura videatur » Et capite XI, n. 5, hæc addit : « Verum hoc me eo animo tunc scripsisse perspicuum est, ut veram Augustini sententiam quam poteram validissime, ex eorum qui illam propugnarent, persona institutoque defenderem ; quod nisi facerem, non satis partes illas agerem, quas mihi scilicet imposueram. Tametsi nihil a me tum est editum quod cum *veriore*, quam paulo post exposui, opinione pugnaret. » *J. B. F.*

1 Mag. sent. lib. II, dist. XL et XLI. — 2 Hugo Tract. I *Sum. sent.* c. XII.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER DECIMUS

QUI EST DE PRÆDESTINATIONE SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Retractatur Augustini sententia de Prædestinatione et reprobatione, superiore libro declarata. Ea ad fidem minime pertinet. Ideo in eam inquiritur. Quæ sint illius firmamenta. Apostolum in epistola ad Romanos, de vocatione duntaxat ad Evangelium, et prædestinatione ad fidem, non ad salutem agere. Massam esse aliquam ad exitium damnatam; ex qua fiat quorumdam electio, aliorum reprobatio, non posse ex Apostolo, aut e Scripturis aliunde colligi.

I. Quæ fuerit Augustini de præna-desti tione sententia, hucusque demonstravimus. Atque est illa quidem hujusmodi, ut eam tuto catholicus quisque possit amplecti. Et est a multis hactenus defensa; atque etiam hodie summa cum doctrinæ ac pietatis commendatione defenditur. Sed, si quis ita tueri illam instituit, ut contrariam tanquam falsam, ac Scripturis adversam, repudiandam damnandamque censeat, magnopere is errat, ac plurimorum, qui hanc anteponunt alteri, theologorum consensione refellitur. Itaque jampridem disputari in utramque partem cœpit in scholis ista quæstio; neque pro aliquo præjudicio valere ad hanc controversiam credita est auctoritas Augustini. Quod nonnulli nimium verentes, ne illius opinionis desertores haberentur, maluerunt interpretes esse non boni, ut ei invito ac repugnanti opinionem alteram inducerent; tanquam is causam electionis ad gloriam, præter Dei voluntatem, constituerit ullam, atque ex meritis bonorum operum illam fieri putaverit. Quibus in tota antecedenti disputatione plene confido esse satisfactum. Nunc, ut æquitatem nostram candido eruditoque lectori probemus, in istam ipsam, quam Augustino asseruimus, opinionem inquiremus; deque ea, quod nostrum judicium sit, ingenue profitebimur *. Quod priusquam facimus, illa primum detrahenda est invidia, quam ex Augustini nomine conflare in nos audebunt aliqui : quasi nefas sit ab illius præscriptis, et quasi dictatis magistri cujusdam desciscere; præsertim iis in quæstionibus, quæ ad gratiam et æternæ salutis adipiscendæ rationem spectant, in quibus ducem illum sequi se Romani pontifices, et vetera concilia, quæ sunt adversus Pelagianos coacta, testantur.

* Dupinius in *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum*, ubi de Petavio, deque priorum Theologicorum dogmatum volumine agit, iis, quæ Petavius superiore libro de S. Augustini mente disputavit, animadversis, atque ad decimum hunc librum sermone converso, ait, a Petavio hoc loco deseri, quam libro IX propugnaverat, Augustini sententiam, hincque librum X postea a Petavio additum conjicit. Modeste id quidem dictum; sed illud ipsum hic indicatur, quod alii antea clarius adfirmarant. Primus horum, quod sciam, fuit abbas de Bourzeiis celeberrimus primum inter Jansenianos dogmatista, deinde catholicæ veritatis sectator, et vindex. Persuadere ille conatus est, P. Petavium, quum animadvertisset, librum IX a se scriptum Iprensis episcopi sententiis favere posse, de decimo edendo cogitasse, quo

II. Verum non omnia, quæ in refellendis hæreticis istis ab Augustino proposita sunt, pro catholicis immotisque decretis habentur ab iis ipsis, qui illius doctrinam commendant, summis pontificibus et synodis. Sed quædam vere certoque constituta, quædam dicta probabiliter arbitrati sunt; ac, prioribus ad catholicæ dogma religionis assumptis, de posterioribus, velut in medio positis, libera posteritati judicia reliquerunt.

Quænam Augustini auctoritas in materiis gratiæ.

Exstat hac de re luculentum Cœlestini papæ decretum [1], quod legis instar edidit Gallicanis episcopis, ac toti adeo catholicæ Ecclesiæ, hodieque theologis positum ante oculos esse debet, ut, quatenus de his rebus sentiendum sit, ex eo cognoscant. Postquam igitur Pelagianæ hæresis capita præcipua damnavit, iisque catholica dogmata ex Romanorum pontificum epistolis et synodalibus sanctionibus opposuit, demum ita concludit: « Profundiores vero, difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere; quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium. » Ex eo genere *profundiorum quæstionum*, quæ nihil ad negotium gratiæ pertinent, est illa de prædestinatione controversia, de qua cuivis, utrum volet sequi, Romani pontificis sententia illa permittitur. Quamobrem, seposita magnorum virorum auctoritate, causa cum causa, res cum re, rationes cum rationibus comparandæ sunt; ex eoque solo dijudicandum est, utra sit opinio verisimilior. Nam Armacani dogmatistæ novi susque deque judicium habemus; qui Cœlestini decretum illud temere [2], ac sine ratione ulla distorquet, ac negat ad illam pertinere quæstionem, *utrum electio ad gloriam ex prævisis meritis decernatur*. Sed quis arbitrum illum constituit pontificii decreti, ut pro

De prædestinatione quam quisque vult amplecti potest sententiam.

Jansenii asseclis præsidium hocce eriperet. Qui abbatem de Bourzeiis secuti sunt, Jansenianæ factionis scriptores facile intellexere nimis confidenter, neque ulla verisimilitudine fuisse ab illo isthæc dissipata, Petaviumque, si ad id animum intendisset, quod narrat appellatus abbas, nonum librum potius suppressurum fuisse, quem nondum prælo subjecerat. Itaque e re magis visum fuit, fabellam aliam multo verisimiliorem in vulgus disseminare, Petavium nempe ad Augustinianam de gratia, deque prædestinatione sententiam, ceu catholicæ Ecclesiæ doctrinam, nono libro a se propugnatam in sequente libro recantandam fuisse præsidum suorum jussu coactum, ac paruisse illum, ne (quod minati hi fuerant) e Societate expelleretur; quam in rem Petavium addebant, in sui excusationem dicere solitum: *Nimis senex sum, ut alio migrare possim.* Anno 1691 prodiit primum bella hæc fabula in libro typis furtivis edito, atque inde sæpius in alias id genus lucubrationes illata fuit. Quam qui primum invexere, aut deinceps iterarunt, titulum præsertim capitis hujus urgent: *Retractatur Augustini sententia*, etc. Fuere tamen qui ineptam hanc narrationem graviter refutarent; ac præsertim auctor libri inscripti: *Conduite qu'ont tenue les Pères Bénédictins depuis qu'on a attaqué leur Edition de saint Augustin*, pag. 57 et seqq., et Clariss. P. Odinus in Petavii elogio, quod Niceronius excudendum curavit t. XXXVII, pag. 150, seqq. Atque hosce scriptores satis esset citasse, nisi calumniam hanc in Italia quoque a quibusdam iniquis hominibus summa sane impudentia nobis objici passim animadverterem. Quamobrem in ea refellenda liceat paululum immorari. Ac primum peto, verumne sit, quod hi jactant in vulgus, P. Petavium IX libro sancti Augustini sententiam de *Gratia atque de Prædestinatione* fuisse amplexum? Atqui tertio hujus libri capite n. 20 diserte adfirmat Petavius, de gratia se nunc minime loqui, de qua alias, octavo nempe magni operis volumine, acturum se pollicetur. Quod vero spectat ad prædestinationem ad gloriam, Græcorum Patrum sententias, Augustinianam deinde, qua solet eruditione ingentique vi, persequitur, quibusque singulæ nitebantur, momenta explicat; non tamen vel verbum addit, unde intelligas ipsum in alterutram propendere.

Illud deinde quæro, num palinodiam canat decimo hoc libro Petavius? Quod alterum est ridiculæ accusationis caput. Ne id quidem verum est. Libri hujus initio *il retâte*, aiebat Bellicensis episcopus in suis *theologicis Litteris*, *le système de saint Augustin*; quærit num sequi illud necesse sit? Ostendit, integrum esse Ecclesiæ auctoritate theologis quod hac in re libuerit, systema amplecti; Græcorum denique Patrum sententiam tuetur, quam in Sorbonica Academia a præclarissimis doctoribus Gamachæo, atque Ysamberto didicerat.

Hinc fit I: decimum librum adjectitium non esse, (quod Dupinius adseruit) sed ad primum universi operis consilium pertinuisse; cum is demum sit, in quo mentem suam asserit, sententiamque declarat. Nonus igitur liber, si cum decimo eum contendimus, idem est quod in sancti Thomæ Aquinatis quæstionibus particula prior ab iis verbis *videtur quod sic* inchoata cum articuli corpore collata.

Fit 2: P. Petavium non fuisse a præsidibus jussum, quæ antea docuerat, recantare; non illum sibi adversari, nec decimum cum nono libro pugnare; verbumque *retractatur*, non eo a Petavio sensu usurpatum, quem qui latinam linguam ignorant, Itali, aut Galli illi facile tribuunt, sed eo, quo illud universi Latini scriptores adhibuerunt, quo Augustinus, Tillemontio teste, tomo XIII, in vita sancti Augustini artic. 335, quo demum Petavius ipse lib. III *de Ecclesiastica Hierarchia*, cap. XI, in vindiciis suis adversus Maturinum Simonium cap. III atque alibi sæpe, ut scilicet non palinodiam canere significet nobis *ritrattare*, Gallis *rétracter*, sed opus recognoscere, nobis *rivedere*, *ritoccare*. Certe si Societati IX Petavii liber fuisset invisus, non illum recantare Petavium jussisset, sed delere, cum nondum typis ab auctore traditus esset. Z.

1 Cœlest. ep. I. *ad Episc. Gall.* — 2 Tom. II libro *Proœm.*, c. XXVI.

libidine sua quam volet in partem illud trahat, et inflectat? Aut quid interpretatione opus est in re adeo clara per seque loquente? Cœlestinus ecce ab Hilario, et Prospero interpellatus est contra presbyteros quosdam Gallicanos, qui Augustino post ejus obitum obloqui audebant, et ipsius doctrinam arguere; ac Pelagianæ, Semipelagianæque opinionis dogmatum quorumdam patrocinium resumpserant. Cœlestinus itaque, tum sanctissimi viri commotus injuria, tum ut catholicæ fidei periclitanti succurreret, decretalem epistolam scripsit ad episcopos Galliæ, in qua certa capita proposuit ex pontificum Romanorum, qui ante se præfuerant, epistolis ac decretis synodalibus excerpta; quibus ea omnia complexus est, quæ de originali peccato, deque Christi gratia et liberi usu arbitrii, extra controversiam esse debent, et catholica fide profitenda sunt. In his de electione ad gloriam ac prædestinatione ex meritis, an citra merita, verbum nullum; nec alterutram in partem concepta credendi formula. Atqui de hac quæstione vel acerrima fuit cum Augustino Gallicanorum presbyterorum contentio; deque illius sententia graves istorum querelas exposuerunt illi ipsi, quorum in gratiam scripsit Cœlestinus ad antistites Galliæ, Hilarius ac Prosper in epistolis, quas ad Augustinum miserunt, et quibus hic vicissim luculentissimis non epistolis, sed libris totidem respondit, altero *de Prædestinatione sanctorum*, altero *de Dono perseverantiæ*. Ecquid igitur causæ comminisci possumus, cur in dogmatica sua epistola Cœlestinus papa, cum Augustinianæ doctrinæ capita omnia comprehenderet, a quibus salva catholicæ integritate fidei dissentire nemo posset, de electione ac prædestinatione funditus tacuerit? Aut quid aliud judicare de illius mente, ac voluntate possumus, cum enumeratis omnibus, in quibus secus opinari nefas esset, quam Augustinus docuerat: reliqua præter hæc integra cuique permisit, nec in utramvis partem fixum esse quidquam voluit; quid, inquam, colligere inde aliud possumus, nisi de ista, quam tacuit, electionis ac prædestinationis controversia, quod placuerit, sentire per Pontificem unicuique liberum esse? Quocirca minime toleranda, imo ridenda nupera illa tyrannis imperitæ factionis, quæ novis nos fidei sanctionibus pro arbitrio ac libidine sua obligare contendit.

III. Omnes, qui de divina prædestinatione, vel electione disputant, cum invicem contrarias opiniones sequantur, suam quisque tamen ejusdem probare Scripturæ testimonio studet. Quamobrem non tam verba ipsa, quæ utrinque contentiose trahuntur, quam sententia est spectanda verborum; ut ea pars vincat, quæ constantiore ac solidiore divini verbi interpretatione fulcitur. Imprimis vero hæc est adhibenda, quam Ecclesiæ, quæ primaria Scripturæ est interpres, antiqua traditio commendat, vetustorum Patrum et plurium, et inter se magis consentientium testificatione comperta. Jam quibus vocabulis divina illa de hominibus consilia Scripturæ nobis exprimunt, quæ videlicet decretum aliquod futuræ rei, ac propositum significant; partim ejusmodi sunt, ut id futurum designent, quod absolute, ac sola Dei voluntate fit, neque ex hominum voluntate decreti illius causa pendeat; partim ex humano arbitrio rationem, et originem habent sui. Apostolus Paulus *ad Romanos* scribens, cum de Christo loquitur, eum dicit *prædestinatum esse Filium Dei in virtute*; ubi verbo usus est ὁρίζειν. Hæc prædestinatio citra merita, et voluntatis usum, sola et absoluta Dei voluntate constat. Christus enim homo nullo arbitrii liberi conatu, quod nondum erat, a Deo prædestinatus est, ut Dei verus ac naturalis esset Filius, et homo idem esset. At in *Actis Apostolorum*, cum sic Ecclesia dicit, *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, cum gentibus, et populis Israel, facere, quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri*[1]; ibi Verbum est idem προώρισε: ac perspicuum est, non id absolute decrevisse Deum, ut Judæi, et gentiles nefarium illud facinus admitterent, neque, ut decretum suum exequeretur, voluntates eorum impulisse. Soli hoc Calvini, Bezæ, cæteræque pestes usurpare possunt, quæ communem hominum sensum cum pietate perdiderunt. Sanus quidem, ac sobrius nemo dixerit, decrevisse Deum, ut peccatum ullum fieret. Quare verba eadem dissimili modo ac sensu intellecta ponuntur, nec ex illis dijudicari satis liquido potest, utrum in merita singulorum futura intuens ab æterno Deus, eos ad salutem elegerit, ac prædestinaverit, an absoluta voluntate, ex qua merita deinde consecuta sint. Itaque tum ex mente Scripturæ, ac scopo, tum ex orationis contextu conjectura

1 *Act.*, IV, 27, 28.

facienda est, quæ sit ambarum in illa controversia partium causa superior.

Expenditur Apostoli locus in quo arcem suæ causæ ponit Augustinus

IV. Qui electionem hominum, gloriæque destinationem sine ulla præsensione meritorum a Deo factam asserunt, Apostoli potissimum *ad Romanos* scribentis auctoritate nituntur; qui in nono epistolæ capite id aperte videtur ostendere, ac duorum exemplo germanorum probat, Esau et Jacob, quorum alterum dilexit, alterum odio Deus habuit, non ex operibus utriusque cognitis, sed ex sola voluntate ac proposito. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : Quia major serviet minori. Sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui*[1], etc. Tum cætera ejusdem capitis eodem pertinere videntur, maxime ubi de duplici vasorum genere loquitur ex eadem luti massa formato. Hunc locum omnibus fere in libris, quos contra Pelagianos edidit, ac sic ubi de prædestinatione sermo incidit, commemorat Augustinus, in eoque arcem causæ suæ ac sententiæ constituit. Quocirca diligenter ac viribus totis in id intendendus est animus, ut illius loci verum germanumque sensum assequamur; ex quo apparebit, sitne illud consequens, ad æternam salutem homines eligi non ex meritis, sed ex sola voluntate Dei. Hoc autem ex fine ac scopo cum epistolæ totius, tum capitis illius noni considerandum est; qui nos ad id, quod quærimus, inveniendum tuta certaque via perducat. Ita enim quæstionem hanc aggrediens Augustinus ordiendum sibi putavit his verbis : « Et primo intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo, quam consulam[2].

V. Apostoli in illa *ad Romanos* epistola mens ac propositum fuit id, quod Augustinus ipse in eodem libro scripsit, « efficere, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod datæ sibi legi serviissent; et ex hoc evangelicam gratiam, tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant, eamdem gratiam dari gentibus, tanquam indignis, nisi Judaica sacramenta susciperent. Quæ orta quæstio in *Apostolorum Actibus* solvitur. Non enim intelligebant, quia eo ipso, quod gratia est evangelica, operibus non debetur, » etc. Hunc Judæorum ac gentilium conflictum fusius exponit Primasius in præfatione commentarii in epistolam *ad Romanos*, ac totum de evangelica gratia, et vocatione fuisse certamen inter illos asserit; quo suo quisque merito concessum id sibi a Deo beneficium putaret.

Apostolus de sola vocatione ad Evangelium loquitur.

Quamobrem de sola vocatione ad Evangelium, Christique fidem et gratiam propositum est Apostolo scribere. Electio vero ad gloriam, nonnisi consequenter et ex accidenti locum habet in illa disputatione, quatenus, quos vocat, et quibus gratiam istam Evangelii ac vocationis impertit, non alium in finem destinat, quam salutem et gloriam. Non tamen necesse est, eodem modo disponi et ordinari utrumque, ut ad gloriam una sit, atque ad gratiam perveniendi ratio; quod et catholicorum communis sensus ostendit. Nam ad gratiam vocari homines, ac trahi nullis suis meritis, sed absoluta Dei voluntate, inter omnes convenit; ut qui aliter sentiat, non catholicus, sed Pelagianus hæreticus habeatur. Ad salutem autem et sempiternam gloriam destinari eosdem ex præsensione bonorum operum ac meritorum, salva integritate fidei complures existimant; estque quæstionis ista res, et utrinque disceptatur in scholis. Quare non est consequens, ea, quæ Paulus de vocatione ad Evangelium, et Christi fidem docuit, de electione ad gloriam, et salutem interpretari. Quod tamen argumentando sumpsit Augustinus, et pro concesso habuit. Nisi enim id certo persuasisset sibi, non ex illis verbis Apostoli conclusisset, perinde ad gloriam destinari, eligique homines a Deo sola ex voluntate, et gratuita propensione, atque ad gratiam et evangelicam fidem. Atqui, si ea mens fuisset Apostoli, itaque judicassent Romani pontifices, et Ecclesia ipsa, in synodalibus decretis loquens, cum ex illis Pauli testimoniis primam gratiam nullis ex meritis destinari statuebant; idem etiam de gloria ipsa constituissent, et Augustini sententiam hac etiam ex parte ratam esse jussissent. Quod quia minime fecerunt, et diserte, præter gratiam, cætera doctorum arbitrio ac disputationi permiserunt, evidens est, de æterna salute nullam ab Apostolo mentionem illic habitam fuisse.

VI. Sane, si quis Augustinum diligenter legat, animadvertet, ubicumque divinæ electionis ac prædestinationis, et similium Dei ordinationum, quæ utcumque ad animum pertinent, occurrunt nomina, sic ab illo accipi,

1 *Rom.* IX, 11-13; *Gen.* XXV, 23; *Malach.* I, 2. — 2 Lib. I *ad Simpl.*, q. II.

tanquam iis æterna subsit salus et felicitas; quod plerumque secus est, ut contextus ipse sermonis ostendit. Exemplo sit illud, quod in libro *de Correptione et gratia,* capite VII, scripsit : « Cum itaque audimus, *Nonne ergo vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est*[1]? illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum; illum ad effundendum sanguinem suum. » Ibi verbum *eligendi* perspicuum est ad solam apostolicam dignitatem referri, non ad sempiternam salutem. Nam elegisse se ait duodecim ex omni discipulorum numero; ut et Lucas loquitur, *Vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit*[2]. Multum autem interest inter electionem hanc, qua apostolico muneri destinati sunt, et alteram, quæ ad gloriam et salutem pertinet. Nam in illa rationem potuit habere Christus indolis, et naturæ cujusque, ac virtutis etiam multo magis, et propensionis in honesta studia; tum eorum omnium, quæ ad officium illud arduum, et laboriosum bene gerendum adjumento esse poterant. Didymus quidem Alexandrinus libro contra Manichæos, Judam ipsum proditorem « electum esse dicit cum omnibus, propter virtutem, quæ tunc in eo erat. » At in electione altera nullus ad merita respectus, tanquam causas eligendi, ab Augustino ponitur.

VII. Sic in libro *de Spiritu et littera* capite VII et VIII, « solam pene hanc de gratia quæstionem versari » ait in epistola *ad Romanos;* ut Judæos imprimis argueret, qui « ita gloriabantur in Deo, velut qui soli meruissent legem ejus accipere, secundum illam vocem *Psalmi: Non fecit sic ulli genti, et judicia sua non manifestavit eis*[3]. Quam tamen Dei legem sua justitia se arbitrabantur implere, cum magis ejus prævaricatores essent. » Adversus hanc igitur Judæorum superbam et impiam de se ac meritis suis opinionem et jactantiam, omnibus auctoritatum ac rationum præsidiis disputationem suam armat Apostolus, capite illo præcipue nono epistolæ *ad Romanos;* et eodem geminorum fratrum exemplum accommodat Esau et Jacobi, qui uno tempore ac satu geniti, ac simul in lucem editi, dissimilem sortem conditionemque nacti sunt, non utique ex meritis, sed ex sola Dei voluntate. Quo in exemplo nihil aliud spectavit Apostolus, nisi gratuitam unius dilectionem et electionem præ altero. Nimirum, uti Jacob nullis suis meritis divinum illum favorem obtinuit, fratri ut suo anteponeretur, quo ex favore et gratia promissam Palæstinæ regionem præpinguem et uberem est adeptus; Esau vero nullis item meritis suis hoc infortunio percussus est, ut sterilem et incultam solitudinem possideret : sic et Judæorum olim populus nullis suis officiis hanc a Deo gratiam emeruit, ut legis, et sacramentorum, ac regni Dei compos et hæres esset, cum cæteræ nationes infidelitatis damnatæ tenebris essent. Vicissim vero postea gentilium populum, nullis itidem ipsius meritis provocatus Dominus ad idem decus evexit. De sempiterna porro vel amborum fratrum, vel utriusque populi salute, aut damnatione nihil istic agitur. Non enim aliud tam exemplo isto Isaaci filiorum, quam superiore Ismaelis et Isaaci probare voluit Apostolus, quam non eo præcise, quod ab Abraami stirpe originem traxerant, posteros hujus in Dei peculiarem populum, et regnum, ut Christus vocat, Dei esse electos et assumptos. Sed posse Deum, quod Joannes Baptista dixit *ex lapidibus suscitare filios Abrahæ*, ac pro arbitrio, quos ei libitum est, adoptare filios. Siquidem et Ismael Abraamo genitus, et Esau Jacobo, ab illius regni et hæreditatis communione sunt exclusi; Isaacus autem et Jacobus asciti, hoc est amborum posteritas, de qua loquebatur Apostolus.

Omitto illud, odium Esau ex Scripturæ consuetudine nihil, nisi minorem significare voluntatis affectum, amoremque Dei; tanquam dicat, *Esau minus dilexi.* Sic enim *Deuteronomii* capite XVI, 16 : *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam,* etc., hoc est minus dilectam. Eodem sensu dictum est et illud, *Nemo potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit, et alterum diliget*[4]. Sed neque propositum Dei, quod ibidem commemoravit Apostolus, absoluto illi salutis decreto suffragatur, cum ita scribit, *ut secundum electionem propositum Dei maneret;* quod Augustinus sic intellexit, ut Deus ex eo, quod absolute prædestinatos elegit, propositum habeat illorum procurare salutem. Longe enim aliorsum trahuntur ista verba cæteris a Patribus, et ab ipsomet Augustino, antequam ad alteram opinionem descisceret[5]. Nam Græci propositum, non absolutum Dei, sed cum prævisione voluntatis

1 *Joan.* VI, 1. — 2 *Luc.* VI, 13. — 3 *Ps.* CXLVII, 20. — 4 *Matth.*, VI, 24. — 5 Vide l. I *Quæst. ad Simpl.*, quæs. II.

ejus, qui eligitur, conjunctum explicant, ut superius ostendimus.

Alius Apostoli celebris locus expenditur.

VIII. Sequitur ejusdem epistolæ celebris locus et multum ab Augustino, et absoluti decreti propugnatoribus usurpatus; ex quo, velut massa, primus istam ipsam absolutæ ad salutem electionis opinionem conflavit Augustinus. *An non habet*, inquit Apostolus, *potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* [1]? Hunc locum sic ille passim accipit, ut ex eo concludat, Deum sola inductum voluntate sua, quos libitum est ad æternam salutem eximere, ac detrahere de corrupta et damnabili massa; alios in ea relinquere, ac reprobare. Massam enim intelligit genus omne hominum, ac naturam ipsam, non ex sese ac secundum id, quod ab creatore primum accepit, sed ut primi nostri vitio parentis infecta, tota in labem ac damnationem incurrit. Id adeo plerisque ex locis Augustini cognoscitur, quæ supra in explicanda ejus sententia selegimus. Atque hæc apostolici dicti illius explicatio, ut massa in similitudinem assumpta non naturam simpliciter, multitudinemque hominum significet, sed peccato contaminatam depravatamque naturam; tum ut vasorum ex illa massa dissimilium molitio, prædestinatio sit aliorum hominum ad æternam salutem, aliorum ad interitum, Augustinum habet auctorem : ante quem nemini prorsus Græcorum Latinorumve, post illum vero, nec omnibus istis, nec illorum cuiquam ita Paulum interpretari placuit. De antiquioribus Augustino Patribus, objicere solitos etiam catholicos quosdam nova hac et inaudita hactenus offensos opinione, testatur Prosper ille, qui ad Augustinum scripsit epistolam, quæ initio libri *de Prædestinatione sanctorum* præfigitur : « Obstinationem, inquit, suam vetustate defendunt, ut ea, quæ de epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirment. » Idipsum et Hilarius in sequenti epistola refert; nec negavit, imo ingenue fassus est Augustinus, ut superius animadvertimus [2], et res ipsa per sese loquitur. Ac, si totius epistolæ finem et scopum, tum orationis illius seriem, et contextum attente consideremus, nihil inveniemus esse causæ, cur posteriorem hanc Augustini sententiam anteponamus illi, quam tot summi viri, et in Scripturarum intelligentia apprime versati incredibili concordia secuti sunt.

IX. Chrysostomus imprimis locum illum epistolæ *ad Romanos* explicans, ac similitudinem figuli et fictilium vasorum, affirmat, « non hanc eo pertinere, ut liberum arbitrium e medio tollatur; sed ut ostenderet, quousque Deo parere oporteat. Nam ad hoc, ut facti rationem exigamus a Deo, nihilo magis affici nos par est, quam lutum. Siquidem non solum contradicendum non est, nec inquirendum, sed neque loquendum omnino, neque cogitandum adversus illum quippiam; sed inanimo isti similes esse debemus, quod figuli manus sequitur, et quocumque voluerit ille circumducitur. Ad hoc enim unum ejusmodi assumpsit exemplum; non ad eorum vitæ designandum genus, sed ut extremam obedientiam et silentium commendaret. Atque hoc ubique observandum est, exempla minime tota sumere oportere; sed quod inest ipsis utile seligendum esse, idque cujus adhibita sunt gratia : cætera omnia relinquere [a]. » Et paulo post, « Pharaonem ait, semetipsum fecisse vas perditionis, ac Deum nihilominus, quæ suarum erant partium, contulisse [b]. » Deinde sic scribit : « Unde igitur alii quidem vasa iræ, alii vasa misericordiæ? Ex propria voluntate [c]. »

Eodem modo Græci interpretes reliqui, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus similitudinem istam ab Apostolo usurpari vo-

a Chrys. Hom. xvi in epist. *ad Rom.* Ἐνταῦθα οὐ τὸ αὐτεξούσιον ἀναιρῶν τοῦτο λέγει· ἀλλὰ δεικνὺς μέχρι πόσου δεῖ πείθεσθαι τῷ θεῷ. εἰς γὰρ τὸ τὸν θεὸν ἀπαιτεῖν εὐθύνας, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ πηλοῦ διακεῖσθαι δεῖ. οὐ δὴ γὰρ μόνον ἀντιλέγειν οὐ χρὴ, οὐδὲ ζητεῖν· ἀλλ' οὐδὲ φθέγγεσθαι ὅλως, οὐδὲ ἐννοεῖν, ἀλλ' ἐοικέναι ἐκείνῳ τῷ ἀψύχῳ, καὶ ταῖς ἐχερσὶν πομένῳ τοῦ κεραμέως, καὶ περιαγομένῳ ὅπου περ ἂν ἐκεῖνος ἐθέλῃ. εἰς τοῦτο γὰρ μόνον τὸ ὑπόδειγμα ἔλαβεν, οὐκ εἰς τὴν τῆς πολιτείας ἐπίδειξιν, ἀλλ' εἰς τὴν ἐπιτεταμένην ὑπακοὴν, καὶ σιγήν. καὶ τοῦτο πανταχοῦ δεῖ παρατηρεῖν, ὅτι τὰ ὑποδείγματα οὐ πάντα καθόλου δεῖ λαμβάνειν, ἀλλὰ τὸ χρήσιμον αὐτῶν ἐκλεξαμένους, καὶ εἰς ὅπερ παρείληπται, τὸ λοιπὸν ἅπαν ἐᾶν.

b Idem. Ὅτι καὶ σφόδρα αὐτὸν εἰδὼς ἀπαρτίζοντα ἑαυτὸν σκεῦος ἀπωλείας, ὅμως τὰ παρ' ἑαυτοῦ εἰσήνεγκε, τὴν ἀνοχὴν, τὴν μακροθυμίαν.

c Mox : Πόθεν οὖν οἱ μὲν σκεύη ὀργῆς, οἱ δὲ ἐλέους; ἀπὸ προαιρέσεως οἰκείας.

1 *Rom.* ix, 21. — 2 Cap. iii.

lunt, ut eo tantum spectet, ne quis divinorum consiliorum rationem reposcat; non quod nulla sit, vel « quod inquisitioni isti responderi non possit, ait Chrysostomus, verum quod nefas sit, talia sciscitari[a]. » Nam, ut Ambrosii commentarius ait, « Magna est indignitas, et præsumptio, hominem respondere Deo in adversis, iniquum justo, malum bono, imperitum perito, infirmum fortissimo, corruptibilem incorrupto, mortalem immortali, servum domino, creaturam conditori. »

Hieronymus item in epistola CL, *ad Hedibiam*, quæstione X, illum ipsum Pauli propositum sibi locum accurate explicat, putatque, hoc figuli et vasorum exemplo Paulum significare, inanem et iniquam esse querimoniam illorum, qui sic objecerant, si « cujus vult miseretur, et quem vult indurat, quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit? » tanquam diceret; « Ex eo quod respondes Deo, et calumniam facis, etc. ostendis, te liberi esse arbitrii. »

Nemo autem ante Augustinum massam illam credidit esse naturam hominum vitio primi parentis infectam, sed vel ad propositam rem nihil attinere; atque ad instruendam duntaxat similitudinem referri, quod figulus utique ex massa, et argilla vasa sua fingit, etsi locum ea similitudinis pars in redditione non habeat, vel massam istam communem hominum significare naturam, eamque mediam, hoc est nec bonam, nec malam. Sic Ambrosii commentarius accepit; necnon Hieronymus in illa *ad Hedibiam* epistola.

X. Ac nihil in massa illa præcipuæ mysticæque significationis Apostolum posuisse, ex eo probabile fit, quod eam similitudinem ex Jeremia sumpsisse videtur, et ad ejus decimum octavum caput allusisse, in quo Propheta refert, se jussu Dei in figlinam ingressum, contemplatum esse figulum ex argilla vasa fingentem, ex eoque commonendi populi occasionem cepisse. Quocirca, uti Propheta tum officinam ingressus, artificemque cernens vas quoddam, quod contrectando fregerat, in vas alterum, prout libuit, conformasse; divinitus est edoctus, hoc eo pertinere, ut intelligeret, posse Dominum pro arbitrio confractum, et ad extremam sortem et calamitatem redactum populum reficere; nec adeo desperatum esse statum ullum, quem in melius commutare non posset : sic Apostolus eodem exempli genere monstrare voluit, Dei consiliis ac decretis obloquendum non esse; sed quidquid ille statuerit, id æquo et patienti animo tolerandum; neque curiose et arroganter inquirendum esse, cur, aliis repudiatis, illi asciscantur potius, quam isti. Veluti cur, Judæis obduratis ac relictis, gentiles substituti sint. Neque tamen utrobique nulla est, aut ignota penitus divinorum causa consiliorum, sed ibidem etiam aut adjungitur, aut non obscure significatur. Siquidem *Matthæi* XXI Christus Judæos objurgans, interminationi illi, qua auferendum ipsis Dei regnum denuntiat, causam adjungit, quod neque fructus reddiderint, et servos insuper patrisfamilias, ac filium ipsum occiderint. Cur autem in eorum locum gentiles subrogandi sint, rationem hanc affert, quod fructus suo tempore reddituri sunt : quam *moventem, non impellentem,* et προηγουμένην causam esse supra diximus : hujusmodi enim nulla, præter bonitatem et misericordiam vocantis, antecessit. Potest etiam ad Isaiæ loca duo respexisse Paulus, capitis nimirum XXIX et XLV, 9. In quibus ad figlina translatæ similitudines nihil aliud, nisi summam artificis Dei potestatem in opera sua, sic tanquam figuli in vasa, demonstrant; ibique massæ ipsius, vel materiæ nulla diversa conditio, vel affectio respicitur. Massam igitur vel simpliciter communem naturam ab Apostolo vocari, veteres ante Augustinum omnes arbitrati sunt, vel ut labe sordidatam aliqua, et corruptam intellexerint, propria singulorum, an ab uno derivata in posteros infecta sit, Apostolum in illo loco expressisse non judicant. Ex illa massa vasa fieri dicit idem Apostolus; quæ vox *instrumentum* significat, præcipue domesticum, et quod in sarcinis habetur. Usus est insigniter ea voce Polybius in fragmentis ab Henrico Valesio viro erudito nuper editis[b]; ubi Sosibium Ptolemæi Philopatoris tutorem appellat σκεῦος, id est « *instrumentum*, et ministrum callidum, et usu rerum detritum. » At vero, absoluto et antecedente omnium merita voluntatis decreto, fœda, vel honesta fieri vasa, nemo dixit antiquorum ante Augustinum. Quin potius suo quemque merito, cum de grandioribus loquuntur, fieri talia plerique scripserunt.

XI. Methodius auctor vetus in libro *de Re-*

a CHRYS. ibid. Καὶ οὐ λέγει, ὅτι ἀδύνατον τὸ τοιαῦτα λύειν· ἀλλὰ τί; παράνομον τὸ τοιαῦτα ζητεῖν.

b POLYB. in *Excerpt. Vales.* Ὅτι Σωσίβιος, ὁ ψευδεπίτροπος Πτολεμαίου ἐδόκει γεγονέναι σκεῦος ἀγχίνουν, καὶ πολυχρόνιον.

surrectione, « Aliud vas, inquit, in honorem, aliud in ignominiam; non quod Deus alios bonos facit, alios malos, absit. Verum omnia Dei bona in commune posita sunt omnibus, et, quantum est in ipso, hoc est secundum consilium ejus, ac voluntatem, cuperet, omnes probos ac laudabiles esse, ac virtute fideque præditos [a]. » Quare idem, quod Chrysostomus, aliique supra laudati, asserit, similitudine ista figuli et vasorum unum hoc Apostolum studere, ut summam et absolutam Dei potestatem commendet; et ab ejus inquirendis consiliis curiositatem suam homines abstinere doceat. Quæ est etiam auctoris illius opinio [1], qui expositionem scripsit fidei inter Justini opera positam.

Sic Origenes, cum locum illum, et vasorum similitudinem explicat, unumquemque se, quale vult, facere vas asserit; quem locum supra descripsimus. Et assentitur Ambrosii commentarius [2], qui « cum omnes ex una atque eadem massa simus in substantia, et cuncti peccatores, alii misereri, et alterum despicere ait Deum non sine justitia. In figulo enim sola voluntas est; in Deo autem voluntas cum justitia. Scit enim, cujus debeat misereri. » Cui consentaneus est Hieronymus in epistola *ad Hedibiam*. Joannes item Damascenus vasa illa « fieri quidem ait a Deo, qui est solus omnium artifex; sed non qua honorata, vel inhonorata sunt. Id enim uniuscujusque liberum arbitrium facit [b]: » ac Deo permittente, non agente, ac per se volente, ignominiosa fieri vasa, idem capitis initio, et postea significat. Quod quidem Pauli insuper probat testimonio, cujus disertus ad communem hanc sententiam, iste locus videtur: *In magna*, inquit, *domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum* [3]. Ex iis colligit Damascenus, pro uniuscujusque proposito animi et voluntate tum conatu et opera, fieri vas honoratum, vel ignobile.

XII. Theodoretus quoque ad eumdem Apostoli locum adnotat, vasa quidem pretiosa ab vilibus natura, et materiæ conditione esse distincta; at in hominibus voluntatum hoc totum esse discrimen [c]. Cui Œcumenius, et Theophylactus accedunt. Et idem commentarius Ambrosii significat. « Poterant, inquit, Hymenæus, et Philetus mundare sensum suum, si voluissent, ut fierent vas sanctificatum, præparatum in honorem. » Et ante hos Origenes homilia XIV *in Numeros*, illum ejusdem *ad Timotheum* epistolæ locum enarrans: « In magna hac, inquit, mundi hujus domo non sunt tantummodo vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia, etc. Verum, quoniam vasa hæc, quæ dicimus, rationabilia intelligenda sunt, et liberi arbitrii, non casu, neque fortuito unusquisque aut vas honoris efficitur, aut vas contumeliæ: sed qui se tale præbuerit, ut electus esse mereatur, vas electum, et vas honoris efficitur. Qui vero indignis et deterrimis sensibus vivit, iste formatur vas contumeliæ, non a conditore, sed a semetipso causis contumeliæ suæ datis. » Ac deinceps uberrimam de eo disputationem explicat.

Rursus Macarius homilia XV, vasorum differentiam ex humana pendere libertate demonstrat, cum ait « illum, qui profunde in peccatum immersus est, seque vas Diaboli fecit, a quo in totum condemnatus est, necessitate nulla constringi; sed liberum iis esse, fieri vas electionis et vitæ [d]. » Quod etiam Basilius docet in homilia *Quod Deus non est auctor mali*.

XIII. Verum iis in vasis, quæ in illo posterioris ad Timotheum loco describuntur, evidentius est meritorum ac voluntatum discrimen, quia diversa omnium est materia. In capite vero epistolæ *ad Romanos* nono, paulo est obscurior meriti cujusque significatio, quoniam eadem fingendis omnibus massa proponitur. Sed massam cæteri Patres, non

a Method. apud Œcum. in cap. IX epist. *ad Rom.* Ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν. οὐκ ἐπειδὴ τοὺς μὲν ἀγαθοὺς, τοὺς δὲ οὐ τοιούτους ποιεῖ ὁ θεός· ἄπαγε. ἀλλὰ πάντα μὲν τὰ τοῦ θεοῦ χρηστὰ πρὸς πάντας κοινὰ, καὶ τόγε ἧκον εἰς αὐτὸν, τουτέστι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βουλὴν, καὶ θέλησιν, ἐβούλετο πάντας εὐδοκιμεῖν, καὶ ἐναρέτους εἶναι, καὶ πιστούς.

b Damasc. lib. IV, cap. XX. Ὅτι μὲν γὰρ αὐτὸς ποιεῖ καὶ ταῦτα, κἀκεῖνα· μόνος γὰρ αὐτός ἐστι τῶν ἁπάντων δημιουργός· ἀλλ' οὐκ αὐτὸς τίμια κατασκευάζει, ἢ ἄτιμα. ἀλλ' ἡ οἰκεία ἑκάστου προαίρεσις.

c Theodor. ad cap. II epist. II *ad Tim.* vers. 20. Ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν ἡ φύσις ἀπέκρινε· ταῦτα δὲ ἡ γνώμη πεποίηκε τίμιά τε, καὶ ἄτιμα.

d Macar. Οὔτε ὁ βαθὺς εἰς τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ποιῶν ἑαυτὸν σκεῦος τοῦ διαβόλου, ὑφ' οὗ τὸ ὅλον κατεκρίθη, οὐ ἀνάγκῃ τινὶ δέδεται, ἀλλ' ἔχει τὴν ἐλευθερίαν τοῦ γενέσθαι σκεῦος ἐκλογῆς καὶ ζωῆς.

1 Just. Pag. 304 edit. Græco-Lat. Comel. — 2 Cap. III. — 3 II *Tim.* II, 20, 21.

rei cum testimoniis, tum exemplis est referta.

V. Ecquid igitur hæc animo perlustrans, et intentus in singula lector ex iis omnibus conficiet, ac colliget? Opinor istud. Conversionem quidem voluntatum, quæ divina fit excitante, et adminiculante gratia, merita omnia, humanosque conatus antecedere; mercedem vero recte deinceps a bono, vel secus ab improbo factorum, pro utriusque meritis, et propter merita retribui. Quod si non gratis, sed tanquam ex pacto, et justitia repræsentatur suo tempore : eodem profecto modo retribuenda decernitur. Quid enim aliud suspicemur, nisi ut, quod facit Deus in tempore, id ea, qua facit, ratione faciendum ex æterno destinarit? Nisi quid forte aliud, quam quod humana nobis ratio, et intelligentia suggerit, divina Scripturarum oracula testentur; quod minime istic sane faciunt, ut ex superiori constat capite.

Age enim expendamus obiter, ac relegamus, quæ de humanæ salutis administratione, deque divina circa eam cura, et gestione Litteræ sacræ significant. Nullum enim copiosius in iis argumentum, aut frequentius tractatur. Maxime autem cujusmodi sit, et quemadmodum transigatur hoc negotium, crebræ illæ, ac luculentæ parabolæ designant, in quibus, tanquam in picturis, descriptum illud est, ac pene oculis subjectum.

Parabola patrisfamilias conducentis operarios.

Simile est, ait Christus, *regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam* [1]. Tum post vesperam vocari operarios jussit, et reddi mercedem singulis. Apparet in hac parabolo insignis, et expressa similitudo divinæ ad salutem, præmiumque destinationis, et effectus illius; et utrobique causa monstratur eadem tum decernendæ, promittendæque mercedis, tum exhibendæ. Hic enim proprius, ac præcipuus finis, et scopus est parabolæ istius. Quæro igitur, si quis percontetur de patre illo familias, cur pecuniam suam in istos potius, quam alios quoscumque erogare decreverit, num aliter respondebit, quam hoc se ideo facere, quod illi ex pacto operam suam locarint in vite sua colenda? Nimirum unam et eamdem se causam habuisse destinandi, persolvendique denarii; nec alia re impulsum, ut mercedem in fine operæ redderet, quam qua reddere ante apud se constituerat. Cur hunc potius, quam illum, ex tota multitudine otiosorum elegerit, quem ad culturam vitis mitteret, voluntatis solius dicet fuisse suæ; quod autem iis ipsis, quos gratis deligeret, mercedem ullam solvere statuerit, jam eorum operam, ac laborem causam extitisse. Nemo, qui seipsum, communemque sensum, ac rationem consulet, aliter judicabit; nec intortis, ac sinuosis ambagibus simplicem veritatis fidem implicandam putabit. Sic enim homines agere inter se consueverunt. Sic Deus ipse, ut se agere cum hominibus ostenderet, ex eorum usu, ac moribus similitudinem sumpsit, qua decretorum, consiliorumque suorum non minus, quam factorum viam, modumque significaret; quæ utique, nisi eo ipso declarante, nulla consequi humana sapientia posset. Quid igitur attinet, diversam in liberando et proponendo, atque in exequendo fuit, quod proposuerat, divinæ providentiæ administrationem fingere, nullo idoneo varietatis illius argumento, ac Dei testimonio?

Necnon talenta distribuentis.

VI. Quid alter ille pater familias, qui peregre abiturus pecuniam suam in servos distribuit, ut eam exercerent absente se, *et uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum* [2], ac postea reversus, pro singulorum studio, atque fructu, gaudii sui potestatem fecit? potuit hic quidem istos anteponere aliis, et ad talentorum suorum procurationem potius vocare, quam cæteros, sola inductus honitate; ut autem præmio illos afficere vellet, non alia, quam quæ in dando subinde se prodidit, divinari causa potuit, nisi eam ipsi latentem aperiret. Nec me præterit, quod pro Augustiniana dici opinione soleat, ac quid ipse pro eadem ante responderim. Sed illud me movet; in eo consisto, atque hæreo, quod jam sæpe, et, ut opinor, merito adversus illa præscripsi; tametsi ita, ut asserunt illi, et ego ipse pro Augustino docui, Deus facere potuerit, atque electionem, prædestinationemque sic instituere; non tamen constare nobis, nec nisi divinando pronuntiari posse, an ita, ut potuit, reipsa fecerit, cum ex simplici, et ordinario rerum cursu, ac modo aliter judicandi justa sit occasio.

Ultima sententia.

Ad hæc forma ipsa judicii, quod in fine mundi futurum est, a Matthæo descripta talis est, ut et electi ob id præmio sempiternæ felicitatis afficiantur, quod bona fecerint, id est opera misericordiæ; et reprobi damnentur

1 *Matth.* xx. — 2 *Matth.* xxv

propterea, quod eadem agere illa noluerint[1]. Quid igitur causæ esse potest, cur non perinde, uti bonis aliorum meritis, aliorum malis adductus est, ut iis præmia, illis supplicia retribueret; ita iisdem impulsum esse causis arbitremur, ut illa ipsa decerneret? Nam aliter suspicari in destinando se se gessisse Deum atque in exequendo, quod decreverat, divinare prorsus est, ut jam dixi, si hoc nulla Scripturarum oracula persuadent, nulla secretorum divinorum conscia vox, et interpres *.

Agonis et bravii similitudo.

VII. Sic agonis, et bravii similitudo illa, quam Paulus explicat, *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt. omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis*[2]. Manifestum enim est, agonothetam, cum cursus præmium proponitur in stadio, non gratis, et ex sola benignitate destinare victoribus præmium; sed cursu illorum, et contentione ad hoc impelli: quæ eadem causa commovet, uti victoriam adeptis palmam tribuat. Sic usus fert agonum, et certaminum. Sic homines hominibus et constituere præmia victoribus solent, et constituta post victoriam reddere. Si quis aliter instituat, id præter morem, præterque communem consuetudinem facit; cujus nulla, nisi ex ejus ipsius sermone constet, conjectura capi potest. Par igitur, eademque procul dubio in salutis, ac sempiternæ felicitatis agone, Deum inter et homines est conventio; nec diversa hujus, atque illius ratio temere cogitanda est, nisi expressissimis, quæ nulla esse demonstravimus, Scripturæ sententiis approbari potuerit. Reliqua prætermitto, quæ sunt innumera, et ab aliis, quibus hæc posterior placet opinio, studiose collecta sunt; præsertim ab Lessio, qui adversus priorem sententiam uberrime disputavit, et contrariam multis, et exquisitis rationibus adstruxit[3]: ut de cæteris taceam, qui in eodem argumento summa diligentia versati sunt. Sed hoc in illis laudare non possum, quod Augustinum in eamdem opinionem compellunt, cum ab ea penitus dissentiat, ut in superioribus capitibus ostendimus.

CAPUT III.

Constituuntur e Scripturis certa capita verioris de prædestinatione, ac reprobatione sententiæ Ac primum ostenditur, Deum omnes velle salvos facere antecedente voluntate, et quidem efficaci, sed conditionata. Illustratur Apostoli locus ex priore ad Timotheum ; ejusque variæ interpretationes expenduntur. Deum omnes homines diligere, odisse neminem: ex quo prius illud de gratia omnibus oblata concluditur. Nullam esse reprobationem, quam vocant mere negativam. Amorem, et odium Dei intelligendum de præsenti hominum statu. Non posse baptizatos, propter massæ vitium, et peccatum originale, reprobari.

I. Nunc de prædestinatione bonorum, et ei contraria malorum rejectione, quod humanæ intelligentiæ vox divina præscribat, certis complectar capitibus, quorum hoc erit primum: Deum erga omnes homines quadam voluntatis propensione ferri, ut eos salvos ac beatos velit, et quidem efficaci, quantum est ex sese; hoc est eatenus, ut ex ea moveatur, et impellatur ad suppeditanda idonea consequendæ salutis auxilia. Non enim, ut sit efficax in Deo voluntas rei cujuspiam obtinendæ, necesse est, rem omnino fieri; quia est volentis ad efficiendum omnipotens facultas; in quo Calvinus, et alii temere conflictantur, ut postea dicemus; sed illud requiritur, non ut omnia, quæ potest, ad evincendum istud adhibeat, verum ut ea, quibus id potest effici, præsidia subministret. Ita enim, quæ cum hominibus, cæterisque libere agentibus facere vult Deus, administrare consuevit, ut, quantum in se est, ea fieri velit, et quo vult impen-

* Sunt eruditi viri qui in multis quidem consentiunt cum *Petavio*, ad hoc theologiæ caput quod attinet, qui tamen existimant prædestinationem divinam in hoc uno sitam esse, ut Deus postquam statuit homines redimere, aliaque cum redemptione annexa, decernat eos servare qui Evangelio paruerint, damnare qui hoc rejecerint; adeo ut Deus nihil decernat de singulis hominibus, sed tantum de toto genere hominum salvandorum aut damnandorum. Quod decretum Dei nullam prævisionem, proprie si loquamur involvit, et mere gratuitam prædestinationem facit. Deus enim sola misericordia impulsus, leges evangelicas decernit olim promulgare. Cum vero eas exsequitur, seu de singulis hominibus in tempore judicat, tum demum rationem habet eorum operum. Non memini hanc sententiam ab ullo concilio damnatam, nec video quidquam in Scriptura quo confutari possit : Omnes hisce de capitibus consentiunt, sed eis tantum alii alia addunt. *TH. AL.*

1 *Matth.* xxv, 31. — 2 I *Cor.*, ix, 24. — 3 In Disput. *de Prædest. et reprob.* Aug. sect. ii.

sius, eo majori ope, et quibus novit excitantis gratiæ motibus insistat. « Verum, quia ita sine gratia non potest vivi, ut et mors in potestate sit liberi arbitrii » ut ait Augustinus; et quoniam « liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum, [1] » quod Tridentina synodus decrevit, ita « cooperatur assentiendo, ut possit dissentire, si velit [2]; » hinc illud oritur, ut, quæ ex ejusmodi voluntate Deus in nobis agitat, ea resistentibus nobis irrita sint, ac Dei consilia frustrentur.

Atque, ut, omissis humanis conjecturis et rationibus, ex ipso Dei verbo disputatio nostra proficiscatur; Deus ecce apud Prophetam Esaiam de Judæorum synagoga conquerens, et quasi in judicio causam suam agens, *Nunc ergo*, inquit, *habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci*[3]? Quis efficacem, ac sinceram eam fuisse voluntatem non putet, quæ nihil earum rerum prætermisit, quas fieri ad id, quod studebat, impetrandum oportuit. Aut non ad Babylonis procurandam salutem efficacem voluntatem habuit ille, qui dixit : *Curavimus Babylonem, et non est sanata*[4]? Aut denique non bona fide Christus Hierosolymis, id est Judæorum populo consulere voluit, cum hæc plena voce doloris et affectus illorum insonabat auribus? *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti*[5]? Certe vel nulla est efficax, id est ardens, et cupida rei obtinendæ voluntas ; vel ista fuit, quam in se fuisse Deus ipse testatur.

Sincera voluntate Deus vult salutem omnium.

II. Hujus, quam dixi, divinæ voluntatis in salutem omnium incumbentis innumera sunt testimonia sacris in libris. E quibus maxime tritum illud, quoniam evidens est, et expressum. Paulus in priore *ad Timotheum*, capite secundo, preces in Ecclesia, et obsecrationes fieri præcipit *pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt*, etc. *Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Omnes homines vult salvos fieri Deus, excepto nemine. Ergo non solos electos, et prædestinatos, hoc est eos, qui reipsa salutem assequuntur. Scio, quam variis modis locus iste vexatus sit ab iis, qui contrarium sentiunt. Tres quatuorve ex Augustino commemorati sunt a nobis [6], cum illius opinionem exponeremus, qui mihi quidem ad eludendum magis excogitati quam certi, ac solidi videri solent. Duæ sunt anteponendæ reliquis interpretationes, ac præcipuæ. Altera, ut omnes ideo velle salvos esse dixerit Apostolus, quia nemo, nisi per ipsum, et de ejus voluntate sit salvus « Omnes, inquit, dictum est, ne aliquo modo alio, præter ipsum, quisquam salvus fieri posse credatur. Sicut enim, uno litterarum magistro in civitate constituto, rectissime dicimus : Omnes iste hic litteras docet; non quia omnes cives litteras discunt, sed quia nemo discit, nisi quem ille docuerit [7] » Quod eodem modo dictum existimat, atque illud Pauli : *Sicut per unius delictum in omnes homines, in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines, in justificationem vitæ*[8]. Non enim omnes per Christum justificantur, sed « nemo justificatur, nisi quem justificaverit Christus ; » quemadmodum et in *Enchiridio ad Laurentium* exponit ad eumdem modum [9], quo scriptum est : « *Qui illuminat omnem hominem* [10]. « Non quia nullus est hominum, qui illuminetur ; sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. »

Variæ interpretationes textus *qui vult omnes* etc. expenduntur.

III. Verum non satis quadrat in illud Apostoli dictum expositio ista ; nec eadem est ratio loci ejus, in quo *velle Deum* ait *omnes homines salvos fieri*, et aliorum, in quibus vel *justificari omnes*, vel *illuminari* per Christum asserit. Hæc enim ipsa *justificari*, et *illuminari*, atque his similia, non solus per sese Deus efficit, nec ex ejus voluntate pendent, ut quidem esse res habent, et ut ipse fieri decrevit, qui neminem, nisi sponte volentem, et consentientem, ad gratiam suam adducere statuit. Itaque, cum omnes justificari a Christo legimus, nonnisi volentes interpretari possumus. Idemque judicium esset, si non velle salvos fieri omnes, sed salvos facere dixisset ; hoc enim non sine nobis exequi constituit. Liquet autem, neque justificari, neque salvos fieri omnes, non quod ipsis Dei voluntas, sed quod divinæ ipsi voluntati desint. Cum ergo sic dicitur. Vult Deus, omnes salvos fieri, quatenus *velle* dicitur, id dicitur quod est in ejus unius voluntate positum. Nam, ut velit, non ex hominum voluntate sumit, sed ex sola bonitate sua.

Quocirca, cum vult omnes salvos fieri, neminem excipit, quoniam excipiendi nulla

1 Tract. LXXXI in *Joan.* — 2 Can. 4, sess. 6. — 3 *Isa*, v, 3. — 4 *Jer.* LI, 9. — 5 *Matth.* XXIII, 37. — 6 Cap. v. — 7 Aug. *de Nat. et grat.* c. XLI. — 8 *Rom.* v, 18. — 9 Cap. CIII, to. III. — 10 *Joan.* I, 9.

extra ipsum causa quæritur. Vult enim, quia sic illi placet. At, cum justificat, illuminat, salvum facit, συνεργοὺς id est *cooperatores*, et συναιτίους adhibet, qui si reluctentur, non fit, quod voluit Deus. Non enim falso dictum est, quod paulo ante commemoravi. *Quoties volui, et noluisti?* Sic et ludimagister ille, qui in urbe docere omnes dicitur, cum paucos tantummodo doceat, si ejus voluntas agitur, docere vult omnes, ac paratus est, etiam quos non docet; quos ideo non docet, non quia non vult, sed quia nolunt doceri. Est enim voluntas ejusmodi non ab omni absoluta conditione, sed ex ea pendet, et *hypothetica* ideo vocatur; non tamen eo minus est efficax: quia ut, quod vult, assequatur, idonea præsidia, et adjumenta suppeditat.

Sane, si quis Apostoli dictum illud, ac dicendi causam ex antecedentibus repetat, sciet, ab eo neminem exceptum. Tales enim designat, pro quibus orari vult, quos valde erat probabile, et sciebat Apostolus, nunquam Christi complexuros fidem, ac salutem adepturos, reges scilicet, principes, et magistratus; a quibus vexandos, interficiendosque christianos, ab ipso prædictum esse Christo didicerat. Potius itaque neminem intelligamus exceptum ab generali voluntate Dei, qua salutem vult omnium.

Alia Scripturæ testimonia.

IV. Nam et hoc apud Ezechielem ipse testatur Deus, *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus: et non ut convertatur a viis suis, et vivat*[1]. Et in fine capitis: *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, et vivite*[2]. Si Deus impii mortem, id est damnationem, et interitum non vult, necesse est, velit salutem. Non vult autem omnium salutem absoluta, et conditionis experte voluntate. Igitur, quod ratio ipsa dictat, ad talem conditionem implicata vult, si et ipsi consentire voluerint, vel quantum in se, et ordinario providentiæ suæ cursu situm est; quem plerumque libere hominum voluntates, et causæ, quæ secundæ vocantur, interpellant.

Idem Ezechielis locus, cui similes sunt complures alii, non illam duntaxat Apostolici dicti sententiam excludit, quam sæpe Augustinus inculcat, omnes salvos esse Deum velle, quia nemo, nisi ab ipso fit salvus; sed etiam alteram quæ vendibilior est; ut omnes homines pro eo dixerit, atque quovis ex genere, sexu, conditione et officio, non autem de singulis. Quam expositionem fateor accommodari posse. Sed ei vicissim Ezechielis alter obstrepit locus. Nam si non omnes, et singulos vult salvos esse Deus, vult ergo perire, ac mori; et falso dixerit, se non mortem velle morientium, et impiorum. Id enim de corporum morte non potest intelligi, quam in justis etiam vult, et immutabili voluntate decrevit. Quare necesse est, ab ea salutis impertiendæ voluntate omnium secerni neminem. Eamdem vim habet illud etiam Christi: *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis*[3]. Non temere, opinor, affirmet aliquis, nullum in illa puerorum turba, quæ tunc oblata Domino est, nisi prædestinatum, et electum fuisse. Non enim credibile istud est, et est longe verisimilius, reprobos aliquos in eo fuisse numero, quorum interitum, ac damnationem neque voluerit Deus, et ut ab ea liberaret; hoc est, ut salvaret mundum, unigenitum suum misit in terras.

Ex hac generali voluntate Deus omnibus necessaria salutis adjumenta suppeditat.

V. Ex eadem generali, communique Dei voluntate consequens est ut omnibus gratiam, ac necessaria comparandæ salutis præsidia et adjumenta suppeditet; quod secundum caput est nostræ de prædestinatione sententiæ. Nisi enim ita faceret, sed certis tantummodo necessaria præberet auxilia, cum sine iis salus æterna comparari nequeat, non omnes salvos velle diceretur, sed eos duntaxat, quibus opem ferret; reliquos nolle omnino salvos esse. Habet enim hoc voluntas omnis, si est firma, et seria, ut quidquid appetit, ejus obtinendi causa, quæ sunt necessaria, conquirat, ac sibi aliisve procuret; præsertim cum voluntas ista amoris est, ac benevolentiæ. Nullus enim amor otiosus est; et amicus esse proprie, ac bene velle dicitur is, auctore Aristotele, « qui, quæ bona, et commoda illi esse credit, quem amat, ea studet efficere illius gratia[a]. » Quare, cum voluntas illa Dei, qua salutem vult omnium, ex amore in eos proficiscatur, ac benevolentia, qua nullo suo emolumento illos prosequitur, πρακτική, id est *efficax* esse debet eorum, quæ sunt ipsis commoda. Ut enim qui se amat, quæ conducibilia sibi sunt eligit et asciscit, in eaque procuranda intendit animum. Sic qui alterum diligit, hoc est bene, ac bona vult alicui, ista

a Arist. I. *Rhetor.* Ἔστιν ὁ τοιοῦτος φίλος, ὅστις ἃ οἴεται ἀγαθὰ εἶναι ἐκείνῳ, πρακτικός ἐστιν αὐτῶν δι' ἐκεῖνον.

1 *Ezec.* XVIII, 33. — 2 Ibid. vers. 32. — 3 *Matth.* XVIII, 14.

itidem ut Augustinus corruptam, ac depravatam primi parentis vitio, sed *mediam*, id est neque bonam, neque malam interpretantur : quod ille negat expresse in epistola CVI, ita scribens. « Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. » Quocirca Patres illi, qui mediam illam posuerunt, ac naturam rati sunt significare communem, jure ex cujusque meritis ac voluntate eligere, vel reprobare Deum homines dixerunt, ne sit injustus Deus.

Atque etiam Augustinus interdum ipse massæ nomen usurpat sic, ut non inquinatam labe aliqua multitudinem significet : sed vel media notione, vel meliori etiam accipiat. Ut in tractatu *ad Psalmum* XLVII, « massam tritici vocat ventilatione purgandam ; et, plenitudinem massæ ad dexteram constitutæ, » de electis loquens ; ac «ventilabrum portare magnum dicit artificem, ut unum granum tritici non cadat in acervum paleæ comburendum, nec una arista paleæ transeat ad massam in horreo recondendam. » Utitur et illo loco Apostoli sanctus Augustinus, ut a damnata hominum massa nullis secerni meritis probet electos, qui est in priore *ad Corinthios ; Quis etiam te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti* [1] ? « Ab illa, inquit, perditionis massa, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere, neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit [2]. » Verum non est illic Apostolo sermo de sempiterna salute, et electione, vel prædestinatione, sed de ornamentis, ac dotibus, ob quas aliis alii anteferebant se, vel a discipulis præponebantur, ut Græci omnes explicant, necnon Ambrosii commentarius, et Anselmus, ac cæteri vulgo ; tum etiam Arausicana synodus canone VI et XXV. Item *ad Psal.* LXVII. « Tunc ergo, quando erit sine ulla malorum commixtione populus ejus, tanquam massa ventilabro emundata, etc. » Et *ad Psalmum* LXIX. « Et necesse est ut inter scandala, et zizaniam, et paleam gemat Ecclesia, et illa massa, donec messis veniat. » Tum *ad Psalmum* XCIII. « Separata ergo a palea tota massa grandis erit, » etc. Vox *massæ* per illud tempus pro *toto* aliquo, et *summa* usurpari solebat, quod Latini veteres *assem* vocabant. Sic prædia, et possessiones *massas* nominabant. Glossæ veteres, *Massa* σύγκτησις. Ut apud Cassiodorum [3]. Tertullianus sæpe pro *summa*, et *toto*, uti dixi, solet accipere. Ut cum « *massam frumenti* dicit in horrea Domini reportari [4].» Et *massalem summam* [5]. Sic *massa candida* [6] turba martyrum dicta, quod « de martyrii candida coronata est [7] » ut idem loquitur. Videtur hoc nomen apud Afros maxime frequentatum ea significatione. In concilio Carthaginiensi tertio, canone XLVI, *massa diœcesium* appellatur summa ecclesiarum, sive parœciarum uni episcopatui vel diœcesi majori contributarum, quem *fascem* ibidem vocat. Ad summam, *massæ* vocabulum pro *toto*, et *solido*, atque *integro* sumitur, quæ in numeris ὁμὰς dicitur. Itaque tam massa prædestinatorum, quam reproborum suo jure nuncupatur.

XIV. Ad hæc Augustinus ex primo capite epistolæ *ad Ephesios*, absolutæ ad salutem electionis argumentum ducit in libro *de Prædestinatione Sanctorum,* capite XIX. Nam Apostolus ita scribit : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate* [8]. Hanc electionem Augustinus ad prædestinationem retulit. « Quomodo, inquit, eligeret eos, qui nondum erant, nisi prædestinando ? » Verissime id quidem, si ea prædestinatio duntaxat intelligatur, quam Paulus ipse declarat, cum ad hoc eligi nos ait, *ut simus sancti.* Hujusmodi enim electio non alia est, quam vocatio, sive vocandi propositum, non ad gloriam absolute, sed ad fidem, et evangelicam gratiam. Quod ad retundendos Pelagianos, contra quos ibidem disputat, satis esse potuit. Præterea ille capitis octavi *ad Romanos* epistolæ locus obtendi solet : « *Nam quos præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et glorificavit* [9]. » Quibus Apostoli verbis abutuntur imprimis Calviniani fautores dogmatis, de quo postea. Qui neminem nisi certo destinatum ad æternam salutem, efficaci vocatione ad fidem impelli, ac justificari sentiunt ; deinde qui absoluto decreto, nec a meritis gratiæ pendente destinari volunt electos ad æternam salutem. Sed neutri

1 I *Cor.* IV, 7. — 2 Aug. lib. *de Corrept. et grat.* c. VII. — 3 Ut lib. VIII, ep. XXXIII. — 4 Lib. *de Præsc.* c. III. — 5 Lib. IV *contra Mar.* c. VIII. — 6 *Martyr.* XXIV Aug. — 7 Tert. *de Cor.* c. I. — 8 *Eph.* I, 4. — 9 *Rom.* VIII, 29.

causam suam testimonio isto superiorem faciunt. Non enim Apostolus absoluta Dei voluntate totam illam seriem necti, colligarique voluit, tanquam nullum ad eorum, quos vocavit, merita respectum habuerit, ut eos ad salutem destinaret, verum solam illam, quæ est ad fidem, electionem ac prædestinationem, gratuitam esse judicat, ex eaque profectam vocationem : cætera, quæ deinceps ordine sequuntur, uti connitentibus, et allaborantibus nobis reipsa procedunt, sic in divino consilio disponuntur ; quorum postremum est, sempiterna salus parta meritis et repensa, tum iisdem et promissa divinitus, et ex æterno parata. Nam et quicumque vocati sunt, non continuo justificati ; neque qui justificati, omnes necessario glorificati sunt. Siquidem et *multi sunt vocati, pauci vero electi;* et ab accepta justitia complures excidere certissimum est, idque postea comprobabitur. Ad eam itaque regulam dirigenda est Apostolici illius dicti sententia, quam superiore libro cap. IV, proposuimus : Scripturam sæpe usitato inter homines loquendi modo, qui κατ' εὐφημισμὸν dicitur, ea tanquam futura pronuntiare, quæ ex Dei proposito, ac *primaria voluntate*, et εὐδοκίᾳ, quantum est in ipso, sequuntur, nisi per nos, liberumque nostrum arbitrium steterit. Cum enim Deus quempiam vocat, et vocatum perducit ad fidem et justitiam, ob id vocat, et justificat, ut salute donet, et gloria ; eoque consilia sua, et adjumenta gratiæ dirigit. Ideo, postremum illud universe infiniteque prioribus adnectit Apostolus. In quo tamen tacita illa subaudienda conditio est voluntatis et consensionis humanæ, quam Græci omnes, et Latini antiquiores accommodant.

Per euphemismum.

XV. Postremum illud sit argumentum, quo, sine meritorum intuitu prædestinari electos, absoluta Dei voluntate probant aliqui. Ut inter alios Petrus Diaconus in libro *de Incarnatione et gratia Christi ad Fulgentium.* Ubi contra illos disserit, qui Deum aiebant velle omnes homines salvos facere, sed eorum voluntate fieri, ut non salventur. Quos ille sic arguit : « Hæc si ita sunt, ut hæretici jactitant, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia, et incomprehensibilia Dei judicia. Si enim, ut ipsi volunt, nolentes damnat, salvat autem volentes, nihil est omnino, quod quæratur ulterius, etc. Nos autem incomprehensibilia credentes judicia Dei, ex una massa perditionis alios salvari dicimus bonitate, et gratia Dei, alios justo et occulto judicio derelinqui. » Eadem scimus et ab Augustino præscribi adversus conditionatam ex meritis electionem Dei. Verum Apostolus *incomprehensibilia Dei judicia*[1], et inscrutabilia non illa dicit, quibus salutem hominibus destinat et gloriam ; horum enim causas in Scripturis patefecit Deus, quæ, pro eo ac quisque gessit in corpore, in judicio recepturum esse passim denuntiant : quare comprehendi a nobis ista possunt, quia causas eorum illo, qui facit, significante novimus, ea porro inscrutabilia, et incomprehensibilia Dei judicia nominantur, quorum nobis est ignota ratio. Itaque non de hoc judiciorum genere Paulus loquitur ; sed de vocatione certorum ad fidem, et Christi notitiam, aliorumque rejectione. Cujus altissimi, et nullis ingeniis perscrutabilis consilii nemini causa comperta est. Ad hanc gratuitam vocationem illud arcanum divini consilii, ac judicii Augustinus passim accommodat, ut in tractatu XXVI *in Joannem* : « Magna, inquit, gratiæ commendatio. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat, et quem non trahat ; quare illum trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. »

Denique ne longius faciam, nullus est omnino Scripturæ locus, quo vel Augustinus, vel Augustini discipuli absolute ac sine ulla conditione meritorum, velut causa, eligi prædestinarique probant ad salutem homines, et gloriam ; qui non alio sensu ab antiquioribus, aut etiam plerisque posterioribus Græcis, Latinisque Patribus explicatus fuerit. Ita nulla nos ad illam sententiam divina cogit auctoritas ; imo ab ea magis absterrere videtur, quod in capite sequenti declarabitur.

CAPUT II.

Ostenditur e Scripturis, electionem ad gloriam, et reprobationem a Deo fieri ex præscientia meritorum cujusque. Duo fontes operum providentiæ, divina misericordia, et justitia, eorumque proprietates, Compensationem bonorum operum ex meritis fieri e sacris Litteris probatur.

I. Cum de divinæ mentis arcanis consiliis agitur, nihilo plus minusve pronuntiare fas est homini, quam de se loquentis ipsius Dei

1 *Rom.* XI, 33.

testificatione didicerit. Hac nobis præscripta cautione, si propositam de prædestinatione ad salutem, et electione controversiam disceptare ex Scriptura volumus, quod sit de ea simplex, et apertum illius judicium investigare debemus, sepositis humanæ rationis inventis; quæ minimum fidei in rebus ac theologiæ momentum habent, et in devia sæpius errorum, et abrupta præcipites trahunt. Ac mihi quidem in eam quæstionem diligentius incumbenti plane ita visum est, opinionem illam, quæ prædestinationis causas sola ex Dei voluntate repetit, reprobationis autem, ex Adami culpa, privatis utrobique seclusis meritis, nihil in se continere, quod vel rationi contrarium rectæ, vel divina majestate sit indignum; potuisseque, si ita visum illi esset, *qui omnia quæcumque voluit fecit*[1]; et *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*[2], in hunc modum statuere de Adami posteritate, quam primi parentis culpa reos sempiternæ damnationis obstrinxerat. Verum non quid facere potuit Deus, sed quid reipsa fecit, a nobis quæritur, quod e sacris uti dixi, Litteris investigandum est, cum per se loquentibus, tum ut eas pars major antiquorum Patrum explicandas putavit. Placet enim id imprimis, quod errorem, ac temeritatem vitanti faciendum esse Vincentius Lirinensis admonet[3]: ut in iis, quæ dubia sunt, neque satis in Scripturis expressa, *antiquitatem*, et *consensionem* adhibeamus. Antiquitatem porro teneri sic, « si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores, ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium, vel certe pæne omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones, sententiasque sectemur. » Hoc si præceptum in eo, de quo agitur, servare volumus, non dubitavimus, quin ea verior sit opinio, quæ ex præsensione meritorum suam cuique sortem æternitatis assignat. Ut eos ad salutem eligat Deus, quos in accepta gratia, et justitia perseveraturos videt: sive rationis usum beato antevertant obitu: sive illam vel nunquam amissam, ex quo eam nacti sunt: vel recuperatam, ad mortem usque sponte perducant; contra vero reprobet illos, et pœnis addicat, quos in alieni sceleris, aut privati, aut utriusque labe, ac macula morituros esse prævidit.

Quid statuerit Deus e Scripturis investigandum.

Necnon e Patrum consensu.

E Scripturis verior opinio quæ ex præsensione meritorum suam cuique æternitatis sortem assignat.

II. Hujus divini consilii, ac decreti ita nobis ex Scripturis ratio constat. Operum omnium providentiæ Dei, quæ ad salutem hominum, animumque pertinent, quorum in Verbo Dei est aliqua significatio, fons est omnino duplex, in *Psalmo* XXIV, paucis ita comprehensus: « *Universæ viæ Domini misericordia, et veritas.* » Quem ad locum Augustinus: « Misericordia, inquit, quia placabilis est, et veritas, quia incorruptus est. Quorum unum præbuit donando peccata, alterum merita vindicando.» De his autem ambobus, si per se, ac seorsim quodque spectemus, id nobis litteræ illæ testantur: misericordiæ quidem effecta gratuita esse, nec ullis meritis reddi, cum persæpe indignis etiam obtingant: veritatis vero, quæ idem est ac justitia, proprium id esse, ut, quæ cujusque sunt meritis consentanea, rependat. De misericordia disertum est Domini responsum in libro *Exodi*, « *Miserebor, cui voluero, et clemens ero, in quem mihi placuerit*[4]. » Quod Apostolus in epistola *ad Romanos* ad idem institutum accommodavit[5], ut solam Dei voluntatem, ac benignitatem beneficiorum hujusmodi causam esse monstraret.

Duo fontes operum providentiæ circa salutem.

Certe « ubi misericordia agitur, non est inquisitioni meritorum locus, ait Chrysostomus; ubi misericordia, nullus est consessus judicum; ubi misericordia, rationes non repetuntur; ubi misericordia, salus sine examinatione conceditur; ubi misericordia, condonatur defensio [a]. » Quibus verbis longe ab misericordiæ usu, ac notione judicium, ac justitiam excludit, et, quæ cum iis connexa sunt, inquisitionem, *conscientiæ testimonium, et inter se invicem cogitationes accusantes, aut etiam defendentes*[6]. De justitia porro, seu veritate innumera sunt utriusque Testamenti loca, quibus secundum cujusque meritum reddi præmia, vel supplicia dicuntur: « *Semel*, inquit David, *locutus est Deus; duo hæc audivi, quia potestas Dei est; et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua*[7]. Et *Opus hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis*[8]. Et, *Scimus enim, quoniam judicium Dei est secundum veritatem*[9]. Et, *Quia reddet unicuique secundum opera ejus*[10]. Item, *Quæ seminaverit homo, ea et metet*[11], et alibi passim.

1° Misericordia ad fidem vocat absque meritis.

a Chrys. Hom. II in *Ps.* L. Ὅπου γὰρ ἔλεος, ἐξέτασις οὐκ ἔστιν. ὅπου ἔλεος δικαστήριον οὐ κάθηται· ὅπου ἔλεος, εὐθύναι οὐκ ἀπαιτοῦνται· ὅπου ἔλεος, ἀνεξέταστος ἡ σωτηρία· ὅπου ἔλεος, συγχωρεῖται ἡ ἀπολογία,

1 *Psal.* CXIII, 11 et *Psal.* CXXXIV, 6. — 2 *Eph.* I, 11. — 3 *Common.* par. I c. III. — 4 *Exod.* XXXIII, 19. — 5 *Rom.* IX, 15. — 6 *Rom.* II, 15. — 7 *Ps.* LXI, 12, 13. — 8 *Job.* XXXIV, 11. — 9 *Rom.* II, 2. — 10 Ibid. vers 6. — 11 *Gal.* VI.

III. Præterea illud iisdem e sacris Litteris accepimus, proprium opus esse misericordiæ, ac proinde nullis impetratum meritis vocationis illud beneficium, primæque gratiæ, qua sepultis « in tenebris et umbra mortis » lux oritur, et ab lethali somno peccati torpentia mortalium corda revocantur. Unde et gratia operibus, id est meritis opponi solet ab Apostolo : *Si autem gratia, jam non ex operibus*, inquit. *Alioqui gratia jam non est gratia*[1]. Rursus *Gratia*, inquit, *estis salvati per fidem. Et hoc non ex nobis, sed Dei donum est : non ex operibus, ne quis glorietur*[2].

2° Justitia mercedem meritis retribuit.

At vicissim istæ ipsæ nos Scripturæ docent, postquam merita omnia antecedens gratia justos, ac Deo gratos homines effecit, justa, et pia deinceps opera consequi, quæ sunt merita sanctorum quibus merces ex justitia debetur, ac persolvitur ; ut quantam quisque sementem bonorum operum fecerit, tantam messem colligat. *Qui enim parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus*, id est large, et copiose, *de benedictionibus et metet*[3]. Sic in epistola priore *ad Corinthios : Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi*[4]. Et alibi : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et his, qui diligunt adventum ejus*[5]. De quibus notanda ista sunt Augustini : « Cui redderet coronam justus judex, si non donasset gratiam misericors pater ? Et quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ justificat impium ? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur[6] ? » Mox Pelagianos reprehendens, qui gratiam Christi nullam agnoscebant aliam, nisi peccatorum remissionem ; et alteram gratiam, « quæ datur in fine, id est, æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi » dicebant, ista subjicit : « Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia; quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus, *Quis enim te discernit*, etc. »

IV. In talibus compensandis meritis, Dei justitiam suas exequi partes, perspicue monstrat Apostolus in illo loco, ut alia complura prætercam, quæ et in bonis, et in malis factis remunerandis eamdem commendant Dei justitiam, ac severam in utraque inquisitionem, ac sententiam, velut exacti, et inexorabilis judicis nihilo plus minusve, quam singulorum merita ferant, sed suum cuique tribuentis. Nam et *justus vix salvatur*[7], ait Petrus. Et *Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*[8]. Hinc illa, quæ cuique pro merito congruunt, et quæ jure ipsi rependuntur, Hebræi voce משפט feliciter exprimunt, quæ proprie *judicium* significat, et verbum ipsum שפט *judicare*. Idcirco Dei judicia pro cultu, et obsequio, vel colendi modo, ac ritu, sive legitimis officiis passim usurpantur : maxime in *Psalmo* CXVIII. Et Latini jura nominant, quæ cuique debentur, vel conveniunt, et ei quasi ex lege, et justitia sunt attributa. Quamobrem non est dubium, quin juridica sit quædam Dei functio, quam in compensandis hominum meritis exercet. Est autem proprium justitiæ munus, jus suum unicuique reddere. Cujusmodi jus in creaturis non exactum, et absolutum, vel ut loqui solent, *strictum*, et rigidum inest ; sed inest tamen nonnullum, quantumvis misericordi liberalitate, et gratuita temperetur in remuneratione bonorum. Nam in malis ejus, quæ *vindicativa* dicitur, justitiæ perfectum, et accuratum est commercium, quale hoc versu significatur :

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Si eadem patiatur, quæ fecit; exacta justitia [*fuerit*[9].

Quidquid enim est, quod pro suis delictis luunt damnati, hoc merito suo, non ulla Dei culpa patiuntur. *Perditio tua, Israel,* ait Dominus ; *tantummodo in me auxilium tuum*[10]. Seponatur illa modo quæstio, et in suum locum differatur, quatenus inter Deum, et homines justitia versetur. Hoc enim modo sum contentus uno, esse aliquam in bonis, pravisque factis compensandis justitiam, sive proprie, sive non proprie dicatur ; ac jus habere bonos mercedis obtinendæ, quam ex pacto bonis operibus redditurus est Deus. Quod nisi est, ut miserrime occæcata nova censet hæresis, tota ab initio ad finem usque Scriptura deleatur, quæ innumerabilibus et illustribus ejus

1 *Rom.* XI, 6. — 2 *Eph.* II, 8. — 3 II *Cor.* IX, 6. — 4 I *Cor.* XV, 10. — 5 II *Tim.* IV, 7. — 6 Lib. *de Grat. et lib. Arb.* c. VI. — 7 I *Pet.* IV, 18. — 8 I *Cor.* III, 13. — 9 Apud Arist. V *Eth.* c. VIII. — 10 *Ose.* XIII, 9.

repellere, quantum quidem in se est; et quia voluntatis illius exitus in carne resuscitanda pendet in solidum ex Deo, ideo prorsus illam resurrecturam esse demonstrat : quod ipsum et in vera, ac præstantiore omnium hominum salute fieret, nisi id ex illorum quoque libertate penderet.

Methodius martyr.

Methodius martyr auctor pervetus in libro *de Resurrectione*, de illo Apostoli loco disserens, in quo vasorum differentiam ponit, « Aliud quidem vas, inquit, in honorem, aliud vero in ignominiam. Non quod alios bonos, alios non bonos faciat : Absit. Verum Dei quidem bonitas ad omnes communiter pertinet, et, quantum in ipso situm est, hoc est secundum ipsius consilium et voluntatem, vellet omnes probos, et fideles esse, ac virtute præditos. Sed, ut jus potestatemque divinam exprimeret, qua quæcumque libet facere potest, istud posuit[a]. » Qui locus duo quædam continet : alterum, communem in Deo voluntatem esse salutis omnium hominum : alterum, vasa in contumeliam, hoc est vel reprobos, et prædestinatos ad interitum, ut catholici quidam cum Augustino sentiunt, vel, ut soli hæretici cum Calvino, ac reliquis existimant, peccatores et impios a Deo minime fieri, sed a seipso, et suapte quemque voluntate.

IV. Basilius homilia in *Psalmum* XXIX, verba illa Davidis egregie ad eumdem sensum accommodat : *Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.* Ad quæ ille, « Quid, inquit, ergo dicit ? Nimirum hoc ipsum esse, quod vult Deus, omnes vitæ fieri participes; quæ autem calamitates accidunt, eas non de ipsius voluntate fieri, sed pro eorum, qui peccaverunt, merito decerni[b] ? »

Chrysostomus.

Chrysostomus homilia XLIV *de Longitudine proœmiorum :* « Quod enim, inquit, sæpius dixi, necessitate, ac vi neminem attrahit unquam Deus, sicut Paulus ait : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Cur igitur non omnes salvi sunt, si vult omnes salvos esse? Quoniam non omnium voluntas illius voluntatem sequitur, porro ipse neminem cogit[c]. » Quod etiam Christi verbis istis approbat. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos*, etc. *et noluisti*[1] ? Et homilia secunda in epistolam *ad Hebræos*, generalem in Deo voluntatem esse dicit salutis omnium hominum, « quos, quantum in se est, ad salutem perducere cupit[d]. »

Hieronymus

Hieronymus in commentario ad caput LXIII *Esaiæ* : « Quod si prudens lector tacita cogitatione responderit, quare multi non sunt salvati, si ipse salvavit eos, et dilexit, et pepercit filiis suis, et redemit eos sanguine suo, suscepitque, et exaltavit assumptos? Infertur causa perspicua : Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt spiritum sancti ejus, etc. Voluit itaque Deus salvare cupientes, et provocavit ad salutem, ut voluntas haberet præmium; sed illi credere noluerunt, etc. Nec statim in culpa est, si plures credere noluerunt, sed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent, et salvarentur[2]. » Et in commentario ad caput primum epistolæ *ad Ephesios* de voluntate, et proposito Dei agens, « Vult, inquit, ea, quæcumque sunt plena rationis, atque consilii. Vult salvari omnes, et in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur; (liberi enim arbitrii sumus) vult nos bonum velle, ut, cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium. » Paulinus epistola secunda, « Omne enim, quantum in ipso est, inquit, hominem salvum fieri vult, qui fecit omnes.»

V. Omnes illi, quos attulimus, Patres in eo consentiunt, Paulum Apostolum affirmare, Deum velle omnes homines salvos facere, non absolute, sed quantum est ex sese, et cum hac tacite implicata conditione, dummodo velint ipsi. Quibus adamussim concordat Hilarii Diaconi commentarius, qui Ambrosii titulum præfert, in eumdem prioris *ad Timotheum*

Hilarius diaconus.

a Apud OEcum. in cap. IX epist. *ad Rom.* Ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν. οὐκ ἐπειδὴ τοὺς μὲν ἀγαθοὺς, τοὺς δὲ οὐ τοιούτους ποιεῖ ὁ θεός· ἄπαγε. ἀλλὰ πάντα μὲν τὰ τοῦ θεοῦ χρηστὰ πρὸς πάντας κοινά. καὶ τόγε ἧκον εἰς αὐτὸν, τουτέστι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βουλὴν καὶ θέλησιν, ἐβούλετο πάντας εὐδοκιμεῖν, καὶ ἐναρέτους εἶναι, καὶ πιστούς· ἀλλ' ὡς πρὸς τὴν ἐξουσίαν, ἣν ἔχει ὁ θεὸς, ποιεῖν ἃ βούλεται, τοῦτ' αὐτῷ εἴρηται.

b Basil. Τί οὖν φησιν; ὅτι ὃ μὲν θέλει ὁ θεὸς τοῦτό ἐστι, πάντας μετέχειν τῆς ζωῆς· τὰ δὲ περιστατικὰ, οὐχὶ τῷ θελήματι αὐτοῦ ἐνεργεῖται, ἀλλὰ τῇ ἀξίᾳ τῶν ἡμαρτηκότων ἐπάγεται.

c Chrysost. Ὅπερ γὰρ ἔφην, ἀνάγκῃ, καὶ βίᾳ οὐδένα προσάγεταί ποτε ὁ θεός· καθὼς καὶ ὁ Παῦλός φησιν, ὁ θέλων πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. πῶς οὖν οὐχ ἅπαντες σώζονται, εἰ θέλει πάντας σωθῆναι; ἐπειδὴ οὐχ ἁπάντων τὸ θέλημα τῷ θελήματι αὐτοῦ ἕπεται, αὐτὸς δὲ οὐδένα βιάζεται.

d Idem hom. II in epist. *ad Heb.* Καὶ τοῦτο δὲ καθολικόν· τὸ γὰρ αὐτοῦ μέρος, πάντας ἔσωσεν.

1 *Luc.* XIII, 34. — 2 Hier col. 448.

epistolæ locum, cujus verba hic legi necesse est. « Si Deus utique, ait, qui omnipotens dicitur, omnes homines salvos vult fieri, cur non impletur ejus voluntas? Sed in omni locutione sensus est, conditio latet. Unde dicit Petrus apostolus : *Omnis Scriptura indiget interpretatione*[1]. Vult enim Deus omnes homines salvos fieri; sed si accedant eum; Non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si et ipsi velint. Nam utique qui legem omnibus dedit, nullum excepit a salute. Numquid medicus non idcirco se proponit in publico, ut omnes se ostendat velle salvare, si tamen ab ægris requiratur? Non est vera salus, si nolenti tribuatur. Nec gaudere potest in percepta salute, qui invitus, si tamen potest, accepit medicinam. Ut non dicam, quia medicinæ effectum habere non potest, nisi ad illam æger animum commodaverit; quia hæc medicina non est corporalis, sed spiritualis, quæ neque dubiis proficit, neque invitis. Fides est enim, quæ dat salutem; quam nisi mens tota susceperit voluntate, non solum nihil proderit, sed et oberit. Fidei etenim gratia hanc habet potestatem, ut devotis sibi divinam infundat medelam, indevotis vero conferat morbum, per quem totus homo intereat. » Hunc locum dignum duximus, quem hic integrum describeremus. Est enim exquisitus; et quæstionem illam, in qua modo versamur, pie eruditeque disceptat. Hunc porro suspicantur aliqui Hilarium esse Diaconum, qui ex Luciferi schismate fuit, et quem Hieronymus in calce dialogi *contra Luciferianos*, adversus catholicos librum edidisse scribit *de Hæreticis rebaptizandis*. Sed nescio, an ullo argumento satis idoneo nitantur[2]. Certe quicumque ille est, antiquissimus est scriptor, ac diu ante Pelagii nomen auditum commentarios illos elucubravit. Nam Damaso pontifice se eos scripsisse testatur; quem et *Ecclesiæ rectorem* vocat. « Ut, cum totus, inquit, mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus[3]. » Quæ verba non sunt hominis schismatici, et rebaptizantis. Alioqui non bene illi cum Romana conveniret Ecclesia. Sed cujusquemodi fuerit iste scriptor, nihil in illo loco dixit, cujus pœnitere nos debeat; aut cui merito Pelagianam notam adhibere possint, qui illum repudiant.

Ambrosius.

VI. Sed si ingenue, ac sincere contra scriptorem istum de sola nominis falsitate præscribunt, ac vero Ambrosio auscultare ex animo parati sunt; audiant, quid ille de salvandorum omnium voluntate, quantum est in Deo, scribit in libro *de Paradiso*, capite VIII, ubi contra gentiles Dominum calumniantes, quod Judam, quem proditorem fore norat, elegit, eam opponit rationem. « Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores, etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem. Et ideo nec proditurum debuit præterire, ut adverterent omnes, quod in electione etiam proditoris sui servandorum omnium insigne prætendit, etc. Et, quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare. » Et in libro secundo *de Abel et Cain*, capite tertio, « Omnibus, inquit, opem sanitatis detulit, ut quicumque perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, cum posset evadere; Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia, eo quod ii, qui pereunt, sua pereant negligentia, qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. »

Et latissime in enarrat. *Psalmi* LXXII : « Accipe, inquit, aliud. *Quam bonus*, inquit, *Deus Israel rectis corde!* Non ergo omnibus bonus est Deus? Ille quidem omnibus bonus est, quia salvator est omnium, maxime fidelium. Et ideo venit Dominus Jesus, ut salvum faceret, quod perierat. Venit enim, ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis ulceris, ideo volentes curat, non adstringit invitos. Accipiunt igitur sanitatem, qui medicinam expetunt, illi autem qui refutant medicum, nec requirunt, bonitatem medici, quam non experiuntur, sentire non possunt, etc. Pulchre autem Apostolus, ut præmisimus, explanavit, quia et omnibus bonus est Deus, qui vult omnes homines salvos fieri; et maxime fidelibus divinæ pietatis prærogativa servatur, quibus et voluntas Dei opitulatur, et gratia.

Ipse Augustinus.

VII. Quid quod Augustinus ipse, qui alias generalem omnium salvandorum voluntatem inficiari videtur, ac tot modis illud Apostoli dictum exponit, in libro *de Spiritu et littera* superioribus assentitur illis, et Pauli sententiam eodem sensu accipit? *Vult*, inquit, *Deus, omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire*[4], non sic tamen, ut eis adimat

1 II *Pet.* I. — 2 Lovan. in annot. in VII tom. Aug. col. 269 et Bellar. *de Scrip. Eccles.* — 3 In c. III epist. I *ad Tim.* col. 579. — 4 Aug. lib. *de Spir. et lit.* c. XXXIII.

liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissime judicentur. » Quibus verbis indicat, non solum intra se occultam habere voluntatem Deum, qua vult omnes fieri salvos, etsi reipsa salvi non fiant liberi illorum arbitrii culpa; sed etiam extrinsecus aliquo eam signo, effectoque prodere, quæ est invitans, alliciensque gratia. Nam, si nihil reprobis proponeretur, quod vel amplecti libero arbitrio possent, vel rejicere, non possent in eo bene vel male uti libero suo arbitrio, nec ob illud, quod oblatum erat; repudiatum, ac rejectum, *justissime judicari*. Quare vera est, et seria voluntas illa salvandorum omnium, quantum est in Deo. Sed quia non est absoluta, verum conditione temperatur, libera hominum obsistente voluntate, exitum non habet. Hanc autem ejusmodi esse voluntatem, eique sine omnipotentiæ detrimento homines resistere, demonstrat subinde aptissimo exemplo, quod ad rem nostram magnopere conducit. « Ita voluntas Dei semper invicta est, ait; vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratia : *Volo, ut hi omnes servi mei operentur in vinea, et post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat* : videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem domini sui facere, sed tunc eam vincet, si et pistrinum contemnens effugerit : quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate. » Si ergo similis est voluntas illa Dei, qua vult omnes salvos facere, voluntati isti, qua paterfamilias servos suos epulari vult, et a labore quiescere, prorsus generalis est, et ad omnes pertinet; nec tamen absoluta est, uti nec illa, qua paterfamilias, nullo excepto, labori servos omnes vult incumbere, quiescere vero ac lætari, nonnisi conditionate.

Voluntati Dei quia est conditionata, absque detrimento omnipotentiæ resisti potest.

VIII. Accedit et Prosper Augustini discipulus, qui in libro responsionum ad Vincentianas objectiones, eamdem Apostolici dicti sententiam ostendit. Etenim objicientibus adversus Augustini doctrinam, ex ea consequi, « Deum nolle omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint, » demonstrat, « sincerissime credendum, atque profitendum esse, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum. »

Item cum ex Augustini sententia id sequi jactarent, « Quod hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit; » Prosper sic eos refellit : « Nullo modo credendum est, homines in hujusmodi desperationem ex Dei voluntate cecidisse, cum potius allevet Dominus omnes, qui corruunt, et erigat omnes elisos [1]. Nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. Dei ergo voluntas est, ut in bona voluntate maneatur, qui et, priusquam deseratur, neminem deserit, et multos desertores sæpe convertit. » Et adversariorum illa quæstio, et Prosperi responsio manifeste significant, Deum omnibus etiam reprobis salutem velle communi voluntate, non absoluta. Si enim solos electos vellet esse salvos, recte objectio illa procederet. Cum enim voluntas illa, qua christiani volunt esse salvi, nonnisi a Deo sit, frustra illam Deus inspiraret iis, quorum salvandorum nullam omnino voluntatem haberet. Sed mera esset ista ludificatio. Itaque necesse est, velle Deum salvos eos facere, quibus dat, ut velint esse salvi; hoc autem christianis dat omnibus, etiam reprobis. Deinde « voluntas est Dei, ut in bona voluntate maneant etiam illi, qui pietatem christianæ conversationis, et fidei deserentes, in profanos errores, aut in damnabiles mores irrevocabiliter transierunt, » ut ibidem asserit Prosper. Ergo qui manere nolunt, contra voluntatem Dei nolunt. Proinde vult Deus illos manere, et, quod inde sequitur, salvos fieri. Eadem et in responsionibus aliis Prosper tradidit, præsertim in XII, in qua voluntate sua, non Dei, cadere reprobos, ac non perseverare dicit.

IX. Alter quoque discipulus Augustini, et idem Afer, Primasius, in Annotationibus ad epistolam Pauli *ad Timotheum*, locum illum de communi salutis omnium voluntate interpretatus est. Nam quod non omnes salvantur, cum Deus velit esse salvos, « pereuntium, inquit, est meritum. Et, constat, inquit, Deum omnia bona velle; sed homines suo vitio præcipitantur in malis. » Si ergo suo vitio, et voluntate sua, non Dei, in mala præcipites ruunt, neque Dei voluntate damnantur, sed sua, non vult quemquam damnari Deus, adeoque salvari vult omnes. Cujus etiam firmissimum ibidem argumentum instruit. « Pater, inquit, et Filius, et Spiritus sanctus omnium hominum Deus est; et ideo cupit, omnes

1 *Psal.* CXLIV.

salvari, quos fecit. » Nam vera eo ipso, quod omnes condidit, salvos omnes cupit, non tamen absoluta voluntate, qua solos electos salvos esse vult. Ideo, si ejusmodi voluntas intelligitur in illis Apostoli verbis, « juxta figuram Synecdochen hic, omnes, a parte totum debemus accipere, » ut ibidem loquitur Primasius ex Augustini doctrina; quam non opportune, nec consentanee satis inculcavit. Nam qui sic illam Pauli sententiam toto in isto commentario interpretabatur, ut generali et conditionata voluntate Deum omnium salutem velle consequens esset; non debuit alteram illam, et isti contrariam expositionem intexere, quæ non omnes velle salvos persuaderet Deum, sed paucos duntaxat ex omnibus. Verum familiare est commentariorum istiusmodi Scriptoribus præsertim Augustino posterioribus, miscellam quamdam instituere diversarum, ac nonnunquam contrariarum interpretationum; quas ex variis auctoribus tumultuarie selectas in adversariis suis repererant. Hieronymus certe, castigati vir alioqui judicii, ab æmulo suo Ruffino reprehensus, quod in commentariis in epistolam *ad Ephesios*, quædam inspersisset Origenis, quem oppugnabat, dogmata, et ea non damnando probasset; respondet, se in illis commentariis, nonnisi scriptorum veterum commemorare sententias, nec de illis judicium suum interponere. Quod, ut ad hæresis excusandam suspicionem valet, ita profecto non est imitandum.

X. At vero quicumque Augustinum antecesserunt catholici, minimeque dubiæ fidei Patres, nullo prorsus excepto, utcumque de Dei voluntate erga homines, et eorum salutem, mentionem fecerunt, nunquam ab illa priori sententia discreparunt; neque paucos ex omni numero quisquam velle salvos, sed omnes, quantum in se est, docuit ita, ut sua ipsi culpa pereant, quicumque pereunt, cum necessariis ad salutem comparandam præsidiis omnes instructi fuerint. Etenim « propositum hoc semper est Deo, humanum salvare gregem [a], » ait in *Protreptici* fine Clemens Alexandrinus. Et hanc ipsam Dei voluntatem solidam, et efficacem esse, demonstrat alias, cum nusquam defuisse gratiam ait mortalibus, qua ad Dei notitiam pervenire possent; ac gentilibus etiam consultum fuisse divina providentia, cum illis sapientiam, ac philosophiam concessit : ut in primo *Stromateon*, et in sexto, ac septimo latius edisserit. Cujus generalis beneficentiæ causam refert in Dei voluntatem. « Qui ad universi salutem, utpote universorum dominus, ordinat omnia, tum generatim, tum particulatim. Itaque salutaris hoc justitiæ opus est, singulos in melius perpetuo, quoad licet, promovere [b]. »

Joannes quoque Damascenus in secundo *de Fide orthodoxa*, capite XXIX Pauli sententiam eodem sensu accipit. Nam voluntate antecedente Deum omnes salvos esse velle dicit, ac regni cœlestis esse compotes, at voluntate consequente, quæ occasionem a nobis accipit, punire velle, et æterna felicitate mulctare. Quam Damasceni sententiam approbat sanctus Thomas [1]. Nec me præterit, posse illam ipsam explicari sic, ut causa voluntatis istius, quæ a nobis sumi dicitur, ad originalem labem, et massæ corruptelam referatur. Verum Damascenus nunquam id in animo habuit, uti neque Græci reliqui, quos illum potius secutum esse, credibile est, quam Latinos Augustini imbutos dogmate, quos nunquam fortasse legerat. Itaque qui Damasceni locum illum sic eludunt, tanquam non a propriis cujusque peccatis, sed ab originali, consequens illa puniendi voluntas pendeat, ignorare quod dicunt, ac de quo dicunt, vel potius tergiversari videntur.

XI. Nam ut intelligas, quam nihil sint, cum sic Damascenum explicant, fac, ut, quomodo volunt, Apostoli interpretare sententiam; nihil insulsius esse cognosces. Jubet ille, pro omnibus hominibus offerri Deo preces, adeoque pro singulis, ejusque mandati causam subjicit, quia Deus vult omnes salvos fieri. Velle cum dicit omnes fieri salvos, de Adami utique posteris loquitur, et eo statu generis humani, qui illius peccatum consecutus est. Necesse est igitur, ut ea voluntate complectatur omnes, et quidem ejusmodi, quæ sit efficax, atque in procurandam omnium salutem, quantum in se est, incumbat. Nisi enim talis esset, non illa generalia, et ad omnes spectantia salutis adjumenta commendaret per Apo-

a Clem. Alex. Πρόκειται δὲ ἀεὶ τῷ θεῷ τὴν ἀνθρώπων ἀγέλην σώζειν.

b Id. *Strom.* VII, initio. Πρὸς γὰρ τὴν τοῦ ὅλου, σωτηρίαν τῷ τῶν ὅλων κυρίῳ πάντά ἐστι διατεταγμένα, καὶ καθόλου, καὶ ἐπὶ μέρους. ἔργον οὖν τῆς δικαιοσύνης τῆς σωτηρίου, ἐπὶ τὸ ἄμεινον ἀιεὶ κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἕκαστον προάγειν.

1 I Par. qu. XIX, art. 6.

ipsa, si potest, præsertim vero si solus potest, tribuit, et ad ea præstanda, quatenus ratio recta postulat, operam et industriam adhibet. Quod nisi facit, ficte amat, et illudit, imo vero non amat; et, si de Deo agimus, odit potius, quam amat. Non enim medio quodammodo amorem inter et odium circa creaturas potest affici Deus, maxime erga homines, quos vel amat ad salutem, vitamque perpetuam, vel odit ad interitum, et damnationem. Cæterum uti qui vere sincereque amat bene vult alicui; et si potest, quatenus amat, id facit. « Habet enim omnis amor vim suam, ut ait Augustinus, nec potest vacare amor in anima amantis[1]. » Unde « qui diligit proximum, ut idem alibi scripsit, agit quantum potest, ut sanus corpore, sanusque animo sit[2]. » Ut ergo, qui bona fide quempiam amat, boni in eum aliquid confert ejus generis, cujus amor est, quo illum amat; sic qui odit, male vult, et si potest, male eodem, quo odit, genere facit; hoc est, si corpus odit, mali aliquid in corpore facit; si animam, huic ipsi perniciem affert. Est autem summum hominis, et ejus animæ malum, alienari a Deo, ac reprobari, sive damnari, uti summum bonum, ejus aspectu ac præscientia frui. Quare si cui Deus sempiternum vult, ac destinat exitium animæ, hunc non amat, sed odii odio illo, quod esse maximum potest in eo genere, quod naturalem ordinem excedit. Quamobrem, si Deus omnem amat hominem, et omnium animas, ex sese eo affectu, qui merita illorum antecedit, non eorum odit animas, ac proinde non summum vult illis malum. Vult ergo salutem earum, et sine quibus acquiri illa non potest, ex eadem voluntate confert; hoc autem gratia est. Itaque gratiam omnibus necessariam impertitur; et quam vocant *sufficientem*. Hinc Tertullianus Marcionitas redarguit asserentes, Deum bonum reprobos tantummodo segregare, et « partem eorum ponere cum infidelibus, » non autem judicare. Illud enim reipsa esse damnare sic ostendit, quomodo et nos argumentamur, « Quis erit, inquit, exitus segregatorum? Nonne amissio salutis? Siquidem ab iis segregabuntur, qui salutem consequentur.

Idem eruitur ex amore Dei erga creaturas.

VI. *Diligis*, inquit liber *Sapientiæ*, *omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti*[3]. Porro sic illa communis Dei est intelligenda dilectio, ut uniuscujusque statui, et conditioni consentanea sit. Prout enim creata quæque res est, ita diligitur; quod idem valet, atque bonum illi tribuitur. Nam amor ac dilectio Dei, ut paulo ante docui, est boni alicujus diffusio, atque communicatio. Itaque res animæ expertes ac vitæ eatenus amat quod iis τὸ εἶναι, id est *exstantiam*, et quæ ad eam conservandam, et ad naturales exercendas functiones sunt necessaria, subministrat. Plantas autem, et animalia ratione carentia diligit eo ipso, quod vitam illis, et vegetandi vim, istis præterea motum, ac sensum, et cætera, quæ illorum natura postulat impertitur. Homines igitur, et eorum animas ut amare dicatur, non est satis, ut eas communi cum reliquis cura, providentiaque dignetur; hoc est esse tantummodo velit, ac sentire, aut etiam intelligere, ac ratiocinari. Sed singulare nescio quid indicatur, ac proprium, cum ad illas accommodatur Dei ista dilectio, quod ad sempiternam felicitatem attinere debet. Quod quidem duplici argumento colligitur. Primum enim quisquis summum alicujus malum ei vult, et absoluta voluntate destinat, non potest communi, et humano usu loquendi dici illum amare, sed vehementer odisse potius. Potest quidem cum ista voluntate mali conditionata ejusdem amor, ut largiendi boni voluntas, consistere. Ut si judex lege, ac supplicio, præmioque proposito, civibus omnibus hoc potius, quam illud optet, amat omnes utique, et bonum vult omnibus; ac nihilominus certos odit ex illo numero, iisque malum destinat, quos etiam, ut ita fingamus, contra mandatum facturos esse, Deo revelante, cognorit. Et amor igitur, et odium ejusdem simul esse possunt, dum sit horum alterum conditione mistum aliqua, minime certe sit absolutum.

Deinde quæcumque Scripturæ testimonia sunt: sunt autem innumera, quibus Deus homines amare, et eorum animas dicitur, ad eum, qui nunc est, statum generis humani pertinent; in quo supra naturæ conditionem evecti, in cœlestium ordinem, ac divinitatis participandæ consortium assumpti sunt. Quare, cum universum genus hominum amari a Deo Scriptura prædicat, non alius intelligendus est amor, quam qui et Dei amantis majestate, ac bonitate sit, et hominis præstantia, et Scripturæ gravitate dignus. At omnis amor Dei, dempto illo, qui ad salutem, et immortalitatem refertur, vilis est, nec expetendus homini; imo ab eo summopere fugien-

1 Tract. in *Psal.* CXXI. — 2 Lib. I *de Mor. Eccl.* cap. XXVIII. — 3 *Sap.* XI, 25.

dus. Quis igitur eo duntaxat amore universam hominum naturam amari a Deo judicet, quem si illi ipsi, qui amantur, sentiant, vehementer exhorrescant? Petrus etiam Apostolus. *Non tardat*, inquit, *Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*[1]. Quæ verba communem illam, et antecedentem voluntatem exprimunt, qua Deus quantum in se est, salvos omnes cupit.

VII. Quamobrem ut odii, sic amoris diversa quædam cogitanda ratio est, ac cæteris in rebus conditis, qua Deus aut universe amare homines, aut certos ex illis odisse, merito suo in Scripturis legitur, nec alius amor utique, quam cum sincerus, et ex sese efficax, tum ad conciliandam immortalitatem actuosus. Hoc autem nonnisi largienda gratia potest fieri. Itaque Dei in mortales omnes, quantum in ipso est, etiam reprobos gratia diffunditur, non externa tantum, ut est Evangelii extrinsecus aures pulsantis auditio, sed interior; et illa ipsa quoque, qua Deo fiunt accepti, ejusque filii quod soli diffitentur hæretici, catholici vero pro certo habent omnes, et a nobis postea demonstrabitur. Neque tamen par et æqualis tribuitur omnibus, aut uniusmodi gratia; sed *multiformis*, ut eam Scriptura nominat, quæ pro cujusque captu, et opportunitate loci, temporis, conditionis, ætatis, ac generis, divina moderante sapientia temperatur. Ac copiosa quibusdam, et exuberans, aliis parcior, omnibus ordinaria, et sufficiens obvenit. Interdum magnis perpetratis criminibus, et in ipso ardore delicti improvisa malos Dei benignitas occupat, atque ad sese pene invitos, ac reluctantes attrahit; alios longe meliores, et omnium opinione commendabiles aut præterit gratia, (præpotentem illam, et vel efficacem, vel perennem intelligo) aut ad extremum medio in vitæ cursu, sive in meta ipsa destituit. Quorum quidem omnium latent nos, et in occulto sunt causæ; ejusque rei admiratione defixus Apostolus, atque attonito similis exclamat, *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus*[2] ! Non enim admiratio illa ex æternæ salutis, quam adepti jam erant ii, in quibus mira ista contigerant, contemplatione est orta; sed ex mirabili gentium vocatione ad regnum Dei, id est Evangelium, quæ præter spem, fidemque immeritis obtigerat, et Judæorum rejectione, quos neque lex, neque circumcisio, neque tot collata beneficia, neque majorum merita ab ista calamitate prohibere potuerant. Atque hoc sensu Prosper ipse Augustino cumprimis deditus in primo *de Vocatione gentium*, capite IV totam illam Apostoli sententiam accepit, ut eam ad gratiæ largitionem, et vocationis arcanum restringeret.

Adulti baptizati propter sola peccata actualia damnantur.

VIII. Hanc Dei gratiam cum mortales omnes accipiant, et ad salutem invitentur, non omnes tamen, aut admittant, aut admissam retineant, ex eo meritorum dispar conditio, ac diversum de illis summi, et incorrupti judicis arbitrium existit; qui, quos sponte ac libera voluntate consensuros, et perseveraturos prævidit, iis gloriam prædestinavit ex æterno : quos autem eadem libertate refragaturos, aut minime constantes futuros præscivit, damnat illos, ac reprobat. Cujus materia, causaque reprobationis est vel originalis culpa sola, quam non baptismi salutaris unda diluit, ut infantibus præcoci morti subtractis accidit; vel cum originis noxa, propria insuper voluntate commissa, qualis in grandioribus infidelibus inest; vel sola ista propria, quam sibi quisque conscivit, ut qui et baptismo initiati sunt, et acceptam ibi gratiam suo vitio perdiderunt. Cæterum qui semel in Christo renati sunt nunquam iis deinceps originale peccatum imputatur ad reatum æternæ damnationis, aut reprobationis, ut Augustinus docuit; a quo massa illa corrupta, et infecta primum introducta est : ex qua paucorum secretione facta, reliqui ejus vitio perirent, hoc est non ob suum, sed ob alienum peccatum reprobarentur, Quod si verum est, profecto non videtur baptismo originalis labes esse detersa. Ut enim a grandioribus lethale crimen admissum, nonnisi sublato reatu sempiternæ damnationis remittitur; et hic, quamdiu permanet, penes auctorem adhuc residere culpa dicitur. Sic originale peccatum nondum expiatum est in eo, qui illius nomine reus adhuc tenetur damnationis æternæ. Tenetur autem, qui, quantumvis baptismo purgatus dicitur, ob illud ipsum peccatum a Deo rejicitur, ac damnatur; quique ob illud idem tum dono perseverantiæ, tum regni cœlestis aditu, et sempiterna salute mulctatur.

IX. Atqui duo in concupiscentia, et originali peccato solet Augustinus discernere ,

1 II *Pet.* III, 9. — 2 *Rom.* XI, 33.

actum, et *reatum*; quorum posterior baptismo tollitur, prior ad exercitationem virtutis remanet. Sic in libro primo *de Nuptiis et concupiscentia ad Valerium*, capite XXV quærenti Juliano, « quomodo concupiscentia carnis maneat in regenerato, respondetur, inquit, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit; sed ut in peccatum non imputetur. » Et capite sequenti, peccata cætera, quæ voluntate propria perpetrantur, *præterire actu* dicit, postquam commissa sunt; *manere reatu*. E contrario vero originale peccatum, id est concupiscentiam carnis in baptizatis « manere actu, præterire reatu. Agit enim aliquid concupiscentia carnis, et quando non exhibetur ei vel cordis assensus, ubi regnet, vel membra, velut arma, quibus impleatur, quod jubet. Agit autem quid, nisi ipsa desideria mala, et turpia? » Quod et repetit, lateque explicat in sexto *contra Julianum*, capite XIX. Porro *reatum* ibidem demonstrat, nihil aliud esse, quam obligationem pœnæ, id est damnationis æternæ. Nam manere reatum illum asserit, etiam postquam actus præteriit, et oblivione suppressus est, « in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodo, in mentibus angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis mediatoris expiaverit. » Prorsus ergo reatus ille pœnam, ac supplicium respicit. Quærendum est itaque, qui tandem adulti, et baptizati reprobi propter massæ contagionem, id est originalem labem, æterna damnatione plectantur, si hujus peccati reatus omnis baptismo sublatus est? Etenim nemo, nisi reus, damnari ac reprobari potest. Quare, dempto reatu, damnatio ac reprobatio tollitur. Ideo non propter originale peccatum existimare debemus, baptizatos damnari reprobos; qui, cum primum regenerati sunt, reatum omnem deposuerunt carnis generatione contractum. Ad hæc obligatio illa, qua in massa pœnæ sempiternæ tenentur obnoxii, quid aliud esse dicemus, quam quoddam vinculum, quo alligati in mortem trahuntur æternam? Atqui hoc ipsum vinculum in baptismo tolli, ipse affirmat Augustinus his verbis: « Tale porro, ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, et pertraheret in ultimam mortem, nisi et ejus vinculum in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur[1]. » Et alibi passim plenam in baptismo peccati originalis, ac reliquorum omnium remissionem fieri docet; nec manere de illis quippiam præter concupiscentiam, quæ ad exercitationem relinquitur, reatu illius ablato.

Nulleque modo propter originale peccatum.

CAPUT IV.

Expenditur adversariorum calumnia, qui ita Pauli locum illum, in quo Deum omnes velle salvos fieri *dicit, contra communem sententiam detorquent, ut huic Pelagianam maculam aspergant. Demonstratur, veteres plerosque Græcos, et Latinos istam Pauli sententiam sic interpretari, ut omnes salvos esse velit Deus, etiam illos, qui minime salvantur; præsertim Hieronymum, et Ambrosium. De auctore commentariorum in Paulum, quibus inscriptus est Ambrosius. Augustinum ipsum alicubi in eadem esse sententia; ut et Prosperum, nec non Damascenum.*

I. Hoc loco consideranda nobis, convincendaque est aliquot partis adversæ theologorum iniqua, et vero etiam stulta criminatio; qui opinionem illam de Dei in salutem omnium propensa, quantum est in se, voluntate, superiori expositam capite reprehendunt. Ac cum multa sunt reprehensionis capita, tum illud primo loco memorandum, in quo nobis objiciendo nimium inconsulte, ac negligenter feruntur. Quod enim dicimus, Deum eatenus velle omnes salvos fieri, si cum divina gratia allaborare velint, ut non absoluta, sed conditionata sit Dei voluntas, « non exiguum isti interpretationi præjudicium facere aiunt, quod sic explicuerunt eum locum hostes gratiæ Pelagiani, et Semipelagiani[2]. » Verum meminisse primum illos oportet, quod novæ factionis antesignanus in sua ipse causa præscribit. « Objicietur, inquit, fortassis adversus istam gratiæ, et liberi arbitrii concordiam, eam a sententia Calvini non differre. Respondetur, non omnia, quæ hæretici docent, sunt hæretica. Mos enim solemnis omnium hæreticorum est, ut falsis vera misceant[3]; » etc. Docuit hoc ipsum et Cyrillus Alexandrinus: « Non omnia, quæcumque dicunt hæretici, vitare, ac repudiare oportet, inquit, multa enim profitentur ex iis, quæ et nos ipsi profi-

Non omnia in hæreticis rejicienda.

1 Lib. VI *con. Jul.* cap. XV. — 2 Tom. III, lib. III, c. XX. — 3 Eodem to. lib. VIII, c. XXI.

temur[a]. » Quod igitur tam novæ princeps factionis, quam grex ille totus usurpant sibi, ut tum in gratiæ negotio, tum in liberi arbitrii definienda ratione, et essentia, ab Luthero, Calvino, Bucero, Beza, ac cæteris nihil omnino dissentiant, cur idem aliis vitio vertunt, et *præjudicium* illorum opinioni *facere* clamitant? Atqui longe est utrobique causa dispar; primum quod illa Calvini, ac reliquorum dogmata, quibus novi subscribunt theologi, generalium synodorum canonibus, Romanorum pontificum edictis, et catholicorum theologorum responsis, una cum suis auctoribus damnata, et anathemate notata sunt, ut superiore libro demonstravimus. At ista loci Apostolici interpretatio, cui invidiam illi faciunt, nulla unquam hæresis suspicione perstricta fuit. Deinde nullum adversarii, præter hæresiarchas illos, quos nominavi, vel fundum habent duplicis illius opinionis suæ, vel suffragatorem, ac participem. Qui autem communem illam de omnium salute voluntatem Dei propugnant, totam pro se antiquitatem nominare possunt, Augustini ætate superiorem, et post Augustinum Latinos plerosque; Græcos autem Patres universos. Quare longe est horum causa potior, quam novorum theologorum; qui illis ipsis in opinionibus asseverandis, quas pro hæreticis ab Ecclesia damnatas, si quid pudoris habent, negare nequeunt, nefario cum illius hostibus fœdere sociantur.

II. Nam quod « omnes antiquos, et genuinos gratiæ defensores illam expositionem, tanquam dissonantem, a veritate reprobasse[1] » dicunt; nimis arroganter, et inverecunde tot veteres Græcos, ac Latinos theologos, ut de recentioribus silcam, aut inscitiæ, aut impietatis accusant. Si enim *genuinus* nemo *gratiæ defensor* illam apostolici loci sententiam probavit, quæ generalem salutis omnium voluntatem adscribit Deo; nullus præter Augustinum, ac duos tresve Latinos Patres, titulo illo censendus est: cæteri minime sinceri *defensores* habentur *gratiæ*, cujus veram, germanamque rationem aut ignorarunt penitus, aut improbe corruperunt. Quæ sanctissimis, eruditissimisque Patribus obtrectandi licentia acriorem, quam hæc nostra potest esse, animadversionem meretur. Et hoc in illos Augustini merito contorqueri potest, quod in similes antiquorum Patrum contemptores non sine stomacho dixit: « Hæccine monstra cogitationum ascendunt in cor vestrum, et non elidunt frontem vestram[2]? » Quanquam ne illos quidem ipsos antiquos, quibus ignotum Augustini dogma, et nova illa de prædestinatione sententia fuit, prorsus alienant ab sese, et quosdam vindicare sibi conantur; veluti Damascenum. Ambrosium vero, et Hieronymum ab aliis contra se citatos callida exceptione summovent, ut mox ostendam. Libet igitur veteres aliquot in medium proferre, qui illum Apostoli locum aliter, atque Augustinus, interpretati, indidem colligunt, Deum omnes, quantum est ex se, salvos esse cupere; quod autem non ita reipsa contingat, eorum, qui pereunt, culpa et voluntate fieri.

Quo sensu verba Apost. *Qui vult omnes* intellexerint veteres Patres.

III. Justinus christianorum Patrum, de quibus controversia nulla est, vel antiquissimus, vel inter antiquissimos numerandus, in libro *de Resurrectione* probat, carnem a morte resurrecturam; nec solam e duabus hominis partibus animam esse victuram, eo argumento, quod Deus sit bonus, ac velit omnes esse salvos. « Qui enim absurdum non sit, inquit, cum duo sint simul, et in eodem, alterum salvare, alterum non salvare? Nam, cum impossibile non sit, ut ostensum est, carnem iterum nasci, et resurgere; quæ est illa discretio, ut anima quidem servetur, non autem caro? An invidum faciunt Deum? Atqui bonus est, et salvari vult omnes[a]. » Quæ Justini ratio non procederet, nisi dictum illud Apostoli universe patere, et ad omnes nullo excepto pertinere crederet. Quæ enim generali illi sententiæ restringendæ cautio, et exceptio ab adversariis subjicitur, multo ea magis ab iis, qui resurrectionem negabant carnis, adhiberi poterat, ut non partem hominis alteram esse salvam Deus vellet. Quare generatim ab Apostolo pronuntiatum id Justinus putavit, neminem ab salute Deum velle

Justinus.

a CYRIL. in *Comment. ad Eulog.* in epist. et refertur ab Eulog. Alexand. apud Phot. cod. 23[1]. Οὐ πάντα, ὅσα λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ, φεύγειν, καὶ παραιτεῖσθαι χρή. πολλὰ γὰρ ὁμολογοῦσιν, ὧν καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν.

a JUSTINUS apud Damasc. in *Eclogis* lit. A. Tit. LXXII. MS. Ἐπεὶ πῶς οὐκ ἄτοπον, ἀμφοτέρων ὄντων κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ, τὸ μὲν σώζειν, τὸ δὲ μή; οὐκ ὄντος γὰρ ἀδυνάτου, καθάπερ δέδεικται, τὴν σάρκα ἔχειν τὴν παλιγγενεσίαν, τίς ἡ διάκρισις, ὥστε τὴν μὲν ψυχὴν σώζεσθαι, τὴν δὲ σάρκα μή; ἢ φθονερὸν ποιοῦσι τὸν θεόν; ἀλλὰ ἀγαθός ἐστι, καὶ σώζεσθαι πάντας θέλει.

1 Tom. III, lib. III, c. XX. — Lib. II *con. Jul.* c. VIII.

stolum suum, hoc est preces et obsecrationes ob eam causam, quod omnes salvare vellet. Non enim vellet omnes, imo plerosque nollet absolute. Neque qualicumque voluntate illa, qua nisi Adami reatu tenerentur, salvos cuperet, induci posset, ut ad efficiendum id, quod absolute nollet, certa, quæ vocant, *media* compararet. Nam et dæmones et damnatos homines eadem voluntate vult salvos Deus, qua ex Damasceni, ut interpretantur isti, sententia Paulus dixit, velle Deum omnes homines esse salvos, quod ad potissimam eorum partem attinet. At neque preces pro dæmonibus damnatisve Deus injunxit Ecclesiæ, nec ad horum salutem promovendam quidquam navat, efficitque voluntas illa, quæ *velleitas* potius communi usu sermonis appellatur. Quæ si simplex est, hoc est nulla implicata conditione, quæ ex aliena voluntate pendeat, et effectum quodammodo in suspenso habeat, non potest ea Deus incitari, ut aliquid illius obtinendi causa moliatur.

Postremo Honorius Augustodunensis scriptor non ignobilis, in libro *de Prædestinatione et libero arbitrio,* non id asserit tantum Deum velle omnes salvos facere, sed rationem insuper adjicit ex Dei gloria sumptam. « Deus, inquit, condidit rationalem creaturam ad gloriam. Sed angeli et homines rationales creaturæ sunt : ergo omnes ad gloriam creati sunt. » Tum percontanti, « Et, si vult, cur non omnes salvantur ; *Voluntati enim ejus quis resistit* [1]? » ita satisfacit : « Perditio pereuntium non procedit ex voluntate Dei; *quia non vult mortem peccatoris* [2]; et *qui mortem non fecit, nec lætatur in perditione morientium* [3]. Sed ex libero arbitrio, quo sponte justitiam, quæ est pactum beatitudinis, deserunt, qua deserta, beatitudinem amittunt, et sic semper miseri erunt. »

CAPUT V.

Explicatur illa quæstio, utrum Christus pro solis prædestinatis passus fuerit. Ostenditur ex antiquis Patribus , etiam pro reprobis esse passum; et quatenus etiam pro iis, qui antea mortui erant .

I. Unum præterea rigidæ illius immitisque sententiæ defensores nonnulli tuentur, quod neque veteribus probatum est Patribus, neque laudare nos possumus : Christum pro reprobis, id est pro longe maxima parte mortalium non esse passum, suumve profudisse sanguinem ; sed neque pro illis orasse. Quam opinionem non solum consentaneam esse Augustini dogmati de absoluta prædestinatione putant; sed etiam diserte ab illo traditam aliquot in locis. Quorum tamen nullus est, qui perspicue reprobos excludat a communione meritorum illius ; cum hoc tantum præscferat, pro electis passum esse Christum ; quod nemo eo sensu diffitebitur, ut pro illis absolute, vel cum fructu, et eo quem volebat, effectu mortem pertulerit. Nullus est Augustini locus qui perspicue reprobos excludat e communione meritorum Christi.

Auctor epistolæ *de Tenenda Scripturæ veritate* Lugdunensis Ecclesiæ nomine scriptæ, ex illius libris testimonia quædam affert, quæ id persuadere nonnullis videntur. Cujusmodi istud est : « Quomodo ergo istis dixit, *Non estis ex ovibus meis?* quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos [4]; » qui locus ex tractatu XLVIII in *Joannem* sumptus est. Item e tractatu LV verba illa profert : « Tota illa ejus passio nostra purgatio est. Passurus igitur exitia, præmisit obsequia, non solum eis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui cum fuerat traditurus ad mortem. » Tum ex tractatu LXII ad illa *Joannis* capite XIII : « *Quod facis, fac citius;* non præcepit, inquit, facinus, sed prædixit Judæ malum, nobis bonum. Quid enim Judæ pejus, et quid nobis melius, quam traditus Christus ab illo adversus illum, pro nobis præter illum ? » Rursus ex tractatu LXVI : « Quantum sibi assumpserat Petrus intuendo, quid vellet, ignorando, quid posset? Quantum sibi assumpserat, ut cum venisset Dominus animam suam ponere pro amicis suis, ac per hoc et pro ipso, ille hoc Domino offerre confideret? »

His accedunt Augustini ejusdem alia testimonia, velut ubi quod Christus propitiator dicitur peccatorum totius mundi [5], ad totam Ecclesiam restringit. « Totus, inquit, mundus Ecclesia est, et totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum [6]. »

Addit Lugdunensis Ecclesia Cypriani quo-

1 *Rom.* IX, 19. — 2 *Ezec.* XVIII, 32. — 3 *Sap.* I, 13. — 4 Lug. Eccles. Tom. II Auct. — 5 I *Joan.* II, 2. — 6 August. tract. LXXXVII in *Joan.* Vide et tract. I in epist. *Joan.*

que sententias duas, quarum prior ex libro petitur *de Laude martyrii;* ubi martyres ait, « a primordio mundi Domini sanguine infectos; » alter ex libro *ad Demetrianum*, ubi, « Christum ait redimere credentem pretio sui sanguinis. »

II. Sed omnia illa loca non id absolute significant, pro solis prædestinatis mortuum esse Christum; nisi eatenus, quod solis illis profuerit; quod theologi in scholis exponunt sic, *sufficienter* pro omnibus passum esse, sed pro solis electis *efficaciter*, ut Andreas Vallius præceptor olim meus in Notis ad librum *de Tribus epistolis Lugdunensis Ecclesiæ* adnotat: vel, quod idem est, solos prædestinatos Christi sanguine ac morte fuisse redemptos, tametsi omnibus redimendis idoneum illud pretium fuerit.

Quod si in toleranda morte, sacroque fundendo cruore, quid consilii Christus habuerit, conjectura fas est assequi, ea bifariam institui potest, pro eo ac duplex est de electione ac prædestinatione sententia. Sed imprimis duo sunt hominum distinguenda genera. Nam alii ante Christi mortem jam in vivis esse desierant, alii post illam sunt mortui. De prioribus, qui quidem reprobi erant ac damnati, inter omnes convenit, neque pro illis ita passum esse Christum, ut iis merita sua sempiternam ad salutem prodesse voluerit, neque pro illis salvandis orasse.

Ita enim Valentina synodus, quæ canone IV decretum illud, quod in Carisiaco villa ab Hincmaro Remensi, et aliis episcopis contra Gothescalcum editum fuerat, damnavit. Quod decretum sic habet : « Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo adsumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur[1]. » At Valentinum concilium, « Item de redemptione, inquit, sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui hac de causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, æterna damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud propheticum : *Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne:* illud nobis simpliciter, et fideliter tenendum, ac docendum placet, juxta evangelicam et apostolicam veritatem, quia pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit : *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.* »

III. In hac concilii sanctione quæri potest, an Christus pro omnibus fidelibus, etiam minime perseveraturis, qui posteriores illius morte fuerunt, passus sit, an pro solis prædestinatis. Nam canone secundo reprobos ait idcirco damnatos, quia vitio suo in massa damnationis hæserunt. Ex quo consequens videtur, Christum pro his etiam pati voluisse, ut, si vellent, salutem possent adipisci. At Ecclesia Lugdunensis in libro *de Tenenda Scripturæ veritate*, illud idem oppugnans Carisiacæ synodi dogma, quod Remigius Lugdunensis, et alii episcopi in Valentina tertia damnarunt, non solum asserit, Christum passum non esse pro iis, qui ante ipsum damnati jam erant, sed neque pro omnibus postea secutis[2]; sed tantummodo pro iis, qui fidem erant amplexuri. « De cæteris, inquam, qui in ipsa infidelitate atque impietate sua perseverantes sunt perituri, » statuit omnino, pro iis passum non esse Christum. Sed utrum pro iis, qui ab suscepta fide defecerunt, mortuus sit, non satis diserte docet. Nihilominus sub finem epistolæ quædam affert testimonia Patrum, quibus probari videtur, hoc eam velle, pro solis electis, et revera salutem adeptis mortem obiisse Christum; quorum locorum aliquot initio capitis hujus adducta sunt. Quibus et ille Bernardi potest adjungi, « Revereantur eum, sed qui? Non plane Judæi, ad quos missus ; sed electi, propter quos missus[3]. » Quod etiam indicat in secundo sermone *de Circumcisione*.

Quapropter, si quis Augustini sententiam illam amplecti voluerit, quæ prædestinationem, sine ullo ad merita respectu, tanquam ad causam, fieri censet; reprobationem autem ex solo originali delicto, consequens videtur, ut neque reproborum salvandorum voluntatem ullam habuisse Deum asserat, neque pro eorum salute vel esse passum, vel orasse. Qui enim poterat, cum absoluto decreto damnare illos statuisset? Verum, quoniam et in Vetere Testamento, et in Novo complures extiterunt, qui in suscepta vera fide ac pietate minime perseverarunt, et universe pro omnibus, quibus gratiæ aliquid et adjumenti ad salutem idonei datum est, Christi merita profuerunt,

1 Tom. III Conc. Gall. — 2 Tom. II Auct. col. 439 et seq. — 3 Ser. v *de Nativit.*

non ut salvi essent sed ut gratia illis ea tribueretur. Nulla enim ejusmodi, nisi Christi parta meritis, mortalium ulli concessa creditur; quem dici necesse est, saltem ad illa gratiæ adjutoria promerenda, pro illis esse passum.

Pro reprobis passus est Christus.

IV. Ex communi vero Patrum aliorum, præsertim Augustino superiorum, sententia, quæ salutis hominum, vel damnationis absolutam in Deo voluntatem nullam antecedentem ponit, sed ex meritorum contemplatione ductam, generatim illud sequitur, pro omnibus passum esse Christum; hoc est ejus ad universos merita pertinuisse, non eodem tamen modo. Quod enim ad eos attinet, qui ante illum mortui damnatique sunt, eo spectavit ejus mors et passio, ut illis, cum viverent, gratiæ necessaria præsidia istius futuræ merito concessa fuerint, quibus salutem, si vellent, adipisci potuissent. Christus autem nulla voluntatis destinatione ac proposito, vel oratione suum ad eorum salutem accommodavit meritum, quod nulli amplius usui illis esse poterat. Atque hoc Valentina synodus in canone illo quarto voluit. De aliis autem, qui postea vixerunt, reprobis, consentaneum est, pro illis et esse passum, et orasse Christum, ut, quantum in ipso erat, compotes fierent salutis æternæ.

Et quatenus pro iis qui antea mortui erant.

Hanc esse mentem priscorum omnium, innumera demonstrant illorum testimonia, quæ jam ab aliis collecta sunt; e quibus opportuna maxime seligam, quædam etiam ab illis prætermissa describam. Sunt autem ad hoc ipsum, quod de Christi meritis et passione nunc agitur, utilia, quæ capite antecedenti demonstrata sunt de generali et efficaci Dei voluntate, qua omnium, quantum in ipso est, salutem expetit, et congruentibus modis procurare studet. Si enim salvos esse revera omnes cupit, non alia id de causa vult, quam propter Christum dilectum filium suum; nec ad illud assequendum alia, quam illius parta meritis, adjumenta suppeditat. Itaque omnes illi, qui Deum asserunt velle omnes esse salvos, adeoque reprobos ipsos, iidem partim expresse fatentur, partim ex consequenti significant, pro omnibus passum esse Christum; hoc est eo, quem exposui, modo hujus illis merita profuisse.

Sunt qui Irenæi ad id probandum verba illa proferunt ex capite XVII libri V : « Mediator Dei et hominum factus, propitians quidem pro omnibus Patrem. » Sed in castigatissimis libris *pro nobis* legitur, non *pro omnibus* [1]. Et in antiquissimis membranis itidem *pro nobis* reperi. Quare nihil hic locus ad rem pertinet.

V. Clemens autem Alexandrinus recte illud affirmat, dum ait, Christum « ad communem hominum salutem advenisse [a], » et, « cum singulis privatim, tum communiter omnibus unum esse Salvatorem [b]. »

Sic Origenes aliquot in locis ut in libris *contra Celsum*, ubi ait, Christum « *appellari Salvatorem omnium hominum, maxime fidelium* [2]. Et *Christus ipsius propitiatio esse pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* [c] [3].» Addit paulo post, eumdem Christum « in peccatorum, qui ubique sunt, gratiam advenisse, ut peccatum relinquant, ac sese Deo committant [d]. » Tum in postremo libro, Christum ait « pro universo mundo mortuum esse [e]. » Rursus in quarto libro, « Præter hos omnes, inquit de his loquens, qui ad medendum humano generi missi sunt, magna per Jesum facta est emendatio; qui non iis tantum mederi voluit, qui in uno erant orbis angulo, sed, quantum in ipso fuit, iis, qui ubique sunt. Venit enim salvator omnium hominum [f]. » Quod ipsum tanto ante Joannes Baptista prædicavit his verbis: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* [4]; ut Cæsariensis Eusebius animadvertit; qui « pro

a Clem. Alex. VII *Strom.* Ἐπὶ τὴν κοινὴν ἀνθρώπων ἐλήλυθε σωτηρίαν.

b Ibid. Λόγος αἰώνιος ἰδίᾳ τε ἑκάστοις, καὶ κοινῇ πᾶσιν εἷς ἐστι σωτήρ.

c Orig. IV *cont. Cels.* Καὶ γὰρ αὐτὸς εἴρηται σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν· καὶ ὁ Χριστὸς αὐτοῦ ἱλασμὸς εἶναι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν· οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου.

d Ibid. Νυνὶ δὲ ὑπὲρ τῶν πανταχοῦ ἁμαρτωλῶν, ἵνα καταλίπωσι τὴν ἁμαρτίαν, καὶ πιστεύσωσι τῷ θεῷ ἑαυτοὺς ἐπιδεδημηκέναι, καὶ διὰ τὰ μέγιστα ἁμαρτήματα κεκήρυκται ὁ Ἰησοῦς.

e Idem, lib. VIII. Ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παραδοὺς αὐτὸν, ἀμνὸν ὄντα ἑαυτοῦ, ἵνα ἄρῃ τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ὁ ὑπὲρ παντὸς αὐτοῦ ἀποθνήσκων ἀμνὸς θεοῦ.

f Orig. IV *cont. Cels.* Παρὰ δὲ τούτους πάντας, μεγάλη ἡ διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἐπανόρθωσις, οὐ τοὺς ἐν μιᾷ γωνίᾳ τῆς οἰκούμενης βουληθέντος μόνους θεραπεύεσθαι, ἀλλὰ τὸ ὅσον ἐπ' αὐτῷ, καὶ τοὺς πανταχοῦ. σωτὴρ γὰρ ἦλθε πάντων ἀνθρώπων.

1 Voss. lib. VII, par. I *de Pelag.* ex Greg. a Valent. disp. VIII, qu. III, *de Divis. grat.*, punct. 4. — 2 I *Timoth.* IV, 10. — 3 I *Joan.* II, 2. — 4 *Joan.* I, 29.

toto grege hominum agnum illum sacrificatum fuisse » dicit [a]. Quinetiam Origenes idem libro septimo *contra Celsum*, « Christum ait, quatenus homo erat, sustinuisse, utpote sapientem, et perfectum, quæ sustinere oportebat eum, qui pro toto humano genere, ac rationabili omnia faceret [b]. » Atque hoc formula ipsa Nicæni symboli haud dubie præ se fert in Constantinopolitano concilio, ac cæteris deinde comprobata. Nam, cum ita dicitur, « Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, » pro toto hominum genere venisse ac mortem pertulisse, quis non videt?

Ita Basilius in *Psalmum* XLVIII, «Jesum Christum ait sanguinem suum pro nobis omnibus effudisse [c]. » Gregorius Nazianzenus oratione tertia, quæ est prima *in Julianum* invectiva, post mortem illius scripta, « Tu, inquit, manum adversus eam, quæ et pro te, et propter te clavis transfixa est [d] ? » subaudiendum *movere ausus?* Pro Juliano itaque, quem animo et corpore periisse significat, passum esse Christum asserit Gregorius. Et in oratione XXXVIII de reprobis hæreticis loquens, « Pro quibus, ait, gratis mortuus est Christus [e]. » Itidemque Chrysostomus oratione prima *in S. Babylam*, de eodem Juliano, «Bene de se meritum, ait, et Salvatorem, qui ne Unigenito quidem propter ipsum pepercerat, aversatus est, et odio habebat [f]. » Ad hæc Chrysostomus idem in homilia *de Proditione Judæ*, « Hic, inquit, vendidit ipsum argenteis triginta; Christus vero post hoc etiam non recusavit sanguinem ipsum, qui venditus fuerat, dare in remissionem peccatorum venditori ipsi, si quidem ille voluisset [g]. »

Et in eadem homilia, « Ille animam, inquit, suam pro iis, qui se oderant, dedit, etc. Nihilominus et ipsum sanguinem, quem effudit, in salutem eorum, qui effuderant, impendit [h]. »

VI. Ambrosius in libro secundo *de Abel et Cain*, capite tertio : « Ipse ergo, qui pro salute universorum expectatus advenit, etc. In quo omnium hominum suscepta est redemptio. » Et libro *de Institutione virginis*, capite primo : « Non est finis labori ejus, quia pro omnibus advocatus noster est apud Patrem. » Item in libro tertio *Officiorum*, capite tertio, de eo loquens, qui fidelem Christi et Ecclesiæ membrum violat, « Christus quoque Dominus, inquit, qui pro universis mortuus est, mercedem sanguinis sui evacuatam dolebit. » Sed omnium disertissimus Ambrosii locus est *ad Psalmum* CXVIII. « Mysticus autem sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat. Ut, si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit. Sed quod solis est, prærogativam suam servat ; quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. Super omnes pluvia est, et hoc divinæ misericordiæ deputatur; quia *pluit super justos et injustos* [1]. » Augustinus ipse tractatu XII *in Joannem*, ad hæc Evangelistæ verba, *Non enim misit Deus Filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* [2], ita scribit : «Ergo, quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit salvator in mundum. Quare salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum ? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis. » Quibus verbis duo quædam docentur : alterum, Christum ad omnes salvandos venisse, et vere esse passum; nempe ob totum mundum, non ut prædestinati tantum mundi vocabulo significentur, sed etiam re-

a EUSEB. X *de Demons.* Ἔδει γὰρ τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν ὑπὸ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως ἀναληφθέντα ὑπὲρ τῶν λοιπῶν συγγενῶν ἀμνῶν, καὶ ὑπὲρ πάσης τῆς ἀνθρωπίνης ἀγέλης θυσίαν τῷ θεῷ προσαχθῆναι.

b ORIG. lib. VI. Καθὸ δὲ ἄνθρωπος ἦν, etc. ὑπέμεινεν ὡς σοφὸς, καὶ τέλειον ὢν, ἅπερ ἐχρῆν ὑπομεῖναι τὸν ὑπὲρ παντὸς τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, ἢ καὶ τῶν λογικῶν πάντα πράττοντα.

c BASIL. Τὸ ἅγιον, καὶ πολύτιμον αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃ ὑπὲρ ἡμῶν ἐξέχεε πάντων.

d NAZIANZ. Σὺ χεῖρα κατὰ τῆς ὑπὲρ σοῦ ἡλωθείσης καὶ διὰ σέ;

e NAZ. Orat. XXXVIII. Ὑπὲρ ὧν Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανε.

f CHRYS. Hom. LXIII. Τὸν δὲ εὐεργέτην, καὶ σωτῆρα, καὶ μηδὲ τοῦ μονογενοῦς φεισάμενον δι' αὐτὸν ἀπεστράφη, καὶ ἐμίσει.

g CHRYS. Hom. LXXX. Ὁ μὲν γὰρ ἐπώλησεν αὐτὸν τριάκοντα δηναρίων· ὁ Χριστὸς δὲ καὶ μετὰ τοῦτο οὐ παρῃτήσατο αὐτὸ τὸ αἷμα πραθὲν δοῦναι εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν τῷ πεπρακότι, εἴ γε ἠθέλησε.

h Ibid. Ἐκεῖνος τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ τῶν μισούντων, etc. ἀλλ' ὅμως καὶ αὐτὸ τὸ αἷμα, ὅπερ ἐξέχεεν, εἰς σωτηρίαν αὐτοῖς τοῖς ἐκχέασιν ἔδωκε.

1 *Matth.* v. — 2 *Joan.* III, 17.

probi, hoc est illi etiam, qui oblatam salutem repudiarunt, ob idque judicandi, id est condemnandi sunt : alterum, ipsorum culpa, qui hanc ipsam respuerunt salutem, nihil eam illis profuisse. Quid quod in cruce pendens Dominus *pro persecutoribus suis exoravit*, ut ait Propheta? Et, *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*. Atqui multi, qui tum adfuerunt, « et Dominum crucifixerunt, in infidelitate manserunt, » ait Augustinus [1]. Certe Hugo Victorinus in quæstione xv in epistolam secundam *ad Corinthios*, cum quæsisset, « quomodo pro omnibus mortuus sit Christus, cum ejus mors non omnibus prosit; damnandis enim non prodest, sed electis, » respondet, « secundum Hieronymum pro omnibus salvandis passum esse ; vel secundum August., mortuus est pro omnibus Christus, quia hoc ejus mors promeruit, ut per ipsum omnes salvarentur, nisi in ipsis remaneret. Sufficiens enim erat ad omnium salutem. »

VII. Jam Leonis Papæ de eadem re crebræ sunt et disertissimæ sententiæ, ut in sermone primo *de Nativitate :* « Una cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. » Et sermone primo *de Passione Domini*, sub finem, Judæos alloquens, « Merito soli non habetis, inquit, quod omnibus perire voluistis. Et tamen tanta est bonitas nostri Redemptoris, ut etiam vos possitis consequi veniam, si Christum Dei Filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in cruce frustra oravit, dicens, *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt* [2]. Quod remedium nec te, Juda, transiret, si ad eam pœnitentiam confugisses, quæ te revocaret ad Christum, non quæ revocaret ad laqueum. » Atqui neque pro illis oraret, pro quibus pati nollet ; neque sua iis passione remedium afferret, quos ab ejus fructu nominatim excepisset. Sic in sermone IV de eadem passione, « Quam Dominus Jesus, inquit, ita ad omnium hominum suscepit salutem, ut inter clavos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus suis paternæ clementiæ supplicaret, et diceret, *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* » Quod etiam repetit in sermone XI, ubi et illud de Juda : « Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset etiam forte hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum. »

VIII. Prosper vero Augustini doctrinæ studiosus ac defensor acerrimus, Christi passionem et sanguinem in salutis omnium impensum esse, non obscure significat, quantum quidem in Christo fuit ; tametsi solis prosit electis. Ut in responsione ad nonum capitulum *Gallorum*, in quo illud objecerant, « Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus ; » sic illis occurrit : « Cum itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, et propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit. » Cui et similia quædam continet sententia ejusdem super capitulo illo nono, atque illud insuper, « Cum sanguinis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit. A quo pretio extranei sunt non quos ipse Christus absoluta voluntate voluit excludi, sed qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi. » Quare voluntate cujusque fit, ut aut redemptionis illius sit particeps, aut ejus fructu careat ; quandoquidem in commune cunctis offertur, quod pro salute omnium est impensum. Sed non omnibus prodest, si non adhibeatur ; uti in responsione ad primam objectionem Vincentianam explicat : « Cum itaque propter unam omnium naturam, et unam omnium causam a Domino nostro in veritate susceptam, recte omnes dicantur redempti, et tamen non omnes a captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, etc. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed, si non bibitur, non medetur. » Ergo, quantum in medico est, curare voluit omnes, ut Augustinus loquitur, et quod non omnes salvati sunt, id eorum culpa factum esse Prosper affirmat. Sic Arelatensis synodus anno CDLXXV habita, « anathema illi dixit, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit [3]. » Cui decreto Lucidus presbyter ex Prædestinatianorum hæresi resipiscens subscripsit, ac palinodiam recantans asseruit, « Et periclitari eum, qui salvus est, et eum qui periit, potuisse salvari. Christum etiam Deum, et Salvatorem nostrum,

1 Lib. III *ad Bonif.* cap. IV. — 2 *Luc.* XXIII. — 3 Tom. I Conc. Gall.

quantum pertinet ad divitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse; et quia nullum perire velit, qui est Salvator omnium, maxime fidelium, dives in omnes qui invocant illum[1].» Ac subinde pristinam sententiam retractat, « quod Christus pro his tantum, quos credituros præscivit, advenisset, » quod ex illis sibi locis Scripturæ persuaserat, quæ *pro multis passum esse* Christum asseverant[2], vel *oblatum esse ad multorum exhaurienda peccata*[3],» et similibus, tanquam *non pro omnibus*, sed *pro multis* duntaxat mortem obierit. Quæ ita Lucidus revocat : « Nunc vero sacrorum testimoniorum auctoritate, quæ abunde per spatia divinarum inveniuntur Scripturarum, ex seniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor, Christum etiam pro perditis advenisse; quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est, circa eos solum, qui videntur esse salvati, immensæ divitias bonitatis, ac beneficia divina concludi. Nam, si Christum his tantum remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt, videbimur absolvere non redemptos; quos pro redemptione contempta constat esse puniendos. »

IX. Quo illud omnino pertinet, quod Nicodemo respondit Christus : *Non enim misit Deus Filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*[4]. Ubi mundi vocabulo omne hominum genus complexus est, non solum fidelium, sed etiam reproborum; quibus quidem, quantum erat in sese, Deus salutem impertiri voluit, et ea gratia Filium suum misit, *ut pro omnibus gustaret mortem*[5]. Sed quoniam id non absoluta voluntate decrevit, sed conditione quadam implicata, si et ipsi divinæ obtemperarent gratiæ, nec illi, quod suarum erat partium, præstiterunt, ideo in judicium condemnationemque ceciderunt. Utrosque tam electos, quam reprobos, sententia illa, et mundi nomine comprehendi docent sequentia. Postquam enim universe pronuntiavit, *Deum misisse Filium*, *ut salvetur mundus per ipsum*, mox generalem mundi appellationem in species veluti partiens, duos ordines distinguit, *credentium*, et scilicet in suscepta fide perseverantium, et *non credentium*. *Qui credit in eum*, inquit, *non judicatur; qui autem non credit*, *jam judicatus est*, *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*[6]. Ambo itaque sub *mundi* vocabulo continentur. Judicantur enim, et non judicantur, non alii, sed illi ipsi, qui ex illo mundo sunt, cujus salvandi gratia missus est Filius. Et cur illi judicantur, qui utique reprobi sunt, nam *judicari* est *condemnari*, causam subinde reddit, *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*[7]. Igitur condemnandi propterea sunt, quod lucem a Deo sibi oblatam, ad seque missam repudiarunt.

X. Quamobrem non cadit in illum Joannis locum *mundi* ista significatio, quam sæpe Augustinus adhibet, uti pro fidelibus sumatur, aut etiam electis. Ut cum ita scribit: « Totus ergo mundus Ecclesia est, et totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum[8].» Hoc autem dicit ad illa duo Joannis loca respiciens: alterum, in quo Christus ita loquitur, *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret*[9]*;* cui simile est et illud, *Non pro mundo rogo*[10]*:* alterum, in prima Joannis epistola, *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, *non pro nostris autem tantum*, *sed etiam pro totius mundi*[11]. Verum, si sincere ac sine præjudicata opinione Joannis illa verba spectemus, et alia similia, mundum ibi multitudinem qualiumcumque hominum esse putabimus; quibus necessaria meritis suis Christus ad salutem auxilia comparavit, quæque illi suapte voluntate, ac culpa inania sibi fecerunt. Quod quidem Maximus martyr vera, et pulchra sententia sic exprimit[a], de charitate agens tum universe, tum Christi, qua is pro humana est stirpe passus: « Perfecta, inquit, charitas unam eorumdem hominum naturam non dividit, pro diversis illorum animi propositis. Sed in illam semper intuens, omnes homines amat ex æquo, ac bonos quidem, tanquam amicos, malos autem, tanquam inimicos diligit; bene faciens, patienter sustinens, et quæ ab illis inferuntur mala tolerans, malum omnino non cogitans,

a Maxim. Cent. I. *de Charit.* sent. lxxi: Ἡ τελεία ἀγάπη οὐ διασχίζει τὴν μίαν τῶν αὐτῶν ἀνθρώπων φύσιν ταῖς διαφόροις αὐτῶν γνώμαις· ἀλλ' εἰς αὐτὴν ἀεὶ ἀποβλεπομένη, πάντας ἀνθρώπους ἐξ ἴσου ἀγαπᾷ· τοὺς μὲν σπουδαίους, ὡς φίλους, τοὺς δὲ φαύλους ὡς ἐχθροὺς ἀγαπᾷ, εὐεργετοῦσα καὶ μακροθυμοῦσα, καὶ ὑπομένουσα τὰ παρ' αὐτῶν ἐπαγόμενα, τὸ κακὸν τὸ συνόλως μὴ λογιζομένη, ἀλλὰ καὶ πάσχουσα ὑπὲρ αὐτῶν, εἰ καιρὸς καλέσειεν, ἵνα καὶ αὐτοὺς ποιήσῃ φίλους εἰ οἷόν τε· εἰ δὲ μὴ, τῆς γε ἰδίας διαθέσεως οὐκ ἐκπίπτει, τοὺς τῆς ἀγάπης καρποὺς ἀεὶ ἐξ ἴσου πρὸς πάντας ἀνθρώπους ἐνδεικνυμένη. διὸ καὶ ὁ κύριος ἡμῶν, καὶ θεὸς Ἰησοῦς

1 Tom. I Conc. Gall. — 2 *Matth.* xxvi, 28. — 3 *Hebr.* ix, 27.— 4 *Joan.* iii, 17.— 5 *Hebr.* ii, 9.— 6 *Joan.* iii, 18.— 7 Ibid. ver. 19.— 8 Aug. tract. lxxxvii *in Joan.* et tract. i in epist. *Joan.* et alibi sæpe.— 9 *Joan.* xv, 19.— 10 *Joan.* xvii, 9.— 11 I *Joan.* ii, 2.

sed etiam pro illis patiens, si tempus ferat; ut e ipsos amicos reddat, siquidem id potest fieri. Quod si non potest, at illa proprio affectu non excidit, charitatis fructus semper ex æquo in omnes homines demonstrans. Idcirco Dominus etiam noster, et Deus Jesus Christus, charitatem suam in nos ostendens, pro omni humana natura passus est, et omnibus ex æquo spem resurrectionis largitus est; tametsi unusquisque semetipsum sive gloria, sive supplicio dignum facit. »

XI. Primasius item in commentario ad illa Pauli *ad Timotheum* verba, *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*[1]: « Pro omnibus quidem effusus est sanguis Christi, sed credentibus prodest, incredulis vero erit in condemnationem : sicut alibi ipse dicit : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.*»

Sic Anselmus ad eumdem locum, « Nullum, inquit, excipiens, qui vellet redimi ad salvandum. In hoc enim patet, quantum Deus homines diligat, et eos velit omnes salvos fieri, si perversitas eorum non obstiterit, quia mediator Deus, quem Deus inter se et homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes a morte redimeret. Et ideo qui non salvantur, non est quod de Deo, vel de mediatore possint conqueri, sed de seipsis, qui nec redemptionem, quam mediator dedit, nec salutem, quam Deus obtulit, voluerunt accipere.

Honorius Augustodunensis in libro *de Prædestinatione et libero arbitrio*, « Et quamvis, inquit, pro peccatoribus mortuus sit; Annæ et Caïphæ, Herodi et Pilato mors ejus non profuit, sed multum obfuit[2]. »

Addamus his insignem Apostoli locum ex epistola priore *ad Corinthios*, ubi de scandalo loquens, quod infirmi ex promiscuo idolothytorum usu capiebant, *Et peribit*, inquit, *infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*[3]. Nimirum fieri posse, dicit Apostolus, ut imbecillus quispiam peccandi occasionem inde capiat, et sempiternæ damnationis, pro quo nihilominus Christus sit mortuus. Ergo pro damnandis etiam ac reprobis mortuus est Christus.

Poterit in longum disputatio ista proferri, si nos auctorum ac testium copia delectet. Sed modus est adhibendus aliquis, cum præsertim sua cuique lectio innumera, et illis etiam expressiora suppeditare possit.

CAPUT VI.

Calvini de prædestinatione ac reprobatione sententiam eamdem cum Augustiniana falso a plerisque jactari. Quod antequam probatur, accurate Calviniana prius exponitur. Calvinum existimasse, Deum sola sua voluntate, sine ulla prævisione peccati, certos homines ad damnationem ordinasse, et ad peccatum incitare : imo necessitate compellere.

I. Sæpe multos hoc dixisse, vel scriptis etiam prodidisse memini, eamdem esse Calvini, quæ Augustini fuit, de prædestinatione ac reprobatione sententiam. Id partim ab ignaris usurpatum temere, partim ab improbis callide insidioseque confictum est. Horum prius ad quosdam catholicos pertinet, homines cæteroqui non indoctos, sed in Calvini lectione, et ejus interiore doctrina minus exercitatos. Posterior Calvinianorum labes propria est, qui fœdas et horribiles magistri sui blasphemias tantæ auctoritatis præsidio tegere, et ab humani odio generis et convicio vindicare cupiunt. Utrisque postrema hæc, quam de argumento isto suscipimus, disputatio serviet; quo et illorum emendetur error, et istorum furor ac vecordia comprimatur. Id uti facerem, hortator hoc anno novus liber accessit, qui cum hac inscriptione prodiit, *Doctrinæ Joannis Calvini de absoluto reprobationis decreto defensio.* Quo in libro præceptoris ac patriarchæ sui dogma minatus defendere, hactenus id, quod erat pollicitus, egit, ut profiteretur, et in operis fronte proscriberet. Nam reipsa neque Calvinum propugnavit, neque quæ ejus opinio esset, intellexit; neque quid ageret, ac de quibus scriberet scivit omnino. Quanquam falli possum, ut Calvinus quidem, quid revera sentiret, minime nescierit; (qui enim latere posset istud alumnum adyti illius et oraculorum interpretem ?) sed prudens sciensve dissimulaverit, ac mentiri strenue maluerit, quam pudendæ, ac profligatæ causæ patrocinium sumere. Utcumque vero factum illud est ab eo, quod nemo pro-

Χριστὸς τὴν αὐτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ἐνδειξάμενος ὑπὲρ ὅλης τῆς ἀνθρωπότητος ἔπαθε, καὶ πᾶσιν ἐξ ἴσου τὴν ἐλπίδα τῆς ἀναστάσεως ἐχαρίσατο. εἰ καὶ ἕκαστος ἑαυτὸν εἴτε δόξης, εἴτε κολάσεως καθίστησιν ἄξιον.

1 I *Timoth.* II. — 2 Tom. IX *Biblioth. Patrum*, col. 1156. — 3 I *Cor.* VIII, 11.

bus laudaverit; constat, nihil illum minus, quam Calvini de reprobatione vel explicasse sententiam, vel ab adversantium oppugnatione vindicasse. Quinetiam, quod me potissimum movit, ut hanc cum Augustini doctrina Calvinianæ hæresis contentionem facerem, sic de hac disputavit, tanquam mera Augustini esset opinio, idque pro certo et confesso habuit. Cujus, ut hoc fatear, occasionem illi nonnullam præbuit libellus ille, contra quem suum edidit, *De absoluto reprobationis decreto* inscriptus, et ex Anglico versus; utilis hic quidem, et, quod Calvini patronus agnoscit, eruditus. Sed hoc in eo mihi displicet, quod in absoluto oppugnando reprobationis decreto, Calvinum cum Augustino commiscuit; nullam certe discriminis ambos inter, quale vel scivit, vel scire certe debuit, significationem dedit.

Hanc habui justissimam causam et, ut apparet, necessariam de hoc argumento aliquid elucubrandi; ne longius venena serperent opinionis istius, ac ne sanctissimi totoque orbe celebrandi doctoris memoriam ex teterrimi communione dogmatis lues afflata pollueret. Utriusque igitur explicanda, et in medio ponenda est sententia; tametsi de Augustino vix est opus; nam toto fere hoc in opere nihil est actum aliud. Verum summa illius capita colligentur postea; ubi, quæ Calvini fuerit, ejus ex libris ostensum erit. Tum enim conferendæ erunt invicem, ut ex mutua comparatione diversitas, imo vero repugnantia constet ambarum.

II. Prædestinationem, « qua Deus alios in spem vitæ adoptat, alios adjudicat æternæ morti [1], » Calvinus definit, « æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. » Hoc vero decretum idem ille fieri censet a Deo non ex contemplatione operum, vel status proprii cujusque suo, vel alieno merito contracti, sed ex solo Dei placito ac voluntate; qui ex omni creandorum hominum multitudine certos ad gloriam et salutem delegerit, alios ad pœnam, et sempiternam damnationem, non ob eorum culpam aliquam, sive commissam ipsorum voluntate, sive aliena transfusam; sed eo solo, quod ita illi visum fuerit. Nam et Adamum ideo peccasse, quod Deus ita decreverit, ac voluntate sua peccandi ei necessitatem imposuerit; quam etiam reprobis inferri, idem Calvinus existimat. Hæc non tam hominis vox, quam furiæ, adeo diserte ab illo tradita, explicata, disputata probataque est ut si vel mediocriter intentum lectorem habeat, interpretem non requirat.

Primum in libro tertio *Institutionum*, Deum ait « consilio nutuque suo ita ordinasse, ut inter homines nascantur ab utero certæ morti devoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent [2]. » Ac ne quis forte dixerit, « nullam eis inferri necessitatem ex Dei providentia; sed potius ea conditione creatos, quoniam futuram eorum pravitatem prævidcrit, » hoc ibidem refellit: quia « non alia ratione, quæ futura sunt, prævidet, nisi quia ita, ut fierent, decrevit. » Quare « frustra de præscientia lis movetur, ubi constat, ordinatione potius et nutu omnia evenire. » Itaque reprobos idcirco creavit ex Calvini sententia Deus, ut exitio damnarentur, non ob eorum culpam ullam quam præsciverit, sed quod ita decreverit, ac nutu et ordinatione sua sic evenire voluerit.

III. Hic forsan existimabit aliquis, Calvinum hoc idem, quod Augustinum, sensisse, prius divinæ fuisse præscientiæ Adami crimen objectum, ac posterorum ex eo corruptam infectamque massam, quam reprobos damnandosque creare statuerit; ut peccatum ipsum, et originalem maculam noluerit quidem, sed jam contractam in illis residere permiserit, hoc est, e massa ista, in quam vitio, et voluntate parentis incurrerant, juste eos hærere sit passus. Non ita Calvinus; quin et asserit, Adamum ipsum Dei decreto et voluntate lapsum esse, non permissione tantum; et in eamdem noxam ac damnationem implicatos esse posteros, perinde volente ac decernente, non permittente duntaxat Deo. Quid enim aliud iis verbis indicat, cum scribit, « Decretum fuisse a Deo, ut sua defectione periret Adam, et eorum frigidum esse commentum, qui dicunt, liberi arbitrii fuisse, ut fortunam ipse sibi fingeret; Deum vero nihil destinasse, nisi ut pro merito eum tractaret? » Deinde eamdem vult esse rationem Adami, quæ totius humani generis fuit: « Quid eos, inquit, prohibet fateri de uno homine, quod inviti de toto humano genere concedunt? » Porro « cunctos mortales in unius persona morti æternæ mancipatos fuisse, Scriptura clamat; idque Dei consilio profectum esse » dicit. « Unde factum est, ut tot gentes, inquit, una cum liberis eorum infantibus æternæ morti involveret lapsus Adæ

Dei voluntate peccavit Adam juxta Calvinum.

1 Calv. in lib. III *Instit.* c. XXI, § 5. — 2 Calv. Ibid. c. XXII, § 6.

absque remedio? » Mox vero, « Decretum quidem, ait, horribile fateor. Inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum habiturus esset homo, antequam ipsum conderet, et ideo præsciverit, quia decreto suo sic ordinarat.» Tum postea, « Lapsus est, inquit, primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat. Cur censuerit, nos latet. »

IV. Habes ex Calvini sententia, Dei voluntate ac decreto tam Adamum peccasse, quam mortales omnes in eamdem labem incidisse non pœnæ tantum, sed etiam culpæ; ac volente et decernente Deo sic Adamum peccasse, ut hoc simplici et inevitabili necessitate fecerit, plane aperteque tradidit eodem capite Calvinus. Nam eorum sententiam respuit, qui « permittente, non autem volente Deo » tam Adamum deliquisse, quam ejus posteros putant. Tum quod Augustinus de naturali rerum conditione et fixa necessariaque propagatione disputans scripsit, « voluntatem Dei rerum necessitatem esse[1], » id ille generatim accipit, ut in causis etiam libere agentibus eadem valeat ex Dei voluntate necessitas. « Non dubitabo igitur, inquit, cum Augustino simpliciter fateri voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessario futurum esse quod ille voluerit; quemadmodum ea vere futura sunt, quæ præviderit.» Quocirca, si, ut ibidem ait Calvinus, Deus « Adamum labi ac deficere, et sua defectione perire » non permisit solum, sed etiam decrevit ac voluit; est autem « Dei voluntas rerum necessitas, » et id, quod vult, necessario fit; peccavit Adamus necessario, nec in ejus potestate fuit, ut non peccaret. Et est necessitas illa non hypothetica, ut vocant, et consequens, sed antecedens et absoluta; utpote quæ nullam ex humana voluntate causam, vel occasionem accipit, sed ipsa potius est homini causa volendi. Prorsus itaque peccavit Adamus, ex opinione Calvini, quia Deus ita decrevit, ac voluit, non quia libero usus arbitrio, sponte peccatum elegit. Ubi enim et absolute decrevit fieri quippiam Deus, et id necessario fit; non fit libere, quia contingens non est quod necessarium est, et est liberum omne contingens, ut alio loco pluribus ostendam. Ex eodem fonte posterorum Adami tam singulorum originalis culpa, quam reproborum damnatio proficiscitur. Etenim utriusque causa multo magis est absoluta Dei voluntas, quam in Adamo. Siquidem nullum illorum intervenire potuit arbitrium liberum : quod in isto saltem dicis causa, et vocabulo tenus Calvinus agnoscit. Qui tametsi nihil ultra de singulis eloqueretur, satis ista sunt, quæ ex eo commemoravi hactenus, ut reprobos omnes ex animi illius sententia cognosceremus in peccatum, et perniciem non suapte ruere culpa, sed fatali quadam necessitate, et inevitabili decreto omnipotentissimæ Dei voluntatis; in qua rerum omnium, etiam liberarum et contingentium necessitatem constituit.

V. At etiam miseros istos in scelera, atque peccata, ob quæ merito damnantur, agi divinitus impellique, imo vi cogi, protrudique Calvinus affirmat, non obscure, ut hæsitandi locus sit, sed palam ac diserte. Sic enim in primo libro rem explicat ita scribens: « Absurdum videtur volente ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est. (Ibi cæcitas peccatum est, cujus utique solius pœna luitur). Tergiversando itaque effugiunt, Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri. Ipse vero palam se facere pronuntians, effugium illud repudiat. » Mox variis Scripturæ sententiis et exemplis ad horrendam adstruendam blasphemiam congestis probat, Deum directe ac decreto voluntateque sua non pœnas modo peccatorum, sed ipsa etiam peccata velle, ac procurare, et ad ea patranda voluntates hominum excitare, tum per se, tum per ministrum iræ suæ Satanam. « Unde apparet, certa destinatione Dei fuisse impulsos. Fateor quidem, ait, interposita Satanæ opera sæpe Deum agere in reprobis; sed ut ejus impulsu Satan ipse suas partes agat et perficiat quatenus datum est. » Ac sic ipse, « Satan, inquit, excæcat infidelium mentes, ut a Deo ipso manet efficacia erroris. » Tum vero libro secundo, sine fuco ac tergiversatione id aperte profitetur, cum dicitur « Deus excæcare, et indurare reprobos, eorum corda vertere, inclinare, impellere, non ad præscientiam, aut permissionem confugiendum esse; » sed duplici hoc ratione dici. Prima est, quod lumen suum auferat, « quo sublato, nihil quam caligo et cæcitas supersit. Secunda ratio, quæ multo propius accedit ad verborum proprietatem, quod ad exequenda sua judicia, per ministrum iræ suæ Satanam et consilia eorum destinat quo visum est, et voluntates excitat, et conatus firmat. »

1 August. lib. VI *de Gen. ad lit.* c. xv.

Juxta Calvinum sola voluntas Dei causa est reprobationis.

Dici nihil hoc potest clarius, ut ea mens illius intelligatur et sententia fuisse, qualem docui : Deum singulorum peccata reproborum absoluto velle decreto, ac directa, efficaci et antecedente voluntate, non præsciendo tantum futuros illorum liberos motus, et permittendo ac destinando, hoc est utendo malis aliena voluntate designatis, et oblatis, sed decernendo, ut fiant, et ad ea facienda movendo impellendoque. Ex quo illud sequitur damnationis reproborum causam esse, non ipsorum culpam sive originalem sive propriam, sed solam Dei voluntatem absolutam, quæ omnium præsensionem meritorum ac voluntatum antegressa, creare illos statuit in eum finem, uti damnarentur, severitatis summique juris ac potestatis ostentandæ gratia. Ut autem ad destinatam illam perniciem ac damnationem perveniret : eumdem decrevisse Deum, ut in peccatum incurrerent ; idque tum per se, tum per causas secundas, imprimisque Satanam, curasse fieri.

Nam quod non sine vitio ac peccato suo pereunt, quicumque damnantur, non idcirco causa ipsi sibi sunt calamitatis istius potius, quam qui eos in peccatum necessitate quadam et absoluta potestate compulit, Deus. Qui enim causæ alicujus est auctor, is effecti cum illa necessario conjuncti auctor est. Quare, cum damnatio et sempiternus interitus peccatum necessario comitetur, qui in peccatum agit inevitabili necessitate, is in damnationem eadem necessitate præcipitat. Quid quod, non excitari tantum et impelli reprobos in peccatum, asserit Calvinus, sed cogi etiam, cum sic loquitur ? « Summa hæc sit : quum Dei voluntas dicitur rerum omnium esse causa ; providentiam ejus statui moderatricem in cunctis hominum consiliis et operibus ; ut non tantum vim suam exerat in electis, qui Spiritu sancto reguntur, sed etiam reprobos in obsequium cogat [1]. »

CAPUT VII.

Augustini de prædestinatione ac reprobatione sententia cum Calviniana comparatur ; et ab ea differre plurimum ostenditur. Augustinum reprobari neminem putasse, nisi præviso Adami peccato, in quo ab Calvino discrepat. Eumdem sensisse, neminem damnari posse sine peccato ; alioqui injustum fore.

I. Exposita Calvini sententia penitusque patefacta, proximum est, ut Augustini cum ea dogma conferatur, ut, quod initio posui, summum inter ambos esse discrimen appareat. Cujus quidem in eo caput est, quod Augustinus de hominum prædestinatione ac reprobatione disputans, hos ipsos non alio in statu, quam peccati, contempletur ac damnationis ex Adami labe commissæ. Etenim humanum genus, circa quod judicium ac consilium omne suum exercet, tanquam massam aliquam spectat vitio primi sui parentis infectam atque corruptam. Quæ cum in exitium ac perniciem ex sese universa deflueret, Deum asseruit, solo voluntatis arbitrio ac nullis hominum meritis inductum, quæ nonnisi mala erant omnium, certos eosque paucos ex illa conspersione secrevisse, quos ad salutem destinaret ; ad quam gratuita benignitate justificati per fidem et gratiam bonorum operum meritis contenderent, si quibus per ætatem id liceret ; cæteros vero, quos in illa massa justo, sed stupendo ac terribili consilio destituit, sempiterna damnatione mulctasse : quam privatis deinceps delictis ac malis meritis acerbiorem, vel tolerabiliorem sibi ipsis facerent. Quocirca prædestinationis causam, qua voluntas ejus ad eligendos beatæ sortis compotes adducitur, nullam extrinsecus fuisse ; sed solam gratuitam, nec ullis meritis expressam aut eblanditam misericordiam. Reprobationis autem e contrario causam fuisse peccatum illud, toti massæ vitio ac voluntate primi parentis inustum, quod etsi per baptismum sublatum extinctumque in singulis fuerit, eosdem tamen pristinæ sententiæ ac decreti veluti nexibus obligatos teneri ; quod eis perseverantiam in ista ipsa, quam acceperint, gratia negare constituerit. Hanc Augustini fuisse sententiam,

[1] Lib. I, c. XVIII, § 2.

omnia superiora capita comprobant, quæ in illam explicandam insumpsimus*.

II. Ex quibus fuco omni et colore detracto, quo Calvini detestandam et abominandam hæresim tam ipse, quam ejus fautores obducere conantur, liquido illud eminet, et existit, quanto a se intervallo invicem utrique distent. Cujus in eo discriminis præcipua est sita ratio, quod Augustinus reprobationem, sive prædestinationem ad mortem et æternam damnationem, propter peccatum duntaxat, tanquam causam impellentem moventemque, fieri censeat; quo sublato, jam nulla reprobatio sit, ac damnatio. Itaque prior est, ut quidem intelligentia capere ista possumus, præsensio peccati, corruptique status in Adami posteris, quam de his plectendis damnandisque decretum, ac judicium. Quod et ipsa *judicii* vox admonet, qua sæpe Augustinus usus est, cum de reprobis agit; et ei ex adverso misericordiam opponit, qua sola prædestinatorum censetur. Non enim judicium, quod tristiorem ibi semper in partem sumitur, nisi de reis criminum, et convictis, aut confessis proferri solet. Quod si quem nullius reum culpæ suppliciis addicere ac punire judex statuat, non ille judicis, sed carnificis ac latronis partes suscipiat. Ac tametsi de Deo, cujus est in res a se conditas suprema et infinita potestas, inter theologos quæritur, an absoluto jure innocentem quempiam possit æternæ damnationi subjicere, de quo variant sane antiquorum Patrum sententiæ; illud tamen inter omnes convenit, extraordinaria et absoluta, si id fiat, potestate fieri, non communi et usitata lege, quam in gubernandis hominibus sibi ipse præfixit, et cujus nobis in verbo suo significationem aliquam dedit. Itaque seclusa hac ignota nobis, et arcana Dei potestate, et efficientia, de qua supervacaneum est contendere, in eo, qui nunc est, rerum statu, ac divinæ providentiæ ordine constat, neminem sine aliqua culpa, maloque merito jure posse damnari.

Juxta Augustinum unica causa reprobationis est peccatum.

III. Hoc vero ex Augustini sententia dici potissimum oportet, qui sæpius injustum alioqui fore censet, si quem Deus sola ex voluntate sua, sine malo ejus merito damnaret. Ita enim in primo *Operis imperfecti contra Julianum*[1], de reprobatione disserens, « Vasa quippe, inquit, iræ dicit, quæ sunt perfecta in perditionem; quod injustum esset, nisi omnibus ex uno in condemnationem venientibus, jam damnata massa esset. » Injustum ecce dicit fore, si ad interitum prædestinarentur homines, nisi peccatum originis, et eo infecta massa divino illi judicio causam præbuisset. Atque hoc argumento frequenter Augustinus utitur, ut adversus Pelagianos probet originale peccatum; quoniam, nisi primi parentis peccatum permanaret ad posteros, in eos nisi injuste propagari pœna non posset. Sic in ejusdem operis *contra Julianum* libro secundo[2], hunc Apostoli locum enarrans, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit* [3], ostendit, non solam sine culpa transiisse mortem ac pœnam; « quia non erat justum, sine crimine transire supplicium. » Et alibi, « neque enim sub Deo justo miser esse quispiam, nisi mereatur, potest[4]. » Item illud, « Deus autem justus, si tanta parvulis mala, quanta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret injustus[5]. » Tum luculenter epistola CVI: « Pie namque et veraciter creditur Deus nocentes atque impios justificando a pœnis debitis liberare; quemquam vero immeritum et nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur[6]. » Ac paulo post, « Quæ cum ita sint, audeant disputare, et quibus possunt persuadere con-

* De sententia sui auctoris, acriter ipsi Calvinistæ inter se olim certarunt in Gallia : nunc in duas partes abeunt. Alii enim sunt *supralapsarii*, ut loquuntur, hoc est in sententia quam superiori capite exposuit Petavius, qui putant nempe, prædestinationis objectum esse, non homines lapsos, sed tantum possibiles; ut Francisc. Gomarus. Alii vero sunt *infralapsarii* et *particularistæ*, contenduntque cum Augustino hominem lapsum esse objectum prædestinationis, ut alii plerique. Quin et inter hosce nonnulli, qui *universalistæ* dicti, Christum pro omnibus mortuum esse docent, Deumque velle omnes servari. Quorum dux fuit Joan. Camero Scotus, cujus doctrinam Moses Amyraldus, professor Salmuriensis, aliique defenderunt. Hanc Camerinam nunc movere non vacat, nec libet : sed qui dixerunt Augustinum cum discipulis Calvini sentire, intellexerunt præsertim *infralapsarios*. Alii tamen theologi contendunt eos, qui mollius loquuntur, cum *universalistas*, tum *particularistas*, non aliter sentire, si res ipsa spectetur, ac *supralapsarios*; quia omnes docent peccatum originale imputari posteris ejus, et ita Deo volente, absque eorum culpa necessario propagari, quo posito, Deus plectit peccatum necessarium. Sed hæc, ut dixi, aliis expendenda relinquo. *TH. AL.*

1 Cap. CXXXIX. — 2 Cap. LXIII. — 3 *Rom.* V. — 4 Lib. I ejus oper. c. XXXIV. — 5 Lib. II *cont. Jul.* c. X, tomo VII. — 6 Epist. CVI.

tendant, Deum justum, apud quem non est iniquitas, parvulos a peccatis propriis innocentes, si nec illo ex Adam obligati et obstricti sunt, morte perpetua damnaturum. Quod si absurdissimum est, et a justitia Dei penitus alienum [1], » etc.

Idem in quarto *contra Julianum*, capite octavo, « Certum et immobile teneamus, inquit, non esse iniquitatem apud Deum, qua quemquam sine malis meritis damnet. » Sic in lib. *de Unitate Trinitatis contra Manichæos*, capite VII : « Non enim injustitia est apud Deum, ut damnet eos, qui omnino nihil peccaverunt. »

Juxta Calvinum unica causa damnationis est voluntas Dei.

IV. At Calvinus reprobationis primariam supremamque causam esse voluit, non peccatum sive ab origine contractum, sive propria voluntate commissum, sed solam et absolutam Dei voluntatem; qui citra prævisionem bonorum malorumve meritorum, adeoque culpæ ullius aut Adami, aut ejus posterorum, ex hominum numero certos elegit ac prædestinavit ad gloriam, ut in iis bonitatem suam ostenderet; alios, et quidem longe plures prædestinavit ad pœnam æternamque damnationem; et ut in hanc præcipites illos impelleret, etiam prædestinavit ad culpam, ut in illis justitiam ac severitatem experiretur suam, imo, ut jam dixi, crudelitatem in laniena, et carnificina nihil de se male meritorum. Consulantur loca illa omnia, quæ antecedenti capite ex illius libris attigi, ac diligenter excutiantur; verum id esse, quod nos dicimus, statim quivis agnoscet, et quod idem ipse pudore victus interdum dissimulat, discipuli autem ejus partim et ipsi tergiversando supprimunt, partim ingenue profitentur. De discipulis paulo post ; nunc de sectæ auctore, ejusque pugnantis secum seseque misere collidentis æstu ac conflictione pauca disseram.

Postquam ergo prædestinatos Calvinus sola ex Dei voluntate ad gloriam electos docuit ex Augustino, de reprobis ita loquitur : « Nunc de reprobis, quos simul illic conjungit Apostolus. Ut enim Jacob, nihildum bonis operibus promeritus, assumitur in gratiam, sic Esau nullo adhuc scelere inquinatus odio habetur [2]. » Nullo scelere inquinatus, ait, odio habetur. Etiamne nondum alieno ac paterno? Non. Nam eamdem esse rationem putat reprobationis, quæ est electionis. « Ergo, si non possumus, ait, rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem. Quum enim dicitur Deus vel indurare, vel misericordia prosequi, quem voluerit, eo admonentur homines, nihil causæ quærere extra ejus voluntatem. » Ergo sola Dei voluntate damnatur ; nec ei voluntati causa subest ulla ex depravatione, quam reprobis paterna culpa conscivit.

V. Hinc capite sequenti ludius iste mimum eumdem peragens, « Quos ergo Deus, inquit, præterit, reprobat; neque alia de causa, nisi quod ab hæreditate, quam filiis suis prædestinat, illos vult excludere. » Nullane causa, vitium nullum est in reprobis, propter quod damnentur, et ab hæreditate paterna jure dicantur excludi ? Nullam omnino Calvinus afferri causam extra Deum et ejus voluntatem patitur. « Nam, si ullam causam habet, inquit, aliquid eam antecedat oportet, cui veluti alligetur : quod nefas est imaginari, etc. Ubi ergo quæritur, cur ita fecerit Dominus, respondendum est, quia voluit. Quod si ultra pergas rogando, cur voluerit, majus aliquid quæris et sublimius Dei voluntate, quod inveniri non potest. » Sequuntur ea quæ superiori capite posuimus, adeo peccatum Adami causam non fuisse damnationis reproborum, ut hujus ipsius peccati nulla alia, quam Dei voluntas causa fuerit. Hæc illa est mirifica et adamussim Augustino consentanea doctrina Calvini. En cur toties Augustinum esse suum clamitat, deque incredibili cum eo dogmatis consensu gloriatur. Sed quid hac prædicatione vanius et futilius ? aut quem tandem Augustini usum habuit ille, si serio ista jactavit [3] ? Nam, si prudens, sciensque tam est aperte mentitus, nihil isto potest ore fingi durius ac desperatius. Etenim cui tandem ignorare licet, qui Augustinum paululum attente legerit, quin reprobationis causam non aliunde repetat, quam ex originali vitio, corruptaque massa generis humani, in quam neminem imposuit quidem, sed impositos Adami culpa extrahere inde noluit, et ad salutem eximere? Cur hunc quidem, et illum non ab communi liberarit exitio, cum alios eriperet, solam Dei voluntatem esse causam Augustinus agnoscit ; labem autem illam, massæque corruptelam nunquam illius voluntate, nedum agente impellenteque ipso conflatam contractamque judicavit. Qui enim id potuit, cum iniquum fore censuerit Deum, si sine culpa quemquam plecteret; multo vero iniquiorem, si in culpam eumdem

1 Epist. CVI. — 2 Lib. III, cap. XXII, § 11. — 2 Calvin. lib. III *de Lib. arbit.* cont. Pigh.

præcipitem necessitate quadam, et pro potestate raperet, quo illius puniendi causam sereret? Esset enim istud ipsum pœnæ quoddam genus, et quidem acerbissimum, ac longe inferorum suppliciis omnibus atrocius, si peccatum impingeret alicui Deus; cum vel in hoc labi sponte ac voluntate sua quempiam sinere, nec prohibere, cum possit, pœna sit, Augustini judicio, omnium gravissima, nec, nisi ob antecedentia crimina, Deus hoc eodem auctore permittat.

VI. Hæc, quia maximi momenti sunt ad convincendam Calvini ac totius illius factionis sacrilegam cum inscitia temeritatem, danda nobis opera est, ut ne lectoris animos atque oculos raptim ista prætervolent; sed ut altius hæreant memoriæ illius infixa duo hæc Augustinianæ capita doctrinæ, ut ad eam exacta et comparata Calvini blasphemia, quam sit vecors ac deformis appareat. Horum est amborum prius id, quod paulo superius ostensum est, judicari ab Augustino injustum illud, si quemquam Deus ad æternam damnationem destinet, qui nulli sit obnoxius peccato. De quo nunc alia ejusdem dicta subtexam. Libro primo *contra Julianum :* « Jam tu responde, inquit, utrum Deus justus nulli obnoxiam peccato imaginem suam privare vita possit æterna. » Et alibi : « Bonus est Deus ; justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est[1]. » Loquitur autem de circumcisione, quam ad originalis remedium peccati parvulis indictam asserit, ne ex fideli populo perirent : quod exitium, nulla hærente in illis macula, injustum fore decernit. Tum in quarto libro, « Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus, cum et ipsum ejus regnum justitia sit. » Memorabilis et ejusdem argumenti locus est in libro III *de Peccatorum meritis et remissione*, capite III et IV, ubi Pelagii opinionem arguit asseverantis, parvulos ita originali carere vitio, ut etiam minime baptizati vitam assequantur æternam, non tamen admittantur in regnum cœlorum. Cujus inepti insulsique commenti meminit alias passim ; et illic ideo refellit, quod « nemo divino judicio possit inique damnari, » hoc est, « si peccatum non habeat, » excludi ab regni cœlestis aditu. Quo et superiora illa Augustini loca spectant. Ideo enim ista scripsit, ut iniquum injustumque esse probaret, damnari quemquam, et æterno privari beatorum regno, si nullum sit crimen, propter quod in illum sententia ista dicatur. Quamobrem Calvini Deus ille (non enim christianorum Deus est) prorsus injustus Augustino teste censetur, et ejusmodi, qualem fingi a Manichæis queritur in libro *de Unitate Trinitatis* adversus ipsos, ubi eam causam attulit, « Non enim injustitia est apud Deum, ut damnet eos, qui omnino nihil peccaverunt. » Nihil autem peccaverant ii, quos absoluto decreto Calvinianus Deus sola sua voluntate damnavit; non ut justitiam suam, sed ut summam potestatem, imo tyrannidem exerceret. Itaque nonnisi crudeliter injusteque damnantur.

VII. Jam vero quoties de causa reprobationis ac damnationis agitur, Augustinum primi parentis crimen in medium adducere, et infectam ea contagione totius generis massam, mirum est, si quem lateat, qui illius operum aliquid, præter librorum titulos legerit. Referti sunt enim omnes talibus sententiis, quarum haud paucas, nec parum disertas supra descripsimus[2], cum Augustini opinionem exposuimus. Velut est locus ille ex epistola CV, ubi dictum Apostoli de geminis fratribus Esau et Jacobo explicans, in quo dicit, *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*[3], etc. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*[4], scribit sic : « Quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum ? » At Calvinus, « Ut enim Jacob, inquit, nihil dum bonis operibus promeritus, assumitur in gratiam, sic Esau nullo adhuc scelere inquinatus, odio habetur[5]. » Loquitur de utriusque operibus non reipsa factis, sed ex æterno prævisis quemadmodum et Apostolus et Augustinus ipse; idque adeo Calvinus ibidem significat, dum inde opinionem approbat suam, divinæ prædestinationis, imo et reprobationis fundamentum in operibus non esse, ac « Deum, cujus vult, misereri, et quem vult, indurare. Vides, inquit, ut in solum Dei arbitrium utrumque refundat ? » Et, « eo admonentur homines, nihil causæ quærere extra ejus voluntatem. » Quis non mirificam illam agnoscat Calvini cum Augustino concordiam ? Imo vero quis non vel mire hebetem illum, vel præter modum impudentem sentiat, qui, cum toto cœlo ab

1 Lib. III *cont. Jul.* cap. XVIII. — 2 Lib. IX, cap. VI et seq. — 3 *Rom.* IX, 13. — 4 *Mal.* I, 2. — 5 Calv. lib. III *Instit.* cap. XXII, § 11.

hujus doctrina dissideat, fucum tamen facere speraverit mortalium oculis, vel auribus, ac tanti nominis patrocinio detestandi erroris blasphemiam vendibiliorem facere? « Universa igitur massa pœnas debet, ait Augustinus; et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur [1]. » Ergo, quibus redditur, hoc est quicumque damnantur, juste iis redditur. Ut autem juste reddatur, nonnisi opus malum, id est peccatum facere potest, sive proprium, sive aliena culpa contractum. Neutro enim posito, injustam fore damnationem, tot a nobis allata paulo ante Augustini testimonia prædicant.

CAPUT VIII.

Capita cætera, in quibus ab Augustini sensu Calvini sententia discrepat. Veluti quod Deum peccati auctorem faciat; quam esse Calvini sententiam, planeque ac diserte ab eo traditam, ostenditur. Ridicula ejusdem effugia. Deum ab illo non bene a peccato vindicari. Huic contrarium Augustini dogma proponitur et illustratur. Quo sensu voluntates in malum excitari inclinarive scripserit. Longe diverso id modo Calvini blasphemia ex illius opinione fieri.

I. Sed illud palmare est in toto Calvini dogmate, in quo plurimum ab Augustino dissidet. Tametsi quid ab Augustino differre illum potius dico, quam ab christiana ipsa professione, vel etiam communi sensu ac notione, quam de Deo quisque pene insitam habet a natura? Arx igitur est ista Calvinianæ impietatis, qua superiorum omnium obscuravit hæreticorum blasphemias, ut peccati architectum, auctorem, inventorem, suasorem, exactorem faceret Deum. Quod nefarium abominandumque decretum non solum ex superiore illius de reprobatione doctrina necessario consequitur, sed etiam, ut ne in colligenda ejus ex dictis ipsius sententia laboraremus, plane ac perspicue declaravit. Imprimis enim, si quis opinionis illius summam accurate perspexerit, quæ antecedentibus capitibus duobus exposita est, ex ea sequi, quod dico, videbit. Siquidem Deum ex æterno docuit absolute quosdam sempiternis damnare suppliciis, nulla eorum prævisa culpa; nec aliam ob causam, nisi ut suam in illis pro voluntate tractandis potentiam exerceret. Non enim justitiam dicere licet, quæ nulla potest esse, ubi nulla, quæ sit plectenda, culpa ponitur. Deinde, quod ab omni ratione abhorrere cerneret, infinitam hominum multitudinem indicta causa, imo nulla prorsus causa pœnis æternis subjici, furiosum quiddam Calvinus excogitavit. Deum enim dixit, ut absolutam in reprobos sententiam suam exequeretur, procurare deinceps, ut in laqueum, id est peccatum incidant, quo ad perpetuum exitium capti ac constricti teneantur. Sic prorsus tanquam venatores solent, quam sibi destinaverint prædam, ei retia tendere, et in ea præcipitem agere clamoribus, ac *puniceæ pavidam formidine pennæ*. Num alia colligi, nisi mentiendo, Calvini potest opinio iis ex locis, quæ ibi commemorata plenius in ejus libris explicantur? Quid est, auctorem et effectorem esse peccati, si hoc non est destinare primum ab omni æternitate homines ad peccandum; tum eosdem ad id excitare, compellere, adigere necessitate atque cogere? Quæ totidem pene verbis apud Calvinum leges ibi, unde illa descripsimus.

Deus unicus peccati auctor juxta Calvinum.

II. Atenim præclare hanc a se depellit invidiam multiplici responsione. Quarum hæc est una [2]: aliud esse, velle Deum aliquid; aliud imperare. Deum porro sic velle, ac decernere, uti fiat scelus, ut non præcipiat. « Sic, *dum stupravit Absalom patris uxores, voluit Deus hoc probro ulcisci Davidis adulterium; non ideo tamen præcepit scelerato filio incestum committere, nisi forte Davidis respectu, sicut loquitur* [3] *de conviciis Semei.* [4] » Sed est ista ludicra et jocularis excusatio. Etenim qui et directe absoluteque vult quippiam, et ut illud fiat, conatum, impulsionem, motionem, imperium adhibet per se ipsum, perque ministrum suum et satellitem; profecto non aliud est, quam auctor illius et causa, quod efficitur. Quid est causa per se ac proprie dicta? Respondet Aristoteles, illud esse, « a quo principium est mutationis, sive motionis primum; velut qui dat consilium, causa est, et pater filii, et universe quod efficit, effectæ rei [a]. » Cum igitur *volente*, *decernente*, *destinante*, *jubente*, *necessitatem afferente*, *cogente*

a Arist. II *Phys.* iii, tex. 29. Ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἡ πρώτη, ἢ τῆς ἠρεμήσεως· οἷον ὁ βουλεύσας

1 Lib. *de Nat. et grat.* cap. v. — 2 Lib. I *Inst.* cap. xviii. — 3 II *Reg.* xvi, 22. — 4 Ib. xvi, 10.

denique Deo peccatum fiat; « cum ab eo efficacia manare dicatur erroris; cum ad exequenda sua judicia consilia impiorum destinet, quo visum est et voluntates excitet, et conatus firmet, » estne, ut causam ejus, quod hinc efficitur, Deum esse dubitemus ex eorum sententia, qui ita scripserunt? Neque vero excusari sic potest, ut ex accidente, non autem propria per sese causa peccati dicatur ab illo Deus. Hoc enim effugium interclusit ipse sibi, dum catholicos theologos irridet, qui eatenus causam esse volebant Deum, quod permitteret peccatum; non autem vellet, aut efficientiam ullam adhiberet. Contra quos ille contendit, Deum efficientia sua ac destinato consilio ad peccandum excitare et impellere, et omnia illa facere, quæ ejus verbis exposui. Inter quæ nomen etiam *nutus atque imperii* legitur, ubi Satanam ait, « instrumentum cum sit iræ Dei, pro ejus nutu atque imperio huc atque illuc se inflectere ad exequenda ejus justa judicia[1]; » hoc est ad reprobos excæcandos et obdurandos, et incitandos ad scelera. Falso itaque Deum negat præcipere peccatum, cum quidquid ex deliberata voluntate exequendo facit, imperio ac jussione faciat. Quid quod in commentariis ad caput IX epistolæ *ad Romanos*, ejusque comma decimum octavum, Satanam ait, quidquid agit *nonnisi imperio Dei agere?* Sic enim scribit: « Indurandi verbum cum Deo in Scripturis tribuitur, non solam permissionem (ut volunt diluti quidam moderatores), sed divinæ quoque iræ actionem significat. Nam res omnes externæ, quæ ad excæcationem reproborum faciunt, illius iræ sunt instrumenta. Satan autem ipse, qui intus efficaciter agit, ita est ejus minister, ut nonnisi ejus imperio agat. » Prorsus igitur absoluta, directa et præcipua, imo unica peccati causa Deus a Calvino constituitur. Unicam dixi. Quid enim creaturæ possunt contra Dei omnipotentem voluntatem et inexorabilem necessitatem, quam hæc illorum imponit voluntati? Nam quod necessario fit, ut aliter non sit in potestate facere, in eo peccatum facientis est nullum. Solus ergo peccabit Deus, qui peccati non hortator est modo, sed etiam auctor et effector,

III. Sic alibi ridicule cavillatur: « Si quid adversus præceptum designamus, non obedientiam esse, sed contumaciam et transgressionem. At, nisi vellet non faceremus? Fateor. Sed an facimus mala in hunc finem, ut ei obsequium præstemus[2]? » Quæ est respondendi ratio altera, idcirco peccare nos, tametsi impellamur a Deo, quia non eumdem nobis peccandi finem proponimus, quem in impellendo respicit Deus. Verum nihil hoc neque peccantem hominem gravat, nec incitantem, et in scelus necessitate rapientem excusat Deum. Imo et hunc onerat, et illum sublevat. Uter enim improbe agit; qui aliter facere non potest, et a valentiore ad agendum necessitate compellitur, an qui sponte adigit ad peccandum pro imperio ac potestate, et *ad obsequium cogit?* Respondebit omnis, qui humani sensus aliquid habet, et illum prorsus exortem esse peccati, cui integrum non est aliter facere; et in eo solo residere culpam, qui ad malefactum urget, quoquo fine id faciat. Qui autem aliter sentiat, nescio, an sit homo dicendus; hominis certe judicio ac ratione non utitur. Deinde hic ipse judicii, vel voluntatis actus, quo in finem qualemcumque id, quod facit, dirigit, quæro, an Deo volente fiat, necne? Si Deo volente fit, ergo necessario fit; neque ad removendam a Deo culpam confert aliquid, quod alium ac Deus propositum finem habeat; cum illa ipsa propositio finis, et intentio nonnisi auctore sit suscepta Deo. Sin volente Deo non fit, ergo permittente: hoc autem absurdum et falsum Calvinus judicat. Quare, quocumque se vertat, constrictus ipse laqueis suis hærebit. Ita neque homo peccator, neque Satan, « qui pro Dei nutu, atque imperio, ut idem loquitur[3], huc atque illuc se inflectit ad exequenda ejus justa judicia, » peccati culpa tenentur; quia Dei voluntate, *quæ rerum est necessitas*, ad id applicantur. Contra hoc infame portentum sacrilegi erroris latius disputare hoc loco, non est propositi mei. Est enim argumenti alterius, cum de peccato ejusque causa disseritur. Quocirca differendum illud est et tractationi propriæ reservandum; præsertim cum de eo uberrime et accuratissime scripserit Martinus Becanus in opusculo primo theologico, in quo Calviniana illa flagitia sub omnium subjecit oculis, penitusque convicit. Nos id unum in præsentia suscepimus, ut quantum ab Au-

αἴτιος, καὶ ὁ πατὴρ τοῦ τέκνου, καὶ ὅλως τὸ ποιοῦν τοῦ ποιουμένου. Quod totidem verbis reperitur IV *Met.* cap. II.

1 Lib. II *Inst.* cap. IV, § 2. — 2 Lib. II *Inst.* cap. XVII, § 5. — 3 Lib. II, cap. IV, § 2.

gustini sententia discrepet hæresis Calviniana monstremus. Quod in eo, de quo agitur, capite breve est ac facile.

Errori Calvini contradicit Augustinus

IV. Peccatum volente Deo, non permittente solum, fieri Calvino videtur, et qui sola permissione contenti sunt, falli eos et nugari putat. At Augustinus multis in locis huic errori contradicit. Ut in libro XIII *de Trinitate*, capite XII : « Modus iste, inquit, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit; sed quod tantum permiserit, juste tamen. » Et in epistola LXXXIX : « Dictum est, inquit, *Ne nos inducas in tentationem;* quod intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas. » Tum in libro V *contra Julianum*, capite IV : « Nos certe, si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quam vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ utique si noluisset, nulla ratione permitteret; et tamen justus et bonus est, et quod præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire, novit Dominus, qui sunt ejus, etc. » Ac postea de eo loquens, quod dicit Apostolus, « *tradere Deum reprobos in passiones ignominiæ* [1], hæc ait facere illum miris et ineffabilibus modis. » Sed quod Calvinianæ blasphemiæ caput est, aperte respuit. « Qui non facit, inquit, voluntates malas, sed utitur eis, ut voluerit, cum aliquid inique velle non possit. » Et libro secundo *de Peccatorum meritis ac remissione*, capite XIX : « Extolli quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei. Neque enim ad hoc eos compellit, aut adjuvat Deus. » Confer illa cum Calvini dogmate, ac sententiis, quas ex ejus libris supra descripsimus, et quam merito de sua cum Augustino concordia gloriatus ille sit animadvertes. Sic in responsione ad articulos falso sibi impositos, cum decimum sibi proposuisset, qui Calvinianam hæresim continet, « Quod adulteria et corruptelæ virginum sacrarum ideo contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinavit, ut caderent; » huic ita respondet, ut auctorem illius blasphemiæ Calvinum pro eo, ac meretur excipiat. « Detestanda, inquit, et abominanda opinio est, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem; cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. » Ac subinde, tanquam verba ipsa Calvini præ oculis haberet, « Non ergo casus ruentium, inquit, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit. » Atque idem alio loco, Deum non « auctorem esse vitiorum nostrorum, sed tamen ordinatorem, ait, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit, quæ merentur [2]. » Et subinde, « Quædam ergo et facit Deus, et ordinat; peccatores autem, in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum. »

V. Quæ Dei ordinatio dupliciter ex eodem Augustino sumitur. Primum eo, quem proxime vidimus, modo; quod pœnis peccatores subjiciat. Deinde quod, non quæ velint facere, aut quocumque libitum est, scelera sua et voluntates malas convertere sinit. Quod in primo *de Prædestinatione sanctorum*, capite XVI, his verbis aperit: « Est ergo in malorum potestate peccare; ut autem peccando hoc, vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras, et ordinantis eas, ut hinc etiam, quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. » Cujus exemplum subjicit ex *Actis Apostolorum*, in quo « Herodes et Pilatus et populus Israel facere dicuntur, quanta manus Dei et consilium prædestinavit fieri [3]. » Quamvis ergo prædestinasse dicitur Deus, ut ab Judæis Christus interficeretur; nihilominus in eorum arbitrio, et potestate fuit, ut facerent. Quod non esset, si necessitate, non libere id egissent; et si Deus ad agendum illos voluntate sua, *quæ rerum est necessitas*, impulisset, ut impie Calvinus existimat. Rursus alibi nefas esse dicit [4], malam voluntatem ad auctorem Deum referri.

Ad hæc Augustinus idem et breviter, et acute peccati originem, et quid quisque in illud conferat, exponit his verbis, quibus ea declarat Scripturæ loca, quæ pessime intellecta Calvinum in execrandam blasphemiam cæcum ac præcipitem egerunt; in quibus scilicet Deus bonorum et malorum effector esse dicitur [5]; sic igitur Augustinus: « Hic perturbati homines non intelligunt, in uno eodemque opere malo, non postea consequente alia, quæ manifesta erit, sed quadam comitante vindicta, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis, cum diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit. » Quamobrem efficientia

1 *Rom.* I, 26. — 2 Lib. *de Gen. ad lit.* unico, cap. V. Vide et lib. II *de Peccat. merit.* cap. XVIII. — 3 *Act.* IV. — 4 Lib. II *de Pec. mer. et rem.* cap. XVIII. — 5 Lib. XX *con. Faust.* cap. IX.

tota Dei in opere malo, ejusdem permissione ac derelictione continetur; quæ posterior a priore non discrepat. Deserit enim Deus permittendo, ut in peccatum aliquis incidat, *subtrahendo gratiam,* quod ipsum obdurare et excæcare dicitur; *non impertiendo malitiam*, ut alibi idem loquitur.

Rursus in libro XX *de Civitate Dei*, capite XIX: « Nec dubitavit Apostolus addere et dicere: *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio* [1]. Deus enim mittet, quia Deus diabolum facere ista permittet, justo ipse judicio; quamvis faciat ille iniquo malignoque consilio. »

VI. Sed est alius præterea singularis et occultus modus, quo divina justitia priora peccata posterioribus ulciscitur, et ad ea homines excitare et impellere dicitur figurata quadam Scripturæ locutione; non, ut impie Calviniani censent, propria. De quo modo pluribus, cum de peccato agetur, disputandum erit. Nunc paucis contenti erimus, ac S. Thomam Aquinatem illius et auctorem et enarratorem dabimus. Hic enim acute et erudite nodum hunc solvisse mihi videtur in commentariis in epistolam *ad Romanos*, cum illa Pauli verba declarat: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam* [2]. Ad quæ ita scribit: « Quod quidem non est intelligendum hoc modo, quod Deus in homine causet malitiam; sed est intelligendum permissive, quia scilicet ex juxto suo judicio permittit, aliquos ruere in peccatum propter præcedentes iniquitates: sicut supra primo dictum est, *Tradidit eos Deus in reprobum sensum.* » Subjicit illam deinde, quam dixi, reconditam et admirabilem rationem his verbis: « Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc esse intelligendum; quia videlicet instinctu quodam interiori moventur homines a Deo ad bonum et ad malum. Unde Augustinus dicit libro *de Gratia et libero arbitrio*, capite XX: Quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum. Unde et Deus dicitur sæpius suscitare aliquos ad bonum, etc. Dicitur etiam suscitare aliquos ad malum faciendum, etc. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directe, et per se, tanquam actor bonorum; ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter, in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod, quantum est de se, est inductivum ad bonum; sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum, etc. Et similiter Deus, quantum est de se, interius instigat hominem ad bonum; puta regem ad defendendum jura regni sui, vel ad puniendum rebelles. Sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui. Et hoc modo circa Pharaonem accidit; qui, cum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem. » Sic igitur intelligendæ sunt complures Scripturæ sententiæ; nec non Augustini, in quibus Deus inclinare hominum voluntates ad malum dicitur, et movere, ut mali aliquid faciant, vel excæcare. Nam cogitationem illis immittit bonam, ex qua improbus occasionem capit judicandi, melius esse huic nocere, quam illi, hoc peccatum admittere, quam illud.

VII. Atque hoc ipsum pulchre apud Sophoclem exprimitur in *Ajace Lorario;* ubi Pallas Ulyssi modum explicat, quo furentem Ajacem, et in cædem ruentem Græcorum principum, ad jugulanda pecora converterit.

Οδ. Καὶ πῶς ἐπέσχε χεῖρα μαιμῶσαν φόνου;
Αθ. Ἐγώ σφ' ἀπείργω; δυσφόρους ἐπ' ὄμμασι
Γνώμας βαλοῦσα, τῆς ἀνηκέστου χαρᾶς.
Καὶ πρός τε ποίμνας ἐκτρέπω, σύμμικτά τε
Λείας ἄδαστα βουκόλων φρουρήματα.

Ul. « Quinam retinuisti manum in cædem
cum impetu ruentem [3]?
P. Ego hunc prohibui, molestas præ oculis
Opiniones objiciens, ab exitiali gaudio.
Atque ad greges averto, et promiscua
Prædæ, nec adhuc divisa, quæ bubulci servabant, armenta. »

Vide Augustinum libro *de Gratia et libero arbitrio*, capite XX et XXI, ubi ex multis Scripturæ testimoniis argumentando colligit, « operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quæcumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo. » Et libro V *contra Julianum*, capite tertio et quarto. Tum libro *de Prædestinatione sanctorum*, capite XX: « Agit quippe

1 II *Thess.* II. — 2 *Rom.* IX, 17. — 3 Soph. in *Ajace Mastig.*

Deus, quod vult, in cordibus hominum, vel adjuvando, vel judicando, ut etiam per eos impleatur; quod manus ejus, et consilium prædestinavit fieri[1]. » Et alia passim ejusmodi, quæ ex superioribus regulis æstimanda ac dijudicanda sunt. Ut illud certissime constet, quod in secundo libro *de Vocatione gentium* a Prospero dictum est, « Nullum fidelium a Deo non discedentem relinqui; neque cujusquam ruinam ex divina constitutione dispositam. » Et in responsione ad objectionem tertiam Vincentianam idem Prosper, objicientibus adversariis Augustini, hoc esse dogma, « Quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creat, ut illam perdat in æternum, » cujusmodi mera est hæresis Calvini; ita ergo dicentibus occurrit Prosper, « Omnium quidem hominum Deus creator est. Sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret; quia alia est causa nascendi, alia pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium; ut autem pereant, prævaricatoris est meritum. » Vide Prosperum eumdem in libro *Responsionum ad capita Gallorum*, maxime ad capitulum I, VI, VII, XII, quibus totidem locis Calviniana blasphemia confoditur.

CAPUT IX.

Calvini nefaria dogmata duo: alterum, fidem et justitiam reprobis nunquam a Deo tribui; alterum, in electis nunquam ne ad breve quidem tempus extingui. Quibus contrarium esse Augustinum probatur. Gregorius Papa temere notatus a Calvino defenditur. Horrendæ blasphemiæ ex doctrina Calvini colliguntur.

I. Sunt et alia Calvinianæ doctrinæ portenta duo, quæ ad prædestinationis ac reprobationis arcanum spectant; de quibus hoc in capite pergam dicere, ut ejus sectatores intelligant, in quam sese voraginem sacramento impii ac detestandi erroris immerserint. Primum est dogma, fidem, qua sola justificari homines existimat, nonnisi prædestinatis electisque conferri; reprobis vero nunquam tribui. Alterum est, ubi semel concessa est illa fides et justificatio, nunquam ex eorum perire cordibus et extingui, sed constanter ac perpetuo manere. Hæc duo uberrime disputat in libro tertio *Institutionum*[2]: » Ergo, ut solos, inquit, electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regeneret, ut nunquam dispereat semen vitæ eorum cordibus insitum; ita solide in illis obsignat adoptionis suæ gratiam, ut stabilis ac rata sit. » Et paulo post: « Viva autem fidei radice solos electos dignatur, ut in finem usque perseverent. » Sed et antea reprobos docuit *fidei umbra* duntaxat aspergi, « seu imagine, quæ indigna est fidei appellatione. » Item « talibus fidei simulacris gloriantes diabolis nihilo hac in parte præcellere.» Et « fallacem hanc esse fidei simulationem. » Rursus de vera fide postea sic scribit, « Hoc interim tenendum est, quantumvis exigua sit ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse ejus sculpturam; reprobos vero tali luce aspergi, quæ postea dispereat. » Et postea: « Ergo, quod jam superius dictum est, rursum asserimus, fidei radicem nunquam e pio pectore avelli, quin ima in parte defixa hæreat, utcumque decussa huc aut illuc inclinare videatur, ejus lumen ita nunquam extingui, aut præfocari, quin saltem velut sub favilla delitescat. »

Juxta Calvinum fides solis prædestinatis tribuitur, salvandi gratia; reprobis vero nunquam confertur.

Consectaria hujus doctrinæ.

II. Ex duobus illis decretis quæ, et quam horrenda monstra sequantur, facile est argumentando colligere. Veluti, neminem ex justo et sancto fieri posse impium, aut acceptam justitiam amittere. Nam, si fides sola justitia est, et quicumque hanc habent, nunquam amittere possunt, profecto quisquis semel justificatus est, eum necesse est ad mortem usque in justitia perseverare, et, quantacumque committat scelera, nihilominus esse justum. Hoc vero quam perspicue falsum sit, ac Scripturis sanctis adversetur, demonstratum ab illis est, qui contra hæreticos copiose accurateque scripserunt. Itaque totus hic locus a me præteribitur. Quod vero hic unum agimus, quantum ab Augustino Calvinus in eo dissentiat, paucis explicandum est, ut evidens sit, nihil homine isto fingi vel imperitius posse, vel impudentius, qui in toto illo dogmate suum Augustinum esse, gloriari non desinit. Imprimis ergo reprobis fidem, et justitiam conferri, et quod consequens est, amitti, docet Augustinus, cum diabolum et angelos ejus in fide aliquandiu fuisse, sed in ea non stetisse tradit. Sic enim in libro *de Correptione et gratia*, cap. VI: « Quid est, inquit, ut stetis, nisi ut perseveretis? Unde dictum est de dia-

Ex adversario citantur multæ Augustini sententiæ.

1 *Act.* II. — 2 Cap. III.

bolo, *In veritate non stetit?* quia fuit ibi, sed non permansit. «Et in tractatu *in Psal.* CXXXIII: « Et diabolus factus est bonus, et esset, si inhæreret ei obediendo, a quo factus est. » Idem et in libris *de Civitate Dei* aperte declarat [1]. Item in decimo capite libri *de Correptione et gratia:* « Diabolus vero, et angeli ejus, etsi beati erant, antequam caderent, et se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent. »

Tum in eodem libro *de Correptione et gratia*, cap. VI :« Si autem jam regeneratus, et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, Non accepi; quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. » Et cap. VIII fauces Calvino præstringit his verbis : « Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam, cum filiis alienis scelera tanta dimittat, » etc. Ac paulo post : « De his enim disserimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. » Hos vero, si ex hac vita prærepti fuissent, salvos futuros subinde dicit; ac nonnullos ideo subtrahi, *ne malitia mutet intellectum eorum* [2]. Datur ergo fides et justitia reprobis, eaque etiam a prædestinatis, saltem ad tempus aliquod, amitti potest.

III. In libro quoque *de Dono perseverantiæ*, ubi id ex professo pertractat, crebris ac disertis sententiis illud ipsum testatur. Ut in capite nono, « Ex duobus, inquit, piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. » Et mox: « Nonne postremo utrique vocati fuerant, et vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati? » Rursus in libro *de Prædestinatione sanctorum*, cap. XIV, de reprobo loquens, qui justus aliquandiu fuit, neque raptus est, cum talis esset, « Porro, inquit, si quæratur a nobis, utrum, si tunc esset mortuus, quando erat justus, pœnas esset inventurus, an requiem, numquid requiem respondere dubitamus? » Quibus omnibus ex locis Calvini error arguitur. Nam et reprobis fidem ac justitiam inesse, et amitti proinde posse, Augustinus asseverat; quod ex cæteris Patribus suo loco, cum de gratia et justificatione scilicet agemus, probandum erit. Nunc id unum sciri voluimus, vanam hæresiarchæ illius esse jactantiam, qui suum Augustinum, doctrinæque concordem esse suæ tam falso, quam gloriose prædicat.

Augustino in hoc dogmate illius discipuli suffragantur; imprimisque Prosper, qui in libro *Responsionum ad capitula Gallorum*, cap. III, sic scribit : « A sanctitate ad immunditiam, a justitia ad iniquitatem, a fide ad impietatem plerosque transire non dubium est; et ad tales prædestinationem filiorum Dei, cohæredum Christi non pertinere, certissimum est. » Et in cap. II : « Omnis homo, qui credens in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, regeneratur in baptismo, tam a propriis peccatis, quæ mala voluntate et actione commisit, quam ab originali, quod a parentibus traxit, absolvitur. Sed relapsum post baptismum ad infidelitatem, et impios mores, qui negat, originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quam eumdem asserit non æterna morte esse damnandum. » Vide cap. XXVIII, libri II *de Vocatione gentium*. Necnon ejus discipulorum.

Fulgentius in libro secundo *de Remissione peccatorum*, capite VIII, eos, qui bene justeque vivunt, interdum perseverantia carere dicit. Et capite IX, fideles exemplo terret Apostoli metuentis *ne, cum aliis prædicaverit, reprobus ipse fiat* [3]. Et epistola secunda *de Viduitate*, « Quisquis enim, ait, ante finem vitæ præsentis a fide recta, sive bona operatione discesserit, etiamsi in his antea strenue, vigilanterque cucurrerit, pro eo, quod ab itinere recto desistit, perdit meritum totius itineris, quod cucurrit. »

IV. Nimium et illud ab Augustini doctrina Calvini dogma discrepat, eos qui vere justificati sunt, electionis prædestinationisque suæ certos esse, « quia scilicet eorum cordibus futuræ adoptionis certitudinem suo testimonio stabilit, et obsignat [4]. » Imo fidem ille definit, « Divinæ erga nos benevolentiæ firmam certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum sanctum et revelatur mentibus nostris, et cordibus obsignatur [5]. » Et postea : « In summa vere fidelis non est, nisi qui solida persuasione, Deum sibi propitium benevolumque patrem esse persuasus, de ejus benignitate omnia sibi pollicetur, nisi qui divinæ erga se

1 In lib. XI, cap. IX, et lib. XII, c. IX.— 2 *Sap.* IV, 11. — 3 I *Cor.* IX, 27. — 4 Calv. III *Inst.* cap. XXIV, § 1. Vide et § 6 et 7.— 5 Calv. lib. III, cap. II, § 7.

benevolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit[1]. » Ac scholasticos postea deridet, qui docent, « de gratia Dei erga nos non aliter statuere posse, quam ex conjectura morali. » Denique reprehendit id, quod ab iisdem theologis dicitur, « manere in suspenso finalis perseverantiæ notitiam. Egregia vero, inquit, salutis fiducia nobis relinquitur, si ad præsens momentum nos esse in gratia conjectura morali æstimamus; quid in crastinum sit futurum, nescimus. »

Ab hac vecordi stolideque temeraria persuasione quantum distet Augustinus, tum illa paulo ante ejus allata testimonia demonstrant, in quibus justos ac sanctos plerosque minime perseverare docet, tum alia permulta. Inter quæ memorabile istud est in undecimo *de Civitate Dei*, capite XII. « Quis enim hominum se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit? » Cui consentaneus est Tridentinæ synodi canon XVI sessionis sextæ. Idem docet epistola CVII. « Jam vero, ut perseverent, ait, in eo, quod esse cœperunt, etiam pro seipsis orant fideles. Utile est quippe omnibus, vel pene omnibus propter humilitatem saluberrimam, ut, quales futuri sint, scire non possint. Ad hoc dicitur : *Qui videtur stare, videat, ne cadat.* Propter hujus timoris utilitatem, ne regenerati, et pie vivere incipientes, tanquam securi alta sapiamus, quidam non perseveraturi perseveraturis Dei permissione, vel provisione ac dispositione miscentur, quibus cadentibus territi cum timore et tremore gradiamur viam justam, donec ex hac vita, quæ tentatio est super terram, transeamus ad aliam. »

V. Sed quid hic minutatim Augustini sententias ac brevia quædam dicta persequor? Exstat enim illius integer *de Dono perseverantiæ* liber; in quo Calvinianum istud dogma gravissimæ pondere auctoritatis elidit. In eo docet, perseverantiam peculiare esse donum Dei a justificatione distinctum, et a Deo singulari oratione petendum; idque Cypriani testimonio confirmat. Et in capite XIII idipsum probat, ac demum capite XXII. « De vita æterna inquit, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram. »

Subscribit Augustino Bernardus, cujus in sermone primo *de Septuagesima* verba sunt ista : « Quis potest dicere, Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere potest? reclamante nimirum Scriptura, *Nescit homo, si sit dignus amore, an odio*[2]. Certitudinem utique non habemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur, etc. Hoc enim est, unde semper solliciti, et in timore et tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei; quoniam quales sumus nosse possumus vel ex parte; quales autem futuri sumus id nosse penitus nobis impossibile est. Itaque qui stat, videat, ne cadat, » etc. Idem et in sermone secundo *de Ascensione* significat.

Valentinæ quoque synodi canon quintus eamdem Calvini labefactat hæresim, dum omnes baptismo regeneratos, ac « veraciter Ecclesiæ incorporatos a peccatis suis ablui » dicit, non omnes tamen illos salutem assequi.

Sic Prosper in libro primo *de Vita contemplativa*, capite IX: « Hic autem, ait, quantumlibet quis excellentia sanctitatis emineat; quantalibet quis eminentia perfectionis excellat, potest quidem fieri pro modulo hujus vitæ perfectus, sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de suo casu sollicitus. » Quod etiam alibi ex Augustini loco illo probat, qui est in libro *de Dono perseverantiæ*, capite XXII, quem proxime ante descripsimus[3]; in quo neminem hac in vita de salute ac perseverantia sua securum esse perspicue docet.

VI. Cum hoc sit Augustini ac Patrum omnium concors sine ulla dubitatione judicium, quid meruit Gregorius Papa, ut tam inclementer ac barbare a Calvino laceraretur ob idipsum, quod eadem, atque omnes illi de incerto perseverantis voluntatis exitu dixisset? « Pessime, inquit ille, et perniciose Gregorius, dum vocationis tantum nostræ conscios esse nos tradit, electionis incertos; unde ad formidinem et trepidationem omnes hortatur; hanc etiam rationem usurpans, quia, etiamsi quales hodie simus, sciamus, quales tamen simus futuri nescimus[4]. » Locus est Gregorii in homilia XXXVIII, in qua verba illa declarat, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*[5]; ac scribit sic : « Quia vocati sumus, novimus;

1 Calv., l. III, c. II, § 16.— 2 *Eccle.* IX, 1.—3 Prosp. *ad Excer. Genuen.* Dub. ult.— 4 Calv. III *Inst.* c. XXIV, § 9.— 5 *Matth.* XXII, 4.

si sumus electi, nescimus. Tanto ergo necesse est, ut unusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto, si sit electus, ignorat. »

Quid habent illa verba, quod non Augustinus multo et asseverantius et liquidius expressit? Nempe incerta de nobis esse Dei judicia ambo illi docuerunt; ambo inde fideles ad salubrem metum et animi demissionem excitarunt. Securitatem vero petulantem illam, et Calvinianam pari ambo consensione damnarunt. Augustinus vero, ut jam dixi, longe altero et copiosius et vehementius, ut superius allata ex eo loca demonstrant. Quid illud? *Pessimene ac perniciose* Paulus, qui sic Philippenses hortatus est, *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*[1], aut cum ipse *reprobus ne esset,* formidare se dixit?

Sed hæretici hominis inscitiam vide. « Verum, inquit, eo loco satis declarat (Gregorius) quomodo in hunc scopum impegerit. Quoniam enim ab operum meritis electionem suspendebat, dejiciendis animis plus satis illi suppetebat causæ; confirmare non poterat, qui a seipsis ad divinæ bonitatis fiduciam non transferebat. » Atqui Augustinus ipse divinam electionem non a meritis, aut humana voluntate suspendit; quod et probavimus supra, et Calvinus agnoscit. Et idem tamen Augustinus ex absoluto illo decreto, et in electos propensione non illud esse putavit consequens, quod Calvinus ostentat : suæ quemque fidelem prædestinationis esse certissimum, ut metu affici, aut dubitare non liceat.

VII. Audiatur iterum idem Augustinus, et Calvinum auctoritate sua condemnet. Ille in tractatu in *Psalmum* LI : « Quare timemus? inquit. Quia dixit Apostolus : *In timore et tremore vestram ipsorum operamini salutem.* Quia dictum est in Psalmo : *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Quare cum timore? Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat, etc. Ergo justi, qui sunt modo, qui vivunt ex fide, sic vident istum Doech quid illi eventurum sit, ut tamen timeant et sibi. Quid enim sunt hodie, sciunt; quid cras futuri sint, nesciunt. » Vides ancipitem futuri metu, et incerta spe suspensum hominem justum, nec qualis cras sit futurus, nedum vitæ in exitu scientem. Addit deinde, quod immutabilis et nunquam extinguendæ Calvini justitiæ fabulam jugulat : « Qui injustus est, conversus poterit justus esse, quomodo et justus aversus poterit injustus esse. Itaque nec de te præsumas, nec de illo desperes. »

Falso igitur ac temere Calvinus hoc ipsum, quod et hæretici omnes hac ætate profitentur, fidem illam, quam *salvificam* vulgo nominant, qua scilicet justi fiunt homines, firmam vult esse persuasionem tum communicatæ imputatæque sibi justitiæ, ac meritorum Christi Domini, tum vero perseverantiæ ac salutis æternæ. « In summa vere fidelis non est, ait Calvinus, nisi qui solida persuasione Deum sibi propitium benevolumque Patrem esse persuasus, de ejus benignitate omnia sibi pollicetur; nisi qui divinæ erga se benevolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit, ut Apostolus his verbis demonstrat[2]. *Si fiduciam et gloriationem spei ad finem usque firmam tenuerimus*[3]. Sic enim non bene sperare in Domino existimat, nisi qui confidenter se regni cœlestis hæredem glorietur. Fidelis, inquam, non est, nisi qui suæ salutis securitati innixus, diabolo et morti confidenter insultet. » Quod ipsum Apostoli sententia illa demonstrat : *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque angeli*[4], etc. *poterunt nos separare a charitate Dei,* » etc. Quod autem cum illa fidei ac fiduciæ certitudine nonnunquam trepidatione aliqua et dubitatione tangantur viri etiam sanctissimi, « Hæc, inquit, variatio ex fidei imperfectione contingit; quando nunquam tam bene in præsentis vitæ cursu nobiscum agitur, ut omni diffidentiæ morbo curati, fide toti repleamur et occupemur[5]. »

VIII. Ex hac fidei justificantis Calviniana definitione, tetrum quoddam et inusitatum blasphemiæ portentum oritur, quod vel dæmonibus ipsis horrori sit. Hinc enim sequitur, Christum ipsum Dominum veram justitiam ac fiduciam aut nunquam habuisse, aut eam tandem amisisse. Etenim Christum ille censet in passione sua, « diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse[6]. » Atque hos esse dolores mortis ait, *quibus solutis* Petrus, dicit *resurrexisse Christum*[7]. Non « simpliciter, inquit, nominat mortem, sed Filium Dei implicitum fuisse doloribus exprimit, quos parit maledictio et ira Dei. » Et, ut uno verbo pestilentis dogmatis arcana detegam, Christum putat Calvinus inferorum pœnas sustinuisse, hoc est damnationem ipsam ac pœnam, quam dæmones ipsi ac reprobi apud inferos sustinent. Hoc enim in illo ca-

Systematis Calviniani horrenda consectaria : Christum pœnas damnatorum aliquando sustinuisse, æternamque damnationem subiisse.

1 *Phil.* II, 12. — 2 Lib. III *Inst.* c. II, § 16. — 3 *Heb.* III, 14. — 4 *Rom.* VIII, 31. — 5 Calv., *Inst* LV, 48. — 6 Lib. II *Inst.*, c. XVI, § 10. — 7 *Act.* XXIV.

pite [1] latissime declarat, Christum « in locum sceleratorum sponsorem, vadem atque instar rei submissum, qui persolveret ac dependeret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas; uno hoc duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri. » Item : « Ergo, si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirum est, cum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur. » Idipsum et in *Catechismo* docet, dominica x, ubi inferorum pœnas, ac damnationis supplicium nihil esse aliud existimat, quam « coram Dei tribunali se sistere torquerique hac anxietate ejus conscientiam, ac si derelictus a Deo esset, imo ac si Deum haberet infestum. » Denique, « Hinc colligimus, inquit, quid differat conscientiæ tormentum, quod sustinuit, ab eo, quo cruciantur peccatores, quos Dei irati manus persequitur. Nam quod in illo temporarium fuit, in his est perpetuum. » Cæterum tantum in Christo valuisse damnationem illam, quamvis non perpetuam in illo tertii *Institutionum* capite xvi, docet, ut « de animæ salute timeret; » idque pro ingenti blasphemia sibi objicientibus adversariis, opponit Scripturam, quæ metu et pavore attonitum ait fuisse Christum : quem metu solius doloris ac mortis fuisse non sit credibile, sed omnino « maledictionem et iram Dei timuisse. » Etenim « Christus, inquit, cum lacrymis et clamore valido orans a metu suo exauditur, non ut a morte sit immunis; sed ne absorbeatur ut peccator. »

Quocirca, cum fides, sine qua nemo justificatur, sit certa et indubitata fiducia salutis, et ubi dubitationis inest motus aliquis, ibi fides imperfecta sit, ut Calvinum asseverare paulo ante demonstravimus, Christus utique, qui, ex ejusdem opinione, de salute sua vel tantillum dubitavit, ut metueret, ne absorberetur ut peccator, » id est, quam temporariam patiebatur damnatorum pœnam, eam sempiternam lueret, fide ac justitia caruit, ac peccator reipsa et exosus Patri fuit; certe perfectam non habuit fidem, quæ metu illo ac dubitatione pulsaretur. Atque hæc est præclara ista fides, et pura puta evangelica doctrina, quam in Ecclesiis suis protestantes Calviniani ex magistri sui dictatis tum ipsi prædicant, tum filios suos discere profiterique jubent : quam hic obiter attigimus, quatenus ad institutam de prædestinatione ac reprobatione disputationem spectat, ut de ea plenius aliquando disseramus. Porro fides hoc in loco ac disputatione, pro *fiducia* intelligitur, ut eam Calvinus ejusque sectatores usurpant; ne quis fidem hic interpretetur, cujusmodi a catholicis sumitur, qui eam in intellectu collocant. Nam Calvini schola in voluntate constituit, et, ut dixi, pro fiducia, et πληροφορίᾳ voluntatis accipit. Priore sensu neque fides, neque spes in Christo extitit, ut demonstrat S. Thomas in tertia parte *Summæ* [2]. Posteriore, in Christo fuit circa illa, quæ nondum erat adeptus, ut ibidem S. Thomas docuit. Hanc igitur, ex mente Calvini, Christus amisit fidem, id est *fiduciam* et *spem*, qui de æterna sua salute dubitavit, uti profanus iste nebulo impie garrit.

CAPUT X.

Calvini tergiversatio, et κρύψις *in proferendo suo dogmate de reprobatione. Deum ab illo fingi tyrannico more in insontes sævire; Joannes Piscator et Beza aperte Calvinianam blasphemiam propugnant.*

I. Qui Calvini et ejus sectæ hominum de reprobatione sententiam bene perspectam ac notatam ex antecedentibus capitibus habuerit, facile illorum ludificationes, cavillationesque deteget, quibus evadere ac pestiferi dogmatis virus occultare solent. Nam plerumque ita latere conantur, et fuco verborum ac specie sic opinionem suam involvere, eadem ut cum Augustino sentire illos existimes de causa reprobationis, ac merito; cum ab eo tamen infinito intervallo separentur. Quod cum facient, revocandi erunt in viam, et ad constantem doctrinæ suæ professionem suis e scriptis ac decretis adigendi, quæ nos idcirco studiose hactenus explicavimus. Ac quemadmodum hoc et illi instituant, et ab involucris istis et latebris evolvendi sint, exemplis hic aliquot ostendam, quæ ex ipso duce factionis, et auctore Calvino primo omnium repetam.

Nonnunquam enim reprobationis causas in corruptelam hominum ac peccata rejicere studet, superiore illa callide suppressa, cui vim omnem, et efficientiam assignat uni, voluntate Dei atque decreto, quo fatalis quædam peccandi necessitas infertur. Ut in libro *Institutionum* tertio [3], cum post exprompteam detestabilem illam sententiam objecisset sibi, Calvini subterfugia.

1 Cap. xvi, § 10. — 2 Qu. vii, art. 3 et 4. — 3 Cap. xxiii, § 9.

« Excusabiles peccando haberi velle reprobos, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem ; præsertim cum ex Dei ordinatione sibi injiciatur hujusmodi necessitas, » hanc justissimam querelam frigida exceptione depellit sic : Negat, « rite excusari, quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos queruntur, sua constat æquitas, nobis quidem incognita, sed illa certissima. » Deinde « præpostere agere ipsos ait, qui ad quærendam suæ damnationis originem in recondita divini consilii adyta oculos intendant ; ad naturæ corruptionem, unde illa vere scaturit, conniveant. » Ac, « tametsi æterna Dei providentia in eam, cui subjacet, calamitatem conditus est homo, a seipso tamen ejus materiam, non a Deo sumpsit ; quandoquidem nulla alia ratione sic perditus est, nisi quia a pura Dei creatione in vitiosam et impuram perversitatem degeneravit. »

II. Sed in hac utraque responsione colludit prævaricaturque Calvinus. Nam et reproborum causam sublevat, quos onerare vult, et in Deum invidiam transfert tum scelerum omnium, quorum reos illos facit, tum inauditæ crudelitatis et injustitiæ. Etenim, si est *voluntas Dei rerum necessitas*, ut fatetur Calvinus, ac si voluntate decretoque Dei, hoc est necessitate inevitabili aguntur, incitantur, coguntur ad malefaciendum, ut illum supra prædicantem audiebamus ; quid habet, quod vel in istis accuset, qui aliter facere non poterant, nec libere peccarunt, adeoque non peccarunt omnino ; vel excuset in Deo ? Nam sive juste voluit, et ad agendum impulit, extra culpam est ille, qui imperanti paruit ; sive inique præcipit, in auctorem criminis infamia refunditur, excusatur homo, qui pie egit ac juste. Quid enim justius aut religiosius, quam hortanti et impellenti obtemperare Deo ?

Altera vero responsio incurrit in illud, quod initio capitis posui ; veramque causam tum humanæ improbitatis, tum reprobationis occultans, eam affert, quæ effectæ rei non causa est, sed ab eadem efficitur et ipsa. Nam naturæ labes et pernicies, unde damnatio reproborum oritur, reprobatione posterior est ; si quidem voluntas Dei suprema omnium, et altissima causa prius reprobare ac damnare statuit, auctore Calvino, idque absoluto, et inevitabili decreto, quod ad hominis voluntate non pendet, deinde ab damnationem exequendam : malam voluntatem et peccatum eligit atque accommodat tanquam medium, ut scholæ nominant. Est autem voluntas efficax et absoluta finis, causa voluntatis eorum, quæ sunt ad finem ; sicut principium causa conclusionis est, ut ait Aristoteles [1]. Quare, ut principiorum veritas conclusionis veritatem parit, et qui principiis assentitur rite atque ordine collocatis, is conclusioni assentitur ; ita qui finem quempiam firma et absoluta voluntate vult, ejusdem vi voluntatis eligit ea, quibus ad finem uti decreverit. Itaque, cum Deus absolute, sine ullo ad merita mala respectu, damnare velit reprobos, et ad id perficiendum voluntate itidem absoluta corruptelam illorum ac malam voluntatem adhibeat, ut Calvinus arbitratur, utriusque causa est in solidum Deus : nec est hominis culpanda pravitas, ad quam fatalis eum necessitas rerum, id est Dei voluntas adstrinxit.

III. Desinant itaque tam Calvinus, quam qui hujus dogma profitentur, Augustini usurpare sententias, quibus ille suam de reprobis opinionem tuetur ; qua absoluta is quidem voluntate Dei certos homines reprobari constituit ; sed quæ massæ corruptelam ab ipso libero ortam arbitrio non antecedit sed sequitur. Recte enim omnem a Deo criminationem depellit, dum ejus solo placito quosdam ab communi noxa et damnatione segregari asserit ; cæteros in ea destitui. Nam et juste, qui non sunt liberati, damnantur, et qui erepti sunt, sola misericordia liberantur ; atque ita laudatur idem misericors ac justus Deus. De quo vide complura Augustini loca, præsertim capite citato sexto, ubi de reprobatione egimus.

Nisi forte adeo sumus hebetes, et ignari, cujusmodi sit Calvini dogma, ut iis præstigiis nobis illudi patiamur, quas in eodem loco tertii libri *Institutionis* effudit [2] : « Fatemur, inquit, communem noxam, sed dicimus, quibusdam succurrere Dei misericordiam : Succurrat, aiunt, omnibus. Sed excipimus, æquum esse, ut puniendo se quoque æquum judicem ostendat. » Hæc perinde Calvinus excipit, ac si Deum reprobandi damnandique causas ex sola reproborum culpa sumere putaret, sive ab origine contracta, sive vitio propriæ voluntatis ascita. Tum enim æquum se judicem in aliis, misericordem in aliis largitorem ostenderet. Nunc perinde erga reprobos se gerit, ex Calvini dogmate, ac si judex, imo tyrannus crudelissimus, miserum homi- Deus Calvini tyrannus crudelissimus.

1 Lib. II *Phys.* cap. IX, tex. 89. — 2 Cap. XXIII, § 11.

nem, nulla ejus culpa commotus, sed sola voluntate sua male decrevisset perdere; atque, ut hoc decretum exequeretur, ac justam puniendi occasionem haberet, eumdem morti jam destinatum ad furtum faciendum, vel homicidium imperando, incitando, cogendo, necessitatem adhibendo denique compelleret, et mox eumdem ob illud ipsum scelus duci juberet ad necem.

IV. Hæc est plane Calvinianæ reprobationis imago ac species, ex illius verbis ac disertissimis sententiis supra a nobis probata; quacum minime Augustini locus ille convenit, quem ibidem ad suæ causæ patrocinium Calvinus attulit: « Cum in primo homine universa generis massa in condemnationem defluxerit, quæ fiunt ex ea vasa in honorem, non propriæ justitiæ, sed Dei misericordiæ vasa esse. Quod vero alia fiunt in contumeliam, non iniquitati, sed judicio deputandum, etc. Quod Deus iis, quos reprobat, debitam pœnam rependit, iis, quos vocat, immeritam gratiam largitur, ab omni accusatione liberari, similitudine creditoris, cujus in potestate est alteri remittere, ab altero exigere [1].»

Recte ista quidem Augustinus, et alia similia; sed quid Calvino commune cum istis, qui his contraria, prorsusque pugnantia profitetur? Non enim Deus velut debitæ pecuniæ justus exactor ab illo ponitur; sed ut Phalaris, aut Mezentius aliquis, qui nihil mali merentes, neque criminis reos ullius excarnificare, ac tormentis subjicere decrevit; et, ut crudelitati suæ honestam obducat speciem, cogit eos ad maleficium, quod ne libere quidem, sed victi necessitate committunt.

Hæc ante oculos proponere sibi et cum animo suo repetere debet, qui Calvinum de prædestinatione ac reprobatione disputantem leget; ne alienis vocibus et absonis, ac male cum sententia sua cohærentibus imponi sibi et illudi patiatur. Sciat, quisquis is est, longe esse Augustini sententiam ab Calviniana diversam; nec, si verba illius ad sui defensionem usurpat, si suum Augustinum esse, ac sibi cum illo apprime convenire clamitet, statim illi est habenda fides, aut ad ejus excusationem valere debet, cum ex iis, quæ de ejus libris attulimus, perspicuum sit, non simplicem Calvini hæresim, sed horrendam et sataniçam prorsus in Deum blasphemiam ejus de reprobatione opinionem fuisse. Cujus interdum et ipse pudore fractus tergiversari, et dissimulare instituit; ac nonnulla de Augustini libris, deque communi fidelium deprompta sensu, sed a prioribus et intimis aliena dogmatis sui decretis intexuit, ut justas et violentas adversariorum suorum tam catholicorum, quam protestantium aliorum impressiones eluderet. Nam utrosque, hoc est et illos universos, et horum plerosque, in quibus candoris aliquid et humani sensus inerat, tam impia et execranda labes erroris offendit; pauci quidam, qui in illius sectam jurarant, nude ac sincere magistri sententiam amplexi sunt.

V. Ex horum numero primum hic in medium proferam Joannem Piscatorem Herbornensem professorem; qui omnium apertissime Calvini flagitia illa sine cunctatione ac pudore professus est in libro quodam, cui titulum posuit, *Notarum ad Conradi Vorstii amicam Collationem* [2]. Hujus in libri sect. LXV, cum Vorstius ita scripsisset, « Verum quidem est, non velle Deum, ut peccata simpliciter fiant. Interim fieri posse vult; » ad hæc Piscator ita respondit: « Imo Deus non solum vult, peccata fieri posse, sed etiam vult, ut fiant; quia vult creaturis rationalibus patefacere et justitiam suam in peccatis puniendis, et misericordiam in peccatis ignoscendis. » Sed adversus hæc instat Vorstius: « Si Deus revera vult, ut peccata fiant, et quidem voluntate proprie dicta, imo absoluta et efficaci, cui resistere nemo possit, qualem tu haud dubie hic intelligis, cur igitur ipse testatur, se peccata non fieri velle, sed ea odisse et abominari? Cur etiam peccata tam serio prohibet ac dissuadet? quo denique jure peccatores ob peccata tam severe punit? » Hæc et alia sane merito opponenti Vorstio Piscator occurrit: Aliam esse voluntatem Dei approbantem, vel improbantem, aliam decernentem: Deum ergo « voluntate decernente peccata decrevisse fieri, quæ nihilominus improbat et odit. Vult enim, ea fieri voluntate sua liberrima, quatenus vult eis uti ad illustrandam suam gloriam, et tamen nihilominus odit ea necessitate naturali. Sicut ægrotus vult sanitatem voluntate libera, posset enim eam non velle, sed mortem; et tamen odit amarum remedium necessitate naturali: quod quidem et ipsum vult propter aliud, nempe ad recuperandam sanitatem. » Hæc ingenua et sincera pestilentissimi dogmatis expressio est, quale ex ipso Calvino supra dicimus; cui et ista

Doctrinam Calvinianam J. Piscator propugnat.

1 Aug. Epist. CVI, et *de Bono persev.*, cap. XII. — 2 Editus est Herbornæ Nassoviorum an. MDCXIII.

consentanea sunt ejusdem Piscatoris, sectione LXVIII, ubi Vorstio sic scribenti, « Negatur, Deum procurare peccata ulla ratione, » respondet ille : « Atqui Deus procuravit, *ut Absalom stupraret uxores Davidis*[1]. Item ut pelliceretur Achab per spiritum mendacii, » etc. Quæ rursus ita castigabat Vorstius : « Vix, puto, quidquam absurdius de Deo Opt. Max. affirmari posse, quam esse procuratorem peccati. Vix etiam credo, quemquam inter Christianos inveniri, cui non firmiter persuasum sit, apertam esse blasphemiam, si quis ullatenus statuat Deum ipsa peccata proprie dicta procurare. Quid enim hoc aliud est, quam Deum reipsa peccatorum auctorem ac fautorem efficere ? » At Piscator respondet : « Imo Deus procurat peccata proprie dicta, qualia certe sunt ea quæ in nota proposita commemoravit; sed non procurat ea, quatenus sunt peccata, sed quatenus sunt motus et præcedentium peccatorum pœnæ. Deus enim interdum punit peccata peccatis. » Ac mox : « Deus justo judicio peccata peccatis punit; ac proinde Satanæ opera utitur ad impellendum homines ad peccata. » Habes igitur ex Piscatoris confessione idipsum, quod Calvinus asseverat, Deum voluntate ac decreto suo peccatum non permittere solum, aut quasi ex accidenti procurare, sed reipsa et efficaci proposito destinare, et ad illud committendum impellere. Quod cum in peccato ipso primi parentis non minus, quam ejus posteritatis, locum habeat, consequens est, reprobationem ac damnationem non tam propter peccatum et corruptelam massæ fieri, quam ob antecedentem Dei voluntatem, quæ directe peccatum istud, et naturæ labem decrevit, procuravit, et ad eam efficiendam impulit.

Piscator confitetur Deum peccata procurare juxta Calvinianum dogma

VI. Sed ante Piscatorem Theodorus Beza Calvini discipulus, ejusque familiaris, quod a magistro tanquam aspis a vipera, mutuatus erat, venenum profudit; tametsi sciens nonnihil tergiversetur ac latebras quærat. Etenim in libro *de Æterna Dei prædestinatione adversus calumnias Sebastiani Castellionis*[2], articulo primo, cum Castellio ex Calvini doctrina hoc effatum collegisset, « Deus maximam mundi partem nudo puroque voluntatis suæ arbitrio creavit ad perditionem ; » contra hunc Beza sic excipit, nusquam ita docuisse Calvinum, « Nudo Dei arbitrio creasse Deum homines ad perditionem. » Quippe « nudum arbitrium vocant, quo ita decernitur aliquid, ut nulla ratio habeatur, justumne sit, an injustum, quod decernitur, » At « Dei voluntas summa est justitiæ regula. » Itaque nihil non juste vult. Verum cavillari istud est, et nugas agere. Non enim *nudum ac purum voluntatis arbitrium* aliter usurpatur a Castellione, quam eo sensu, quem Calvinus ipse, cum de prædestinatione ac reprobatione ageret, intellexit; nimirum ut sit, cujus non aliunde, quam ex seipso causam ac rationem sumpsit. Sic mundum creasse Deus utique *nudo puroque voluntatis arbitrio,* vere ac pie dicitur, neque quisquam ex eo sequi calumnietur, juste an injuste id faceret, pensi nihil habuisse Deum. Non enim id ex enuntiatione ista concludi potest; sed illud solum, nullam, cur mundum procrearet, ex mundo ipso ullave re alia, quam ex seipso, ac bonitate sua causam accepisse. Ad hunc modum et Apostolus, et ex eo theologi ac catholici omnes asseverant, Deum sola sua voluntate, non ullis nostris meritis inductum, justitiam indulgere nobis et gratiam. *Deus est enim*, ait Paulus, *qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*[3]; quod de gratuita Dei voluntate interpretatur ipse Beza. Est autem gratuitum, quod non ex meritis tribuitur, sed ex sola voluntate decernentis; sive cujus dandi nulla aliunde *meritoria,* ut vocant, causa petitur. Hoc vero sensu Calvinus existimavit, « Deum nudo puroque voluntatis arbitrio creasse maximam mundi partem ad perditionem. » Quid enim aliud illius verba ipsa sententiæque significant, quas disputationis hujus initio descripsimus ? Nonne « æterno decreto constitutum habuisse Deum asserit, quid de unoquoque homine fieri vellet ? » Aut quid ista volunt ex tertio *Institutionum*, nisi quod objecit Castellio? « Deum ait consilio nutuque ita ordinasse, ut inter homines nascantur ab utero certæ morti devoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent[4]. »

VII. Relege totum illud caput, in quo Calvini dicta percensuimus, ut frustra niti Bezam sentias, et fucum obducere nefariæ ac detestandæ magistri blasphemiæ. Quam quidem adeo non purgat, ut illustret etiam magis, et in omnium defigat oculis, cum sic respondet : « In ejusmodi decreto, quo Deus vasa iræ suæ, quæcumque libuit, ab æterno destinavit, distinguendam esse executionem consilii ab ipso consilio, id est reprobandi propositum a

1 II *Reg.* XII, 11. — 2 In Opusc. Bezæ. — 3 *Phil.* II, 13. — 4 Calv. III *Inst.* c. XXIII, § 6.

damnatione. Consilii enim causam nullam aliam intelligimus, quam ipsam Dei voluntatem. Executionis autem, id est damnationis, voluntariam Adami corruptionem in nos derivatam. » Atqui hanc ipsam corruptionem et Adami scelus eadem Deus absoluta voluntate decrevit, ut Calvinus affirmat. Quare unica et summa tam peccati, quam damnationis, hoc est hujus per illud, causa sola Dei voluntas est; quæ non puniendi peccati ullius gratia, quod nullum ante primum præscivit, sed solo placito peccare Adamum voluit, ut eam haberet occasionem Calvinianus Deus exequendi crudelis abominandique decreti. Vide autem quam non tectis verbis, sed nude et aperte in articulo sequenti capitalis dogmatis virus exerat. « Odium igitur, inquit, Dei in reprobandos homines affirmamus, causarum ordine non præcedere æternum Dei decretum, utpote quod in supremo causarum omnium gradu jure collocamus, sed potius consequi. Ita fit, ut, quamvis quoscumque exitio prædestinat ab æterno Dominus, suo postea tempore oderit; tamen exitio prædestinare non sit odisse, sed odio suo destinare. Simul autem cum odio suo destinat Dominus, quos libuit, justi sui futuri odii causas ita substernit, ut tota odii materia in ipsis exitio destinatis hominibus inhæreat, ac proinde sua in illis odio persequendis ac tandem condemnandis justitia emineat [1]. » Nempe magistri sui blasphemiam sincera et ingenua professione palam exprimit : Prius æterno et absoluto decreto prædestinare ad exitium, ac damnare reprobos Deum, quam ullam in iis labem corruptelamque prævideat, cujus puniendæ gratia ita de illis statuat; postea, ut sententiam, decretumque suum exequatur, procurare, ut in peccatum incidant, quo justi odii, et vindictæ causam in illis inveniat.

De hoc impio dogmate quid sentiendum.

VIII. Furiosa vox, nec minus absona, et secum ipsa pugnans, ut est ad vecordiam implicata omnis hæresis. Nam qui potest absoluto decreto damnare quemquam Deus, quin eum oderit? Aut quid aliud est odisse, quam malum velle cuipiam? An est vero majus ullum, et horribilius malum, quam æterna pœna, ac damnatione mulctari? Itaque, quos tanto supplicio vult afficere Deus, eo ipso odit illos ac detestatur, et in maledictis, execratisque numerat. Antecedit igitur condemnationem reproborum, odium in ipsos Dei, non sequitur. Præpostere enim agit, qui prius acerbissimum alteri malum infligit, quam causam in illo reperit, cur aut ei malefaciat, aut eum oderit. Quid quod Augustinus, ille, inquam, Augustinus, cujus nomine ac patrocinio tota ista natio cum doctore suo Calvino gloriari solet, non dubitavit dicere, injustum fore Deum, si sine culpa malo quemquam afficiat eumque damnet? quod ex illius aliquot sententiis supra demonstravimus. Multo vero hanc ipsam injustitiæ labem supergressa est altera illa, quam Deo Beza et Calvinus imponunt; dum, quod omni damnatione et inferorum suppliciis gravius ac detestabilius est malum, peccatum ipsum iis, quos nondum oderit, procurare Deum asserunt, ut odisse possit. Quod non solum ultimæ impietatis est sentire de Deo, sed stultitiæ ac stuporis inauditi. Itane Deus, a quo nihil accepit injuriæ, quem nec odit, nec, cur oderit, causæ quidquam habet, eum sempiternæ damnationi horrendisque cruciatibus addicit absoluto et immutabili decreto; ut autem oderit, et sæviendi justam occasionem capiat, quemcumque plectere decrevit, hoc ipsum, cujus gratia plectatur, cogit facere? Multa multorum et sunt et fuerunt hactenus hæreticorum portenta; sed vincit omnia feritate et impietate in Deum, ac contumelia novissimus iste Calviniani furor dogmatis, ac vim omnem verborum hebetat. Quod quidem dogma toto illo contra Castellionem in libro Bezæ declaratum, ac variis modis probatum illustratumque reperies.

IX. At idem Beza, in commentariis ad nonum caput epistolæ *ad Romanos*, de illis verbis agens, *Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat* [2], partim in eodem luto volutatur opinionis impiæ, partim eam excusare studens, neque se expedit, et majore implicatus hæret inscitia. Primum Origenem inclementer appellat, quod *indurare* Deum aliquem exponitur ut sit non ulcisci subito. Hinc enim obdurandi sui occasionem cepit Pharao. Quæ Origenis explicatio et Apostoli sententiæ et Augustini dictis consonat, quæ nos supra retulimus. Nam sæpe nudam ait permittendi peccati esse voluntatem in Deo, non efficientiam; interdum vero efficere quidem aliquid in hominem, quod ei male faciendi occasionem det; sed ex accidenti malum ipsum consequi. Verum pro reliqua inscitia sua Calvinus ac Beza faciunt, ut nudum permittendi sceleris consilium ab absoluta et directa ejus

1 In Opusc. Bezæ. — 2 *Rom.* IX, 18.

voluntate discernere nequeant. Quinetiam prævaricatur iste, et contra magistri sui placita, Deum ait, sic uti malo instrumento, id est mala hominis voluntate, ut *ei malos motus non indat, nec cieat,* hoc est impellat et excitet, sicut facit in bonis. In quo Calvino contradicit; cujus supra verba descripsimus, quibus affirmat Deum per se, « vel per ministrum iræ suæ Satanam reproborum voluntates excitare et consilia firmare. » Vide quæ eodem in capite de Calvini opinione disputamus.

CAPUT XI.

Calvini ac Bezæ sententiam de reprobatione, consensu omnium fere illius sectæ rejectam ac damnatam fuisse, ex Actis Dordrechtani conventus ostenditur; novissime item ab ministro quodam, qui Calviniani de reprobatione decreti patrocinium sumpsit. Cujus prævaricatio, et ficta Calvini defensio detegitur, et ostenditur, Arminii ab eo sectam, et dogma propugnari, quam se impugnare simulat. Quod ex Actis Dordracenis probatur, ac protestantium omnium Calviniani nominis sententiis.

I. Quam vere supra dictum sit a nobis, detestabilem esse, et odio insectationeque dignam humani generis Calvini ac Bezæ opinionem, de æterna præsertim reprobatione, nihil sic ostendit, ut consensus in ea damnanda non solum catholici orbis, sed, quod multo mirabilius est, etiam fautorum utriusque memoriæ atque doctrinæ. Nam præter paucos, et eosdem stupidos, nemo hodie est ex isto grege, qui quid reprobatio sit paululum sciens, non eum modum illius execretur, quem scriptis suis impurissimi isti ad perpetuam sectæ suæ notam et infamiam tradiderunt.

Ac, ne longum sit, et fastidiosum singulos hæresi ex illa, qui quidem aliquo in numero sunt, appellare testes, dabo collectum ex omnium confessione testimonium, quod in Dordrechtanæ synodi actis vulgatum est[1]. Quæ synodus anno Christi MDCXVIII, et sequente, auctoritate Fœderatarum Belgii provinciarum est habita; in eamque partim per legatos, partim per synodicas epistolas, Calvinianum propemodum nomen omne convenit. Ea sunt Acta distributa in partes duas, in quibus tam externarum, quam provincialium Ecclesiarum, ut vocant, professiones, sive decreta continentur de prædestinatione ac reprobatione, et aliis eodem spectantibus, quæ articulis quinque Arminiani comprehenderant, contra quos ille conventus inductus est. Omnium porro consentiunt in eo judicia, quod Calvini, ac Bezæ dogmati penitus adversatur, prædestinationem ac reprobationem, hoc est ex omni hominum numero quorumdam secretionem, aliorum rejectionem, nonnisi corrupta ex massa, id est originali peccato vitiata natura fieri; non autem absolute, ante ullius peccati prævisionem, Deum alios ad fruendam gloriam suam, alios ad exitium ac damnationem procreare statuisse. Hujus illorum decreti pugnæque cum auctore, ac patriarcha suo, proferam hic aliquot exempla, paucisque perstringam, a Gallicanis ministris initio facto.

Calvinianum dogma in synodo Dordrechtana damnatum.

II. Inter hos, Genevensium hæc sententia est, « Deum ab æterno, ex mero beneplacito voluntatis suæ, certas personas ex semine et posteris Adæ in et cum eodem lapsas, reas et corruptas, decrevisse sanctificare et glorificare; easque discrevisse ab aliis in eadem massa et sub eodem reatu existentes[2]. » Item « Deus, inquiunt, ab æterno, liberrima sua voluntate, aliquas certas personas, in et cum Adamo lapsas, reas et corruptas statuit apud sese in statu peccati et corruptionis suæ propriæ relinquere, nec erga illas remedium gratiæ efficacis et salutaris in Christo adhibere. » Hanc ergo reprobationis naturam esse definiunt, ut sit relictio, ac destitutio in reatu primi parentis, culpa et voluntate contracto, atque in massa ejusdem scelere corrupta; non, ut Calvinus olim illius Ecclesiæ architectus, ac sectæ totius et defectionis auctor, ejusque discipulus et ejusdem Ecclesiæ doctor Beza personabant, ex solo Dei placito, sine ulla peccati cujusquam præsensione fieri, adeo ut ad antecedens et jam absolute fixum decretum reprobandæ majoris hominum partis exequendum, tam Adami primum delictum, quam reliqua deinceps posterorum ejus scelera procurata, quæsita, impulsa, incitata sint: ut ex iis odii primum, quod nullum hactenus illorum ceperat, tum justæ in eos animadversionis ac supplicii exigendi causas sereret. Huic, inquam, Calvini, Bezæ, ac priorum ejusdem Genevensis Ecclesiæ ministrorum dogmati contrarium obrogarunt de reprobatione decretum iidem illi Geneven-

1 Edita sunt Hanoviæ anno MDCXX. — 2 *Acta Dordr.* par. X.

ses; qui et in fine ita subscribunt : « Hæc est simplex et fidelis sententia nostra, fides Ecclesiæ nostræ atque adeo, ut certo asseverare non dubitemus, omnium Ecclesiarum Gallicanarum, quæ confessioni Gallicæ adhærent. » Quid igitur reliquum erat, quam ut anathema Calvino, Bezæ et superioribus omnibus dicerent, qui longe abhorrentem ab sua professione de reprobatione sententiam defenderant, et quidem execratione ac damnatione multo digniorem, quam Arminianorum erat illa, contra quam suffragium isti cum reliquis ferebant?

III. Petrus quoque Molinæus Parisiensis conventiculi pastor, Calvino perinde contradicit in illa, quæ exstat iisdem in Actis, missa Dordrechtum schedula de prædestinatione ac reprobatione. Electio, inquit, « est decretum æternum, eoque immutabile, quo Deus ex genere humano lapso et corrupto decrevit certos quosdam homines, ex mera sua gratia per Christum servare. » Sic reprobationis causam meritoriam ait esse peccatum. « Sint, inquit, duo sontes rei ejusdem criminis; placeat autem regi hunc damnare, illum absolvere: peccatum quidem causa est, cur ille plectatur capite; at non est causa, cur rex aliter sit affectus erga unum, quam erga alterum, cum par utrobique sit culpa. » Ejusdemmodi sunt reliqua, quæ deinceps pertexit, decrevisse Deum damnare reprobos propter originale peccatum; ita tamen, ut etiam ob actu commissa damnentur, utique non nisi ob peccata sive aliena, sive propria, contra quam Calvino placebat.

Iisdem vestigiis Britanni, Helvetii, Hessi, et, ut uno verbo dicam, ii omnes insistunt, qui ad conventum illum Dordrechtanum suas sententias miserunt. Universi, inquam, Calvini sectam professi, magistri sui dogma repudiarunt, ac reprobationem hominum jam originali implicatorum delicto fieri statuerunt.

IV. Fecit hoc idem, ut a Calvino suo dissideret, nuperus quidem scriptor, qui *de Reprobatione* superiore anno lucubrationem edidit; quem vere ἁλμυρὸν λόγον, nec ulla ex parte πότιμον dixeris. In eo libro « Doctrinæ Joannis Calvini de absoluto reprobationis decreto defensionem » suscepit *adversus scriptorem anonymum*, qui contra decretum illud absolutum, perbrevem libellum ex Anglico Latinum Amsterdami edidit, anno 1640. At Calvini patronus in respondendo duplici se crimine obstrinxit, prævaricationis et mendacii. Nam et illius, quem propugnandum sibi sumpserat, causam prodidit, dum manifestissimam ejus opinionem pro falsa habet et impia; et hanc ipsam malitiose ac veteratorie commutat, proque ea longe diversam alienamque supponit. Ita dum Calvinum tueri se simulat, ejus et sententiam damnat, et ludibrio habet auctoritatem. De utroque libro jam in capite sexto lectorem monui, ut quod ambo illi scriptores pro confesso habent, ei ne fidem habere vellet. Sic enim disputare illos, tanquam par sit et eadem de reprobatione Calvini atque Augustini sententia. Quod deinceps firmissime ac latissime convictum si quis attente legat, non est verendum, ne ab Calvini patrono decipi se ac ludificari patiatur. Segreganda itaque prorsus est ab impura Calvini doctrina vereque δαιμονιῶδες, Augustini de absoluto decreto reprobationis opinio. Hæc enim, si præcise loquimur, non est absoluta penitus; nam peccati conditione nititur: siquidem absolutum decretum illud est, quod sola decernentis voluntate fit; sic ut nulla in eo, vel ab eo, de quo statuitur, causa vel occasio præbeatur. Ut si Phalaris, aut simili quispiam immanitate præditus, obvium aliquem, nec ullius criminis reum duci ad supplicium excarnificarique jubeat, absoluta hæc erit de illius capite sententia. At, cum de multis capitalium scelerum convictis pro arbitrio suo certos eximit princeps, reliquos puniri imperat, non est absoluta, hoc est solo ex illius placito constituta damnatio, sed justa in sontes animadversio.

Salsuginosum sermonem. Potabilem.

Nuperus auctor dum Calvinum defendere satagit, damnat.

Dæmoniaca.

V. At ille Calvini Deus, qui ob nullam hominum culpam, innocentes, et nihil, præter naturam ab eo conditam habentes reprobat et condemnat, quid causæ tandem afferre potest, cur in illos sæviat? Voluit, inquit, in eodem hominum genere misericordiæ ac justitiæ suæ exempla statuere. Primum quæ est illa misericordia, ubi nulla adhuc erat miseria, cui bonitate consuleret? Etenim miseria hominum illa, in qua propulsanda Deus benignitatem suam experitur, aut peccatum est, aut de solo peccato trahitur. Porro, cum ad vitam æternam vel pœnam prædestinati sunt homines, nullius peccati est habita ratio, quod tum in eo, ut vocant, signo rationis nondum prævisum fuerat; sed absolute ac solo voluntatis suæ placito, quos libuit ad vitam destinavit. Quis igitur misericordiæ ibi locus esse potuit? Absurde itaque, et imperite scriptum illud est a Calvino, « Hoc con-

silium, quoad electos, in gratuita ejus misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanæ dignitatis respectu [1]. » Tum illud : « Ergo si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem. » Nimirum quid esset misericordia, et quæ voci huic subjecta potestas, funditus iste nescivit.

Sed neque ad exercendam declarandamque justitiam suam, destinatos exitio sempiterno recte idem ille reprobos dixit ; quibus in damnandis nullam ad eorum noxam respectum habuit. Nam justitia, quam *vindicantem* nominant, cujus illud in calamitosorum pœnis esse specimen oportuit, non antecedit culpam, sed sequitur. Quare, cum irascendi puniendique materiam nullam adhuc ante oculos haberet, non illos destinare pœnæ potuit Deus. Utriusque vero cupiditate præstandi, ut in alios misericordiam, justitiam in alios exerceret, causas a Deo quæsitas esse dicere, ac dedita opera in miseriam ambos esse conjectos, impia et indigna christiano homine, ac ne in homine quidem toleranda est oratio.

Mira hujus auctoris mpudentia

VI. Castigandum igitur imprimis est, quod in libello *de Absoluto reprobationis decreto* anonymus scriptor initio posuit : « Hanc sententiam, quæ motivam causam reprobationis solam esse voluntatem divinam statuit, non peccatum sive originis, sive actuale ; ante Augustini tempora priorum sæculorum Christianis inauditam fuisse. » Hoc est ignorare, quid de quo scribat, et in quo vis sit posita quæstionis. Reprobari quemquam a Deo sola ex voluntate sua, ob nullum meritum malum atque peccatum ; tam falsum est, Augustinum sensisse, quam verum est, Calvinum, Bezam aliosque ex ea secta docuisse. Quare non est, quod in eo sibi placeat ac triumphet Calvini patronus, causamque suam et Ecclesiæ suæ cum Augustino commisceat. Nihil enim hic cum impura illa et sacrilega hæresi commune unquam habuit, ut supra demonstravimus. Neque pulchre a se defensum magistrum existimet, si non quod ille dixit, sed quod dicere debuit, recte esse dictum ostenderit. Ac mirari subit, adeo securum illum publici de se judicii contemptoremque fuisse lectorum suorum, neminem ut fore putaret, qui cujusmodi esset Calvini de reprobatione dogma sciret, aut non scrutari ipse, vel ab aliis percontando posset discere. Ita sine ullo metu ac pudore contrarium illi , ac tot locis ipse, et ejus alumnus, atque in ipsius educatus sinu, et gremio Beza scripserunt, docuerunt, prædicarunt, ausus est affingere. Qua in re profecto vel ignarum ejus, quod ageret ac susciperet, vel naviter impudentem se esse monstravit.

At etiam omnes illos, a quibus merito Calvini est illa notata blasphemia, non est accusare veritus, catholicarum præcipue partium. Quanquam non minus ab iis, qui protestantes se vulgo nominant, quam ab nostris eo est ille nomine reprehensus. Sed universos Calvini oppugnatores in invidiam vocat, tanquam falso opinionem ejus interpretati sint.

VII. Verum quis homini isti fidem habeat ulla in re, qui de magistri sui opinione tam aperte mentitur ? Atqui libri ejus omnibus expositi sunt, in quibus legi illa possunt, quæ superius exprompsimus. Ea vero quamlibet torqueat, ac partes in omnes versare conetur, nemo unquam efficiet, quin et hoc, quod diximus, de reprobatione illius dogma referant, et cujusmodi ab ejus patrono constituitur, arguant, ac refellant. Sed os hominis operæ pretium sit videre. Cum anonymus vere istud objecisset, quod paulo ante posui, Calvinum putare (nam de Augustino minus considerate idem asseruit) « causam reprobationis solam esse voluntatem divinam, non peccatum, sive peccatum originis, sive actuale. » Tum, « finalem impœnitentiam et damnatorum reprobationem necessariam, et inevitabilem esse ex absoluto Dei decreto : » utrique Calvini patronus contradicit. Et primum, « Calvinum in ea sententia fuisse vult, Dei voluntatem in eo negotio versatam esse circa massam generis humani corruptam [2]. » Item « Calvinum asserit non modo causam damnationis reproborum et incredulorum , quæ futura est in extremo judicio, non transferre in absolutam Dei voluntatem ; sed etiam præter peccatum originale, quo omnes contaminati sunt, et peccatum admissum adversus legem moralem, causam damnationis in incredulitatem et impœnitentiam proprie conferre. »

VIII. Hæccine de Calvini dogmate non veritum esse scribere, nec erubuisse, cum publice ista tam falsa, tam cum illius decretis pugnantia proferret ? *Pereant qui nigrum in candida vertunt*. Enimvero Calvinum iste vel non

1 Lib. III *Instit.* c. XXI, § 7. — 2 Lib. *de Reprob.* c. I.

legit, vel conscientiæ suæ, existimationisque rationem nullam habuit. Obsecro te, mi homo, non scripsit illa Calvinus, quæ supra illius ex Institutionibus attuli? Non in tertio libro *Institutionis*, capite vicesimo tertio, scripsit, « non alia de causa reprobare Deum, nisi quod ab hæreditate, quam filiis suis prædestinat, illos vult excludere? » Non paulo post adjecit, « Minime consentaneum esse, præparationem ad interitum alio transferre, quam ad arcanum consilium Dei? » Quid est autem præparatio ad interitum aliud quam reprobatio? Igitur non est consentaneum aliam reprobationis causam afferre, quam voluntatem ipsam Dei. Et de Calvino splendide mentitur, qui hunc asserit, causam damnationis non in ipsam ejus tranferre voluntatem, sed in culpam meritumque damnati.

Etenim, cum illo in libro tam acriter enixeque contendit Calvinus, prædestinationem tam electorum ad vitam, quam reproborum ad interitum ac damnationem, nullam alteram in causam rejici oportere, quam in Dei voluntatem et consilium, cum secus sentientes, et in illorum qui damnantur, meritum culpamque conferentes eorum exitium, cum stomacho et conviciis abs sese rejicit, ac sola Dei voluntate contentos esse jubet; quam tandem causam aliam abjudicat, et a reprobatione segregat, nisi eamdem, quam noster iste prævaricator potius, quam patronus, ab Calvino constitutam putat, peccatum reproborum, et meritum? Nisi enim aliud, præter Dei voluntatem, afferendum crederent ii, quos contra disputat, cum quæritur, cur damnantur reprobi; ac si non ad horum culpam vitiumque transferrent reprobationem illorum et interitum, tanquam unicam ad causam, cur iis irasceretur, in eosque tam impotenter inveheretur, nihil haberet omnino Calvinus. At irascitur sic, ut interdum furere videatur, et *virulentos canes evomere contra Deum* nefaria quædam, et impia queritur. Quæ sunt illa tandem? « Primum, inquit, interrogant, quo jure suis creaturis irascatur Dominus, a quibus nulla ante offensa provocatus fuerit. Nam exitio devovere, quos placuerit, tyranni magis libidini quam legitime judicis sententiæ convenire. Esse igitur, cur cum Deo expostulent homines, si nudo ejus arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur. »

IX. Ad has justissimas et profecto necessarias querelas, quid ille tandem respondet? « Ejusmodi, inquit, cogitationes, si quando piis hominibus in mentem veniant, ad frangendos earum impulsus vel hoc uno satis armabuntur, si reputent, quantæ sit improbitatis, causas divinæ voluntatis duntaxat percontari, cum omnium, quæ sunt, ipsa sit causa, et merito esse debeat. Nam, si ullam causam habet, aliquid eam antecedat oportet, cui veluti alligetur: quod nefas est imaginari. » Ergo *virulentorum canum vomitum* eam vocem Calvinus esse judicat reprobos dicere ob merita sua, et peccata *devoveri exitio, et in æternam mortem prædestinari.* Quod cum et nuperus ille Calvini patronus affirmet, et tota hodie Calvinistarum natio in idem consentiat, atque hujus judicii sui professionisque monumentum in Actis Dordracenis ad memoriam posteritatis ediderit, quid isti omnes aliud, magistri sui voce, ac testimonio, quam *virulenti canes* habentur? Hanc operæ ac patrocinii sui mercedem ut is, quocum præcipue hic agimus, suo quodam jure debitam accipiat (nam de Calvino tacuerunt cæteri, cujus iste falso nomen et auctoritatem opinioni illi præscripsit), age cum illius verbis Calvini verba conferamus. « Ubi ergo quæritur, ait ibidem Calvinus, cur ita fecerit Dominus (hoc est exitio devoverit, quos placuerit) respondendum est, quia voluit. Quod si ultra pergas rogando, cur voluerit, majus aliquid quæris et sublimius Dei voluntate, quod inveniri non potest. » Contra vero Calvini defensor: « Ubi quæret aliquis, inquit, cur Christi proditor Judas sit damnandus, ad absolutam Dei voluntatem nemos anus transvolaverit; in Judæ peccato, et impœnitentia consistet. » Hæc sunt adversa invicem, et pugnantia, quæ qui legerit, mirificam amborum inter se, patroni et clientis concordiam agnoscet, dum et ille *insanum* hunc, et hic illum canem virulentum nominat.

X. Atenim in promptu habet ista conciliare Calvinianæ causæ patronus. Nam « reprobi, inquit, duobus modis spectari debent: vel absolute in se, vel instituta comparatione cum electis. Et absolute in se quidem si considerentur, dignos fuisse asserit Calvinus, qui a Deo prætermitterentur. Sunt enim ab utero depravati, et sponte sua in peccatum ivere præcipites. Si cum electis comparentur, æque omnes indigni fuere, quibus Deus tantam largiretur gratiam. » Quare « nullam aliam causam occurrere, cur aut illos liberaverit, aut istos reprobaverit, Calvinus ubique docet, præterquam quod sic Deo libuit. » Sed amabo te, non sunt a Calvino scripta illa, quæ ante

commemoravi? Non ille christianæ religionis Institutionem edidit? Ecquod Calvinianum magis opus est, quam isti quatuor libri, qui sic inscripti sunt, et in quibus tota illius sectæ forma, ratio, dogmata, ac decreta continentur? Quanam itaque fronte jactare ista patronus audet? Calvinum ubique dicere, reprobos, si absolute considerentur, ob id rejici a Deo, quod indigni sint, hoc est vitiis ac malis meritis iram illius commiserint; sin autem cum electis comparentur, nullam aliam causam esse, cur, his liberatis, illi relicti fuerint, quam *liberrimum Dei beneplacitum?* Vendat hos fumos Calvinianus minister, quibus volet, ac poterit. Nos scimus, Calvinum aliter docuisse, qui ejus libros sæpe in oculis ac manibus habemus; nec, ut falso ariolando iste scripsit, ex eo genere hominum sumus, « qui vel nostrorum, inquit, scripta non legunt, vel si legunt, non intelligunt, vel si intelligunt, ut est temporum iniquitas, et calumniandi libido, data opera depravant, et omnibus exosam reddere studiose conantur. » Quod in illum profecto recidit, qui de Calvini dogmate celari nos posse stulte credidit; et ab eo dici illa negavit, quæ luculenter in illius libris ad hanc diem expressa leguntur.

XI. Nam quod aliis in locis idem Calvinus reprobationis causam in eorum mala merita, qui reprobantur, et communem massæ corruptelam rejicere videtur, non eo valet, ut non contrarium alibi dixerit. Nec qui verum aliquando locutus est, aut nunquam est mentitus, aut ad mendacii excusationem idoneam afferet causam, quod non idem alicubi fecerit. Deum sola voluntate sua, et in nullum bonum malumve meritum ac peccatum intuentem, alios ad vitam, alios ad exitium destinasse ac creasse; tum ad absolutum illud exequendum decretum, illis fidem ac perseverantiam, istis peccatum, et in peccato pertinaciam et obdurationem procurare, ac per se, vel per ministrum iræ suæ Satanam, non permittendo solum, sed instigando, impellendo, cogendo denique, ac necessitatem afferendo in scelus trahere, Calvini sententia est. Ea si scelerata et impia est, non propterea non illius est. Prorsus enim ab ipso, et ab ejus disciplulo Beza aliisque luce ipsa clarius exposita est iis in locis, ad quæ tanquam noctua connivet nuperus ille Calvini patronus; qui quantumvis garrulitate sua obstrepat, nunquam efficiet, ut lucere meridie negemus.

Latebram. Sed adversus utriusque κρύψιν ac fucum bene comparatus, ac præmunitus lector esse debet iis, quæ supra de Calvinianæ opinionis dissimulatione ac latebra diximus; sic ab illo doceri, absoluto decreto prædestinatos esse alios ad salutem, alios ad exitium, ut illud decretum nonnisi per certa quæ dicuntur *media*, Deus exequatur; cujusmodi est in electis fides, in reprobis peccatum et obduratio mentis: quorum efficientia et procuratio ex vi illius absoluti decreti necessario proficiscitur. Ut enim, quia liberare, et ad salutem perducere Deus electos absolute et sine operis ullius consideratione statuit, ideo gratiam illis et vocationem inspirat, nullis itidem illorum meritis adductus; sic quia reprobos eadem absoluta voluntate, ac citra operum intuitum damnare constituit, peccatum, et in eo perseverantiam, tanquam ad finem illum assequendum necessaria *media* procurat, ex Calvini dogmate. Hoc negare vel nimium impudentis est, ut dixi, vel quid dicat, et de quibus affirmet nescientis.

XII. Cum igitur peccatum ad reproborum perniciem, hoc est divini de illis decreti exitum, adhiberi necessario debeat, ut per peccatum, et propter hoc in destinatam damnationem incurrant miseri; hinc subdole Calvinus, et qui merum ejus dogma sincere complectuntur, suppressa priore, ac præcipua et unica causa, Dei voluntate ac decreto, quod rebus necessitatem afferre putant, unius peccati meminerunt; eaque tergiversatione parum callidos lectores ab execrandæ opinionis ac blasphemiæ suæ sensu conantur avertere. Sed apud rudes, et mysteriorum sectæ illius ignaros utcumque ludificatio ista succedet; non eos fallet, qui, quid Calvinus, quid columen dogmatis illius Beza aliique defendunt, ex horum monumentis perceperit.

Ecquis vero patronum istum Calvini tam ejus fabulæ personæque, quam agit, immemorem esse, tamque absurdum putaret, ut, cum et Calvini sententiam tuendam et Arminianorum propulsandam susceperit, ea dicat, quæ et istorum causæ patrocinantur, et illius dogma labefactent? Expendantur enim hæc illius verba: « Jam autem, inquit, quæ futura est causa damnationis ultimo die, eadem procul dubio causa fuit, cur Deus damnare ab æterno decreverit. Rei eventum cum Dei consilio consentire necesse est. Nec fieri potest, ut causa, quæ Deum impulit ante jacta mundi fundamenta, ut vellet magnam hominum partem olim damnare, toto genere diversa sit ab ea, quæ eum impellit in mundi fine,

ut velit actu damnare magnam hominum partem. »

XIII. Itane ex Calvini decreto causa est prædestinationis divinæ ad exitium, hoc est reprobationis, eadem, quam in exequendo Deus observat : ut, quemadmodum æternis ignibus illos addicet, quod male vixerint, sic de iis damnandis consilium ex æterno ceperit, quod eos male victuros præviderit? Nonne Arminianorum opinio hæc est omniumque, qui ex prævisis malis operibus reprobationis causam sumpsisse Deum existimant? A quibus quantum Calvinus dissentiat, scripta hujus, et quæ ex illis exprompsimus supra, testimonia demonstrant. Ex his enim, nisi aut inscitia, aut malitia prorsus occæcati sumus, illud nobis constabit, causam esse reprobationis aliam nullam , præter voluntatem reprobantis ac merum placitum. Alioqui, si quid aliud causæ esse credimus, « majus aliquid, et sublimius quæri voluntate Dei, quod inveniri non potest. » Hæc sunt, an non verba ipsa Calvini, dicat nobis patronus ejus; atque item ista, quorum superius ex capite vicesimo secundo libri tertii *Institutionis* meminimus; ubi Jacob et Esau, quos electorum ac reproborum figuram adumbrasse cum Augustino credit, nullis ex operibus prævisis alterum ad vitam, alterum ad perniciem destinatum esse confirmat. « Si enim ad opera convertimus oculos, inquit, injuriam irrogamus Apostolo, quasi idipsum, quod nobis perspicuum est, non viderit [2]. Porro non vidisse convincitur, quando hoc nominatim urget, cum nihil dum boni, aut mali designassent, alterum electum, alterum rejectum, ut probet divinæ prædestinationis fundamentum in operibus non esse. Deinde ubi objectionem movit, num iniquus sit Deus, illud, quod certissimum et apertissimum fuisset justitiæ ejus patrocinium, non usurpat, Deum rependisse Esau secundum suam malitiam; sed diversa solutione contentus est, quod in hunc finem excitentur reprobi, ut Dei gloria per illos illustretur. Demum subnectit clausulam, Deum cujus vult misereri, et quem vult indurare. Vides, ut in solum Dei arbitrium utrumque conferat. » Ergo electionis ac reprobationis nulla alia causa esse Calvino videtur, quam Dei voluntas et arbitrium; non opera, non fides illius; non peccatum, non mala opera, non occæcatio istius. Denique caput illud hac clausula terminat: « Cum enim dicitur Deus vel indurare, vel misericordia prosequi, quem voluerit, eo admonentur homines nihil causæ quærere extra ejus voluntatem. » Quanto hæc intervallo distent a patroni dictis, vel hunc ipsum ex advocato sibi judicem fero.

XIV. Quid quod non modo reprobationis causam tum ex rei veritate, tum ex Calvini dogmate negat solum esse Dei placitum, sed peccato illam attribuit, verum etiam prædestinationis ad salutem, vel electionis? Verba Calviniani protectoris hæc sunt, ne quis affingi quidquam illi suspicetur : « Quamobrem ista duo ex adverso sibi respondent, ut, quemadmodum si quis interroget, quare Paulus apostolus servandus sit, nemo, qui rem apud se recta via reputaverit, ab absolutam Dei voluntatem confugiendum esse censebit; hærebit in Apostoli fide, quam adhibuit Evangelio. Sic, ubi quæret aliquis, cur Christi proditor Judas sit damnandus, ad absolutam Dei voluntatem nemo sanus transvolaverit; in Judæ peccato et impœnitentia consistet. Itaque si reprobatio Anonymo est decretum de damnandis quibusdam hominibus, falsum est, quod asserit, decreti absoluti defensores statuere, motivam illius causam sitam esse in una voluntate divina. Nam voluntas quidem Dei hic intercedit, si quidem Deus non damnat nisi volens. At cur sic voluerit, causam habuit peccatum, et obstinationem in peccato invictam [3]. » Profecto quanto magis magisque in Calvini defensione ista progredior, tanto me vehementior incessit admiratio stupiditatis ac cæcitatis illius. Nam non alia, quam quæ Calvino, et ejus sectæ conventiculis a patrono falso imponitur, Arminianorum de prædestinatione ac reprobatione fuit opinio. Calvini autem longe ab illa de utraque diversa. Quam quidquid hodie protestantium est, quod ad prædestinationem electionemve spectat, amplectitur, Arminianis exceptis. Universi, inquam, catholicæ et Romanæ communionis hostes prædestinationis ad salutem nullam esse aliam causam existimant, quam Dei voluntatem. Nemo fidem, vel opera bona, præter Arminianos, causam esse motivam electionis dixerit.

XV. Primus Arminianorum articulus, sive *Remonstrantium* in Dordraceno conventiculo fuit hujusmodi [4], « Deum æterno, immutabili decreto, in Jesu Christo Filio suo ante jactum mundi fundamentum statuisse, ex lapso peccatis obnoxio humano genere illos in Christo, Arminianorum sententia.

1 Cal. lib. III *Instit.* c. XXII § 11. — 2 *Rom.* IX, 13. — 3 *Calv. defens.* — 4 Par. I, sess. 99.

propter Christum et per Christum servare, qui Spiritus sancti gratia in eumdem ejus Filium credunt, et in ea fideique obedientia, per eamdem gratiam in finem perseverant. Contra vero eos, qui non convertuntur, et infideles in peccato, et iræ subjectos relinquere, et condemnare tanquam a Christo alienos. » Perspicuum est, hujus articuli sensum hunc esse, *causam motivam* decreti divini de salvandis hominibus, horum esse fidem et obedientiam, quam Deus ex æterno præscivit; reprobationis vero, voluntariam aliorum obdurationem, qua fidem repudiarunt. Vide Remonstrantium eorumdem uberiorem dogmatis sui declarationem in Actis illius synodi[1]. Hoc Arminianorum decretum ita[2], ut dixi, intellexisse totum illum Calviniani nominis cœtum, ex aliis articulis licet cognoscere, quos illi opposuerunt; et contrariam in iis sententiam professi sunt sectæ istius universi, quorum et nomina subscripta sunt. In his canonibus adversus Arminianos statuunt, « Causam gratuitæ electionis esse solum Dei beneplacitum[3] : nec eam factam esse ex prævisa fide fideique obedientia, etc. tanquam causa, seu conditione in homine eligendo prærequisita, sed ad fidem fideique obedientiam, sanctitatem[4], » etc. Non igitur causam electionis esse fidem existimant, adeoque nec salutis, si quidem vere istud dictum est a patrono Calvinianæ reprobationis, « rei eventum cum Dei consilio necessario consentire; » hoc est « fieri non posse, ut causa quæ Deum impulit ut vellet, exempli causa, magnam hominum partem damnare, diversa sit ab ea, quæ eum impellit, in mundi fine, ut velit actu damnare. » Est enim electio consilium Dei; rei eventus, repræsentatio ipsa salutis, quæ est in tempore facta Petro. Quare, si eadem causa Deum impulit, ut ante jacta mundi fundamenta salvare Petrum vellet, quæ eum adducit, ut *actu* illum salvare velit *in mundi fine*, quod Calvini patronus asserit; electionis autem causa non est fides, ut in Dordraceno conventu tota Reformatorum adversus Arminianos natio decrevit; consequens est Petrum nec electum fuisse propter fidem, neque servatum. Patronum vero Calvini in Arminianorum dogmate versari, cumque iis ab universa sectæ suæ synodo pro hæretico damnatum esse, qui, contra quam illa statuit, eligendi, ut et servandi Petri *motivam causam*, ait hujus fuisse fidem, non *unam voluntatem*, vel *decretum Dei*.

Arminiani a synodo Dordracena damnati.

XVI. Quin iidem illi, tanquam Calviniani patroni librum legissent, ejusque nominatim sententiam ac verba notare vellent, inter Arminianorum errores hunc rejiciunt, « Electionem singularium personarum ad salutem incompletam et non peremptoriam factam esse ex prævisa fide, resipiscentia, sanctitate, et pietate inchoata, aut aliquandiu continuata; completam vero et peremptoriam ex prævisæ fidei, resipiscentiæ, sanctitatis et pietatis finali perseverantia. » Atque hanc opinionem *repugnare toti Scripturæ* asserunt; ut cum Paulus ait, *Electionem non esse ex operibus, sed ex vocante*[5]. Et alibi : *Si ex gratia, non ex operibus*[6]. Itaque non est obscura Calviniani ministri prævaricatio, et a toto sectæ suæ corpore dissensio. Nam articulis istis subscripsere ex omnibus illius Ecclesiis præcipui quique theologi ac pastores, Hollandi, Britanni, Palatini, Hessi, Helvetii, Wedderavi, Genevenses, Bremenses, Emdani, Gueldrenses, Zelandi, Frisii, Gallobelgæ; omnes, inquam, qui ex Calviniana secta contra Arminianos sententiam dixerunt, in id suffragia retulerunt, prædestinationis ad salutem, sive electionis *causam motivam* non esse fidem, aut perseverantiam ex æterno prævisam a Deo, sed solum ejus beneplacitum ac voluntatem : quod nuperus iste negat, et pro *falso, insanoque* habet Calvinianæ reprobationis defensor. Quis igitur vindicare ipsum potest[7] ab illa totius Dordracenæ synodi sententia, quæ tum articulos quinque istos, tum eorum auctores propugnatoresque damnavit, et hos ab omni ecclesiastica et academica functione summovit? Accedunt et singulorum ejusdem Calviniani dogmatis consultorum judicia, imprimisque Petri Molinæi, qui confessionem suam ad eamdem Dordracenam synodum misit, in qua prædestinationem, perinde ut illi, non propter fidem ex æterno factam esse, sed solo Dei beneplacito asserit, atque ex illa potius fidem esse concessam. Quare ex illis Christi verbis, *Quidquid dat mihi Pater, ad me veniet*[8], argumentatur sic : « Ergo prius dati sumus Christo, quam ad eum veniamus; venire autem est, credere, ut docetur versu 35 et cap. VIII, vers. 47[9] : *Propterea non auditis*,

1 Sess. 31. — 2 Sess. 136. — 3 Art. 10. — 4 Art. 9, ibid. — 5 *Rom.* IX, 11.— 6 *Rom.* XI, 6. — 7 Vide Senten. illam. — 8 *Joan.* VI, 37. — 9 Molin. in *Act. Dordr.*

quia ex Deo non estis. Ergo ex Deo sumus, antequam audiamus. Et cap. x, vers. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Ergo qui credunt, ideo credunt, quia sunt ex ovibus Christi. Non ut Arminius, qui ideo vult, aliquem esse ex ovibus Christi, quia credit. »

XVII. Rursus in eadem Dordracena synodo, Magnæ Britanniæ theologi in prima thesi, quam *orthodoxam* nominant, ex iis, quas contra Arminianos proposuerunt, diserte asserunt, « Hujus voluntatis, sive efficacis decret electionis, causam motivam non agnoscere se aliam, præter merum Dei beneplacitum; » ac subinde Arminianorum thesim illam respuunt, « Electionem singularium personarum peremptoriam esse ex prævisione et consideratione fidei in Christum, et in eadem fide perseverantiæ, tanquam conditionis in eligendo prærequisitæ. » Contra quam statuunt, « prævisam fidem et perseverantiam in fide, sequi decretum vocationis secundum propositum. At talem vocationem pendere ab antecedente prædestinationis decreto. »

Longum est et fastidii plenum, singulorum vel corporum et conventiculorum, vel hominum judicia percensere, quæ in actis illius synodi perscripta sunt, ex universa Reformatorum secta. Quorum omnium responsis nuperi illius adversatur Calviniani patroni dogma, quod mere Arminianum est, ac tam ab Calvini ipsius, quam ab totius sectæ opinione dissentit, ut mirum sit, tot synodicis suorum sententiis confixum ac confossum hominem, *Verbi* inter illos *divini ministrum, et S. theologiæ professorem* hactenus haberi; neque loco motum esse, et ad suos illos Arminianos relegatum, quorum, sub Calvini specie, doctrinam auctoritatemque defendit.

CAPUT XII.

Calvinianæ opinionis flagitia, ejusque patroni prævaricatio certis rationibus patefacta et convicta. Novitatis imprimis arcessitur, et quidem profanæ et impiæ. Tum fatalem ex ea sequi necessitatem. Stoicorum fatum tolerabilius esse Calvini dogmate. De necessitate imperite quædam a Calvini patrono jacta. Item de voluntate dicta quædam intricate, et absurde. Ejusdem de Calvino mendacium. Scripturis adversari eamdem illam sententiam.

I. Cum de absoluta Dei voluntate loquimur, qua Deus alios ad vitam destinasse, alios ad interitum dicitur, illud imprimis præ oculis habendum est, quod superius adnotavimus, absoluti vocem, et notionem non uno accipi modo; in quo vel falsos esse, vel sponte calumniari docuimus eos, qui Calvini blasphemiam cum Augustini dogmate confundunt. Quos imitatus reproborum Calvinianorum patronus, imo, ut ostensum est, causæ suæ prævaricator pessime ac ridicule totam fabulam peregit. Nam quæ adversus absolutum, ut ab Calvino ponitur, decretum reprobationis objecta fuerant, quia repelli non poterant, ad aliud *absoluti*, quod ab Augustino constitutum est, decreti genus transfugit, atque hac arte belle se perfunctum putavit ea, quam susceperat, Calvini defensione: cum alia omnia tota illa disputatione egerit, quam quod necesse fuit, et quod institutæ a se defensionis ratio postulabat. In quo incredibile illud etiam accidit, ut, cum contra Arminianos pro Calvino et Augustino disputare se profiteretur, tum cum maxime id facere cuperet, Arminii adversus ambos illos partes ac dogma tueretur: quod in antecedenti capite declaratum est. Ac potuimus quidem hac jam a nobis navata opera esse contenti. Etenim omnia hoc in uno continentur, quod jam demonstratum est: Augustini sententiam a Calviniana bis tanto intervallo semotam esse, *quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum* est. Verum, quia patronus iste plurima sparsim in ludicra illa velitatione commisit animadversione, ac *reprobatione* digna; non abs re fore putavi, si ea raptim percurrerem, ac paucis ostenderem, in verum, ac germanum Calvini dogma non flagitioso mendacio interpolatum, ea convenire omnia, quæ contra illud auctor opposuit libelli de absoluto reprobationis decreto, adversus quem patronus defensionem istam edidit.

II. Prima de novitate est exceptio, in qua diluenda manifeste prævaricatum esse patronum, supra demonstravi, quod Augustini se auctoritate tegere conatur, ut et Calvinus olim ipse. Sed neutri concedet hoc, qui aliud, quam pecudis judicium ad amborum legendos libros attulerit. Prædestinationem reprobationemque non aliter ubique spectavit Augustinus, quam in eo statu naturæ, qui peccatum Adami consecutus est; cum ex infecta et sempiterno exitio damnata tota humani generis massa certos quosdam eximere et ad salutem vitamque revocare decrevit, nullius eorum inductus meritis, sed sola gratuita et benigna voluntate, qua eadem et illis dare bona merita

Dogma Calvinianum de novitate taxatur.

constituit, sive gloriam per merita ex fide in Christum, et gratia profecta: reliquos in eadem massa destituere et propter commune massæ meritum damnare decrevit. Quod posterius Dei decretum partim absolutum est, partim non est. Nam de prædestinandis electis absoluta voluntas fuit; quia nulla eam eblandita sunt electorum merita, sed in solidum gratiæ ac misericordiæ refertur accepta. Alterum vero reprobationis decretum absolutum non fuit; quoniam ex reproborum meritis causam occasionemque cepit. Etenim quoscumque reprobavit ac damnavit, ideo perdere constituit, quia digni erant ob alienam, qua implicandos eos esse prævidit, noxam. Quod autem etiam citra proprium, et ut vocant, *actuale* peccatum iidem illi reprobati sunt, eatenus absolutum dici potest; vel si σχετικῶς et comparatione facta cum electis voluntas illa spectetur. Cur enim iste potius, quam ille in communi labe ac pernicie derelictus sit, nulla potest alia causa reddi, quam absoluta Dei voluntas.

Relative.

At Calvinus ex æquo absolutum utrumque decretum esse jubet; quoniam ante prævisum omne peccatum, corruptæve naturæ statum, Deum asserit, sola voluntate sua, alios ad æternam salutem elegisse, alios ad æternam damnationem; ut in illis misericordiam, in istis justitiam experiretur suam. Quo in utroque dicto fugit illum ratio; siquidem neque sine antecedente prævisa miseria, potest ulla cogitari misericordia, neque sine peccato, ac malo merito, justitia. Quare absolutæ cujusdam potestatis specimen est utrumque Calvinianum decretum, et in reprobis insuper crudelitate infuscatum, et injustitia, quæ nulla in Deum cadit. *Non enim est iniquitas apud Deum* [1]; nec sine peccato *infert iram* [2]. De qua re copiose supra disputavimus.

III. Cum hæc certa indubitataque sint, nonne justissima est de novitate, et ea quidem profana, et execranda, contra Calvinum præscriptio? Nonne nugari est, excusare sic illum, ut dicas: « Si Calvino dixeris, decretum esse apud Deum ex prævisione fidei et incredulitatis, qui servandi sint olim, qui non; non solum non repugnabit, sed ultro asseret [3]. » Itane Deus, ex Calvini sententia, decrevit, ex prævisione fidei et incredulitatis istos esse servandos, illos non esse? Nonne contrarium iis, quos supra citavimus, in locis plane, aperteque monstravit? Fidem ille quidem et incredulitatem interponi credidit; sed ad exequendum, non ad edendum salutis perditionisque decretum. Ut, cum absoluta voluntate, nullaque alia de causa statuerit, alios ad gloriam perducere alios in exitium præcipitare; postea, ut, quod statuit, effectum reddat, illis fidem impertiat, istos ad peccatum impellat atque excitet. Hæc, velit nolit reproborum advocatus, Calvini est opinio; quæ nullo fuco ac mendaciis præstigiisque nullis obliterari unquam poterit. Ea, *si non odium et infamiam* cum auctori suo, tum ejus sectatoribus *arcesseret*, non interpolasset, imo repudiasset Calvini defensor [4], eique Arminianum dogma prætulisset.

Eadem porro fatalem quamdam necessitatem, ac Stoica, et Manichæa deteriorem inducit; quamvis in eo multum sudat patronus, ut ab Calvino suo hanc invidiam propulset. At ego, non ejusmodi tantum, qualis vel Stoica, vel Manichæa fuit, sed utraque detestabiliorem esse Calviniani de reprobatione decreti necessitatem, hoc modo demonstro.

Fatum ex Chrysippi Stoici definitione ita describit Gellius, suffragante patrono Calvini, « ut sit, naturalis quædam ordinatio omnium rerum ex æterno, aliis ad alia consequentibus, ita ut incommutabilis maneat ista complexio [a]. » Tale autem esse, quod absoluto Calvini decreto de reprobatione texitur, probare perfacile est. Si enim *Dei voluntas rerum est necessitas*, ut Calvino placet, cujusmodi voluntas est illa Dei, talis et necessitas erit [5]. Cum igitur absoluta sit voluntas, qua Deus reprobos adjudicare pœnis, ac damnare constituit, atque ex eodem decreto procurat, ut illi in peccatum incurrant; sequitur absoluta in illis pereundi necessitas ex illa causarum serie contexta, quæ divina ordinatione nectuntur sic, ut eos in lapsum, ac demum in sempiternum interitum præcipites agant, et impellant. Non enim ex illorum libero arbitrio, quasi necessaria conditione, pendet damnandorum reproborum ferale decretum, ut ὑποθετικὸν, *conditionatumque* sit; sed absolutum est, ut dixi, cujus vi in

Fatum juxta Stoicos.

a CHRYS. Εἱμαρμένην εἶναι φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς.

1 *Rom.* IX, 14. — 2 *Rom.* III, 5. — 3 *Defens.* c. II. — 4 Quod c. III negat *Defens.* — 5 Lib. III *Instit.* c. XXIII, § 8 et lib. *de Prædest.*

peccata propelluntur, ut nonnisi justa de causa pereant, quos perire omnino vult : si est causa nominanda, quæ et ipsa pœna cum sit, causam, ut sit justa, sui alteram requirit; nec ad ullam tamen, præterquam Dei voluntatem, referri potest.

Fatum Calvinianum Manichæismo pejus.

IV. Hanc vero necessitatem Manichæa primum pejorem esse dixi, propterea quod peccati impulsorem et auctorem facit Deum, cum Manichæus, ut hoc vitaret, alterum ac proprium mali principium induxerit, ut in eo se Calvino religiosorem ostenderet.

Item fato Stoicorum.

Nam quod ad Stoicos attinet, quis non illi anteponat istos? Qui, etsi fatalem ex causarum nexu ac serie rebus necessitatem invexerint, ab hac tamen liberam hominum voluntatem interdum eximere conati sunt, atque, ut reipsa, et ex positis a se principiis illam etiam fato subjicerent, verbis tamen et utcumque disputando vindicare ab ea studuerunt. De quo habes apud Gellium plura in eo loco, quem proxime ante citavimus; et apud Ciceronem, aliosque haud pauca traduntur, cum de Stoicorum dogmate disserunt[1]. At Calviniana necessitas immutabilibus ex causis orta, non ad res tantummodo naturales et rationis expertes, sed etiam ad voluntates hominum pertinet. Etenim tum universe de omnibus, tum de humanis præsertim actionibus, Augustini dictum illud intelligendum asserit, *Dei voluntatem rerum esse necessitatem*. Quippe cum de reproborum damnatione ageret, quam aliqui non volente, sed permittente Deo fieri sentiebant; rejecta ille permissione hac, ad Dei voluntatem velut ad causam refert, eamque necessariam. Id quod ex effato illo probat Augustini. Quæ res indicat, necessario damnari reprobos, quia voluntas Dei antecedente necessitate, nec ex meritis eorum petita, illos ad exitium obstrictos et obligatos tenet.

V. Contra hæc mussitat nescio quid Calvini defensor, ac triplici constituta necessitate, causæ suæ perfugium captat. Primam necessitatem vocat, quæ est brutorum animantium[2]. Horum enim appetitus sic ad unum determinati feruntur, ut eodem modo semper moveantur, nec motionis suæ rationem cognitam habent; velut etiam gravia deorsum, levia sursum aguntur. Altera est necessitas, quæ extrinsecus accidit, et quantumvis renitenti appetitioni vim facit, atque hæc violentia, vel coactio dicitur. Tertia est, quæ « ex convenientia quadam oritur, et proportione, quæ a natura intercedit inter facultates ratione ac voluntate præditas, et objecta cum facultatum ingenio congruentia. Sic intellectus naturæ convenienter constitutus verum clare ac dilucide propositum pervidet, nec omnino potest oblatum accommodate non pervidere. Quæso enim, quis mentis compos a se impetret, quin credat propositionem istam esse veram : Si ex æqualibus æqualia demas, reliqua futura sunt æqualia? » Ex his tribus necessitatis generibus duo priora removet; tertium voluntati tribuit; quæ tum ipsa « necessario fertur in summum bonum, tum etiam media ad summum bonum ducentia recte dijudicata atque agnita necessario amplectitur. » Ita liberum arbitrium censet « sic in finem ferri, ut nequeat reprimere τὴν ὁρμήν ; » nec ad finem tantum sic rapi necessario, sed etiam ad *media*, quibus ad finem pervenitur, ita tamen, ut absit coactio, quia voluntas cogi non potest. *Impetum.*

VI. Hæc tota defensoris ratio in illud Calvini ac multorum Protestantium dogma recidit : libertati humanæ voluntatis non repugnare necessitatem, sed solam coactionem. Quod quam falsum absurdumque sit, et communi sensus humani judicio ac natura contrarium, alibi plena disputatione monstrabitur. Nunc illud satis ad institutum erit, hac necessitate posita, deliberandi et eligendi potestatem eripi. Nam, ut exemplo eodem utar, quod ille porrigit, quis, si effatum hoc intelligat, « Si ex æqualibus æqualia demas, quæ residua sunt esse æqualia, » vel illud, « Totum majus esse sua parte, » deliberandum putet, utrum assentiatur ? Quare, si sic voluntas in rem objectam trahitur, nullus jam erit consultationi locus, nec electioni, quæ ex illa oritur.

Nam quod necessario ferri in summum bonum voluntatem ait, et eadem necessitate in ea, quæ ad assequendum finem pertinent, pessime disputat. Non enim quælibet summi boni cognitio necessariam habet voluntatis illecebram, sed ea tantum, qua clare, et ut est in sese perspicitur. Ac quandiu in hac vita sumus, et ordinarium agendi cursum ac rationem insistimus, uti nondum perfectam summi boni, hoc est Dei, notitiam assequimur, ita nec perfecte ad illud adhærescimus. Sed libera et in utrumque versatilis etiam circa ipsum est voluntatis optio. Nunc enim *ex parte cognoscimus. Cum autem venerit*, *quod*

1 Ut auctorem libri *de vita Pyth.* apud Phot. cod. 249. — 2 *Defens. Calv.* c. IV.

perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est[1]. Et *Videmus nunc per speculum et in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum*[2].

VII. Suavissimum et illud est, quod patronus de voluntate et ejus actione nugatur : « At causam nullam habet, inquit, volitio; aut si habet, causa illa est alibi quam in voluntate. Etenim dici non potest, voluntatem ipsam esse suæ ipsius volitionis causam[3]. » Quænam est tandem nova ista philosophia? Satin'sanus est, qui voluntatem *volitionis*, hoc est potentiam actionis esse suæ principium neget? Atqui principium non alio est modo, quam efficiendo. Est enim efficiens causa principium, ut in *Metaphysicis*[4], traditum est ab Aristotele. Quare voluntas est causa *volitionis* suæ. Nihil est enim in rebus conditis, quod non causam sui efficientem aliquam habeat, vel solam omnium supremam; ut angeli, ut animæ, ut ea, quæ creatione producuntur; vel cum illa proximam et creatam etiam alteram. Actio itaque voluntatis, sive *volitio*, quia Deus non est, ab efficiente est aliqua causa. Aut igitur solus illius est effector Deus, aut præter hunc, alia quoque causa proxima est a voluntate diversa; aut est illius efficiens voluntas. Horum trium priora sunt duo falsa. Etenim *volitio* ex genere est actionum earum, quas *vitales* nominant philosophi; quæ ab eo principio causaque debent effici, in quo recipiuntur, et *immanentes* vocantur. Deinde quæ res alia vult, quam voluntas, cum velle dicitur? Quid est autem aliud velle, quam volendi actionem exercere? Sicut calefacere est calefactionem producere. Quocirca plenum est stuporis, et inane rationis effatum illud, « Voluntatem non esse suæ ipsius volitionis causam. » Siquidem omnis actio agentis est alicujus actio; et quæ volitio dicitur, non alterius est actio, quam volentis. At actionem esse agentis, est ab agente produci. Hoc vero est esse causam aliquid producere. Sed quemadmodum absurdum illud dictum argumentando conficiat, operæ est pretium cognoscere.

Calvini patronus de voluntate nugatur.

VIII. Voluntas, inquit, « consideratur vel ἐν δυνάμει, et quatenus est δύναμις, vel quatenus est ἐν ἐνεργείᾳ. Si consideratur posteriore hoc modo, jam actu vult. Quærimus autem causam, cur actu velit. Si priore, cum id, quod est ἐν δυνάμει, tantum semetipsum in actu non constituat, qui potest, ut voluntas, quæ est mere δύναμις, sese in actum sine ulla alia causa produxerit? Omnino igitur necesse est ut sit aliquid extra voluntatem, cujus in potestate voluntas ipsa sit. » Equidem hujus argumentationis neque nexum ullum, neque modum, neque vim ac rationem video. Voluntas ex sese δύναμις est, et facultas ad agendum libera. Habet hæc vero in potestate actionem suam, quod velle, seu *volitio* dicitur. « Voluntas, inquit Augustinus, nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro, quia est in potestate, libera est nobis[5], » ubi voluntatem appellat actum volendi, sive volitionem. Igitur quæ volens erat δυνάμει, id est *potentia*, quia velle poterat, ea fit actu volens per sese. Ac « præparatur quidem voluntas a Domino, » cum bene vult; sed nihilominus agit cum eo voluntas aliquid, « nec velut inanime quoddam nihil omnino agit, mereque passive se habet[6], » ut recte Tridentini Patres statuunt; « et ita cooperatur assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ut dissentire possit, si velit. » Fit igitur ex sese volens actu, nec alia, cur velit, quærenda causa est; cum hoc ipso libera sit voluntas, id est αὐτεξούσιος, quod ἐξ ἑαυτῆς, id est *a seipsa* habeat *agendi potestatem*, quæ ἐξουσία dicitur. Ac tametsi, cum vult actu, necessario velit; quia omne, quod est, eo ipso, quod est, necesse est esse; hæc tamen necessitas absoluta non est, nec antecedens actum, sed consequens. Ideo libertati non officit; neque quisquam, nisi plane rudis et imperitus eo genere utitur necessitatis, ut cum libertate necessitatem probet consistere. Quod cum Calvinianorum reproborum advocatus faciat, dignus non est, quocum verbum ullum ea de re commutetur[7]. Est enim in hac controversia minime sane versatus, nec valde formidandus adversarius.

In potentia. In actu. Sui juris.

IX. Nisi forte vel pudenter ac sincere, vel scienter Calvini dogmati patrocinatur, cum aut « reprobos asserit Deum non impellere ad malum, non positiva quadam actione indurare, sat habere eos sibi permittere, suapte natura in peccatum pronos atque præcipitantes, » aut eos vocare ad pœnitentiam, « proposita spe veniæ, et beatæ immortalitatis, si modo credere ac resipiscere vellent. » Quod utrumque cum illis Calvini sententiis decretisque pugnat, quæ nos supra comme-

1 I *Cor.* XIII, 9, 10. — 2 Ibid. 12. — 3 *Defens.* c. IV. — 4 Lib. IV, c. I. — 5 Lib. III *de Lib. arb.* c. III. — 6 Trid. synod. sess. 6. can. 4. — 7 *Defens.* c. IV.

moravimus; in quibus impelli, incitari, cogi reprobos ad malum et peccatum asserit ex eo, quod illos absoluta voluntate reprobavit atque exitio destinavit, nulla eorum prævisa culpa. Quinam ergo vocare illos ad pœnitentiam, aut spem salutis proponere illis potuit, quos absolute damnare, hoc est ab omni spe potiundæ salutis excludere firma et immobili voluntate constituit? Quid aliud est, quam insultare miseris, et illudere, præsertim nulla sua culpa ad tantam calamitatem redactis? Ac perinde mihi Calvinianus patronus facere videtur, cum in reprobos Dei sui clementiam collaudat, ac si Jovis in fabulosum illum Tantalum humilitatem liberalitatemque prædicet, cui fame sitique confecto inde aquas mento tenus affluentes, inde pendentes pene ad manum usque cibos ingessit. Nisi quod etiam ille crudelior est, qui necessaria comparandæ saluti præsidia gratiæ ac fidei reprobis subtrahit, cum cibum iste potumque, quibus opus erat alteri, utcumque repræsentaret. Sed, ut paria utrobique sint omnia, ecquis risum teneat, si quis Tantalo dicat, vesci ac bibere permissum esse, si vellet; aut eum culpa sua et ignavia fame illa sitique cruciatum esse, qua, si vellet, liberari potuisset? Num dissimilis causa Calviniani illius est Dei? Aut non peræque ab eo reprobi vocantur ad fidem ac beatam immortalitatem, ut ad explendas naturæ appetitiones Tantalus ab Jove provocatus fingitur?

X. Ex quo et illud sequitur, quod frustra patronus objectum ab Anonymo contra Calvinum, diluere conatur [1]. Manifeste Scripturis sacris contradicere reprobationis absolutæ Calvinianæque dogma. Nihil enim tam sæpe divinis in libris inculcatum reperias, quam Dei propensissimum studium in procurandam omnium salutem, etiam reproborum, ac suopte vitio et voluntate pereuntium. Quale istud est Ezechielis, *Vivo ego, dicit Dominus: Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat* [2]. Et innumera ejusdemmodi pene per omnes adspersa Scripturæ paginas, quibus peccatorum, quamlibet desperatorum, et vero reproborum salutem cupere se testatur Deus, et ad resipiscendum eos hortatur, et conversis veniam promittit. Quæ omnia simulata et fucata sunt, si vera est opinio Calvini. Quibus enim præcise absoluteque salutem et gratiam negare constituit Deus, non eos bona fide potest ac serio cohortari ad consequendam salutem; neque blandimentis ac minis ad hoc impellere, quo nec ipsos pervenire vult omnino, ac ne voluntate quidem et conatu aliquo tendere permittit. Ita illis consulto vias omnes salutis interclusit, non solum necessaria illis adjumenta gratiæ subtrahendo, sine qua prorsus impossibile est ad eam eniti, nedum assequi, sed etiam sponte sua jam labentes in præceps agendo ac detrudendo, hoc est cæcitatem mentis et voluntatis obdurationem in illis efficiendo. Sane ex eo, quod Deus reprobos attrahere noluit, hoc est eis manum porrigere, « pereundi necessitatem illis incubuisse [3], » Calvini patronus affirmat. Quare, si, ut Calvino visum est, ante mala eorum prævisa merita, absolute decrevit illos perdere, ac non modo gratiam iis impertiri nullam, sed ad exequendam sententiam suam, in peccatum eos detrudere; absoluta inde necessitas pereundi iisdem illis imminet, quæ salvandi et ad salutem quoquo modo invitandi voluntatem omnem penitus extinguit, ne cavillari videatur Deus, ac more illorum, quos εἴρωνας *Ironicos.* Græci nominant, dissimulare et illudere.

XI. Proinde jocularia sunt ista patroni: « Reprobis excusationem esse præcisam: Patet illis per Christum ad Dei misericordiam aditus, modo credant. » Item: « Si omnes omnino homines ad Deum sincere converterentur, et Christum Evangelii prædicatione oblatum reciperent, omnes Deus ad misericordiæ suæ fruitionem per eumdem Christum admitteret. » Isto modo dæmones etiam, « si ad Deum sincere convertantur, et Christum recipiant [4], » ad fruendam Dei misericordiam attractum iri dixerim. At non possunt, nec magis, quam isti, possunt et reprobi. Nam utrosque absoluta et insuperabilis Dei voluntas premit, ac sententia; qui omnes quoquo jure ac modo profligare, ac damnare constituit. Quod a Calvino traditum fuisse, si oculos, quibus legat, et frontem patronus habet, inficiari non poterit. Est igitur reprobis justissima causa tum excusandi sui, tum incusandi Calviniani Dei, quod illos pro potestate sua immerentes oppresserit.

1 *Defens.* c. IV. — 2 *Ezech.* XXXIII, 11. — 3 Calv. *Def.* c. V. — 4 Ibid. cap. VI.

CAPUT XIII.

Calvinianæ reprobationis dogma Dei naturæ ac sanctitati repugnare, contra ejus defensorem probatur. Calvinum contraria invicem scripsisse; neque ideo excusari merito debere. Ex illius doctrina consequens esse, Deum peccati auctorem esse magis, quam aut reprobum, aut diabolum. Adamum non libera voluntate sua, sed necessitate impulsum ad peccandum ex Calvini sententia. Calviniani defensoris falsa et imperita de necessitate disputatio. Duplex necessitas explicatur, absoluta, et conditionata.

I. « Doctrina illa de absoluto Dei decreto, qualis a Calvino ponitur, naturæ Dei ac sanctitati ejus adversatur, » ait Anonymus, et quidem verissime. At patronus ad illud repellendum crimen satis habuit, alia quædam Calvini ejusdem referre loca, in quibus vel id se negat dicere, vel « ex perversa hominis concupiscentia, tanquam ex fonte, provenire asserit, quidquid est malorum[1]. » Ita liberari Calvinum ab omni culpæ suspicione concludit. Hoc defensionis modo nemo fere non innocens erit hæreticus. Nam aut dixisse se negabit, quod præsertim obscure intorteque concepèrit; aut cum istis improbe ac nefarie scriptis alia compensabit alicubi commode et catholice dicta: ut sunt in amentibus ac furiosis intervalla quædam bonæ mentis. « Habent quippe hoc hæretici proprium, ut ait Gregorius Papa, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent, minime persuaderent. Rursum, si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent. Sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, et ex malis bona inficiunt, et ex bonis mala, ut recipiantur, abscondunt[2]. » Prudenterque Facundus Hermianensis, « Sicut, ait, illorum doctrina, qui extra Ecclesiam constituti multa vera, et necessaria conscripserunt, non potest pro iisdem veris et rectis et necessariis catholica judicari; ita domesticorum Ecclesiæ doctrina, vel si in aliquibus ostendantur errasse, non pro eis condemnanda est velut hæretica[3]. »

Nihil itaque Calvini causam sublevat, quod interdum aliqua sunt ab eo scripta laudabiliter; si tamen ejusmodi illa sunt, quæ ad eum purgandum patronus affert: quorum pleraque subdolæ insidiosæque fuco cavillationis obducta sunt. Sed nunc minime ista morose scrutari volumus. Satis enim illa sunt ad eum convincendum tam perspicua et diserta, quam immania et execranda dogmatum flagitia, quæ antea illius e libris attulimus; quibus color allini nullus, nullæ artes ac prestigiæ comparari possunt. Unde istud ipsum, quod ab Anonymo est objectum, certissime consequitur, talem ab Calvino subornari Deum, qui tantum alienus ab omni sanctitate sit, quantum omni peccatorum omnium labe et contagione pollutus.

II. Dicam amplius, talem ab Calvino fingi Deum, qui scelerum omnium, quæcumque ab hominibus, vel dæmonibus perpetrantur, non modo socius et particeps, sed solus auctor ac reus merito sit habendus. Quod utrumque ex illius dogmate, ac decretis recte ordineque sequitur. Auctorem esse constat ex eo, quod nullum, nisi Deo volente, jubente, instigante malefactum ac scelus admittitur, ex mente Calvini; quod ex æterno decrevit illa fieri, quod « per se, ac ministrum iræ suæ Satanam ad exequenda sua judicia, » id est, ut idem interpretatur, ad consciscendam sibi per peccata cæcitatem cordis ac duritiem, « reproborum consilia destinat quo visum est, et voluntates excitat et conatus firmat[4]. » Quid autem est hoc aliud, nisi auctorem et effectorem esse peccati? Etenim non alia de causa Diabolus auctor esse peccati dicitur, et a Græcis passim εὑρέτης κακίας vocatur, nisi quod « instigat, inflammat, et tanquam vasa sua movet[5], » ut ait Augustinus. Et tamen nihil, nisi alieni consilii, decreti ac voluntatis executor est. Quanto magis auctor ille censendus est, a quo ceu fonte, vel summa ultimaque causa « manat efficacia erroris[6], » et rei totius gestio decreta, ordinata impulsaque dicitur? qui etiam ad id, quod ex æterno fieri voluit, perficiendum, procreatis a se voluntatibus tam diabolicis, quam humanis voluntate ipse sua necessitatem affert. Quæ, cum illarum vim omnem adeo superet, ut « eas in obsequium cogat[7], » libertatem iis ipsis adimit, quæ in faciendi, aut non faciendi potestate consistit, atque ab iisdem in sese omnem

Inventor malitiæ.

1 Cap. vi. — 2 Lib. V *Mor.* c. x. — 3 Lib. XI. — 4 Calv. lib. II *Inst.* c. iv, § 3. — 5 In *Ps.* lv. — 6 Calv. lib. I *Instit.* c. xviii. § 22. — 7 Ibid.

peccati noxam, atque invidiam trajicit. Fiunt enim innocentes, qui aliter, ac fecerunt, facere minime poterant, compellente ac *cogente* Deo, dæmones ac reprobi; ac solus hæret in culpa Calvini, sic tanquam Marcionis, aut Manetis Deus, ab vero Christianorum Deo di-
Atheus. versus, ut ejus blasphemiæ merito ἄθεος et ipse perditi inventor dogmatis, et illius imitatores
Athei. ac fautores ἄθεοι nominari possint.

III. Julianus ille christianæ fidei desertor apud Cyrillum Alexandrinum asserebat, nationibus singulis ac populis suos præesse proprios Deos, quos ἐθνάρχας, et πολιούχους θεοὺς vocant, hoc est *gentium rectores*, *urbiumque curatores genios* [1], cujus rei id indicio esse putabat, quod iisdem præditos moribus, et a natura velut affectos populos cernimus, qui sunt ejus, quod illis præsidet, numinis peculiares. Sic enim pugnaces esse Gallos et Germanos, quod in Martis tutela sunt; alios item aliter esse moratos, prout ille est Deus, cujus gubernatione continentur. Cujus dissimilis indolis negabat constare rationem, nisi in plures ac dispares illorum esset partita curatio; ac si unius omnes nutu, et quasi præfectura regerentur, ut Christiani sentiunt. Adversus hunc Cyrillus disputans, ex ipsa voluntatis humanæ libertate sumit argumentum, quod huic loco peropportunum est. Etenim, si est populis omnibus suus quidam attributus præses, a quo proprii ipsius in quemque mores necessario derivantur; non jam illis, inquit, licebit libere facere quod velint, ac frustra leges iis et privatim publiceque vivendi præcepta tradentur, neque aut hortationibus ad virtutem ac præmiis incitandi erunt, aut a malefactis absterrendi comminatione pœnarum. « Nam, nisi cuique conceditur, quod volet, iter tenere vitæ, sed aliorum nutu potius agitur, nec effugere, aut extricare se vinculo hoc omnino potest; leges, ac cætera omnia, quæ utilitatem afferunt, amputanda erunt [a]. »

Vides, ut Cyrillus libertatem penitus extorqueri eo ipso censet homini, quod ex alieno nutu, ac decreto voluntas illius ac vitæ ratio suspenditur, neque juri suo ac potestati permittitur, ut quam volet in partem libere deflectat. Hinc ille leges, hinc præcepta vivendi, hinc humana omnia vacare penitus instituta judicat, quibus bonorum malorumque discrimen ac vitæ totius administratio continetur. Quis non omnia ista multo evenire magis videat, absoluta illa posita divini decreti necessitate, quam Calvinus invexit? Quæ neque mutari semel fixa potest, nec ullius eludi calliditate neque vi, ac virtute superari.

IV. Ex quo illud efficitur, quod in hoc capite potissimum agitur, auctorem ab eodem illo peccati constitutum esse Deum. Certe ille ipse, quem *auctorem* nominari vulgo peccati diximus, Diabolus ob id ejus auctor ab Augustino vocatur, quod ab eo « peccati suasio prima venerit. » Sic enim loquitur: « Quis nesciat fidelium a Satana venisse primam peccati suasionem, et quod ille primus auctor sit omnium peccatorum [2]? » Et alibi peccatores eidem Satanæ « esse subditos ait, velut principi, auctorique peccati [3]. » At idolum illud Calvinianum non tantum suadere dicitur, uti peccatum fiat, sed, quod efficacius est, ac violentius, id absolute *decernere*, et ad hoc *excitare*, *impellere*, *cogere*, *imperare* denique, et iis omnibus inevitabilem necessitatem inferre peccandi. In quo reprobationis Calvinianæ defensor manifesti se mendacii alligat, ex Calvini opinione asserens, « primum peccatum, quod Adam cum universa posteritate in exitium traxit, ab ipso sponte admissum fuisse, non Dei instinctu [4]. » Quod sane reipsa verum est. Sed longe aliter Calvinus iis in locis docuit, quæ ex eo supra memoravimus; ex quibus auctor atque causa peccati, et quidem solus esse monstratur, cæteri extra culpam omnino sunt, tam Diabolus quam Adamus, et posteri hujus omnes, qui hoc peccando fecerunt, et etiamnum faciunt, quod necesse sit ab illis fieri, neque quominus fiat, evitari possit.

V. Quamobrem dicat quam volet sæpe Calvini patronus, « peccati causam esse spontaneum cordis affectum atque liberum, quamvis corruptum mentis arbitrium [5], » ut a Deo noxam omnem removeat; nunquam obtinebit, ut vel illa non scripserit Calvinus, quæ his adversa, et in Deum contumeliosa

a Cyril. *cont. Jul.* Εἰ μὴ γὰρ ἑκάστῳ μέτεστιν ἣν ἂν βούλοιτο τοῦ βίου διάττειν ὁδόν· ἄγεται δὲ μᾶλλον τοῖς ἑτέρων νεύμασι, καὶ δυσδιάφυκτον ἔχει, μᾶλλον δὲ καὶ ἀνεξίτητον παντελῶς τὸν ἐπὶ τούτῳ δεσμὸν, περιαιρετέον ἤδη καὶ νόμους, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν χρησίμων.

1 Cyril. lib. IV *contra Jul.* — 2 Aug. lib. *de Nat. et grat.* c. xxviii. — 3 Lib. I *de Nup. et conc.* c. xxiii. — 4 Cap. vi. — 5 *Def. Rep.* c. vi.

illius e libris antea decerpsimus, vel aliud consequens ex iisdem dictis esse judicemus, quam peccati auctorem, effectoremque Deum esse, qui spontaneum istum cordis affectum, hoc est cæcitatem animi, ac sensum reprobum ingeneravit homini, et ut inesset illi decrevit, ac necessitatem porro excipiendi ac perpetiendi ejus inflixit.

Nam quod « liberum, quamvis corruptum, mentis arbitrium » in reprobis manere, et his causam ait afferre peccandi, non est consentaneum superioribus illis Calvini sententiis; quibus liberum in reprobis esse negavit arbitrium, aut si ullum esse dicitur, id appellatione esse tenus, reipsa vero manere nullum, cum sit peccato omne sublatum. Quam sit autem remotum ab communi sensu et humano judicio, liberum arbitrium tale esse, fingere, quod absoluta necessitate implicatum obstrictumque sit, dicam alio in loco; cum adversus hodiernam hæresim, ejusque portionem et appendicem, pro Tridentini decreti auctoritate certabitur. Nunc illud sumimus, ubicumque absoluta necessitas intervenit, quæ integram et indifferentem utriusvis optandi potestatem eripit, non hic operari, aut explicare se liberum arbitrium; nec adeo liberam esse illam actionem, neque laude, vel vituperatione dignam, si neque sponte sibi quispiam illam necessitatem arcessiverit, et aliena potentioreque voluntate ac vi majore, uti dicere solent, in eam sit impositus. Hujusmodi vero reproborum et obduratorum a Deo causam ab Calvino constitui si patronus negat, neget idem meridie lucere, aut eo ipso convinci concludique, hominem esse, quod rationale sit animal.

VI. Enimvero multis modis importunus est, neque ferri potest reprobationis Calvinianæ defensor, qui « Adamum, ex magistri sui mente audet dicere, suapte voluntate, nulla vi externa coactum, nulla interna sollicitatione, quæ a Deo esset, impulsum peccavisse[1].» At huic silentium suus ipse magister indicit; qui Deo volente et impellente, ac voluntate ista necessitatem inferente, peccasse ait Adamum[2]. Neque vero sola ad id præscientia Dei Calvino satis est, ut, quod reipsa futurum erat, atque, etsi non necessario, sed libere ac contingenter, omnino tamen facturus erat Adamus, prævidérit. In quo frustra est, et ludos agit illius defensor, dum hac se præsensione tueri conatur. Nam aliud est, præscisse Deum, quod Adamus esset acturus, invito se, ac fieri nolente, sed libertate uti tamen sua permittente. Quia « *Deus non volens iniquitatem est*, proindeque nolens; et ea tamen nolente fit illo. Adeo non quidquid non vult Deus, id non fit, aut fit quidquid vult, quoties voluntas absoluta non est, neque voluntatem antecedit hominis, sed ad eam decretum suum accommodat. Nam si absoluta est, et antecedens, infert illam, quam stolide voluntati Dei universe tribuit Calvinus, faciendi necessitatem. Qua et ipse misere implicatus hæret ὁ ὑπερασπιστής, neque consequentem necessitatem ab antecedente potuit, aut scivit distinguere. Itaque, dum imperite philosophatur, fœdissima ruina concidit. Adamum enim et libere peccasse, et tamen necessario id fecisse, probat in hunc modum. Deus certo prævidit, Adamum peccaturum[3]. Certo ergo peccaturus fuit. « Veritas, inquit, visionis, seu cognitionis consistit in convenientia notitiæ ipsius cum rei natura; ut, si res sit omni modo contingens, non possit aliter vere cognosci, quam ut contingens est. Quamobrem si certo id Deus prævidit, omnino necessarium fuit. » Respondet huic argumento Boetius in quinto libro *de Consolatione philosophiæ;* cujus verba ibi descripsimus, ubi de futuris contingentibus eorumque certa penes Deum scientia disputavimus[4]. Duplex igitur ab illo et eodem auctore ab cæteris necessitas ponitur; una *simplex*, quæ et antecedens et absoluta dicitur, ut, necesse est omnes homines esse mortales; id enim absolute decretum est a Deo post peccatum, sine conditione aliqua, quæ decreti illius exitum velut in suspenso habeat: altera est « necessitas conditionis, quæ in scholis *conditionata*, vel *hypothetica*, et *consequens* vocatur, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. » Est enim non absolute necesse, ut ambulet, sed conditione illa posita, si ambulet, ac si certo scias illum ambulare, eademque non ambulationem præcedit, sed eam prævisam sequitur. Hæc posterior necessitas cum libertate non pugnat; eadem enim ambulatio in sese libera est et contingens: ut autem a Deo prævidetur, conditionatam necessitatem trahit.

Defensor.

VII. Porro captiosa et sophistica est illa defensoris collectio, « Necessarium fuisse, ut homo laberetur, » eo quod ita futurum esse Deus prævíderit. Pessime, inquam, ab ea necessitate, quæ κατά τι, vulgo *secundum quid* dicitur, ab-

1 *Def.* c. VI. — 2 Calv. III *Inst.* c. XXIII. — 3 *Def.* c. VI. — 4 In lib. V, c. VII, § 4.

solutam ducit enuntiandi formulam. Ut si argumentere, Æthiopem album esse, quia dentibus est albis. Itaque quod certo fore illa concludit, quæ Deus fore prævidet, ac necesse esse, illa, uti fiant, quomodo sunt, a Deo prævisa, facile est dissolvere. Si enim causam ipsam spectes, cujus libera est et contingens actio, neque est certo, neque necessario futura illa res; sed quasi in suspenso hæret, ut esse possit, aut non esse : sin, quod futurum est, cum Dei scientia compares, et certo erit, et necessario. Idem enim est asserere, necessario fore id, quod Deus fore prævidit, ac necessario rem esse, cum est. Siquidem Deus futura omnia velut in conspectu habet, et eo modo futura esse, quo futura sunt, videt; hoc est ea, quæ libere fient, libere futura, quæ necesse est esse, necessario futura. Neque vero necessitas illa penes rem ipsam, sed penes Dei scientiam consistit. Et pessime defensor hoc modo ratiocinatur: « Quod cognoscitur ut futurum, si non cognoscatur, ut contingens, ac pendulum inter duas dubias, et incertas futuritiones, cognosci ut necessarium determinatumque palam est. Necessarium ergo fuit ut homo laberetur. » Etenim quidquid libere futurum præscivit Deus, sic illud fore præsensit, ut, quod ad causam attinet, antequam semetipsa determinet, velut suspensum incertumque sit futurum, idem tamen fore videt, et certo ac necessario videt; quia, quo libere sit inclinatura voluntas, et quid de duobus electura, ex æterno conspicit. Nec ideo falli potest, si non necessario fore dicatur id, quod futurum prævidet; sed in utrumvis voluntatem posse hominis inflecti, adeoque in contrarium ejus, quod futurum prospicit. Ita enim contra ac facturum prævidit, facere posse hominem, ex omni æternitate vidit; ut non aliter tamen quam uti vidit, esse facturum viderit. Ut in homine faciente nulla sit necessitas faciendi, sed in Deo ipso quod futurum est, certo præsciendi; ex quo in effectum ipsum necessitas redundat non antecedens, aut absoluta, sed conditionata et consequens.

CAPUT XIV.

Calvinianum de reprobatione decretum pugnare cum Dei justitia. Calvini patronum ministrum nequiter dissimulare, aut nescire, quæ sit magistri sui opinio.

I. Est quædam humanis innata mentibus justitiæ notio, quam in eo consistere docti indoctique omnes intelligunt, ut sit, quod jurisconsulti definiunt « constans, et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi[1]. » Quæ justitiæ ratio etsi in eam proprie convenit, quæ vel in privatorum inter se commerciis, vel in distribuendis in bene meritos publicis præmiis posita est; unde duplex justitiæ species oritur; una quæ *commutativa*, altera, quæ *distributiva* dicitur; latius tamen nihil eam patere prohibet, ut ad eam quoque pertineat, quam διορθωτικὴν vocat Aristoteles : quæ, quia proprium hoc habeat, ut injuriam vindicet, *vindicativa* solet appellari. [2] Quamvis enim jus nemo habet ad luendas criminis sui pœnas, harum tamen exigendarum jus est in magistratu; ejusque forma ista præscribitur, ut nec sine culpa plectatur quispiam, neque modum delicti supplicii gravitas excedat. Quæ cum duo sint injusta, et ab officio boni viri, ac moribus aliena, tum prius illud multo est teterrimum, innocentem inauditumque damnare. Quod et tyrannicum est, et a Deo, *cujus natura* non minus est justitia, quam *bonitas*, longius amovendum.

Est innata homini justitiæ notitia.

Injustum insontem plecti, aut sontem ultra meritum.

At Calvinus, ut supra evidenter copioseque monstravimus, illo suo reprobationis dogmate talem describit Deum, qui nulla sua culpa majorem hominum partem devovit exitio, et in eum finem creavit, ut in illis cruciandis potestatem exerceret suam, vel inhumanitatem potius et crudelitatem. Quem etiam asserit, ut decreti illius exequendi justam et probabilem occasionem sereret, ultro ipsos ad peccandum impulisse « per se ac ministrum iræ suæ Satanam, » etc., ut peccare vellent, vim etiam ac necessitatem adhibuisse. Hæc sunt ex ipsis Calvini libris ac sententiis verbisque tam aperte convicta, ut ea negare parum pudentis hominis sit, et nimium perfricta fronte mentientis. Itaque recte hoc Anonymus absoluti oppugnator de

1 Just. l *Inst.* tit. I. — 2 Ut V *Eth.* c. II.

reprobatione decreti contra Calvinum objicit; et qui contra hunc scripsit, Calvini patronus frustra inficiari conatus est.

Calvini patronus vel dissimulat vel magistrum nescit.

II. Quanquam Anonymus iste non satis accuratus videtur in ea, contra quam disputabat, informanda sententia, dum bifariam divisos ait esse absoluti decreti propugnatores. « Nonnulli, inquit, ex illis, qui absolutum Dei decretum asserunt, dicunt, Deum multos homines, non considerato prorsus peccato, adeoque adhuc justos, ad mortem æternam destinavisse. Alii vero, neminem Deum damnandum decrevisse, nisi respectu habito ad Adami peccatum, cujus omnes homines reos esse voluit : quod plane eodem recidit. Utrique enim, Deum hominibus necessitatem nascendi in originali peccato imposuisse fatentur, Deumque maximam partem humani generis ob peccatum illud pœnis æternis addixisse, nulla habita consideratione peccatorum actualium.» Hæc Anonymus parum, ut dixi, considerate. Nam, cum duæ veluti partes sint eorum, qui absoluto reprobari decreto homines sentiunt, contra quos ille disputationem suscepit istam, et alii Augustinum auctorem habeant, alii Calvinum; neutrorum opinionem sincere ac fideliter expressit. Etenim qui sine ullo ad peccatum vel proprium, vel commune respectu, destinatos esse reprobos ad exitium sempiternum asserit Calvinus, neutiquam is justos illos fuisse censet, quos nunquam justificari prorsus existimat, ut supra docui. Neque enim, si nullo peccato adhuc infectos illos objecit sibi Calvinianus Deus, consequens est, eos fuisse justos. Quippe medio inter utrumque statu, naturali scilicet, et ut homines erant, notitiæ suæ, decretoque subjectos habuit. Ita de Calvino falsus est Anonymus. Nec minus in altero genere fugit illum ratio, quod Augustini sententiam continet, in eo diversam ab Calviniana hæresi; quod hic nullius reos delicti, solo Dei placito, destinatos esse supplicio reprobos ait; Augustinus nonnisi primi culpa parentis irretitos, et in quadam corrupta et damnabili massa deprehensos, cujus merito rejici ac reprobari eos asserit. Quam opinionem non debuit Anonymus cum priori ita conferre, ut eodem recidere utramque diceret. Id enim non falsum modo est, sed injuriosum etiam memoriæ sanctissimi eruditissimique doctoris, quam præter meritum detestandæ labe blasphemiæ, ac nefarii erroris aspergit. De quo, qui a nobis toto hoc, et antecedente libro plene et uberrime disputata legerit, dubitare amplius non poterit. Nam quod utrobique Deum affirmat Anonymus, necessitatem nascendi in originali imposuisse peccato, Pelagiani hoc objicere quondam Augustino solebant; ad idque sæpius ille respondit, Deum asserens, naturæ hominum satorem esse solius, et auctorem; nascentem vero parvulum non a Deo, sed a parentibus, ipsoque adeo primo omnium Adamo trahere originale delictum. « Gignitur, inquit, peccator actu adhuc nullus, et ortu novus, sed reatu vetus; homo a creatore, captivus a deceptore, indigens redemptore [1].» Quod quemadmodum accidat, non est præsentis loci pertractare, sed in alium differre hoc oportet, quando de peccatis, et inter hæc de originali disputabitur.

III. Cæterum, omissa nunc Augustini sententia, et ab Calvini blasphemia sejuncta, manifestum est ea, quæ de reprobationis novæ hæresis architectus iste prodidit, abhorrere ab justitia Dei, et immitem ac truculentum potius tyrannum decere : quod superius necessariis argumentis evicimus.

At Calvini patronus, frigida, et inscitia tergiversatione mirari se dicit, « quinam illi sint, qui docent, Deum damnare homines innocentes cum nocentibus, aut nullo habito respectu ad peccatum, et hoc, inquit, fateor me ignorare [2] » Atqui non longe quærendus hic erat, et si Calvinum suum legisset, ac rationis et judicii paululum adhiberet, ignorare se, quis esset ille, dissimulando posset fingere ; vere, et ex animo profiteri non posset. Non illud quærendum fuit, « quis homines innocentes cum nocentibus damnari a Deo » dixerit. Nemo, quod sciam, hoc dixit. Non alios damnari, quam nocentes, Augustinus credidit. Calvinus, nocentem nullum, innocentes omnes damnari statuit. Itaque hic ille est, quem nondum reperisse se, patronus aut mentitur, aut, si serio agit, non condonanda in Calvinianæ sectæ magistro inscitia fatetur. Hic est, inquam, qui longe absurdius intolerabiliusque, quam ut præ se fert quæstionis formula, non innocentes cum nocentibus, sed innocentes solos a Deo damnari voluit. Innocentem hic ego communi sensu, ac significatione eum appello, qui nullius sit delicti reus; nihil mali ac facinoris admisit. Tales ergo ad sempiternum exitium destinari ac devoveri, quis tandem asserit ? Nonne qui sic loquitur ?

1 Aug. I *de Nupt. et conc.* c. XIX. — 2 *Defens.* c. VIII.

« Ergo, si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem [1]. » Hic ille prorsus est, qui « Deum non alia de causa reprobare homines affirmat, nisi quod ab hæreditate, quam filiis suis prædestinat, illos vult excludere [2]. » Qui nullam, præter Dei voluntatem, reprobationis causam inquiri patitur. Qui illa denique tradidit, ac scripsit omnia, quæ superius illius ex *Institutione* selegimus, quæque Theodorus Beza perspicue ac citra ambagem et dissimulationem exposuit itidem, ut a magistro, *aspis a vipera*, ut in proverbio est, expresserat. Hunc vero cur a Calvino separet, nec se in illius methodum jurare velle dicat, cum Calvini, a quo nihil iste differt, patrocinium sumpserit, explicet si potest, et delicias agere desinat. Nobis constat, ut et Theodoro Bezæ, et Protestantibus plerisque, non aliter, quam uti supra demonstravimus, in *Institutione* sua Calvinum de reprobatione sensisse.

Cum divina justitia pugnat dogma Calvini.

Hujusmodi porro cum divina pugnare justitia, quod probare hic instituimus, iisdem ex antecedentibus capitibus liquet, et Augustini decretis, quæ ibidem attulimus. In quibus injustum id esse definit, si sine culpa plectatur aliquis; multo vero magis, si, ut decernendi supplicii colorem, et occasionem habeat, in peccandi necessitatem miseros ipse compellat.

IV. Sequitur injustitiæ ac tyrannicæ atrocitatis in Calviniano Deo specimen aliud. Etenim reprobos ille censuit, necessariis ad salutem præsidiis omnibus destitutos, neque fide donatos, imo vero fixo et immutabili decreto in sempiternum illa carituros, ob idipsum tamen damnari, quod eam non habent; quippe Dei nihilominus imperio, ac mandato cogi, ut illam habeant, quam habere omnino nequeunt. Quid hac vero lege, non solum iniquius, sed etiam vecordius ac furiosius? Nam « jure nemo obligatur ad impossibilia, » ut recte Anonymus objicit: « Ergo, cum secundum illos impossibile sit, ut reprobi fide salvifica credant, non potest ab illis jure exigere, ut credant, non magis quam ab homine, ut instar avium volaret. » Hoc ipso nos argumento contra Feneratorum patronum in eamdem implicatum sententiam nuper usi sumus, quod et Calvini defensor animadvertit. Etenim perinde facere Calvinianum Deum ostendimus, qui, cum reprobis præstandæ fidei potestatem omnem ademerit, eos tamen ad eam assequendam obligat; ac si ideo damnaret hominem, quod volucris instar aera non pervolet, aut quod Alpes, aut Pyrenæos humeris impositos alio non transferat. Hoc cum dicimus, negat, nos reprobationis Calvinianæ patronus suorum vel legisse scripta, vel, si legimus, intellexisse; aut certe calumniandi studio data opera depravasse queritur. Atqui et legisse nos, et intellexisse, quæ esset opinio Calvini, testis erit quisquis hujus libros viderit, et quæ nos supra ex illis descripsimus loca, quæque ad ea disputavimus, cum iisdem conferre voluerit. Istum vero, si serio de nobis talia jactaverit, prorsus hebetem, et ejus, quod tueri se profitetur, ignarum esse dogmatis agnoscet.

Apta comparatio.

V. Age enim comparemus illa invicem, et quam sint similia videamus. Si quis volare per aerem avis instar hominem jusserit, ac nisi id fecerit, mortem ac supplicium repræsentet, is sine dubio crudelis sit, et injustus; itidemque si montes alio transferre sub eadem mortis denuntiatione præcipiat. Ac multo etiam inhumanior et injustior habebitur, si plagis ac verberibus ante debilitaverit, et exossaverit, ut humi stratus commovere se loco nequeat, et eadem tamen illa, quæ dixi, præstare illum jubeat. Cur autem injustus, qui talia imperet, esse censebitur? Nonne quia, quod impossibile esse scit homini, extorquere ab eo conatur, præsertim si mali nihil de se meritum male ante multaverit? Atqui eamdem omnino personam Deo illi suo Calvinus imposuit; ac pari in reprobandis miseris atrocitate uti illum asserit. Homo sine Dei ope atque gratia nihilo plus *salvificam illam* Calvinianorum *fidem* obtinere potest, quam ille ipse, quem dixi, volare, aut montes transferre. Gratiam porro negare funditus reprobis ex æterno constituit Deus, ut Calvino placet; idque non aliam ob causam, quam quæ illum, ut eos reprobaret, ac damnare vellet, adduxit. Hæc autem est solum ipsius placitum, ac mera, et simplex ejus voluntas; præter quam nefas sit causam aliam requirere. Atque, ut hoc ipsum suum *horribile*, ut vocat, *decretum* exequeretur, primum Adamum efficaci consilio, et impulsu, imo vero necessitate, quia Dei voluntas, ut idem ait, rerum est necessitas, tum reprobos deinde omnes in peccatum, et hos postremo in damnatio-

1 Calv. lib. III *Inst.* c. XXII, § 11 — 2 Idem, c. XXIII, § 1.

nem, ac pœnam præcipites dejecit. Et idem tamen reprobis, nisi credant, ac fidem exhibeant, quam ne velle quidem habere possunt, extrema comminatur supplicia. Ne Diabolus quidem tam importunus ac vecors esse potest, quam iste commentitius et hæreticus Deus.

VI. Quid adversus hæc, obsecro, si verum dicere velit, reprobationis defensor Calvinianæ mutire poterit? Negabit, illa magistri esse sui decreta, quæ dixi? Sed mendacii convincent eum subinde sententiæ illæ, quas ex *Institutionum* libro retuli; qui liber in promptu omnibus est, ut occultari ac dissimulari doctrina illa nequeat. An dissimilem eorum, qui in exemplum, et similitudinem adducti sunt, ac reproborum esse rationem contendet? Ita quidem ille. Sed velim ostendat, quid sit utrobique dispar. Atenim inquit, « si reprobi vehementissime vellent fidem Evangelio adhibere, utique id possent. » Credo et alter volaret, si alas item, ut volucres haberet, aut Alpes quocumque jussus esset transportaret, si satis virium illi suppeteret. At neutrum ei subest, nec subesse potest, uti neque voluntas reprobo, nec potestas exprimendæ fidei.

Quam hæc porro futilia sunt Calviniani patroni! « Non posset volare in iis, quibus alas natura negavit, est a defectu facultatum naturalium, et inopia eorum instrumentorum, sine quibus res perfici nequit. At non posse credere in reprobis neutiquam est a consimili causa, sed ab eo, quod facultatibus a natura concessis ad eam rem uti nolunt. Uti autem nolunt, quia mali sunt. » Atqui nolle ipsi nequeunt, non ulla sua culpa, si Calvinum audimus, sed Dei voluntate; quam esse solam, et supremam causam asserit tum damnationis illorum, tum depravationis, et peccati; quod ad æternum decretum suum exequendum ita per se, perque iræ suæ administros procurat, ut necessitatem illis afferat ea voluntate, quæ est rerum necessitas. Quamobrem, uti volare homines nequeunt, quoniam absoluta voluntate sua Deus hanc illorum naturæ facultatem negavit, eamque soli volucrum generi concessit; sic idem Deus absoluta, et necessitatem inferente voluntate certos ad damnationem destinavit, quos propterea fidei in perpetuum exortes decrevit facere, nulla uti vi, aut conatu illam capesserent. Non enim eventum rei, et efficientiam suam ex illorum libero arbitrio moderatur ac suspendit, ut pro eo ac vellent et eligerent, ita fidem illis donaret, aut ea privaret. Hoc enim qui dicunt, acerbo in eos, et implacabili odio Calvinus efferbuit. Legat hunc magistrum suum attentius illius sectæ minister, et obstrepere desinat inutili opera, nescio quæ istius loca congerens, in quibus aliter sentire visus est. Quæ neque nos moramur, cujusquemodi sint, nec ad rem pertinent. Quin ea, si potest, excuset, quæ ex illius *Institutione*, ubi ex professo traduntur ista, superius adduximus. Hæc enim per sese, tacentibus nobis, idonea sunt ad comprimendam defensoris inanem loquacitatem. Cujus ille totus ex mendaciis contextus liber præscriptione hac una refellitur : Non eam esse Calvini de reprobatione, deque reproborum obduratione, ac damnatione sententiam, quam exponere, ac propugnare illic instituit, sed diversam penitus eique contrariam. Itaque quidquid machinarum adhibet ad illam tuendam, ac quæcumque molitur argumenta, non pro Calvino illa facere, sed contra hunc potius, ut collusoris ac prævaricatoris partes magis in causa ista, quam patroni, ac defensoris egisse videatur.

CAPUT XV.

Calvini de reprobatione sententiam simulationem affingere Deo, ac sinceritatem adimere; qui quod se velle et ardenter cupere demonstrat, nolit absolute. Deum omnes homines serio ad salutem invitare, et quantum in se est, adjuvare, oblata etiam interiore gratia. Ex quo idolum Calvini refellitur, quod histrionis more ludit, et mentitur. Reprobationis Calvinianæ patronus erroris, et inscitiæ, vel imposturæ convincitur. Demonstratur iterum ex Calvini sententia, Deum absoluto et antecedente decreto reprobos ad æternum interitum destinare, nulla eorum prævisa culpa propria, vel originali, sed ostentandæ severitatis gratia. Tum illos ad peccatum et damnationem necessitate propellere. Patroni inscitia, qui, contra quam ille sensit, ac scribit, reprobos ex meritis suis destinari ad exitium asserit. Legem nullam æquam esse, vel obligare, quæ sit impossibilis; cujusmodi ex mente Calvinianorum est a Deo lata.

I. Non minus veritati sinceritatique divinæ, quam justitiæ, quam misericordiæ, ac reliquis Dei proprietatibus repugnare Calvi-

nianam reprobationem, necessario sequitur ex antecedentibus. Quid enim veritati tam adversum est quam mendacium, aut sinceritati, quam simulatio, et quam διπλόην Græci, *duplicitatem* nostri vocant, quæ et ipsa mendacium est, sive in rebus et factis, sive in verbis consistit? « Omnis simulatio, ait Ambrosius, et omnis duplicitas mendacium est. Ergo non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium comprobatur[1].»

Hypocrisin. Hanc ὑπόκρισιν Græci nominant, « celantem occulta cordis, ut ait Tertullianus, et secreta superficialibus officiis obumbrantem. » Hujusmodi mendacii, simulationisque personam Deo suo, tanquam mimo, et histrioni larvam Calvinus induit nefaria illa, et sacrilega hæresi de absoluta et peccati præscientiam antecedente reprobatione[2]. Etenim infinita sunt Scripturarum utriusque Testamenti loca, quibus fidem facit Deus, neminem perire se velle, imo salvos omnes esse vehementer cupere; ac nihil eorum se quæ creavit, odisse, congregare omnes, etiam reprobos ad fidem, et salutem optare, reque ipsa conari. Ex quibus aliqua congessimus supra; maxime ea, in quibus diserte non esse voluntatis suæ asserit interitum ac damnationem æterna morte pereuntium. Ut est illud : *Numquid voluntatis meæ est mors impii, et non ut convertatur a viis suis, et vivat*[3]? Et, *Quia nolo mortem morientis*,[4] et alia sexcenta.

Deus verbis factisque ostendit se vehementer omnium salutem desiderare.

II. Re item ipsa, factoque demonstrat, se id magnopere desiderare, et, ut fiat, diligentem operam ac studium adhibere; ut apud Isaiam: *Judicate inter me et, vineam meam: quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci*[5]? tum illud, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti*[6]! Imprimis autem magni cujusdam et ardentis desiderii testes sunt lacrymæ, propter impiorum ac reproborum exitium ab ipsomet effusæ Deo, qui illos sempiternis pœnis ex æterno destinarat. *Videns enim civitatem* Hierosolymam Christus, *flevit super illam dicens : Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua quæ ad pacem sunt tibi*[7], etc. Quorsum vis illa lacrymarum, et comploratio, aut cujus expressa rei gratia, nisi ejus, quod vehementer impetrare cuperet, et quia non obtinebat, intimo et ardenti dolore cruciabatur? Ecquid vero tandem illud fuit? Judæorum utique salus, et ad hujus auctorem vindicemque conversio, contra quem plerique obdurato ad impietatem animo ad finem usque perstiterunt. Causam hanc fuisse lacrymandi Christo, per se ipsa res docet, atque his verbis Titus Bostrensis exponit, quæ ad mentem nostram apprime faciunt: « Flevit autem super Jerusalem, inquit, amator hominum Christus, ut ex eo discamus, eum propter obduratum populi, qui in illa erat, animum, dolore esse tactum. Etenim qua nos tandem alia ratione sciremus, ipsum sceleratorum Hebræorum misericordia esse commotum, nisi id hominum propria re quadam perspicuum fecisset[a]? Rursus illa Christi, *Si cognovisses et tu*, etc., sic enarrat: « Hoc est quæ utilia planeque necessaria sunt ad ineundam cum Deo pacem si cognovisses. Ea vero sunt fides, et obedientia in Christum[b]. » Verum additur, *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, « Quippe, ait Titus, ultro scire noluisti Scripturas sacras, quæ de Christo prædicebant[c].

III. Voluit itaque Christus, et quidem serio bonaque fide, obstinatos illos et exitio devotos ac reprobos Judæos gratia et salute, quantum in ipso erat, impertiri, neque quo id minus fieret, per illum stetit, sed per istos ipsos, et voluntariam eorum cæcitatem ac nequitiam. Nulla ibi ficti animi simulationisque suspicio, nec aliud, quam quod in mente gerebat, verbis et lacrymis prodidit Christus. Non enim expressiora solent esse signa plenæ ac sinceræ voluntatis, et enixe quod præ se fert assequi cupientis, quam lacrymæ ac mœror ex rei amatæ ac quæsitæ frustratione conceptus. Apparet itaque, Christum eorum conversionem, quorum gratia collacrymabatur, revera, et ex animo desiderasse; id quod etiam Theophylactus

a TITUS BOSTREN. Comm. *in Luc.* Ἐδάκρυσε δὲ ἐπὶ τῇ Ἱερουσαλὴμ ὁ φιλάνθρωπος Χριστός· ἵνα διὰ τούτου μάθωμεν, ὅτι λελύπηται ἐπὶ τῇ πωρώσει τοῦ ἐν αὐτῇ λαοῦ. πῶς γὰρ ἂν ἄλλως ἔγνωμεν ἡμεῖς ὅτι κακοὺς ὄντας Ἑβραίους ἠλέησεν, εἰ μὴ διὰ πράγματος ἀνθρωπίνου τοῦτο κατέστησεν ἐναργές;

b Ibid. Τουτέστι τὰ χρήσιμα, καὶ ἀναγκαῖα πρὸς τὸ εἰρηνεῦσαι θεῷ εἰ ἐπέγνως. ἃ τινά ἐστιν ἡ πίστις, καὶ ἡ ὑπακοὴ ἡ εἰς Χριστόν.

c Ibid. Ἑκουσίως γὰρ οὐκ ἠθέλησας εἰδέναι τὰς περὶ Χριστοῦ θεοπνεύστους γραφάς.

1 Ambr. Serm. XLIV. — 2 Lib. IV *contra Marc.* c. XXVII. — 3 *Ezech.* XVIII, 23. — 4 Ibid. vers. 32. — 5 *Isaiæ* V, 3. — 6 *Matth.* XXIII, 37; *Luc.* XIII, 34. — 7 *Luc.* XIX, 41.

ad eumdem illum locum adnotat, et Chrysostomus in Matthæum[1]. Qui et Jeremiæ verba illa refert, quibus eumdem populum ad resipiscentiam hortatur. *Et dixi*, inquit, *cum fecisset hæc omnia : Ad me revertere, et non est reversa*[2]. » Sed hujusmodi querelis, hortationibus, comminationibus, promissionibus, et infinitis id genus ad contumaces pervincendos illecebris referti sunt prophetici omnes libri ; ex quibus constet, cladem et interitum hominum ac reprobationem et damnationem non volente decerni Deo, hoc est absolute, ac nullo eorum, qui plectuntur, merito illius capi consilium, sed vel maxime invito ac repugnante, et quidvis tentante potius, quam ut ad extrema illa deveniatur.

Deus Calvini hypocrita exsecrandus.

IV. At Calvinianus ille Deus adeo non invitus sævit ac reprobat, ut nulla etiam culpa neque propria, nec aliena commotus, sola ostentandæ potestatis suæ libidine, longe maximam mortalium partem exitio sempiterno devoveat, ac flammis et cruciatibus ex æterno destinet ; et ut consilium exequatur, occasionem suæ ipse crudelitati præstruat, dum miseros illos in peccatum et scelus per se ac ministrum iræ suæ Satanam impellit. Quænam igitur plorandi ac conquerendi causa illi esse potest ? An reproborum, ac pereuntium hominum improbitatem, et pervicaciam dolet, sive, ut Scripturæ verbis utar, *cæcitatem et duritiam cordis?* Nempe cujus ipse est auctor, quo *volente ac jubente*, imo *faciente*[3], miseris illis infligitur, uti totidem Calvinus verbis explicat. Nonne histrionis more alienam personam gerit ; et, quem intus non habet, dolorem et luctum simulat? Nonne lacrymæ illæ præter decorem ac majestatem affectatæ sunt et subdolæ ; quales esse crocodili vetere proverbio jactatur ? Ergo crudelis et inhumanus est iste ludus idoli Calvinistici, non modo Deo, sed ne ullo quidem dignus homine, qui qualemcumque sub humana forma rationis et communis sensus particulam fovet. Huic ne dejeranti quidem, nedum aut verbis affirmanti, aut etiam lacrymanti fidem habeat quispiam. Fallit enim planus et impostor ille, ac vel mentitur, vel etiam pejerat. Nam et hoc ipsum, quod dicimus, quodque verus catholicorum Deus, non Calvinianus ille nescio quis fraudulentus ac mendax loquitur, *Non esse voluntatem ante Patrem nostrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis*[4], hoc est hominibus, quos sub unius errantis oviculæ figura descripsit ; hoc, inquam, ille non sæpius repetisse contentus, etiam jurejurando confirmat. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini a viis vestris pessimis. Et quare moriemini, domus Israel*[5]?

Necnon vilis histrio.

Imo et parjurus.

V. Quem locum Tertullianus expendens, « Bonum est, inquit, pœnitere, an non? Quid revolvis? Deus præcipit. Atenim ille non præcipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat præmio salutem, jurans etiam, Vivo dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat ! O miserrimos, si nec juranti Deo credimus[6]. » Certe *omnis controversiæ hominum finis*, ut ait Apostolus, *ad confirmationem est juramentum*[7], ac propterea jurasse Deum idem asserit, ut certam pollicitationis suæ fidem, et immobilem faceret hominibus. Cum igitur juratus ipse Deus asseveret, nolle se cujusque hominum exitium sempiternum ac damnationem, sed e contrario salutem, et resipiscentiam majorem cupere in modum ; quis non Calvinum execretur, qui eumdem illum Deum, paucissimis exceptis, mortales omnes reprobasse dicit, et ad immortales pœnas ac supplicia designasse, antequam crimen eorum aliquod causamque prævidisset, cujusmodi ex illius vi et efficientia decreti tota manavit ? Sane, ut est Calvini et eorum, qui illius sectam tenent, interpretandi ratio, nullum certum exploratumque est in sacris libris dogma christianæ fidei. Nec enim tam affirmate et asseveranter ullum ibidem traditur, quam istud, de quo agimus, velle omnes, etiam reprobos, quantum in se est, ac nisi aliunde justa damnandi causa intervenerit, servare Deum, et ad vitam ac salutem perducere. Tum vero pœnitentiam eorum ac mutationem in melius cupere, ac pro suo cuique modulo procurare. Quod si ista ipsa Scripturæ loca, quibus hanc suam voluntatem, et affectum tam illustribus, ac tam sæpe repetitis sententiis, imo vero lacrymis ac jurejurando etiam interposito testatus est Deus, calumniari licet et in contrarium detorquere sensum ; ut, præter paucos, genus hominum omne perdere, ac profligare statuerit, nec eorum servandorum voluntatem ullam habuerit unquam, ac ne levi quidem commotione gratiæ perstringen-

1 Hom. LXXIV, in c. XXIII, 37, *Matth.* — 2 *Jer.* III, 7. — 3 Vide sup. c. VI, § 5. — 4 *Matth.* XVIII, 14. — 5 *Ezech.* XXXIII, 11. — 6 Tert. lib. *de Pœn.* c. IV. — 7 *Heb.* VI, 16.

dorum; quid est adeo disertum in cæteris fidei decretis, quod simili ab injuria et cavillatione tutum ac satis munitum esse possit?

Calvini patronus erroris, inscitiæ et imposturæ convincitur

VI. Recte igitur Anonymus Calvini « de absoluto decreto reprobationis sententiam veritati et sinceritati divinæ repugnare dicit, Deumque plane falsitatis et hypocriseos insimulare. » Contra quem Calvini patronus in eo pergit, quod semel instituit, ut in causa prævaricetur, ac tum magistri sui dogma refellat, tum ei contrarium adstruat, et propugnet. Sic enim *actionem de dolo malo*, quam Calviniano idolo intendit Anonymus, propulsare studet: « Mandat Deus, inquit, reprobis, ut credant. Verum est. At occulte non permittit iis, ut credant. Quid illud est occulte permittere? Permissio enim duplicis est generis. Una est, quæ potestatem facit, et jus concedit aliquid faciendi, ut cum Deus permisit Noacho, et illius posteris, ut carnibus animantium vescerentur. Altera est, quæ actum ipsum efficacitate aliqua non reprimit. Ut cum Deus peccatum permittit, quod lege lata vetuit acerrime, at non reprimit efficientia Spiritus, aut providentiæ suæ in multis[1]. » Priore modo Deum asserit, non solum incredulis permisisse uti credant, sed etiam imperasse. Quod autem ad posteriorem spectat, « quis unquam fuit e nostris hominibus, inquit, in cujus mentem hoc scelus inciderit, ut putaret, Deum occulta quadam efficacitate intus operante coercuisse atque repressisse reproborum impetum, ne in Christum crederent? » Quocirca posteriore illo modo sic a Deo permitti peccatum in reprobis putat, ut etsi non coerceat, ac reprimat illorum impetum conatumque credendi, non tamen decreverit in eis hoc, quod imperavit facere. Sic enim paulo post scribit: « Non vult Deus, hoc est non foret illi gratum, si crederent, negatur. Nam id illi longe foret acceptissimum, si præstarent. Non vult, hoc est non decrevit ipse facere in iis, quod imperat. Conceditur. »

VII. Hæccine responderet, si vel Calvinum legisset, vel mallet verum dicere, vel quid diceret paululum cogitaret? Sane perfunctoria ista est, et frigida depulsio certi ac manifesti criminis, et Calvini, cui excusando prætenditur, doctrinæ ac sententiæ contraria. Sed ante omnia reposcenda ratio ab illo est ejus quod ait, idcirco Deum ex Calvini decretis non esse peccati, ac cæcitatis ejus auctorem, qua reproborum corda in infidelitatem obdurantur, quod nemo partium illarum dixit unquam, « coercere Deum, ac reprimere occulta efficacitate reproborum impetum, ne in Christum crederent. » Nam perinde istud dicitur, ac si reprobi per se ac suopte marte navare aliquid possent ad salutem justificationemque suam, et motionem aliquam ad fidem et bonæ mentis impetum proferre, quem Deus in illis reprimeret. Quod quia non facit, ideo non esse causa videtur, cur isti peccent, et in nequitia persistant. At inane est hoc perfugium et stupore plenum. Nihil enim non modo reprobi, sed nec alii quilibet possunt ex seipsis edere, quo ad fidem utcumque nitantur. Sed ad omne ejusmodi motum et impetum auxilio gratiæ indigent, quæ, ut Calvino placet, totum opus fidei sola conficit, ita ut nulla sit alia, quam patiendi, ac recipiendi voluntatis nostræ functio. Quod, etsi falsissimum est, tamen ad patroni convincendam inscitiam mirifice attinet. Hinc enim ludicram et ineptam apparet illius esse defensionem. Quippe non propterea crudelitatis ac doli mali culpa vacat Calvinianus ille Deus; quia non facit in reprobis id, quod facere nullo modo potest, ut impetum eorum ad fidem comprimat, qui nullus inest ipsis, nec inesse potest.

VIII. Quod si *reprimere impetum* istum intelligit, ut sit non efficere in ipsis, et interiorem quo fit, impulsum gratiæ auxiliumque subtrahere; vera tum Calvini existet opinio, sed aliena jam erit, et frivola patroni defensio, et quod contra illam objicitur, firmum et invictum manebit. Etenim reproborum corda nulla interiori Spiritus sancti gratia veræque fidei luce perfundi Calvinus existimat; idque solis electis peculiare esse vult, uti supra demonstratum est[2], et reprobationis Calvinianæ patronus assentitur[3]. Quamobrem necessario illo gratiæ destituti præsidio, ne conatum quidem habere possunt vel impetum ad fidem amplectendam, eo quod sola extrinsecus Evangelii prædicatione pulsantur, nec interius animantur ac vegetantur; neque vitalis iis gratiæ vigor et succus infunditur, quo illorum lentescat rigor et languor, ac veternus excitetur. Ut perinde illis Calvinianus consulat Deus, ac si quis cæcorum oculis quamlibet copiosum lumen offundat, aut surdi auribus voce ac clamoribus obstrepat. Frustra enim id agat, nec imputare utrique plenum

1 Cap. IX lib. *de Reprob. Calv.* — 2 Cap. IX et X. — 3 Cap. XIII et XIV.

ac solidum opitulandi beneficium, nisi illudendo possit.

Nunc illud cogitandum cujus culpa isti sit, quod reprobi proposito sibi Evangelio et extrinsecus oblata salutis copia non credant, sed in obstinata mente persistant. Vertitur enim hoc in uno summa quæstionis et Calvinianæ causæ. Sed quid ego hic cogitandum amplius dico? Quasi dubia conjectura sit, quid hac de re Calvini dogma contineat; quod quidem antea illius ex libris exposuimus[1]. Reprobos homines ante prævisum ullum eorum meritum malum sive aliena, sive propria voluntate contractum, damnari a Deo, et ab æterna felicitate rejici, certissima est opinio Calvini. Ex quo fieri censet, ut ad illa sua exequenda decreta et judicia, per se, ac *per ministrum iræ suæ Satanam* mentes eorum excæcet, nec absurdum videri debere, « volente ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est; » tum « a Deo ipso manare ait efficaciam erroris. » Falli porro eos omnes ac *tergiversari*, qui hoc dicunt, « Dei tantum permissu, non etiam voluntate fieri. »

IX. Multum igitur aberrat a vero Calvinianæ sententiæ patronus, et in illius lectione utcumque versati lectoris patientiæ impudenter illudit, qui nihil amplius quam a Deo permitti cæcitatem obdurationemque reproborum, non autem effici ex Calvini opinione defendit. Falsum est profecto, falsum eatenus causam ab illo dici esse Deum excæcationis et infidelitatis, adeoque damnationis hominum reproborum, quod illam « efficacitate aliqua non reprimat. » Falsum itidem est ex ejusdem mente Calvini, « gratum fore acceptumque Deo, si crederent reprobi. » Frustra mendaciis suis nefandam magistri sui hæresim ac blasphemiam tegere patronus iste contendit eique repugnanti et invito fucum obducit illiberalis absurdique commenti. Reprobos morti ac supplicio nullam aliam ob causam Deus adjudicavit decreto ac prædestinatione sua, si Calvinum audimus, nisi quia ita voluit; ut essent videlicet, « qui suo exitio ipsius nomen glorificent. » Hanc ipsam Dei voluntatem, qua et illos a regno suo statuit excludere, et ut consilium suum exequeretur, illorum mentes ad horrendam cæcitatem et infidelitatem ac pervicaciam excitavit et firmavit, necessitatem inferre secum et in obsequium cogere reprobos illos asserit Calvinus. Hoccine igitur est permittere tantum, ut mali, cæci, impii, infideles in peccatis obstinati sint, et ut postremo in destinatam sibi damnationem incidant; an ista omnia velle ac cupere vehementer et exequi, ac ne quid illis ad perniciem desit, omni ope ac consilii et potestatis efficacia procurare? *Pereant qui nigrum in candida vertunt.*

Deus absoluto et antecedente decreto reprobos suppliciis destinat æternis ex Calvini sententia.

X. Malum est ac peccatum cæcitas cordis. « Si enim peccatum non esset, ait Augustinus, injuste argueretur; arguitur autem juste, ubi dicitur, *Pharisæe cæce*[3], et aliis plurimis divinorum eloquiorum locis[4]. » Eam cæcitatem non permitti solum a Deo Calvinus putat; et qui hoc dicunt, probris eos et contumeliosis dictis onerat. Effici ergo ac voluntate illius, imperio, vi et potestate reprobos in illam agi compellique docet. Nihil clarius ac disertius scribi in hanc sententiam potest, quam quod ab illo in *Institutione* traditum supra commemoravimus[5]. His etiam germana sunt, quæ in libro *de Prædestinatione* contra Albertum Pighium edidit[6]. Ubi de reprobatione, et obduratione impiorum agens, de qua Paulus ad *Romanos* scripsit: *Quia ad hoc ipsum excitavi te*, inquit, *ut ostendam in te potentiam meam*[7], non solius id esse permissionis contendit, sed operæ et efficientiæ divinæ, quæ in destinatum opus incumbens, manum ei admovet. « Porro excitare dicitur Deus, inquit, quod velut porrecta manu ad finem suo consilio ordinatum deducit. Maxime autem ad initium rei, de qua agitur, Scriptura respicit, ut illud uni Deo adscribat. Ita dicitur et prophetas et salutis ministros excitare. » Vides, quam non permittendo solum, sed etiam navando et agendo Deus in errorem, cæcitatem, obdurationem, ac postremo damnationem impellat. Nisi forte prophetas et viros sanctos ad salutem populi sola permissione destinavit; non item certo ac deliberato consilio, ut hoc ageret ipse, et auctor effectorque operis istius esset.

XI. Relegat patronus Calvini hujus librum illum, qui est *de Prædestinatione ac reprobatione contra Pighium*; ut ex eo cognoscat, quam turpiter et indecore magistri sui dogma perverterit, et ut falso inepteque illud sibi permissionis effugium pararit.

1 Cap. VI et seq. — 2 Vide supra cap. VI ex I *Instit.* c. XVIII. — 3 *Matth.* XXIII, 26. — 4 Lib. I *contra Julian. Oper. imperf.* cap. XLV. — 5 Cap. VI, VIII et IX. — 6 Calv. in *Opusc.* — 7 *Rom.* IX, 17.

Etenim sub initium libri Pighii sententiam explicat, quam deinceps oppugnat. Ea vero, quod ad reprobationem spectat, prorsus ista est ipsa, quam Calvino suo patronus affingit. « Cum Deus, inquit, prævideret, quosdam ad extremum in malitia gratiæque contemptu fore pertinaces; tales prævidendo reprobasse, nisi resipiscant. Hoc reprobationis esse initium, dum se impii universali electionis beneficio, præter Dei consilium et voluntatem privant [1]. »

Ergo idem, quod Pighium, Calvinum sentire suum defensor hujus affirmat; qui « gratum fore et acceptissimum Deo scribit, si reprobi crederent. » Deinde, cum ex Anonymo sibi objecisset istud : « Secundum hanc Calvini de decreto absoluto sententiam, Deus multis offert et commissorum impunitatem et cœlestem hæreditatem, quibus neutram dare decrevit, » quod profecto verissime illi est objectum; contra hæc Calvini patronus, « Ubinam Calvinus, ait, id dixit? Ubinam contraria non docuit, si quando locus id et occasio postulavit? Promisit Deus, bona fide se omnibus daturum salutem æternam, si credant; et si credant, quod promisit bona fide, ac ipsa re est executurus. Verum, quia prævidit, certo fore, ut non crederent, ex eo decrevit, salutis non fore compotes, quam contumaciter essent aspernaturi. » O hominem, ne quid inclementius dicam, existimationis suæ ac publici de se judicii securum! Itane putavit fore neminem, qui hæc tam aperte falsa, tam ementita de Calvini sententia convincere ac redarguere non posset?

XII. Ergone Calvinus reprobationis negotium sic a Deo peragi docuit, ut omnibus universe ac promiscue tam electis, quam reprobis, « æternam salutem promitteret; quos autem prævidit non esse credituros, et oblatum beneficium contumaciter aspernaturos, decrevit, eos salutis non fore compotes? » Hoc sane mendacissimum est, et Calvini dogmati tam contrarium, quam lux est tenebris. Atque hoc ipsum Calvinus expressissimis verbis et sententiis in *Institutione* sua damnat et irridet; præsertim quod de *prævisione*, et ex ea consequenti reprobatione dicitur. Non hic ea repetam, quæ ex opere illo superius attuli. Quod impræsentiarum agitur, hoc tantum subjiciam, quam Calvini opinionem esse patronus asserit, eam puram putamque esse Pighii : ac tam huic, quam ejus decreto inimicissimum fuisse Calvinum. Absoluta est, ex hujus mente, reprobandi et a salute segregandi voluntas in Deo, quam cætera deinde consecuta sunt ad exequendum necessaria; impulsio in malum et peccatum; occæcatio et obduratio; interioris gratiæ et auxiliorum omnium ad resipiscendum et ad obtinendam salutem necessariorum absoluta negatio. Quemadmodum in prædestinatis prima omnium radixque cæterorum est dandæ salutis voluntas, ac decretum, et ab omni absoluta conditione paucorum electio; tum deinceps gratiæ ac fidei largiendæ propositum aliorumque præsidiorum, quibus ad salutem certissime pervenitur. Nam utriusque prædestinationis tam ad salutem, quam ad interitum, parem et eamdem esse rationem Calvinus arbitratur; et utrobique non ex prævisione destinationem oriri, sed hac illam esse posteriorem asserit : quemadmodum absoluto et efficaci decreto posterior illa constituitur in scholis, quam *visionis*, quæ eadem et *prævisionis* est, *scientia* nominat. Qui aliter de Calvini opinione judicat, præsertim qui se illius doctrinæ vindicem atque interpretem profitetur, indignus est, cui ulla de re judicanti asseverantique fides habeatur.

XIII. Quid enim? Nonne Calvinus distinctionem illam *voluntatis*, et *permissionis*, quam ejus advocatus opponit, irridet ac refutat? Vide caput XXIII libri tertii *Institutionis*, ubi et egregium exstat effatum illius, « Voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessario futurum esse, quod ille voluerit, quemadmodum ea vere futura sunt, quæ præviderit [2]. » Ex quo velut principio, quod vult efficit, *perire impios* et occæcari obdurarique; imo et Adamum lapsum esse, non quia permisit Deus, sed quia voluit, et ita decrevit fore; unde et necessario evenisse censet. Nonne in commentario ad caput IX epistolæ *ad Romanos*, adnotavit [3], « Indurandi verbum non solam permissionem, (ut volunt diluti quidam moderatores), sed divinæ quoque iræ actionem significare. Satanam porro ipsum, qui intus efficaciter agit, ita esse ejus ministrum, ut nonnisi ejus imperio agat? » Nonne idem Calvinus eos redarguit, qui non modo præscientiam causam esse putant, cur Deus certos homines eligat, sed etiam « cur mortis damnationi devoveat [4]. » Tum idipsum asserenti Laurentio Vallæ subscribit capite XXIII. Adde quod de prædestinationis, id est

1 Calv. *de Præd.* — 2 § 8. Vide supra c. VIII, § 2, 3. — 3 Com. 18. — 4 Lib. III *Inst.* c. XXII, § 1.

consilii sui ac decreti in utramque partem executione scripsit in capite XXIV ejusdem tertii libri. « Quemadmodum, inquit, suæ erga electos voluntatis efficacia, salutem, ad quam eos æterno consilio destinarat, perficit Deus; ita sua habet adversus reprobos judicia, quibus consilium de illis suum exequatur. Quos ergo in vitæ contumeliam et mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent, et severitatis exempla; eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat et obstupefacit. »

XIV. Manifestum est ex iis et aliis quæ suo loco reddidimus, idem judicium de reprobatione ac de electione Calvinum facere, ut utrobique sine meritis ullis causave aliqua, quam ex hominibus capiat, alios ad vitam sempiternam, alios ad æternam damnationem destinet, solo gratificandi vel sæviendi proposito ac voluntate commotus. Cujus ex decreti vi, et impulsu illis postea gratiam ac fidem et perseverantiam largitur, istos vero nulla penitus interiore aspergit gratia, sed *efficacia erroris*, quæ *ab ipso manat*, illos excæcat et indurat. Quæ longe absunt ab eo, quod Calvini defensor ex ejus opinione fingit, velle Deum et gratissimum habere, ut credant reprobi; sed, quia non eos credituros esse prævidit, idcirco decrevisse, non eos fore salutis compotes. Inverteret potius, si aut magistrum suum intelligeret, aut pudoris in eo scintilla foret; atque ita diceret, Deum reprobos ex æterno absolute statuisse ab æterna vita procul arcere, nulla eorum prævisa culpa, sed sola sua voluntate, atque idcirco fidem eis et interiora gratiæ præsidia detrahere. Ut autem se habet patroni ratio, consequens esset, Calvino placuisse, Deum omnes homines ad salutem velle perducere; sed conditionata voluntate, si et ipsi vellent, et oblata fide ac gratia bene uterentur. A quo quantum abhorreat Calvinus, soli nesciunt illi, qui eum non legerunt, aut quo ea, quæ leguntur, intelligi debent, eo carent funditus communi sensu ac judicio.

Sic in libro *de Prædestinatione* contra Pighium, tam Esau, quam Jacobum sola Dei voluntate disparem in sortem vocatos, ex Apostolo concludit; et quod de priore dicebat Pighius, quoniam oblatam sibi gratiam et salutem libero arbitrio recusavit, ideo esse rejectum, longa disputatione refellit.

XV. Atenim duplicem ab Calvino personam impositam esse Deo, patronus opponit, « unam legislatoris, alteram vero patris. » Qua pater est, « non modo imperat, inquit, electis, ut credant, sed vim spiritus sufficit, per quam sunt imperio certissime obtemperaturi. » Ut autem legislator est, « imperat vel maxime serio. At intra hanc relationem consistit. » Hæc officiorum distinctio ex Calvini desumpta est libro *de Prædestinatione;* ubi Pighium inducit *Deum omnes salvos fieri velle*[1] dicentem, ita tamen, ut promissiones salutis omnes conditionatæ sint, non simplices et absolutæ. Alioqui, nisi Deus salutem omnibus sub eorum assensus conditione destinaret, « quid aliud esset, quam hominibus illudere, si Deus, quod non vult, velle se profiteatur? » Hæc objicienti Pighio Calvinus occurrit, non simpliciter Deum salutem omnibus velle, sed ita, ut convertantur. « Conversionem exigit a nobis Deus; eam ubicumque invenit, promisso vitæ præmio non frustratur. Vitam ergo velle dicitur Deus, qualiter et pœnitentiam. Hanc autem vult, quia verbo suo omnes ad eam invitat. Cæterum id cum arcano ipsius consilio non pugnat, quo nonnisi suos electos convertere decrevit. Neque propterea varium censeri fas est, quia tanquam legislator omnes externa vitæ doctrina illuminet, ad vitam omnes priore modo vocet; hoc autem altero quos vult adducat, tanquam pater regenerans Spiritu filios duntaxat suos. » At ista utriusque, Calvini videlicet et ejus patroni responsio, solo tinnitu verborum Pighianæ argumentationi obstrepit; nec habet solidi quidquam, et ex reliqua sectæ istius doctrina puerilis illius fucus, quo in speciem est obducta, diluitur.

Sumamus id, quod Calvinus offert, legislatoris nomen, ac munus. Legem ergo quisquis fert, si ea est hujusmodi, ut eam servare nemo possit, quia nulli vires idoneæ suppetunt, non is legislator, sed immanissimus tyrannus habendus est, et quodcumque jusserit, non lex est, verum importunæ cujusdam crudelitatis edictum. Ut si cæcum hominem colores ante oculos positos discernere, vel surdum ad interrogata respondere aliquis jubeat, mortis, ni id faciant, denuntiato supplicio; num qui hoc præcipiat, humano uti sensu, an belluæ more sævire, aut fanatici certe, ac furiosi instar insanire videatur? Quanto id de Deo minus suspicari licet, quod Calviniana secta facit?

Legem qui fert impossibilem immanissimus tyrannus.

[1] I *Timoth.* II, 4.

Talis Deus Calvinianus

XVI. Etenim Deum Calvinus affirmat, ut hactenus illius e dictis evicimus, certos homines, arbitratu suo, omni et salutis aditu et gratiæ ope ac virtute privare, non ullo eorum vitio atque culpa; hanc enim ejusque procurationem decreto illo posteriorem esse et ex eo conflatam. Porro, absque fide et gratia nihil nisi peccare hominem posse adeo Calvinus arbitratur, ut vel opera ipsa bona justorum ac prædestinatorum lethalia esse crimina censeat. Quid igitur aliud est, legem homini reprobo dictare, quam hoc ei faciendum sub æternæ mortis comminatione præcipere, cujus præstandi vim nullam habet omnino? Hoc autem quid iniquius est et indignius Deo? Præclare vero labantis sectæ ac dogmatis ruinam patronus fulcit hoc tubicine: « Legislatoris, qua talis, non esse suppeditare vires, quibus a se constitutis legibus pareatur. » Etiamne quod supra vires sit, imo ad quod faciendum vires nullæ sint, imperare poterit? « Ut serio imperet, inquit, et sine fuco ac fallaciis, sufficit, ut imperet ea, quæ jus habet imperandi. Et, quod consentaneum est, ut non imperet quidquam, quod subditi præstare non possint, id modo velint; velle autem debeant, si frugi sint. » Atqui excusatione hac ipsa causam suam jugulat patronus, et vero ludos agit, ineptissimeque nugatur. Primum nullius rei imperandæ jus est, quam is, cui præcipitur, facere nullo modo potest, cum per ipsum non stat, quo minus possit; neque propterea quod non paruerit, pœnæ ulli subjici debet, quia extra culpam est. Nam « sine culpa pœna non infligitur[1]. » Et, « Impossibilium nulla obligatio est[2]. Possibilis autem conditio est, quæ per rerum naturam admitti potest; impossibilis quæ non potest[3]. » Quod Justinianus ita declarat: « Impossibilis conditio habetur, cui natura impedimento est, quominus existat; veluti si quis ita dixerit: Si digito cœlum attigero, dare spondes[4]. Est autem lex velut *stipulatio* quædam, ac *sponsio*[5], sive *pactio*[6], ut Aristoteles docet; cujusmodi etiam inter Deum et homines esse, vox ipsa διαθήκης ac *fœderis* ostendit. At vero reprobi nec imperanti Deo obsequi possunt; nec ut minime possint, eorum culpa fit, sed Dei voluntate ac potestate, quæ hoc illos posse non sinit, imo, ut non possint necessitatem affert. Ut perinde Calvinianus ille Deus erga miseros reprobos se gerat, ac si quis servum suum in ergastulo compedibus arctissime devinctum teneat, aut ei crura suffringat, ac nihilominus eumdem quam celerrime per campum currere jubeat. Quid enim ille aliud facit? Reprobis omnem ademit gratiam, non quia merito id aliquo commiserunt; sed quia damnare illos statuit, ad ostentandam severitatem suam. Et hoc tamen injungit ipsis, quod sine gratia impossibile est fieri. Atque hoc « serio, et sine fallaciis imperat, » ut ait patronus.

Cujus insuper lepidum istud est acutumque commentum: Posse id, quod mandatur, facere reprobos, modo id velint. Atqui ne velle quidem possunt, quoniam hoc illis Dei voluntas, ejusque comes necessitas eripuit. Similiter autem patronus excipit, ac si quis de servo illo ab hero suo debilitato vel ligato prius, deinde jusso currere ita loquatur: posse illum hoc agere, dummodo pedes ad cursum expediat. Quod si absurdum est dictu, ideo est absurdum, quia ne hoc quidem ipsum habet in potestate, sine quo currere non potest. Hoc autem in reprobis non minus valet; quorum in potestate non est ullam fidei et gratiæ particulam habere, cum major ab eo vis illos et insuperabilis necessitas, hoc est Dei potestas ac voluntas absoluta prohibeat. Itaque vana est et ad risum excogitata illa defensio.

Apta comparatio.

XVII. Sic illud a patrono scriptum falsi redarguitur « Conditionem illam, quam promissioni salutis Deus annexuit, ex earum genere esse, quæ mere potestativæ sunt, hoc est, sunt in eorum potestate constitutæ, quibus imponuntur. » Hoc, inquam, Calvini doctrinæ et jactis ab eo principiis contrarium est. Certe quidquid absoluto et immobili, eoque antecedente decreto Dei fixum, ratum constitutumque est, tum necessarium est, tum huic oppositum simpliciter impossibile. Quod autem simpliciter impossibile est alicui, non est in ejus potestate. Quis enim quippiam in potestate esse dixerit ejus, qui ad id, quod illi contrarium est, necessaria determinatione jam addictum est et affixum?

Hic quantum volet uterque clamet, Calvinus et Calvini patronus, proponi etiam reprobis Evangelium, ac « promiscue omnibus Christi verba prædicari, ita ut conditione ab reprobis præstita, eventus sit necessario consecuturus. » Tum « reprobos, quia non credi-

1 L. Sancimus C. *de Pœn.* — 2 L. 185. D. *de Diver. reg. juris.* — 3 Paul. L. III Sent. tit. V, l. XVI, § ult. D. *de Injus. rup.* — 4 § *Si imposs. Instit. de inut. stip.* — 5 L. I D. *de Leg.* — 6 Arist. III *Polit.* c. IX.

derunt, perire: electos, quia crediderunt, servari[1]. » Hæc et ejusmodi cætera qua ab illis fraude et ambiguitate jactentur, notum jam esse arbitror ex antecedentibus; nec eos latet, qui in interiore Calvini doctrina paululum versati sunt. Ex qua illud efficitur: electos non ideo salutem consequi, quia crediderunt, sed ideo et credere, et salutem adipisci, quod absolute Deus utrumque destinavit ac fore constituit. Præsertim cum ad credendum nulla sit in electis liberi arbitrii potestas, sed totum necessitas occuparit. Ducuntur igitur ac trahuntur pecudum more; ut qui patiendo potius, quam agendo, velut κωφὰ πρόσωπα, Calviniano huic mimo justificationis interveniant. De quo hæresis illius flagitio dicetur alio in loco. Reprobos vero magis etiam in illius dogmate falsum est ideo perire, quia non crediderunt. Quod cum patronus ait, magistri sui doctrinæ ac decretis oppedit. Hinc enim, ut supra memoravi, diserte contradicit; et reprobari ac damnari, adeoque peccare miseros illos idcirco dicit, quia Deus ita voluit. Atque hanc ultimam, propriam et præcipuam antecedentemque causam esse statuit, præter quam nonnisi temere altera quæritur. Nimirum, uti supra meminimus, aliud est prædestinatio, ac voluntatis divinæ firma et immota sententia, quæ utriusque partis exitum certa et immutabili necessitate constringit, unde et vera ac primaria negotii totius causa et origo deducitur; aliud decreti illius administratio et executio.

XVIII. Nam quod patronus obgannit, « Legislatoris, qua talis est, non esse suppeditare vires, quibus a se constitutis legibus pareatur,» ex quo videlicet suum et Calvini magistri sui Deum excusat, quod ea lege reprobos obligari, quam scit impossibilem iis esse, nisi gratiæ ipsis auxilio succurrat, quam iisdem tamen denegavit, cum hoc dicit; neque quid dicat intelligit, et valde se imperitum esse demonstrat. Primum si universe de eo loquimur omni, qui legem fert, constat, nullam omnino justam esse, quam illi, quibus imponitur, observare nequeunt. *Impossibilium* enim, ut paulo ante ex jurisconsulto memoravi, *nulla obligatio est*. De iis loquor, quæ præcise absoluteque fieri non possunt, hoc est, ad quæ præstanda nullæ vires suppetunt neque propriæ, neque adscititiæ et aliunde suffectæ. Ac legem hujusmodi iniquam et tyrannicam esse, adeoque nullam, sapiens unquam nemo dubitavit.

Tum vero, si de Deo legislatore sermo sit, multo illud magis asserendum est. Etenim quemadmodum idem ille, qua naturæ est auctor, non solum rebus singulis ac generibus dare, ut sint, exstentque, debet eo ipso, quod illa creare constituit, sed etiam idoneis viribus et facultatibus instruere, quibus et agere et conservare, et quæ ad hoc necessaria sunt procurare possint, ut pabula, ut latibula, ut cætera generis ejusdem. Hinc naturales motus, ut sunt quibus levia sursum, gravia deorsum feruntur, ab generante esse docet Aristoteles, quod, ut commune habet effatum, « qui dat esse, dare illa debet, quæ consequuntur esse[2]. » Quod non minus in eo statu locum habet, qui naturam superat, et *supernaturalis* ideo dicitur; ac tanto in hoc etiam amplius, quod is in solidum auctori adscribitur Deo; nec in ejus efficientiæ partem secunda quæpiam post Deum causa et naturalis adhibetur. Ergo non legem tantum, qua ad illum natura præstantiorem statum dirigantur; sed vim etiam interiorem, et efficaciam, quam nullam ex se habent, et sine qua legi obsequi nequeunt, idem ille, qui tulit, subministrare debet, si non stulte et illudendo præcipit: qua simulationis macula infuscatum est Calvinianum spectrum, et idolum Dei longe ab eo diversum Deo, « qui a catholicorum semper Ecclesia prædicatus est[3]. »

In supernaturalibus maxime qui dat legem, dare debet efficaciam adimplendi.

XIX. Verum contra Calvinianæ reprobationis patronum nimium fortasse multa; qui nec adversarius est acer, nec ejus, quam tueri profitetur, satis est sententiæ peritus, et in causa manifeste prævaricatur. Quare hoc omisso, reliquum est cum aliis quibusdam certamen, qui eatenus a Calvino non dissident, quod non omnibus idoneum ad salutem comparandam auxilium offerri sentiunt, nec aliud gratiæ genus agnoscunt, quam quod *efficax* dicitur; quæ autem in scholis *sufficiens* vocatur, eam funditus repudiant, nec ullam in rerum esse natura putant. Quæ opinio non solum nova atque falsa, sed etiam conscelerata et impia cuilibet catholico videri debet. Id quod alibi, si Deus dederit, ex instituto ac plenius ostendemus, tum videlicet, cum de *gratia Christi* theologica dogmata commentabimur. Nunc, quod satis est, illos ipsos, qui auctorem flagitiosi erroris Augustinum

1 Lib. *de Reprobat.* — 2 Lib. VIII *Phys.* cap. IV, tex. 33. — 3 Aug. lib. I *Oper. imperf. con. Jul.*

appellant, ψευδομαρτυρίας, hoc est *ementitæ auctoritatis*, ac testimoniis reos citabimus, et, ut spes est, brevi hac velitatione peragemus. Itaque de Augustino tota fere hoc loco nobis est contentio, ne quis plenam hic disceptationem controversiæ istius et quæstionis expectet.

CAPUT XVI.

Tridentini concilii decreta de gratia contra Calvinum ejusque fautores illustrantur, ac propugnantur. Gratiam sufficientem et efficacem recte ab illo constitutam; quæ divisio non est generis in species, sed speciei secundum accidentia. Refelluntur qui nullam, nisi reipsa et actu efficientem esse Christi gratiam putant. Augustinus, quo auctore nituntur, exponitur. Quibus de causis ille, cum de gratia loquitur, cum eo conjungat effectum. Facultates et habitus sæpe per actiones exprimi ac definiri. Gratiam ab Augustino in possibilitate constitui. Eumdem, cum de gratia loquitur, eam, quæ electorum propria est, in exemplum assumere, nec tamen sequi, quod Calvinus asserit, nullam in reprobis inesse gratiam. Et regulæ quædam ad Augustinum intelligendum utiles explicantur.

I. Duo Calvinianæ sectæ flagitia sunt, quorum alterum superius hoc in libro refutavimus; de altero agemus postea. Illud est ejusmodi, gratiam, quam videlicet isti *fidem* appellare solent, nonnisi prædestinatis et electis tribui; reprobos ne puncto quidem temporis illius compotes fieri. Quippe, ubi semel cujusquam animum pervaserit, nunquam deinceps aboleri extinguique posse. De hoc fuse disputatum est in capite IX. Alterum est, liberum in homine non esse arbitrium in iis, quæ ad fidem et salutem attinent, nec tam agere, quam pati voluntatem nostram, quod Calvinus vocat « passive agere, ac motum gratiæ necessario sequi; ita ut libera cujusque electione non aut recipiatur, aut respuatur. » Ad hæc, « nullum esse gratiæ et liberi arbitrii concursum. Qui enim concurreret liberum arbitrium, quod nusquam est, etc., » quæ postrema sunt Theodori Bezæ, uti priora magistri ejus Calvini. Atque hæc, et his plura postea referemus [1].

Ex iis duobus principiis partim necesse est illud sequi, partim ipsimet colligunt, nullam omnino gratiam esse, sive adjumentum ad fidem capessendam, aut, ut illis placet, justitiam, nisi reipsa opus suum perficiens quod efficax dici consuevit; nullum vero esse, quod idoneum tantum sit ac sufficiens, etsi vitio malæ obstinatæque voluntatis fiat irritum, nec effectum suum peragat. Hac Calvini scabie contaminatæ sunt omnes admodum illæ fidei professiones, quæ ad Dordracenam synodum ex universis istius sectæ conventiculis profectæ sunt, et in isto cœtu probatæ, atque inter Acta relatæ fuerunt. Velut est Davidis Paræi Heidelbergensis doctoris scriptum, in quo *Remonstrantium* Arminianorum *Articulos* refellit, ac *de vocatione interna* dicit, quæ superiori isti dogmati consentanea sunt [2]. Tum Petri Molinæi Parisiensis ministri ejusdem argumenti dissertatio, ab illa synodo valde laudata, ubi inter alia *sufficientem gratiam* ita nominatim abnegat. « Gratiam universalem, inquit, datam omnibus hominibus, quæ vel mediate, vel immediate sufficiat ad perveniendum ad salutem, nullam agnosco. » Ac plura sunt ejusdemmodi, quæ in illa synodo continentur, de quibus alio loco dicam copiosius. Nunc illud breviter adstruimus, contra hanc Calvini, ac cæterorum hæresim satis prospexisse catholicæ fidei, ac theologiæ Tridentinos Patres, dum ita decreverunt, suas esse libero arbitrio partes agendi in negotio fidei ac justitiæ; ac « sic cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, ut possit dissentire, si velit. » Hac enim, tanquam securi, falsa illa Calvini succiditur hæresis, quæ nullam esse gratiam putat excitantem ac vocantem, « a qua dissentire, si velit, homo possit : » adeoque, quod Molinæus inde concludit, nullam esse *sufficientem* solum. Ac de re ipsa quidem, et quæstione proprie pleneque non hic est disputare consilii nostri; sed Tridentinæ duntaxat synodi decreta contra Calvinum ejusque suffragatores defendere; quatenus, ut superiore capite monui, Augustinus contrariæ factionis auctor ac vindex falso ab illis inscribitur. Ostendam, inquam, nihil habere causæ Calvinianos omnes, cur ex Augustini scriptis communem illam apud Tridentum explicatam ac stabilitam doctrinam elevent.

Gratiam sufficientem negant Calvinistæ.

II. Sed ante quædam universe præfari de gratia necesse est; imprimisque celebris illa

1 Tom. III, lib. III *de Hom. opif.* c. I. — 2 Par. I Synod. Dord.

Ratio gratiæ efficacis et sufficientis ex concilio Tridentino.

ponenda et usu trita scholarum gratiæ divisio in *sufficientem*, et *efficacem*. Ea vero non generis est in species; sed ejusdem speciei secundum accidens distinctio. Non enim alia est *sufficientis* natura, sive essentia, quam *efficacis*, cum una eademque sit sufficiens ex sese, et efficax. Quippe omnis efficax eadem et sufficiens est; et quæ efficax non est, ac tantum sufficiens est, ex accidenti non habet effectum, quem per se cuique sua potest, et parata est exprimere, nisi libera consensio voluntatis obsisteret. Hujus differentiæ ratio ex catholicæ fidei principiis oritur; quam Tridentina synodus exponit. Quæ « declarat ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse : hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. Ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur, ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit[1]. » Qua ex synodi doctrina fideque christiana discimus, duo quædam a se invicem distincta concurrere et conspirare in justificationis negotium : alterum est gratia, sive auxilium Christi, quod nos prævenit et movet atque excitat, *tangitque cor nostrum;* hoc est illuminat mentem, et incendit affectum, sive voluntatem incitat: alterum est consensus ipse voluntatis libere amplectentis gratiam, hoc est ita *inspirationem illam recipientis, ut possit abjicere.* In quo veram, germanam, et catholicam notionem et essentiam libertatis positam esse, tribus libris postea demonstrabimus adversus Calvini et aliorum præposteram sententiam.

III. Quamobrem duo hæc Tridentini Patres a se mutuo discernunt, quorum prius est a Deo solo *in nobis operante sine nobis,* quæ est *excitans præveniensque* gratia; posterius a nobis simul et a gratia, sive a gratia nobiscum operante, vel a nobis cum gratia operantibus, quod vulgo *cooperari* dicimus, Græci συνεργεῖν vocant. Quocirca liberum homini esse Tridentina synodus sciscit, *assentiri* gratiæ, vel *dissentire*, eam *recipere*, vel *abjicere*. Neque propterea dispar ac dissimilis est sui natura gratiæ; sed eadem prorsus est, sive consentientibus nobis effectum habeat, sive dissentientibus, eo ipso careat. Ita enim caret, ut utrobique sufficiat, et ex sese idonea sit ad opus perficiendum, nec ut agat reipsa id, cujus causa datur, requirat aliud, quam voluntarium nostrum liberumque consensum, sine quo gratia est ipsa quidem et sufficiens gratia, sed non efficax.

Jam cujusmodi sit illa Christi gratia, accurate demonstravimus in libro singulari[2], quem de Pelagiana et Semipelagiana hæresi confecimus, et ad tres de libero arbitrio libros addidimus. Ubi medicinalem Christi gratiam, sive auxilium gratiæ, ex Augustini sententia, consistere docuimus in voluntatis permotione, quæ ex mentis illuminatione consequitur. Ac plura in idem argumentum contulimus, quæ ad præsentem disputationem apprime necessaria, utiliter inde repetentur; ne sæpius eadem inculcando longiores pariter ac molesti esse cogamur. Nunc dogmatis novi antesignanum audiamus.

IV. « Nulla, inquit, omnino medicinalis Christi gratia effectu suo caret; sed omnis efficit, ut voluntas velit, et aliquid operetur[3].» Et alibi : « Sufficientem illam gratiam, quam scholastici multi in theologiam, velut adjutorium Salvatoris intulerunt, ab Augustino destructam funditusque eversam esse libens fateor, etc. Vocamus autem illam sufficientem gratiam, seu sufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium est, ut homo velit, aut operetur[4].» Quare nullam prorsus Christi gratiam agnosci putat ab Augustino, nisi quæ recte velle et agere nos reipsa facit, non autem quæ ad hoc sufficere per se dicitur et idoneas vires præbere voluntati, etsi liberum eam hominis frustretur arbitrium.

Ex Augustino colligere conatur Calvinus omnem gratiam esse efficacem.

Igitur Augustinum ita sentire probat ex eo, « quod apud illum gratia et opus bonum ita reciprocentur, ut, quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versa ex defectu operis, gratiam non esse datam. Quo ratiocinandi modo indicatur, gratiam, tanquam causam, et operationem voluntatis bonam velut effectum, esse, ut philosophi loquuntur, convertibiles, et a se mutuo inseparabiles[5]. » Sic enim Augustinus,

1 Sess. 6, c. v, et in can. 3 et 4. — 2 Præsertim c. xxx. — 3 Lib. II, c. II. — 4 Lib. III, c. III et seq. — 5 Ibid. lib. II, cap. xxv.

« Agis, inquit, si ageris, et bene agis, si a bono ageris [1]. » Quemadmodum et Apostolus ait, *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei* [2]. » Quod sæpe Augustinus inculcat. Qui et alio in loco, « Si tangit cor, inquit, homo præparat cor [3]. » Et rursus : « Numquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum Saul quemquam eorum, quorum tetigit corda Deus, ut irent cum illo : aut iisse aliquem pestilentium, quorum, ut hoc facerent, corda non tetigit [4] ? » Agit autem de eo quod Scriptura refert, *abiisse cum Saule partem exercitus, quorum tetigit Deus corda* [5]. Quibus omnibus loquendi modis, qui innumeri sunt apud Augustinum, significari putat, hoc ipso, quo data est homini gratia, mox effectum operis sequi; ac vicissim « hoc ipso, quod homo effectu destituitur, nullam ei gratiam collatam esse; sed solo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc est lege doctrinaque ad operationis præceptæ justitiam niti. »

V. Subjicit novi dogmatis vindex alia Augustini testimonia, quibus idem significat, gratiam Christi effectum habere suum in homine. Ut cum scribit ita : « Qui novit quid est, quod fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum spiritum, sed secundum litteram [6]. » Et postea : « De isto docendi modo (per gratiam) etiam Dominus ait : *Omnis, qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me* [7]. Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur, audivit quidem, et didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult, quod didicit. Prorsus non recte dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut Veritas loquitur, Omnis, qui didicit, venit; quisquis non venit, profecto non didicit. » Ac toto isto capite docet, sic adjuvari hominem auxilio hoc, « ut non solum, quid faciendum sit, sciat, sed quod scierit, etiam faciat. » Et, « Omnis, inquit, qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed venit, ubi jam et possibilitatis profectus et voluntatis affectus et actionis effectus est. » Quinetiam alio in libro : « Sic quippe adjuvatur, inquit, ut faciat, quod jubetur. Tunc enim utile est velle, cum possumus, et tunc utile est posse, cum volumus. Nam quid prodest, si, quod non possumus, volumus, aut si, quod possumus, nolumus [8] ? »

Eodem pertinent illa Augustini testimonia, quibus docet, « veram Christi gratiam a nullo duro corde respui, sed ideo tribui, ut cordis duritia primitus auferatur [9]. Cui principio consequenter constanterque tradit, inquit, quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Sancti Spiritus gratiam, ita docere, ut, quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat agendoque perficiat [10]. »

Hujus generis complures occurrunt apud Augustinum sententiæ, quibus *sufficientem* illam ab *efficaci* distinctam gratiam labefactari evertique putat novus dogmatistes, libertatis humanæ peræque, ac gratiæ pessimus interpres.

VI. Etenim incredibile est, quantum et ab rei veritate, et a catholica fide, et a communi sensu, ac ratione, et ab Augustini mente judicioque recesserit. Ac, cum sæpius hunc « profundissimum doctorem, et ejus doctrinam profundissimam atque ex fundo veritatis haustam » nominet, idem usuvenisse sibi demonstrat, quod iis accidit, qui altitudinis immensæ voraginem ex edito loco speculantur. Nam, ut illis statim offusa vertigine, caligant, atque hebetantur oculi, nihil ut certo ac liquido discernant, sed pro aliis alia contueantur; sic *profundissimæ doctrinæ* scrutator ille, quam in eam contemplandam defixit, mentis aciem obscuravit atque obtudit, ut quæ ibi nusquam erant, ea se vidisse putaverit, ἀμφὶ δὲ ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψε. Profecto enim, cum Augustinum suum legebat, non dico si acuto esset ingenio, ut ea, quæ ab usu vulgari semota sunt et abstrusa dispiceret; sed si usitatum loquendi morem communemque sensum et rationem consuleret, nunquam in tantam barbariem colluvionemque dogmatum incidisset.

Quam in hoc incœpto cæcutiat.

Oculos atra nox circumocclusit.

Igitur in illa, de qua nunc agimus, Augustini interpretatione, ex rerum sane mediocrium inscitia, multiplex illi oblatus est error. Ac sunt tria fere animadvertenda capita; quibus notatis, perspicuum erit, quid sibi illis in locis Augustinus velit, et quam sit ab levissima illa, et præpostera novitate doctrinæ ipsius gravitas et salubritas aliena.

Augustinus, inquit, cum de gratia loquitur, ei subjungit effectum, voluntatem bonam et affectionem. Sit ita. Utrum enim irritam et inanem esse aliquam significet, alias viderimus. Nunc illud demus, quoties gratiæ memi-

Augustinus gratiæ subjungit effectum.

1 Ser. XLIII *de Verb. Dom.* — 2 *Rom.* VIII. — 3 Lib. II *ad Bon.* c. IX. — 4 Lib. *de Corr. et gr.* c. XIV. — 5 I *Reg.* c. X. — 6 Lib. *de Gr. Christ.* c. XIII. — 7 *Joan.* VI. — 8 Lib. *de Gratia et lib. arbit.* c. XIV. — 9 Novus dogm. eodem lib. c. IV. — 10 Aug. lib. *de Grat. Christ.* c. XIV.

nit, nonnisi actuosam et operis ac finis sui compotem ab illo commemorari; an propterea verum est statim, nullam nisi efficacem in rerum esse natura, nec illustrationem et inspirationem esse aliquam, cui voluntas non consentiat? aut quis pessime conclusum istud esse non videt?

VII. Primum ita fert usus consuetudoque scribendi et loquendi, ut cum de re aliqua sermo incidit, quæ virtute ac facultate aliqua prædita est, et usum habet opportunitatemque corporis, aut animi, vel ad bonorum et commoditatum procurandam tuendamve copiam, de ea non aliter loquamur, quam ut reipsa id agit et confert, ad quod adhibetur, et quod ex illa potissimum quæritur. Id autem est ἐνέργεια, et fructus, non δύναμις.

Actus. Potentia.

Sicut et medici de remediis loqui solent.

Quod sane medici frequenter usurpant. Cum enim herbarum, vel aliorum simplicium medicamentorum, aut etiam compositorum vires proprietatesque describunt, non solent loqui sic, ut posse hoc vel illud facere, posse his, aut illis prodesse dicant, sed reipsa facere ac prodesse. Exempli causa Dioscorides, initio libri, *de Iride herba :* « Bilem, inquit, crassamque pituitam ex hydromelite drachmis septem epotæ purgant[a]. » Et, « Doloribus capitis, cum aceto et rosaceo magna utilitate illinuntur, » et alibi passim. Sic Plinius quoque, ut cum de ficis ita scribit : « Alvum molliunt, rheumatismis ejus et stomacho contrariæ. Vesicæ semper utiles, et anhelationibus ac suspiriosis. Item jocinerum, renum, lienum vitiis. Corpus et vires adjuvant[1]. » Cornelius item Celsus : « Sanguinem supprimunt attramentum sutorium[2], » etc. Et, « Glutinant vulnus myrrha, thus, » etc. Tum Scribonius Largus : « Tollit triduo dolorem lomenti hemina[3] » etc. Et, « Ad omnem capitis dolorem efficaciter prodest crocomagmatis pondo sextans[4], » etc. Et, « Hæc eadem herba, *polyneuron*, ebrio data copiosa in crapula vinum discutit mentemque restituit[5]. » Sic Marcellus : « Capitis dolorem, quamvis veterem et intolerabilem protinus tollit, et in perpetuum remediat torpedo nigra, » etc.

Hujusmodi passim apud Galenum aliosque medicos et herbarios occurrunt innumera. Quæ cum leguntur, nemo sic inepte desipit, ut illa ipsa, quibus effecta ista tribuuntur, nunquam iis carere putet; aut nulla esse talia, nisi reipsa opus ipsum, fructumque præstent ac sanitatem restituant. Sed nimirum, cum auctores illi scribunt ita, *benefacit*, *prodest*, *proficit*, *magnos effectus habet*, ut Scribonius persæpe dicit, vel, ὠφελεῖ, ποιεῖ πρὸς τοῦτο, et id genus cætera ; nemo, qui paululum sapit, alium sensum subjicit, nisi hunc : eam vim habere ex sese illas herbas, illaque medicamenta ; ac posse mederi certis ægritudinibus et incommodis, etsi variis de causis interdum effectu careant. Quod idem et de adjutorio gratiæ cogitandum est, quod in eum fidem a Deo datur, et ejusmodi vim habet ex se ut, nisi quid obstet, reipsa id agat in nobis, cujus causa divinitus tribuitur. Obstat vero, quominus hoc efficiat, obfirmata in partem alteram hominis voluntas, et pro eo ac juris est sui et potestatis, divinæ vocationi resistens et gratiæ.

Absurda consectaria argumentationis Calvinianæ.

VIII. Quod si quid momenti habet argumentatio illa novæ theologiæ, eadem via perficient, nullum in Ecclesia censeri, nisi justum ac sanctum, vel etiam prædestinatum ad æternam gloriam : quæ Hussitarum, et Wiclefistarum ac similium hæresis fuit. Etenim Apostolus, quoties Ecclesiæ meminit ac cœtus fidelium, adjungit illa, quibus aut sanctitas, aut æternæ vitæ destinatio continetur. Ut in epistola *ad Romanos : Omnibus qui sunt Romæ, vocatis sanctis*[6]; id est *vocatione sanctis*, κλητοῖς ἁγίοις. Et *ad Corinthios: Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu vocatis sanctis*[7]. Tum ad *Ephesios* scribens, non solum *omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu* epistolam inscribit, sed etiam prædestinationem illis attribuere videtur. Cum enim dicit : « Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ[8], » hæc verba de electis, sive prædestinatis ad gloriam et gratiam sæpissime Augustinus interpretatur. His, inquam, verbis Ephesiorum comprehendit Ecclesiam ; quorum nomine, et ob acceptum cum illis vocationis prædestinationisque beneficium, in commune Deo gratias agit. Tum

a Diosc. lib. I, cap. I. Καθαίρουσι δὲ χολὰς ποτιζόμεναι μεθ' ὑδρομέλιτος. Ibid. Ὠφελοῦσι δὲ καὶ κεφαλαλγίας, σὺν ὄξει, καὶ ῥοδίνῳ καταπλασθεῖσαι.

1 Lib. XXIII, c. VII. — 2 Lib. V, c. I. — 3 Cap. XLI. — 4 Cap. I. — 5 Cap. II. — 6 *Rom.* I, 7. — 7 I *Cor.* I, 2. — 8 *Eph.* I, 3.

illos ipsos *signatos esse* dicit *Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*[1]; et postea, Christum ait tradidisse seipsum pro Ecclesia, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta et immaculata*[2].

Quæ sic exponit Chrysostomus, ut jam hoc a Christo tributum dicat Ecclesiæ, ut sine macula esset ac ruga. « Non solum, inquit, ornavit ipsam, sed etiam illustrem fecit, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi[a]. » Eodem modo et in aliis epistolis scribit, ut Ecclesias e sanctis et electis constare non raro significet. Quid igitur? An cum hæreticis illis negabimus, in Ecclesia cœtuque fidelium esse numerandos, qui sanctitate carent et justitia, eo quod Apostolus ad Ecclesias scribens, universe sanctos omnes appellet, qui in eas adscripti erant, et ideo sanctos, quod ad illius communionem vocati fuissent? Hoc enim verba illa demonstrant, *vocatis sanctis*, κλητοῖς ἁγίοις, *vocatitiis sanctis*, id est, qui ex ipsa vocatione et aggregatione ad corpus fidelium, sanctitatem sunt adepti, ut Chrysostomus, Œcumenius, Theophylactus, Anselmus aliique declarant. Et Augustinus, « ideo sanctis effectis, quia vocati sunt[3]. » Aut eosdem omnes prædestinatos et electos esse, qui sunt ex Ecclesia, cum Calvinistarum natione censebimus? Quidni vero eodem jure atque iisdem vestigiis rationis persuadere hoc nobis ipsis audebimus, quibus Dogmatistes Novus insistit? qui, quoniam Augustinus, cum de inspiratione auxilioque gratiæ loquitur, nonnisi efficientem operis ac consensionis nostræ inducit illam, inde concludit, nullam nisi reipsa, et actu juvantem, ab illo constitutam esse gratiam Christi. Sed neque prius illud verum est; quia constat, plerosque in Ecclesia contineri, qui neque fidem operibus approbant, nec ex electorum numero censentur; et posterius perinde falsum est, atque ex Augustino temere imperiteque collectum.

IX. Ac, quod prius ad illud genus commendationis pertinet, quo generatim Christianos omnes, et fideles Apostolus pro sanctis, Deoque gratissimis prædicat, memorabile est, quod Chrysostomus et Augustinus adnotarunt de eo, quod Apostolus Corinthiorum Ecclesiam, in quam tantum labis ac pravitatis irrepserat, quantum in duabus ad eos epistolis acri objurgatione ac reprehensione significat, non solum sanctitatis ornat titulo, sed etiam omni gratiarum genere, qui in ea sunt, præditos esse testatur; et gratias agit Deo *in gratia Dei, quæ data est nobis*, inquit, *in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis in illo*, etc., *ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*[4]. Quærit ad illa Chrysostomus, quinam ista conveniant cum sequentibus, ubi *carnales* illos vocat : *Adhuc enim carnales*, inquit, *estis*[5]; et de multis accusat, nec certe mediocribus delictis, qualia sunt schismata, contentiones, simultates, communio et societas cum incesto, ebrietas, et hujusmodi alia. Et cum variis modis respondet, tum, quod ad negotium nostrum attinet, hoc ipso « morem hunc esse, ut potiorem partem pro toto accipiamus[b].»

Augustinus vero luculentius eamdem interpretandi regulam explicat his verbis : « Sed Scripturæ mos est ita loqui de parte, tanquam de toto. Sicut Corinthios in primis epistolæ suæ partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum; et postea in nonnullis epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrime sparsam quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria[6].»

Scripturæ mos est loqui de parte tanquam de toto.

X. Quocirca nullo modo consequens est, haud aliam, quam effectus compotem et efficacem esse gratiam, quod Augustinus, cum de gratia disputat, ei fructum operis et effectum semper adjungit. Atque hoc multo magis prudens nobis lector assentietur, si quid causæ Augustino fuerit loquendi sic, mecum animadvertit; nec minus admirabitur, tantillam rem tamque obviam, ac nihilominus adeo necessariam, non in mentem venisse huic homini, qui nihil propemodum in vita egit aliud, nisi ut Augustinum dies ac noctes evolveret, ejusque libros omnes ac librorum dictiones et apices enucleate ac morose perpenderet. Sciret igitur, nisi ejus animum anticipatæ opinionis ex novitate dulcedo quædam atque

a Chrys. Hom. xx in ep. *ad Eph.* Καὶ οὐχ ἁπλῶς αὐτὴν ἐκόσμησεν, ἀλλ' ἔνδοξον ἐποίησε, μὴ ἔχουσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων.

b Chrys. Hom. ii in I *ad Cor.* Ἔστι δὲ καὶ ἕτερόν τι εἰπεῖν, ὅτι ὥσπερ ἔθος ἡμῖν λέγειν τὸ πλέον ἅπαν, οὕτω καὶ ἐνταῦθα εἴρηκε.

1 *Eph.* i, 13. — 2 *Eph.* v, 27. — 3 Aug. *in Expos. epist. ad Rom.* inchoata. — 4 I *Cor.* i, 4. — 5 I *Cor.* iii, 2. — 6 Ep. lix, qu. vi.

amor occæcasset; in illis, quos legit ac citat, Augustini locis, non solum de gratia Christi, sed de ejus etiam effectu, necessarium illi sermonem ac mentionem fuisse. Ita enim sese res habet, ut compluribus istis in locis, in quibus de gratia Christi disputat, vel contra Pelagianos exerte nominatimque certet, vel in eorum hæresim intendat animum, vel denique res ipsa, et institutæ orationis argumentum de effectu gratiæ dicere eum aliquid impellat.

In Pelagiana causa hujusmodi controversia versabatur, quod hæretici isti justitiam et sanctitatem, ac demum gloriam adipisci homines putarent industria suapte ac naturæ viribus, sine adjumento gratiæ. Sanctos, inquam, Deoque gratos fieri, et esse reipsa, nec posse tantum esse, dicebant Pelagiani, viribus suis homines. Contra quos contendens Augustinus, et gratiam atque ejus necessitatem usumque commendans, non quid illa posset, sed quid reipsa faceret in nobis, prædicare debuit; ut, quemadmodum adversarii, quid naturali et insita virtute sine gratia reipsa fieret, testimoniis Scripturæ et exemplis adstruebant, sic ipse vicissim, quid nonnisi per Christi gratiam in nobis operaretur Deus, iisdem argumentis ostenderet.

XI. Ac simillima mihi videtur inter ambos agitata esse contentio, ut si istud in quæstionem vocetur, meliusne homines privata opera et industria, an docente aliquo, doctrinarum atque artium peritiam assequantur. Tum, si ille, qui privatum anteponit studium, rebus jam factis exemplisque nitatur, et eos ex antiquitate proferat, qui nullo usi magistro, per se ipsi marteque suo multarum et magnarum sibi disciplinarum scientiam pepererunt; is, qui pro magistro deinceps contra illum dicere volet, eamdem disputandi lineam teneat oportet; ac quanto plures, et quam brevius ac perfectius idem sint doctoris opera consecuti, antiquitatis memoria teste commendet. Neque vero mediocrem de se risum iste commoveat, si, omisso eo, quod reipsa contigit, de solo eo laboret agatque, quod potuit fieri, nec tamen vitio discentium et ignavia factum fuerit.

Lis erat Augustino cum Pelagianis non de eo quod gratia potest operari, sed de eo quod reipsa operatur.

Hunc esse controversiæ Pelagianæ statum, ac pro gratia Christi adversus hæreticos illos disserentem Augustinum eo vi, ac cursu disputationis abductum fuisse, ut agendum ipsi de eo foret, quod reipsa et actu gratia in hominibus efficit, non quid efficere tantummodo possit, omnibus illius ex libris intelligi potest, quos de eo argumento quamplurimos edidit. Et, ne longior sim in omnibus aut plerisque recensendis locis, in quibus quæstionis istius summam et caput descripsit; unus est præ cæteris illustris et expressus in libro *de Prædestinatione sanctorum*, in quo Pelagiani dogmatis cum catholico conflictum ac litis totius, ut Græci rhetores nominant, τὸ κρινόμενον complexus est[1]. Ibi Pelagium dixisse scribit, per « liberæ voluntatis arbitrium sanctos et immaculatos homines fieri, » et, quos tales fore præscivit Deus, eos elegisse. « Elegit ergo, antequam essent, aiebat Pelagius, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscivit, utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse præscivit. » Adversus hunc Augustinus, Pauli verba illa perpendens, *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*[2], demonstrat, non ideo, quia futuri eramus, aut prævisi tales futuri; sed ut tales essemus per ejus gratiam, a Deo nos esse prædestinatos.

XII. Sic in capite sequenti contra Semipelagianos disputat; qui etsi non, ut priores illi, sanctos fieri nos liberi arbitrii viribus existimarent, tamen fidem a nobis esse, et ea nos præcultos ac præformatos esse dicebant, non Dei gratia, sed naturæ indole ac virtute. At Augustinus ne ipsam quidem fidem aliunde, quam a divina gratia derivari in homines tribuique concedit. Ita vides utrobique de eo certari, quod in nobis efficit gratia, deque hujus opere ac fructu, non de vi ac potestate sola.

Usque adeo vero de *actu* ipso effectuque gratiæ cum Pelagianis pugna erat Augustino, ut Pelagius ipse « possibilitatem, qua homo potest esse justus, datam confiteretur a creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere, etiamsi nolumus; voluntatem autem (quam *volitionem* in scholis nominant) et actionem non nisi a nobis esse, ac de arbitrii fonte descendere[3], » ut Augustinus ipse scribit. Quis igitur non videt, Augustinum gratiæ partes contra Pelagianos propugnantem, non de eo disserere debuisse, quod illa potest, et ad quod agendum vim ac potestatem habet; sed de eo, quod reipsa facit, hoc est de *actu* ipso et *actione*, non de *possibilitate*? Vide, quæ in libro de Pelagianorum et Semipelagianorum hæresi tomo tertio dicentur; ex quibus animadvertes, quam ne-

1 Lib. *de Prædest. sanct.* CXVIII et XIX. — 2 *Eph.* III, 4. — 3 Lib. *de Grat. Christi* c. III et IV.

cesse fuerit, Augustinum de efficaci gratia et opere ejus ac fructu diserte ac nominatim verba facere adversus hæreticos illos scribentem; qui de sola ἐνεργείᾳ, et actu ipso controversiam movebant. Quæ qui legerit, dicam iterum, satis admirari non poterit, hominem istum, quem cum Augustino Hipponensi comparare et Augustinum alterum vocitare studiosi ipsius solent μάλα ὑβριστικῶς et insulse, qui se duos et viginti annos in vero legendo Augustino consumpsisse gloriatur, tantulam rem ignorasse, quæ cuivis e vulgo poterat occurrere, et hujus inscitia ad ea portenta delapsum esse opinionis nefariæ juxta et ridiculæ.

Nimis contumeliose.

XIII. Addam illud insuper, quod in communi ac populari loquendi more positum, nec ille vidit, et ad rem tamen magnopere spectat; quemadmodum supra monuimus, herbarios et medicos, cum de simplicibus compositisque medicamentis, eorumque viribus scribunt, eas non vocabulis ejusmodi, quæ δύναμιν significant, exprimere, sed iis potius, quæ effectum et opus designant, ita qui de virtutibus ac vitiis eorumque natura et proprietate disserunt, similiter facere. Quamvis enim habitus illi sint, ac δυνάμεις et *facultates*, non ἐνέργειαι, nihilominus, cum definiendo ac describendo, quid sint et quid possint explicant, actionis utuntur vocibus, non potentiæ. Sic enim justitiam definiunt jurisconsulti, *quæ suum cuique tribuit* [1]. Et auctor *ad Herennium*, « Justitia est æquitas jus unicuique tribuens pro dignitate cujusque [2]. » Cicero item, « Fortitudo, inquit, est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio [3]. » Et, « Patientia est honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. »

Potentiam.

Actus.

Sensit hoc beatus Thomas Aquinas, cum de justitia disputat; ubi tritam illam apud jurisconsultos illius definitionem pertractat [4], « Justitia est perpetua et constans voluntas jus suum cuique tribuendi [5]. » Contra quam, ut solet, sibi illud objicit, « Justitiam esse habitum, a quo aliqui sunt operativi justorum, et quo operantur, et volunt justa [a]; » voluntatem autem in jurisconsulti definitione positam etiam actum significare. Ac deinde ita dissolvit, « Voluntatem hic nominari actum, non potentiam. Est autem consuetum, quod apud auctores habitus per actus diffiniantur, sicut Augustinus dicit super Joannem, quod fides est credere, quod non vides. » Atque etiam in *corpore*, ut vocant, articuli adnotat, « necesse esse, uti virtus diffiniatur per actum bonum, eo quod habitus ad actum dicitur, et per eum specificatur. »

XIV. Hæc S. Thomæ doctrina Novi Dogmatistæ rationes conturbat, et uno ictu argumentationem ejus succidit omnem. Etenim Augustinus gratiam Christi cum effectu ipso conjungit, imo per hunc illam designat et explicat, quod bona voluntas, sive *volitio* ab gratia, tanquam a causa proficiscatur, et propter istam illa detur, ad eamque referatur. Unde merito « per actum bonum definitur, » cum alioqui per sese spectata gratia, nonnisi δυνάμει, id est *potentia*, ut vulgo dicunt, effectum suum, hoc est consensionem voluntatis nostræ contineat.

Huc illa pertinet acerrima cum Pelagio de bene agendi possibilitate Augustini conflictio. Etenim hæreticus ille *possibilitatem* ejusmodi, qua boni aliquid facere recteque vivere posse dicimur, naturæ viribus ac libero arbitrio tribuebat; nec ad hoc necessariam existimabat esse Christi gratiam, ut Augustinus refert, et hoc argumento refellit: « Si enim possibilitas naturalis, inquit, per liberum arbitrium, et ad cognoscendum, quomodo vivere debeat, et ad bene vivendum sufficit sibi; ergo Christus gratis mortuus est [6]. » Hic duplicem illum gratiæ fructum, videlicet boni cognitionem et bene vivendi effectum, quorum ille in quadam luce mentis, iste in voluntatis vi ac robore consistit, « possibilitatis naturalis » esse dicebat Pelagius ita, ut *possibilitas* ista *naturalis* gratia quædam naturalis esset. Hoc enim primum genus gratiæ de sex a Pelagio constitutis fuisse, alibi demonstravimus [7]; quam et « possibilitatem non peccandi [8], et gratiam, sine qua nihil boni possumus facere, » nominabat. Quocirca, cum hanc ipsam « possibilitatem naturalem, et ad bene vivendum sufficere, et gratiam » esse diceret, eamdem *sufficientem gratiam* [9] intelligebat esse; quod prudens lector animadvertere debet, et apud se notare.

a Arist. V *Eth.* cap. i. Ὁρῶμεν δὴ πάντας τὴν τοιαύτην ἕξιν βουλομένους λέγειν δικαιοσύνην, ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσί. καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσι, καὶ βούλονται τὰ δίκαια.

1 Lib. XXXI, § 1, D. *Depositi.*— 2 Lib. III.— 3 Lib. II *de Invent.*— 4 II, II q. lviii, art. 1.— 5 Lib. X, D. *de Just. et jure*, et in lib. I *Instit.* tit. I. — 6 Lib. *de Nat. et grat.* c. xi et xl. — 7 To. IV lib. *de Hær. Pelag.* c. ii. — 8 Aug. lib. de *Gest. Pel.* c. ii. 9 Idem lib. *de Hæresi* c. lxxxviii.

At Augustinus *possibilitatem* illam *bene agendi*, sive *ad bene vivendum sufficientem*, hoc est *sufficientem gratiam*, non in natura aut libero arbitrio constituendam esse contendit, sed in adjutorio illo, quod Christi meritis partum, communicatione sancti Spiritus in corda nostra diffunditur, sive « in voluntate hominis adjuta per Dei gratiam[1], ut ait Augustinus. Neque de ipsa possibilitate contendo, ait, cum sanata et adjuta hominis voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat, dum charitas Dei, quantum plenissime natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Ubi Augustinus possibilitatem catholicam, Pelagianæque contrariam, quam ex eodem sufficientem esse gratiam ostendimus, ab effectu secernit.

XV. Tum idem postea constanter eamdem gratiam Christi in possibilitate constituere pergit. Ut cum in capite sequenti duplicem *possibilitatem* distinguit; alteram naturæ integræ et innocenti propriam; alteram naturæ lapsæ et utrique statui convenientem. « Quis enim cum nescit, inquit, sanum et inculpabilem factum, et libero arbitrio atque ad juste vivendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt; qui gravibus saucius confossusque vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere[2]. » Inter utramque possibilitatem hoc interest, quod prior, quæ integræ naturæ congruit, quantum ad voluntatem pertinet, nullam desiderabat gratiam; eo quod voluntas ipsa sana et valida, per sese, suisque viribus, sine ullo adminiculo nitebatur. Quanquam alia extra voluntatem gratia opus habebat, sive « adjutorio, per quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet[3]. » Quæ gratia sola mentis illuminatione constabat; qua radiante et opportune suggerente, quid fieri oporteret, liberum arbitrium suapte sponte, absque novo gratiæ præsidio ad illud sese movebat. Ita *possibilitas*, qua in voluntate consistit, ipsa hominis erat libera, et nativis atque integris pollens viribus liberi arbitrii facultas. Verum, postquam in peccatum prolapsa est humana natura, et eo casu sic attrita debilitataque est, ut commovere se nequeat; « potentiore gratia indiget, » ut idem scribit Augustinus, ac nova *possibilitate;* cujusmodi non amplius ipsa est et sola voluntas, sed *medicinalis* Christi gratia : « Medicina quippe poterit, ait idem, quod vitio non potest[4]. »

XVI. Hanc itaque *possibilitatem* cum Pelagius, etiam post Adami ruinam, in sola arbitrii liberi potestate collocaret, ita scribens, « Quod Deus tam bonus, quam justus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret; sed si voluisset; » (ubi *sufficiens adjutorium* solam esse voluntatem decernit) eatenus ad Deum referebat[5], quod is naturæ esset auctor, et hoc effugio propulsare se putabat adversariorum criminationes, qui negari ab ipso gratiam asserebant. In quos his verbis apud Augustinum invehitur : « O ignorantiæ cæcitas! o imperitæ mentis ignavia, quæ id sine gratia defensari existimat, quod Deo tantum audiat, debere reputari[6]? » Quæ si sola apud Pelagium legerentur, satis esse ad catholicam gratiæ professionem videri poterant, ut idem scribit Augustinus : « Quid enim dici brevius potuit et verius, quam possibilitatem non peccandi, quantacumque est, vel erit in homine, nonnisi Deo debere reputari? Hoc et nos dicimus; jungamus dexteras. » Ex quo liquet, nihil Augustino videri aliud esse gratiam, quam possibilitatem bene agendi; cum, si possibilitatem hujusmodi nonnisi a Deo esse confiteretur Pelagius, nihil ab eo amplius exigeret, quocum de sola Christi gratia certamen omne susceperat.

Possibilitatem non peccandi Pelagius tribuit naturæ, non Deo, nisi quatenus naturæ auctori.

Verum postea, fucatam et fraudulentam istam esse confessionem possibilitatis a Deo profectæ, intellexisse se dicit; nec aliud possibilitatem ab illo nominari, quam naturam et voluntatem liberam, quod iis verbis aperuit : « Nam, cum dicitur ipsum posse arbitrii humani omnino non esse, sed auctoris naturæ, Dei scilicet; ecqui fieri potest, ut absque Dei gratia intelligatur, quod ad Deum proprie pertinere censetur[7]?

XVII. Quam *possibilitatem* deinceps exemplis vel similitudinibus naturalium facultatum, sive *possibilitatum*, id est δυνάμεων illustrabat; ut sunt *loquendi possibilitas*, et universe sentiendi, ac similium. Quas a nobis non esse, sed a Deo naturæ nostræ insitas, ac datas esse dicebat, cum earum usus et actio potestatis esset nostræ. « Quod loqui possum, inquit, meum non est[8] (nempe non in vo-

1. Lib. *de Nat. et grat.* c. XLII. — 2 Ibid. c. XLIII. — 3 Aug. lib. *de Corrept. et grat.* c. XI. — 4 Lib. *de Nat. et grat.* c. XLIII. — 5 Apud Aug. ibid. — 6 Ibid. c. XLIV. — 7 Pel. apud Aug. ib. c. XLV. — 8 Pel. ibid.

luntatis meæ potestate situm, sed a naturæ auctore Deo tributum); quod loquor, meum est, id est, propriæ voluntatis; et quia quod loquor meum est, utrumque facere possum, id est, et loqui, et non loqui. Quia vero, quod loqui possum, meum non est, id est, arbitrii mei atque voluntatis, necesse est, me semper loqui posse. Sic audire, odorari, videre, potestatis nostræ est; posse vero audire, vel odorari, vel videre, potestatis nostræ non est, sed in naturali necessitate consistit [1]. » Ex quibus suam de gratia hæresim ita postremo colligebat : « Simili ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est : quod non peccare nostrum sit, posse vero non peccare, non nostrum [2]. » Quam illius sententiam refellit sic Augustinus : « Si de integra, inquit, et sana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus, nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset. Nam et ibi esset adjutorium Dei, et tanquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant se præbere volentibus. » Vides quale auxilium gratiæ in statu innocentiæ necessarium fuisse putet Augustinus, nimirum cujusmodi lumen est, quo sani oculi collustrantur; cui in negotio gratiæ mentis illustratio respondet. Nam, ut oculis illic nullo remedio medicinaque est opus, ita nec istic voluntati. Atvero, quemadmodum si quis ophthalmia laboret, non sola lux ad videndi *possibilitatem* sufficit, sed collyrio prius curandus, et adjuvandus est oculus, ut infusa luce videat; sic in hominis natura peccati ægritudine fracta et languente, non sola satis est illuminans, et quid agendum sit, præmonstrans gratia ; sed talis præterea requiritur, quæ vitiatæ naturæ, et oppressæ concupiscentiæ morbo voluntati medeatur, eique vim ac robur ad agendum sufficiat.

Ex Augustino natura vitiata indiget gratia medicinali ad non peccandum.

XVIII. Itaque pergit Augustinus [3]; ac quænam, et unde sit expectanda possibilitas illa posterior, ac naturæ lapsæ necessaria, his verbis explicat : « Quia vero de hac vita disputat, ubi *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* [4], miror, quo corde etiam sine adjutorio medicinæ Salvatoris nostri, nostrum putat esse non peccare, posse vero non peccare naturæ esse contendat, quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris sit vitii non videre. » Nimirum quam Pelagius *possibilitatem* recte agendi, id est *non peccandi*, a natura esse pugnabat, sive a Deo, qua naturæ est auctor, non a Christo, eam Augustinus imputat « adjutorio medicinæ Salvatoris nostri, » hoc est *gratiæ medicinali*, quam Pelagius nullam in voluntate constituebat, et, si quam soli intelligentiæ ac menti adspergeret, eam funditus esse necessariam, minime putabat. Cum ergo de gratia Christi lis inter ambos omnis et contentio fuerit, apparet, hanc ipsam gratiam Christi, ex Augustini sententia, nihil aliud esse, præter recte agendi ac non peccandi possibilitatem. Quod sane consequentibus in capitibus libri ejusdem *de Natura et gratia*, fuse ac dilucide declarat Augustinus, et exemplis ad id accommodatis pene oculis subjicit. Ut, cum asseveranti sic Pelagio, « posse non peccare nostrum est, et, si voluerimus non posse non peccare, non possumus non posse non peccare, » respondet, « Sed de homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit, habet ambulandi possibilitatem; confractis vero, etsi velit, non habet. Vitiata est natura, de qua loquitur, *Quid superbit terra et cinis* [5]? Vitiata est, medicum implorat. » Quanam in re tandem vitiatam ait esse naturam; aut quid vitio curato, ac sanata natura eidem restitui censet Augustinus? Nempe illud apertissime significat, eatenus corruptam ac vitiatam esse, quod, ut confractis cruribus ambulandi possibilitas eripitur corpori, sic animæ, bonis affectibus elisis, quibus tanquam pedibus ad Deum ambulat, honestæ omnis expediendæ actionis *possibilitas* aufertur. Ut autem, sanatis deinde solidatisque cruribus, ambulandi possibilitas redditur; ita, postquam cœlestis medicus gratiæ suæ remedio languorem ægræ voluntatis abstersit, bene agendi possibilitas instauratur. Sic in capitibus proxime sequentibus de eadem possibilitate cum Pelagio dimicat, quam hic « inseparabiliter insitam aiebat esse naturæ [6]. » Augustinus vero non naturæ, sed gratiæ esse Christi ex adverso probat.

Qua ex tota cum Pelagio Augustini disputatione illud evidens est, gratiam Christi in quadam possibilitate ab eo statui; plurimumque novos allucinari theologos, dum istam ipsam gratiam Christi non in δύναμει, id est *possibilitate* sitam esse, sed in actu ipso, vel *actuali*, ut sic loquar, *efficientia*, ex Augustini auctoritate defendunt; indeque nullam, nisi efficacem Novi esse Testamenti gratiam sciscunt : quæ autem propter dissensum volun-

Augustinus gratiam in quadam possibilitate statuit.

1 Pel. apud Aug. c. XLVII. — 2 Ibid. c. XLVIII. — 3 Aug. ibid. c. XLVIII. — 4 *Sap.* IX, 15. — 5 *Eccl.* X, 9. — 6 Cap. L, LI.

tatis irrita fit, effectuque suo frustratur, et *sufficiens* vulgo dicitur, negant « Christi medicinalem esse gratiam. »

XIX. Postremo ad illas, quas exposui, regulas interpretandi Augustini, et ab nuperæ factionis calumnia vindicandi, adjungenda est illa, nec infimo loco ponenda : Plerisque illis in locis, quibus Novus Dogmatistes abutitur, ut ex Augustino probet, gratiam Christi nunquam ab usu et effectu separari, de ea sola gratia loqui Augustinum, quæ est electorum prædestinatorumque propria, et qua ipsi certo provehuntur ad salutem. Hæc autem opere suo non fraudatur, et ad eam proprie pertinet quod apud Isaiam Dominus dicit de Verbo suo, *Non revertetur ad me vacuum ; sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud*[1].

Sæpe de sola gratia electorum loquitur.

Quo sane referendum istud est, quod superius adnotavi[2], veteres non raro, cum de gratia mentionem faciunt, de ea loqui, quæ plena est et perfecta et in genere suo præstantissima. Ejusmodi est illa, quæ non præsentem modo fructum colligit voluntarii consensus, sed etiam ad salutem obtinendam certa vocantis destinatione dirigitur ; qualis est electorum propria. Neque tamen propterea verum est concludere nullam aliam esse gratiam, quam quæ reipsa voluntatis consensionem exprimit. Alioqui etiam hoc nova theologia recusare non debet ; quod inter Calvinianas næenias et fanatica deliria damnatum est a catholica Ecclesia, nemini, nisi prædestinato, fidem et gratiam suppetere : quod argumentum capite sequenti validioribus lacertis in adversarios torquebimus. Hoc interim memoria tenebimus, uti rhetores ac dicendi magistri, cum oratoriæ artis præcepta dant, et ejus, quem instituunt, artificis ideam proponunt sibi, cum solent oratorem animo describere, qui genere in illo sit absolutissimus et cui nihil desit, neque quisquam eo possit esse præstantior. Quod a se fieri princeps illius artis Tullius in *Oratore* testatur. Sic in informando poeta talem objiciunt sibi poeticæ doctores, qui sit numeris omnibus absolutus. Neque tamen ex eo consequens est, nullum omnino, nisi perfectum et eximium in rerum esse natura oratorem, aut poetam. Ita, cum Augustinus de gratia disputat, et hanc exemplis, aut Scripturæ testimoniis probat et illustrat, eam in docendi specimen assumere, quæ excellit in genere suo, et fructu operæ possessorem locupletat suum, atque ad optatum usque salutis perducit exitum. Quod adeo κατ' εὐφημισμὸν, ac bene ominati usurpandi sermonis gratia fieri solet, ut eodem illo in loco diximus[3]. Stulte autem, et imperite admodum ex eo conficitur, nullam nisi quæ sit hujusmodi, in rebus existere gratiam; hoc est præter illam, quæ aut in præsens efficax sit, ut Novo Dogmatistæ videtur, aut ad ultimum usque perseveret, ut Calviniani sentiunt. Hujus, ut et cæterorum velut canonum Augustinianæ declarandæ sententiæ usus in sequentibus ac fides constabit.

Sæpe veteres de gratia omnibus numeris absoluta loquuntur, quin minus perfectam excludant.

CAPUT XVII.

Ostenditur ex locis aliquot Augustini, hunc, cum de gratia loquitur, ad eam respexisse, quæ est propria prædestinatorum. De adjutorio sine quo *non fit, et* quo *fit; quid utrumque sit ex Augustini sententia. Quid sit possibilitas bene agendi apud Augustinum, et in quo consistat. Cujusmodi Pelagiani eam statuerint. Explicatur Apostoli locus contra Calvinum, in quo gratia nobiscum operari dicitur. Catholicos a Calvini sectariis Pelagianismi perperam insimulari. Causa et potestas agendi per actionis verba sæpe definitur. Quomodo possibilitas boni a gratia tribuatur, eaque diligenter exponitur. Libertatis status ab Augustino constitutus.*

I. Ut ab ea, quam postremam in antecedenti memoravi capite, Augustini explicandi ratione ordiar, perspicuum est, complura illius testimonia, quibus dogmatis novi patronus utitur, de prædestinatorum propria gratia intelligi debere. Velut imprimis istud, quod ex libro *de Gratia Christi* attulit ; ubi Augustinus gratiam appellat doctrinam, qua nos docet Deus. Hanc enim peculiarem electorum esse, non in commune propositam etiam reprobis, ibidem ostendit. « Sic enim docet Deus, inquit, eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant scire, et quod sciunt agere. » Ergo de illorum agit gratia, qui « secundum propositum vocati sunt; » quos non alios designari, quam electos ad salutem, nemo diffitetur, qui Augustinum vel a limine salutaverit. Ita in libro *de Prædestinatione sanctorum* de eadem loquitur prædestinatorum gratia: idque tum libri titulus ipse de-

Præcipui textus in quibus de gratia prædestinatorum agit Augustinus

1 *Isa.* LV, 11. — 2 Lib. IX, c. IV, § 8 et § 9. — 3 Lib. IX, c. IV et IX.

monstrat, tum vero titulo respondens totius operis argumentique tractatio. Nam et illo in ipso capite octavo, unde Dogmatistes multa depromit, ubi et hoc scribit Augustinus, « Hanc gratiam, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respui, etc. de electorum præcipua disserit. Nam statim ista subjicit : « Si quippe facit filios promissionis, et vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. » Ac deinceps doctos illos, a Deo, et *docibiles*, et ab iis, qui non discunt et audiunt, occulto consilio segregatos per eamdem illam gratiam, haud alios, præterquam prædestinatos intelligit.

Nec secus in libro *de Dono perseverantiæ*, cap. XXIII ubi « Dominum ait, sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum, quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus, nisi ipse in nobis operetur et velle.» Nam et de efficientia gratiæ in electis ista, et ejusdemmodi alia scribi, paulo post ostendit, cum ita colligit : « Hæc igitur, quæ poscit a Domino, et semper, ex quo esse cœpit, possit Ecclesia, ista Deus, vocatis suis daturum se esse, præscivit, ut in ipsa prædestinatione jam dederit, » etc.

II. Idem judicium est de eo loco, qui ex libro *de Correptione et gratia* citatur ; in quo Augustinus efficientiam gratiæ ex Scriptura, et ea, quam narrat, historia Saulis illustrat [1] ; qui cum rex jubente Deo creatus esset, quorumdam e populo tetigisse corda Deus dicitur, qui et regem secuti sunt. « At filii pestilentes dixerunt : *Numquid salvabit nos hic? et inhonoraverunt eum, et non attulerunt ei munera* [2]. » Quo in loco, si quis integrum caput, imo libri scopum, et contextum legerit, sciet statim, de prædestinatis ac reprobis sermonem fieri; hoc est de iis, qui correptione sanantur in finem usque, et quibus illa prodest nihil. « Ut si is qui corripitur, inquit, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum ; si autem non pertinet, sit correptio pœnale tormentum. »

Nec minus in libro primo *Quæstionum ad Simplicianum*, quæstione secunda, de prædestinatorum vocatione agit et gratia ; quod tum ex Jacobi et Esau constat exemplo, quod ex capite nono epistolæ *ad Romanos* Simplicianus exponi sibi petierat, tum ex eo, quod eodem dictum illud accommodat Christi : *Multi sunt vocati, pauci autem electi* [3]. Manifestum est autem, utrobique prædestinatos cum reprobis conferri ex perpetua et constanti Augustini sententia, et illorum gratiam ac vocationem comparari cum istorum obduratione, ac cæcitate. Itaque de solis electis, et eorum gratia, verba illa capienda sunt Augustini : « Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus; ad eamdem quippe misericordiam pertinet, ut velimus. » Ut omittam, etiam seposita occulta Dei electione ac reprobatione, de efficaci et reipsa opus exprimente gratia Augustinum illic loqui debuisse, quandoquidem de modo ac ratione disputandum illi erat, quo agitur in nobis, ut vocanti Deo per gratiam auscultemus.

Quæ quidem responsio superiore a nobis indicata capite, ad omnia fere testimonia reliqua valet, in quibus aperta non fit mentio prædestinatorum ac reproborum ; sed vel adversus Pelagianos contenditur de *actuali*, ut vocant, justitiæ ac sanctitatis adeptione, quam sola in nobis efficax gratia molitur, ut sunt quæ ex libris *ad Bonifacium*, aut *contra Julianum*, aut *de Gratia Christi*, ac similibus proferuntur ; vel alia qualibet occasione eo spectant, ut effectus divinæ gratiæ ac justificationis explicetur. Nihil hic necesse est loca singula describere, quæ profecto quisquis legendo conferet cum his, quæ hoc capite et antecedente dixi, verissimum id esse, quod observamus, et maxime consentaneum agnoscet, ac stuporem eorum et incogitantiam non satis mirari poterit qui tam levibus conjecturis in eam καινοτομίαν inducti sunt. Sed horum deinceps argumenta reliqua percurramus. *Innovationem.*

III. Pergunt itaque sufficientem, quæ vitio nostro efficax non sit, oppugnare gratiam, et sic insistunt : hujusmodi gratiam non ægræ esse voluntatis adjutorium, sed integræ, qualis in Adamo fuit ; ac priorem vocant auxilium, sine quo credi, vel bonum opus fieri nequit; posteriorem vero auxilium, quo sit opus ipsum [4]. Quam duplicis gratiæ differentiam ex Augustino sumpserunt, qui in libro *de Correptione et gratia*, ut superiori capite jam attigi, duplex statuit adjutorium gratiæ, unum Adamo adhuc innocenti necessarium ; alterum corruptæ peccato vitiatæque naturæ. Prius ejusmodi esse dicit, « sine quo in bona voluntate, in qua eum fecerat Deus, non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium,

1 Tom. III, lib. II, cap. XXV. — 2 I *Reg.* X, 27. — 3 *Matth.* XX, 16. — 4 Tom. III, lib. II, c. III et IV, et lib. III, c. I.

Auxilium *sine quo.*

per quod posset, et sine quo non posset perseveranter, bonum tenere, quod vellet [1].» Ac subinde de hac gratia scribit sic: « Si autem hoc adjutorium vel angelo, vel homini, quamprimum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. » Posterius auxilium gratiæ tale esse docet, « ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, et perseveranter tenendo non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus.» Ex quibus ita suum dogma concinnant. Auxilium *sine quo*, dicunt esse gratiam, quæ sic voluntatem adjuvat, ut « cum ea operetur ipsa, si velit, adeo ut opus ab ipso liberæ voluntatis nutu pendeat; » quod nonnisi sanæ integræque naturæ convenit; qualis in Adamo ante peccatum extitit. Auxilium vero *quo*, id esse censent, quo voluntas, quæ propter infirmitatem et ægritudinem movere se non potest, sic adjuvatur, ut agat, ac velit; nec possit tantummodo facere, sed reipsa faciat. Ex quo prior illa nascitur opinio, nullam Christi gratiam esse sufficientem solum, sed effectum semper habere voluntariæ consensionis ac boni operis.

Et auxilium *quo* ex Augustino.

IV. Quippe particulæ istæ *sine quo*, tale esse adjutorium significant, quod δύναμιν tantum et possibilitatem tribuit agendi, non autem actionem ipsam. Velut lumen auxilium est, sine quo quamlibet sana et perspicax oculorum acies intueri non potest, non tamen visionem ipsam facit; quia licet copioso lumine afflatus sit oculus, clausus esse potest, nihil ut penitus aspiciat. At vero, cum dicitur *auxilium quo*, intelligimus, id ejusmodi esse, ut eo non possimus tantum agere, si volumus, sed etiam agamus.

Unde aliud insuper ad evertendam simplicem gratiæ sufficientiam argumentum instruunt. Aiunt enim « hoc esse tantum adjutorium possibilitatis, non voluntatis, et actionis. Dat enim homini posse, si velit; non velle quod possit; ac proinde est Pelagianicum adjutorium, non Christi Salvatoris [2]. » Cujus quidem adjutorii duplicis auctoritatem ex Augustino repetunt, qui in libro *de Gratia Christi* [3], Pelagium redarguit, quod callide ac minus sincere gratiam Christi redemptoris agnosceret, asserens, nec « voluntatem nostram, (ea est, quam *volitionem* scholæ nominant,) nec actionem divino adjuvari auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis. » Quam illius hæresim alio in loco uberius exposui [4]. Hæc argumenta duo novi dogmatistæ in unum conferre, ac proponere visum est, quod ex se invicem pendent, et, ut vim ac robur alterum ex altero capit, sic eadem disputatione convicta, et labefactata concident; quod non magna, nec difficili opera constabit. Est enim par amborum fucus, et sophistica insidiosaque fraus ac fallacia, latebram habens in sola captione verborum, quæ, ut incautis et in Augustini lectione nondum accurate versatis forsitan imponet, ita prudentibus ac rei totius gnaris ludibrium debebit.

Illud male interpretantur Calvini fautores.

V. Est autem in eo totus hic error positus, quod nomina illa *sine quo*, et *quo*, necnon *possibilitatis* ex Augustino sumpta, male interpretando, et ad causam suam accommodando perperam accipit. Ut olim Autolycus furtivas merces mangonio quodam et artificio dissimulabat, ut ne agnosci possent [5]. Sic enim existimari voluit, *auxilium sine quo*, quale ab recentioribus theologis, quibus obtrectat, ponitur, non etiam *auxilium* esse *quo*; tum *adjutorium possibilitatis* ab iisdem constitutum, non esse pariter *actionis*; sed utrimque ambo disjungit a se invicem, ac divellit, itidem ut a Pelagio factum esse testis est Augustinus in quo valde illum fugit ratio, et invidia ac malevolentia implicata calliditas elucet.

Possibilitatis vox, inde enim auspicandum est, etsi laxius sumpta, totum id continet, quo agendi facultas instruitur, pressius tamen ac proprie usurpata, principium illud significat, a quo manat efficientia, quam *efficientem* propterea *causam* nominant. Sic in negotio nostro possibilitas bene agendi priore intellecta modo omne illud amplectitur, quod ad rectam actionem exercendam requiritur, et sine quo bene agi non potest. Id autem partim in intelligentia, partim in voluntate consistit. De interioribus animi præsidiis loquor; ut est illustratio mentis, et lux

1 August. lib. I *de Corrept. et grat.* c. XI. — 2 Tom. III, lib. II, c. IX et X et lib. III, c. VII. — 3 Cap. IV et seq. — 4 Tom. IV, lib. *de Hær. Pel. et Semip.* c. VIII. — 5 Themis. or. I.

illa, quæ divinitus inspiratur, tum voluntatis excitatio, et inflammatus ardor, quo vis dominantis cupiditatis obtunditur. Interdum *possibilitas* ad solam appetendi facultatem restringitur, quam *voluntatem* vulgo dicimus; cum Augustinus fere *voluntatem* pro naturalis potentiæ functione, quam *volitionem* dicimus, usurpare soleat. Est enim naturalis illa δύναμις proximum volendi principium, et efficiens causa; quæ seipsam movet, et *vitalem*, ut vocant, actionem τῆς θελήσεως, id est *volitionis* exercet. De hac possibilitate posteriore modo sumpta, præcipua fuit Pelagium inter et Augustinum contentio, de qua nihil hic amplius dicam, cum abunde pertractata illa sit in eo libro, quo Pelagianam ac Semipelagianam hæresim explicavimus [1].

Potentia.

VI. Cum igitur Pelagius naturam hominis nullo genitalis culpæ vitio corruptam ac debilitatam esse crederet; sed integram ex sese, ac nativis pollentem viribus, non minus ad bene agendum eniti posse marte suopte, atque indole, quam in malum inclinari putaret; inde, quod erat consentaneum, docuit, nullis eam gratiæ remediis indigere medicinaque nulla; neque voluntatem nostram ad honestatis appetitionem ulla postulare præsidia, et adminicula, quibus, ægritudine discussa, quæ nulla inest scilicet, illius sustentetur et corroboretur infirmitas. Quamobrem solidam, et absolutam in nobis bene agendi, id est volendi *possibilitatem* a natura inesse Pelagius arbitratus est, quam superfusa qualiscumque Christi gratia nihilominus adjuvaret, non ut omnino posset, quod absque ea nullo modo quiret agere, sed ut facilius ageret. Hanc autem gratiam in sola mentis illuminatione ab eo constitutam, nec tamen ita, ut necessariam judicaret, pluribus illo in libro demonstravimus. At Augustinus naturam ipsam, appetendique facultatem sic esse depravatam ac male affectam originali vitio, ac concupiscentiæ morbo censuit, ut prius medicinali curanda Redemptoris gratia sit et auxilio firmanda, quam ad bonum volendum et agendum excitari possit. Itaque possibilitas boni, quam Christi ope ac gratia recuperamus, est integra, et omnibus ad agendum necessariis prædita vis operatrix et facultas, sive voluntas, simul cum sanante et opitulante gratia. Quemadmodum Apostolus ipse demonstrat his verbis: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* [2]. Ita enim passim legit Augustinus, et ex eo, qualem hic quærimus, *possibilitatem boni*, sive omnibus ad recte agendum præsidiis ornatam et completam facultatem adstruit [3]. Ut cum ex illo loco Apostoli ita concludit: « Id est, non solus, (sic illa Pauli *non ego*, supplendo declarat) sed gratia Dei mecum. Ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed Dei gratia cum illo [4]. » Et in libro *de Gestis Pelagii*, capite tertio, « Manifestum est, inquit, quod, si ad ignem manum mittit, et malum ac mors ei placet, id voluntas hominis operatur. Si autem bonum et vitam diligit, non solum voluntas id agit, sed divinitus adjuvatur. Sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras; ad videndum vero lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur. »

Juxta Pelagium homo a natura habet posse.

VII. Quapropter adjutorium illud gratiæ, ex Augustini et catholicæ fidei sententia, non solum extrinsecus voluntatem regit, ostendens quid agendum sit, et quo dirigendus gressus, ac viam commonstrans; sed illam etiam afficit, et cum ea communiter operatur, et est auxilium, non modo sine quo nihil operari possumus, sed etiam quo reipsa, et cum quo pariter operamur. Idem, inquam, auxilium est et *quo* et *sine quo*. Unde perspicuum est theologorum istorum, quos virulentus Calvinus et hujus assectatores Pelagianismi temere criminantur, a Pelagio discrimen. Hic enim suum illud auxilium *sine quo* sic asserebat, ut non posset auxilium esse, *quo* ageret, hoc est, ut actionem ipsam volendi non attingeret, nec una cum naturali facultate eam efficeret quantum est ex sese, ac si « liberum hominis arbitrium ab illa motum et excitatum gratia, cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti » vellet, et pro virili etiam parte ageret, neque, « quod potest dissentiret; » ut totidem verbis Tridentini Patres pronuntiant [5]. »

Juxta Augustini et catholicæ fidei sententiam Deus operatur in nobis et velle et perficere.

Nam, quod attinet ad possibilitatem boni, nullam absque gratia inesse homini sentiunt iidem illi catholici theologi, Augustino præeunte, et a Deo subministrari per illam gratiam, et auxilium *sine quo* nihil possumus, et *quo* tum possumus tum agimus, si quidem ei cooperari volumus. Pelagius ecce, uti copiose in libro de hujus et Semipelagianorum hæresi monstravimus, « solam possibilitatem

1 Tom. IV, lib. *de Pel. et Semip. hæres.* c. VIII.— 2 I *Cor.* XV, 10. — 3 Ut lib. *de Spir. et lit.* c. XXIV; lib. *de Gest. Pel.* c. IV; Ser. CVII *de Div.* c. IV; lib. *de Grat. et lib. arb.* c. V.— 4 Ib. *de Grat. et lib. arb.* — 5 Trid. synod. sess. 6, can. 4.

voluntatis (id est *volitionis*) atque operis divino adjuvari credidit auxilio; cætera vero duo (nempe voluntatis assensum et opus) nostra esse voluit, et ita firma, et fortia, et sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio: et ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus: sed tantummodo adjuvet, ut velle et agere valeamus [1]. » Augustinus vero fretus Apostoli verbis istis, *Deus est enim, qui operatur in vobis velle et perficere* [2], vel ut in Græcis codicibus legitur, *velle et operari*, ἐνεργεῖν, « non tantum in eo, quod operari possint, sed etiam in eo, quod operantur, divinitus adjuvari » contendit.

VIII. Hujusmodi autem loquendi modos, quibus facultatis alicujus, aut habitus, aut causæ vis, et efficientia significatur per præsentia tempora verborum activorum, δυνητικῶς accipi superiori capite probavimus. *Potestative.* Ac, ne quis hæsitandi restet locus, idipsum ex Aristotele certissimis exemplis ostenditur. *Potentia.* Si enim δύναμις est ulla, cujus ratio, *Essentia.* et τὸ τί ἦν εἶναι non actione ipsa, sed agendi potestate censetur; ea maxime est *causa*. *Essentialis.* Hujus enim natura, et οὐσιώδης proprietas est, *posse agere*, non autem reipsa et actu. Et tamen Aristoteles *causam* definiens, sæpe *actualem*, ut sic loquar, efficientiam adhibet. Ita enim *materiam*, causamve materialem, cujus *essentia in potentia* consistit, dicit esse id, « ex quo in re existente fit aliquid: ut æs causa est statuæ [a]. » Et in quarto *Metaphysicorum* tum causas omnes eodem modo definit, tum principium universe id esse dicit, « quod est primum, unde res aut est, aut fit, aut cognoscitur [b]; » ac passim eo genere loquendi, definiendi, explicandique utitur. Quo fit ut eodem illa sensu capienda sint, quæ de gratia scribit Augustinus, non tantum dare illam, ut velle et agere possimus, sed etiam ut velimus et agamus: nimirum quantum in ipsa est, ac si « excitanti nos Deo, ejusque vocationi assentiri velimus,» ut ait Tridentina synodus. Siquidem « per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam vocamur, et eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponimur; et tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agit, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate potest [3]. » Quæ a synodo divinitus edita *possibilitatem* illam gratiæ, quam superiori capite ex Augustino declaravimus, et sufficientiam exprimunt, et hæreticorum Calvinianorumque pervicaciam frangunt; qui nullam esse sufficientem gratiam affirmant ita, ut effectu nunquam careat vera Dei inspiratio atque gratia, non modo præsentis justitiæ, sed etiam (quæ propria est Calvini ac similium dementia) sempiternæ salutis.

IX. Sane possibilitatem boni non tam adjuvari gratia catholici doctores asserunt, quos mordax Dogmatistes impudenter lacerat, quam ipsammet dari, quæ nulla erat sine gratia. Quanquam possibilitatis pars dici potest aliqua, naturalis ipsa liberi arbitrii potestas; quæ cum gratia communem habet bonæ voluntatis, atque operis effectum. Sed quia nihil ipsa per sese potest, nisi gratia juvetur, quæ præcipuas partes agit; ideo possibilitas ipsa simpliciter a Deo, propter Christi merita communicari dicitur. Quod aliter explicatum est ab Augustino in libro *de Gratia Christi*, ubi, cum Pelagius in libro primo de libero arbitrio sic loqueretur: « Habemus autem possibilitatem utriusque partis a Deo insitam, velut quamdam, ut ita dicam, radicem fructiferam, atque secundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat et pariat, et quæ possit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum [4], » Augustinus illud reprehendit, « quod unam eamdemque radicem constituit bonorum et malorum, contra evangelicam veritatem, doctrinamque apostolicam. Nam et Dominus nec arborem bonam dicit, posse facere fructus malos, nec malam bonos [5]. Et apostolus Paulus, cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique, intelligi radicem bonorum omnium charitatem [6]. Facit autem homo arborem bonam, quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per seipsum facit, sed ex illo, et per illum, et in

a Arist. II *Phys.* cap. III. Ἕνα μὲν οὖν τρόπον αἴτιον λέγεται, τὸ ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος. οἷον ὁ χαλκὸς τοῦ ἀνδριάντος.

b Arist. IV *Met.* cap. I. Πασῶν μὲν οὖν κοινὸν τῶν ἀρχῶν, τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἢ ἔστιν, ἢ γίνεται, ἢ γινώσκεται.

1 Aug. lib. *de Grat. Christi*, c. V. — 2 *Phil.* II, 13. — 3 Trid. sess. 6, can. 4, 5. — 4 Aug. lib. *de Grat. Christi*, c. XVIII. — 5 *Matth.* VII. — 6 I *Tim.*

illo, qui semper est bonus, nec tantum ut arbor sit bona, sed etiam ut faciat fructus bonos, eadem gratia necessarium est, ut adjuvetur, sine qua boni aliquid facere non potest[1]. » Itaque « possibilitas illa non, ut iste opinatur, inquit, una eademque radix est bonorum et malorum. Aliud enim est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tantumque inter se disserunt, quantum virtus et vitium. Sed plane illa possibilitas utriusque radicis est capax; quia non solum potest homo habere charitatem, qua sit arbor bona; sed potest etiam cupiditatem, qua sit arbor mala[2]. » Eamdem possibilitatem, ejusque vim alibi sic explicat: « Proinde posse habere fidem, inquit, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem fidem. quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium[3]. »

Gratiam Pelagius utilem ad facilius operandum, non vero necessariam habebat.

X. Hic apparet, quemadmodum Pelagius *possibilitatem* boni ac mali naturaliter insitam, et ad utrumque deligendum ac faciendum, firmis et idoneis viribus præditam inesse putaverit homini, quam et adjuvari Christi gratia eatenus est fassus, quod ejus ope facilius adipisceretur, quod sine illa difficilius quidem, sed tamen consequi posset. Augustinus vero absque illo adjutorio gratiæ negat, ullo modo posse suppetere. Ac de duplici adjutorio isto in libro *de Gestis Pelagii* capite primo, scripsit ita: « Adjutoriorum genera esse duo. Alia quippe sunt, sine quibus illud, ad quod adjuvant, effici non potest; sicut sine navi navigat nemo, nemo sine voce loquitur, nemo sine pedibus graditur, nemo sine luce intuetur, et multa hujusmodi; unde est etiam illud, quod nemo sine Dei gratia recte vivit. Alia vero sunt adjutoria, quibus sic adjuvamur, ut, etiamsi desint, possit alio modo fieri, propter quod ea requirimus; sicut illa sunt, quæ commemoravi, tribula ad fruges terendas, pædagogus ad puerum ducendum,» etc. Quibus prioris adjutoriorum generis exemplis admonemur, gratiam Christi in quadam recte agendi possibilitate consistere; quæ, si voluntas adsit, et simul operetur, cum ea opus efficiat. Non igitur possibilitatem sic adjuvat, ut Pelagiani putabant, gratia Salvatoris; quoniam non illi jam constitutæ et integræ ac valenti supervenit, sed ipsammet possibilitatem efficit, ac largitur. Fit enim « per gratiam sanatio animæ, ait Augustinus, abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii; per liberum arbitrium, justitiæ dilectio; per justitiæ dilectionem, legis operatio, etc. Ita liberum arbitrium non evacuatur per Dei gratiam, sed statuitur; quia gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur[4]. »

XI. Differt etiam novæ legis gratia ab illa priore, quam Adamus ante peccatum habuit, vel angeli boni; quam Augustinus ejusmodi esse scribit, ut sine hoc adjutorio neutri in accepta per gratiam voluntate bona perseverare possent[5]. Distat autem, quod ista gratia ita necessaria illis erat, ut sine ea non possent; non tamen cum ea agerent, sive ea potius cum ipsis non ageret, eo quod in voluntate non esset, nec ad consensionem, opusque bonum efficiendum cum ea communiter operaretur, nisi extrinsecus ac metaphorice, utpote quæ in sola intelligentia et notitia resideret. Nam voluntas ipsa, quia sana et incorrupta erat, nullis remediis, medicinali nulla gratia opus habebat, satisque valida erat, « ut bene velle posset et male; » ut ibidem scribit Augustinus. Itaque plena tum fuit et perfecta possibilitas efficientis principii, quod esse voluntatis facultatem supra diximus. Verum, postquam in deterius vitio suo humana natura decidit, et concupiscentiæ nexibus, et illecebris irretiri ac præpediri cœpit, atque ad infima terrenaque commoda glutino quodam cupiditatis adhærescere, non jam ad volendum operandumque bonum priore illa est contenta gratia; sed robustioribus ac validioribus est curanda primum, dehinc armanda præsidiis, ut non sciat tantummodo quid facere debeat, verum etiam, quod scit, velle et exequi possit. « Nam neque liberum arbitrium quidquam, nisi ad peccandum valet, ait Augustinus[6], si lateat veritatis via; et cum id, quod agendum et quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, *charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*, non per liberum arbitrium, quod surgit ex nobis, sed *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*[7]. » Tum igitur ægro ac languore fracto libero arbitrio gratia subvenit, ut eo sanato et erecto deinceps *in via mandatorum* ambulare homo possit, regente ipsum, et gressus una moliente expedienteque gratia, hoc est velle

1 Aug. l. *de Grat. Chr.* c. XIX. — 2 Ibid. c. XX. — 3 Aug. lib. *de Præd. sanct.* c. V. — 4 Lib. *de Spir. et lit.* cap. XXX, to. III — 5 Lib. *de Corrept. et grat.* c. XI. — 6 Lib. *de Spir. et lit.* cap. III. — 7 *Rom.* V, 5.

ipsum operarique cum illo faciente. « Nam et agis, et ageris, ut idem scribit Augustinus, et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis, etc. Nemo adjuvatur, si ab eo nihil agatur [1]. » Agit ergo aliquid aspirante et cooperante gratia liberum arbitrium; neque tantum recipit ac patitur, ut stolide Calvinus asserit; quod et nominatim synodus Tridentina damnavit.

XII. Possunt huc illa referri, nam et valde ad præsentem tractationem pertinent, quæ de libero arbitrio et libertatis proprietate tertio in tomo disputavimus [2], ubi et ratio est reddita, cur Augustinus, cum de libero arbitrio, *libertatis* notionem non ex naturali proprietate repetit, sed ex statu et qualitate, cui servitus opponitur. Hoc ideo fecisse illum docui, quod a natura insitam alterutrius eligendi facultatem ac δύναμιν non simpliciter respiceret, sed quatenus ita comparata est, ut ad bonum et amandum et agendum idoneas vires habeat Christi meritis et gratia suffectas; quæ concupiscentiæ, ac peccati servitio extricatum hominem in libertatem asserit filiorum Dei. Hoc enim modo ac statu constitutum liberum arbitrium possibilitas est illa recte ac laudabiliter agendi non Pelagianica, ut Telchines somniant, sed christiana et catholica, et quod consequens est, Augustiniana. Eadem illa radix est ab eodem Augustino memorata; quæ utique nondum fructus est, sed eum habet in potestate, et hunc parturit ac reipsa profert, cum « excitanti atque adjuvanti gratiæ libere homo consentit, et cooperatur, » ut adversus Calvinum, et Lutherum Tridentina decrevit synodus.

Colligamus ex omnibus istis, quanta suffusa sit inscitia Dordrechtanorum et similium calumniatorum improbitas; qui Bellarminum cæterosque, quos *Pontificios* vocant, in Pelagiani erroris invidiam adducunt, quos et imitari non puduit nuperos illos sufficientis oppugnatores gratiæ, et Augustini, uti præ se ferunt, callidos amatores. Sed hujus mentem ac sententiam intelligere prius illos attinebat, quam ejus se fautores tam acres, ac propugnatores inscriberent, et aliter vereque interpretantibus inclementer obstreperent. Certe meras illis tenebras fuisse, quæ de gratiæ adjutorio *sine quo non fit*, et *quo fit*, tum quæ de *auxilio possibilitatis* summus ille doctor tradidit, iidem ipsi fatebuntur, si velint dicere verum, postquam nostra legerint; qui stupide et insulse ex illo ratiocinati sunt, nullam omnino Christi esse gratiam, quæ vitio nostro irrita sit effectuque fraudetur. Siquidem, « quod a multis refutatur ipsorum est nequitiæ, ut ait Prosper; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ[3]. » Sed alia porro istorum argumenta diluamus.

CAPUT XVIII.

Refellitur Calvini fautorum argumentum, quod ex Semipelagiana opinione colligunt, nullam esse gratiam, nisi operis efficientem. Ostenditur, nihil habere commune cum illis catholicum decretum. Explicatur Massiliensium istorum opinio, qui perperam Augustinum interpretati sunt. Adjutorium gratiæ ab catholicis et Tridentino concilio constitutum non pertinere ad naturam. Quid a natura distet gratia; χάρις a Græcis Patribus pro eo sumitur, quod extraordinaria fit Dei potestate. Uterque status, naturæ et gratiæ, propria requirit adjumenta. Quid differat adjutorium gratiæ conveniens naturæ integræ, et lapsæ. De eo, quod supernaturale *dicitur. Gratia apud Augustinum profluentem efficientiam significat. Necessariam esse gratiam sufficientem. Novæ legis gratia quanto sit præstantior, quam ea, quæ primo homini data est. Eadem sufficiens gratia non tantum dat, ut possimus agere, sed etiam ut agamus.*

I. Ut ex Pelagianorum sententia invidiam facere catholico decreto de sufficiente gratia conantur hæretici, quique horum placitis arrident, sic ex Massiliensibus Semipelagianis idem maxime isti student efficere [4]. Hanc enim gratiam, quæ *sufficiens* ponitur, et cujus effectus ex voluntate pendent hominis, ejusmodi esse dicunt, ut eo adjutorio « credere homo possit, si velit [5]. » Illos porro « non aliam ob causam tanquam hæreticos proscriptos esse, nisi quia tale auxilium homini sufficere putarent; adeoque nullum aliud adjutorium ad credendum actu ex parte Dei sufficere putarent. »

1 August. Serm. XIII *de Verb. Apost.* c. XI. — 2 Lib. IV *de Opif.* et seq. — 3 Lib. II *de Voc. gent.* cap. XXVI. — 4 Tom. III, lib. II, cap. XII et lib. III, cap. V. — 6 Ibid. lib. III, cap. I.

Ex Hilario necnon Augustino et Semipelagianis argumenta colligunt. heretici adversus gratiam sufficientem.

Atque hoc tum ex Hilarii epistola *ad Augustinum* probat nuperus Dogmatistes, tum ex Augustino ipso [1]. Cum enim Augustinus in libro *de Corrept. et gratia* duplex adjutorium gratiæ constituisset [2]; unum, quod Adamo in statu innocentiæ tributum est, « sine quo perseverare non posset, non tamen quo fieret, ut perseveraret, » alterum ejusmodi, « non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint; quod nunc sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis datur. » Hilarius his Augustini verbis « ita moveri Semipelagianos scribit, ut dicant, quamdam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adjutus est, ut et stare posset in justitia, et a justitia declinare, et nunc ita sancti juvantur, ut declinare non possint (si quidem eam acceperunt volendi perseverantiam, ut aliud velle non possint); vel sic quidam deseruntur, ut aut nec accedant, aut si accesserint, et recedant, ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis, vel comminationis utilitatem, quæ et persistendi et desistendi obtinebat liberam potestatem, non ad hanc, cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est; præter illos, qui sic concreati sunt his, qui cum universa massa damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. » Itaque displicuit Massiliensibus, quod Augustinus prædestinatis talem concedi gratiam doceret, quæ in eorum potestate non esset, ut eam aut admitterent, aut respuerent. Hujusmodi autem est efficax sola, non illa, quæ ponitur vulgo, *sufficiens* gratia. Ex quo novi theologi concludunt, *sufficientem* illam gratiam, quam Massilienses probabant, ab Augustino esse repudiatam, si de Christi gratia sermo sit; et eam solam agnitam, quæ vocatur *efficax*.

II. Atqui quod in cæteris fere, idem etiam hoc loco committunt adversarii, ut vel imperite, vel maligne et improbe tergiversentur. Ac primum obliti videntur, istic agi de prædestinatorum gratia, quæ nonnisi habet effectum et efficax est; non autem de altera, quæ sufficiens proprie vocatur, aut cujus in incerto veluti pendet exitus. Deinde, quæ inter Augustinum et Massilienses controversia fuerit, et quid istos offenderit, non satis animadvertunt; quod paucis ex superiore nono libro repetendum est.

Massilienses Augustinum male interpretati sunt.

Augustinus electionem ac prædestinationem, hoc est segregationem ex massa corrupta, et originali labe contaminata fieri a Deo sic statuebat, ut æterno et absoluto voluntatis suæ beneplacito ac decreto certos homines eximeret illa ex massa, nullo ad eorum merita respectu habito; tum ex hujus vi decreti ac propositi, quo illis absolute salutem impertiri constituisset, certa et haud dubie exitum habitura destinare auxilia gratiæ, quæ eos amplexuros, ac bene usuros esse provideret. Hanc in tribuenda gratia disparem et inæqualem voluntatis divinæ conditionem Massilienses non laudabant; quod non modo solis prædestinatis peculiarem nescio quam, et eximiam gratiam assignaret Augustinus, sed multo magis, quod hujus in illis effectum alteram in partem definitum rata et immutabili Dei sententia esse vellet. Ita enim de illis scribit Hilarius: « Cæterum quidquid libet donatum sit prædestinatis, id posse et amittere, et retinere, propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent, eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint. »

III. Ubi illud insuper animadvertes, in quo rei summa consistit, Semipelagianos istos Augustini tum mentem, tum verba ipsa male interpretatos esse, nec bona fide sincereque retulisse. Sic enim de dono illo perseverantiæ scripsisse asserunt Augustinum, prædestinatis tale adjutorium dari, « non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes esse possint; » quasi verbum *possint* utrobique posuisset. Atqui non dixit Augustinus, « ut per hoc donum nonnisi perseverantes esse possint, » sed « nonnisi perseverantes sint. » Multum autem duo hæc invicem distant. Nam aliud est, prædestinatos data illa gratia certo esse perseveraturos, ac nonnisi perseverantes fore; aliud est, nonnisi perseverare posse. Horum prius non id excludit, quod et Tridentini Patres sub anathematis pœna statuunt, ita illos quamlibet certo « assensuros Deo excitanti, ut possint dissentire, si velint. » De eo quippe, quod reipsa consecuturum est, ac Deus fore prævidit, loquitur Augustinus; non de eo, quod absolute possunt, ac, si vellent, facerent. Posteriori vero conformata modo sententia significat, ereptam esse prædestinatis dono illo dissentiendi potestatem, quod Tridentino canoni

Multum interest inter certo perseveraturum esse et nonnisi perseverare posse.

1 Tom. I, lib. VIII, cap. VI. — 2 Cap. XI et XII.

Hoc posterius a concilio Tridentino damnatum.

contradicit. Quemadmodum, si quis de Petro, antequam reipsa Christum negaret, ita dixerit, postquam ter eum negaturum esse Dominus prædixit, omnino negaturum fuisse, nec aliud, quam negaturum, verum utique dixerit. Idem vero si sic loqueretur, *nonnisi eumdem negare posse*, falso diceret. Sic enim negavit, ut, si vellet, non negare potuerit. Scio multum interesse inter præscientiam simplicem futuræ rei, et ejusdem prædestinationem; sed hoc qualecumque discrimen nihil ad præsentem disputationem refert. Nihilominus enim ex eo, quod attuli, Petri exemplo cognoscimus, male ab Massiliensibus istis detortam Augustini esse sententiam; nec minus sinistre novos illos sufficientis oppugnatores gratiæ, eorum, contra quos disputant, et quos in communionem Massiliensium erroris vocant, calumniari, ac depravare dogma; dum genus illud gratiæ, quod nonnisi uniusmodi, hoc est *efficax* est, cum eo miscent confunduntque, quod præcise, ut in se est, spectatur a theologis, necdum ulla præcipua divinæ voluntatis destinatione fixum. Ac de Massiliensibus, et toto illo negotio gratiæ plura non dicam, nec amplius, quam quod in Tridentina synodo declaratum ac disertis conceptisque verbis expositum habemus; quod adversus hæreticorum criminationes pro virili parte tueri satagimus. Quidquid autem præter istud est, quod exquisitius ac subtilius in scholis agitari consuevit, quoniam integrum non est per apostolicæ Sedis auctoritatem hoc loco pertractare, funditus prætermittimus.

IV. Atenim contra sufficientem gratiam illud obtenditur, hoc ipsum « adjutorium non tam ad gratiam, quæ proprie gratia nunc vocatur, quam ad naturam pertinere. Quid enim magis ad naturam pertinet, quam quod ita naturæ consertum, arcteque junctum est, ut ei auferri non possit, quin libertas naturalis creaturæ rationalis auferatur [1]? » Atqui « scholastici non pauci putant, non posse sufficiens adjutorium subtrahi, nisi velimus dicere, actu secuturum non esse peccatum, vel Deum jubere impossibilia, vel nos peccare in eo quod præstare non possumus. » Itaque, « Vidit, inquit, Augustinus hujusmodi auxilium potius ad naturæ rationalis institutionem, quam ad reparationis gratiam esse referendum. »

Sed mirus et ridiculus est fucus ac stupor indolis istius; de quo libet cum Augustino dicere: « Videte acumen, sed vitreum. Quasi lucet vanitate; sed frangitur veritate[2]. » Etenim naturæ humanæ duplex est auxilium, quo ad agendum divina illi providentia subvenit; quemadmodum duo sunt status, in quibus ea spectatur. Nam alius est naturalis, quatenus ratione est intelligentiaque homo præditus, et ad naturæ consentaneum finem dirigitur. Cui quidem statui congruentia Deus adjumenta suppeditat, ac suum quoddam gratiæ genus. Nam, ut natura ipsa gratia est, sic ad eam tuendam, et ornandam, hoc est idoneam faciendam præstandis iis, quæ illi conveniunt, certis auctoris sui subsidiis indiget; eaque ipsa gratiæ nomine censentur. De hoc gratiæ genere luculenta Augustini est oratio: « Communis est omnibus, inquit, natura non gratia. Natura non putetur gratia; sed et si putetur gratia, ideo putetur gratia, quia et ipsa gratis concessa est. Non enim homo, qui non erat, promeruit, ut esset; si promeruit, jam erat, sed nondum erat. Ergo qui promereretur non erat, et tamen factus est: nec ut pecora factus est, nec ut arbor factus est, nec ut saxum factus est, sed factus est ad imaginem creatoris. » Ad hoc idem genus revocari possunt naturales quædam propensiones, et quasi semina virtutum ab ortu insita: ut sunt aliis alii feliciori, et ad honestatis capessendum studium aptiori indole præditi: id quod etiam in gentilibus philosophis, ac plerisque aliis infidelibus, et reprobis usuvenit. Quod munus conditoris appellat Gregorius Papa, cum illa Jobi declarat, quibus secum de utero matris egressam esse miserationem ait, secumque crevisse[3]. « Miseratio etenim, inquit, etsi ejus fuerit arbitrii, ut cum ipso proficeret, liquet tamen, quia ejus arbitrii non fuit, ut cum ipso de utero exiret. Constat ergo, quia suæ virtuti nil tribuit, qui profecto testatur, quia hoc ex conditoris munere accepit[4]. » Sic enim gratiæ est quidquid ex meritis non datur; quæ est primaria, et omnium antiquissima notio gratiæ, in qua primus cum Pelagiana impietate certantium catholicorum gradus constitit, ut suo loco docuimus.

Quænam gratia naturæ conveniat.

V. Verum aliud est, quod vocabulo *gratiæ* subjiciunt Apostolus et hujus imitatione christiani Patres, imprimis Augustinus, cum de gratia contra hæreticos disputant. Pergit

Gratia est natura præstantior ideoque supernaturalis.

1 Tom. III, lib. III, cap. XII. — 2 August. Serm. XI *de Verb. Apost.* cap. IV. — 3 *Job.* XXXI, 18. — 4 Gregor. lib. XXI *Moral.* cap. XIII.

itaque in eodem, quem citavimus, sermone *de Apostoli verbis* Augustinus, et « Excepta, inquit, illa communi gratia naturæ, qua homines facti sumus, nec digni fuimus; excepta illa gratia, hæc est major gratia, qua facti sumus *populus ejus, et oves pascuæ ejus* [1] per Jesum Christum Dominum nostrum. » Hic ille fidelium est status, et quasi altera quædam et secunda nativitas, qua in adoptionem filiorum Dei renascimur. Sed, quia communi natura major et præstantior est, idcirco *supernaturalis* a theologis dicitur, et ad gratiam proprie dictam et christianam pertinet.

Vox χάριτος ad exprimendum quid exquisitum usurpatur a Patribus Græcis.

Sic enim animadvertimus, vocabulum χάριτος rara quadam et exquisita significatione a Græcis usurpari Patribus, pro eo, quod divina et inusitata vi, et gratuito, non naturæ debito, et ordinario modo geritur, hoc est quod *supernaturale* vulgo nominatur. Ita Basilius Seleuciensis, notæ et interdum affectatæ auctor elegantiæ, in oratione secunda *de Davide* plus semel. Ut cum scribit sic ex Davidis persona: « Propterea bono animo sum, quia non meis manibus, sed gratia confisus in certamen descendo [a]. » Et mox: « Invitus Saul voluntati gratiæ ministrabat [b]. » Tum eumdem Davidem ait « electum a gratia, ut rex esset, cum tantum non ipsi gratia diceret: Nihil tibi armis istis opus est [c]. »

Chrysostomus item de manna, victuque extraordinaria ratione procurato, « Otiosa, inquit, erat natura, et operabatur gratia [d]. » Sic alibi quædam ait, humanæ industriæ permitti, « nec omnia gratiam efficere [e]. »

Severianus quoque de Eucharistica oblatione super altare loquens, et cibo fidelium, ait hunc χάριτι σώζειν, καὶ οὐ φύσει, *gratia, non natura salutem largiri* [2].

Sic Epiphanius de ejusdem institutione sacramenti loquens in memorabili illo loco, qui in *Ancorato* legitur, « Voluit, inquit, gratia dicere: Hoc meum est hoc [f]. » Gratiam sumit pro extraordinaria, et ut vocant, *supernaturali* virtute, ac potestate.

Naturæ et gratiæ.

VI. Igitur uterque ille status, φύσεως καὶ χάριτος, sive naturalis, et natura præstantior, propria et consentanea sibi auxilia postulat; et ejusdem, a quo instituta sunt, auctoris Dei beneficio accipit. Idem enim, qui creavit hominem, Deus, et rationis, ac liberæ voluntatis insignibus ornavit; eumdem vitio suo deformatum, ac perditum restituit in integrum, ac meliorem in statum reduxit. In quo duplicem veluti personam imposuit sibi, creatoris, auctorisve naturæ, ac redemptoris; totidemque adeo præsidia et adjumenta impertitur homini; quorum alterum ad usum naturæ, et insitarum ab ea facultatum refertur, et in eodem naturæ gradu atque ordine consistit; alterum naturæ captum ac modum superans, ad ea pertinet, quæ supra naturam sunt, et ut jam docui, *supernaturalia* vocantur. Atque hæc proprie gratiæ vocabulo continentur; quia totum hoc genus gratuitum est, cujus nulla est in eo, cui tribuitur, illecebra meritorum. Sed vel nihil in utramvis partem habet ipsum, nec existit omnino, vel ita suopte vitio depravatum est, ut pœnam potius ab offenso iratoque Deo, quam ab æquo et placido fructum aliquem bonitatis expectet. Ex quo bifariam iterum gratia illa dividitur. Nam altera cœlestibus spiritibus, ac primo etiam homini, eodem, quo creati sunt, momento, naturæ et exstantiæ comes affuit. Siquidem utrosque, statim atque orti sunt, (id quod esse probabilius alio loco demonstravimus) gratia illa natura potior excepit, nullis non modo meritis indulta, quæ nondum existentium esse aliqua nequibant, sed nec ipsi naturæ, tanquam consequens quiddam et annexum, ab illius auctore debita. Naturæ quippe, ut jam dixi, ordinem divinus ille status ac gradus exuperat, ad quem gratia nos proprie dicta, et charitas evehit. Itaque, quamvis naturæ rationalis conditor eo ipso, quo ejusmodi hanc esse voluit, et in rerum universitate consistere, consentanea ipsi et idonea largiri adminicula præsidiaque debeat, quibus intra naturæ istius se fines continens, congruentem huic actionem ac modum tenere possit; non illa tamen diviniora et altioris propria condi-

Uterque status gratiæ et naturæ propria sibi adjumenta requirit.

a Basil. Seleuc. Διὰ τοῦτο θαῤῥῶ ὅτι μὴ χερσὶν ἐμαῖς, ἀλλὰ χάριτι παρατάττομαι.

b Ibid. Ἄκων δ Σαοὺλ τῷ τῆς χάριτος ὑπηρέτει βουλήματι.

c Ib. Μεθ' ὧν αὐτὸν ἡ χάρις πρὸς βασιλείαν ἐχειροτόνησε· μονονουχὶ λεγούσης αὐτῷ τῆς χάριτος· οὐ χρεία σοι τοιούτων ὅπλων.

d Chrys. Hom. xc, quæ est iv *de Pœn.* Ἤργει ἡ φύσις, καὶ εἰργάζετο ἡ χάρις.

e Hom. xx *in Acta.* Καὶ ὅτι οὐ πανταχοῦ τὸ πᾶν ἡ χάρις ἐνήργει.

f Epiph. *Ancor.* § 57. Καὶ ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν· τοῦτό μου ἐστὶ τόδε.

1 *Ps.* xcix, 3. — 2 Or. vi *de Cosmop.*

tionis ornamenta naturalis hic status exigit, quibus *gratiæ* fere vocabulum est impositum.

VII. Cæterum, si supra naturam attollere angelum Deus, aut hominem decreverit, et in excellenti vitæ sorte, ac dignitate collocare, hæc illi admetiri debet auxilia, et eas suppeditare facultates, quibus statui isti congruenter se gerat. Ex quo *gratiæ*, quam *sufficientem* nuncupant, necessitas colligitur. Quare ne angelis quidem, vel homini primo deesse potuisse, cum primum facti sunt, et ad spem vocati potiundæ felicitatis, ac divinitatis consortium, testis est Augustinus. « Quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet [1], » nimirum in bono illo perseverare, quod acceperant, qui est justitiæ ac naturam excedentis gratiæ status : « Alioqui non utique sua culpa cecidissent; » quoniam præscriptam sibi et impositam a Deo legem cursumque vitæ nec implere suis ipsi viribus poterant, nec alienis, ac necessariis destituti potuissent. Fuit hæc ipsa tamen gratia, quæcumque ad illud tuendum et exequendum divinioris, quam naturæ eorum captus ferebat, vitæ genus necessaria ; et idcirco divinitus illis est attributa, quia nec ullis eorum impetrata meritis est, et ille ipse, cui hoc opus adjumento fuit, gradus atque ordo natura superior, gratis ipsis erat, et nullo eorum jure concessus.

Postquam autem *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [2] cœpit « natura ista hominis, ut ait Augustinus, qua unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indigere, quia sana non est [3], » ac misericordi et « medicinali Salvatoris auxilio. » Siquidem « post casum istum hominis [4], ut idem alibi scribit, nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum [5]. » Quæ « gratia non meritis redditur, quod idem ait, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur [6], » id est χάρις quam φύσει, hoc est *naturæ* ex adverso respondere, ex usu Græcorum etiam Patrum, paulo ante meminimus.

VIII. Sic enim, ut pauca nunc addamus testimonia, dixit Athanasius, « Christum ascendisse in cœlum in naturali majestate, et gloria, non in gratia [a]. » Nam quia Christus vere, et φύσει Deus est, ut Apostolus loquitur [7], sive οὐσιωδῶς, hoc est *substantive ;* non id habet χάριτι, hoc est præter suprave naturam, et, ut aliter Græci theologi dictitant, θέσει, hoc est, nova institutione, velut adoptione. Ita χάρις, sive *gratia* aliquid peregrinum et adventitium significat, et quod accessionis loco ad naturam adjungitur ; quale est id omne, quod *supernaturale* dicitur. Sic Diodorus Tarsensis ejusdem cum Theodoro Mopsuesteno, et post ambos Nestorio, impietatis particeps, dicebat, « genitum ex semine David Filium Dei gratia, et non natura vocari, » ut refert Leontius [8]. Ita denique Paschasius Radbertus ei, quod *substantialiter* inest, opponit, quod fit *gratia*. « Cogitet ergo quisque, ait, panes illi in eremo quinque, aut septem si habuerunt substantialiter ex se, ut tot homines satiarent, deinde tot sportas replerent ; an in gratia fuit, quod factum est, Creatoris. »

Eximius est, et ad institutam disputationem aptissimus Leontii Byzantini locus in libro secundo, qui est contra Aphthartodocitas ; ubi sic scribit : « Nec hoc est animadversione prætereundum, quod, cum tres causæ cernantur, ex quibus omnis actus proficiscitur, unus quidem est ex naturali potentia, alius vero ex depravatione habitus secundum naturam, tertius consideratur secundum ascensum, et progressum ad melius ; ex his primus est naturalis, secundus præter naturam, tertius supra naturam est et nominatur. Ille ergo actus, qui vocatur præter naturam, qui est aberratio quædam a naturalibus habitibus et potentiis, lædit substantiam ipsam et operationes ejus naturales. Naturalis autem actus ex causa non impedita, et secundum naturam nixus proficiscitur. Actus vero supra naturam evehit, et elevat, et ad perfectiora roborat ; et ad ea, quæ non potuisset efficere si in iis, quæ sunt secundum naturam, mansisset. Quæ igitur supra naturam sunt, non interimunt, quæ sunt secundum naturam, sed potius deducunt et impellunt, ut et ea, quæ secundum naturam sunt, possimus ; et virtutem ad ea, quæ supra hæc sunt, accipiamus [9]. » Quo in loco Leontius accurate genus illud exposuit rei, quod supernaturale

a Athan. in calce lib. *de Incarn. Verbi Dei.* Ἀνελθὼν εἰς τὸν οὐρανὸν ἐν δόξῃ φυσικῇ, καὶ οὐκ ἐν χάριτι.

1 Lib. *de Correp. et grat.* c. xi. — 2 *Rom.* v, 12. — 3 Lib. *de Nat. et grat.* c. iii. — 4 Ibid. c. xxxiv. — 5. Aug. lib. *de Dono pers.* c. vii. — 6 Idem lib. *de Nat. et grat.* c. iv. — 7 *Gal.* iv, 8. — 8 Lib. III *cont. Nest. et Euth.* To. IV *Biblioth. Patrum*, col. 1022. — 9 Tom. IV *Biblioth. Patrum.*

dicitur, ac velut formam quamdam, sive ἐνέργειαν, aut ἐντελέχειαν describit, quæ naturam afficiens, ei robur addit, extollitque supra se, et ad actiones quasdam obeundas, quarum ex se capax non erat, idoneam facit. Porro nonnisi ejus generis actiones excellentiore adjumento illo, et concursu effici, cujus in natura sit initium aliquod, quod in majus promoveri ac perfici gratia possit. Qua de re theologi litigant in scholis, cum de obedientiali potentia disputatur.

Efficientiam Actum.

IX. Non fuit hæc otiosa, tametsi paulo longius extracta est, naturæ cum gratia comparatio. Nam ad quæstionem, de qua hic agitur, non parum conducit, et ad Novi Dogmatistæ moderandam licentiam, qui fœde invicem ista permiscet. Ex illis igitur intelleximus, duplicem veluti fontem esse omnium auxiliorum et adminiculorum, quæ in angelos et homines ab eodem auctore derivantur, naturam et gratiam; sive naturalem statum, vel, ut Græci vocant, ἕξιν, id est *habitum*; et natura superiorem, quod in scholis nominant *supernaturalem*. Alioquin enim gratiæ vocabulo, cum adversus Pelagianos potissimum contenditur, non tam statum ipsum, quam, ut in scholis itidem dicitur, *actualem*, hoc est actionis instar profluentem efficientiam Augustinus significat. Quanquam et *gratiæ status*, ac *supernaturalis* appellari consuevit; et appelletur hoc loco sane. Igitur, quemadmodum ratione prædita natura, ex quo Deus illam procreavit, necessaria quædam ad agendum auxilia postulat, quæ ejusdemmodi sunt, ut est causa, et fons illorum, hoc est naturalia, et cum origine connexa, atque ab ipso Creatore naturæ talis et opifice Deo jure quodam debita, non absoluto illo quidem, sed conditionato; nimirum si a se conditum hominem, vel angelum tueri velit, eumque facultatibus iis uti, et exercere, quas ab ortu indidit; ac pro homine denique se gerere, hoc est intelligere, libereque velle, ac rationi utcumque convenienter degere: ita cum ad excellentiorem et naturæ vires ordinemque superantem alterum statum, quem *gratiæ* dicimus, eosdem illos promovere statuit, et ad quamdam divinitatis communionem extollere; non minus opportunis, ac necessariis viribus, et præsidiis sublevari eos oportet, uti pares sint tantæ sustinendæ, exercendæque dignitati. Atque hæc est illa *sufficiens*, quæ et vulgo sic appellatur, et ab insulso Dogmatista temere ac parum catholice negatur, *gratia*; sive adjumenta gratiæ hoc est status illius excellent is supernaturalisque propria. Quem cum in Adamo infeliciter amissum, *Deus in Christo mundum reconcilians sibi*[1], restituere voluerit, imo etiam longe præstabiliorem, quam prior illa fuerat, ad gradum conditionemque transferre; non solum gratiæ ad id auxilia subministranda sunt, sed tanto insuper abundantioris ac potentioris gratiæ, quanto est illud, cui servire ista debet, priore præstantius.

Status sive naturæ sive gratiæ propria sibi adjumenta requirit.

X. In quo triplex occurrit *medicinalis* hujus, ac posterioris prærogativa gratiæ. Primum quod robustior et invicta magis est, quam illa, quæ in Adamo extitit. « Major quippe libertas est necessaria, ut ait Augustinus, adversus tot et tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt[2] » quod in libro illo *de Correptione et gratia* pluribus explicat. Deinde quod novus ad eam titulus accessit gratuitæ liberalitatis ac misericordiæ, ac proinde justiori de causa gratiæ nomen sibi vindicet, hoc est gratuiti, non debiti ullo jure beneficii; est enim admirabilior illa, et appellatione gratiæ dignior, quæ non solum nihil boni meriti, sed mali insuper plurimum habenti tribuitur, post gravissimam offensionem et capitales inimicitias ejus, qui reconciliandus est, culpa et improbitate conflatas. Postremo quod ægræ, ac multis morbis et vulneribus confectæ debilitatæque naturæ remedium afferre debuit. « Homo enim, ait Augustinus, quandiu stetit in bona voluntate liberi arbitrii, non opus habebat ea gratia, qua levaretur, cum surgere ipse non posset[3]. » Neque sanante ac medente tunc indigebat auxilio. « Quid enim sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sanciatum, nihil debilitatum atque vitiatum[4]? » ut idem scribit. Nunc vero « medicinale illud Salvatoris auxilium » requiritur; quo innatum concupiscentiæ vitium « flagrantissima et luminosissima charitate » vincatur. « Quod vitium[5], ut ait alibi, nisi adjuvante gratia superetur, ad justitiam nemo convertitur, nisi operante gratia sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur[6]. »

Majores prærogativæ gratiæ medicinalis.

Quam quidem gratiam, sive voluntatis hujus beneficio liberatæ laudabilem statum, Augustinus *libertatis*, aut *arbitrii liberi* nomine complecti solet, aut etiam *bonæ volun-*

1 II *Cor.* v, *19.* — 2 Lib. *de Corrept. et grat.* c. XII. — 3 Lib. I *cont. Jul. Oper. imperf.* c. LXXXI. — 4 Aug. lib. *de Nat. et grat.* c. XIX. — 5 Lib. *de Gr. Christ.* c. XXXV. — 6 Lib. II *de Pec. mer.* c. XIX.

tatis, quam et charitatem esse dicit [1]. De quo alibi fuse disseruimus [2], ubi et Calvinum, aliosque liberi arbitrii jacturam per peccatum esse factam adstruentes ex Augustino confutavimus. Nec minus Dogmatistam Novum redarguimus, deterius etiam, Calvinis ac Lutheris omnibus de catholica pietate communique sensu meritum; qui amissum in primo parente liberum arbitrium verbo negans, reipsa confitetur, ac monstrum novum procudit voluntatis liberæ cum absoluta necessitate cohærentis.

XI. At hic etiam in *naturæ rationalis*, et *libertatis naturalis* vocibus dolos et insidias nectit, ac sciens imprudensve ludificatur. Redeo enim ad illud ejus argumentum contra sufficientem gratiam a me superius expositum, quod in nominum istorum ambiguitate fucum facit. Gratiam istam sufficientem objicit « ad naturam, et libertatem naturæ rationalis pertinere, » eo quod absque illa neutiquam libera esse, vel uti insita sibi libertate poterit. Ex quo manare hoc videtur, non nisi naturalem esse gratiam hanc, ac stirpis suæ, et originis similem, quæ est *natura rationalis*.

Atqui perspicuus est ex antecedenti sermone, vel stupor et inscitia ratiocinationis hujus, vel malitiosa calumnia. Sufficientem Christi gratiam, quam nemo hactenus, nisi hæretica labe oblitus, negandam putavit, et in cujus assertionem nomen omne conspirat catholicum : falsum est, auxilium esse vel naturæ solius, id est naturale, sive ipsi debitum, vel nativæ libertatis; quatenus natura proprie et usitato more sumpta est, et a gratia secernitur, uti proxime ante significavimus. Ergo ad naturam pertinet, non simpliciter nudeque spectatam, sed qua nobiliorem in ordinem gradumque translata, supra naturam quodammodo, id est supra semetipsam effertur. Sic libertatis ipsius arbitriique liberi, non ut naturale quiddam est, ac naturaliter agit, adminiculum est eadem sufficiens gratia : verum eatenus, cum et ipsum gradu movetur, et ad ea, quæ natura sunt altiora, consurgit, ut ex Leontio paulo ante didicimus. Omnino libertatis ejus est adjumentum gratia, quæ statum illum respicit christianæ fidei proprium : quo natura supra se tollitur, ac perficitur. Cujus cum Adami posteris, etiam post communem calamitatem, copiam fecerit Deus, cumque *legem illis dederit in auxilium* [a], ut Propheta dicit, nec ad eam servandam vires ex sese idoneas habeant, non est bonitatis et æquitatis divinæ, miseris et imbecillis onus imponere mandati, non solum difficilis, sed etiam impossibilis, nisi alieno roborentur auxilio, quod ad mandatum exequendum et officii partes implendas sufficiat.

XII. Hæc autem sufficiens gratia non est auxilium illud *sine quo* Pelagianum; quod Augustinus homini fracto debilitatoque peccato non satis esse judicavit, ut superiori capite demonstravimus; neque *adjutorium* ejusmodi *possibilitatis*, quo contentus erat prior Adami status. Quippe non solum agendi potestatem tribuit, quantum est in ipso, sed agit etiam, et allaborat, et communiter cum voluntate opus efficit. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, ait Apostolus. Quod illa prior Adami et angelorum gratia non habebat; quæ intelligentiæ tantummodo prælucens, et quid facto esset opus edocens, nihil in voluntatem derivabat, quod minime tunc erat necesse. Satis enim « magnas vires habebat hominis voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati et bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium [3]. » Ac subinde utriusque gratiæ, hoc est ejus, quæ Adamo data est, et quæ post hujus calamitatem restituta per Christum, discrimen clarius exponens, « accendi per hanc posteriorem docet voluntatem, ut ideo velint, quia Deus operatur, ut velint. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida et imbecilla, in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei; cum et voluntas primi hominis fortis et sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet : infirmis servavit, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, et hoc deserere invictissime nollent. » Hic manifeste discrimen apparet, quod dixi, utriusque gratiæ, ut quæ Adamo data est, sine qua in eo statu perseverare non posset, in quo erat conditus, qui supra naturam erat, nihil in voluntate ipsa sit operata; sed ea sibi relicta, et permissa fuerit, utpote fortis et integra. At Christi gratia,

a Isa. VIII, 20, apud LXX. Νόμον γὰρ εἰς βοήθειαν ἔδωκεν.

1 Lib. *de Gr. Christ.* c. XXI. — 2 Lib. IV *de Opif.* c. VII et seq. — 3 Aug. *de Corrept. et grat.* c. XII.

propter ægræ voluntatis infirmitatem, tum hanc afficere debuit, tum ad eam humi stratam, abjectamque relevandam manum admovere, tum denique cum eadem pariter opus efficere. Non ita quidem, ut novum dogma stulte somniat, nulla ut, nisi reipsa, et *actu* fungens gratia sit, sed ut illa omnia præstet effectaque reddat, si, quod aiunt Tridentini Patres, « excitanti et adjuvanti gratiæ libere assentiendo, quod in se est, liberum hominis arbitrium operetur [1]. »

XIII. Qua in re perspicue, ac sine ullo pudore Calvinus, et hujus secutor interpresque mentitur, qui « gratiæ sufficientis defensores ita sentire asserit : Hominem quidem jam esse peccato vitiatum, et concupiscentiam esse a diabolo tanquam vulnus inflictam, et ea plaga non obstante, tantas ei vires tribuere, ut et vulneratus, et ex vulnere graviter ægrotus idem possit, quod sanus potuit [2]. » Sed hæc vis est, et impudens calumnia, ac malevolentia inscitiaque fuscata. Quis enim catholice sapiens dixit unquam, « idem posse post peccatum hominem, quod sanus potuit? » aut non gratiam ei ad bonum volendum agendumque prorsus esse necessariam ; et quidem priore illa, quæ in beato et innocenti statu tamen requirebatur, copiosam magis ac robustam? Quis ad hoc solum posteriorem hanc adhiberi putat, ut naturalis et ingenita creaturæ fulciatur ac juvetur infirmitas, quod idem falso exprobrat, et non idcirco dari, ut ex peccato contracta insuper et arcessita sublevetur, ægritudine ipsa, quantum satis est, curata atque detersa?

De gratia sufficiente figmenta Calvini.

XIV. Ejusdem et hoc licentiæ est calumniæque, quod *sufficientem* illam *gratiam* ejusmodi esse fingit, quale est « adjutorium alimenti, hoc est cibi et potus, sine quibus non potest natura mortalis vivere; vel adjutorium lucis, sine quo non possunt oculi cernere. Cujusmodi adjutorii necessitas non arguit, ullam in homine ad vivendum, vel in oculis ad videndum irrepsisse ægritudinem ; sed imbecillitatem naturæ mortali, atque oculis concreatam, utpote quæ sanissima quoque, et robustissima, talibus adminiculis opus habeat. » Falsa ista sunt, ementita sunt, calumniosa sunt. Gratia illa Christi, naturæ lapsæ necessaria, et *sufficiens*, non est alimenti cujuslibet, simplicisque similis ; sed ejus alimenti, quod et ipsum *medicinale* sit, ac tam ad alendum corpus, quam ad morbum propulsandum vires ac facultates habeat. Nec lucis tantummodo simile est auxilium idem, quale prius illud Adami extitit. Etsi non raro in exemplum opitulantis gratiæ, lumen ad videndum necessarium asciscit Augustinus; sed eatenus, ut illius adjumenti necessitatem approbet, sine quo, ut oculi absque luce cernere nequeunt, ita nec voluntas boni quidquam potest agere. Dat enim gratia illa, non ut possimus tantum velle et agere, sed etiam ut velimus et agamus; quando, ut adversus Calvinum ac Lutherum Tridentina decrevit synodus, « gratiam illam recipimus, nec eam, quod facere possumus, abjicimus, vel eidem libere assentimur, cum dissentire possimus, » hoc est agimus ipsi, quod possumus. Propterea Gregorius Magnus verba illa Jobi, *Liberavit enim animam suam, ne pergeret in interitum* [3], sic enarrat: « Quia præveniente divina gratia in operatione bona nostrum liberum arbitrium sequimur, nosmetipsi nos liberare dicimur, qui liberanti nos Domino consentimus. Unde Paulus, cum diceret, *Abundantius illis omnibus laboravi*, ne labores suos sibi tribuisse videretur, illico adjunxit, *Non autem ego, sed gratia Dei mecum* [4]. Quia enim prævenientem Dei gratiam etiam ipse per liberum arbitrium fuerat subsecutus, apte subjungit, mecum, ut et divino muneri non esset ingratus, et tamen a merito liberi arbitrii non remaneret extraneus [5]. » Qui locus synodali decreto accurate consonat, et Calvinianæ novæque sectæ ora præcludit.

CAPUT XIX.

Explicatur contra Calvinum ejusque fautores, quid sit adjumentum idoneum gratiæ in Tridentina synodo constitutum et a Catholicis defensum; et quid distet ab eo, quod reipsa est efficiens. Non esse discrimen inter ambos speciei, vel essentiæ. Gratiam, qua nonnisi sufficiens est, non esse adjumentum; sed negationem meram. De lege, et adjumento necessario ad ejus observationem, ac divinitus dato. Hoc ex adversariorum ipsorum confessione adjunctum esse legi, cum asserant, ideo dari legem, ut humiles fiant, et peccata sua cognoscant, et ad Dei opem implorandam convertantur homines.

I. Sed unum habet Calviniana factio præclarum, anteponendumque cæteris argumen-

1 Sess. VI, cap. V, et can. 4. — 2 Tom. III, l. III, c. II. — 3 Cap. XXXIII, 28. — 4 I *Cor* XV, 10. — 5 Greg. lib. XXIV *Mor.* c. VI.

tum, non tam probandi firmitate, quam quod in eo præcipue collecta vis inest, ac robur opinionis istius, quæ sufficienti gratiæ bellum indicit. Est autem illud hujusmodi, « Monstruosum illud esse distinctum a cæteris adjutorii genus, quod nunquam, ab initio lapsus humani usque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est[1]. » Etenim sufficiens gratia, qua distinguitur ab altera, quæ effectum habet, et huic opposita est, ea dicitur, quæ nihil efficit, licet ad efficiendum idonea sit ex sese. Ideo « videtur esse monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodo peccatis faciendis majorique damnationi accersendæ serviens, ideoque lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitatum. » Equidem monstrum illud esse fateor, non quale est per se, et a catholicis constituitur, sed ut ab Calvino fabricatum est; qui, quid esset *gratia sufficiens,* et cujusmodi propugnatores ejus illam esse vellent, minime percepit. Quod nunc quidem illius fautores admiratoresque docebimus.

Duo in sufficiente adjutorio gratiæ, quatenus in controversiam venit, intueri debemus : alterum est proprium, ac velut οὐσιῶδες, in quo ejus sita ratio est : alterum externum, et incidens. Sufficiens gratia proprie est illa, quæ idonea est, ut cum ea voluntas bonum velit, et operetur, si huic assentiatur, nec eam repellat; ac prorsus, si hac uti libeat, reipsa vult, operaturque bonum. Non est alia sufficientis notio usu recepta sermonis, et communi hominum innata sensui quam ista.

Substantiale.

Quid sit gratia sufficiens.

II. Jam vero, quoniam effectum suum, et id, cujus est causa data, consequi non aliter potest, quam ut libere huic assentiamur, quemadmodum synodus Tridentina docet; idcirco nonnunquam fine suo frustrata gratia effectum non habet : hinc Apostolus orat, *et exhortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant fideles,* et gratulatur, *quod gratia Dei in se vacua non fuit*[2]. Nam eatenus efficit, et operatur, si ei « libere assentimur et cooperamur, et eam recipimus, non autem abjicimus[3]. » Utcumque vero nos gerimus, hoc est sive assentimur, sive dissentimus nihilominus sufficiens est; imo ad efficiendum apta per sese, quamvis reipsa, et actu non sit efficiens. Quemadmodum Christi merita per se, absoluteque sunt idonea, et ad justificandos salvandosque vel reprobos ipsos ex sese sufficiunt. Quod autem in plerisque fiunt irrita, id ex accidenti evenit. Velut idem medicamentum curandis adhibitum corporibus, aliis sanitatem affert, aliis nulla re prodest, ipsorum utique vitio, non illius. Nec propterea medicamenti in se species ac natura mutatur, ut sit aliud idoneum, aliud efficax; quippe unum et idem esse ponimus. Sic adjumentum gratiæ, cum effectu caret, genere non differt a seipso, cum aliquid efficit.

Quippe una et communis est natura adjumentorum omnium, ut admissa, quod possunt, reipsa faciant; eoque præcise adjumenta censentur. Quod autem nihil agunt in nobis, ut propterea sufficientia tantum et non efficientia dicantur, neutra differentia οὐσιώδης est, neque gratiæ varietatem affert. Non enim quatenus nihil efficit, aut tantum sufficiens est, gratia est, vel adjutorium; sed defectus est potius, non internum aliquid et proprium detrahens, verum alienum quippiam et externum. Bene itaque notare illud oportet, in quo cubile est astutæ ac malitiosæ calumniæ : gratiam sufficientem, qua negationem habet adjunctam operis sui, et particula *tantum* addita excludit aliquid, non esse gratiam nec auxilium gratiæ, sed privationem ejus effecti, quod ex se proferre poterat, nisi voluntas humana restitisset. Sicut medicamentum, qua effectu caret, medicamentum non est. Id enim nuda est privatio, ac sic causa est, non *efficiens,* sed *deficiens,* ut loquitur Augustinus. Nec arbor frugifera eo ipso fructuosa est, aut dicitur, quo est ὠλεσίκαρπος, id est, *frugiperda.*

Non differt genere nec specie a gratia efficaci.

Substantialis.

Quatenus sufficiens est, non est gratia, sed mera privatio.

III. Itaque mirificum est, ut dicam iterum, sophisma Calviniani dogmatis, et singularis τερθρεία abutentis simplicitate lectoris, et incuria, dum gratiam, tamquam genus in species suas dividit, in eam quæ sufficiens est tantum et quæ est efficax, vel efficiens potius. Nam efficax, δύναμιν et vim idoneam significat. Sic *efficacem* Herculem vocat Horatius, his versibus :

Fallax subtilitas.

« Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius[4]. »

Hoc est *laboriosi et fortis,* ut vetus interpres reddidit. Melius *actuosi,* et ἐνεργοῦ, sive δραστηρίου. Nam efficax dicitur, quod ad agendum et perficiendum præsentem vim habet, et *efficax Hercules,* qui quodcumque esset aggressus,

1 Tom. III, lib. III, c. II. — 2 II *Cor.* XV, 10. — 3 Trid. syn. loc. cit. — 4 *Epod.* III.

quantumvis laboriosum et difficile, posset ad exitum perducere. Sic Apostolus, *Vivus est*, inquit, *sermo Dei, et efficax* [1], καὶ ἐνεργής.

Hoc sensu gratia nulla non habet efficiendi vim, quantum in se est, si admista et contemperata sit fidei audientium [a], ut idem indicat Apostolus. Neque tamen omnis reipsa efficit, quod vult natio Calvini. Quatenus autem nihil agit, eo ipso præcise non est *gratia*, nec *adjutorium*, neque speciem diversam constituit ab illa, quæ actu efficit. Siquidem gratiæ vel adjutorii vocabula causæ nomina sunt et principii, et causale nescio quid sonant; cujus essentia in agendi vi ac potestate
Actus. sita est, non in defectu vel ἐνεργείας privatione. Quis enim ignem non esse calidum putet, nisi eo ipso, quod calefacit, ita ut si calefacere desinat, non sit calidus? Uno verbo, adjumentum gratiæ, qua est adjumentum, præcidendum est ab effecta re et opere ipso, et in se considerandum est. Etenim adjutorium omne, quatenus adjutorii rationem habet, nonnisi ex directa Dei voluntate est ejusmodi; ex qua metienda est illius conditio et proprietas. Porro Deus, cum opem ferre vult homini, eique conferre adjumentum necessarium, non hoc destinat, qua sufficiens est solum, tanquam excludere velit opus, et effectum, aut irritam esse velit, inanemque gratiam; hoc enim esset non juvare et opitulari velle, sed illudere. Vult ergo, quantum in se est, effectum habere gratiam suam in homine ac defectum adeo, et privationem operis, consensionisque nostræ, hoc est peccatum, neque recta vult, nec auctor ejus est et effector. Gratiam itaque, qua sufficiens est tantum, sive qua non est efficiens, nec vult, ac designat Deus, nisi permittendo; nec ea proprie est gratia, unde nec distincta potest esse species sub eodem genere gratiæ, sive beneficii denique divini; ut fraudulenter inculcat novus Dogmatistes ridicula, insulsaque stropha, et homine indigna probo, et erudito.

IV. Quo quidem in argumento, ut et sententia ipsa decretoque, Calvini ac Lutheri et similium hujus temporis hæreticorum, tum etiam veterum, licet indolem moremque cognoscere; quotcumque Deum mali ac peccati per se auctorem et effectorem esse voluerunt; prorsusque par et eadem illorum, ac nuperorum istorum est tum argumentandi contra catholicam Ecclesiæ fidem, tum huic vicissim contra illos disputandi, respondendique ratio. Nam et hæretici isti omnes, cum in eadem libera hominis actione, quod *res* est, et *positiva*, ut vocant, ac *realis* causæ tam *primariæ*, quam *secundariæ* agentis effectio, ab eo non discernat, quod *privativum* est et *vitiosum*, hoc est ab regula deficiens, et distortum; utriusque proprie ac directe auctorem faciunt Deum. At catholici ex adverso in peccato distinguunt duo, alterum quod est οὐσία, sive ὄν, id est *res*, et *ens*, aut *natura*; alterum, quod non est *res*, nec *natura*, sed *contra naturam*, ut ait Augustinus, ac *nihil* meraque privatio [2]. Sic enim Patres ad unum omnes, Græci Latinique, nullo prorsus excepto, peccatum per se, et, ut loqui amant, *formaliter*, nonnisi *defectum a bonitate*, vel *privationem boni*, ac *nihil* esse sentiunt; ut diserte inter alios scribit Augustinus [3]. Et « ideo, ut eleganter Honorius Augustodunensis ait, malum, vel peccatum nihil est per substantiam, sicut injustitia. Injustitia autem nihil est aliud, quam ubi non est justitia; sicut silentium, ubi non est vox; sicut tenebræ, ubi non est lux [4]. » Ita peccatum ex se, et ut peccatum est, nec a Deo, nec ab ulla efficiente alia causa proprie ac directe putant effici, quia nullus peccatum, id est malum, per se volens, et in hoc intentus agit. « Nemo ergo quærat, inquit Augustinus, efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio, etc. Causas porro defectionum illarum, cum efficientes non sint, sed deficientes, velle invenire, tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium [5]. » Quare a Deo nec esse peccatum, sive actionem illam, qua mala est et vitiosa, nec effici; sed præsciri tantum ac permitti, uno ore catholici omnes asserunt, ac longe absunt ab eo, ut opera Dei distinguenda putent in duas contrarias species, quarum altera res sit et bona, altera deficiens et mala.

Peccatum per se non est ens.

Atqui, quod paulo ante monui, simillima est novorum dogmatistarum opinio, et eodem infamis errore. Nam gratiam, et *adjutorium*, *quod* in homine, culpa ejus, effectu caret, ac *tantum* sufficit, re autem nihil efficit, unam sub gratiæ genere speciem constituunt; alteram vero, gratiam eamdem faciunt, quæ

a Hebr. IV, 2. Μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι.

1 *Hebr.* IV, 12. — 2 Lib. *con. Epist. fund.* cap. XXXIII. — 3 Lib. I *con. Jul.* c. VIII. — 4 Lib. *de Præd.* Tom. IX *Biblioth. Patr.*, col. 1147. — 5 Lib. XII *de Civit.* c. VII.

Specificæ et substantiales.

parit aliquid. Atqui effectum non habere, vel habere, non sunt differentiæ εἰδοποιοὶ, et οὐσιώδεις gratiæ; prior illa vero nonnisi negatio est, vel privatio, et defectus. Hujus ergo certum ac directum auctorem effectoremque Deum esse statuunt. Siquidem omnis gratiæ fons, largitor effectrixque causa Deus est; adeoque sufficientis illius, si et gratia est, et sub eodem atque efficax genere continetur. Quod ipsum non minus absurdum est et impium, quam illud de peccato Calvini cæterarumque pestium, quas et ipsi, si sani sunt, merito detestantur.

V. Præterea catholicos theologos, et sufficientem ab iis positam vellicat nuperus Dogmatistes, eoque redarguit, quod contra ac facit Augustinus, de gratia judicant[1]. Nam ille legem idcirco superbis hominibus datam existimat, « ut agnoscant se ad implendam legem idoneos non esse; sed multitudine prævaricationum confusi ac territi, ipsaque confusione ac timore humiliati discant ad gratiam, quam non habent, implorandam fugere, ut gratia adjuti possint implere, quod antea accepta duntaxat lege non poterant. At isti nihil majori sollicitudine satagunt, quam ut iis, qui per præceptum aut legem Dei, seu pœna perditionis facere compelluntur, gratiam sufficientem tribuant, qua lex ab eis absque reatu prævaricationis possit impleri, ne alioquin in Deum potius, quam in prævaricantes culpa revertatur[2]. »

Atqui non pugnant invicem ista duo; quorum alterum est, legem a Deo peccatoribus partim originali labe corruptis, partim delictis propriis ac malæ consuetudinis corruptela vitiatis editam esse, ut ea territi, et imbecillitatis propriæ conscii, quominus, quæ mandata erant, exequi possent, ad Dei gratiam et misericordiam confugerent; alterum, legem istam sic latam illis fuisse, ut eodem tempore Deus necessaria suppeditaret auxilia, quæ nec erant in eorum potestate, et sine iis legi obtemperare, id est, quæ erant præcepta, facere non possent. Quorum prius passim ab Augustino traditur, et omnibus fere in libris, quibus Pelagii confutavit hæresim. Ut cum « datam esse legem asserit, ut inveniret se homo: ut non morbus sanaretur, sed ut prævaricatione morbo cessante medicus quæreretur[3]. » Et alio in loco: « Sciri facit peccatum, inquit, potius, quam caveri: et ideo magis augeri, quam minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit[4]. » Tum in epistola ducentesima: « Hæc est igitur, inquit, utilitas legis, quia ostendit hominem sibi ipsi, ut sciat infirmitatem suam, et videat, quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiscentia, quam sanetur. Appetuntur enim ardentius, quæ vetantur, dum id, quod spiritaliter jubetur, carnalis observare compellitur. » Et paulo post: « Utilitas itaque legis est, ut hominem de sua infirmitate convincat, et gratiæ medicinam, quæ in Christo est, implorare compellat. » Necnon plerisque aliis in locis, de quibus post agemus.

VI. Posterius autem, ex eo ipso, quod legem homini præscribit Deus, et faciendum aliquid præcipit, sufficientem ei subministrare gratiam, ut eam implere possit, vel saltem velit, ipsa legis natura nos docet; tum vero, quod majus et admirabilius est, illi ipsi, contra quos certamus, Calvinus, et hujus fautores ac participes, dum negant, fatentur. Nam, quod ad legis naturam attinet, constat ejus vim, quæ in obligando posita est, nullam esse penitus, si impossibilia jubeat, ut supra demonstravimus[5]; nec peccare quemquam ob id, quod aliquid non fecerit, quod ne, si velit quidem, potest facere. At est ejusmodi natura conditioque creaturæ, ut sine adjutorio conditoris huic obtemperare non possit. Sic enim Augustinus de hac gratia angelis et homini primo ad perseverandum necessaria loquitur: « Si hoc adjutorium vel angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent[6]. » Neque vero gratiæ istud auxilium lex ipsa mandatumque suppeditat; sed qui legem fert Deus, et « in adjutorium tribuit, » ut Isaias dicit, eadem, qua illam dedit[7], bonitate ac misericordia, vel idoneos huic observandæ facit, plena et abundantiore impertita gratia, vel ad hanc promerendam opportunis præsidiis pedetentim promovet; quod paulo post clarius explicabitur. Volo enim prius id ostendere, quod ad stuporem plane singulare esse dixi, etiam ex adversariorum sententia, Deum simul et legem et ad hanc servandam necessaria conferre adjumenta gratiæ.

1 Tom. III, lib. I, cap. XI, XII et seq. et lib. III, cap. IV. — 2 Ex lib. III, cap. IV. — 3 Aug. Ser. XIII *de Verb. Apost.* cap. II. — 4 Lib. *de Spir. et lit.* cap. V. — 5 Cap. XV. — 6 Lib. *de Correp. et grat.* c. XI. — 7 *Isa.* VIII, ex LXX.

Etenim legem propterea datam esse sentiunt, « ut omissa suæ virtutis stolida opinione, sola Dei manu stare se et consistere intelligant; ut nudi et vacui ad ejus misericordiam confugiant, in hanc se toti reclinent, in hanc penitus se abdant [1].» Et alius ex eodem grege: « Ergo, ut paucis absolvam, hic primus est usus prædicationis legis, ut nobis patefiant nostra innumerabilia vitia, quibus cognitis incipiamus nobis ipsis displicere, et ad gradum illum primum resipiscentiæ perveniamus, nempe cordis contritionem, quam postea consequatur plena et aperta coram Domino confessio [2]. » Idem Petrus Martyr [3], Musculus, aliique docent [4]. Quibus assentitur et nuperus Dogmatistes, cujus supra verba descripsimus.

Datur lex ut peccatis territi ad gratiam confugiant.

VII. Nunc rationes cum illis ponamus, et hoc de ipsis percontemur, possintne homines sine gratia Christi vel tantillum consequi, ut in peccatis jacere se, « nec ad implendam legem esse idoneos agnoscant; ut multitudine prævaricationum confusi ac territi, ipsaque confusione humiliati, discant ad gratiam, quam non habent, implorandam fugere. » Non hoc illos arbitror esse dicturos. Nam et istud ipsum initium quoddam est justitiæ, peccatorem se cognoscere, ut Gregorius ait. « Sed peccatorem, inquit, se non cognosceret, si justitiam non haberet. Nemo quippe tortitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. Nam qui omnino perversus est, neque hoc potest videre, quod est. Qui vero peccatorem se intelligit, jam ex parte aliqua justus esse inchoavit, atque id quod non justus fecerat, ex eo, quod justus est, accusat. Qua accusatione sua Deo inhærere inchoat, dum rectum contra se judicium proferens, hoc in se, quod illi sensit displicere, condemnat [5]. » Augustinus item, « Nemo, inquit, currit ad remissionem peccatorum, nisi qui displicet sibi. Nemo currit ad remissionem peccatorum, nisi qui se confitetur peccatorem. Nemo se confitetur peccatorem, nisi humiliando seipsum Deo [6]. » Ergo hoc ipso, quo se confitetur peccatorem et humiliatur, tandumdem de superbia remittit. Nam « superbia, ut idem ait, habet confusionis deformitatem, et non habet confessionis humilitatem. » Et alio in loco: « Qui confitetur peccata sua, et accusat peccata sua, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua; si et tu accusas, conjungeris Deo, etc. Cum autem cœperit tibi displicere, quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum confessio est operum malorum, etc. Quia et hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, et ejus veritas tibi ostenderet [7]. »

VIII. Itaque non potest sine gratia quisquam hoc initium habere conversionis ad Deum, ut et peccatum agnoscat, et terrorem inde concipiat, et humiliatus discat, a quo sperandum sit remedium, et ad hoc denique implorandum se conferat. Nec aliam Augustini fuisse mentem post Pelagianum in Ecclesia coortum turbinem, certissime demonstrat postrema cum Massiliensibus ac Pelagianæ sectæ reliquiis ab illo suscepta dimicatio. Nam illi conversionis initium citra ullam Christi gratiam constare dicebant, et humani arbitrii viribus ac naturæ tribuebant. Hoc autem nihil esse aliud interpretabantur, « quam exterrita, et supplici voluntate, unumquemque ægrotum velle sanari. » Atque id « naturæ hominis voluntate conditoris concessum esse putabant, et nullam ita depravatam, vel extinctam, ut non debeat, vel possit se velle sanari. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat; non autem quidquam ipsa valeat [8].» Hæc Hilarius ad Augustinum scribens de Semipelagianorum hæresi. Cui quantopere adversatus sit Augustinus, tum omnes fere contra Pelagianos editi ab eo libri testantur, tum quem *de Prædestinatione sanctorum* nominatim contra Massilienses istos elucubravit. Sed supervacuæ sit operæ, pluribus in eo probando commorari, quod nemo omnium, qui quid sit Augustinus novit, ignorat: peccati sui agnitionem cum horrore, detestatione, « humiliatione, imploratione gratiæ, » nulli sine gratia suppetere; quemadmodum et Arausicana synodus postea decrevit canone V. Tum in septimo, « Si quis per naturæ vigorem, ait, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem consentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu. » Quod ex Apostolo probat ita scribente: *Non quod idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* [9].

1 Calv. II *Inst.* cap. VII, § 8. — 2 Beza in *Conf. fid.* cap. IV. — 3 In loc. clas. II, c. II. — 4 In App. *Decal.* — 5 Gregor. Papa lib. XXIV *Mor.* cap. VI. — 6 Tract. *in Ps.* XLI. — 7 Tract. XII *in Joan.* — 8 Hilar. in *Epist. ad Aug.* — 9 II *Cor.* III, 5.

Ita etiam Tridentinum concilium definit, cum de justificatione agit [1].

IX. Quocirca, si, ut adversarii putant, in lege constituenda Deus id proprie spectat, et in hoc intentus est, ut homines peccatis immersi ea recognoscant, iisque confundantur, ac terreantur, ac vitæ suæ deformitate quasi in speculo conspecta, hac enim similitudine legis officium Calvinus explicat, « ipsa confusione, ac timore humiliati, discant ad gratiam, quam non habent, implorandum fugere [2], » cum hujusmodi motiones animi et affectus nonnisi Dei gratia communicentur, neque vel ex solis naturæ viribus, vel legis indole, ac censu suppeditari possint; necesse est individuam adjungi comitem legi gratiam, sive adjumentum sufficiens, quo ad divini consilii ac voluntatis in lege danda scopum ii, quibus illa est data, pertingant. Alioqui perfunctoria et ludicra Dei esset actio illa tota; neque legis effectus iste censeretur proprie, et ut a gratia differt, nec pædagogi partes eidem legi mandarentur : ea videlicet ratione, ut « territi humiliatique discerent implorare gratiam, » auctoremve gratiæ. Quæ omnia partim Apostolus, partim Augustinus, partim hæretici, et horum asseclæ dogmatistæ de lege prædicant; sed mente ac proposito longe dissimili. Nam priores illi bono et catholico sensu istud affirmant, et a lege gratiam eatenus separant, non ut nulla penitus *cum ea*, sed ut non *ex ea*, hoc est, vi hujus ac virtute donetur. At isti, præsertim vero

Sibi contradicunt adversarii.

novi theologi, sufficientis odio gratiæ eo præcipitati sunt, ut nudam et omni exarmatam præsidio gratiæ, hoc est *impossibilem*, legem a Deo traditam esse existiment. In quo, ut ostendimus, suum ipsi decretum refigunt, secumque turpissime velitantur; dum nihilominus ex certa et directa destinatione Dei legem in eum dari finem reipsa fatentur, qui non nudam, nec orbatam auxilio gratiæ, illam esse persuadet.

X. Etenim, cum *legem* et *gratiam* inter se componunt, et ambarum partes ita dividunt, ut illius proprius sit effectus, hominem admonere peccati, terrere, superbiam excutere, ad gratiam implorandam cogere : gratiæ vero, confugientes ad se benigne fovere, recreare, vita et justitia donare , ac demum eam vim conferre, ut legis præcepta serventur, quod et Augustinus, et alii complures antiquorum sæpius usurpant; scire velim, cur priora illa effecta legis esse dicant potius, quam posteriora, quæ peculiaria esse gratiæ putant. Aut enim ambo fructus sunt gratiæ, et ab ea sola manare possunt, aut posteriora tantum a gratia proficiscuntur : priorum vero proprie est causa lex. Sed si primum verum est, ac non modo *justificari*, verum etiam peccati agnitione, terrore, cupiditate gratiæ, et sanitatis, aut salutis affici præpararique nemo sine gratia potest; cur alterutrum privatim legi, non utrumque vindicant? aut cur ita partiuntur, ut dicant, « utilitatem hanc esse legis, et ad hoc præcise tributam fuisse, ut cogat confugere ad gratiam liberandos et adjuvandos, ut concupiscentias malas superent : » vel « legem, ut multum, adjuvare ad hoc, ut gratia requiratur : » porro gratiæ proprium id esse, ut per eam lex impleatur ? « Nemo enim potest legem implere per legem [3]. » Cur « jubere ideo legem ait Augustinus idem, ut facere jussa conati, et nostra infirmitate sub lege fatigati, adjutorium gratiæ poscere noverimus [4]. » Nimirum legis peculiaris iste fructus, et hoc opus est illorum omnium placitis, ad peccatorum agnitionem, et fugam terroribus minisque compellere, et ad gratiam optandam ac persequendam cogere. Atqui gratiæ hoc totum catholica fides asciscit. Itaque non legi privatim, et ut opposita est gratiæ, imputari debuit. Vel, si ideo legi conceditur, quia lex terrendo, et mortem ac supplicium intentando, occasionem *subintrandi*, ut Apostoli verbo utar [5], gratiæ dedit; ea vero sese offerens, commotiones illas fecit animorum, hoc est, confusæ ac territæ mentis æstum, et quærendæ gratiæ, ac remedii sollicitudinem injecit, quæram nihilominus, cur non etiam illa, quæ deinceps secuta sunt, ab lege facta dicantur : animi conversio; vitæ superioris emendatio; consecutio denique ipsa veniæ ac justitiæ ? Nam perinde occasionem procurandis iis comparandisque lex attulit.

XI. Age, cum vel Prosper scribit sic, » Per legis difficultatem id egisse misericordiam Dei, ut qui legem implere non poterant, converterentur ad gratiam, et divina ope apprehenderent, quod propriis viribus assequi non valebant [6] : » vel Fulgentius ita, « Cognitione itaque mandati ad bene operandum hominis

1 Sess. 6, cap. v, et can. 3.—2 II *Inst.* cap. vii, § 7.—3 Aug. lib. *de Grat. Christi*, cap. viii.—4 Epist. lxxxix.—5 *Rom.* v, 10. — 6 In *Ps.* cxviii, ad illa : *Mirabilia testimonia tua*, etc.

liberum arbitrium convenitur; non quia voluntate tantum, vel virtute sua potest homo implere, quod ei lex jubet, sed ut per mandati notitiam infirmitatis suæ sibi conscius fiat, et adjutorium gratiæ medicinalis exposcat; qua percepta potest et diligere, quod jubetur, et facere, et agnoscere vel quid possit, vel quid non possit, et, ut possit, exposcere[1]; » cum hæc audimus, inquam, et legi, tanquam peculiarem, assignari videmus « conversionem ad gratiam divinæque opis apprehensionem, » vel infirmitatis nostræ conscientiam, et adjutorii postulationem; gratiæ vero vim et efficientiam legis implendæ, nonne gratiam, et hujus auxilium antecedere illa cogitamus, quæ ab lege fieri proprie dicuntur? Exposcere utique gratiam, et ad gratiam confugere eamque quærere, anterius est aliquid gratia; sicut velle implere legem prius est, quam reipsa legem implere. Quid causæ igitur esse dicemus, cur priora illa secernantur ab sequentibus, et tribuantur legi, solis posterioribus gratiæ relictis, si, quod catholica cuique fides suggerit, amborum est in gratia causa, et origo communis? Hoc illud est profecto, quod nuperos dogmatistas istos hactenus latet, qui assidua lectione tot annorum, Augustini scripta, velut incudem, dies noctesque tundentes, nihil ex illo labore, præter mentis attonitæ stuporem ac vertiginem, tum surditatem, imo etiam cæcitatem animi reportarunt. Prorsus ita se habet; quid gratiæ nomine sibi velint Augustinus, Prosper, Fulgentius ac cæteri Augustini discipuli, quando illam cum lege conferunt, nondum isti didicerunt, et hujus rei inscitia inextricabiles in errores, et impia commenta delapsi sunt: quorum unum illud est, nullam nisi reipsa, et actu efficientem, esse gratiam Christi, nec aliquam esse, quæ ita sufficiens sit, ut effectum non habeat. Quod se auctore sentire asserunt Augustino. Verum, ut dixi, longe aberrant ab Augustini sententia, ut in sequenti capite demonstrabitur: cujus doctrina fontem aperiet novi istius sceleratique dogmatis, ut, illo cognito, nemo non temere hoc esse confictum, atque explodendum censeat.

CAPUT XX.

Veteres, cum de gratia loquuntur, sæpe perfectam et robustam intelligere, et ab initiali distinguere: quod ex Augustino probatur. Qua de causa lex a Deo data dicatur ab Augustino. Perfectam illam gratiam, charitatem ab eodem nominari. Eamdem merito fidei et orationis acquiri. De præveniente et subsequente adjutorio gratiæ ex eodem disputatur. Ad charitatem referri motus omnes piæ ac bonæ voluntatis.

I. Superiore in libro, qui nonus est operis hujus[2], certæ a nobis constitutæ sunt regulæ ad ea intelligenda, quæ de gratia veteres locuti sunt, maxime Græci[6]. Inter quas est una apprime huic loco et instituto necessaria, quæ sic habet: sæpe usuvenire, ut *gratiæ* nomine non qualecumque Dei donum et auxilium intelligant, sed hoc solum, quod plenius ac perfectius sit, non inchoatum et rude, cujusmodi prima sunt velut lineamenta gratiæ, quod initium appellari solet gratiæ, vel prima gratia, quam Massilienses ac Semipelagiani *initialem* vocabant, et naturæ liberique arbitrii viribus imputandam esse censebant; ne nihil esse causæ putaretur, cur Deus hunc potius, quam illum, ad salutem ac regnum suum destinaret, cum par sit in eo liberandorum ac servandorum omnium voluntas, quæ miserendi, irascendique causas non aliunde, quam ex justitia et meritorum diversitate capiat. Verum hæc illorum opinio, ut non Pelagianam ex toto spirat insaniam, sed aliquanto tolerabilior, et catholicæ salubritati vicinior est, sic pro hæretica judicata est, atque Augustini primum stilo confossa, deinde canonicis Romanorum pontificum ac synodalibus damnata decretis, penitusque proscripta. Sed, etsi liquido comperta res esset, nulla nisi Christi parta meritis adumbrari in nobis initia et quasi rudimenta bonæ voluntatis, quibus ad fidem et salutem enitimur; neque progressiones tantummodo vitæ melioris, sed inchoationes ipsas, quamlibet rudes et exiles, eodem ex gratiæ fonte manare; plerumque tamen primum illum, ut vocant Arausicani Patres, *affectum credulitatis*[3], ac bonæ mentis exordium, Augustinus aliique post ipsum ab

Gratiam primam seu initialem a nomine gratiæ segregant veteres, præsertimque Augustinus

1 Lib. II *de Puerit. prædest.* — 2 Cap. IV et V. — 3 Can. 5.

gratiæ nomine, ac mentione segregant, cum de illa disputant. Quod et alios fecisse, qui istos ætate præcesserunt, præcipue Græcos, minus est mirum; idque nono in libro jam ostendimus.

II. Nunc de Augustino Latinisque cæteris, qui contra Pelagianos ac Massilienses assidua bella gesserunt, nec, quis eorum error esset, ignorare potuerunt, idem tamen asserimus, nonnunquam ipsos, cum *gratiam* nominant, eam solam complecti, quæ adulta jam, ut sic loquar, et provecta, vires ac nervos habet ad operis effectum; illud vero bonæ voluntatis initium conatumque resipiscendi, et, si qua sunt alia velut erumpentis gratiæ germina, ab ipsius excipere vocabulo gratiæ. Quemadmodum si quis picturæ opus appellet vivorum duntaxat, et variorum colorum illitum, qui jam designatis lineamentis ac vestigiis in tabella superducitur; adumbrationem vero delineationemque primam, quali erant contenta monogramma illa veterum, picturam non vocet, non ille propterea, si diligentius interroges, ejusdem artis et artificis esse neget utrumque.

Nomine gratiæ adultam et perfectam intelligit Augustinus.

Usum hunc apud Augustinum nominis *gratiæ*, complura ejus testimonia demonstrant, quæ ad duo capita revocamus. Primum illa continet, in quibus legem asserit ea intentione datam, ut peccati fœditate, et imbecillitate nostra cognita, confugiamus ad gratiam; e quibus superiori capite nonnulla delibavimus. Notetur vero imprimis ille locus ex epistola LXXXIX, in quo adjutorium gratiæ posterius facit conatu obtemperandi, infirmitatis agnitione, et adjutorii postulatione. Itaque gratiam discernit a prima motione, et initio conversionis, sive ab « inchoatione fidei, quæ conceptionis similis est, » ut idem loquitur [1]. Et in eadem epistola, « Valet, inquit, liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur; quod fit humiliter petendo et faciendo.»

III. Qua in epistola totus est Augustinus, ut interius adjutorium gratiæ Christi adversus Pelagianos necessarium esse defendat, cum isti sola illud lege metirentur, quæ extrinsecus oblata, quid faciendum sit, ostendit, non autem dat, ut fiat. Verum, ut idem scribit, « Qui sic audiunt, quod ait lex, *Non concupisces :* ut hoc, quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei ad faciendum, quod justum est, dari sibi virtutem credant, et petant, ad hoc eis *lex subintravit, ut abundaret delictum* [2], quod dictum est de Judæis. » Vides ut « adjutorium gratiæ, quo virtus datur ad faciendum, quod jussum est, » distinguat a credulitatis affectu, et orationis; quarum prior agnoscit, a quo impetrari debeat, posterior impetrat. Neque tamen duo hæc sine gratia constant, quod ipsemet in epist. CV docet. Quare gratiam illic non qualemcunque nominat, sed pleniorem duntaxat, et robustiorem; rudem autem et inchoatam illa perfectioris gratiæ appellatione non amplectitur. Rursus in eadem epist. LXXXIX disertissimus est locus, quo *gratiæ* diversa illa significatio probatur. Etenim, quod adversus Pelagianos contendebat legem solam, quid facto sit opus, indicantem ac proponentem non sufficere: sed necessariam præterea esse gratiam ejusmodi, quam illi dissimulabant, et negabant, exemplo Sapientis adstruit, qui sic scribit: «*Et cum scirem*, inquit, *quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, adii Dominum, et deprecatus sum illum* [3]. Numquid dixit: *Et cum scirem, quia nemo potest esse continens*, nisi per proprium liberum arbitrium, etc. Jubet ergo Deus continentiam, et dat continentiam, jubet per legem, dat per gratiam, jubet per litteram, dat per spiritum. Lex enim sine gratia facit abundare delictum, et littera sine spiritu occidit. Jubet ideo, ut facere jussa conati, et nostra infirmitate fatigati adjutorium gratiæ poscere noverimus. » Igitur, quis sit legis proprius fructus, quis gratiæ, ita declarat, ut gratiæ loco continentia sit, quam se a Deo postulasse Salomon dicit; porro legi respondeat illa cognitio, qua didicit, a quo petenda esset continentia. Ut enim prius nosse debuit, quis auctor esset datorque continentiæ, quam hanc ab illo peteret; sic per legem cognoscimus a quo sit impetranda gratia. Atqui illud ipsum nosse, cujus sit continentiæ donum, non ab ipsa lege, sed a sapientia, hoc est priore aliquo gratiæ dono concessum fuisse, testatur Sapiens; quod etiam de notitia altera consequens est, qua lege lata discimus, a quo speranda sit gratia. Quocirca gratiam intellexit Augustinus hoc in loco, non primam, sed auctiorem ac firmiorem, qua non solum credere incipimus, et optare, ac quærere medicum, sed impetrata sanitate, in lege ambulare Domini.

IV. Sic in eadem epistola luculentius id exponit his verbis: « Lex ergo subintravit,

1 Lib. I *ad Sim.* qu. II. — 2 *Rom.* V, 20 — 3 *Sap.* VIII, 21.

ut abundaret delictum, sive cum homines negligunt, quod Deus jubet, sive cum de suis viribus præsumentes, adjutorium gratiæ non implorant, et addunt infirmitati superbiam. Cum autem vocatione divina intelligunt, cui sit ingemiscendum, et invocant eum, in quem recte credunt, etc., fiet, quod sequitur, *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*[1]. » Gratiam ergo propria quadam notione, excellenterque dictam antecedit altera, quam non gratiam, sed *vocationem divinam* nominat; cum sit tamen etiam ipsa sine ulla dubitatione gratia.

Nec secus hoc, quod alibi scribit, accipiendum est : « Ideo quippe lex iram operatur, ut territo atque converso ad justitiam legis implendam Dei misericordiam gratia largiatur[2]. » Ubi conversioni, quæ profecto nonnisi gratia fit, subjungit gratiam. Sic in libro *de Corrept. et gratia*[3], correptionis utilitatem prædicat, et, qui eam aversantur, arguit. « Non vis, inquit, tibi tuipse ostendi, ut, cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium est, quod malus es, et majus vitium corripi nolle, quia malus es; quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur, neque vituperentur; aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor, aut aliud agat, cum salubriter stimulat, nisi ut rogetur bonus, et ex malis, qui corripiuntur, bonos faciat, qui laudentur. Quod enim vult pro se fieri, cui corripi non vult, et dicit, ora potius pro me; ideo corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se. » Cæterum toto in illo libro correptionem ad gratiam consequendam utilem esse demonstrat, quam Pelagiani necessariam esse negabant : ipse autem necessariam ostendit. Hanc, inquam, gratiam posteriorem facit tot animi permotionibus et actionibus, quas certum est a gratia proficisci. Quare gratiam, quæ correptione quæritur, non primam, et orientem, sed valentiorem et provectam intelligit Augustinus.

Tum in libro *de Spiritu et littera*[4] : « Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. » Ac deinde subjicit locum illum *Sapientiæ*, quem supra ex epistola ejusdem LXXXIX retuli, in quo continentiam a Deo petendam esse doctum se ait a sapientia Salomon[5]. « Ac per hoc lege operum dicit Deus, fac quod jubeo; lege fidei dicitur Deo, da quod jubes, » etc. Quo et illa sententia pertinet, quam in *Confessionibus* sæpe dixit : « Da quod jubes, et jube quod vis. Quæ Augustini verba Pelagius Romæ, cum a quodam episcopo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit; et contradicens aliquanto commotius, pene cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit[6], » ut ipsemet refert Augustinus. Ex quo illud apparet, donum istud, quo Deus dat, ut jussa faciamus, nimirum gratiam Christi, cui Pelagius adversabatur, effectum orationis subsequi, ac proinde gratiam ibi non omnem contineri, sed, ut dixi sæpe, perfectiorem et cumulatiorem.

V. Longius, quam ad vitandum fastidium necesse sit, sermo noster excurret, si hunc similibus onerare pergam Augustini locis; in quibus gratiam ita sumpsisse videtur, ut ab ejus significatione primam, et inchoatam exciperet, ac solam comprehenderet, incremento aliquo jam auctam et elaboratam. Sunt enim innumeræ de hac re illius sententiæ. Quibus omissis, caput argumentationis alterum instituendum est iis ex locis, quæ *gratiam* illam, quam contra Pelagianos defendit, charitatem esse declarant. Hanc vero plura utique præcedunt officia *gratiæ*, et effecta quæ tamen excludi videntur ab diserta et expressa illius appellatione.

Imprimis, ut in superioribus sententiis legi ex adverso *gratiam*, sic in istis *charitatem* opponit. Ut in libro *de Gratia Christi:* « Tantum inter legem, inquit, distat et gratiam, ut, cum lex esse non dubitetur ex Deo, justitia tamen, quæ ex lege est, non sit ex Deo, sed justitia, quæ per gratiam consummatur ex Deo. Quia ex lege justitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum, justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium; ut non sit terribile, sed suave mandatum, etc., id est, ut non formidine pœnæ serviliter cogar esse sub lege. » Idemque postea « bonam voluntatem nihil aliud esse dicit, quam charitatem. » Et subinde, sine ullis meritis infundi nobis asserit : « Sed forte, ut daretur nobis, præcedentia nostra merita fecerunt; sicut iste de gratia Dei sentit in eo libro, quem ad sacram virginem scripsit[7]. » Quam ergo gratiam propter merita dari Pelagius aiebat (quod tamen recantare coactus est in Diospolitana synodo), hanc Augustinus charitatem nominat. Et la-

Gratiam nomine charitatis sæpe designat Augustinus

1 *Rom.* v, 20. — 2 Lib. IV *con. Epist. Pelag.* c. v. — 3 Cap. v. — 4 Cap. XIII. — 5 *Sap.* VIII, 21. — 6 Aug. l. *de Dono pers.* c. XX. — 7 Cap. XXI, XXII.

tius in capite libri ejusdem XXVI: « Et si consenserit, inquit, nos gratia Dei accipere charitatem, non sic sentiat, tanquam ulla merita bona nostra præcesserint. Nam quæ merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus? Ut enim acciperemus dilectionem, qua diligeremus, dilecti sumus, cum eam nondum haberemus; » et alia plura ad idem adjungit institutum. Tum postea gratiam eamdem vocat « inspirationem flagrantissimæ et luminosissimæ charitatis ; » sive « inspirationem charitatis per Spiritum sanctum[1], » quam cum lege componit. Ut et libro quarto *ad Bonifacium*, eumdem Pelagium arguit, quod in sola lege gratiam Christi constitueret : « Ut scilicet a Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea, quæ facienda sunt, noverimus ; non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus ; quæ propria gratia est. » Et mox : « Cognitio ergo legis facit superbum prævaricatorem ; per donum autem charitatis delectat legis esse factorem[2]. »

Rursus *in Psalmum* LXVII : « Nec ob aliud recte intelligitur dictum, Onus meum leve est, nisi quia dat Spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, ut amando liberaliter faciamus, quod timendo, qui facit, serviliter facit. »

Et in primo *ad Simplicianum*, quam gratiam non dari propter merita dixit, eam se subinde docet intelligere, qua justificamur. « Justificat autem gratia, ut justificatus possit vivere. Prima est igitur gratia, secunda est operatio bona. »

Charitas gratiam adultam significat.

VI. Jam vero charitatem illam, etsi Christi esse gratiam plerumque doceat, non tamen primam constituit, sed eam plures alios antecedere pios ac laudabiles animi affectus existimat ; imprimis vero fidem, qua mereri nos charitatem asserit ; et ante fidem cogitationes itidem pias, a quibus gratiæ et conversionis initium ducitur. « Non enim in potestate nostra est cor nostrum, et nostræ cogitationes[3], » ut ait Ambrosius. Quem laudat, eique subscribit Augustinus ita disserens : « Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, ut habeant homines potestatem filii Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur per dilectionem[4]. » Quo etiam illud refert Apostoli : *Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est*[5]. Et, ut Prosper *contra Collatorem* scribit, « ab illuminatis jam cordibus possunt salubres prodire conatus, qui ideo ipsius hominis proprii esse dicuntur, quia jam bonorum conatuum acceperit facultatem[6]. » Nam et « desiderari auxilium gratiæ, inquit Augustinus, initium gratiæ est[7]. »

Ad hæc passim idem Augustinus charitatem illam, et gratiam merito fidei et aliorum laudabilium animi motuum impetrari adstruit. Ut in *epistola* CV, Pelagianum illud refellens, « gratiam Dei secundum merita nostra dari, » scribit sic : « Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat, *Deus, propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus* merito fidelis humilitatis, quoniam *qui se humiliat, exaltabitur*[8]. Tum « ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano tribuendam arbitrio dicit, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita, sed gratuitum donum Dei esse, si gratiam veram, id est sine meritis cogitamus. » Itaque fidem et orationem mereri ait, et impetrare adjutorium gratiæ ; sed illas ipsas a gratia proficisci. Et epistola sequenti : « Si quis autem dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem, quæ sola vere bene operatur, etc. Qui ergo habent fidem, qua impetrent justificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem justitiæ[9]. » Plura ejusdemmodi testimonia de merito fidei ex Augustino alibi reddidimus[10].

VII. Quibus omnibus ex locis evidens est, Augustinum dupliciter nomen usurpare gratiæ ; ac nonnunquam illud attribuere præstantiori cuidam ac potentiori subsidio, ad quod gradatim, et per inferioris merita gratiæ pervenitur. Quem quidem gratiæ justitiæque progressum pulchre *ad Simplicianum* scribens explicat. « Incipit autem homo, inquit, percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem[11] » etc. Deinde : « Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes. Non tamen solum concipi, sed etiam

1 Cap. XXXV, XXXIX. — 2 Cap. V. — 3 Amb. lib. *de Fuga sæcul.* cap. I. — 4 Aug. lib. *de Dono persev.* cap. VIII. — 5 II *Cor.* III, 3. — 6 Cap. III. — 7 Lib. *de Corrept. et grat.* cap. I. — 8 *Lucæ* XVIII, 13. — 9 Aug. ep. CV, — 10 Lib. *de Hær. Pelag.* cap. X. — 11 Lib. I, qu. II.

nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. » Quod exemplo probat Cornelii centurionis; qui etsi credidisset, *non tantam habebat gratiam fidei, quanta sufficit ad obtinendum regnum cœlorum* [1], necnon catechumenorum, et eorum, qui « nondum incorporati sunt Ecclesiæ. »

Eadem doctrina S. Fulgentii.

De utraque *gratia*, inchoata et adulta; sive altera, qua primum excitamur, et vocamur; altera qua adjuvante bona opera facimus; quarum prior appellari solet *præveniens*, posterior *subsequens*, et *cooperans*, disputat Fulgentius, et nonnulla dicit, quæ valde ad propositum nostrum faciunt. « Ita inter se, ait, atque hominem Deus tempora officiaque distribuens ordinavit, ut vocatione ipsius bonorum principia sumeremus; vocati autem, atque illuminati, vias mandatorum ejus boni ingenii intelligentia nosceremus, et eas libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio [2]. » Quod sequenti capite plenius illustrat. « Hanc itaque distributionem, qua diximus, a Deo homines nullis existentibus meritis vocari; et vocatos, ut boni aliquid operentur, Dei adminiculis indigere, » etc. Scripturæ testimoniis armat; et in illis significari verbis asserit: « *Misereor cujus miserebor; et misericordiam præstabo, cui misericors fuero* [3]. Ut primam misericordiam vocatione credamus hominibus prærogari; quæ sola ad recte vivendum non sufficit, si deserat, qui vocavit. Ideoque additum est: *Et misericordiam præstabo, cui misericors fuero*, ut a Deo accipi manifestum sit et ipsa misericordiæ opera, quæ cum videmur impendere, Dei misericordiam promeremur. » Tum ex illo Apostoli loco: « *Quoniam ab ipso habemus velle, et perficere, pro bona voluntate* [4]. Ab ipso enim habemus velle, quia vocat, et illuminat; ab ipso perficere, quoniam ad nos pertinet conari bona, quæ et velle donavit [5]. » Item ex illis ejusdem Apostoli verbis: *Gratia Dei sum id, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit* [6]. Nam in prioribus istis, « *Gratia Dei sum id, quod sum*. Hæc est, inquit, prima misericordia, quam liberæ voluntatis opera consequuntur [7]. » In illis vero: *Et gratia ejus in me vacua non fuit*, et, *Plus omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum*, sequentem ostendi misericordiam ait, et gratiam. Quæ quidem priore multo abundantior, et fortior debet esse, quod non tantum ad volendum proponendumque sibi bonum, sed etiam ad suscipiendum constanterque faciendum, hominem adjuvat, necnon ad vincendas concupiscentiæ et carnis illecebras, et comprimendum interiorem illum istius cum spiritu conflictum, de quo idem deinceps agit Fulgentius.

Charitatis vocabulum aliquando latius sumitur et tam incipientem quam perfectam gratiam designat.

VIII. Hac itaque de causa posterior illa gratia, quæ actuosa et operatrix vocari potest, vegetior et robustior est altera, et ad charitatem magis pertinet, ut illa prior ad fidem. Est autem charitas sollicitior efficaciorque, quam fides, ut quæ effectionem operis propius attingit, et *in rerum actu* versatur, ut sic dicam. Quo fit, ut subsequens ista gratia *charitatis* vocabulo sæpe ab Augustino nominetur, etsi non semper sit perfecta illa charitas, quæ justitiæ cumulum affert; quem admodum *antecedens* ac *præveniens*, ab eodem *fides* appellari consuevit. Plerumque tamen utramque communi nomine vel *fidem* vocat, vel etiam *charitatem*. Ac de *fide* quidem minus est mirum. Nam et *fides per charitatem operari* [8] dicitur, et quæ vera propriaque κατ' ἐξοχὴν fides dicitur, charitate formata, hoc est *viva* nominatur. De charitate ideo mirabilius potest videri, quod idem Augustinus sæpius cum de progressu justificationis loquitur, fidem ait, et orationem, et cæteros animi motus, quos præveniens gratia in nobis excitat, charitatem, hoc est secundam illam impetrare gratiam, et hanc illius merito dari; uti paulo ante meminimus. Sic enim, exempli causa, *bonam voluntatem* nihil aliud esse vult, quam *charitatem* [9]. Ac, ne quis *bonam voluntatem* eam solam intelligi putet, quæ plena sit et perfecta, aliud idem Augustinus significat in libro *de Gratia et libero arbitrio*, ubi totidem charitatis, quot bonæ voluntatis gradus constituit, et utrique sua incrementa tribuit. « Qui ergo vult facere Dei mandatum, inquit, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, et invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit et robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt [10]. » Ac subinde: « Et quis istam, etsi parvam, cœperat dare charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem; et cooperando perficit, quod operando incipit? » Et in sequenti capite, præcepto dilectionis Dei « admonitum esse ait liberum

1 *Act.* x. — 2 Fulg. lib. *de Præd. et grat.* cap. IX. — 3 *Exod.* XXXIII et *Rom.* VII. — 4 *Phil.* II. — 5 Fulg. ib. cap. XI. — 6 II *Cor.* XII. — 7 Fulg. c. XI. — 8 *Gal.* V, 6. — 9 Aug. *de Grat. Christi*, c. XXI. — 10 Aug. lib. *de Grat et lib. arb.* cap. XVII.

arbitrium, ut quæreret Dei donum (nimirum dilectionem). Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde, quod jubebatur, impleret. » Ibi manifeste *dilectionem*, id est *charitatem* vocat primum illum *gratiæ* motum, quo ad justitiam et perfectam charitatem disponimur, eamdemque promeremur : quam charitatem perfectiorem alibi *incrementum charitatis* appellat, « quo adjutus homo desinat agere pudenda, et delenda, et agat laudanda atque gratanda [1]. » Sic in libro primo *contra Julianum Operis imperfecti*: « Utroque modo liberat Christus, quia et iniquitatem ignoscendo aufert, et inspirando tribuit charitatem [2]. » Sed omnium disertissima est ejusdem illa sententia, qua charitati omnia tribuuntur accepta, quæ ad justitiam pertinent, adeo ut utramque paginam impleat. « Charitas ergo inchoata, inquit, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est ; charitas magna, magna justitia est ; charitas perfecta, perfecta justitia est [3]. » Nec plura hic attinet ad illud probandum accumulare loca ; sunt enim obvia passim iis, qui Augustinum legunt : ex quibus appareat, charitatis nomen interdum latius usurpari, ut idem sit, quod gratia motusque omnes, et affectus bonæ voluntatis contineat, etiam illos, qui justificationem antecedunt.

CAPUT XXI.

Idonea gratiæ adjumenta dici comparata cum statu præsente hominum, non absolute. Ea dari omnibus hominibus contra Calvinianos et Armacanos ostenditur. Qua ratione Augustinus gratiam a lege secreverit. Illustratur Apostoli locus ex epistola ad Romanos, in quo ambo ista confert invicem. Non in eum finem datam esse legem, ut homines magis peccarent ; neque Deum directe velle malum, ac peccatum. Quomodo lex peccatum auget, ejusque concupiscentiam. Item, qua ratione gratia, cum non sit a lege, tamen cum ea conjungitur. Tum veteres, qui sub lege fuerunt quemadmodum ad gratiam pertinuerint.

I. Nunc, ut ad illa reducatur oratio nostra, quibus explicandis prævertenda disputatio fuit antecedentis capitis, perspicue constare arbitror, uti gratia altera est rudis et inchoata, altera firmior et validior ; sic adjutoria, quæ dicuntur idonea ad bene agendum, aliis alia esse majora, vel minora. Neque vero, quod idoneum, vel sufficiens dicitur, id absolutam habet notionem, sed comparatam ad id, cui adjuvando tribuitur. Ut enim alimentum non idem omni corpori, vel ætati sufficit, ac pro valetudinis habitu, et statu varius illius est modus ; ita gratiæ mensura non eadem omnibus hominibus, aut eidem uni temporibus omnibus necessaria est, vel ad flectendos animos idonea, sed alias leviore mens impulsu opus habet, interdum vehementiorem requirit. Itaque primo in exortu bonæ voluntatis, et conversionis initio, velut diluculo quodam, tenuis et obscurus est gratiæ nitor, et ad recreandam hebetem adhuc oculorum aciem idonee temperatus. Paulatim deinde roboratur animus, et copiosiore gratiæ præsidio, tanquam cibo, fulciendus est ; ac major tum vis adjumenti necessaria est, ut sufficiens dicatur.

Adjumenta gratiæ prout cujusque status poscit, majora vel minora.

Ex quo illud interpretandum, quod adversus Calvinum et Calvinianæ fautores hæresis catholici theologi pronuntiant : omnibus hominibus una cum lege mandatoque divino suppeditari vires, adjumentaque idonea, quæ, vel, si suppetant, exequi præcepta possint, vel, si desint, omnino parare nequeant. Non enim hoc sibi volunt, perfectam omnibus adesse repente gratiam, ac ejusmodi sufficit, ut ab illis legis opera ipsa præstentur, sed pro cujusque modulo, et quatenus illius est capax, quantamque præsens ejus vitæ, animique status, et affectio postulat, tantam ei subministrari gratiæ, ac virium opportunitatem : cujus mensura, et ratio soli gratiæ est ac naturæ conditori cognita.

II. Quo a nobis recte constituto, facilia sunt explicatu , quæ adversus communem hanc receptamque sententiam ex Augustino argumenta promuntur, cum ita disputant : falli eos, qui legi adjunctam putant esse gratiam, cum Augustinus e contrario mandatum idcirco dari censeat, ut, cum officii lege ante oculos posita, imparem se huic esse servandæ quisque cognorit, deponat superbiam, ac viribus diffidens suis, et humilis factus, ejus, a quo adjuvari potest, opem desideret, ad eumque confugiat. Primum enim, qui ita ratiocinantur, ut superius ostensum est, adjumenti semper aliquid cum lege paratum esse signi-

1 Lib. *de Corrept. et grat.* c. v. — 2 Cap. LXXXII. — 3 Lib. *de Nat. et grat.* c. LXX.

ficant, quo id obtineri possit, ad quod proxime ac directe lex ordinari dicitur. Si enim in danda lege molitur ac meditatur hoc Deus, et in id intentus est, ut oblata lege, peccatores, quibus præcipit, calamitatem agnoscant suam, eoque velut stimulo adigantur ad morbi confessionem, et implorationem medici, neque istos ipsos animi sensus per se, ac suis viribus exprimere possint; consentaneum est, ut idem ille, qui legem tulit, et ad hujusmodi fructus legis proferendos hortatur, sua illos ope ac præsidio sublevet. Sic ex eo, quod legi, ac mandato exitus ille effectusque bonæ voluntatis confessionis, et orationis ab Augustino, aliisque tam crebro subjungitur; non est prudentiæ secus hoc interpretari, quam in dando præcepto aliquid insuper divinam conferre bonitatem, sine quo frustra aures illius mandati religione, ac terrore pulsantur. Tales esse docet Augustinus primum cogitationes pias, et *visorum*, ut ipse vocat, *suasiones*[1]; deinde voluntatis impetus ad humilitatem, et confessionem, tum ad implorandam Dei gratiam, quæ omnia *fidei*, ut dixi, et *charitatis* etiam nominibus appellat. Quæ adjumenta gratiæ, licet nondum ejusmodi sint, ut ad legem implendam, hoc est facienda legis opera sufficiant, sufficientia tamen adjutoria dicuntur, quoniam pro eo statu, in quo peccator est, et quantum capere tum potest, idonea sunt, ut iis nixus radicibus ad ulteriora et majora consurgat. Perinde ut in morbis curandis, antequam ultima et peremptoria remedia ægris adhibeantur, mitioribus quibusdam ac levioribus præparantur illorum corpora, paulatimque consuefiunt, et roboris accessione firmantur. Atque hæc adjumenta gratiæ, etsi legis non sunt propria, sed divinæ gratiæ ac misericordiæ; tribuuntur tamen propter merita Redemptoris, et pro ejusdem sapientia dispensantur, uti certis locis ac temporibus opportune cuique, et quantum est necesse, suppetant: quibus si bene uti voluerit, ad majora, et valentiora promovetur.

III. De hac administratione gratiæ alias, cum instituti ratio feret, explicandum erit. Nunc quod ex præcedenti omni disputatione sequitur, adversus Calviniano et Armacano dogmate contactos præscribimus, quæ ab ipsis opponuntur Augustini loca, quibus lex a gratia discernitur ita, ut hanc illa præcedat, et excludere videatur, quatenus ad comprimendam superbiam, et intelligendam inopiam imbecillitatemque nostram, et gratiæ necessitatem, præcipi dicitur, non modo nihil istorum opinioni suffragari, quæ nullam, nisi reipsa efficientem, Christi gratiam agnoscit; sed huic adversari potius, et ad eam convincendam valere. Etenim gratiam in illis Augustini testimoniis, ne ipsi quidem inficiari possunt, pro minime vulgari, aut simplici primave usurpari gratia; sed pro majore ac locupletiore, et ad agendum, ac legis opus edendum validiore præsidio: quod singillatim in omnibus, quæ ab illis descripta sunt, non plane stupidus theologus animadvertet, si ad hæc legenda superiori nostra oratione præmunitus accesserit.

Sic enim, exempli causa, verba illa declarat Apostoli, *Lex subintravit, ut abundaret delictum*[2]. « Data est, inquit, lex superbis hominibus, et viribus suis totum tribuentibus, ut, cum implere non possent legem datam, prævaricatores invenirentur, et facti rei, sub lege peterent misericordiam a legis conditore[3]. » Et mox, « apparens peccatum humiliavit superbum; humiliatus superbus factus est pœnitens; de pœnitentia impetrata est misericordia. » Tum alibi: « Oportebat itaque, ut addito mandato, cujus vox est, *Non concupisces,* superbo peccatori etiam prævaricatoris crimen accederet, atque ita gratiæ medicinam, non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret[4]. » Hujus generis, ac formæ sunt alia omnia loca, quæ tum adversarii ex Augustino describunt, tum a nobis paulo ante commemorata sunt; in quibus per legem agnosci gratiæ necessitas et ad hanc optandam et quærendam incitari voluntas peccatoris dicitur. Non enim gratiam penitus omnem a lege separant, sed perfectiorem ac potentiorem, ut et nos ostendimus, et fateri vel ipsi coguntur, si inter Christianos numerari cupiunt. Unde stulta est illorum argumentatio, idcirco in lege præcipienda nullam idoneam dari gratiam; quod ad hanc optandam, et comparandam illi dirigitur. Non enim ad gratiam, nisi per gratiam contendi ac perveniri potest; ut, quod Joannes ait, *accipiamus gratiam pro gratia*[5]. »

IV. Verum, ut Calviniani istius erroris fibras omnes evellamus, quod alibi plenius agendum erit; paucis hoc loco de lege ac gratia disserendum videtur, et quemadmodum per se, comparatæque invicem habeant; quod

1 Aug. I *de Spir. et lit.* cap. XXXIV. — 2 *Rom.* V, 20. — 3 Aug. liv. II *de Act. cum Felice.* c. XI. — 4 Ep. CLVII. — 5 *Joan.* I, 16.

non aliunde melius et utilius, quam ex Pauli epistolis, præsertim ea, quæ *ad Romanos* scripta est, repetere poterimus.

Ac, si quis suopte ingenio fidens, vel Armacana, quæ eadem et Manichæa est, afflatus aura, epistolam legat istam, et, quod verba ipsa statim offerunt, arripere velit et citra catholicam regulam intelligere, in eam sententiam adduci poterit, uti legem in eum finem a Deo datam existimet, ut homines jam peccato irretiti, majore illius obruerentur mole ac tyrannide, atque hunc scopum legislationi suæ præfixisse Deum, uti peccato robur adderetur. Sic enim *legem subintrasse* ait, *ut abundaret delictum* [1]. Et, *Peccatum vobis non dominabitur; non enim sub lege estis, sed sub gratia* [2]: tanquam legis status a gratia disjunctus sit, et sub lege esse idem sit, ac peccato esse subjectum. Item: *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur* [3], etc. Ubi *legem mortis*, ut in Latinis legitur (nam aliter Græci codices habent), legem ipsam nominat divinitus editam, quod per peccatum mortem operata sit. Atque in eodem capite septimo plura de hoc argumento disserit, et inter cætera, *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed, cum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum; et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem* [4]. Quibus, et similibus ex sententiis, quod dixi, suaderi videtur, primarium legis hunc finem fuisse, idque in ea danda spectasse Deum, ut peccatores ruina majore prostrati, in exitium ac perniciem incumberent; hoc est, ut gravius vehementiusque peccarent. Quæ opinio Calvini genium redolet, et ante hunc, Marcionis et Manichæi. Quanquam horum, quam illius, tolerabilior quodammodo vecordia fuit; quod iste, ne mali peccatique ac mortalium exitii causam faceret Deum, proprium *malo* assignavit auctorem, et a *boni* principio discrevit; maluitque plures inducere deos, quam uni mandare peccati efficientiam. Calvinus autem Deum unicum asserens peccati hunc auctorem, malique constituit; a quo fautores illius non dissentiunt, ut postea monstrabo. Volo enim prius ab hac impii ac scelerati dogmatis invidia purgare locum illum Apostoli, eumque breviter enodare. »

Expenditur Apostoli locus : Lex subintravit ut abundaret delictum

V. Quam in rem duo quædam conferunt, quæ notari antea necesse sit. Unum est, Deum per se, ac directe neminem ad peccandum incitare, neque velle quidquam, aut agere posse, quo quis peccatum faciat ita, ut dici merito possit, Deum aliquid jubere, aut decernere eo consilio ac proposito, ut quispiam peccet; verum permittere duntaxat peccata, et justo quodam, occultoque judicio præcipere, vel moliri quiddam, quod scit, occasionem quibusdam fore peccandi. De quo contra Calvinum satis actum est supra [5]. Alterum est, Scripturam sæpius actionem illam, ac voluntatem Dei permittentis, occasionemque dantis, vel, cum possit, non impedientis, exprimere sic, tanquam destinato ac certo consilio peccari velit, eumque sibi proponat in agendo scopum. Ut cum de Christo Simeon dicit: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum* [6]; ubi non consilium, et προηγούμενον θέλημα, id est *antecedens*, directa et absoluta *Dei voluntas* indicatur; sed, *consequens*, vel absoluta permittendi duntaxat, non efficiendi delicti. Sic illud, quod de Pharaone dictum a Deo, meminit Apostolus [7]: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam* [8]. Tum quod ait Dominus, *indurare se cor Pharaonis* [9]; et *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat* [10]; et innumera ejusdem generis alia, quæ stulte Calvini secta deosculatur, et ad hæresis nefariæ fidem valere jubet; dum « quasi puer machæram, tractare per infantiam fortiora illa Scripturæ arma nescit, magisque vulnus ex imprudentia, quam salutem ex lectione sentit. Infirmos enim tela sua vulnerant; nec potest bene uti armis, qui ea ferre non noverit, » ut scribit Ambrosius [11]. Quid et alio loco, « Non enim quisquam, ait, voluntate Dei cadit [12]. »

VI. Ad hanc itaque normam exigenda sunt illa, quæ Apostolus de lege ac peccato scribit ita, ut hujus gratia vel inferendi, vel exaggerandi, vel armandi Deus illam tulisse videatur. A quo tam longe divina bonitas abhorret, quam a peccando abest, et malo faciendo. Quare ex accidenti, præterque, vel potius contra Dei voluntatem, et primarium institutum evenit, ut *quod bonum est* [13], et bonum ad usum finemque concessum, in mortem

1 *Rom.* v, 20. — 2 *Rom.* vi, 14. — 3 *Rom.* vii, 5. — 4 *Rom.* vii, 8. — 5 Cap. viii et lib. VI, cap. v. — 6 *Lucæ* ii, 34. — 7 *Rom.* ix, 17. — 8 *Exod.* ix, 16. — 9 *Exod.* vii, 3. — 10 *Rom.* ix, 18. — 11 In calce lib. III in *Luc.* — 12 Lib. VII in *Luc.* col. 145. — 13 *Rom.* vii, 13.

verteretur. *Et inventum est mandatum, quod erat ad vitam* (ex destinatione utique, ac directa voluntate Dei), *hoc esse ad mortem*[1].

Chrysostomus certe in commentario ad epistolam Pauli, eaque verba: *Lex subintravit, ut abundaret delictum*, recte adnotat, particulam « ἵνα, *ut*, non esse causalem, sed eventum significare. Non enim hujus rei gratia data est, ut abundaret, sed data est quidem, ut minueret, et e medio tolleret delictum; contrarium vero accidit, non ob legis naturam, sed propter eorum, qui illam receperunt, socordiam[a]. » Nam, cum depravatissimi essent homines, ut in iis consuetudo ipsa peccandi pene in naturam vertisset, Deus illis legem edidit, quam ipsis majoris lapsus, ac ruinæ fore occasionem præviderat; quacum adjumenta temporibus illis moribusque congruentia suppeditavit, quibus si uti vellent, paulatim ad justitiam, et legis observantiam, ac velut gradatim pervenirent. Hæc idonea præsidia gratiæ in quibusdam haud inania futura præsensit Deus, qui *in vacuum gratiam Dei* non *reciperent*[2], in plerisque autem irrita, et effectu caritura. Nam *non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*[3]. Neutris ergo defuit idoneum gratiæ adjumentum; sed isti gratiæ defuerunt, eaque, non vitio suo, sed illorum culpa frustrata est. Neque propterea gratia non fuit, quoniam, uti supra memini, natura et conditio gratiæ non ex *actu* et eventu metienda est, sed ex *possibilitate*, ut Augustinus loquitur; hoc est vi effectrice, quantum in ipsa est, ac nisi per nos steterit, et si oblato subsidio bene uti voluerimus.

VII. Quapropter in illis hominibus, qui vitiorum illecebra capti, et longa peccati consuetudine superati, hoc est *a concupiscentia sua abstracti, et illecti*[4], gratiæ restiterunt, ac semen illud cœleste *suffocarunt, et non retulerunt fructum*[5], contigit hoc omne, quod Apostolus describit in epistola *ad Romanos*, ut in ipsis lex concupiscentiæ, ac peccati vim et gravitatem auxerit, et arctiori, quam antea, servitute sub illius constricti jugo, et oppressi fuerint. Nam faces cupiditati subjectæ sunt, eaque majorem in modum ardere inflammarique cœpit. « Quia ubi gratia non erat, ut ait Augustinus, auxit prohibitio desiderium[6]. » Ideo « Superabundavit peccatum per legem, inquit Ambrosius; quia per legem agnitio peccati; et cœpit mihi obesse, scire id, quod per infirmitatem vitare non possem[7]. »

Sed imprimis facile juxta, copioseque Petrus Chrysologus rem totam ex usu nostro sic explicat: « Ecce ut Apostolus dicit: Non imminutionem delictorum lex fecit esse, sed copiam; non per se, fratres, sed per eum, qui legem per imbecillitatem ferre non poterat. Non magnitudo lucis hebetat oculos, quæ solis a Deo creata est oculis; sed oculorum infirmitas lucis totam sustinere non potest et ferre claritatem. Ita et lex fratres, quæ per se satis justa erat, et satis sancta, dum ab homine fragili severam exigit disciplinam, magis magisque oneravit, et prodidit delinquentem[8]. » Et alibi de vitiis et passionibus agens, « Quas lex dum prohiberet, inquit, admonuit; dum discuteret, ampliavit; dum accusaret, reddidit chariores; et quæ per ignorationem latebant, fecit esse per scientiam notiores. Et, sicut per falcem spinæ magis, dum succiduntur, accrescunt, ita, dum resecantur per legem, pullulant passiones, quia intrinsecus velut in radice carnis fixæ solidantur[9]. »

VIII. Augustinus vero crebrius quam quisquam alius, et illustrius idem illud expressit. Velut in libro *de Spiritu et littera*[10]: « Sicut aquæ impetus, ait, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito; cujus molem cum evicerit, majore cumulo præcipitatus, violentius per prona provolvitur. Nescio quo enim modo hoc ipsum, quod concupiscitur, fit jucundius, cum vetatur. » Et capite quinto libri ejusdem: « Sciri enim facit, inquit, peccatum potius, quam caveri, et ideo magis augeri, quam minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit. » Ac tam his, quam similibus in locis, ut antecedenti capite monui, cum legem a gratia separat, et sine hac illam esse datam videtur asserere, duorum alterum facit. Aut etiam gratiam intelligit non inchoatam et initialem, sed copiosiorem et firmiorem,

a Chrys. Hom. x in Ep. *ad Rom.* Τὸ δὲ ἵνα ἐνταῦθα οὐκ αἰτιολογίας πάλιν, ἀλλ' ἐκβάσεώς ἐστιν. οὐ γὰρ διὰ τοῦτο ἐδόθη ἵνα πλεονάσῃ· ἀλλ' ἐδόθη μὲν, ὥστε μειῶσαι καὶ ἀνελεῖν τὸ παράπτωμα. ἐξέβη δὲ τοὐναντίον, οὐ παρὰ τὴν τοῦ νόμου φύσιν, ἀλλὰ παρὰ τὴν τῶν δεξαμένων ῥᾳθυμίαν.

1 *Rom.* VII, 10. — 2 II *Cor.* II, 1. — 3 I *Cor.* X, 5. — 4 *Jac.* I, 13. — 5 *Luc.* VIII, 14. — 6 Ser. IV *de Verb. Apost.* cap. X. — 7 Epist. XLI. — 8 Chrysolog. Ser. CXII. — 9 Ser. CXV. — 10 Cap. IV.

quam, qui priore illa male usi sunt, eamque repudiarunt, non meruerunt accipere. Aut ambo inter se comparans, quid cuique per se, et ex censu proprio competat, æstimare voluit non quid ex alterius communione ac consortio in ipsum redundet. Legem si proprie spectes, qua lex est, hoc officio fungitur, ut, quid sit agendum, quid cavendum, præscribat, maxime vero ut pœnarum denuntiatione homines absterreat ab infringendo mandato. Ideo *lex iram operari* dicitur. Non enim perinde ac peccatum, sive, ut Apostolus nominat, *prævaricationem* lex retegit, nec latere patitur, sed notitiam illius offert, ita vires ad illud cavendum vincendumque suggerit. Nam servilem ex sese animum ingenerat, ac mali duntaxat metuentem, et verberum; ut, quod in proverbio est, Phrygum more vapulando sapiat, non peccandi mutata voluntate, sed metu ac terrore compressa; ut, cum impune poterit, ad id, quod lubet, toto impetu rapiatur: « Nihil est enim, ut ait Ambrosius, quod tam misere servituti subjiciat hominem, quam libido atque ejusmodi cupiditates, quæ jugo quodam criminum gravi deprimunt miseram conscientiam, ut se nequeat attollere; utpote quæ libertatem innocentiæ amiserit[1]. »

IX. Itaque « littera prohibens peccatum, inquit Augustinus, non justificat hominem, sed potius occidit augendo concupiscentiam, et iniquitatem prævaricatione cumulando; nisi liberet gratia per legem fidei, quæ est in Christo Jesu, cum diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum[2]. » Et alibi: « Quando autem cognoscit homo peccatum, si non adjuvat gratia, ut cognitum caveatur, sine dubio lex iram operatur[3]. » Eodemque Pauli verba hæc alio in loco trahit: « Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati[4] [a], et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum[5]. » Quæ sic declarat: « Lex infirmata sic accipi potest, eo quod non impleretur, non quod ipsa infirma sit, sed quod infirmos facit minando pœnam, nec adjuvando per gratiam, etc., significare volens quia per Spiritum sanctum impletur, » hoc est infusa charitate, et suavitate, « ut bonum opus fiat non timore, sed amore, non formidine pœnæ, sed delectatione justitiæ[6]. » Apostoli porro locus ille, qui imprimis ad rem facit, sensum habet istum. Quæ erat legis imbecillitas, et quod impossibile erat legi, in quo, id est quatenus per carnem, sive carne velut instrumento utens, infirma erat; Deus (hoc supplere, ac præstare volens), misso Filio suo in similitudine carnis peccatricis, etiam peccatum ipsum de peccato damnavit, tanquam diceret, peccatum ipsum maxime peccasse convicit, adeoque reum et convictum damnavit, quod innocenti sibi, neque quidquam debenti vitam eripuisset.

X. Igitur legem ait imbecillam fuisse, hoc est per se nullam vim ad delendum peccatum habuisse, nullumque iis adjumentum suppeditasse, quos jugo suo premebat, ut præcepta facere possent, ac tum peccatum, tum ei proposita vitare supplicia. Cujus infirmitatis in lege causam addit fuisse carnem, id est concupiscentiam, quod σαρκικὸν φρόνημα Chrysostomus Græcique alii, hoc est *affectum carnalem* interpretantur. « Infirmabatur ergo lex per concupiscentiam, ait ad illum locum Primasius, id est per desideria carnalia. Ideo non implebatur lex, quia ipsius justitiæ nondum erat charitas, quæ interiore delectatione teneret mentem, ne ad peccatum delectatione rerum temporalium traheretur. Ergo infirmabatur lex per carnem, id est non efficiebat justos deditos carni. »

Præter hæc vero, amplius nescio quid, et ἐμφαντικώτερον subesse verbis illis existimem. *Significantius.* Nimirum, ut ars omnis, et facultas, quæ ad operis alicujus effectum comparatur, propria habet adminicula, quibus ad agendum utitur, ita *legem litteræ*, ut vocat, et *legem spiritus*, vel *fidei* inter se componens Apostolus, propria utrique tribuit instrumenta, quibus opus suum molitur. Est autem opus amborum legum, hoc est, quod ambæ perficere studebant, hominem a peccati servitute liberare, ac Deo subjicere per bonarum ac laudabilium actionum officia. Ad hoc vero consequendum *litteralis*, sive *operum lex* nullum aliud instrumentum ac præsidium adhibebat, præter illud, quod reperiebat in hominum natura; id autem est insitum animo lumen

a Rom. VIII, 5. Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν.

1 Lib. I *de Noe*, cap. IX. — 2 Lib. *de Spir. et lit.* cap. XIV. — 3 Lib. *de Grat. et lib. arb.* cap. X. — 4 *Rom.* VIII, 3.— 5 Aug. tract. in *Psal.* LXVII. — 6 Ibid.

rationis, et libera voluntas. Sed hæc ipsa peccatis, ac vitiis corrupta sic erant, dominante ac rerum potiente concupiscentia, ut in sensuum carnisque conditionem pene tota transissent. Siquidem « in corpore corruptibili, tanquam in carcere, anima constituta, terrena quadam contagione constringitur, et tali onere quodammodo depressa curvatur [1], » ut ait Augustinus. Quod « naturæ vulnus, ut idem scribit, de prævaricatione, quam diabolus suasit, inflictum est [2]. »

XI. Quamobrem, si quid lex efficere vellet, utendum illi erat concupiscentia, sive carne, eo quod quidquid erat spiritus, ab ea fuerat absorptum, « Humana natura, ut Prosper scribit, in primi hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta et auxilia Dei, semper in deteriorem est proclivior voluntatem; cui committi non est aliud, quam dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ, quam virtutum avidior, famæ, quam conscientiæ diligentior, et per omnem sui experientiam miserior fruendo his, quæ concupiverit, quam carendo, nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem; quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur; tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni [3]. »

Hinc Apostolus legem dixit nihil omnino per carnem, hoc est animum occupatum corporis curis, et cupiditatibus, et carni similem factum, præstare potuisse, cum ad bonum persequendum, quod illa præscribit, vis inesset homini nulla, neque motio, præter concupiscentiam, quæ sola regnabat; ea vero longe alterius generis bonis inhiaret, nec *legi Dei subjecta esset: nec enim potest* [4]. At vero *lex fidei*, quæ eadem et *nova*, et *gratiæ* dicitur, aliud instrumentum habet, gratiam, et charitatem, quo id, quod volebat, est adepta. Eadem etiam et *gratia* vocatur, eoque nomine legi solet opponi, et ab ipsa separata spectari. « Tantum igitur, ut cum Augustino colligam, inter legem distat et gratiam, ut, cum lex esse non dubitetur ex Deo, justitia tamen, quæ ex lege est, non sit ex Deo, sed justitia, quæ per gratiam consummatur ex Deo. Quia ex lege justitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum; justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non sit terribile, sed suave mandatum, sicut oratur in Psalmo, *Suavis es, Domine, et in tua suavitate doce me justitiam tuam* [5]; id est, ut non formidine pœnæ serviliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege. Præceptum quippe liber facit, qui libens facit [6]. »

XII. Hac de causa lex neque gratiam conferre, et peccatum ac cupiditatem augere dicitur, quia tantummodo vetat illud, et hoc ipsum vitando, « sciri facit, non caveri, » ut idem ait Augustinus [7]. Et, « Dicimus, inquit, lege fieri, ut Deus, quid fieri velit, audiatur; gratia vero fieri, ut legi obediatur [8]. » Item, « Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat [9]. » Verum male ex eo Calvinianorum auxiliaris manus argumentatur, legem a Deo datam esse, nullo ad eam servandam adjumento gratiæ addito quod non legis proprium illud quidem foret, sed ex Christi meritis, et eadem Dei qua *legem* [10] *in adjutorium* hominis *sanctam, justam, bonam* et *spiritualem* [11] dedit misericordia concessum. Quod ipsum tamen non confertim ac repente plenum et perfectum, et par legis operibus exequendis cum lege tributum est, sed quibusdam gradibus et accessionibus, ac pro statu et affectione hominum ita temperatum, ut idoneum esset iis, quibus dabatur, promovendis paulatimque perficiendis.

Ne quis porro miretur, Apostolum legem a gratia secrevisse, et utramque seorsim considerasse; cum, ut nos asseveramus, legis sit comes, eique subjuncta semper gratia. Nam et distincta nihilominus ambo sunt, et, ut Augustinus scribit, « Distinguenda est lex et gratia. Lex jubere novit; gratia juvare [12]. » Cur autem hæc reipsa copulata, et tamen natura et efficientia diversa, singillatim exponeret, justissimam causam habuit Apostolus illorum, contra quos disputabat, insolentem et arrogantem inscitiam. Etenim Judæi ob legem divinitus acceptam nimium sibi tribuentes, de illius operibus, ac meritis suis gloriabantur, et justitiæ suæ concessum illud asserebant, ut Christus ad ipsos cum Evangelio perveniret, neque gratiam alteram, aut adjumenti genus ullum, vel justitiæ, præter legem, operaque legis agnoscebant. *Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere,*

1 Aug. ep. CLVI. — 2 Lib III. *con. Jul.* c. XXVI. — 3 Lib. I *de Vocat. gent.* cap. II. — 4 *Rom.* VIII, 7. — 5 *Psal.* CXVIII. — 6 Lib. *de Grat. Christ.* cap. XIII. — 7 Lib. *de Spir. et lit.* cap. V. — 8 Lib. III *con. Epist. Pelag.* cap. II. — 9 Lib. *de Spir. et lit.* cap. XII. — 10 *Isa.* X. — 11 *Rom.* VII, 12 et 14. — 12 Epist. XCV.

justitiæ Dei non sunt subjecti[1]. Porro « legis justitia est, inquit Augustinus, jubere, quod Deo placet, vetare, quod displicet; in lege autem justitia est, servire litteræ, et extra eam nullum Dei adjutorium ad recte vivendum requirere[2]. »

XIII. Quam Apostoli mentem pulchre idem Augustinus enarrat in tractatu ad *Psalmum* LXX. « Superbia, inquit, Judæorum præsumentium tanquam de viribus suis, et de justitia operum suorum, gloriabatur de lege, quod ipsi legem acceperint, aliæ gentes non acceperint : in qua lege non de gratia gloriabantur, sed de littera. Lex enim sine gratia, sola littera est; manet ad convincendam iniquitatem, non ad dandam salutem, etc. Quid tibi ergo profuit littera, quam non imples? Quare autem non imples? Quia de te præsumis. Quare non imples? Quia negotiator es, opera tua extollis. Nescis necessariam esse gratiam adjuvantis, ut impleatur præceptum jubentis. Ecce jussit Deus; age, quod jussit. Incipis agere quasi ex viribus tuis, et cadis, et manet super te littera puniens, non salvans. » Et mox : « Data est lex, ut reos vos faceret, rei facti timeretis, timentes indulgentiam peteretis, jam de viribus vestris non præsumeretis, de littera vos non extolleretis. »

Igitur Paulus necesse habuit duo illa seorsim, ac per se singula contemplari, et quid cui peculiare esset, ac quid unumquodque proprie conferret, exponere. Quemadmodum si quis philosophos nescio quos confutare volens, qui causas efficientes a Deo procreatas, per se deinceps, ac sine ullo concursu ipsius agere, ac moveri innata vi sentiunt, eam rationem insistat, ut, quid creatæ causæ proprium sit, quid item Creatoris, singillatim explicet, cum ita disputabit, non ex eo credidisse putabitur, ab actione nisuque causæ inferioris ac creatæ, primariæ concursum et effectionem posse divelli, sed potius ea, quæ reipsa et usu copulantur, natura et intelligentia separasse.

Lex nunquam a gratia sejuncta fuit.

XIV. Postremo nec illud prætermittendum est, quod ex superioribus recte sequitur, et ad institutam disputationem utilissimum est : adeo nunquam ab lege gratiam fuisse disjunctam, tanquam lex sola sine aliquo gratiæ adjumento data sit, ut illis ipsis, quibus Mosaica lex edita est, et qui sub lege, ac legi subjecti fuisse dicuntur, gratiæ ac spiritus fidei copia sit facta, tametsi parcius, ac restrictius, quam in nova lege, in qua pleno se cornu cœlestis in Christianos gratia diffudit. Sed et illa qualiscumque veteris Testamenti gratia, non ex legis indole, ac propria vi profecta, sed ex Christi meritis communicata, id in plerisque perfecit, ut mandata legis implerent, non littera, nec servili animo, sed spiritu fidei, et charitate, ac liberali obsequio. « Servit enim, ut ait Ambrosius, qui non ex voluntate sua, quod optat, exequitur, sed ex necessitate mandatis invitus obtemperat[3]. » Neque vero *sub lege* isti fuisse proprie dicuntur. Nam duobus modis legi subjectus esse quispiam potest, ut sanctus Thomas adnotavit[4] : primum ita, ut voluntate se subjiciat; quemadmodum Christus sub lege fuit. Deinde ut necessario, et invitus, ac coactus legi subjunctus sit; quia non amore, sed timore legi obtemperare cogitur, non pariturus alioqui, sed contra mandatum facturus, nisi eum pœna terreret. Qui hujusmodi est, caret gratia; quæ si adesset, voluntatem ad obsequium legis adduceret. Hanc gratiam veteris legis sacramenta minime tribuebant, sed fides in Christum. Quocirca, ut illi, qui in Veteri Testamento justi erant ac sancti, *sub lege* non erant illo quem diximus sensu; quia spiritus fidei inerat ipsis, et gratiæ, quam largiri de suo lex non poterat : sic in lege nova peccatores et alienati a Dei gratia et charitate, *sub lege* esse dicuntur, quia nullum ex lege fructum assequuntur alium, quam pœnam ac supplicium, quod illa comminatur. Hinc Apostolus, *Peccatum vobis non dominabitur*, inquit, *non enim sub lege estis, sed sub gratia*[5]. Et alibi : *Lex justo non est posita, sed injustis, et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis*[6], etc. Nempe, ut ait Leo Papa primus, « Justo ideo dicitur lex non esse posita, quia normam præceptionis implet judicio voluntatis; cum verus recti amor in semetipso habeat et apostolicas auctoritates et canonicas sanctiones[7]. »

In Veteri Testamento justi sub lege non erant; in Novo peccatores sub lege sunt.

XV. Sed et Augustinus in epistola XIX uberius idipsum declarat, quid sit *damnabiliter esse sub lege*. Nimirum « quos reos facit lex non implentes legem, dum non intelligendo gratiæ beneficium, ad facienda Dei præcepta, quasi de suis viribus superba elatione præsumunt. » Et in libro *de Opere monachorum*, « Aliud est esse sub lege, aliud in lege, aliud

1 *Rom.* X. — 2 Aug. lib. III *con. Ep. Pelag.* cap. VII. — 3 In *Ps.* XXXVII. — 4 In com. ad cap. VI, XIV ep. *ad Rom.* — 5 *Rom.* VI, 14. — 6 I *Timoth.* I, 9. — 7 *Leo.* ep. XC.

sine lege. Sub lege carnales Judæi : in lege spirituales et Judæi, et Christiani [1]. » Tum alibi : « Unde facti erant homines sub lege? Non implendo legem. Qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege; qui autem sub lege est, non sublevatur, sed premitur lege. Omnes itaque homines sub lege constitutos, reos facit lex, etc. Conantes homines implere viribus suis, quod a lege præceptum est, ipsa sua temeraria et præcipiti præsumptione ceciderunt, et non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei. Et quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege imploraverunt liberatoris auxilium, et reatus legis fecit ægritudinem superbis. Ægritudo superborum facta est confessio humilium [2]. »

Complures igitur in lege veteri sub lege non fuerunt; sed et « ipsi gratia Dei liberati sunt, » ut idem scribit Augustinus, quia bene usi priore illa gratia, quæ cum lege data est, qua « liberatoris auxilium implorare [3], » et humili confessione promereri potuerunt, ad eam, quæ insigniter *gratia* nominatur, hoc est charitatem et justitiam perducti sunt, ac legem, non tamen per legem, sed per gratiam impleverunt.

XVI. Atenim hoc ipso veterum Judæorum, qui legis tempore vixerunt, exemplo ac discrimine abutuntur inimici gratiæ. Nam, quia pauci sub lege non fuerunt, « sed cum mandato inceperunt habere adjutorem Deum [4], ut ait Augustinus; ex hoc quorumdam privilegio concludunt, aliis sub lege positis hoc beneficium adjuvantis gratiæ non obtigisse [5]. » Sed nimium obtuse insulseque sapiunt. Non enim hoc ex illo sequitur, cæteris nullam oblatam fuisse gratiam, sed ab ipsis esse repudiatam. Nam, cum *esse gratiam*, aut *venire*, aut *adjuvare* dicit Augustinus, cujusmodi fere vocabulis utitur iis in locis, quæ ex illo referuntur, significat gratiam non offerri tantum, et ostendi, sed accipi, et admitti ita, ut opus suum in nobis efficiat. Ut cum ita scribit : « Ubi ergo non est gratia liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum, etc. Accedente autem gratia, idipsum, quod lex onerose jusserat, jam sine onere et libentissime implemus [6]. » Et ibidem : « Sub istis passionibus, tanquam sub viro dominante, agebat anima, antequam veniret gratia. » Tum alibi: « His omnibus tempus significare intelligitur, quo sub lege vivebat, et nondum adjutus gratia concupiscentiis carnalibus vincebatur [7]. » Ergo his et hujusmodi aliis locutionibus gratiam significat, quod suum est, reipsa molientem. Neque vero aliter loqui debuit, cum utique peccato, et concupiscentiæ suas partes re et *actu* peragenti, hoc est tyrannidem exercenti, et miseræ hominum naturæ vastitatem inferenti, gratiam Christi re itidem ipsa medentem, ac consulentem opponeret.

XVII. Velim autem legis isti reprehensores, et Manichæorum fraterculi mihi respondeant : utrum, quandiu lex, ac Vetus Testamentum cursum suum tenuit, totum illud sine gratia tempus abierit, nemini ut ad legem implendam adjumentum illius suppeteret. Cum negare non possint, (nam quibusdam « Judæis, prophetis videlicet et similibus contigisse dicunt, ut in illo et quolibet alio statu statim Spiritus gratiæ opitularetur [8] ») fateantur necesse est, non penitus aruisse fontes gratiæ per illud tempus; et eam *affuisse, venisse, adjuvasse,* quamvis paucos, tamen aliquos saltem. Quod si ita est, quid illorum ratiocinatione fieri potest absurdius, cum ex Augustini auctoritate contendunt, « eos, qui sub lege positi erant, nullum adjutorium bene vivendi præter legem accepisse, non adjuvari gratia, non adjuvari spiritu Dei; usque adeo ut illum statum (sicut et illum, qui est ante legem) in summa rerum agendarum ignorantia, peculiariter vocet statum ante gratiam? » Nihilominus enim gratiam tunc etiam una cum lege *venisse,* et *adjuvasse* concedunt, etsi minus, quam in Novo Testamento, uberem et affluentem. Neque, quod paucis tunc fructus gratiæ constitit, ideo status ipse gratiæ funditus expers habendus est, aut « nullum adjutorium bene vivendi præter legem accepisse dicendi sunt, qui sub lege positi erant; » nisi *sub lege esse* priore illo sensu, quem supra ex Augustino reddidimus, usurpetur : quod hoc loco isti non faciunt, quippe qui de statu ipso, non de hominibus singulis loquuntur. Certe christianis hisce temporibus, quibus in Ecclesiam ac statum ipsum gratiæ vena non stillavit modo, sed largius profusiusque manavit, pars longe hominum maxima nullam ex ista copia capit utilitatem, sed summa justitiæ penuria et siccitate arefacta languescit. Nec ideo quisquam dixerit, eos, qui

1 Cap. xi, tom. III. — 2 Tract. iii *in Joan.* — 3 Epist. lxxxix et xcv. — 4 In *Enchir.* c. cxviii — 5 Tom. III, lib. III, cap. v. — 6 Lib. LXXXIII, qu. lxvi. — 7 Lib. VI *cont. Jul.* c. xxiii. — 8 Tom. III, lib. III, cap. v.

sub lege nova degunt, « nullum adjutorium bene vivendi præter christianam legem accepisse. » Non enim ex eventu et usu, qui ex libera hominum voluntate pendet, de statu ipso et ejus opulentia præsidiisque judicandum est. Habuit igitur etiam legis antiquæ status adjumenta sua, et subsidia gratiæ, uti minora, minusque tum abundantia, tum robusta et valida, quam qui proprie idcirco *gratiæ* status dicitur; ita certe nonnulla, et vero idonea conditionique illius accommodata temporis.

Sane Augustinus non dubitat, « antiquos justos, quicumque esse potuerunt, nonnisi per eamdem fidem liberatos, per quam liberamur et nos, fidem scilicet incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur, sicut a nobis facta annuntiatur [1]. » Ubi *fidei* nomine perfectam intelligit, et charitate formatam, hoc est plenam ac justificantem gratiam; quod et aliis in libris passim commendat et inculcat. Unde perspicuum est, vanam et futilem esse rationem istorum, qui omnem a lege veteri gratiam, omne adjumentum resecant bene vivendi. Quo enim id argumento probare se putant, eodem efficient, nullum ut ejusmodi datum esse præsidium christiana cum lege videatur.

CAPUT XXII.

De Calvinianorum dogmatistarum errore fanatico, in quo Manichæorum impietatem recoquunt asserentes, legem Mosaicam malam, et impiam fuisse. Pelagii opinio, regnum cœlorum veteri in lege promissum fuisse. Quid lex, et Testamentum significet; ac variæ illorum significationes. Lex, qua lata est a Mose, proprie cum pœna consideratur; nec tam ea ratione, qua aliquid præcipit. Ea maxime continetur in præcepto, Non concupisces. *Quid sit esse sub lege.*

I. Quod in vitiis ac morum pravitate accidit, idem et in errore mentis atque hæresi fieri, tum docti ac sapientes viri merito perhibent, tum citra auctoritatem perpetuus ipse omnium temporum usus ostendit. « Intimis concepta visceribus culpæ lues, ut vere scripsit Ambrosius [2], processu temporis coacervatur, etc. Et ideo cavenda sunt, inquit, prima vitia, ne in plura deinde graviora proserpant. Etenim, sicut ii, qui se in luto versant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur: ita qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, gravius dedecoris sui cœnum per singulos dies lutulentæ conversationis obducit. » Eodem modo « humana ratio, cum semel a veritate declinaverit, ut ait Basilius, in absurda plurima, et periculosa, ex quadam consequentia erroris abducitur [a]; » recteque Prosper in carmine *de Ingratis,*

« Quem non recto via tramite ducit,
Quanto plus graditur, tanto longinquius [errat. »

Frustra est igitur, qui modum utrique vitio quærit, et «similiter, Ciceronis judicio facit, ut si posse putet eum, qui se e Leucade præcipitaverit, sustinere se, cum velit. Ut enim id non potest, sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest, nec, quo loco vult, insistere omnino [3]. »

II. Ne longius exempla repeti necesse sit, facit ista ipsa, contra quam hoc fere toto libro disputavimus, labes opinionis; quæ ab oppugnando sufficientis adjumento gratiæ initium faciens, et Calvinianæ velificans hæresi, paulatim ab hac in omnium impurissimam ac teterrimam delapsa voraginem est impietatia Manichææ, dum odio communis catholicæque theologiæ, veterem a Mose traditam legem, uti gratiæ adjumentique cœlestis inanem faceret, fecit nefariam, eique partes sc munus præcipiendi peccati atque criminis injunxit.

In quo Calvini patriarchæ sui ἀλογίαν imitata est Armacani nupera pestilentia, parique cum illo progressu Manichæos ipsos, quod jam dicere memini, improbitate superavit. Nam Manichæi adeo veriti sunt verum, ac christianum Deum mali causam ac principium statuere, ut ejus vitandi gratia alterum ac diversum ab illo principium esse voluerint mali, atque peccati. Calvinus vero unum et eumdem mavult esse mali bonique fontem et artificem Deum; qui utriusque ex æquo, et *Stultitiam.*

a Basil. II *cont. Eunom.* Ἔοικε γάρ πως ὁ λόγος, ἐπειδὰν ἅπαξ τῆς ἀληθείας παρενεχθῇ, εἰς πολλὰς καὶ ἐπικινδύνους ἀτοπίας ὑπὸ τῆς κατὰ τὴν πλάνην ἀκολουθίας ἐκφέρεσθαι.

1 Ep. LXXXIX. — 2 In *Ps.* I. — 3 In IV *Tusc.*

primario, ac directe se profitetur auctorem. Quo posito, divinitatem omnem funditus extinguit, cujus propria est præcipuaque nota bonitatis. Hanc magistri sui præcipitem importunamque vesaniam nuperos istos assequi dixi, qui legis institutorem faciunt Deum, non modo non bonæ, neque sanctæ, sed etiam hortatricis scelerum, et ad peccandum vi, ac pœnarum comminatione cogentis. Quam tantam cæcitatem christianorum utcumque pectorum, et portentosam amentiam nisi liquido convincimus, ægre de ea pio et erudito lectori persuadebimus. Usque adeo laborare solet non minus magnis erroribus, quam

« Negata semper sceleribus magnis, fides. »

Quorum haud dissimilem præcipitandi in ambobus exitum esse, paulo ante verissime demonstravimus. Hoc itaque deinceps agamus, et in eodem Manichææ perfidiæ cœno ac barathro volutari novum illum doceamus Armacani gregem, ut horrore pariter ac pudore tantæ fœditatis admonitus, inde se retrahat et ad catholicam sanitatem aliquando respiciat.

Ad quid legem veterem esse datam effutiant hæretici.

III. Cum igitur idoneum præsidium adjutricis gratiæ nemini ex toto deesse, christianorum per omnes ætates theologorum consensus habeat; huic adversantes illi, Mosaicæ legis utuntur argumento; « cui sufficiens, et semper præsens adjutorium » negant fuisse. Legem quippe Judæis sic esse datam, ut ad eam implendam nullum idoneum adjumentum acceperint. Quod probare primum instituunt « ex eo scopo, quem in Vetere ac Novo dando Testamento Deus habuit [1], » de quo ita disputant: « Esse quamdam asserunt hominis vitam, carnalibus sensibus implicitam, gaudiis carnalibus deditam, quæ carnalem fugitat offensam, voluptatemque sectatur. Hujus vitæ felicitas temporalis est; a qua vita incipere necessitatis est, quamvis in ea persistere voluntatis. » Ac « postquam ratio in ea experrecta vigilaverit, poterit, adjuta tamen divinitus voluntate, eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium est, cujus interna et æterna felicitas. Nam inest homini anima rationalis; sed interest, rationis usus quonam potius convertat voluntatem; utrum ad bona exterioris et inferioris, an ad bona interioris superiorisque naturæ; hoc est, utrum ut corpore ac tempore, an vero ut divinitate ac æternitate perfruatur. » De utroque genere vitæ copiose disserit Prosper in libro I *de Vocatione gentium*, cap. XI. Jam vero, pergit Armacanus, « cum divina providentia neque carnalem illam vitam sive parvulorum, sive majorum, solis carnalibus desideriis deditam negligat, voluit in integro quodam populo patefacere, ad curam suam etiam illam vitam, atque ejus bona, malaque pertinere. Itaque ostendere volens Deus terrenam temporalemque felicitatem donum suum esse, nec aliunde, nisi ab ipso, non a dæmonibus falsisque diis sperari oportere, prioribus præsentis sæculi temporibus dispensandum judicavit Testamentum Vetus, quod pertineret ad hominem veterem, hoc est carnalem carnalibus voluptatibus inhærentem, a quo ista vita necesse est incipiat; posterioribus novum reservavit, quo bona spiritualia largiretur. »

IV. Quocirca Testamentum Vetus eo fine dispensatum a Deo putat, « ut carnalis homo carnalibus voluptatibus inhærens, ejusdem generis bona ab uno Deo omnium creatore desideraret; et non istorum desiderio ad idola recederet. Propter hanc causam, et hanc utriusque Testamenti differentiam, nihil omnino spirituale in Veteri Testamento promittitur, sed sola carnalia, quæ veteri homini ac vitæ congruunt, divitiæ, opulentia, victoria, pax temporalis, regnum, gloria, et hujusmodi. » Ac subinde Testamentum illud « non ea de causa datum asserit, ut per hujusmodi Testamenti promissiones et observationem eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur; sed ne res illas, quas carnali vitiosoque amore diligebant, a dæmonibus quærerent. »

Plura de hoc argumento et eodem spectantia Calvinianus dogmatistes accumulavit, ex quibus recta illud efficitur, legem a Deo Judaico populo per Mosem editam, pravam et impiam fuisse, atque ad peccandum impulisse, per seque minus aliquanto crimen ingessisse, capitalis alterius evitandi gratia.

Ac si ita quidem asseveraret, legem illam ex se, suaque vi et efficientia propria neque gratiam contulisse, nec justitiam ingenuisse, vel sanctificasse quemquam, sed hæc sola Dei misericordia et gratuita liberalitate, Christique meritis, et in eum fide consecutos esse, quicumque Deo grati et sancti in illo populo fuerunt, probantibus id nobis, assentienti-

1 Tom. III, lib. III, cap. VI.

busque diceret; nam hoc Apostolus in epistolis *ad Romanos* et *ad Galatas*, et pleræque aliæ Novi Testamenti litteræ testantur. Sed plus dicit, et illud, quod posui, intolerabile docet, ac sacrilegum, legem istam ex se, certoque, ac destinato consilio malefactum, ac peccatum præscribere. Hoc autem illius ex verbis, ac tota disputatione priusquam colligi monstramus, quædam de Testamento, ac lege ipsa veteri præfabimur; ut omni ex hac controversia ambiguitate detracta, faciliorem cursum teneat inquisitio veritatis.

Vetus Testamentum, et lex vetus duplici sensu sumuntur.

V. Scribit Augustinus in libro *De gestis Pelagii*, in Diospolitana synodo id objectum esse Pelagio, quod scripserat: « Regnum cœlorum etiam in Veteri Testamento promissum [1]; » Pelagium vero id ex propheta Daniele verum esse monstrasse, qui sic scribit: *Et accipient sancti regnum Altissimi* [2]. Augustinus vero versutam hæretici fraudem detegens, animadvertit « Veteris Testamenti nomen modis duobus dici solere; uno modo secundum divinarum Scripturarum auctoritatem; alio secundum loquendi vulgatissimam consuetudinem. » Priore modo usurpatum legitur in epistola Pauli *ad Galatas*, ubi quod Abraham refert Scriptura, *duos filios habuisse, unum de ancilla, et unum de libera* [3], quorum ille secundum carnem natus; iste per repromissionem, duo significare testamenta dicit, « Unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar : » alterum, quod in Sara « demonstratur libera, quæ est mater nostra. » Posteriore modo vulgo « Scripturas omnes legis, et prophetarum, quæ ante Incarnationem Domini ministrante auctoritate canonica continentur, nomine Testamenti Veteris nuncupamus. » In his vero litteris interdum promittitur, ut Testamentum Novum, ita regnum cœlorum. Sed Vetus Testamentum proprie illic a Paulo sumitur pro lege, quam Moses in Sina monte traditam populo tulit, ac toto illo statu servili Judæorum, quo pœnarum metu, aut temporalium, et carnalium bonorum illecebra in officio continebantur. Quare illa « secundum Vetus Testamentum promittuntur, quæ secundum hominem veterem concupiscuntur. Quæ autem illic ad Novum Testamentum pertinentia figurantur, novos homines quærunt [4]. »

Sic etiam *legis* vocabulum interdum « generaliter omnes illas Scripturas [5] » significat; adeoque Psalmos complectitur, ut cum Christus ait : *Nonne scriptum est in lege vestra, quia* [6] *Ego dixi: Dii estis* [7]? Alias a prophetis, et etiam a Psalmis distinguitur; ut cum dicitur : *Lex, et Prophetæ usque ad Joannem* [8]. Et, *Oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, et prophetis, et Psalmis de me* [9] quod Augustinus adnotavit in tractatu XLVIII *in Joannem*.

VI. Verum, præter hanc duplicem notionem vocabuli *legis veteris*, totidem aliæ notandæ sunt, quæ ad rem nostram propius attinent. Nam aliquando *legem* appellant mandata, vel præcepta, quæ populo Judaico per Mosem edita sunt. *Lex* enim *per Moysem data est* [10]. Nonnunquam *lex* vocatur status ille populi ejusdem, qui ex mandatorum, ac legum latione consecutus est. Atque hoc pacto *lex vetus* idem est, ac *Vetus Testamentum* in illa posteriori significatione, quam ex Augustino proxime antea memoravi; nimirum status quidam hominum, quos Mosaicæ legis obligatio ea conditione constrictos, et obnoxios tenebat, ut, sive illam servaret, mercedem in ea promissam mereretur; sive contra faceret, pœnam committeret eadem lege constitutam.

Rursus in illa lege veteri duo præceptorum discernenda sunt genera cum Augustino. « Nam partim in sacramentis, partim in moribus accipiuntur. Ad sacramenta pertinent circumcisio carnis, sabbatum temporale, neomeniæ, sacrificia, atque omnes hujusmodi innumeræ observationes. Ad mores autem, *Non occides: Non mœchaberis: Non falsum testimonium dices*, et talia cætera [11], » quæ duo genera vulgo *cæremonialia*, et *moralia* dicuntur. Horum autem priora sola per se Mosaicæ legis propria sunt; hoc est, a Mose vel instituta primum, vel instaurata, et Judaici populi peculiaria facta. Ad primam speciem referendi sunt ritus omnes, et cæremoniæ sacrificiorum, expiationum, decumarum, sacerdotalium functionum, ac cæterorum hujusmodi, quæ Moses primus ordinavit. In secunda censeri potest circumcisio ante Mosem Abraamo præscripta, et forte sabbatismi sanctio, et id genus alia, quorum auctor non fuit Moses, sed ea solum diligentius populo commen-

1 Cap. v. — 2 *Dan.* VII, 18. — 3 *Gal.* IV, 22. et seq. — 4 Aug. *De gest. Pel.* c. v. — 5 August. tract. XLVIII in *Joan.* — 6 *Joan.* x, 34. — 7 *Psalm.* LXXXI, 6. — 8 *Luc.* XVI, 16. — 9 *Lucæ* XXIV, 44. — 10 *Joan.* I, 17. — 11 Aug. lib. *Expos. ep. ad Gal.* tom. IV.

davit, et nova pœnarum sanctione illius propria reddidit.

Duo in lege consideranda : pœnæ quas intentat violatoribus, et præmia quæ promittit observantibus.

VII. Quod autem præ omnibus considerandum est, et ad propositum nostrum maxime conducit, istud est: Ut in omni lege, sic in Mosaica duo spectari : alterum, mandatum ipsum, quo vel jubetur aliquid vel prohibetur : alterum, pœnam, quæ contra legem committentibus imponitur; quæ proprie *sanctio* ab jurisconsultis vocatur, tum etiam præmium, si quod forte legem servantibus promittitur. Qua in posteriori acceptione vis est potissimum, ac proprietas sita legis veteris, ac Testamenti, cum ab Apostolo, et christianis doctoribus de ea disputatur, et quatenus legi novæ, ac Testamento Novo, vel gratiæ ex adverso respondet. Hoc enim sensu proprie vetus, et Mosaica dicitur, quo sub pœnarum interminatione, quid faciendum, aut non faciendum sit imperat. Itaque *Decalogus* ipse, cum naturale fere jus, et cum homine ipso natum, non a Mose constitutum habeat; *legis* tamen *veteris* nomen, et significationem apud Apostolum potius obtinet, quam pars altera, quæ *cæremonialis* dicitur.

Hinc Augustinus *legem* istam oppositam gratiæ, quæ peccati irritamentum affert, et illud exacerbat, hanc esse potissimum dicit *Decalogi* partem, quæ concupiscentiam prohibet, dicens, *Non concupisces* [1]. Nam, quia lex gravi proposita pœna peccatum, et concupiscentiam malam interdixit, accendit eam potius, et irritavit, quam compescuit. Neque enim vires ad illam vincendam, ac domandam voluntati attulit; et eo ipso, quod vetuit, quodammodo latentem prodidit, et in apertum extulit. Ita suavitatis cujusdam, ac voluptatis lenociniis majorem in homine concitavit ardorem. Quod Apostolus in ea, quæ est *ad Romanos,* ita declarat: *Sed peccatum*, inquit, *non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta*, *peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat* [2]. Ex quo « apparet, ait Augustinus, concupiscentiam per legem, non insitam, sed demonstratam. Consequens autem erat, ut, quoniam nondum accepta gratia concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam; quia majores vires habet concupiscentia, crimine prævaricationis adjuncto, cum etiam contra legem facit, quam si nulla lege prohiberetur [3]. » Idcirco, quod ait Apostolus, « Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum esse omnem concupiscentiam, » sic idem Augustinus explicat: « Erat enim et ante legem, sed non omnis erat; quando crimen prævaricationis adhuc deerat. Unde alio loco dicit: *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* [4].» Cui Chrysostomus, Theophylactus, aliique passim interpretes assentiuntur, qui *omnem concupiscentiam*, τὸ σφοδρὸν, id est *vehementiam* ipsius indicare putant.

VIII. Quin et Augustinus idem diserte illud, quod dixi, indicat, *legem* ab Apostolo proprie sumi, quatenus minatur, terret, et pœnas infligit. Nam omnia, quæ de lege scripta sunt, velut, *Lex subintravit, ut abundaret delictum* [5], » et ministratio mortis in tabulis figurata *lapideis,* et quod *lex mortis* vocatur, atque id genus alia, quibus legis effecta significantur, ait « ideo esse dicta, quia lex auget concupiscentiam ex prohibitione, et reum obligat ex prævaricatione jubendo, quæ implere homines ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate convertant. Et ideo sub illa esse dicuntur, quibus dominatur. Eis autem dominatur, quos punit. Punit autem prævaricatores omnes. » Et aliquanto post, « Usitatius enim vocatur lex, quando minatur, et terret, et vindicat [6]. » Itaque « idem præceptum timentibus lex est, amantibus gratia est. »

Quibus Augustini verbis argumentum continetur longe optimum ejus, quod contendimus : legem Mosaicam ab Apostolo accipi, non tam qua præcipiendi, ac præscribendi vim habet, quam ut pœnas constituit, earumque denuntiatione terret. Quippe legem Apostolus componens cum gratia, et utriusque proprietates, et effecta considerans, quatenus a se invicem separata spectantur, priorem describit tanquam dominum severissimum, et inexorabilem, ac pensi, officiique rigidum exactorem ; aut velut quæsitorem capitalem, qui quæstionem habeat, lictoribus adstantibus, et catenas, taureas, equuleos, atque ungues, aliaque instrumenta suppliciorum ostentantibus. Ideo illi dominatum attribuit ; eique respondentem ex adverso metum in hominibus, terrorem, ac consternationem, hoc est « servilem timorem, ac servitutis spiritum. » Hinc Apostolus, *Lex,* inquit, *in homine dominatur*, *quanto tempore vivit* [7] ; quod interpre-

1 *Exod.* xx, 17.—2 *Rom.* vii, 7.—3 Lib. I *ad Simp.* in præfat.—4 *Rom.* iv, 15.—5 *Rom.* v. 20.—6 August. lib. I *ad Simpl.* qu. i. —7 *Rom.* vii, i.

tans Augustinus, plura dicit ad hoc pertinentia, et inter alia, « Lex autem peccati dicitur, non quia lex ipsa peccatum est, sed quia peccatoribus imponitur. Ideo etiam lex mortis, quia stipendium peccati mors, aculeus mortis, peccatum, virtus autem peccati lex. Peccando enim ad mortem labimur. Vehementius enim peccamus lege prohibente, quam si nulla lege prohiberemur. Accedente autem gratia, idipsum, quod lex onerose jusserat, jam sine onere, ac libentissime implemus. Lex ergo peccati et mortis, id est, quæ imposita est peccatoribus, atque morientibus, jubet tantum, ne concupiscamus, et tamen concupiscimus. Lex autem spiritus vitæ, quæ pertinet ad gratiam, et liberat a lege peccati, et mortis, facit, ut non concupiscamus, et impleamus jussa legis, non jam servi legis per timorem, sed amici per charitatem [1]. » Et alibi : « Concupiscentiam terruit, non extinxit; fecit timorem pœnæ, non amorem justitiæ. » Ac rursus, « Ipsa minari novit, non subvenire [2]. »

Itaque *lex iram operatur* (ait idem Apostolus [3]), « siquidem mos est legi, punire transgredientes. Nam iram appellat vindictam. Et ubi non est lex, nec prævaricatio. Lex enim punit eos, qui transgrediuntur. Quippe cum lege conjuncta est observatio, et transgressio [a]. »

Legem spectat Apostolus præcipue quoad pœnas quas intentat.

IX. Quapropter in lege potissimum Apostolus spectat pœnam ab ea propositam violatoribus illius Judæis; nec qualemcumque, sed cujusmodi ad adverso bona sunt, et præmia, quæ ejusdem pollicebatur observatoribus. Ut enim præsentia erant ista bona, hoc est opum, et commoditatum affluentia, sanitas corporum, fecunditas prolis, pax et tranquillitas, vita denique inter prosperitates, ac rerum copias longissima; sic ad pœnam, terroremque denuntiata sunt, non vera, et alterius vitæ mala, sed hujus transeuntis, et caducæ, bonis illis respondentia; ut sunt egestas, calamitas, ægritudo, sterilitas, bella, vita perbrevis, mors ipsa denique corporis. *Irritam quis faciens legem Mosi*, ait Apostolus, *sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur* [4], etc. Hoc sensu *lex mortis* proprie ac primario dicitur eo quod ad singula fere præcepta legis, et capita, supplicium, mors, et interemptio, aliaque vitæ mortalis incommoda repræsentabantur, quæ *maledicti* nomine comprehenduntur; de quo vide *Deuteronomii* caput maxime XXVII. Quæ tamen omnia bona, malaque velut figuræ quædam adumbrabant vera illa, et sempiterna, quæ in nova lege deinde clarius, expressiusque significata sunt. Hæc igitur propria legis est conditio, sub qua tam Apostolus, quam Augustinus eam contemplantur, dum gratiam cum illa, Novumque Testamentum, et libertatem, ac filiorum adoptionem comparant. Hac seposita, ambas inter se convenire leges, et unam eamdemque fieri, si cæremonias, et sacrificia præterea detrahas, affirmat Augustinus. Unde constat pœnam ac terrorem servilem, velut necessarium quiddam et οὐσιῶδες in lege esse Mosaica, quando cum lege gratiæ, ac Novo Testamento contenditur. Sed hic locus de ambarum legum concordia postea tractabitur.

Substantiale.

X. Jam cujus gratia tota illa superior a nobis est suscepta disputatio, paucis id ex illa colligendum est; ac quæstionis, controversiæque constituendus status, qui sane esse debet hujuscemodi. Cum legem Mosaicam sine ullis adjumentis gratiæ datam esse, Calvini suffragatores in idonea oppugnanda gratia contendunt; cumque eo fine, ac scopo divinitus editam illam esse pugnant, non ut meliores, ac sanctiores evaderent, sed ut temporis hujus affixi, vitæque commodis, eorum sic alerent cupiditatem, ut non a dæmonibus, verum a Deo fructum, et usum illius expectarent, ac poscerent; legem omnino sic accipere debent, quomodo Apostolum, et Augustinum usurpasse hactenus ostendimus : nempe ut lex mandatorum, quæ *moralia* dicuntur, imprimis intelligatur, non absolute, sed quatenus pœnis, ac terroribus armatur, ac sævire parata est in criminosos, et legitimis suppliciis plectere. Qua ratione *sub lege* proprie esse dicuntur, non in Veteri tantummodo, verumetiam in Novo Testamento, qui contra legem facientes, eo ipso dominatu illius premuntur, quod ab ea puniuntur, ut ex Augustino paulo ante demonstravimus [5]. Ut sit idem esse sub lege, quod alibi vocat, « damnabiliter esse sub lege [6]; » nempe « quos reos facit lex non implentes legem. » Nam ut idem scribit,

a THEODOR. in IV *ad Rom.* Ἔθος γὰρ τῷ νόμῳ κολάζειν τοὺς παραβαίνοντας. ὀργὴν γὰρ τὴν τιμωρίαν ἐκάλεσεν· οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις. τιμωρεῖται γὰρ ὁ νόμος τοὺς παραβαίνοντας. συνέζευκται γὰρ τῷ νόμῳ καὶ φυλακὴ καὶ παράβασις.

1 Aug. lib. LXXX, qu., III, LXVI; cit. a Beda in VIII *ad Rom.* col. 123. — 2 Ibid. col. 131. — 3 *Rom.* IV, 15. — 4 *Hebr.* X, 28. — 5 Lib. I *cont. Simp.* q. I. — 6 Ep. XIX. Vide et lib. *de Opere mon.* cap. XI, tom. III.

« Qui est in lege, secundum legem agit; qui est sub lege, secundum legem agitur. Ille ergo liber est, iste servus [1]. » Et, « Qui legem implet, non est sub lege, sed cum lege; qui autem sub lege est, non sublevatur, sed premitur lege. Omnes itaque homines sub lege constitutos, reos facit lex, et ad hoc illis super caput est, ut ostendat peccata, non tollat [2]. » Denique, « Lex, cui minatur, inquit, non implendo, quod jubet, eum facit esse, sub se, hi sunt sub lege, non sub gratia [3]. » Ex quo patet illud, quod dictum est, legem ea maxime ratione considerari ab Apostolo, et ejus interprete Augustino, qua pœnam minatur et infligit; idque tam in nova, quam in vetere usuvenire peccatoribus, uti sub lege sint, quod ejus severitati, ac potestati subjecti sint. Siquidem lex illa, quæ concupiscentiam vetat, in utroque Testamento vim suam obtinet, de quo postea copiosius.

CAPUT XXIII.

Ex superiori disputatione Manichæi fautores dogmatis confutantur. Ostenditur ex eorum placitis, legem Mosaicam malam fuisse, cujus in auctorem invidia transeat. Exagitantur improbæ illorum ac nefariæ sententiæ. Ut cum Synagogam, qua Synagoga est, congregationem fuisse dicit carnalium hominum. Tum ex professo, Deum lege lata malam in hominibus accendisse cupiditatem. Contra quæ demonstratur Synagogam, id est Ecclesiam veterem, sanctam fuisse, ac posse eamdem importari calumniam Ecclesiæ christianæ, in qua carnales longe plures quam spirituales censentur. De qua re Cypriani locus illustris expenditur, nec non Eusebii Cæsariensis. Quo sensu carnalis iste populus dici debeat. Vetus homo quid significet; et qua ratione figuram expresserit Synagoga Testamenti Novi.

I. His præmunitus lector, ad illa nunc excutienda se conferat, quæ portio illa de Calvino, sufficientis inimica gratiæ, ex Manichæi fonte deduxit. Vetus Testamentum, ut jam antecedentis initio capitis dicere cœperam, quo sola terrena promissa repræsentantur, non ea de causa datum esse putat, ut « per hujusmodi Testamenti promissiones, et observationem eorum salus in tuto locaretur; sed ne res illas, quas carnali, vitiosoque amore diligebant, a dæmonibus quærerent [3]. » Ad eas ergo res sperandas, et amandas, atque a Deo postulandas sic incitabat *carnales illos, et vitiosos amantes*; non ut honeste, et quomodo gratum, et acceptum erat Deo, illas diligerent, et expeterent, sed indecore prorsus, ac vitiose. Hunc enim finem, scopumque præstituisse sibi legis auctorem, latoremque confirmat Deum; non ut amorem, aut amandi, ac concupiscendi modum, affectumque corrigerent, sed ut versuram quodammodo facerent, ac creditorem mutarent, hoc est, ut eadem ista commoda, quorum prava, et præpostera cupiditate flagrabant, a Deo sperarent, et dari sibi peterent, non a diabolo. Qua ratione lex, non bonum aliquod, et laudabile factum præscribebat ipsis, et quod Deo placeret; sed crimen, ac peccatum, aliquanto tamen levius et tolerabilius, quam alterum fuisset, cujus in remedium adhibebatur.

Hoc autem non ex accidente, præterque mentem, ac propositum legislatoris esse factum, asserunt Calvinastri; verum dedita opera, et destinato consilio, ac certa illius intentione, qua ita fieri, et sic illos amare caduca, et carnalia bona voluit, dum a se ipso, quam a dæmonibus impetrare ista mallent. Hujusmodi sententiam illorum fuisse, ita ex dictis eorum, ac verbis ostendimus.

II. Principio qui auctorem legis, ac conditorem excusare velit, ut immunis a culpa videatur, quæ legis occasione perpetrata sit, sic, opinor, facere, et ita loqui debet, ut demonstret, præter illius voluntatem, ac legis institutum id esse commissum. Exempli gratia, sit lex aliqua, quæ furto facto, publicos ministros, et conquisitores per vicinas omnes domos, rem ablatam quærere jubeat; quemadmodum Romæ fieri consueverat, dum per lancem, et licium furtum perquirebatur, et concipiebatur [4]. Ac, dum ita fit, ipsimet viatores, servique publici furentur. Non erit dubium, quin lex occasionem flagitio isti dederit. Verum, qui purgare legem instituet, sic eam defendet: præter voluntatem, mentemque legislatoris, ac legis ipsius furtum illud esse factum; non enim ea de causa latam esse, ut civium bona per conquirendi speciem, clam, aut vi raperent ministri, sed ut ablata recuperarentur. Quod si quis non eo fine, ac scopo, causave legem esse constitutam diceret, ut suum quisque reciperet; sed eo magis, ut

Immunis a culpa legislator etsi lex malorum occasio fiat.

1 Tract. in *Ps.* I, init.— 2 Tract. III in *Joan.*— 3 Serm. XIII *De Verb. Apost.* cap. III.— 4 Tom. III, lib. III, cap. VI.— 5 Gell. lib. IX, cap. XVIII et lib. XII. cap. III; et Festus in voce *Lancem.*

e privatorum bonis potius, quam e sacro prædas ageret magistratus, cum undecumque furtum facere statuisset; profecto furti causa non permittendi solum, sed etiam imperandi, legem asseveraret esse factam, ideoque turpem, et iniquam, quod scelus juberet; tametsi gravioris vitandi gratia, hoc est, sacrilegii, furtum simplex præciperet. Potest quidem lege aliqua constitui, quo ne plus aliquid mali fiat; ut cum infinitæ cupiditati in re fœnebri, et usura modus adhibetur; vel cum in publice prostantibus libidini licentia relaxatur; nuptis autem, aut honestis virginibus sub pœna mortis interdicitur; præcipi vero, ac directe juberi, ut flagitium fiat, etiam declinandi causa majoris, nulla lege fas unquam fuit.

III. Jam Calvinianæ assecla sectæ, qui Testamentum Vetus non ea de causa datum putat, ut « per hujus observationem eorum salus in tuto locaretur, sed ne res illas, quas carnali, vitiosoque amore diligebant, a dæmonibus quærerent » potius quam a Deo; primum ita sentit, « si propter carnalia Deus ametur, amorem esse non gratuitum, sed mercenarium, ideoque impurum, carnalem, vitiosum, quem verius amorem creaturæ dixeris, quam Creatoris. » Deinde Vetus Testamentum, legemque Mosaicam huic « carnali, et vitioso » affectui congruentem, et consentaneam esse datam adstruit, ut per se, et ex instituto, ac dedita opera illum aleret, ac foveret amorem. Nam, cum ejusmodi essent filii Veteris Testamenti, non tantum mali, verum etiam boni, ac legis servantes, ut « nulla nisi veteris hominis bona diligerent; nulla nisi ipsius mala metuerent; » ita ut « cardinem eorum voluntatis raperet non fides, quæ per veram dilectionem operatur, sed terrena cupiditas; » ejus, inquit, ipsius terrenæ cupiditatis « fomentum, ac præmium lex illa ex professo promittebat[1]. » Ergo *ex professo* lex Mosaica fovebat, conservabat, et augebat terrenam cupiditatem, et *carnalem*, ac *vitiosum amorem*, non ex accidenti, tanquam alius finis, ac scopus esset legis illius ex sese, aliudve spectasset in ea danda, et obtinere voluisset illius conditor, cujus voluntatem, et consilium frustrata sit hominum pravitas, lege ista secus utentium, quam ipsa postulabat; et non eo, quo tendebat, duci se patientium. Non hoc, inquam, natio ista Calviniana, odio gratiæ, et adjumenti sufficientis ebria, de Mosaica lege profitetur. Sed *ex professo*, id est consulto, et certo, ac destinato studio *fomentum, ac præmium promisisse* terrenæ, vitiosæque cupiditati; quod idem est, ac peccatum, vitiumque suasisse, et ad illud amplectendum perpetrandumque vim, animum, et illecebram addidisse.

Ut qui in convivio temulentiæ certamen indicit, ac convivali lege, tanquam arbiter, et modiperator, ei, qui plus bibat, præmium proponit, quod Babylone fecisse Alexandrum Macedonem narrant[2], et sua ætate fieri solitum, acri, et eloquenti oratione queritur Ambrosius[3]; is procul dubio ad ebrietatem per se, ac dedita opera provocare dicitur, non ex accidenti; ut occasionem tantum dederit, qua illos uti nolit ipse quidem, sed tamen patiatur. Maxime vero si et calices ad potandum ingerat, et invitos haurire cogat, et assidue hortando, comminandoque vim adhibeat. Quis non istum flagitii illius, ac peccati causam, auctoremque esse dixerit? aut quis non eo volente, ac libente committi judicet, quidquid inest in illa perpotatione delicti? Num dispar est illius causa vere Calviniani Dei, quem *ex professo fomentum, ac præmium* lege sua peccato constituisse, censet nupera factio, et ei vires opemque subministrasse? Quid aliud Manichæus ad hanc dogmatis impietatem adderet; nisi hoc, quod illam tolerabiliorem, ac leviorem profecto faceret, ut a bono veroque Deo talem negaret esse conditam legem, sed ab malo, et contrario aliquo profectam?

IV. Hinc illa flagitia sequuntur opinionum, ac decretorum de Judæorum, ac synagogæ veteris statu, quæ pudenda sunt, et homine indigna christiano. « Synagogam ait, consideratam ut Synagogam, non esse aliud, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem, solis terrenis, et carnalibus incubantium, et propter illa sola colentium Deum, etc. Nempe hominibus ex magna cæcitate cordis nihil omnino, nisi carnalia diligentibus, sectantibus, expectantibus, cogitantibus, ideoque, quantumcumque legem sibi datam observare viderentur, et in legis justitia sine querela ambularent, a vera cordis justitia, et regno cœlorum assequendo valde remotis. Animum enim creaturæ rationalis solis rebus terrenis, Deoque propter sola terrena inhærere, valde vitiosum est, puritatique cœlestis regni adipiscendi necessariæ ex diametro contrarium[4]. »

Quodnam portentum Synagogæ effingat Armacanus.

Tum ibidem, « Testamentum Vetus nihil

1 Tom. III, lib. III, c. VI. — 2 Plut. *Alex.* — 3 Lib. *de Elia et jejun.* c. XIII et XIV. — 4 Tom. III, lib. III, c. VI.

aliud fuisse dicit, nisi magnam quamdam quasi comœdiam, quæ, non tam propter seipsam, quam propter id, cui præfigurando serviebat, hoc est propter Testamentum Novum, ejusque principem, et hæredem Ecclesiam, ab illa gente, tanquam ad hoc idonea ageretur [1].» Hæc probe intellecta, minime reprehendenda dixerim ; sed quo sensu scripserit, apparet ex sequentibus. Nam subinde ista pertexit : « Quandoquidem enim carnalibus implicata studiis, et amoribus, terrenæque felicitati venandæ dedita, cœlestium, atque spiritualium incapax esset cogitationum, quid congruentius, quam ut illa, quæ inutilis esset saluti suæ, saltem alienæ figurandæ, procurandæque serviret ? »

Ex his « statum filiorum Veteris Testamenti informat ejusmodi, ut illi nulla nisi veteris hominis bona diligerent, nulla nisi ipsius mala metuerent. Ex isto amore, atque timore *Decalogum* carnaliter boni custodiebant, vel potius sibi custodire videbantur ; mali etiam aperte violabant. » Denique totos illos occupasse putat «terrenam cupiditatem, amoremque carnalem ; » unde etiam postremo concludit, « Non multum eos gentilibus præstitisse ; » nisi quod a Deo vero *temporalia* illa *bona*, non a dæmonibus expectarent. « Quo fit, ut, quamvis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem a Deo vero, sicut et gentium recederet, non tamen eo usque, ut in dæmonia, aut idola laberentur. »

V. Hæc de Veteri Testamento, ac lege, statuque illius, et alia complura ejusdemmodi ponuntur, quorum pleraque vera sunt eo, quo ab Augustino sunt usurpata, sensu ; sed quo ea Armacanus Calviniaster effutiit, atque ut cætera illius dogmata sunt, prorsus impia sunt, et nefaria; nec a Manichæa spurcitia aliter distant, quam quod improbitatis plus habent, et sacrilegii, ut jam dixi.

Paucos in illa lege sanctos, ac justos fuisse, complures vero ψυχικοὺς, et σαρκικοὺς, id est *animales*, et *carnales*, qui Deum caste non colerent, sed hujus amorem, ac reverentiam privatis posthaberent commodis, equidem non inficior. Verum de eo non contendimus, quod reipsa factum est, corruptela morum, ac temporum, et eorum, quibus lex illa, et Testamentum Vetus obtigit, pravitate. Sed cujusmodi lex ipsa fuerit, hoc est, quem in ea danda finem, scopum, ac consilium conditor illius habuerit, quidve ex professo lex spectaverit, id vero potissimum intuendum est. Calvini portio legem, ut supra vidimus, asseverat, *ex professo* in hoc intentam fuisse, et id curasse fieri, ut « carnalis amor, ac temporalis, et terrena cupiditas fomentis, ac præmiis » excitaretur, et aleretur. Hanc vero cupiditatem, quam lex fovebat, *vitiosam* addit fuisse, Deo inimicam, et ab ejus amore alienam, ac regno, et *saluti illorum inutilem ;* et qui talibus præmiis illiciebantur, ac pie legem servarent, et Deum colerent, eorum, quæ ostendebantur, spe, ac desiderio, parum admodum *gentilibus præstitisse.* Utrosque enim sceleratos fuisse, et commune hoc habuisse crimen, quod terrenis istis, et caducis dediti erant, et ea diligebant. Sed gentiles ideo pejores extitisse, quod idola, falsosque deos colerent. Sunt enim nequitiæ, scelerumque gradus, ac dissimilitudines, ut aliis alia sint graviora, vel leviora, cum sint omnia detestanda. Sic alii sunt ganeones , ebriosi, maledici, percussores, alii adulteri, parricidæ, prædones, venenarii, malefici, magiæ dediti. Qui omnes a regno Dei procul arcendi sunt, etsi non æquali Dei odio, et damnatione plectantur. Neque vero vel levissima ex istis delictis cuiquam homini suadere debemus, hortarive ad ea committenda, aut præmii pactione, aliisque modis impellere, ac ne consentire quidem. *Quoniam, qui talia agunt digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* [2], ut ait Apostolus. Quanto minus auctori Deo tribuenda ista sunt cum Calvino, Calvinique suffragatoribus, qui legem veterem in hunc finem, et ea intentione datam prædicant, ut peccati ac flagitii nutricula, fautrix, adjutrixque esset; nempe ut « ex professo fomentum, ac præmium promitteret » terrenæ, hoc est vitiosæ, ac damnabili cupiditati? Hæc sunt inaudita christianis, et catholicis auribus. Hæc prorsus impura, falsa, temeraria, ac piorum omnium execratione digna.

Lex vetus juxta hæreticos fomentum præbet terrenæ cupiditati.

VI. Antequam legis, ac Testamenti Veteris bonitatem, et sanctitatem approbem, e Scripturis, ac theologicis argumentis cæteris libet firmamenta novæ colluvionis expendere, ut quantis calumniis, et cavillationibus, quamque perplexis ambiguarum sententiarum præstigiis insidietur, illudatque simplicitati lectorum, animadverti possit. « Synagogam ait, consideratam ut Synagogam, non esse aliud, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem, solis terrenis, et

1 Tom. III, lib. III, c. VI. — 2 *Rom.* I, 32.

carnalibus incubantium, et propter illa sola colentium Deum. » Synagoga, ut Synagoga, populus fuit, et Ecclesia Dei viventis, cui christiana successit. Imo una, et eadem ambæ fuerunt. Augustinum audiamus. « Quamvis, inquit, proprie dicatur Synagoga Judæorum, Ecclesia vero Christianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio vero magis hominum intelligi solet, tamen et illam dictam invenimus Ecclesiam[1]. » Et alibi; « In Synagoga populum Israel accipimus, quia et ipsorum proprie Synagoga dicit solet, quamvis et Ecclesia dicta sit[2]. » Una quippe, et eadem Ecclesia, Christique corpus unum ab initio mundi usque in finem permanet, ut idem alio in loco scribit. « Corpus hujus capitis, inquit, Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco, et per totum orbem terrarum; nec illa, quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel, usque ad eos, qui nasciturì sunt usque in finem, et creditur in Christum, totus populus sanctorum ad unam civitatem pertinentium, quæ civitas corpus est Christi, cui caput est Christus[3]. »

Quid significet *Synagoga ut Synagoga.*

Anceps igitur, et subdola est hæc dictio, *Synagoga, ut Synagoga*, quatenus ab istis usurpatur. Aut enim vocatur sic, quatenus ex Dei institutione facta est, cujus proprietas, et essentia consistit in eo, ut legi subjecta sit, ac nonnullis ritibus, et cæremoniis obligata, et communibus etiam naturæ præceptis sub certa conceptione pœnarum obnoxia; hæc enim Testamenti Veteris, ac Mosaicæ legis propria, et οὐσιώδες afferri potest ratio; aut ita sumitur, ut statum significet ejusdem populi suapte culpa majori ex parte corrupti, ac servili penitus, et impura mente Deo famulantis. Quod ipsum est, ita spe potiundorum vitæ hujus bonorum Deum venerari, et ejus mandatis obsequi, ut hæc illis posteriora ducantur, ac parati sint, Deo, ejusque cultui, et amicitiæ renuntiare potius, quam illis, quarum spe serviunt, carere commoditatibus.

Essentialis.

Non ideo Synagoga mala quia in ea plurimi mali.

VII. Hujusmodi fatendum est temporibus illis in Synagoga fuisse plurimos; quod Augustinus in tractatibus ad Psalmos non uno loco demonstrat. Sed, quod ex istis, quantocumque numero fuerint, toti ipsi Synagogæ, id est Ecclesiæ Judaicæ invidiam concitat, et in populum Dei, atque exercitum Domini Sabaoth, velut classico, bellum movet Armacanus, et Mars nescio quis Gallicus, impie, imperiteque facit. Non enim status, ac communitas ipsa propter suorum vitia tali oneranda est infamia; ac ne tum quidem, cum plures constat in ea malos, ac reprobos esse, quam laudabiles et electos. Nam nihilominus et *radix est sancta, et rami* adeo sancti, tametsi *aliqui ex ramis fracti sunt*[4], ut ait Apostolus, eadem de re hoc ipsum, quod nos dicimus, asseverans. De Synagoga enim, ac Judaico populo loquitur, cujus ab stirpe ac radice naturalibus ramis avulsis, ac majori scilicet eorum parte, peregrinos et insititios eorum loco ait esse suffectos; hoc est Judæis plerisque recisis, et amputatis, gentiles in truncum, ac matricem pro illis receptos. Quam quidem radicem, stirpemque non dubitavit sanctam dicere, neque, quominus ita vocaret, majore illo rejectorum, et fractorum numero est prohibitus.

Ac si propterea « Synagoga, ut Synagoga, carnalium hominum congregatio solis terrenis, et carnalibus incubantium, et propter ea sola colentium unum Deum » merito censenda est; hoc est, Deo invisa, et exosa communitas, ac reproborum damnabilis cœtus, quod, præter paucos spirituales, et justos, plerique omnes moribus istis, et ea indole, affectuque animi præditi fuerunt, eodem habenda loco, et simili notanda erit elogio Christianorum communitas, et Ecclesia; cum in ea multo plures sint spiritualibus *carnales, et animales* homines, qui toti pecudum more terrenis inhiant rebus, ac procurandis voluptatibus, et commodis inserviunt.

VIII. Apostolus certe, cujus tempore cum maxime christiana res fide credentium, ac virtute floruit, queritur tamen *Omnes, quæ sua sunt, quærere, non quæ Jesu Christi*[5]. Non puto, *spirituales* haberi potius, quam *carnales* eos, qui, *quæ sunt Jesu Christi*, minime quærunt, sed *quæ sua sunt*. Nihil enim perinde charitati repugnat, quæ *non quærit, quæ sua sunt*[6]. Atque, ut illa Pauli querela non ad universam Ecclesiam pertineat, sed ad eos solos, apud quos ista scribebat (quod Augustinus indicat[7]); mirum tamen est, et observatione dignum, saltem de Romanis, ubi tum erat, illum ita scripsisse, quorum fidem, ac pietatem adeo commendarat in epistola ad eos paucis annis ante scripta. Multi ergo *carnales*, et in sua commoda projecti erant in Ecclesia illa; propter quos nemo corpus ip-

Nec Ecclesia mala quia plures in ea carnales etiam temporibus apostolicis.

1 In *Ps.* LXXVII. — 2 In *Ps.* LXXXI, sub init. — 3 Tract. in *Psalm.* XC. conc. 2. — 4 *Rom.* XI, 16. — 5 *Phil.* II, 21. — 6 I *Corint.* XIII, 5. — 7 Tract. XLVI, in *Joan.*

sum, et communitatem appellare audeat « congregationem carnalium hominum. »

Fuerunt et insequentibus temporibus *carnales* in Ecclesia catholica permulti, « ac solis terrenis, et carnalibus incubantes, » etiam in ea, quæ *primitiva* dici solet. Cujus infelicem statum, ac talibus sordentem maculis summa eloquentiæ vi describit, deploratque Cyprianus; et hujus testimonio sæpius Augustinus Donatistas comprimit, qui labe maculatos aliqua negabant ad unitatem Ecclesiæ pertinere, quasi singulorum membrorum contagio in totius exitium corporis, interitumque redundaret. Quorum profecto, ut et Novatianorum, ac Catharorum cæterorum, adeoque Calvinistarum germani sunt nuperi isti, qui Ecclesiam Dei Testamento Vetere, ac Mosaica lege fungentem, propter eorum, quos tum intra se colligebat, scelera, atque vitia, condemnare audent universam, et privatorum illi dedecus, atque infamiam inurere.

IX. Non ita Cyprianus, et, qui postea teste illo usus est, Augustinus, qui Ecclesiam, in qua longe maxima pars ex *carnalibus*, impurisque constabat, hoc est quæ plus paleæ, quam granorum colligebat, non ideo carnalium hominum congregationem vocarunt, neque cæteris ignominiæ titulis notarunt; quibus veterem sub lege militantem proterve, impudenterque traduci videmus. Ac Cyprianus quidem illa eadem, ob quæ Synagogam isti lacerant, crimina, et dedecora in catholica Ecclesia fuisse, majoremque contaminasse partem illius, in libro *de Lapsis* his verbis conqueritur : « Studebant augendo patrimonio singuli, inquit, et obliti, quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio devota; non in ministris fides integra; non in operibus misericordia; non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi; capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus subdolæ voluntates. Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii; prostituere gentilibus membra Christi. Non jurare tantum temere, sed adhuc etiam pejerare. Præpositos superbo tumore contemnere; venenato sibi ore maledicere; odiis pertinacibus invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos et hortamento esse oportet cæteris, et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri; derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari; esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire; habere argentum largiter velle; fundos insidiosis fraudibus rapere : usuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur? » Non aliis puto vocibus, sententiisque *carnalium* hominum, et ejusmodi, quales in synagoga fuisse nuperi Cathari causantur, mores, notasque describi posse, quam quibus illo in loco Cyprianus informat. Quem quidem Augustinus sæpe contra Donatistas intentat, præsertim in tertio *contra Parmenianum*[1], et in quarto *de Baptismo* contra eosdem Donatistas[2], et libro tertio *contra Cresconium*[3].

Locus Cypriani insignis.

X. Nec minor, post annos inde aliquot ab ætate Cypriani, labes et corruptela morum christianam vastavit Ecclesiam, paulo ante Diocletiani persecutionem. Quam ideo sævire, ac perbacchari sitam esse divinitus, confirmat Eusebius, ut generali ordinum omnium depravationi, sic quasi morbo remedium adhiberet immanis illa, et truculenta vexatio. Operæ pretium est apud historicum illum legere, quam exitialis, et quam late patens ista pestis animorum in Ecclesiæ viscere sese diffuderit; ac qui status ejus, habitusque fuerit proxime ante turbinem illum, ac procellam. Cum igitur christianæ rei prosperitatem, ac successus voto omni majores exposuisset, et quemadmodum favore principum, et indulgentia magnis in dies auctibus cresceret; postea mutatis in deterius moribus, collapsaque disciplina, uti sese habuerit, enarrare pergit. « Verum, inquit, Ruffino interprete, ubi ex multa libertate, multaque indulgentia vitiati sunt mores, et disciplina corrupta est, dum alter alteri invidemus, et alter alteri derogamus, dumque nos invicem mordemus, et incusamus, et adversum nosmetipsos intestina prælia commovemus; dum verborum jaculis proximorum corda terebramus : dum principes cum principibus, populi cum populis seditiones, et certamina concitamus; dum simulatio in vultu, dolus in corde, fallacia profertur in verbis, et malorum per singula cumulus intumescit, divina providentia jacturam disciplinæ populo suo illatam ex plurima pace, et nimia sui lenitate prospiciens,

1 Cap. II. — 2 Cap. IX. — 3 Cap. XXXVI.

aggreditur primo sensim refrenare lapsantes, et integro adhuc Ecclesiæ statu, congregationibusque manentibus, indulget interim, eos, qui erant in malitia, tantum gentilium persecutione pulsari. Sed, cum nullus ex hoc clementiæ ejus intellectus populis redderetur; quin potius velut ignorantes Deum, absque divina providentia res agi ducerent, et per hoc eo magis persisterent in malis suis, atque ipsi, qui duces populi videbantur, et principes, divini mandati immemores effecti, adversum se invicem contentionibus, zelo, livore, superbia, inimicitiis, atque odiis inflammarentur ita, ut tyrannidem potius, quam sacerdotium tenere se crederent[a],» etc. Possumus et alia similia posteriorum temporum exempla colligere tum ex annalibus, et historiis ecclesiasticis, tum ex veterum Patrum frequentibus ea de re querelis. Sed longum est, et ad institutum pauca ista sunt satis. Ex iis vero perspicuum est, quod inde probare satagimus: uti nemo, nisi profanus, ac vecors cogitare audeat, Ecclesiam Christi « non fuisse tunc, aut hodieque aliud esse, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem, solis terrenis, et carnalibus incubantium, et propter illa sola colentium Deum; » eo quod major pars eorum, qui in illa censebantur, hujusmodi fuerit aut etiam hoc tempore sit: ita pessime illos, ac stolide facere, qui privatorum, etiam majoris numeri, vitia totum in Ecclesiæ legalis corpus transferunt, ac « Synagogam consideratam ut Synagogam, nihil aliud esse jactitant, quam istiusmodi congregationem carnalium, ac terrenis cupiditatibus immersorum hominum. » Qui error hebes est, et crassus nec minus tamen, propter illa, quæ indidem sequuntur, venena nefandarum hæresum, detestandus, et ecclesiastica severitate coercendus.

Damnandi qui privatorum vitia in corpus Ecclesiæ transferunt.

XI. Judæis equidem scio in lege Mosaica, non cœlestis regni, vitæque mercedem propositam fuisse, contra quam Pelagius existimabat, qui eo nomine inter alia postulatus est in judicio Diospolitano, ut supra meminimus[1]; sed terrenas fere commoditates, et caducas opes, bonaque corporis. Verum partim propheticis in libris, aliisque, qui ad mores instituendos, et informandam Ecclesiam pertinebant, futurorum, ac sempiternorum bonorum mentionem video esse factam, et ad ea concupiscenda, colendumque propter ista Deum, spes illorum animatas et erectas; partim illis ipsis in præsentium bonorum pollicitationibus meliorum, et æternorum significationes fuisse comprehensas, quas quidem prophetæ, ac justi, et *spirituales* cæteri non modo ipsi capiebant, ut passim fatetur Augustinus, sed alios insuper docebant, cum in synagogis, ac publicis exhedris verba facerent ad populum, et arcana legis mysteria coram explicarent. Ex quo poterant illi, quorum Deus corda tetigerat, opitulante gratia, ad altiora, et saluti propriora consurgere; ac per fidem venturum amplecti Messiam et in ea fide justificari. Ut verissimum sit, quod ex Apostolo sæpe Augustinus, aliique Patres commendant, pædadogi legem instar fuisse, quæ Judæos ad Christum erudiendo perduceret. Sed de hoc legis usu, ac fructu postea pluribus. Illud modo commonemus, in quo fraudem struit Calviniana propago: « Synagogam, qua Synagoga est, carnalium hominum cœtum, ac terreni populi turbam » vocari posse, legemque adeo Mosaicam, *terrenam*, et *carnalem*, non ea notione, qua isti putant, qui vitiosum, et damnandum animi affectum vocibus illis subjiciunt, sed figura, et significatione, quemadmodum Apostolus scribit. *Umbram*, inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*[2]. Ubi eamdem rationem legis esse antiquæ vult ad christianam, et novam, quæ est adumbrationis, ac primæ delineationis in pictura, ad expressam

Spirituales in lege Judaica ad altiora consurgebant.

a Euseb. VIII *Hist.* cap. i. Ὡς δὲ ἐκ τῆς ἐπὶ πλείων ἐλευθερίας ἐπὶ χαυνότητα, καὶ νωθρίαν τὰ καθ' ἡμᾶς μετηλλάττετο, ἄλλων ἄλλοις διαφθονουμένων, καὶ διαλοιδορουμένων, καὶ μονονουχὶ ἡμῶν αὐτῶν ἑαυτοῖς προσπολεμούντων ὅπλοις, εἰ οὕτω τύχοι, καὶ δόρασι τοῖς διὰ λόγων, ἀργόντων τε ἄρχουσι προσρηγνύντων, καὶ λαῶν ἐπὶ λαοὺς καταστασιαζόντων· τῆς τε ὑποκρίσεως ἀφάτου, καὶ τῆς εἰρωνείας ἐπὶ πλεῖστον ὅσον κακίας προϊούσης, ἡ μὲν δὴ θεία κρίσις, οἷα φίλον αὐτῇ, πεφεισμένως τῶν ἀθροισμάτων ἔτι συγκροτουμένων, ἠρέμα, καὶ μετρίως τὴν αὐτῆς ἐπισκοπὴν ἀνεκίνει, ἐκ τῶν ἐν στρατείαις ἀδελφῶν καταγρομένου τοῦ διωγμοῦ. ὡς δ' ἀνεπαισθήτως ἔχοντες οὐχ ὅπως εὐμενὲς, καὶ ἵλεω καταστήσεσθαι τὸ θεῖον προὐθυμούμεθα, οἷα δέ τινες ἄθεοι, ἀφρόντιστα, καὶ ἀνεπίσκοπα τὰ καθ' ἡμᾶς ἡγούμενοι, ἄλλας ἐπ' ἄλλαις προσετίθεμεν κακίας· οἵ τε δοκοῦντες ἡμῶν ποιμένες τὸν τῆς θεοσεβείας θεσμὸν παρωσάμενοι, ταῖς πρὸς ἀλλήλους ἀνεφλέγοντο φιλονεικίαις, αὐτὰ δὴ ταῦτα μόνα, τὰς ἔριδας, καὶ τὰς ἀπειλὰς, τόν τε ζῆλον, καὶ τὸ πρὸς ἀλλήλους ἔχθος, καὶ μῖσος ἐπαύξοντες, οἷά τε τυραννίδας τὰς φιλαρχίας ἐκθύμως διεκδικοῦντες.

1 Lib. *de Hær. Pel. et Semip.* c. vi. — 2 *Heb.* xx, 1.

vivis coloribus effigiem; quam εἰκόνα nominat, hoc est *imaginem;* uti Chrysostomus, Theodoretus, aliique interpretes consentiunt.

XII. Ita ergo terrenæ, et corporis propriæ res, ac commoditates, quibus pars legis utraque vel constabat, vel utebatur, (nam quæ cæremonialis dicitur, tota ex rebus istis conflata erat; quæ autem præcepta continebat, easdem in præmium ostentabat) illa, inquam, quæ idem Apostolus *elementa mundi* nuncupat [1], dona per Christum affutura, et sempiterna repræsentabant; ac propter involucra ista, lex Mosaica, Vetusque Testamentum *terrenum* et *carnale*, homines item, qui sub illo merebant, carnales, et terreni, quia *nondum propalata erat sanctorum via, adhuc priore tabernaculo habente statum; quæ parabola est instantis temporis* [2]; hoc est typus erat, et adumbratio ei, quod tunc currebat, accommodata tempori.

Quo sensu lex vetus carnalis.

Sic *veteri homini* serviisse lex illa cum dicitur, utcumque ferri potest, quoad figura tenus et significatione fecisse illud existimabitur. Sed quia *veteris hominis* appellatio, apud Apostolum probrosa est, ac deteriorem ad usum determinata; idcirco non satis prudenter, ac religiose Calvini hoc in loquendo soboles audebit assumere. Est enim homo vetus, qui *cum Christo crucifixus est* [3], cujus est proprium *corpus peccati*, id est ὁλόκληρος κακία *generalis nequitia*, ut interpretatur Chrysostomus; sive natura hominis concupiscentiis, ac vitiis irretita, ut Origenes ait. Cui instar corporis affingitur « vitiositas ex diversarum pravitatis partium contextu coagmentata [a], » inquit Chrysost. Primasius item *universitatem delictorum* vocat. « Unum vitium, ait, membrum est peccati; corpus vero universitas delictorum. » Et Basilius, « Vetus, inquit, homo cum dicitur, simul omnia singillatim peccata, labesque, tanquam membra propria, » significat [b]. Quamobrem status filiorum « Veteris Testamenti, vel Synagogæ, qua Synagoga est, ad sola veteris hominis bona diligenda » comparatus, ordinatusque esse, non satis caute, sobrieque dicitur; quoniam id præter voluntatem, ac destinatum consilium auctoris illius et legislatoris evenit, ut complures eorum, quibus datum erat, in solis hærentes umbris, ac terrenis rebus, nihil supra eas appeterent; nec ad illa, quorum significandorum, commendandorumque gratia proponebantur, capienda, et appetenda animos erigebant, *curvos in terram, et cœlestium inanes*. Ejusmodi autem fuere Christus, ac Novi Testamenti gratia, et illa ventura, promissaque bona, quæ per omnem fusa Scripturam in eorum conventibus, ac synagogis assidue resonabant. Hinc Paulus in sermone illo *exhortationis*, quem Antiochiæ Pisidiæ principum rogatu in synagoga Judæorum habuit, quique formulam quamdam, et exemplum exhibet concionum, ac lectionum earum, quæ in synagogis explicabantur, Judæos Hierosolymitanos incusat, quod *Christum ignorantes, et voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur* [4], illum repudiassent, et interfecissent. Ut appareat, in populo isto nunquam defuisse non modo prophetas, et sanctos viros, sed etiam ordinarios doctores, et magistros, ac legis interpretes qui umbras illas, ac terrenas imagines aperirent, et mysticas, quæ latent in eis, significationes, ac *spirituales* sensus exponerent, quibus Ecclesiæ fides aleretur, et ad intelligenda, desideranda, ac persequenda veriora bona promoveri posset. Quod ipsum tamen non propriis legis opibus, sed Christi meritis et gratia factum esse, jam supra meminimus.

Quid sit vetus homo.

XIII. Sed nec illud æquo animo patimur, quod histrioniam nescio quam mandant Testamenti Veteris populo, quem asserunt in eo ipso, quod vitioso, et execrabili mentis affectu *terrenis, et carnalibus bonis* inhiantes, Deo utcumque servirent, *quasi comœdiam*, et mimum *egisse, ac præfigurasse Novi Testamenti filios*. Quod valde ineptum est ac profanum commentum. Primum enim, quæ potest esse servitus, cultusque Dei in tanta pravitate cordis veneno noxiæ, ac pestiferæ cupiditatis imbuti? Deinde comœdia illa, et adumbratio futuri Testamenti, non ab iis instituta, et adscita fuit, qui actores illius erant. Quid enim agerent, nesciebant, utpote quos brutarum pecudum more nihil supra *carnalia*, et *terrena* spectasse, ex illis sumimus. Itaque tota fabulæ istius administratio, et οἰκονομία, et ad futurorum significationem applicatio auctori ipsi, ac veluti κωμοδιδασκάλῳ, tribuenda est Deo, qui illi præerat, et eam docebat; ac responsum illum,

Comœdiæ magistro.

a Chrys. Τὴν ἀπὸ διαφόρων μερῶν πονηρίας συγκειμένην πάλιν κακίαν.

b Basil. I *de Bapt.* cap. II. Ὁ γὰρ παλαιὸς ἄνθρωπος ὀνομασθεὶς πάντα ὁμοῦ τὰ κατὰ μέρος ἁμαρτήματά τε, καὶ μολύσματα, ὥσπερ μέλη ἑαυτοῦ δηλοῖ.

1 *Gal.* IV, 3; *Col.* II, 8 et 20. — 2 *Hebr.* IX, 8. — 3 *Rom.* VI, 6. — 4 *Act.* XIII.

et concordiam figurantium signorum, et verarum expressarumque rerum intelligebant. Quid autem summa illa bonitate, ac justitia fingi potest indignius, quam ab eo seri fabulam putare ex sceleribus et flagitiis, hoc est, tales ad rerum sanctissimarum adumbrationem studio expetitas, et inductas velut in scenam imitationes, ac figuras esse dicere; quæ per se ipsæ res erant turpes, et inhonestæ, ne sine gravi delicto peragerentur? Ut si quis scortationem in theatro vel parricidium exhiberi jubeat, nonne omnium sit execratione dignus? At hanc eamdem Deo personam nupera imponit ista theologia, quæ ab illo inhonestas, et nefarias terrenorum bonorum cupiditates, præmiorum talium illecebris dedita opera commotas, et accensas prædicat, ut in illis persequendis, et exercendis, honestarum, et laudabilium rerum significatio decurreret.

CAPUT XXIV.

De Mosaica lege, ac Veteri Testamento. Hujus sanctitas asseritur ex ipsis primum Scripturis tam veteribus, quam apostolicis. Circumcisionem in bonum finem a Deo præscriptam, ut et alia vetera mandata. Legem qua ratione malam appellent. Nihilominus absolute dicendam esse bonam. Ejus sanctitas ex evangelicis, et apostolicis testimoniis, ac Patrum sententiis asseveratur. Quæ in illa moralia sunt, esse perpetua, et in Novo Testamento perseverare. Quomodo Christus legem implevit, et perfecit. Judæi an peccata cogitationis solius intellexerint. Legem nonnisi externa peccata vetuisse proprie, et directe, quod ad pœnam attinet.

I. Postquam liquido compertæ, ac patefactæ sunt novorum Manichæorum præstigiæ, quibus legem veterem dedecorantes, simul conditorem illius infamant, dum eum *ex professo* dicunt, excitandæ malæ cupiditati faces, ac fomenta subjecisse; nunc adversus illos solitis armis, hoc est Scripturæ, ac Patrum antiquorum auctoritate pugnabimus. Quæ quidem arma, quatenus e Scriptura petuntur, eadem fere sunt, quibus Marcionitas, et Manichæos, ac cæteras labes Testamenti Veteris inimicas, catholica debellavit Ecclesia. Nisi quod eo major contra propaginem istorum certandi copia suppetit, quod Antiqui Testamenti libris uti ad illam oppugnandam licet, quos illi priores in totum abdicantes, ab hac controversia segregarunt; recentes vero istorum posteri nobiscum in canonicam auctoritatem accipiunt.

Quocirca primos omnium ad illorum retundendam insaniam adhibebimus Testamenti Veteris codices, in quibus lex ipsa Mose interprete data Judæis, et horum Ecclesia, id est Synagoga, ab illa calumnia defenditur, quam utique Nuperi Dogmatistæ capitalis, ac nefarius stylus aspersit. Id autem ratione, opinor, assequemur ista, si illam ipsam legem, qua Mosaica lex est, et Synagogam, Ecclesiamque Judaicam, qua Synagoga est, directe, et certo ex Dei consilio conditam, et institutam esse monstremus. Est enim boni, et honesti regula, voluntas Dei, qui nihil velle mali, nedum per se, ac recta designare, vel facere potest, aut ad volendum, faciendumve hortari alios et impellere; de quo alibi jam egimus [1]. Quare non potest vitiosa lex esse, nec implicata peccato, si eam Deus ex animo, ac certo studio mandavit; et cujusmodi eam tulit, observari diligenter, ac sedulo voluit; ita ut tum illius observatoribus qualiacumque præmia, tum violatoribus pœnas, ac supplicia decreverit.

Lex Mosaica qua Mosaica, Synagogaque Deum habent conditorem.

II. Ac si veteris Scripturæ testimonia persequi, ac percensere hic omnia velim, quibus probatur, ex animi sui sententia, destinatoque consilio, ac proposito, Deum condidisse Testamentum prius, legemque, quam observari cuperet, nec tantum vitandi gravioris mali causa permitteret, Judæis edidisse; nihil restabit aliud, nisi ut totam, quanta est, Scripturam illam hoc loco describam. Nam tota fere in commendationem legis istius, et cohortationem ad eam servandam insumitur. Quod ne faciam, paucissimas ex omnibus delibabo sententias, quæ cordi hanc legem Deo fuisse, et eo volente, ac jubente, et cumprimis servari cupiente, datam esse significant.

Etenim, cum nulla lex, nisi ex latoris imperio, ac voluntate, vim obligandi habeat, tum quam enixa voluntas sit illius, ex conceptione verborum, et formula interpretari solemus, præsertim si et ingentibus præmiis allicere cives ad observandi studium instituit, et gravissimis cavere pœnis, ne quid contra illam impune peccetur. Multo id vero magis apparet, si hoc non semel, iterumve, sed

[1] Tom. I, lib. VI, cap. v.

Nullam inculcandæ legis occasionem prætermisit Deus.

crebro, et identidem faciat, et insistat, nec ullam commendandi, et inculcandi occasionem omittat. Hoc vero Deus per Mosem in lege veteri magno, et assiduo, ac prorsus admirabili studio præstitit. Quod in *Deuteronomio* potissimum videre licet, ubi populum Judaicum tam frequenter, et continue ad legis, et Testamenti, ac mandatorum omnium curam, meditationem, tractationem, amorem, et observantiam excitat, nihil ut ipsos videatur cogitare aliud velle, atque in hac una sollicitudine dies noctesque esse defixos.

Et nunc Israel, inquit, *audi præcepta, et judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram*, etc. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Et paulo post : *Hæc est enim vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant : En populus sapiens, et intelligens, gens magna*, etc. *Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos tuos* [1] ? Hæccine lex *sapientia, et intellectus* esse populi, ac Synagogæ, et Ecclesiæ debuit, quæ *ex professo* nihil aliud ageret, nisi ut *terrenas*, et *carnales* ac *vitiosas cupiditates* doceret, ac præmiis eliceret? Aut ex ea *sapiens, et intelligens populus*, cæterisque gentibus spectabilis, et illustris potuit fieri, qui nihil ex ea, nisi peccandi, ac Deum offendendi *præmia*, *fomentaque* perciperet? Est enim hujusmodi sapientia, cujus magisterium, ac disciplinam Mosaicæ legi novorum Manichæorum natio tribuit, illa eadem, quam Apostolus Paulus, *prudentiam carnis* vocat, *sive sapientiam carnis;* quam et *mortem* esse dicit, *et inimicam Deo* [2]. *Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*[2], ait Jacobus.

III. Rursus in eodem *Deuteronomii* libro, *Audi, Israel, cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie, discite ea, et opere complete* [4]. Quod quid aliud est ex recenti fæce dogmatis, nisi *carnales* estote, et vitiosis indulgete cupiditatibus, ac Deum impune provocate, vosque ipsos in cœnum, ac sordes libidinum vestrarum, Deo ac lege mandante, projicite. Nam et istius mox alendæ, explendæque cupiditatis *pepigisse* cum illis *fœdus in Horeb Dominum Deum*, admonet, cujus pacti *sequestrem se, ac medium inter Dominum, et illos* [5], ait fuisse. Atque etiam postea Dominus ipse tales esse Judæos optat, quales facere lex ista moliebatur. *Quis det talem*, inquit, *eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore* [7]? Quæ, quidve imperantia mandata? Nempe quæ nihil, nisi *terrenas, et carnales cupiditates* ingenerant; iisque *ex professo fomenta et præmia promittunt:* ut ait Dogmatistes, qui et istiusmodi cupiditates Deo invisas, ac pravas, et damnabiles esse credit.

Capite vero sexto, Synagogam hortatus, *ut timeat Dominum Deum suum, et custodiat omnia mandata, et præcepta ejus* [7] : mox incredibili studio legis amorem, curamque commendat: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque, et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostiis domus tuæ* [8]. Et postea : *Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, et cæremonias, quas præcepit tibi, et fac, quod placitum est, et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi, et ingressus possideas terram optimam* [9], etc. Itane Dominus ac Deus rem unam vitio, peccatoque oblitam, et ad peccatum *ex professo* homines incitantem, ac « carnalium, terrenarum, malarum cupiditatum ex professo fomenta, præmiaque promittentem » non tulit modo congregationi isti carnalium hominum, sed tanto etiam opere, tantaque contentione inculcare studuit, ut eos scilicet *ex professo* magis carnales, terrenosque faceret? An vero *placitum, et bonum in conspectu Domini* esse potuit, « ut carnales homines essent, ut nulla nisi veteris hominis bona diligerent; nulla nisi ipsius mala metuerent? » Atqui si *ex professo* lex talia procurabat, si in eum finem nulla, nisi ejusmodi bona promittebat, nulla, nisi ejusmodi mala comminabatur, ut vitia illa cupiditatum acueret, aleret, foveret; quis aut istam dubitet, aut ejus conditorem in crimen, atque infamiam vocare?

Inde si lex mala, ejus conditor Deus in crimen vocatur.

IV. Non is est Deus, ac Dominus noster, quem nos christiani colimus; *non est volens iniquitatem* [10], *nec lætatur in perditione vivorum* [11], nedum in corruptela, et pravitate. Quid quod eamdem legem, eadem illa man-

1 *Deut.* IV, 1-6. — 2 *Rom.* VIII, 6. — 3 *Jac.* III, 15. — 4 *Deut.* cap. V, 1. — 5 Ibidem vers. 2. — 6 Ibidem, vers. 29. — 7 *Deut.* VI, 2. — 8 Ibidem, vers. 6. — 9 Ibidem, vers. 17. — 10 *Ps.* V, 5. — 11 *Sap.* I, 13.

data, præceptaque committens, obtemperare illis, vocat *circumcidere præputium cordis, et cervicem non indurare amplius*[1]? Estne ut veteris hominis nutricula, quæ « ex professo terrenas fovet cupiditates, » tale quippiam aut efficere possit; aut ad illud conferre, ac non impediat magis, et ne fiat obsistat?

Regem ecce, si quis populi votis expetitus, ac suffragiis electus fuerit, nihil prævertere jubet legis illius descriptioni, ac descriptæ lectioni, et studio. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba, et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt*[2]. Et eodem libro, *Præcepit tibi Dominus Deus tuus,* inquit, *ut facias mandata hæc, atque judicia, et custodias, et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua. Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus*, etc. *Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris*, etc. *Ut sis populus sanctus Domini Dei tui*[3]. Quid autem sanctitati magis adversum, quam affectus ille carnalis, *solis terrenis incubantis* animæ, et *propter illa sola colentis Deum;* cui ex diametro charitas repugnat? Quare, si lex ideo, et *ex professo* data est, ut affectum hujusmodi foveret, ac præmiis et terroribus eliceret, tantum abest, ut ad sanctos illos efficiendos, et ad jungendam cum Deo fœderis societatem utilis fuerit, ut vel maxime præpedire debuerit. Quippe cujus propositum, ac scopus esset, illam ingenerare, ac roborare, *quæ inimica Deo est, carnis sapientiam.*

V. Ad hæc, *facientibus universa mandata*, quæ in lege præcepta sunt, cum bonorum omnium abundantiam pollicetur, tum, *Revertetur,* inquit, *Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis*[4]. Librum quoque legis omnia illa præcepta, et promissa continentem, asservari in locos anctissimo, nempe in latere arcæ fœderis Domini, jubet[5].

Mortuo vero Mose, successori ejus Josue præcipit, *ut custodiat, et faciat omnem legem, quam præcepit ipsi Moses, ne declinet ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligat cuncta quæ agit. Non recedat volumen legis hujus,* inquit, *ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus : ut custodias, et facias omnia, quæ scripta sunt in eo*[6]. An Deus legem illam tanti facere, meditari perpetuo, ne transversum quidem unguem ab ea recedere, curas omnes, ac cogitationes habere defixas in illa, juberet, si nihil *ex professo*, nisi irritamenta concupiscentiæ, et apud Deum offensionis contineret?

Quid illa memorem legis Mosaicæ præconia, quæ in toto Psalterio, ac propheticis libris, reliquisque Veteris Testamenti passim audiuntur? Psalmus quidem nullus propemodum vacat ab illius laudatione, vel cohortatione ad eam meditandam, ac sequendam. Nec aliam legem designat, quam quæ per Mosem Judæis nuntiata est, et in sacris libris descripta, quam illorum majores auribus suis perceperant, non eximii tantummodo viri, ac prophetæ, sed etiam vulgares, ac rudes. *Notas enim fecit vias suas Mosi, filiis Israel voluntates suas*[7]. Omnium longissimus Psalmus, qui est centesimus decimus octavus, commatibus singulis unum illud versat, ac celebrat argumentum. Ac denique satis istud esse debet ad illam tutandam ab recenti calumnia, quod in tabulis lapideis digito Dei scripta dicitur, qui est Spiritus sanctus[8], quod in legis commendationem adnotavit Augustinus[9].

VI. Quocirca non illa præfracte, rigideque sunt accipienda, quæ de Judæis sacramentis, maxime de circumcisione, quidam veterum scripserunt; nullius boni usus gratia populo isti præscriptam illam fuisse, sed ad malum ejus, et infortunium. Qua hyperbole Justinus martyr utitur in dialogo, ubi loquitur sic: « Circumcisio, quam ab Abraamo accepistis, secundem carnem, in signum tradita est, quæ vos ab aliis gentibus, ac nobis ipsis discerneret. Tum ut ea soli pateremini, quæ nunc jure patimini; nec non ut *regiones vestræ desertæ fiant, ac civitates igne combustæ, et fructus vestros devorent alieni*[10], ac demum uti nemo vestrum Hierosolymam adeat. Nam nullo alio signo cæteris ab hominibus dignoscimini, nisi ab carnis vestræ circumcisione[a]. » Quem Justini locum, sicut alia complura Tertullianus expressit in libro *contra Judæos.* « Dari enim habebat, inquit, circumcisio, sed

a Just. *Dial.* Ἡ γὰρ ἀπὸ Ἀβραὰμ κατὰ σάρκα περιτομὴ εἰς σημεῖον ἐδόθη, ἵνα ἦτε ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐθνῶν καὶ ἡμῶν ἀφωρισμένοι· καὶ ἵνα μόνοι πάθητε ἃ νῦν ἐν δίκῃ πάσχετε. καὶ ἵνα γένωνται αἱ χῶραι ὑμῶν ἔρημοι,

1 *Deut.* x, 16. — 2 *Deut.* xvii, 18. — 3 *Deut.* xxvi, 16. — 4 *Deut.* xxx, 8. — 5 *Deut.* xxxi, 26.— 6 *Jos.* i, 7. — 7 *Psalm.* cii, 7. — 8 *Exod.* xxxi, 18; *Deut.* ix, 10.— 9 In *Psalm.* xc. — 10 *Isa.* i.

in signum ; unde Israel in novissimo tempore dignosci haberet, quando secundum sua merita in sanctam civitatem ingredi prohiberetur, per verba prophetarum dicentium : *Terra vestra deserta, civitates vestræ igni exustæ* [1], etc. Cujusmodi Patrum sententiæ itidem, ut pleræque in Scripturis, interpretandæ sunt, quæ eventum rei, et exitum tanquam causam illius afferre videntur. Ut cum ipse de se Christus ait : *In judicium ego in hunc mundum veni ; ut, qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant* [2]. Non enim ideo venit, ut videntes excæcentur, sed *eventum*, ut dixi, tanquam causam ac finem enuntiavit. Nempe « ut externa species se habet, et ut reipsa contingit [a], » ait Theophylactus. Eodem itaque modo circumcisionem illi dixerunt, ad Judæorum perniciem a Deo præscriptam fuisse, quod revera sic acciderit, etsi alius in illa, cæterisque ritibus ordinandis, legislatoris animus ac scopus fuerit.

Ad eamdem regulam accommodandum etiam illud videtur, quod apud Ezechielem Dominus dicit, *Ego dedi eis præcepta non bona, et judicia, in quibus non vivent* [3], si Hieronymi interpretationem sequimur, qui legem ibi Mosaicam, ac ritus significari putat : « Quod, postquam terram repromissionis intraverint, variis temporibus ob multa peccata, diversis traditi sunt gentibus, regibusque, et eo tempore, quæ natura sua bona erant, præcepta Domini, et judicia, in quibus possent viventes credere, facta sint eis non bona ; dum nequaquam valent in captivitate legis præcepta servare, et facere, quæ divinus sermo mandavit. »

At Gregorius papa præcepta illa *non bona*, id est *mala* vocari putat comparatione meliorum. « Mala enim, quasi mala esse desinunt comparatione pejorum, et bona quasi bona non sunt comparatione meliorum [4], etc. Ita melioribus Novi Testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona, quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur *. »

VII. Quapropter diversa ratione lex eadem Mosaica tum bona, tum mala dicitur. Mala quidem nonnisi ex accidenti, et eventu ipso, qui præter mentem conditoris incidit. Quoniam, *occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam* [5], etc. Item, *Et cum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.* Bonum vero per sese, et ex institutione, ac fine, quem in illa danda ejus sibi auctor ipse præfixit. Etenim bonitas legis, quæ *moralis* dici consuevit, ab eo sumitur opere quod faciendum præcipit, et ad quod ex voluntate latoris, ac certo consilio dirigitur, nec ex eo qualitas illius æstimanda est, quod præter conditoris oppositum, improbitate fit, ac malo eorum usu, quibus est edita. Quare bona est absolute dicenda lex, ut et Apostolus ibidem docet. *Lex quidem*, ait, *sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* [6]. Et alibi : *Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur* [7]. Tum, ut idem scribit, *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato* [8]. De quo loco agens Augustinus, « Lex enim, ait, non est corporalis, non est carnalis. Sed, quoniam Deus spiritus est, qui legem dedit, procul dubio lex spirtialis est [9]. » Qui locus insignis est, et novæ opinionis fuliginem discutit. Ac *spiritualis* vox non tam naturam ipsam, et ut ita dixerim, substantiam vel Dei, vel legis ipsius significat, quam *moralem*, ut itidem nominant utriusque qualitatem, hoc est sanctitatem ; quemadmodum et vocabulum *carnalis*, quod illi ex adverso ponitur, non οὐσίαν ipsam, sed vitiositatem exprimit. Sic enim *spiritus*, et *caro*, tum *carnale*, ac *spirituale* invicem contraria sunt, non natura, verum affectione. Ex quo argumentum Augustini conformari sic potest, legem ideo *spiritualem*, hoc est bonam, ac sanctam esse, sive idcirco, quæ bona, et sancta sunt, adeoque spiritualia, jubere ; neque

Diversa ratione lex bona et mala dicitur.

Substantiam.

καὶ αἱ πόλεις πυρίκαυστοι, καὶ τοὺς καρποὺς ἐνώπιον ὑμῶν κατεσθίωσιν ἀλλότριοι, καὶ μηδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐπιβαίνῃ εἰς τὴν Ἰερουσαλὴμ· οὐ γὰρ ἐξ ἄλλου τινὸς γνωρίζεσθε παρὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ἢ ἀπὸ τῆς ἐν σαρκὶ ὑμῶν περιτομῆς.

a Theoph. Ὡς ἔοικε, καὶ ὡς ἀποβαίνει τὰ πράγματα.

* Non modo cæremoniæ Judaicæ, si conferantur cum christianæ sanctitatis præceptis, erunt instituta *non bona*, hoc est nulla naturali sanctitate ac honestate prædita, quippe quæ in se spectata nihil facerent ad veram virtutem ; sed etiam leges aliæ, quibus Deus non præcepit quidem, sed toleravit vitia Judæorum, qualis fuit repudiandæ uxoris libido, qua Deus non interdixit propter eorum σκληροκαρδίαν *duritiam cordis* ut docet Christus *Matth.* XIX, 8. Sed propter ea lex dici non potuit *mala*, verum *minus perfecta*, si conferatur cum Evangelio. *TH. ALETHINUS.*

1 Cap. III. — 2 *Joan.* IX, 39. — 3 *Ezech.* XX, 15. — 4 Lib. XXVIII *Moral.* cap. VIII, vel XVII. — 5 *Rom.* VII, 8. — 6 *Rom.* VII, 12. — 7 I *Timoth.* I, 8. — 8 *Rom.* VII. — 9 Serm. XII *de Verb. Ap.* cap. I.

malam esse, ac *carnalem*, hoc est *mala*, et *carnalia* præscribere, quoniam auctor illius, institutorque Deus est, qui est *spiritus*, non eatenus, quod substantia talis est. Non enim consequens hoc esset, si ea notione *spiritum* usurparet Augustinus, cum et corporum sit ipse procreator, ac Manichæorum proprium hoc flagitium fuerit, negare, corporum conditorem esse Deum. Verum spiritus, ut dixi, idem est, ac sanctus, sive sanctitas, vel *spiritualis*, ac, si ita loqui fas esset, *spiritualitas*. Hinc enim adversus Manichæos, Calvinianosque recte concluditur ab Augustino, non malam legem, sed sanctam, ac spiritualem esse, quod a sancto, ac spiritali legislatore sancita est. Quod si vere a nobis paulo ante collectum est, legem esse sanctam, quia sanctum est, quod jubet, quodque recta, et ex professo imperat; profecto fieri nequit, ut opus ullum per se vitiosum, ac malum præcipiat. Itaque fraterculi Calvini, dum illam ipsam legem Mosaicam terrenum, *carnalem*, et vitiosum amorem temporalium rerum « ex professo præmiis, ac fomentis » incitasse prædicant, *ex professo*, malam eamdem fuisse et a Deo nihilominus latam ac profectam, non sine horrenda blasphemia testantur. Quanto melius Augustinus[1]: « Lex, inquit, spiritualis est, nec carnaliter se cogit intelligi. Sed illorum vitium est, qui et illa, quæ acceperunt, carnaliter sentiunt, et multa etiam sua tradiderunt, *dissolventes*, sicut Dominus dicit, *mandatum Dei propter traditiones suas*[2]?

Lex in Evangelio commendata.

VIII. Licet idem animadvertere de bonitate, ac sanctitate legis; in ea, quæ jubet, aut vetat intuentem, quæ quidem bona sunt ipsa, et magnarum officia virtutum. Dictum est autem, legis nomine in hac quæstione, ubi cum gratia componitur, *Decalogum* maxime significari. Porro *Decalogi* summam ad duo capita Christus ipse redegit, legisperito respondens interroganti, *quod esset mandatum magnum in lege*, cum Dei nominavit, ac proximi dilectionem. *In his*, inquit, *duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ*[3]. Alias autem fusius, ac singillatim illa omnia mandata percenset, cum adolescens ille sciscitaretur : *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* cui Christus : *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata*[4]. Tum singula ordine commemorat. Ergo ejusmodi erant mandata legis, et hoc ex instituto, et latoris intentione, ac consilio, id est *ex professo* spectabat ipsa, ut ad vitam æternam, ac salutem perduceret; idque si minus in plerisque consecuta est, non eo contigit, quod vel mali aliquid, et alieni ab salute præciperet, vel legi subjuncta, supraque captum ejus, ac meritum impensa Christi gratia deesset, verum improbitate, culpaque factum est eorum, qui oblatis adminiculis recte uti noluerunt, ac medicinam verterunt in perniciem. Sic *inventum est illis mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem*[5]. Et Augustinus, « *Lex quidem*, ait, *sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Jubenda enim jubet, et prohibenda prohibet. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* In male utente quippe vitium est, non in mandato ipso, quod bonum est[6]. » Quocirca nonnisi bona, et honesta jubebat lex; ideoque nonnisi bona erat, et sancta. Quod profecto non esset, si *ex professo* carnalem, ac terrenum mentis aleret affectum, eique pabula et fomenta ministraret. Nihil enim aliud istud est, quam concupiscentiæ frena laxare, eamque dedita opera, ac de industria roborare ; imo ut illi obsequerentur, et impune satisfacerent, hortari, imperare, præmiis, ac minis impellere.

Nonnisi bona et sancta jubebat lex.

IX. Atqui tantum abest, ut ad concupiscentiam acuendam, et armandam consulto, et, ut Calviniana manus occinit, *ex professo* comparata lex fuerit, ut contra ipsam, et ad eam comprimendam, ac, quoad ejus esset, extinguendam, Deus illam tradiderit. Nam præcipuum legis mandatum, et in quod conspirabant, aut inclusa erant cætera, illud est, quo concupiscentia prohibetur, cum dicitur, *Non concupisces*. « Cum enim dicitur, *Non concupisces*, apertissimum saluberrimumque præceptum est, ait Augustinus[7], quod si quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam, quo cuncta complexus est, tanquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait : *Non concupisces*. Neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur. Proinde quæ hoc præcipit, bona, et laudabilis lex est. » Itaque, cum lex vetus concupiscere prohibet, omne peccati genus interdicit, adeoque virtutum omnium officia præcipit, quæ sunt illi contraria. Non igitur malum jubet, non istam ipsam *fovet ex professo* concupiscentiam. Quod ex Manichæorum dogmate

1 Aug. in *Expos. ep. ad Galat.* sub init. — 2 *Matth.* xv. — 3 *Matth.* xxii, 36. — 4 *Matth.* xix, 16.— 5 *Rom.* vii, 10. — 6 Lib. I *ad Simpl.* qu. i. — 7 Lib. *de Spirit. et lit.* cap. iv; cit, a Beda in cap. viii epistol. *ad Rom.*

consequens, Augustinus acriter redarguit, ac sæpenumero legis id esse proprium docet, ut et concupiscentiam vetet, et eam vetando faciat agnosci. Cujus generis testimonia multa congessit Beda in commentariis ad epistolam Pauli *ad Romanos*. Ut hæc sunt inter alia : « Minor erat concupiscentia, quando ante legem securus peccabas. Nunc autem oppositis tibi obicibus legis, fluvius concupiscentiæ frenatus est, non siccatus. Quæ te ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiscentia tua minor erat, quando tuam movebat libidinem; omnis est, quando transcendit legem.» Et postea: « Recipe mandatum. Scito, esse arma, non quibus te occidat; sed quibus a te occidatur inimicus [1], » etc.

X. Plurimum quoque valet ad purgandam legem, et novam retundendam calumniam, quod tum ex istis sequitur, tum ab Augustino, aliisque Patribus non raro ponitur, eadem in utraque lege nova, et antiqua fuisse præcepta. Docet hoc imprimis Irenæus, et « in lege, inquit, et in Evangelio, cum sit primum; et maximum præceptum, diligere Dominum Deum ex toto corde; dehinc simile illi, diligere proximum sicut seipsum; unus, et idem ostenditur legis, et Evangelii conditor. Consummatæ enim vitæ præcepta in utroque testamento cum sint eadem, eumdem ostenderunt Deum, qui particularia quidem præcepta utriusque præcepit; sed eminentiora, et summa, sine quibus salvari non potest, in utroque eadem suasit [2]. » Præstantissimus de hac re locus est Augustini, in quo Manichæos, legem Mosaicam bona præcipere, quod idem est ac bonam esse negantes, hujusmodi argumentum circumcludit. « Nonne animadverterunt, inquit, hæc ipsa duo, quæ laudare coguntur, quam importunissime a Domino in Evangelio de Vetere Testamento esse prolata negent, ubi scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua;* vel illud alterum: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* [3]? Aut si hæc negare non audent, premuntur enim luce veritatis, illud negare audeant, salubria esse ista præcepta, his mores optimos contineri, negent si possunt, et dicant, non oportere Deum diligi, non oportere proximum diligi, neque diligentibus Deum omnia procedere in bonum, neque dilectionem proximi malum non operari, quibus duobus saluberrime, atque optime humana vita disponitur. Quæ si dicunt, non solum illis cum Christianis, sed ne cum hominibus quidem ratio est. Sin hæc dicere non audent coguntur que confiteri esse divina, quid eos libros, unde ista prolata sunt, impietate nefaria lacessere, atque improbare non desinunt? [4] »

Quæ ad mores attinent eadem in veteri ac in nova lege.

Sic idem in *Expositione epistolæ ad Galatas*, « opera legis bipartita esse scribit. Nam partim in sacramentis, partim in moribus accipiuntur. Ad sacramenta pertinent circumcisio carnis, sabbatum temporale, neomeniæ, sacrificia, atque omnes hujusmodi innumeræ observationes. Ad mores autem : *Non occides; Non mœchaberis; Non falsum testimonium dices;* et talia cætera. Numquidnam ergo Apostolus ita non potest curare, utrum Christianus homicida, aut mœchus sit, an castus, atque innocens, quemadmodum non curat, utrum circumcisus carne, an præputiatus sit? » Ergo illa, quæ ad mores attinent in lege veteri, eadem in nova perseverant, ac jubentur.

XI. Verum uberius, atque expressius idipsum tractavit in libro *contra Faustum Manichæum* XIX, in quo docet, quemadmodum legem Christus non solvit, sed adimplevit; ac subinde ait « omnia, vel pene omnia, quæ monuit, seu præcepit Christus, ubi adjungebat; *Ego autem dico vobis*, inveniri et in illis veteribus libris [5]. » Atqui christianæ, novæque capita legis, quæ ad mores spectant, omnia fere, vel præcipua saltem, illo in Christi sermone continentur, quem in monte habuit [6], unde Augustinus illa refert. Ac quid novi ibi Christus præcepti dederit, et quemadmodum priscam legem impleverit, quod se fecisse profitetur; quid, inquam, addendo, vel detrahendo, christianam ex Judaica fecerit, non tam liquido constat. Et sunt antiquorum aliqui, qui complementum legis in eo statuunt, quod, cum Judæi putarent illa tantum esse peccata, quæ reipsa, et opere, non quæ voluntate sola committuntur, Christus etiam interiora voluntatis ipsius delicta vetuerit. Ita Irenæus, qui *adversus Marcionitas*, aliosque Testamenti Veteris hostes demonstrat, Christum « non dissolvisse legem, sed extendisse, et implesse quod non tantum abstinere a malis operibus » jussit, quod unum lex illa mandabat, « sed etiam a concupiscentiis eorum [8]. » Tum etiam adjunctis iis quæ *consilii*, non *præcepti* esse vulgo dicuntur, legem perfecit.

Juxta veteres aliquos Christus legem perfecit, peccata solæ voluntatis vetando.

1 Ut ad c. VIII. — 2 Lib. IV, c. XXVI. — 3 *Deut.* VI, 5. — 4 Aug. I *de Morib. Eccl.* c. XXVIII. — 5 Aug. XIX *contra Faust.* c. XXVIII. — 6 *Matth.* V. — 7 Lib. IV, cap. XXVII.

« Quia igitur naturalia omnia præcepta communia sunt nobis, et illis; in illis quidem initium et ortum habuerunt, in nobis augmentum, et adimpletionem perceperunt. » Tertullianus item, « Denique Dominus, ait, quemadmodum se adjectionem legi superstruere demonstrat, nisi et voluntatis interdicendo delicta ? »

Augustinus quoque, sicut et Irenæus dupliciter *legem adimplevisse* Christum asserit, tum interioribus peccatis, tum licitis alioqui factis *consilii* modo prohibendis. « Quia enim non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, per quam vita privaretur, aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari, etc. Et quoniam putabant, tantummodo corporalem cum femina illicitam commixtionem vocari mœchiam, demonstravit magister, etiam talem concupiscentiam nihil esse aliud [1]. » Hæc sunt exempla peccatorum, quæ cogitatione perpetrantur. Ad consilia pertinet illud de non jurando penitus; cum tamen « Apostolus in Scripturis pluribus locis jurasse inveniatur, ne quisquam putaret, etiam verum jurando peccari; sed potius intelligeret, humanæ fragilitatis corda non jurando tutius a perjurio conservari. »

XII. Neque vero sic illud intellexerim, quod Patres isti, aliique dicunt, cogitationis peccata primum a Christo fuisse prohibita; tanquam Judæis omnibus persuasum fuerit, nullum, nisi reipsa commissum, externumque

Probabile est Judæos non omnino rudes pravas cogitationes pro peccatis habuisse.

esse peccatum. Nam plerosque, saltem non omnino rudes, ac plebeios arbitror, etiam malas cogitationes, ac voluntates pro peccatis agnovisse. Quanquam Josephus alicubi, nisi fallor, hoc errore contactus videtur. Sed non est credibile, paulolum eruditos in lege istud ignorasse. Certe rabbi Moses Maiemonides diserte asserit, lege prohibitas etiam pravas cogitationes. « Omnem, ait, cogitationem, quæ impellere hominem potest, ut caput aliquod e fundamentis legis convellat, ut ne ad cor admittamus, admonemur [a]; » cujus rationem fuse deinceps edisserit.

Quocirca Christus legem ideo perfecisse dicitur, quod, quæ in illa diserte non erant expressa, sed obscure comprehendebantur, explicarit, ac nominatim taxaverit. Meminerimus ejus, quod supra demonstravimus ex Apostolo, legis Judaicæ propriam, et οὐσιώδη rationem qua ab nova distinguitur, in eo sitam esse, quod mandatorum suorum violatoribus pœnas infligat; ut sit pœna et animadversio vis tota legis istius. Cum igitur tacitis, occultisque criminibus, quæ sola voluntate, non externa actione suscipiuntur, nulla sit pœna lege constituta; ex adventu, doctrinaque Christi hæc ad illam facta est accessio, ut aperte ac distincte illa prohiberentur, nulla tamen adhibita cautione, ac sanctione pœnæ temporalis, ac mortis, cujus metus affectu servili animos occupabat. Ergo lex Mosaica præcise considerata, exterius tantummodo commissum delictum notabat,

Christus quod erat in lege implicitum clarius explicavit.

ac pœna coercebat; Christus vero, quod in ea implicatum, et occultum latebat, clare, ac distincte prodidit. Alioquin enim vere illud a sancto Thoma proditum est, legem veterem, quod ad ea capita spectat, quæ *moralia* dicuntur [2], id est quæ ad mores, ac virtutum officia referuntur esse sempiternam, nec a Christo, quod et ipsemet profitetur, abolitam fuisse [3].

XIII. A quo insuper adjunctum illud est, ut pro vitæ hujus commodis, aut malis, quorum spe, ac timore lex vetus in officio continebat suos, cœlestis regni præmium, et fructum charitatis ostenderet. « Quia revera, sicut omnia ista præcepta sublimia nec in illis libris veteribus desunt, ita illic finis, quo referantur, occultus est; quamvis secundum eum viverent sancti, qui futuram ejus revelationem videbant, et pro temporum proprietate, vel prophetice regebant, vel prophetice tectum sapienter intelligebant [4], » ut ait Augustinus. Qui et alibi scribit, « hoc distare a Vetere Testamentum Novum, quod per novum scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est [5]. »

Sed et illud ejusdem luculentum est, quod ex Apostolo refert, in charitate, ac dilectione *recapitulari omnia mandata legis* [6]. Unde colligit, « manifestum esse, etiam illam Scripturam, quæ priori populo data est, legem

a Rambam in *Jad.* tr. *de Idol.* cap. II. כל מחשבה שהוא גורם לו לאדם לעקור עקר מעקרי התורה מוזהרין אנו שלא להעלותה על לבנו.

1 Lib. XIX *contra Faust.* cap. XXIII. — 2 In I, II q. CIII, ar. 1, ad 1. — 3 *Matth.* V. — 4 Aug. XIX *cont. Faust.* cap. XXX. — 5 Lib. *de Spir. et lit.* cap. XXVIII. — 6 *Rom.* XIII, 9.

Christi esse, quam venit implere charitate, quæ non implebatur timore[1]. » Idem etiam in tractatu IV *in Joannem*, eadem Judæis, quæ nobis, præcepta esse dicit; sed diversa utrisque promissa esse præmia. Tum in enarratione *ad Psalmum* LVIII nihil in lege Mosaica, quod ad mores attinet, mandatum esse dicit, quod non ex naturæ lege ante homines intelligerent : « Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit : Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est ; ut esset, unde judicarentur, et quibus lex non esset data. Sed, ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim et scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur ; et quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est, etc. Sed quia homines appetentes ea, quæ foris sunt, etiam a seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex ; non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo, qui ubique est, comprehenderis, et ad teipsum intro revocaris. »

XIV. Huic egregie Novatianus adstipulatur in libro *de Cibis Judaicis:* ubi « legem ait ad hoc filiis Israel datam ut per illam proficerent, et redirent ad mores bonos, quos cum patribus accepissent in Ægypto, quos propter consuetudinem barbaræ gentis corruperant. Denique et decem sermones illi in tabulis nihil novum docent, sed, quod oblitteratum fuerat, admonent, ut justitia in illis ignium more, quasi afflatu quodam legis, sopita recalescat. »

Tertullianus denique, « Operum, inquit, juga rejecta sunt, non disciplinarum. Libertas in Christo non fecit innocentiæ injuriam. Manet lex tota pietatis, sanctitatis, humanitatis, veritatis, castitatis, justitiæ, misericordiæ, benevolentiæ, pudicitiæ[2]. »

Nimium itaque constat, legem veterem nullum præcepisse, etiam quatenus propria sua conditione, ac differentia ab nova lege secernitur ; neque *ex professo* ad pravitatem ullius operis incitasse, vel illexisse blandiendo, aut minitando compulisse. Alioqui non sancta, sed profana, non spiritualis sed carnalis vocanda fuisset ; nec ad salutem, et adjumentum data populo esset illi, sed ad interitum, et exitium animorum, quantumvis eo levius foret, cujus devitandi gratia concessam illam putant Calviniani dogmatistæ ; nimirum ut ne ad idola decurrerent. Postremo non illam *adimplevisse*, aut *perfecisse* Christus diceretur, sed extinxisse, ac funditus sustulisse, ut quæ non minus bona, non perfecta, sed mala et damnanda censeretur, quia per se, ac directe, et *ex professo* malam, et damnandam cupiditatem aleret, foveret, inflammaret.

CAPUT XXV.

De fine ac scopo, quem in danda lege Deus sibi proposuit. Hunc esse maxime duplicem, quorum prior est ad cavenda peccata, nec non ad eadem cognoscenda, et iis cognitis implorandam gratiam : hoc est quod ait Apostolus, propter trangressiones. *Quomodo ex accidenti factum est, ut lex majoris occcasio peccati fuerit. Quod sic explicant Scripturæ, quasi ob id data sit, ut homines peccarent. Ex quo refellitur quorumdam falsus, et impius error, nullam cum lege sufficientem ad eam servandam oblatam esse gratiam asserentium. Finis legis, qui propter transgressiones dicitur, trifariam patet, Quo sensu Scriptura dicit Deum conclusisse omnia sub peccato.*

I. Legis bonitas, ut supra jam monuimus, duobus ex principiis oritur ; quorum unum est opus ipsum, quod præscribitur ; alterum finis legis, ac scopus quem præ oculis habet illius conditor, et ad quem eos, qui legi subjecti sunt, data opera conatur adducere. Horum quod prius est, in veteri fuisse lege, hactenus ostendimus. Nimirum, quidquid illa præcipiebat, id justum, honestum, ac sanctum fuisse, maxime quatenus cupiditatem, sive concupiscentiam, quæ utique est mala, prohibebat. « Quid enim tam sanctum, ait Augustinus, quam non concupisces? Non esset mala legis prævaricatio, nisi ipsa esset bona. Si enim non esset bona, non esset malum prævaricari rem malam. Quia vero malum est eam prævaricari, ergo bona est. Quid tam bonum, quam non concupisces ? *Lex ergo sancta et mandatum sanctum, et justum et bonum.* Quomodo satiat? quomodo inculcat? quasi contra calumniatores clamat.

1 Aug. in *Expos. ep. ad Gal.* — 2 Lib. *de Pud.* cap. VI.

Quid dicis Manichæe? Lex, quæ data est per Moysen, mala est? Mala est, dicunt. O portenta, o frontem! Tunc dixisti semel mala? Audi Apostolum dicentem, *Lex quidem sancta*[1]. » etc. Qui locus non solum contra Manichæos, sed etiam adversus horum, et Calvini propaginem decretorius est. Siquidem legem ideo justam et sanctam esse, et ab Apostolo vocari asserit Augustinus, quoniam nihil præcipit, nisi bonum, justum, et sanctum. At isti recentiores legem dictitant « carnalis et terrenæ cupiditatis vitium ex professo fovere; » unde fit consequens, eam esse malam; sed de hac parte, capite superiori fuse disputavimus.

II. Nunc de fine, ac scopo, quem in danda lege sibi præstituit Deus, adhuc disserendum est; etsi non pauca de ea quoque re dicta sunt hactenus. Sed pressius, et enucleatius eadem explicanda est modo, ut et legis naturam, ac proprietatem melius intelligamus, et novæ opinionis calumnias, ac præstigias ab illa propulsemus.

Lex in auxilium data populo Judaico.

Legem *in auxilium datam esse* Judaico populo, quod ex Isaia propheta Græci Patres non raro commemorant [2], primum universe, si de fine quæritur, respondere possumus. Quem Isaiæ locum, qui apud Septuaginta legitur, etsi de nova, et christiana lege Cyrillus exposuit, et Procopius, tamen de Mosaica quoque intelligendum esse, alii significant, ut Hieronymus. Nec aliud tota ipsa vetus, ac nova Scriptura personat, quam ad commodum, et præsidium Judaici populi legem ei tributam fuisse. Ex quo singulare gentis illius ornamentum, ac decus extitisse, Moses sæpius, ac prophetæ omnes prædicant. *Qui annuntiat*, inquit, *verbum suum Jacob, justitias, et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi*[3], etc.

Sed, ne infinita in illa dote legis moremur, et ut specialem ejus finem aliquem afferamus, hunc ipsum nobis et quidem duplicem Apostolus indicat, cum ait, *Legem propter transgressiones positam esse*[4]. Deinde, *Prius autem, quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur*[5].

Lex data propter transgressiones duplici sensu. Prior sensus communis Patrum.

III. Prior finis cum *propter transgressiones* lex data esse dicitur, duobus itidem modis exponitur. Unus est Augustini, de quo post. Alter cæterorum fere Patrum, quem his verbis declarat Chrysostomus, « Ut ne, inquit, Judæis liceret pro arbitrio vivere, et in extremam delabi nequitiam, sed ut pro freno lex illis imponeretur, erudiens ipsos, componens, prohibens transgredi, si non omnia, certe vel unum aliquod ex præceptis[a]. » Et Photius: « Non frustra data est, inquit, verum ideo, ne quod Deo placitum est, transgrederentur, ut vel exigua delicta prohibeat[b]. » Porro, cum Græce pro eo, quod Latine *lex posita* dicitur, scriptum sit προσετέθη, hoc est *addita est*, inde Photius adnotat « significari legem non esse primitivam, (hoc est primario, suique gratia expetitam,) quemadmodum promissiones sunt; verum tanquam accessionis loco datam fuisse [c]. » Idem et Theophylactus observat, « Legem non præcipue, ac prima intentione datam esse, sicut promissiones, sed velut appositam propter multas transgressiones, ut vel paucas prohiberet [d]. » Sic Hieronymus in commentario ad illam epistolam, « Propter transgressiones, inquit. Post offensam enim in eremo populi, post adoratum vitulum, et murmur in Dominum, lex transgressiones prohibitura successit. *Justo quippe lex non est posita*[6], iniquis autem, et non subjectis, impiis, et peccatoribus. Et ut altius repetam, post idololatriam, cui in Ægypto fuerant mancipati ita ut Deum patrum suorum oblivisceretur, et deinceps dicerent, isti sunt dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti; ritus colendi Deum, et delinquentium pœna sancita est. » Quæ Hieronymi interpretatio aptissima est et ad illud M. Catonis apud Titum Livium convenit;

a Chrys. in epist. *ad Gal.* Ἵνα μὴ ἐξῇ Ἰουδαίοις ἀδεῶς ζῇν, καὶ εἰς ἔσχατον ἐξολισθαίνειν κακίας· ἀλλ' ἀντὶ χαλινοῦ ὁ νόμος αὐτοῖς ἐπικείμενος ᾖ παιδεύων, ῥυθμίζων, κωλύων παραβαίνειν, εἰ καὶ μὴ πάσας, ἀλλ' ὅμως κἂν ἐκ μιᾶς τῶν ἐντολῶν.

b Phot. apud OEcum. Οὐκ εἰκῇ ἐδόθη, φησὶν, ἀλλ' ἵνα μὴ παραβαίνηται τὸ δοκοῦν τῷ θεῷ, ἵνα κἂν ὀλίγας πλημμελείας κωλύῃ.

c Ibid. Καλῶς τὸ, προσετέθη· ἵνα δείξῃ τὸν νόμον μὴ ὄντα πρωτότυπον, ὥσπερ αἱ ἐπαγγελίαι εἰσὶν, ἀλλ' ἐξ ἐπιγενομένου τινὸς δόθεντα.

d Theophyl. Ἵνα δείξῃ τὸν νόμον μὴ προηγουμένως δοθέντα, ὥσπερ αἱ ἐπαγγελίαι· ἀλλ' οἷον παρατεθέντα διὰ τὰς πολλὰς παραβάσεις· ἵνα κἂν ὀλίγας κωλύῃ.

1 In ser. in epist. *ad Rom.* apud Bed. in cap. VIII *ad Rom.* — 2 *Isa.* VIII, 20 apud LXX. — 3 *Ps.* CXLVII. — *Gal.* II, 19
5 Ibid. vers. 13. — 6 I *Timoth.* I, 9.

« Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges, quæ iis modum facerent[1]. » Et Æschines, « Ex eo quod, inquit, nonnulla præter fas geruntur, inde leges a majoribus constitutæ sunt [a]. » Tacitus item in *Annal.* XV. « Usu probatum est leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni, etc. Nam culpa, quam pœna tempore prior; emendari quam peccare posterius est. » Atque hoc ipsum est, quod ex Augustino paulo ante affatim ingessimus: legem in id potissimum incubuisse, et eo consilio datam esse, ut cupiditati sive concupiscentiæ modum adhiberet. Tum aliud etiam, quod posuimus, confirmat Hieronymus, cum ait *delinquentium pœnam sancitam esse* post effusam cupiditatem, et admissa gravia peccata. Quibus indicat, legis vim, et qualitatem in pœnarum inflictione, ac severitate coercitionis esse positam.

IV. Sed ambo legis officia, quorum data est gratia, paucis complexus est Hieronymo falso inscriptus alter commentarius. « Propterea data est, inquit, ut nos non transgredi vel cogeret, vel doceret, usque dum Christus veniret. »

Sic, qui Ambrosio tribuitur, commentarius « auxilium per legem provisum homini » dicit[2]. Quod auxilii genus explicat Justinus in dialogo; et in idem fere cum Hieronymo, ac Græcis proxime ante commemoratis incidit. Nam « propter duritiam cordis, inquit, populi vestri cuncta id genus mandata intelligitis Deum vobis per Mosem præcepisse; ut per complura ista præcepta Deum in omni actione præ oculis habeatis, ac neque injuste, neque impie facere inciperetis[b]. » Quem locum Tertullianus copiose pertractat in libro secundo *adversus Marcionem*, ubi legem Mosaicam, ejusque mandata singula, utilissima populo isti fuisse probat, et magnas ei opportunitates attulisse[3]. Ac « legem, ait, istam non duritia promulgavit auctoris sed ratio summæ benignitatis populi potius duritiam edomantis, et rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis[4]. » Irenæus autem vinculi instar fuisse dicit, quo a peccatis retinebantur.

Neque vero, quod illi Patres de lege dicunt, in auxilium Judæis eam esse latam, et ad frenandam cupiditatem, vitandumque peccatum, sic est accipiendum, tanquam vim hujusmodi lex habuerit, ac tantum homini tribuerit, ut sine alio Dei præsidio peccatum vincere, ac cupiditates frangere, et perdomare posset. Non ita est; neque hoc per sese præstare lex poterat, et ad hoc efficiendum necessariam habuit gratiam Dei, Christi meritis velut in antecessum erogatam. Verum illa non repente cumulata, et perfecta repræsentabatur, sed pro captu cujusque, ac statu animi conveniens, et sufficiens erat, ut si eam sequerentur, paulatim ultra provehi possent, et uberiorem ejus nacti copiam, legis mandata perficere. Quocirca primum rudis, et *initialis*, ut sic loquar, aspirabatur ad illos excitandos et alliciendos; cujusmodi servili eorum congruebat ingenio, et ad terrenorum bonorum pollicitationes, vel malorum comminationes sese temperabat. Quæ quomodo citra peccati affectum consistere potuerit, paulo post dicam.

V. Sed hæc *justitia fidei*, hoc est perfecta illa pro captu temporum legis observatio, non ex lege, sed ex adjuncto legi gratuito Dei auxilio proveniens, « quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia, et gratia Dei, non erat popularis, antequam Dominus homo inter homines nasceretur, » ut ait Augustinus. Quare « paucissimos ibidem ait fuisse, qui ex Domini fide, per prophetiam adventus ejus salutem gratiæ perceperunt[5], » sed et in nova lege, ac post Christi adventum *paucos esse* nihilominus asserit, *quia via angusta paucorum est*. Tum ergo, præter paucissimos illos, maxima pars hominum legis istis vinculis, ac repagulis coerceri, continerique non potuit. Sed obstantia omnia vicit, et perrupit effrenata cupiditas, ac velut torrens opposita mole collectus, et altius intumescens, obicibus ruptis, rapidiore cursu per prona provolvitur, ita concupiscentia ab vetante licet, ac minante lege, peccati velut admonita, hujus cupiditate vehementius exarsit, ac majori se impetu in omne voluptatum, ac libidinum genus effudit. Ex quo factum est, ut præter legislatoris con-

Legi gratia adjuncta.

a Æsch. Orat. *cont. Timar.* Ἐκ γὰρ τοῦ πράττεσθαί τινα ὧν οὐ προσῆκεν, ἐκ τούτου τοὺς νόμους ἔθεντο οἱ παλαιοί.

b Just. Dial. Διὰ τὸ σκληροκάρδιον τοῦ λαοῦ ὑμῶν πάντα τὰ τοιαῦτα ἐντάλματα νοεῖτε τὸν θεὸν διὰ Μωσέως ἐντειλάμενον ὑμῖν, ἵνα διὰ πολλῶν τούτων ἐν πάσῃ πράξει πρὸ ὀφθαλμῶν ἀεὶ ἔχητε τὸν θεόν, καὶ μήτε ἀδικεῖν, μήτε ἀσεβεῖν ἄρχησθε.

1 Dec. IV, lib. IV. — 2 In cap. VIII, 8 *ad Rom.* — 3 Cap. XVII et seq. — 4 Lib. IV, cap. XXVII. — 5 In *Expos. ep. ad Gal.*

silium, ac propositum, non eum usum, et exitum haberet in plerisque lex, quem ille destinaverat; ut per adjuncta ipsi prima, et inchoata subsidia gratiæ, pedetentim ad perfectam justitiam eniterentur. Quare nihil amplius ex lege consecuti sunt, sua utique, non illius culpa, quam ut peccatum, et concupiscentiam clarius, distinctiusque cognoscerent, et ejus illecebris, ac vinculis irretiti, majore improbitatis cumulo Deum offenderent; accedente jam per legis notitiam, et transgressionem prævaricationis noxa, quæ majoris pœnæ reatu illos obstrictos tenebat. « Hæc est igitur utilitas legis, ait Augustinus, quia ostendit hominem sibiipsi, ut sciat infirmitatem suam, et videat, quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiscentia, quam sanetur. Appetuntur enim ardentius, quæ vetantur, dum id, quod spiritualiter jubetur, carnalis observare compellitur [1]. » Et alibi: « Ut quia lex ostendit peccata, non tollit, volentes legem suis viribus exequi, nec valentes, cogantur ad gratiam, quæ et impossibilitatis morbum, et inobedientiæ aufert reatum [2]. » Ac Prosper ad *Psalmum* CXVIII, enarrans illa verba, *Mirabilia testimonia tua,* etc. « Merito hanc altitudinem scrutatus est, ait, qui intellexit, per legis difficultates id egisse misericordiam Dei, ut qui legem implere non poterant, converterentur ad gratiam, et divina ope apprehenderent, quod propriis viribus assequi non valebant. » Et Fulgentius, « Deum dicit sanare volentem homines, prius legem dedisse, quo suam infirmitatem ægrotus agnosceret, daturum effectum per gratiam, quo infirmus suæ infirmitatis salubriter conscius, non jam confidens in virtute sua tumesceret, sed ipsum fontem vitæ, salutisque cognoscens, ab ipso sibi sanitatis beneficium postularet, etc. Cognitione itaque mandati, ait paulo post, ad bene operandum hominis liberum arbitrium convenitur, non quia voluntate tantum, vel virtute sua potest homo implere, quod lex jubet, sed ut per mandati notitiam infirmitatis suæ sibi conscius fiat, et adjutorium gratiæ medicinalis exposcat [3]. » Hinc et mortem attulisse lex eodem sensu dicitur; « quia et per præceptum culpa innotuit, ut ait Gregorius Papa; et hanc per gratiam non delevit [4]. » Nam, ut vere scriptum est ab Aristotele, « Lex nonnisi pactum quoddam conventum est, et fidejussor juris, ac justitia hominibus inter se, ut aiebat Lycophron sophista; sed non potest bonos, et justos facere cives [a]. »

Atque hic velut secundarius, et accidens legis fructus exstitit, non ille ab auctore primario quæsitus, ac spectatus, sed præter voluntatem, uti diximus, ab eo perceptus. Hæc enim illa vinea est, de qua apud Prophetam quæritur: *Quid est, quod debui,* inquit, *ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas* [5]*?*

Quod per accidens e lege sequitur tanquam legis scopus exprimitur.

VI. Repetamus illud modo, quod supra me dixisse memini, morem hunc esse loquendi in Scripturis usitatissimum, ut quod ex accidenti, contraque voluntatem Dei pravitate hominum incidit, sic exprimatur, tanquam ejus gratia, quippiam egerit, ac pro fine sibi ille proposuerit. Ut cum venisse Christus idcirco se dicit, *ut, qui vident cœci fiant* [6]; aut cum a Propheta *positus* dicitur *in ruinam multorum in Israël* [7], » et alia similia; in quibus eventus aliunde incidens, ac nonnisi permissus a Deo, pro fine directe ab eo spectato ponitur. Eodem referuntur a sanis, et catholice sapientibus illæ locutiones, in quibus Deus *indurare peccatores,* vel *excæcare* [8] dicitur. Non enim per se, ac directe istud facit, sed ex obliquo, et occasione data, ut alibi declaravimus. Idem igitur etiam in eo, de quo hic agimus, negotio contigit, ut quem ex accidenti, contraque Dei voluntatem primariam incurrisse docuimus, usum Mosaicæ legis, ac fructum, quod ipsum sane de christiana etiam lege usurpare possumus, is pro directo ac primario, per seque proposito capiatur. Qua ratione *Lex subintrasse* dicitur, *ut abundaret delictum* [9]. Et *Lex iram operatur* [10]. Atque hoc sensu locum illum epistolæ *ad Galatas, Lex propter transgressiones posita est* [11], Augustinus interpretatur, quam alteram expositionem illius esse dixi supra, « Superbienti, inquit, populo lex posita est, ut, quoniam gratiam charitatis nisi humiliatus accipere non posset, et sine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret, transgressione humiliaretur, ut quæreret gratiam, nec se suis meritis salvum

a Arist. III *Pol.* cap. IX. Καὶ ὁ νόμος συνθήκη, καὶ καθάπερ ἔφη Λυκοφρῶν ὁ σοφιστὴς, ἐγγυητὴς ἀλλήλοις τῶν δικαίων· ἀλλ' οὐχ οἷος ποιεῖν ἀγαθοὺς, καὶ δικαίους τοὺς πολίτας.

1 Aug. epist. CC. — 2 Ser. XI *de Ver. Apostol.* apud Prosp. sent. CCCXXII. — 3 Lib. II *de Veri Præd.* — 4 Lib. VII *Mor.* cap. V. — 5 *Isa* V 4, — 6 *Joan.* IX, 39. — 7 *Luc.* II, 34. — 8 *Exod.* IV, 21 et VII, 3; *Rom.* IX, 18. — 9 *Isa.* VI, 10. — 10 *Rom.* V, 20. — 11 *Rom.* IV, 15; *Gal.* III, 19.

fieri, quod superbum est, opinaretur; ut esset non in sua potestate, et viribus justus, sed in manu mediatoris justificantis impium[1]. » Et mox : « Dispositum est per angelos, sed in manu mediatoris, ut ipse liberaret a peccatis jam per transgressionem legis coactos confiteri, opus sibi esse gratiam, et misericordiam Domini, ut sibi peccata dimitterentur. »

2ª Expositio quæ est Augustini.

VII. Sic in epistola xcv Apostoli verba illa, *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus*[2], exponens : « Nonne satis ostenditur, inquit, hoc actum esse per legem, ut peccatum agnosceretur, et prævaricatione augeretur? *Ubi enim lex non est, nec prævaricatio ;* et sic adversus victoriam peccati ad divinam gratiam, quæ in promissionibus est, confugeretur, atque ita lex non esset adversus promissa Dei; quia ideo per illam fit cognitio peccati, et ex prævaricatione legis abundantia peccati, ut ad liberationem quærantur promissiones Dei, quod est gratia Dei, et incipiat esse in homine justitia, non sua, sed Dei, hoc est data dono Dei. » Et in epistola clvii de iisdem Apostoli verbis agens, « Danda itaque fuerat lex, ait, quæ manifestius sibi ipsum ostenderet hominem, ne superbus animus humanus a seipso se posse esse justum putaret, etc. Oportebat itaque, ut addito mandato, cujus vox est : *Non concupisces*, superbo peccatori etiam crimen prævaricationis accederet; atque ita gratiæ medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret. » Et alibi: « *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Quomodo conclusit? Ne vagareris, ne præcipitareris, ne mergereris. Cancellos tibi fecit lex, ut non inveniendo, qua exires, ad gratiam convolares[3]. » Et subinde : « Ergo, quia aculeus mortis est peccatum, virtus autem peccati lex, et hoc de bona providentia Dei, ut concluderentur homines sub peccato, et quærerent adjutorem, quærerent gratiam, quærerent Deum, non de sua virtute præsumerent. » Rursus in tractatu *ad Psal.* ciii: « Ad hoc data est lex, ut convinceretur languidus, et medicum imploraret. Ipsa est via occulta Dei. Ergo, quia hoc ibi mysterium est, ideo datam legem, ut convincerentur peccatores, et ad gratiam accipiendam medicum implorarent. » Et paulo post : « Quare lege subintrante abundavit peccatum? Quia nolebant se confiteri homines peccatores; addita lege, facti sunt et prævaricatores. Prævaricator enim non est quisque, nisi cum legem transgressus fuerit, » etc. Mox ait, « ideo eam datam, ut crescente peccato humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur, etc. Non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ. Aliquando enim homo videtur sibi sanus, et ægrotat, et in eo, quod agrotat, quia non sentit, medicum non quærit. Augetur morbus, crescit molestia, quæritur medicus. Lex data est, ut gratia quæreretur. Gratia data est, ut lex impleretur. Neque suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit[4]. »

Lex data ad frangendam superbiam.

VIII. Ex his, aliisque locis Augustini, quorum nonnulla supra descripsimus, finis ille legis ostenditur, ut ea constituta, altius in peccatum corruerent homines superbi, ac suis viribus fidentes, et imbecillitate cognita sua, humiles demissique fierent, ac postremo gratiæ necessitatem agnoscentes ad liberatorem confugerent. Ita « *peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem*[5], ut ex Apostolo idem alibi refert Augustinus. Ubi enim non est gratia liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima, seipsam non sufficere ad extrahendum se de servitute peccati, atque hoc modo detumescente, atque extincta omni superbia, subdatur liberatori suo[6].» Et postea: « Neque lex mala est, quæ ostendit homini, in quibus peccatorum vinculis jaceat, ut per fidem, implorato liberatoris auxilio, et solvi, et erigi, et firmissime constitui mereatur[7]. » Quæ cum legit insana Calvinianorum natio, statim eo fine legem a Deo per Mosem Judæis esse datam judicat, ut primum in peccatum ruerent; cujus auctorem, designatorem, et exactorem Deum impurus Calvinus statuit. A quo non abhorret nupera factio; quæ, ut sufficientem oppugnet gratiam, legem omnis expertem adjumenti gratiæ, idcirco Judæis oblatam adstruit, ut per eam terrena et carnalis, adeoque vitiosa concupiscentia foveretur. Sed ea tamen lege, ut eadem vitiosa cupiditas non ad idola dirigeretur, sed ad Deum verum; a quo illa bona non casto amore quæsita procurabantur. Qua in opinione duo insunt nefaria. Nam et Deus, qui talem de industria legem constituit, vitiosæ cupiditatis instigator, et hortator fin-

1 Aug. *Expos. ep. ad Gal.* — 2 *Gal.* iii, 22. — 3 Ser. iii *de Ver. Apost.* cap. xi. — 4 Refertur a Beda in cap. vi *ad Rom.* — 5 *Rom.* iii. — 6 Lib. LXXXIII *Quæst.* apud Bed. in cap. vi *ad Rom.* — 7 Ibid. apud Bedam.

gitur, et qui legi huic obtemperabant, per scelera et peccata sua Deum jussos esse colere, ac venerari, consequens est. Quæ ambo parem, et eamdem ad insaniam implicata, detestandaque sunt christianis auribus.

IX. Ac similiter, Judæos ex Dei voluntate, præscriptoque fecisse illi asserunt, atque Christianos ætate sua instituisse Salvianus queritur; qui ludos circenses per sese impuros, et contaminatos in honorem Christi celebrabant. « Christo ergo, o amentia monstruosa! inquit ille, Christo circenses offerimus, et mimos; tunc et hoc maxime, cum ab eo boni aliquid capimus; cum prosperitatis ab eo aliquid attribuitur, aut victoria de hostibus a divinitate præstatur. Et quid aliud hac in re facere videmur, quam si quis homini beneficium largienti injuriosus sit, aut blandientem conviciis cædat, aut osculantis vultum mucrone transfigat? Interrogo enim omnes potentes, ac divites mundi hujus, cujus piaculi reus sit servus ille, qui bono ac pio domino malum cogitet, qui bene merenti convicium faciat, et pro libertate, quam recipit, contumeliam reddat [1]. »

Christiani ludos circenses in honorem Christi celebrabant.

An non eadem causa Judæorum sub antiqua lege fuit, si verum est, quod isti prædicant, terrenis, et carnalibus cupiditatibus, quas *ex professo* lex incitabat, hoc est peccatis, ac vitiis, illos Deo cultum, obsequiumque tribuisse? Ac nescio, an non turpior, et contumeliosior Deo sit impietas illa, per pollutas, execrandasque res honorem adhibere numini, quam easdem in dæmonum, ac falsorum deorum venerationem convertere. Quemadmodum circenses, theatralesque ludos idolorum, ac gentilium deorum consecrare nomini, tolerabilius visum est Salviano, quam illos eosdem dicare Christo; minorque de priore illo, quam de posteriori scelere, gravis, ac politi scriptoris est querela; quam adjuncta etiam nominis acerbitate insigniorem facit, dum semel exclamans, iterumque, *monstruosam* hanc *amentiam* vocat.

Pejus hæreticorum flagitium.

X. Atque, ut in rem magis intremus, operæ pretium sit animadvertere, illo in fine, quem Deus in lege ferenda præ oculis habuit, quique verbis illis Apostoli significatur: *Lex propter transgressiones posita est* [2], triplicem quodammodo contineri, quorum duo sunt boni, ac Dei voluntati, electionique subjecti; tertius, idemque medius amborum, peccati labe fuscatus est, et idcirco non voluntati divinæ, sed permissioni duntaxat imputandus. Id autem hujusmodi fere ordinem habet. Primus omnium, ac directus legis ferendæ scopus is est, de quo Apostoli verba plerosque Patrum interpretari dixi, ut a peccando compesceret homines, partim præmiis illectos, partim territos denuntiatione pœnarum. Sed cum in paucissimis processurum hoc consilium prævideret Deus, ac majorem partem in peccatis, spreta funditus lege, perseveraturam esse, vel specie tenus, et perfunctorie rationem ejus habituram, ac nihilominus elationis, et superbiæ occasionem inde sumpturam, tanquam merito suo beneficium istud oblatæ legis esset adepta; hanc illis decrevit talis arrogantiæ pœnam imponere, ut suapte cæcatos, obduratosque nequitia, in multa scelera, et flagitia ruere sineret. Et quoniam proprium illud est divinæ bonitatis, ut puniendi severitatem lenitate, ac misericordia temperet, et

Triplex finis propter quam lex data.

« Ipsa quoque consulat ira;
Ut curat medicus vulnera vulneribus [3], »

ait Prosper; « Non enim amat Deus damnare, sed allevare; et ideo patiens est in malos, ut de malis faciat bonos. » Quippe « humanitatis præstandæ nullam capit satietatem [2], ut ait Basilius Seleuciensis, ac vias omnes excogitat salutis; si quem inveniat, qui eam consequi velit [a]; » hinc alium porro, tertiumque sibi proposuit scopum, finemque, quem ex secundi labe, et permissa peccati pravitate traheret, uti criminum suorum pertæsi, quæ occasione legis incrementum ceperant, ac pœnis territi, cum se imbecilliores esse deprehendissent, quam ut legem implerent, ac peccata vitarent, demum arrogantia illa, fastuque deposito, humiles fierent, et ad liberatoris gratiam, ac misericordiam confugerent.

XI. « Peccator enim oblitus erat se, inquit Augustinus, nec videbat se. Data est illi lex, ut videret se. Fecit reum lex, liberavit lator legis. Lator enim legis imperator est. Lex data est, quæ terreat, et constringat in reatum;

a BASIL. SELEUC. Orat. v *de Noe*. Ἄπληστον γὰρ ρὸς φιλανθρωπίαν τὸ θεῖον, καὶ πάσας προφάσεις ἐπινοεῖ σωτηρίας, εἴ που τὸν σώζεσθαι βουλόμενον εὕρῃ.

1 Salv. lib. VI *de Guber. Dei*. — 2 *Gal.* III, 19. — 3 *Epigr.* IV.— 4 Aug. serm. CCXX *de Temp.* cap. XX.

et non solvit lex a peccatis, sed ostendit peccata. Et forte sub ipsa lege positus, animadvertit iste in profundo, quanta mala fecerit contra legem [1]. » Et alio in loco. « Ideo datam legem asserit, quæ vivificare non posset, quia *conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* [2]. Ita Domine, ita fac misericors Domine, impera quod non possit impleri ; imo impera quod non nisi per tuam gratiam possit impleri, ut, cum homines per suas vires id adimplere nequiverint, omne os obstruatur, et nemo sibi magnus videatur. Sint omnes parvuli, et reus fiat omnis mundus tibi; quia non justificabitur ex lege omnis caro coram te ; per legem enim cognitio peccati [3].» Ergo, ut idem scribit, « in istis erat per transgressionem legis confringenda superbia, qui gloriantes de patre Abraham, quasi naturalem se jactabant habere justitiam, et merita sua in circumcisione cæteris gentibus tanto perniciosius, quanto arrogantius præferebant [4].»

Chrysostomus item recte eadem illa Pauli verba, et ad Augustini sententiam exponit, ubi *conclusisse* dicitur *Scriptura omnia sub peccato.* « Nam, quia Judæi, inquit, ne peccata quidem sua sentiebant, et, cum ea non sentirent, neque dimitti ea sibi cupiebant, legem dedit, quæ vulnera patefaceret, ut medicum optarent. Etenim concludere idem est, quod redarguere, ac convincere, et convincendo in metu continere [a]. » Cui interpretationi Theodoretus accedit. Photius item luculenter ita declarat : « Conclusit, inquit, id est concludi permisit, ac velut arctari omnes in peccatum Deus, etc, etc. Nam lex interim violata docuit, homines peccatores ipsos esse; sed, cum docuisset, non liberavit a peccato : adeo ut deinceps homines libenter ad fidem accederent, quod a peccatis extricari cuperent [b]. » Mox, quemadmodum concluserit, et quasi compegerit omnes in peccatum, docendo, convincendoque illos esse peccati reos, exponit ita : « Dixit enim, *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt, ut faciat ea* [5]. Atqui hoc impossibile est. Nam non solum non omnes fecerunt omnia, sed ne aliqui quidem omnia, ac vix majorem partem implevere, qui inter illos maxime illustres erant. Unde, quod non omnia facerent, etiam illi maledicto subjecti erant, et peccato. Quare universi in peccatum conclusi sunt. Ideo ex sola fide promissionem consequi possunt [c]. »

XII. Cæterum manifestum arbitror esse catholico cuivis, ex illo triplici scopo dandæ legis, qui ad peccatum refertur, primum, et postremum adjunctam secum inferre misericordem Dei gratiam ; ut jam supra demonstravimus. Nam neque a peccato retinere se, et hoc vitare sine adjumento gratiæ poterat, quod Deus in illo lege sua procurabat ; neque post admissum peccatum eatenus saltem resipiscere, ut, eo cognito, perterrefactus sese demitteret, et ad Deum, gratiamque confugeret. Itaque necessarium fuit gratiæ præsidium, quod pro sua benignitate una cum lege Deus obtulit. Sed ea gratia, quoniam rudis, et inchoata est, necdum ad legem implendam idonea, quasi gratiæ vocabulo non censetur ; prout illa est, ad quam initialis ista deducebat. Nemo enim « facit mandata Dei, sicut facienda sunt, id est, ex fide, quæ per dilectionem Dei operatur, nisi ejus in corde per Spiritum sanctum ipsa dilectio diffundatur [6]. » Hinc passim Augustinus, ejusque discipuli, legis hunc Mosaicæ fructum, finemque commendant, ut, agnito per eam peccato, pudore ac metu suffusi, confessique, divinam implorarent gratiam, qua legem implere, et a peccato liberari possent. « *Bona*, inquit, *est lex, si quis ea legitime utatur*. Quid est ergo legitime uti lege ? Per legem agnoscere mor-

a Chrys. in cap. III *ad Gal*. ver. 22. Ἐπειδὴ γὰρ Ἰουδαῖοι οὐδὲ τῶν ἁμαρτημάτων ᾐσθάνοντο τῶν οἰκείων· οἱ δὲ μὴ αἰσθανόμενοι οὐδὲ ἀφέσεως ἐπεθύμουν, ἔδωκε τὸν νόμον ἐλέγχοντα τὰ τραύματα, ἵνα ποθήσωσι τὸν ἰατρόν. τὸ γὰρ συνέκλεισεν, ἤλεγξέν ἐστι, καὶ ἐλέγξας κατεῖχεν ἐν φόβῳ.

b Phot. apud OEcum. Ἀλλὰ συνέκλεισε, τουτέστι συγκλεισθῆναι συνεχώρησε, καὶ οἷον ἀποστενωθῆναι τοὺς πάντας εἰς ἁμαρτίαν ὁ θεός, etc. Καὶ γὰρ τέως ὁ νόμος παραβαινόμενος ἐδίδαξε τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ἁμαρτωλοί εἰσιν· ἀλλὰ διδάξας οὐκ ἠλευθέρωσε τῆς ἁμαρτίας· ὡς λοιπὸν τοὺς ἀνθρώπους ἀσμένως τῇ πίστει προσελθεῖν, τῷ ἐθέλειν ῥυσθῆναι τῶν ἁμαρτιῶν.

c Ibid. Εἶπε γάρ· ἐπικατάρατος πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις, τοῦ ποιῆσαι αὐτά. τοῦτο δὲ ἀδύνατον. οὐ μόνον γὰρ οὐχὶ πάντες ἐποίησαν ἅπαντα· ἀλλ' οὐδὲ ἔνιοι αὐτῶν ἅπαντα. ἀλλὰ μόλις οἱ ἐπιφανέστατοι αὐτῶν τὰ πλείονα. ὥστε τῷ μὴ πάντα ποιῆσαι, κᾀκεῖνοι ὑπὸ κατάραν, καὶ ἁμαρτίαν ἦσαν. ἅπαντες ἄρα συγκεκλεισμένοι ἐτύγχανον εἰς τὴν ἁμαρτίαν. διὸ ἐκ μόνης πίστεως δύνανται τυχεῖν τῆς ἐπαγγελίας.

1 Aug. in *Psal*. CXXIX. — 2 *Gal*. III. — 3 In *Psal*. CXVIII. — 4 Aug. *in Expos*. cap. III *ad Gal*. — 5 *Gal*. III, 10 et *Deut*. XXVII, 26. — 6 Aug. in *Ps*. CXVIII.

bum suum, et quærere ad sanitatem divinum adjutorium.[1]» Quod quemadmodum intelligi oporteat, abunde in superioribus ostendimus.

Ad extremum non est omittendus Alchuvini locus, qui ad rem nostram non parum conducit. Hic in homilia quadam *De silentio, in quo missum est incarnatum Verbum*, tria dicit esse silentia : « Primum silentium est ignorantia languoris. Secundum silentium est desperatio curationis. Tertium silentium est adeptio sanitatis. Primum silentium fuit ante legem ; secundum inter legem, et gratiam ; tertium erit post hanc vitam. Primum ergo silentium fuit, quando homo non agnovit morbum suum, et ideo siluit, nec quærebat remedium ; sed, postquam lex subintravit, et ostendit languidis vulnera sua, statim ruptum est silentium, et cœperunt mox ægri salutem quærere. Sed quia per opera legis, ubi salus non erat, salvari volebant, quod quærebant invenire non potuerunt. Tandem igitur considerans homo, per legem neminem justificari posse, quasi per diuturnos clamores fatigatus, et jam desperans, rursus loqui cessavit, et subsecutum est secundum silentium. Tunc ergo omnipotens Verbum Dei Patris in carne veniens rupit silentium, proposuit misericordiam, promisit veniam ; et cœperunt ægri currere ad medicum, et quasi magnis clamoribus, sic pura fide cordis, et vera confessione oris flagitare remedium. Hoc itaque nunc in præsenti vita agitur, ut homo, per gratiam Dei, sanitatem recipiat. Sed, cum plenam sanitatem receperit, et ad illam felicitatem immortalitatis perductus fuerit, non erit amplius, quod petat ; et tunc sequetur tertium illud beatum silentium, quod nunquam habebit finem. » Egregie id quidem Alchuvinus. Nam, etsi post legem gratia successerit ; non ea tamen plena est adhuc, nec plenam sanitatem restituit. Sed manent etiamnum pristini morbi reliquiæ, quæ nos identidem novam, et uberiorem ad gratiam postulandam vellicant, donec *absorpta fuerit mors in victoriam*[2] quando concupiscentia mala funditus extincta

« longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit.
Ætherium sensum , atque auraï simplicis
[ignem. »

CAPUT XXVI.

De alio fine legis, ac fructu, qui in eo positus erat, ut pædagogi instar esset. Quibus tirociniis Judæos imbuerit. Ea in præmiis rerum terrenarum , et pœnis sita fuisse. Quorum prius institutum ideo est, ut ne ad idola delaberentur : quem in finem et sacrificia illis imperata, cæterique ritus. Calvinianos dogmatistas , qui legem ex professo vitiosam fovisse cupiditatem adstruunt, Marcionis, et Manichæi hæresim refricare. Deum spe terrenorum promissorum colere, ac diligere quatenus malum sit. Explicatur locus Apostoli, in quo dicit, legem tutoris, et curatoris instar datam fuisse. Quo argumento novum illud dogmatistarum flagitium retunditur. Veterum quorumdam opinio notata , qui dixerunt , Deum voluisse, solem, et lunam, et cætera coli ab gentilibus. Neque mentiri, nec aliud ullum peccatum licere facere majoris vitandi gratia, ex Augustini decreto. Ex quo novi dogmatis falsitas revincitur.

I. Duas in capite superiori legis Mosaicæ dotes notavimus, totidemque causas, propter quas Deus illam Judaico populo concessit. Ex iis priorem, quæ *ad transgressiones*, id est peccata pertinet, eamque multiplicem hactenus tractavimus. Nunc altera superest in eo sita[3], quod, ut ait Apostolus, velut custos ac pædagogus fuit, qui rudes ac teneros animos primis ad pietatem, Deique cultum rudimentis imbueret. Quem locum diserte, eleganterque Chrysostomus ornavit homilia IV in epistolam *ad Colossenses*; ubi genus humanum velut unum describit hominem, qui, pro ætatum differentia, vario disciplinæ genere formari solet, ac primum grammatica huic elementa traduntur, deinde majores docetur artes, ac postremo ad sapientiæ studium ac philosophiam admittitur. « Eodem et Judæos modo tractavit Deus. Nam Judæis , sic tanquam pueris, grammaticæ magistrum præfecit Mosem, eosque velut parvulos eduxit; ac quædam lineamenta illis adumbravit ; uti nos solemus elementa pueris ducere. Lex enim futurorum bonorum habebat umbram, non ipsam rerum imaginem, etc. Ob id præceptori commisit illos, ut ne se contemnerent, sed tanquam amantissimum patrem amplecterentur[a].» Ni- Lex pædagogi munus implevit.

[a] Chrys. Hom. IV in epist. *ad Col.* Ὅρα καὶ τὸν θεὸν ταῦτα ποιοῦντα ἐπὶ τῶν Ἰουδαίων. καθάπερ γὰρ

1 Ser. XIII *De verb. Apost.* cap. III. — 2 I *Cor.* XV, 54. — 3 *Gal.* III, 23.

mirum severum, austerumque pædagogum illis præfecit, a quo duriore disciplina habiti, ad paternam respirarent indulgentiam, ac lenitatem, quod deinceps mira copia, et jucunditate orationis illustrat.

Cyrillus item Alexandrinus, « Pædagogus, inquit, ad Christum nobis fuit, et præmeditationem veluti quamdam virtutis, quæ ad pietatem pertinet, invehebat. Quare si quis dixerit prolusionem quamdam, ac primam exercitationem veri, et ejus, qui in spiritu est, fuisse cultus ea, quæ per Mosem gesta sunt, is neutiquam ab eo, quod consentaneum est, aberret[a]. »

Augustinus vero, « Itaque lex, inquit, pædagogus noster erat, in Christo Jesu. Ex ista similitudine rem, de qua loquor, attendite. Pædagogus puerum non ducit ad seipsum, sed ad magistrum. Sed cum puer bene institutus jam creverit, sub pædagogo non erit[1]. » Qui et alibi superiorem Chrysostomi sententiam proprius expressit[2]; quem locum paulo post referam.

Lex ergo « præviæ cujusdam expiationis instar erat, et præibat tanquam pædagogus, atque idoneos, et capaces faciebat recipiendæ fidei[b], » ut recte adnotat Photius.

II. Nunc quibus officiis pædagogi munus lex impleverit, et cujusmodi tirociniis, et præexercitationibus Judæorum animas ad fidem, gratiamque præparavit, intuendum est. Id omnino duabus partibus absolvitur, quibus « legem omnem constare dixit aliquis, compensatione bonorum, ac malorum supplicio[c]. »

Etenim, quod ait Demosthenes, « si omnes propositas ab legibus pœnas metuentes, a male agendo desciscant, et omnes dona, et præmia recte factis constituta assequi cupientes, quæ oportet, facere velint, quid obstat, quominus amplissima sit civitas, atque et omnes boni sint, et nullus sit improbus[d]? » Atque ambo quidem ista, Mosaica lex adhibuit, non æterna, et spiritualia, sed hujus vitæ propria, terrena, et carnalia, cujusmodi parvulis, ac servili indole præditis congruere videntur. Quod enim ad parvulos spectat, vere scriptum est ab Aristotele, « non eos pudore obtemperare, sed metu; neque a malis abstinere propter eorum turpitudinem, sed propter supplicia. Cum enim ex affectu vivant, proprias voluptates, et ea, ex quibus existunt, persequuntur, doloresque contrarios fugiunt; honesti autem, et vere jucundi ne cogitationem quidem capiunt, cum nondum degustaverint[e]. » Quare, ut

« Pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima; »

ita Moses externorum bonorum copiam, ac vitæ præsentis commoda, velut crepundia Judæis, quibus legem ferebat, ostendit ad eos alliciendos, et ad obsequium incitandos. Nec minus servi tum spe mercedis, tum minis, ac pœnis ad officium adiguntur, et istis potissimum, ex quo et servilis timor nomen invenit. Ideo Mosaicæ legis proprium, et nativum characterem supra esse docuimus, cogendi vim, quæ in pœnarum denuntiatione, ac terrore consistit. Et Chrysostomus ad illa Pauli verba, *Justo lex non est posita*[3], hujus dicti causam hanc affert, « Quoniam justus pœnæ non est obnoxius, nec expectat, ut ab illa quæ sunt facienda, discat, cum intus habeat dictantem sibi spiritus gratiam. Lex

Omnia boni pædagogi officia erga Judæos lex implevit.

παιδίοις τοῖς Ἰουδαίοις γραμματιστὴν τὸν Μωϋσέα οὕτως αὐτοῖς ἐπέστησε, καὶ ὡς παιδία, οὕτως αὐτοὺς ἀνήγαγεν ἐκεῖνος σκιαγραφῶν, καθάπερ ἡμεῖς τὰ στοιχεῖα. Σκιὰν γὰρ ἦν ἔχων ὁ νόμος τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων, etc. Διὰ τοῦτο αὐτοὺς διδασκάλῳ παρέδωκεν, ἵνα μὴ αὐτοῦ καταφρονῶσιν, ἀλλὰ περιέχωνται, καθάπερ πατρὸς φιλοστόργου.

a Cyril. lib. X *in Joan.* Παιδαγωγὸς ἡμῖν γέγονεν εἰς Χριστὸν καὶ προμελέτησιν ὥσπερ τινὰ τῆς κατ' εὐσέβειαν ἀρετῆς εἰσεκόμιζε. προγύμνασμα τοίνυν τῆς ἀληθοῦς, καὶ ἐν πνεύματι λατρείας τὰ διὰ Μωσέως εἰπών τις, οὐκ ἂν ἁμάρτοι τοῦ πρέποντος.

b Phot. in cap. III *ad Gal.* apud Œcum. Πλὴν ὅτι προεκάθαιρε, καὶ προωδήγει παιδαγωγοῦ δίκην, καὶ χωρητικοὺς ἡμᾶς ἀπετέλει, καὶ δεκτικοὺς τῆς πίστεως.

c Νόμος γὰρ ἐκ δυοῖν πληροῦσθαι πέφυκε, τιμῆς ἀγαθῶν, καὶ πονηρῶν κολάσεως.

d Demosth. in *Lept.* Εἰ γὰρ ἅπαντες ὡς ἀληθῶς τὰς ἐν τοῖς νόμοις ζημίας φοβούμενοι, τοῦ κακόν τι ποιεῖν ἀποσταῖεν, καὶ πάντες τὰς ἐπὶ ταῖς εὐεργεσίαις δωρεὰς ζηλώσαντες ἃ χρὴ πράττειν προέλοιντο, τί κωλύει μεγίστην εἶναι τὴν πόλιν, καὶ πάντας χρηστοὺς, καὶ μηδένα εἶναι τὸν πονηρόν;

e Arist. X *Nicom.* cap. x. Οὐ γὰρ πεφύκασιν αἰδοῖ πειθαρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ· οὐδ' ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων διὰ τὸ αἰσχρὸν, ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας. πάθει γὰρ ζῶντες, τὰς οἰκείας ἡδονὰς διώσουσι, καὶ δι' ὧν αὗται ἔσονται, φεύγουσι δὲ τὰς ἀντικειμένας λύπας· τοῦ δὲ καλοῦ, καὶ ὡς ἀληθῶν ἡδέος, οὐδ' ἐννοίας ἔχουσιν, ἄγευστοι ὄντες.

1 Ser. XIII *de Ver. Apost.* cap. III. — 2 Lib. X *de Civit.* cap. XIV. — 3 I *Timoth.* II, 9.

enim data est, ut metu puniantur, et minis [a]. »

III. Itaque lex, ait Irenæus, « quippe servis posita, per ea, quæ foris erant, corporalia, animam erudiebat, velut per vinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, ut disceret homo adservire Deo [1]. » Chrysostomus item, « Quemadmodum nos, ait, pueris et placentas emimus, et pecuniam damus, id solum ab illis petentes, ut interim ad scholam eant. Ita Deus tunc et opes, et delicias concessit illis, unum hoc ab ipsis tanta indulgentia redimens, ut Mosi auscultarent [b]. »

Blandimentis externorum bonorum ab idolis avocabat.

Porro blandimentis istis externorum bonorum, ac suavitatibus demulcere, et attrahere illos Deus studuit, ut ne eorum cupiditate capti, ad deos gentilium, et idola colenda sese converterent, a quibus nationes illa sperabant, et eorum propria esse munera, certis singulorum cognominibus testari solebant. Ut cum Bacchum vini datorem, Cererem frumenti, Martem bellicæ virtutis, ingenii doctrinæque Minervam, alium itidem alterius commodi largitorem, auctoremque nominabant. Quamobrem, ut ne aliunde, et a dæmonibus quærenda putarent, quorum insano amore tenebantur, horum potiundorum spem, ac desiderium ex se uno suspensum habere illos voluit, et hanc legis suæ servatæ, ac religiosi cultus, et amoris sibi tributi mercedem constituit. De quo audiendus est Augustinus, « Sicut autem unius hominis, inquit, ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio per quosdam articulos temporum, tanquam ætatum profecit accessibus, ut a temporalibus ad æterna capienda, et a visibilibus ad invisibilia surgeretur : ita sane, ut etiam illo tempore, quo visibilia promittebantur divinitus præmia, unus tamen colendus commendaretur Deus ; ne mens humana vel pro ipsis terrenis vitæ transitoriæ beneficiis, cuiquam, nisi vero animæ creatori ac domino subderetur. Omnia quippe, quæ præstare hominibus vel angeli, vel homines possunt, in unius esse omnipotentis potestate, quisquis diffitetur, insanit [2]. »

IV. Eadem et instituendorum tot sacrificiorum, rituum, ac religionum causa extitit. Ac Tertullianus illam Dei industriam prædicat, « qua populum pronum in idololatriam, et transgressionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri, quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret [3]. » Sic Eusebius in primo *de Demonstratione Evangelica* [4], legem a Mose datam esse Judæis asserit rudem, et inchoatam, variisque distinctam cæremoniis, ac præceptis, ut paulatim Ægyptiacos ritus, quibus erant assuefacti, dediscerent. Et Chrysostomus in oratione prima *contra Judæos*, non ex animi sui sententia, Deum ait instituisse sacrificia, ac sibi offerri jussisse ; sed ut ne dæmonibus immolarent, Ægyptiorumque numinibus : « Sacrificare quidem, ait Theodoretus, propter imbecillitatem sacrificantium permisit ; sed ita, ut quæ ab Ægyptiis colebantur, mactari juberet, ut eo ipso quod tales hostias immolarent, discerent, non esse deos, quæ ita jugularentur [c]. » Hieronymus quoque, « victimas illis esse concessas docet, non quo per se bonæ essent, sed ne dæmonibus offerrentur. Ita et gulosis Judæis, nihilque aliud quærentibus, nisi corporum voluptates, ista Dominus pollicetur, ut saltem pro carnalibus desideriis, et opum abundantia Filium Dei susciperent [5]. » Idem et alii complures veterum scripsere. Quæ non sic intelligenda sunt, tanquam Dominus sacrificia illa, ritusque Judaicos, ac religiones exosas habuerit, ac solummodo permiserit, non autem præceperit. Nam hæc omnia mandavit, et observari serio jussit. Quod et leges, ac cautiones innumeræ ab illo editæ, et frequens, iterataque commendatio legum istarum, et earum studiosis promissa præmia, contemptoribus graves decretæ, inflictæque pœnæ perspicue testantur. Quocirca, quod Rupertus adnotat, nusquam esse scriptum de Mose, « Factum esse ad ipsum verbum Dei, sed tantum ad prophetas, qui de Christo prædixerunt ; quia circa cæremonias verbum Dei dedignabatur

Sacrificia Judæos ab idololatria revocabant.

a CHRYS. Hom. II *ad Cor.* Ὅτι κολάσεώς ἐστιν ἐκτὸς, καὶ ὅτι οὐ περιμένει τὰ πρακτέα παρ' ἐκείνου μαθεῖν, ἔχων ἔνδον ὑπαγορεύουσαν τὴν τοῦ πνεύματος χάριν, νόμος γὰρ ἐδόθη, ἵνα τῷ φόβῳ κολάζωνται, καὶ τῇ ἀπειλῇ.

b CHRYS. Hom. IV *ad Coloss.* Καθάπερ οὖν ἡμεῖς τοῖς παιδίοις καὶ πλακοῦντας ὠνούμεθα, καὶ ἀργύρια δίδομεν, ἓν μόνον παρ' αὐτῶν ἀπαιτοῦντες τὸ τέως βαδίζειν ἐπὶ τὸ διδασκαλεῖον· οὕτω καὶ ὁ θεὸς τότε καὶ πλοῦτον ἔδωκε, καὶ τρυφὴν, ἓν παρ' αὐτῶν ὠνούμενος μόνον διὰ τῆς πολλῆς συγχωρήσεως, τὸ ἀκούειν Μωϋσέως.

c THEODORET. lib. II *con. Græcos.* Θύειν μὲν διὰ τὴν τῶν θυόντων ἀσθένειαν συγχωρήσας· τὰ δὲ σεβόμενα παρ' αὐτῶν ἱερεύειν κελεύσας, ἵνα τῷ θύειν μάθωσι μὴ θεοὺς νομίζειν τὰ ὡς ἱερεῖα θυόμενα.

1 Lib. IV, c. XXVII. — 2 Lib. X *de Civit. Dei*, cap. XIV. — 3 Lib. II *con. Mar.* c. XVIII — 4 Cap. IV. — 5 Lib. XVII *Com. in* c. LX *Esa.*

occupari, et secundum permissionem eas ad tempus instituebat[1] : » sic interpretari par est, ut totum illum apparatum sacrorum, ac cæremoniarum non utique noluerit, aut non instituerit, et observari sedulo jusserit Deus ; verum non προηγουμένως, ut Damascenus, aliique Græci Patres loquuntur, hoc est per se, ac primaria voluntate , sed consequenti et alterius gratia; quemadmodum medicamenta, et alia tuendæ vitæ, ac morbo propulsando necessaria, vere ac serio expetunt quidem, et adhibent homines, non tamen suapte causa, cum, si res ita ferret, carere talibus mallent. Quæ autem hoc modo requiruntur, et usurpantur, sic de iis solere Scripturam loqui, tanquam odio sint, et invitis, ac nolentibus fiant, et est notissimum, et nos supra meminimus. Ex quo factum est, ut Judaica sacrificia, eorumque victimas, ac totum adeo cæremoniarum istarum , sacrorumque cultum nolle, et odisse se Deus, nec unquam expetivisse , ac detestari quoque, per prophetas suos non semel affirmet[2] : quod de minori duntaxat, et consequenti voluntate neutiquam per se gratæ, ac jucundæ, nec haud suapte gratia quæsitæ rei debet accipi.

V. Quod de sacrificiis, ritibusque Judaicis ex catholica regula dicimus, idipsum de terrenis, et carnalibus præmiis sentiendum est, quibus legem suam conciliare populo isti Deus voluit, et ad illius studium, et observantiam rudes, et in terrena projectos homines allicere. Etenim dedita opera, ac certo, et destinato consilio opes illis, æternasque commoditates obtulit, non quod tanti eas faceret, aut non aliis, ac longe potioribus bonis locupletare mallet, et eorum spem 'aperte facere ; quod nonnisi obscure, ac per ambages instituit; sed quod ita tempora postulabant, et illorum inculti mores, et animi sensibus, ac sensuum propriis oblectamentis intemperanter addicti. Itaque sic illos initiari divinæ servituti, ac religioni, et paulatim attrahi, perpolirique oportuit.

Ut autem impie ac scelerate sentiat, qui Mosaicas cæremonias et sacrificia condemnet, et impura, contaminataque fuisse judicet, eo commotus, quod diximus, non ea primario esse, per seque constituta, sed ad alterius occasionem quasi ex consequenti tradita, vel etiam propterea quod et carnalia erant, et a carnali populo carnali studio , affectuque curata, oblataque fuerunt ; hoc enim Marcionis, Manichæi, ac similium dogma nefandum, et sacrilegum redolet ; sic perinde reprehendenda, imo detestanda vox est Calvinianæ propaginis, quæ terrenarum promissa rerum, et bonorum carnalium invitamenta, quibus legem veterem commendavit Deus , eo ipso damnat , et in vitiosis rebus. ac flagitiosis reponit, quod vitium sit ipsum, propter terrena, vitæque præsentis et carnis commoda, etiam ita jubenti, et per hæc invitanti obtemperare Deo.

In quo non lapsu, sed ruina cadens, rancidas illas, et exoletas veterum hæreticorum blasphemias renovat, et, ut sæpe, non tamen plus quam satis est, inculcavimus , Deum vitiosæ, et inhonestæ cupiditatis, ac peccati grandis auctorem, hortatorem, exactorem constituit; ut qui tali mercede cum Judæis de suæ legis observatione stipulatus est, ac sperare de se, et amare ista jussit, ac denique *terrenæ cupiditatis*, vitiosæ scilicet, et exosæ Deo, *fomentum, ac præmium in illa lege ex professo promisit*, ut illius sectæ signifer, Marcione, ac Manete aliquo digna , Christiano indigna voce, jactavit[3].

VI. Etenim, ut ex lethali isto, impuroque erroris vulnere pus, ac saniem omnem funditus exprimam, primum hæc illius attendenda verba sunt, quæ supra retulimus, quibus ait, «in Vetere Testamento sola terrena promitti :» idque « congruis hominibus datum, hoc est carnalibus, sola terrena diligentibus, qui spiritualium rerum incapaces erant ; » nec « ea de causa datum, ut per hujusmodi Testamenti promissiones, et observationem eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur; sed ne res illas, quas carnali, vitiosoque amore diligebant, a dæmonibus quærerent. » Ergo lex et Testamentum Vetus id agebat, non ut bene agendi, ac vivendi regulas præscriberet; neque ut boni essent, et ut ab æterna damnatione liberi, ita salutis compotes Judæi. Hoc, inquam, ex professo non quærebat Deus, cum legem iis ferebat, ut eos ab damnabili vitæ statu revocaret, atque ad sempiternam salutem perduceret; sed hoc solum directe, ac dedita opera procurabat, ut peccati, ac damnationis genus mutaret, hoc est, ut ab unius peccati, vitiique corruptela et servitute illos ad aliud transferret, non permittendo solum, ut nefariam hujusmodi versuram facerent, sed ad posterius istud crimen, ac scelus hortando, proque imperio cogendo,

1 Lib. V *de Vict. verb. Dei*, cap. XXIV et seq. — 2 Ut *Isa.* I. — 3 Tom. III, lib. III, cap. VI.

ac promissis, et minis urgendo; quibus omnibus modis illum *carnalem, et vitiosum amorem* sic, tanquam flabellis ignem accendere, et in immensum excitare studebat. Nam de amore isto, et cupiditate terrenarum rerum, quid sentiat, paulo post explicat his verbis: « Cum igitur talibus Testamenti sui promissis inhiarent, cultus internus, quo Deum talium bonorum largitorem colebant, isti dilectioni, velut cardini cunctorum motuum congruus respondebat. Nimirum et dilectio carnalis erat. Talis est enim amor, quo quempiam diligis, qualis causa, propter quam diligis. Si enim diligis propter Deum, purus amor est, vera dilectio Dei, sincera charitas; si propter carnalia, non gratuitus, sed mercenarius est, ideoque impurus, carnalis, vitiosus, quem verius amorem creaturæ dixeris, quam Creatoris.»

Igitur amare Deum, et colere spe, et amore terrenarum rerum, impurum, ac vitiosum esse censet. Unde, cum lex ex professo, ac directe talem *ad amorem fovendum*, ac præmiis incitandum data sit, ut eidem placet; prorsus ad peccatum exigendum, et eliciendum comparari illam oportuit.

VII. Atque ut majorem in hanc hæresim impetum, et impressionem oratio nostra faciat, volo, hoc mihi respondeant: Cum Deus in Vetere Testamento legem tulit, qua lege diligi se, ac mandata sua servari præcepit, ad idque terrenorum bonorum, ac præmiorum pactione illos obligavit, qui tandem, et cujus rei gratia servire illos sibi voluit, et illa caduca, et voluptuaria bona concupiscere? Etenim ad unum quodpiam de tribus istis respicere, ac pro fine, et scopo proponere sibi eos optavit; vel ut ipsiusmet Dei gratia cultum illi, et obsequium adhiberent, et ad eum referrent bonorum istorum appetitionem; vel ut propter sola terrena, et carnalia commoda, omnia facerent; vel ut neutrum omnino spectarent. Horum enim trium unum aliquod necesse est, pro fine illos habuisse, et, ut haberent, voluisse Deum. Si primum dixerint, et in eum finem data lex est Judæis, et externa promissa bona, ut ad Deum, tanquam ultimum finem, amor illorum tenderet; nimirum « ea de causa lata est, ut per hujusmodi promissiones, et mandatorum observationem eorum salus æterna in tuto locaretur; neque carnalis, ac vitiosus amor iste fuit, » quin potius ordinatus, ac legitimus: quod tamen adversarii præcise negant. Si secundum eligunt, ut propter sola terrena, et carnalia legi obtemperare illos voluerit, quod diserte præposteri antesignanus dogmatis, et ex animi sui sententia profitetur, res in illud impium, ac sacrilegum decretum revolvitur; quod cum Marcione, ac Manichæo commune huic esse dixi, ut et peccare illos, ac vitiosam exercere cupiditatem voluerit, et ad eum finem legem veterem, ac Testamentum suum retulerit. Tertium porro, neutrius ut causa legem ferret, fieri nullo modo potest, nec ab illis dicitur; utpote qui manifeste secundum de tribus asciscunt.

Legem propter sola terrena datam asserere blasphemum.

VIII. Quam sit igitur non christiani solum, sed etiam humani sensus inimica novitas ista pestiferi, ac sacrilegi erroris, puto fore neminem qui non ex illis intelligat. Quid enim absurdius, quam dicere, peccato se ac vitio Deum ex professo coli voluisse? Atqui ne mercedem ipsam quidem, non modo peccati, sed, vel sine peccato, turpiculæ rei offerri sibi passus est Deus, et in cultum suum cedere. *Non offeres*, inquit, *mercedem prostibuli, nec pretium carnis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod voveris; quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum*[1]. Quanto detestanda magis est, et invisa Deo concupiscentia mala et vitiosa, quæ et *carnis sapientia* dicitur; et *Deo est inimica*[2], et propter hanc venit ita Dei [3], et *radix omnium malorum* vocatur [4], et mundi propria est, cum eoque sempiternæ damnationi subjicitur? Atqui frenandæ maxime concupiscentiæ, velut obicem, ac retinaculum, legem veterem editam fuisse, Augustinus imprimis, ac plerique alii confirmant veterum Pàtrum, quorum testimonia supra citavimus; ex quo summam totius legis Augustinus ad hoc mandatum revocat, *Non concupisces*. Quinam ergo convenit, ad *fovendam*, et *præmiis* excitandam concupiscentiam legem *ex professo* datam esse, quæ adversus illam potissimum ab Augustino lata dicatur?

IX. Convicta itaque tam horrenda, et catholicis auribus inusitata blasphemia, redit illud, quod hactenus demonstrare studui; legem per sese, et eo fine datam esse Judæis, ut partim promissorum terrenorum illecebra deliniti, partim metu pœnarum territi in officio continerentur, ac tum legem servarent, tum ab ea violanda cupiditates suas abstinerent. Ex quo illud consectarium efficitur, neque Deum terrenarum rerum spe, et amore colere, neque pœnarum quarumlibet metu a peccato

1 *Exodi* XXIII, 18.— 2 *Rom.* VIII, 7. — 3 *Col.* III. 6. — 4 I *Timoth.* VI, 18. — 5 I *Joan.* II, 17.

coerceri, rem esse per sese vitiosam ac malam, sed prout ejus animus est, qui iis ducitur, ita in laude, vel vituperatione censeri. Id esse consequens, persuadet hoc unum, quod, ni ita foret, nunquam Deus hujusmodi fœdus cum illa gente pepigisset, neque legi suæ tali mercede, ac sanctione cavisset, per quæ manifesti auctor ipse peccati, hortatorque fieret. Ergo ita res habet, ut, pro eo atque affectus est animi, bonus malusve Dei cultus esse possit, istiusmodi vel eblanditus præmiis, vel minis, ac terroribus expressus.

Etenim, qui terrenarum commoditatum spe, ac desiderio ductus Deo servit, aut pœnæ metu a peccato temperat, si in animo suo sic habet, ut, nisi illa speraret, aut ista metueret, peccatum non dubitaret admittere, jam reipsa delicti reus tenetur. Siquidem « omnia scelera, etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt [1]. » ut ait Seneca. Quod si motus illi animi carent omni voluntate peccandi, sed simpliciter Dei præceptis obtemperare aliquis statuit, ut ab eo, fide utique, ac religionis veræ magisterio cognito, promissa bona consequatur, aut ut denuntiata contra vetitum agentibus mala devitet; non modo peccati nullius accusandus est, sed etiam in virtutis alicujus, et honestæ laudis parte ponendus.

X. Latior hoc loco campus aperitur, quam ut in eo spatiari modo, ac vela nostræ disputationis explicare libeat. Est enim argumenti res alterius, cum de spe, ac charitate scilicet agendum erit. Nunc quatenus de Judaica lege contra Manichæorum reliquias certamen suscepimus, paucis tractanda venit, imo ne tractanda quidem amplius, uberiusque, quam hactenus fecimus. Sed ea tantum velut repetendo colligenda sunt argumenta, quæ in antecedentibus capitibus inclusa Scripturæ, ac Patrum auctoritatibus habentur. Quorum illud est, exempli gratia, quod ex legis proprio statu, et conditione ducitur. Hanc enim pædagogi loco impositam fuisse Judæis [2], Apostolus, ex eoque Patres asserunt; sive, ut idem Paulus ait, *tutoris*, et *curatoris*, id est ἐπιτρόπου, et οἰκονόμου. Sicut, *quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus, et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a Patre* [3].

Lex pædagogi, tutoris ac curatoris loco data Judæis.

Has autem pædagogi partes, sive tutoris, et custodis, eo ipso lex vetus obibat, quod et præmiis bonorum præsentium, ac metu pœnarum in officio retinebat; et multiplicibus cæremoniis, ac ritibus illorum sic occupabat animos, ut ad nihil aliud quodammodo intentos, et vacuos esse pateretur. Sic enim Augustinus *opera legis bipartita esse* docet [4]. Nam partim *in sacramentis* partim *in moribus* consistunt, ut supra memini. Itaque, quatenus ad mores informandos præcepta dabat cum lege naturæ, et Novi Testamenti communia, et ad ea mercedis terrenæ pollicitationem, et supplicii, ac maledicti terrorem adjiciebat, pædagogum imitabatur, blandientem pariter, ac severe coercentem. Ut autem cæremonias, et sacramenta varia, purgationes, sacrificia præscribebat, velut oblectamenta pueritiæ, tutoris, et curatoris munus implebat, qui pupillum ludicris rebus, aut puerilibus rudimentis, atque artibus sic implicare studet, ut ne otio, ludo, ac sumptibus vacans, rem familiarem deteriorem faciat. Hinc Tertullianus, tantam legum multiplicitatem instituisse Deum scribit, « ut istis legalibus disciplinis occurrentibus ubique, ne illi momento vacarent a Dei respectu [5]. » Et Theodoretus, legalium sanctionum copiam illam variam, et onerosam eo spectasse vult, « ut otium ac licentiam prohiberet ipsorum, etc. tum ut freni instar esset, quod illos occupatos teneret [a]. »

XI. Apostolus certe, cum legi tutorium jus, ac curatoris partes attribuit, ad eas accommodare videtur illam, quam dixi, diversitatem sacramentorum, ac rituum, cum statim subjicit, *Ita et nos, cum essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes* [6]. » Sunt enim elementa mundi, crassa illa, terrenaque sacramenta Judaicarum observationum, ut Chysostomus exponit, qui hæc esse dicit, neomenias, sabbata, circumcisionem, et alia legitima populi veteris, quæ Galatæ adhuc usurpare instituerant. Tum assentiens Chrysostomo Theodoretus, « elementa mundi legales observationes appellari putat; quandoquidem a sole, ac luna nox, et dies efficitur: ex diebus autem hebdomadæ, et menses, et anni componuntur. Porro lex et sabbata, et neomenias, et annuas solemni-

a Theodoret. Orat. vii. *cont. Gr.* Πλῆθος νομίμων ἐπέθηκε κωλύων αὐτῶν τὴν ἄδειαν, etc. ἀντὶ χαλινοῦ ἦν αὐτοῖς διδόμενα, ἀφορμὴν ἀσχολίας παρέχοντα.

1 Sen. lib. *de Const.* cap. vii. — 2 *Gal.* iii, 23. — 3 *Gal.* iv, 2. — 4 In *Expos. ep. ad Gal.* — 5 Libr. II *con. Marc.* cap. xix. — 6 *Gal.* iii.

tates, et annales hebdomadas observare jubebat[a]. » Sic etiam Theophylactus, Œcumenius, et ex Latinis Hieronymus, et, qui tam huic, quam Ambrosio falso tribuuntur, commentarii in eamdem *ad Galatas* epistolam.

At Augustinus in expositione hujus epistolæ per *elementa mundi* cœlum, terram, et creaturas cæteras intelligit; quibus, antequam Christo nomen dedissent qui ex gentilibus crediderant Galatæ, servire consueverant, proque diis colere. Non enim de Judæis accipienda ista credit, « cum illis per legem, quam acceperunt, unus Deus, qui fecit cœlum et terram, colendus commendaretur, etc. Ut cum superius legem pædagogum fecerit, sub quo erat ille populus Judæorum, nunc procuratores, et actores dicat elementa mundi, sub quibus serviebant gentes. Ut filius ille parvulus, id est populus, propter unam fidem ad unum semen Abrahæ pertinens, quoniam et de Judæis, et de gentibus congregatus est, partim fuerit sub pædagogo legis tempore pueritiæ suæ, id est ex ea parte, qua de Judæis congregatus est, partim sub elementis hujus mundi, quibusdam tanquam procuratoribus, et actoribus servierit, ex ea parte, qua de gentibus congregatus est. » Ejusdem interpretationis mentionem facit Hieronymus.

XII. Utra sit ambarum probabilior, nihil ad præsens negotium attinet. Mihi quidem prior congruere magis videtur. Sed nihilominus etiam alterius cum ea comparatio firmiorem nostram argumentationem faciet, quam ex illo Apostoli loco ducimus adversus eos, qui bonorum spe terrenorum, et amore obsequi Deo, ac servire, crimen esse pronuntiant; cum iidem tamen legem Mosaicam talem ab Judæis affectum ex professo, et instituto expressisse dicant. Etenim nemo pædagogum ejusmodi parvulo suo filio præficiat, quem sciat teneræ ejus ætatis corruptorem, ac depravatorem fore certissimum, nedum ea mente, et consilio præponat, ut auctor illi sit criminis admittendi, ac peccare non permittat modo, ut sit interdum majoris declinandi sceleris gratia, sed ultro persuadeat, ac præmiis, et minis ad hoc impellat, et adigat. Quin potius si sapiat, et compos sit sui idque in potestate habeat, tum eum præceptorem, aut curatorem adhibeat, qui sit innocens et inculpatus, hoc est sanctus, et justus; tum qui simili disciplina, præceptisque perinde sanctis, et honestis commissum sibi parvulum instituat, Nemo est pater, qui non ita filio suo prospiciat; eumque carere omni penitus institutione malit, quam in pravam ac vitiosam, et exitio animæ futuram incidere. Quænam igitur novorum dogmatistarum hæc vesania est, arbitrari, legem a Deo *non peccare vetantem*, ut de Romanis tabulis ait Horatius[1], sed suadentem, hortantem, cogentemque, Judæis esse datam velut pædagogum, sub cujus perdita, et nefaria disciplina carnales, vitiosi, Deo execrabiles, et inimici, ab æterna salute alieni, et extorres esse condiscerent?

Qualem pædagogum pater suo filio eligat.

Age vero, conferamus hæc invicem, quæ de *mundi elementis* in epistola Pauli diversa sentire Augustinum, ac reliquos interpretes diximus. Nempe Chrysostomus, aliique judaicas cæremonias, et observationes esse putant, quæ populo isti divinitus præscriptæ, ordinatæque fuerant. Augustinus vero gentilium deos, solem, lunam, sidera, cœlum, terram, et alia, quæ divinis honoribus consecrata erant ab gentilibus. Utrumnam ergo par, et eadem ratio amborum illorum apud Apostolum, ex Augustini sensu, et expositione fuit? Hoc est, an, quemadmodum Deus destinato consilio, ac mente Mosaicos ritus et cæremonias edixit, nec permisit solum, sed bona fide servari voluit ab Judæis; ita gentilibus solem et sidera, aliasque mundi partes, et elementa concessit ad cultum, et adorare, venerari, servire eos istis ex eadem, qua priora Judæis obtulit, animi sui sententia mandavit?

XIII. Dici hoc quidem ab nonnullis antiquorum Patrum alibi adnotavimus, ut a Clemente Alexandrino[2], et Origene; qui Deum putant gentilibus cœlestia illa tradidisse corpora ad religiosum cultum, et adorationem, ut ea potius venerarentur, ac pro diis haberent, quam dæmones. Sed ea jam opinio nemini, puto, christiano probabitur, ac ne dogmatistis quidem novis, quibus haud

Perperam aliqui veteres astra gentilibus colenda Deum dedisse affirmant.

b Theodoret. in cap. IV ep. *ad Gal.* Στοιχεῖα γὰρ τοῦ κόσμου τὰς νομικὰς παρατηρήσεις ἐκάλεσεν, ἐπειδή περ ἀπὸ ἡλίου, καὶ σελήνης νύξ τε, καὶ ἡμέρα τελεῖται, ἀπὸ δὲ ἡμερῶν ἑβδομάδες, καὶ μῆνες, καὶ ἐνιαυτοὶ συνέστανται. ὁ δὲ νόμος καὶ σάββατα, καὶ νουμηνίας, καὶ ἐνιαυσιαίους ἑορτὰς, καὶ ἐνιαυτῶν ἑβδομάδας φυλάττειν ἐκέλευσε.

1 Lib. II *Sat.* I. — 2 Tom. IV, lib. II *de Ang.* cap. VII, § 5.

dispar tamen in Mosaica lege pravitas, et absurditas erroris placet. Cur autem illic profanum et impium videtur, Deum arbitrari, ex professo solem et stellas pro diis coli ab gentilibus voluisse, nisi quia malum istud est, et nefandum, malum autem, ac peccatum neque velle directe potest Deus, neque cuiquam auctor, et hortator esse faciendi? Atqui perinde malum, vitiosumque illud esse prædicant, quod *ex professo* legem *præmiis*, ac *fomentis* elicere studuisse docent, terrenarum rerum spe, ac cupiditate servire Deo, et ejus mandatis obsequi, vel pœnarum timore idem facere. Quare nihil jam prohibet, quin et illud amplectantur alterum, ac gentiles elementorum, corporumque cœlestium cultores laudandos etiam judicent, quod in ea re divino instituto, ac voluntati servierint. Certe non minus approbandi sunt, ut adversariorum est ratio, ethnici illi solis, ac Mithræ veneratores, uti Persæ, et si qui alii fuere populi, quam Judæi divinæ legis studiosi, et in eadem penitus causa sunt utrique. Etenim, quemadmodum Judæis idcirco Deum volunt legem hujusmodi dedisse, quæ terrenas, et caducas opes, commoditatesque repræsentaret, a Deo vero tamen obtinendas, ut ne a dæmonibus eas peterent, et ipsarum causa illos colerent, adeo ut eamdem illam carnalem cupiditatem non tolleret, sed alio converteret, et a dæmonibus transferret ad Deum; ita plane antiquorum illorum opinio fuit, eumdem Deum dedita opera coli ab ethnicis instituisse solem, lunam, aliaque corpora, ut ne dæmonibus, et eorum simulacris honor ille tribueretur. Cujusmodi idololatriæ speciem, qua sol, et luna, et eximia quædam corpora pro diis censentur, tolerabiliorem esse dicit liber *Sapientiæ*[1], quam quæ simulacris, et idolis operata est; nec tamen debere iis ignosci. Ut igitur idololatriæ scelus est, qualemcumque divino cultu venerari creaturam, et *servire creaturæ potius, quam creatori*[2], sic terrenas res eo amore diligere, quem lex vetus *ex professo fomentis, ac præmiis* eliciebat, undecumque procurentur illæ, malum et vitiosum esse, recens istud dogma decernit. Quare, sicut prius neque licitum est, nec auctore, ac volente Deo fieri potest, ut cœlum, ac solem, lunamve quisquam divinis afficiat honoribus; sic nec jubente et hortante Deo poterit aliquis vitiosas exercere cupiditates, a quocumque tandem earum pabula, et fomenta quæsierit. Perinde enim is agat, qui carnalia bona satiandæ concupiscentiæ malæ a Deo speret, aut postulet, ac si opes ab eodem, aut dignitates impetrare studeat, ut iis ad stupra et adulteria, aut ad innocentum, ac pauperum oppressiones; atque injurias abutatur.

XIV. Ut autem constet, quantum ab Augustino, quem tanti facere præ se fert, nova illa factio dissideat dum rerum terrenarum appetitionem, cujusmodi legem *ex professo* conciliasse censent, vitiosam esse judicat, meminerit, quid ille de levioribus multo peccatis existimet. Nempe certissima hæc ejus est opinio, in quam et catholici omnes theologi conspirant, nefas esse quacumque de causa, vel occasione, peccatum ullum etiam minimum admittere, tametsi nec ulla cuiquam injuria peccando fiat, et multa ex eo maximaque commoda redundent, non corporis solum, sed etiam animi; ac ne tum quidem, si vel majus crimen parvo aliquo delicto potest impediri, vel eo salus æterna comparari, non unius tantum, verum innumerabilium hominum et humani adeo generis, mundique totius. Hujusmodi est illius de mendacio etiam officioso, imo utili, ac prope necessario judicium, quod inter venia digna peccata levissimum videtur, ac nonnullis etiam licitum, et laudabile est habitum, si ad impendentis gravissimi mali, ac peccati remedium adhibetur, uti Cassiano, et ante hunc Origeni aliisque pluribus, quos recenset Henricus Cuyckius in *Censoriis notis ad Cassianum,* Augustinus vero duobus illis in libris, quos *de mendacio* et *contra mendacium* scripsit *ad Consentium*, nullo unquam tempore, nullaque de causa mentiendum esse docet, neque tuendæ vitæ vel propriæ, vel alienæ gratia, neque pudicitiæ servandæ, neque boni cujuspiam, aut officii, neque christianæ fidei persuadendæ, ac denique nunquam omnino fas esse mentiri. Quod idem et in epistolis ad Hieronymum contra sentientem accurate disputat, et aliis passim in locis, nullum ne tenuissimum quidem delicti genus gravioris declinandi causa perpetrandum esse decrevit.

Peccatum etiam levissimum nunquam licitum.

XV. Non « est ergo verum, aliquando esse mentiendum, » ut idem colligit. « Et, quod non est verum, nemini est omnino suadendum[3]. » Quid ita? Nempe quia mendacium omne peccatum, ut in duobus illis libris ostendit: « Quisquis autem esse aliquod genus

1 *Sap.* XIII, 6. — 2 *Rom.* I, 25. — 3 Aug. lib. *con. Mend.* cap. XIX.

mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, ait idem, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum [1].» Quanto minus licere credat Augustinus, grande aliquod peccatum sibi permittere, vel suadere aliis, aut etiam impetrare, ut majus quodpiam vitetur? Atqui istud omnino in novi ac præposteri Dogmatis causa inest ab sanctissimo illo doctore damnatum. Cum enim statuant, terrenas res diligere, et earum obtinendarum gratia « largitorem talium bonorum Deum colere, carnalem esse dilectionem, et amorem mercenarium, impurum, vitiosum, quem verius amorem creaturæ dixeris, quam Creatoris [2], » nihilominus « Legem veterem terrenæ illius cupiditatis fomentum, ac præmium ex professo promisisse. » Tum « Hoc Testamentum, in quo sola terrena promitterentur, Deum asserit congruis hominibus dedisse, hoc est carnalibus, sola terrena diligentibus, qui spiritualium rerum incapaces nondum possent ad ea magnipendenda, ac diligenda traduci. » Ad hæc, Deum legem istam ac Testamentum « ea de causa dedisse negat, ut per hujusmodi promissiones et observationem eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur. Sed ne res illas, quas carnali vitiosoque amore diligebant, a dæmonibus quærerent. » Hoc vero quid aliud est, quam diserte sentire ac profiteri, Deum gravioris peccati avertendi gratia, non permisisse solum grave alterum, etsi minus, quam istud esset idololatriæ, verum etiam suasisse, imo omni ratione, ac præmiorum et pœnarum denuntiatione curasse fieri?

XVI. Enimvero huic improbæ perditæque amentiæ multum ac sæpe reclamat Augustinus, qui legem veterem, et illa ipsa præcepta, quibus sanciendis terrenorum præmia bonorum, ac pœnarum comminationes adhibebantur; quorum alterum: *fomentum ex professo promissum terrenæ cupiditatis*, alterum servilis timoris irritamentum, utriusque vitiosi ac damnabilis nova illa secta nominat. Illam, inquam, Testamenti Veteris legem, illaque mandata, et illas terrenæ cupiditatis ac timoris illecebras, Augustinus tum in eum finem dedisse Deum asserit ut amorem istum ac timorem Judæorum ingeneraret animis, tum vero rectam et consentaneam hujusmodi fuisse rationem, utpote quæ et illius temporis, populique moribus, et divinæ sapientiæ ac bonitati congrueret.

In primo libro *de Sermone Domini in monte*, sub initium: « Si quæritur, inquit, quid significet mons, bene intelligitur significare majora præcepta justitiæ, quia minora erant, quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos prophetas, et famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat: et per Filium suum majora populo, quem charitate jam liberari convenerat. Cum autem minora minoribus, majora majoribus dantur, ab eo dantur, qui solus novit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est, quod dantur præcepta majora propter regnum cœlorum, et minora data sunt propter regnum terrenum ab eodem uno Deo, qui fecit cœlum, et terram. »

Et in libro decimo *de Civitate Dei, rectam eruditionem* vocat [3] illam populi Dei, qua congruentibus temporibus per ista temporalia bona paulatim provectus est. Et in Expositione epistolæ *ad Galatas*, « observationes illas Judaicas congruentes isti populo fuisse dicit, cui adhuc talis servitus utilis erat, ut sub timore custodiretur. »

Tum in epistola ducentesima late de hoc argumento disserens, ac legem *sanctam*, *justam*, et *spiritualem* esse demonstrans, eam *spiritualiter jussisse* scribit, *quod carnalis observare compellebatur*. Non potest autem vel *spiritualis* censeri lex, vel *spiritualiter jubere*, si *ex professo*, et *eo fine* data est, ut vitiosæ cupiditati fomenta subministraret. An enim, si lex aliqua sanciretur, quæ ad mentiendum impelleret, et mendacio *fomentum ac præmium ex professo promitteret*, eam legem probaret Augustinus, eamque *justam, sanctam*, et *spiritualem* diceret, aut *spiritualiter* hoc illam putaret præcipere? Non opinor. Quanto minus legem veterem talem esse cum Apostolo sentiret, si, quod multo gravius est mendacio scelus, concupiscentiam malam, vitiosamque cupiditatem ex professo alere ac fovere credidisset. Tum enim peccatum non ostenderet solum ac convinceret, sed etiam juberet; falsumque id esset omnino, quod vere de ea scripsit Clemens Alexandrinus: « Lex non fecit, sed ostendit peccatum. Cum enim, quid faciendum esset, imperavit, quid

1 Aug. lib. *de Mend.* c. xx. — 2 Tom. III, lib. III, c. vi. — 3 Cap. xiv.

faciendum non esset arguendo monstravit [a].» Et alibi, « Peccatum, inquit, ostendit lex, non gignit, utpote quæ præceptione faciendorum, et prohibitione vitandorum propositum sibi peccatum convicit, ut appareret esse peccatum [b]. »

XVIII. Postremo contra falsam illam multoque impiam magis opinionem, quæ legi Mosaicæ finem hunc scopumque subjungit, qui peccato non vacat, aptissima est illa Ruperti Tuitiensis querimonia ex libro *de Voluntate Dei*, cap. XIII. « Primo, inquit, non satis admirari possumus profundas humanæ sapientiæ tenebras, quæ illius præcepti scrutando et investigando causas, nullam aliam invenire aut consequi meruit, nisi hanc, ut dicat, quia Deus hominem prævaricatorem fieri voluit. Qui enim hæc dicunt, nonne illud videntur opinari, quod Deus gratis creaturæ suæ scandalum juxta viam posuerit, et occasionem maligno diabolo porrexerit, volens, ut homo caperetur? Mala opinio, perversa suspicio. Sed forte in hoc ipso sapientem Deum se honorare, satisque excusatum sibi habere videntur, hujusmodi attexendo causam, quod idcirco voluerit evenire hoc malum, ut uteretur eo in bonum ; idcirco voluerit abundare iniquitatem, ut superabundaret gratia. Perversa nimis ista Dei excusatio, perversa et indigna circa sapientiam Dei adulatio. Nonne tibi videntur asserere, Deum dixisse, Faciant mala diabolus, et Adam, et Eva ; faciant mala, ut veniant bona? Quid enim? Si illorum, qui Apostolum Dei aiebant sic dicere, *Faciamus mala, ut veniant bona* [1], damnatio justa est ; quanto magis, si qui dicant, ipsum dixisse Deum, Fiant mala, ut veniant bona, damnatio illorum justa est? »

CAPUT XXVII.

De animorum affectu, qui Testamenti Veteris proprius fuit et proximus Mosaicæ legis effectus, hoc est de amore Dei propter commoda terrena, vel metu pœnarum. Neutrum per se esse vitiosum, et quatenus culpabilis sit. Tum qua vitiosus est, non ex intentione legis esse talem, sed ex accidenti, et hominum culpa. Plures in antiqua lege carnales, et carnaliter legem servantes fuisse. Error Calviniani asseclæ id legi tribuentis, quod hominum vitio accidit. Augustini loca declarantur, quæ pro se ille perperam citavit. Ejusdem Dogmatistæ falsa ratio, Synagogam, qua Synagoga est, culpæ, et infamiæ notantis. Hanc, ut et Vetus Testamentum, extra culpam fuisse per se, et ex primaria institutione. Quomodo tunc ad perfectam justitiam, et qua via perducti homines. Quadruplex genus eorum, qui sub antiqua lege et in Synagoga vixerunt.

I. Neminem fore arbitror, qui, quæ antecedenti sermone tractata sunt, serio apud se cogitarit, ac præsertim quid lex a Mose tradita, et quid Testamentum illud sit Vetus, fœdusque cum Judaico populo percussum a Deo ; non huic assentiatur, quod unum pugnavimus, illa ipsa quantum in se erat, non nisi recta, honesta, Deoque grata et accepta jussisse. Quod autem secus in plerisque accidit, nec *in pluribus eorum beneplacitum est Deo* [2], non id vitio legis evenisse, aut quo non bonum aliquid, quantum est ex sese, præscriberet; sed eorum culpa et nequitia, qui *bona lege*, ut ait Apostolus, *non legitime sunt usi* [3]. Est autem legitimus hic bonæ legis usus, id facere, quod illa præcipit, et ea mente facere, quam in danda lege conditor ejus auctorque spectavit. Quod si verum est, nullusque, nisi impius ac vecors refragari potest, profecto liquet, nihil in lege veteri pravum ac vitiosum, nihil, quod ab amore Dei ac sempiterna felicitate disjungeret, per se et ex instituto ac professo fuisse præceptum. Itaque ex accidenti solum, contraque legis ac legislatoris consi-

a Clem. Alex. II *Strom.* Ὁ νόμος οὐκ ἐποίησεν, ἀλλ' ἔδειξε τὴν ἁμαρτίαν. προστάξας γὰρ ἃ ποιητέον, ἤλεγξε τὰ μὴ ποιητέα.

b Idem, III *Strom.* Ἣν δείκνυσιν, οὐ γεννᾷ ὁ νόμος· διὰ τῆς προστάξεως τῶν ποιητέων, καὶ ἀπαγορεύσεως τῶν οὐ ποιητέων, ἐλέγχων τὴν ὑποκειμένην ἁμαρτίαν, ἵνα φανῇ ἁμαρτία.

1 *Rom.* v. — 2 *Cor.* x, 5. — 3 I *Timoth.* I, 8.

lium et voluntatem, si quid in lege servanda exequendaque peccatum est, debet istud esse factum. Lex porro, et in lege tradenda hujus auctor hoc per se quæsivit, ut et *temporalium* spe *bonorum* ad mandata servanda homines attraheret, et pœnarum metu ab illorum transgressione revocaret. Utrumque legi Mosaicæ per se et *ex professo* propositum fuisse, cum omnes antiqui Patres asseverant, tum Novi Dogmatistæ plus etiam, quam satis est, inculcant. Quamobrem Deo propter terrena et temporalia commoda servire, aut ab offensione illius, pœnarum timore sese continere, non est similiter præciseque vitiosum, sed bene fit et laudabiliter; quia lex præsertim divina, nonnisi quod hujusmodi est, imperare potest.

II. Verum illud idem non solum recte et ex virtute agitur, sed interdum etiam male. Quod si sic geratur, non dubium est, quin secus fiat, ac voluit lex, auctorque legis, qui, si ita fieri vellent, malum procul dubio vellent, ac male propterea juberent, et malefacti auctores, ac mali essent ipsi. Quod est consectarium Calviniani sacrilegii, itidem etiam ex Armacani* doctrina consequens, ut planum hactenus fecimus. Hic enim universe amorem Dei qualemcumque, qui purus non est, hoc est quo Deus non propter se, sed propter ejus munera et creata bona diligitur, non tantum minus perfectum æstimat, sed malum insuper ac vitiosum. « Si enim diligis propter Deum, inquit, purus amor est, vera dilectio Dei, sincera charitas; si propter carnalia, non gratuitus, sed mercenarius est, ideoque impurus, carnalis, vitiosus, quem verius amorem creaturæ dixeris, quam Creatoris [1]. » Ubi affectum omnem, quo Deum *propter carnalia* et terrena diligimus, *qui ad amorem concupiscentiæ*, ut vulgo nominatur, pertinet, vitiosum judicat eo ipso, *quia non gratuitus, sed mercenarius est;* tanquam mercedis spe et desiderio Deum amare ac colere vitiosum sit, quod proprium spei est theologicæ virtutis, cui et *amor concupiscentiæ* tribuitur. At iste amorem omnem concupiscentiæ funditus excludit ac damnat. « Concupiscentia respectu Dei, inquit, amor vitiosus est. Nam ille semper quidquid concupiscit, sive utendum, sive fruendum, hoc ultimo ad ipsum amantem refert. Ex quo fit ut si sic etiam Deo frui cupimus, aut speramus, revera nos ipsos, non Deum diligamus [2]. »

III. Atqui diligere Deum tanquam bonorum largitorem, et hæc ab eo sperare ac petere, aut illum ideo colere et ejus præcepta servare, ut ab eo promissa qualiacumque bona consequamur, si id præsertim jubente illo fit, vitiosum non est. Nisi ita forte diligatur, et colatur a quopiam, ut si dona ista sua bonaque subtraheret, nec amorem illi amplius, neque cultum atque obsequium impenderet; sed peccare, contraque legem ipsius facere nullo modo dubitaret. Nam qui legi Deoque jubenti sic paret, non *legitime utitur lege;* ac proinde legem non servat, hoc est *non spiritualiter* facit, quod lex jubet, eoque modo, quo jubet; quæ, cum *sancta spiritualisque sit, sancte ac spiritualiter* » fieri, quæ jubet, imperat, hoc est ita, ut, non illa faciendo, et obtemperando, peccetur. Profecto enim, si sine peccato fieri, quod Mosaica lex præcipiebat, et eo modo, quo præcipiebat fierique mandabat, omnino non poterat; non esset auctore sancita Deo. Ecquis ergo modus ille est, quem Deus in Veteri Testamento servandæ legi præfinierat, ab eo videlicet diversus, quem in Novo Testamento legi itidem novæ Christus addixit? Nimirum iste est, ut amore promissorum bonorum incitati, ac pœnarum timore compulsi in potestate legis essent. Hæc enim nativa proprietas legis est Mosaicæ, Testamentique Veteris, qua, velut οὐσιώδει differentia, ab Novo secernitur. Est autem utriusque conditor Deus, nec aliter potest esse, quam si et discriminis sit auctor, quo ambo invicem distant. Quare tam modus ille terrenis illiciendi præmiis, pœnisve coercendi, quæ est propria Veteris differentia; quam charitate suadendi ac leniter attrahendi, quod in Novo Deus instituit, hujus ipsius voluntati et auctoritati

Quomodo Deum diligere propter bona temporalia non sit malum.

Substantiali.

* Est hic Cornelius Jansenius. Theophilus Alethinus. in tomum VI Petavii Amstæledamensis editionis pag. 159, col. 100 ubi Armacani nomen iterum a Petavio in medium affertur, intelligendum ait Petrum Lombardum in Hibernia archiepiscopum catholicum, qui initio sæculi XVII Romæ floruit. At si Alethinus animadvertisset Petrum hunc *de Regno Hiberniæ sanctorum insula* commentationem solummodo edidisse, quæ nullarum turbarum causa fuit, alium hoc nomine a Petavio hic, atque alibi designatum intellexisset, Iprensem nimirum, uti aiebam, episcopum Cornelium Jansenium, qui adscito Alexandri Patricii Armachani nomine *Martem* suum *Gallicum* divulgaverat. Cur autem Jansenius sub eo nomine latere voluerit, Wendelinus ejus amicus explicat in epistola 17 cal. Augustas a. MDCXXXII perscripta. Z.

1 Tom. III, lib. III, cap. VI. — 2 Tom. III, lib. III, cap. IX, B. 2. Vide et cap. X et seq.

debet adscribi. Quocirca malum per sese non est, sed dignum laude, quod lex antiqua jubebat, Deum colere et amare promissorum spe ac desiderio, vel earum metu pœnarum, quas idem comminabatur Deus. Quod si quis ad illa vocem *tantum*, aut similem adjecerit, ac Judæos legi obsecutos esse dicat, ac Deum amasse *tantum* propter istiusmodi præmia, aut timore supplicii, ac sic illud intelligat, ut in animo sic haberent, se nisi aut illa cuperent, aut ista metuerent, contra legem esse facturos, quis istud neget esse peccatum? Valet enim vox illa *tantum*, prorsus idem, ac si paratum esse dicas obsequentem præcepto legis hominem, quidquid lex vetat facere, nisi commoditates illæ suppetant, quarum cupiditas totum ejus occupavit animum. Hoc autem non est, peccaturum hunc esse, cum hæc negata fuerint; sed jam ipsa voluntate peccasse.

Legi serviliter tantum obedire peccatum est.

IV. Quod argumentum egregie pertractavit Augustinus in tractatu *ad Psalmum* XCIII ubi eos homines describit, qui Deo serviunt interim, dum bene ipsis est; cum autem et sibi mali aliquid obtigit, et illis boni, quos pessimos ac Dei contemptores vident, « Putantes, inquit, infirmi frustra se bene vivere, aut invitantur ad imitandam malitiam eorum, quos quasi florere conspiciunt; aut, si per infirmitatem vel personæ suæ, vel animi, timent male facere, ne aliquid illis secundum leges sæculi mali accidat, non quia justitiam diligunt, sed ut dicam apertius, timentes damnari inter homines, vel ab hominibus, abstinent se quidem a factis malis, sed non se abstinent a cogitationibus malis. Et inter cogitationes eorum iniquas præcipue caput iniquitatis illa tenet iniquitas, qua videtur eos Deus negligere, et non curare res humanas, et aut æqualiter habere bonos et malos, aut etiam, quod est perniciosius cogitare, insectari bonos, et malis favere. Qui talia cogitat, etsi nihil mali alicui faciat, facit plurimum sibi, et in semetipsum impius est, et iniquitate sua lædit Deum; sed interficit se, neque nocent hominibus, quia timidi sunt, qui talia cogitant; sed tamen homicidia eorum, adulteria eorum, fraudes et rapinas eorum videt Deus, et punit in cogitationibus eorum. Quid enim velint, ille attendit, cujus oculus non repellitur carne, ut non videat voluntatem. Tales, si occasiones inveniant, non mali fiunt, sed manifestantur, non ut sentias, quid natum sit manifestum, sed ut intelligas, quod latebat inclusum. » Qui sic animo comparati sunt, hi proprie *serviliter* legi obsequi dicuntur, ac timore servili, de quibus ista subjicit Augustinus : « Docet ergo Deus innocentiam, ut quisque innocens sit, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Tunc enim liber est innocens, et verus est innocens. Qui autem timore innocens est, non est innocens : quamvis non noceat, cum vult nocere. Non enim nocet alteri per effectum malum; sed sibi plurimum per cupiditatem malam. »

Complures in Veteri Testamento propter sola temporalia Deo serviebant.

V. Equidem complures fateor, sub antiquo Testamento tales exstitisse, et ita comparatos, ut Deo ac mandatis ejus recti et honesti amore non parerent, sed sola cupiditate terrenorum bonorum, vel timore servili adeo, ut affectu præsentique voluntate raperentur ad illa concupiscenda, quæ lex vetabat. Præsertim si id verum est, quod veteres aliquos putasse supra memini, nullum vulgo peccatum agnovisse Judæos illos, nisi quod actione ipsa committitur; interiora vero, quæ sunt cogitationis solius et voluntatis, in peccatis non habuisse. Quod quidem imperitis ac vulgaribus hominibus persuasum fuisse facile concesserim, et doctis etiam quibusdam, sed improbis, ac depravatis consuetudine vitiorum. Etenim voluptates ac libidines, nec non aliæ perturbationes, sed illæ præsertim, cujus animum invaserint, occæcare solent, ac judicium ei et veri perspicientiam eripere, ut recte in *Ethicis* Aristoteles scripsit. Qui et « principia rerum agendarum finem esse dicit, cujus aguntur gratia. Porro illi, qui voluptate, vel dolore corruptus est, statim non apparere principium; nec ejus gratia, et ob id omnia eligi, et agi oportere. Vitium enim hujusmodi est, ut finem corrumpat [a]. » Qui hujusmodi erant illo in populo, secundis utcumque rebus, et ex voto succedentibus, Dei ac legis rationem habebant aliquam; sin adversi quippiam accideret, ad querelam et desperationem, ac tandem ad oblivionem et contemptum utriusque vertebantur. Plenæ sunt Scripturæ veteris historiæ, ac prophetici libri tum exemplis istiusmodi, tum illorum vocibus et querimoniis. Quarum specimen sit ista apud Malachiam : *Et dixistis : Vanus est, qui servit Deo ; et quod emolumentum, quia*

a Arist. VI *Ethic.* cap. 1. Αἱ μὲν γὰρ ἀρχαὶ τῶν πρακτῶν τὸ οὗ ἕνεκα τὰ πρακτά· τῷ δὲ διεφθαρμένῳ δι' ἡδονὴν, ἢ λύπην εὐθὺς οὐ φανεῖται ἡ ἀρχὴ, οὐδὲ δεῖν τούτου ἕνεκα, οὐδὲ διὰ τοῦθ' αἱρεῖσθαι πάντα, καὶ πράττειν. ἔστι γὰρ ἡ κακία φθαρτικὴ ἀρχῆς.

custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes; siquidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt[1].

VI. Atque hoc passim Augustinus docet; paucissimos in illa lege spirituales fuisse, plerosque autem omnes carnales, qui spiritualem legem carnaliter servarent, hoc est qui non modo nesciebant, quid spiritualiter illa significaret, sed etiam carnalia ipsa præcepta, sive carnalibus et terrenis implicata promissis sola externa specie, ac cogitatione affectuque bonorum istorum, qualicumque cura dignabantur, id est *carnaliter* observabant, sine ullo vero solidoque sensu pietatis, et honesta motione voluntatis, quæ cupiditatibus ebria, solis inhiabat istis, nec se altius erigebat.

Hic pravus affectus alienus a legislatoris instituto.

Hunc ergo statum, et affectum, quem *carnalem* et *animalem* vocat Apostolus, quique *ea non percipit, quæ sunt Spiritus Dei*[2], ut in Veteri Testamento majorem occupasse partem hominum arbitror, sic alienum ab legis, et auctoris hujus instituto ac proposito fuisse defendo; mecumque adeo catholicum nomen omne consentit. Itaque ex accidenti et occasione tantummodo, non destinatione legis, et consilio legislatoris labes ista conflata est, ut ex Apostolo et sanctis Patribus late antea demonstravimus[3]. Hoc vero posito, quam sit effrenata nupera illius Dogmatis licentia, patet, quod *statum* ipsum Testamenti Veteris infamare studet; et, quæ hominum illi subjectorum vitio ac pravitate contigerunt, ea transferre audet in Ecclesiam ipsam, et Synagogam. Imo vero corruptelam hanc terrenæ vitiosæque cupiditatis quasi insitam illi statui fuisse vult; eumque sibi finem ac scopum in lege danda proposuisse conditorem legis ac Testamenti Veteris Deum. Relegantur ea loca, quæ nos illorum e scriptis supra citavimus, nihil aliud sentire ipsos, quam quod dixi, reipsa comperiemus. Ut cum dicunt, « Synagogam, consideratam ut Synagogam, non esse aliud, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem solis terrenis et carnalibus incubantium, et propter illa sola colentium unum Deum[4], » etc. Quam impuram ac fidelium auribus merito detestandam vocem eo pertinere, quis non videt; ut Ecclesia ipsa veteris legis, ac status ipse antiqui Testamenti, prout divino consilio ac voluntate constitutus est, neque ex accidenti, sed per se, corruptus ac damnabilis fuisset? Ex quo et in christianam Ecclesiam ac Novum Testamentum eamdem importari posse calumniam ostendimus; in quo longe plures sunt carnales, et animales ac reprobi, quam spirituales, aut electi.

VII. Neque vero pestiferæ isti novitati suffragatur Augustinus; cujus potissimum testimoniis utuntur, stulta magis, quam malitiosa, etsi inest utrumque, interpretatione corruptis. Nihil enim Augustinus aliud voluit, quam quod Apostolus de lege ipsa luculenter disputat[5], per eam vires sumpsisse peccatum; imo vero *virtutem peccati esse legem*[6] et id genus alia; quæ non hoc efficiunt, ut id legi ipsi per sese, et ex scopo ejus ac præscripto fine conveniat; sed ut aliter, atque ipsa studeret, et fieri vellet, improbitate hominum sit factum, bona re ac salutari ad exitium ac perniciem abutentium. Sed unum, alterumve illius locum in specimen adducamus, ut ex eo conjecturam de cæteris facere possimus.

Præcipuus est e tractatu in *Psal.* LXXII ubi Testamentum Vetus, figuram adumbrasse scribit Novi, et illius promissa terrena, cœlestium hujus significationem habuisse, quam soli pii ac spirituales intelligerent, velut patriarchæ, ac prophetæ: « Synagoga ergo, inquit, id est qui Deum ibi pie colebant, sed tamen propter terrenas res, propter ista præsentia. Sunt enim impii, qui præsentium rerum bona a dæmonibus quærunt. Hic autem populus ideo melior erat gentibus, quod quamvis præsentia bona et temporalia, tamen ab uno Deo quærebat, qui est creator omnium et spiritalium, et corporalium. Cum ergo illi pii secundum carnem attenderent, id est illa Synagoga, quæ erat in bonis, pro temporalibus bonis, non spiritualibus, quales erant ibi prophetæ, quales pauci intellectores regni cœlestis æterni: ergo illa Synagoga animadvertit, quæ acceperit a Deo, et quæ promiserit Deus populo illi, abundantiam rerum terrenarum, patriam, pacem, felicitatem terrenam. Sed in his omnibus figuræ erant, et non intelligens, quid ibi lateret in rebus figuratis, putavit, hoc pro magno dare Deum, nec habere melius, quod dare posset diligentibus se et servientibus sibi. Attendit, et vidit quosdam peccatores, impios, blasphemos, servos dæmonum, filios diaboli viventes in magna nequitia et superbia abundare rebus talibus terrenis et temporalibus pro qualibus rebus ipsa Deo

1 *Mal.* III, 14. — 2 I *Cor.* II, 14. — 3 *Rom.* VII, 8. — 4 Lib. III, cap. VI. — 5 *Rom.* VII; *Gal.* III. — 6 I *Cor.* XV, 56.

serviebat; et nota est cogitatio pessima in corde, quæ faceret nutare pedes, et prope labi a via Dei. Et ecce ista cogitatio in populo erat Veteris Testamenti [1]. »

VIII. Verum Augustinus ibi longe distat ab temeritate novæ factionis, quæ « Synagogam, consideratam ut Synagogam, turbam fuisse dicit carnalium hominum, qui nihil omnino, nisi carnalia sectabantur, a vera cordis justitia, et regno cœlorum assequendo valde remoti; » tum legem addit « vitioso huic amori fomenta et præmia ex professo promisisse. » Non sic Augustinus, neque Synagogam dixit, qua Synagoga erat, talem fuisse, qualem ibi describit. Sed nec totam et integram Synagogam, verum partem totius, hoc est congregationem eorum, qui nondum perfecti erant. Nam et alia pars, aliave Synagoga fuit non piorum carnalium, sed spiritualium, et perfectorum. Ac tametsi Judæos omnes, totamque Synagogam et Ecclesiam fateremur, ex priore illo carnalium piorum genere fuisse; non recte propterea diceretur, Synagogam, qua Synagoga erat, talem extitisse. Plurimum enim invicem illa discrepant: totam Synagogam carnalem, adde, si lubet, etiam vitiosam fuisse, et Synagogam, qua Synagogam, talem fuisse. Quorum prius hoc significat, Judæos omnes, qui Synagogam constituunt, corruptos ac depravatos fuisse; quod in culpam hominum, ac dedecus redundat.

Etsi omnes Judæi carnales essent, Synagoga bona utpote a Deo instituta.

Posterius indicat, statum ipsum ac formam Ecclesiæ, sive communitatis fidelium ad veri Dei notitiam, ac fœdus ex omnibus assumptæ gentibus, ab iisque sacramentorum et certorum rituum genere separatæ, vitium illud ac pravitatem habuisse. Hoc vero, non tam hominibus ipsis, quam sacramentorum, et fœderis, ac fœderatæ communitatis institutori Deo vitio vertitur. Quid enim est *Synanoga, ut Synanoga est*, quam illius temporis Ecclesia? « Quamvis enim, ait Augustinus, proprie dicatur Synanoga Judæorum, Ecclesia vero Christianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio vero magis hominum intelligi solet, tamen et illam dictam invenimus Ecclesiam [2]. » Et alibi: « In Synagoga populum Israel accipimus, quia et ipsorum proprie Synagoga dici solet, quamvis et Ecclesia dicta sit. Nostram vero Apostoli nunquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, sive discernendi causa [3], » etc.

Idem applicatur Ecclesiæ.

IX. Fingamus, si lubet, christianos omnes, qui *Ecclesiam militantem*, ut vocant, constituunt, salva fidei integritate, qua catholici sunt, corruptis esse moribus, ac lethalibus culpis vitiisque contaminatos, excepto nemine. Tunc vero, utcumque dici possit, Ecclesiam omnem esse « turbam carnalium hominum, a vera cordis justitia, et regno cœlorum assequendo; » nullus tamen nisi profanus, et impius dicere audeat, Ecclesiam, qua Ecclesia est, vel, quod eodem recidit, Ecclesiam christianam, qua christiana est Ecclesia, sceleratam esse, ac maculis istis et sceleribus infectam. Quid ita? nempe quia Ecclesia, qua Ecclesia est, solius est opus Dei; *Dei*, inquam, *agricultura est*, *Dei ædificatio est* [4]. Quare qui Ecclesiam culpat, qua est Ecclesia, Deum infamat ipsum. Quanquam quid Ecclesiam hic nomino, hoc est spirituale quoddam, ac cœleste opificium, et divinum, in quod, qua est ejusmodi, labes nulla cadere potest? Illa ipsa communitas hominum secundum naturam spectata, si in vitium universa concidat, ut ante diluvium, uno, vel altero excepto contigit, quando *omnis caro corruperat viam suam* [5], non tamen dici propterea licebit, omnes homines, qua homines sunt, vel naturam humanam universam, qua natura est humana, vitiatam esse. Id enim esse, naturam ipsam per sese malam, ac Deum, Manichæorum more, mali conditorem facere. Quanto minus hoc, non modo de christiana, sed etiam de Judaica usurpari Ecclesia, vel Synagoga, tolerare possumus?

X. Sed nihil facimus, nisi fontem ipsum recludimus pestilentis erroris, qui et veteres illos, atque obsoletos hæreticos, et horum imitatores amentiæ, Calvini discipulos occæcavit. Ut hoc monstremus illis, cujus et ipsos inscitia in tantam fœditatem opinionis induxit; et aliis ab hoc veneno adhuc intactis non parum notitia proderit, recordari primum necesse est ejus, quod ex Apostolo supra posui, *nihil ad perfectum adduxisse legem* [6], neque *per legem esse justitiam* [7], *nec justificari quemquam ex operibus legis* [8]. Deinde finem hunc in lege ferenda Deum habuisse, ut peccata reprimeret, et ad meliorem vitam revocaret homines tum spe terrenorum bonorum, tum pœnarum metu. Neque vero sola id lege voluisse Deum assequi; sed eatenus, ut, per legem cognito peccato, cum ostensis ab illa commodis, hujus miseriam ac perniciem

1 Aug. in *Psal.* LXXII. — 2 Tract. in *Psal.* LXXVII. — 3 *Ad Ps.* LXXXI sub. init. — 4 I *Cor.* III, 9. — 5 *Gen.* VI, 12. — 6 *Hebr.* VII, 19. — 7 *Gal.* II, 21. — 8 *Gal.* II, 16.

commutare vellent, et ad Deum confugerent, ab eoque opem ac remedium peterent. Hoc autem neque viribus propriis, nec aliunde, quam a divina misericordia et gratia, Christique, quem obscuris significationibus intelligebant, meritis impetrabant.

Hunc adjumenti et gratiæ modum, qui peccatores ad confessionem, et medicinæ ac sanitatis desiderium et postulationem perduceret, legi Mosaicæ subjunctum fuisse, non ex legis ipsius vi et indole, sed ex legislatoris bonitate, tum Apostolus indicat, tum Augustinus disertius et explicatius affirmat, uti supra demonstratum est. Hoc autem eo consilio factum est, ut, si Judæi *legitime uti lege* vellent, et initialis istius gratiæ ductum et impulsum sequi, ultra legem, et usitata illi adjuncta præsidia provecti, alterum ad statum transirent, qui spiritualis, et lex fidei dicitur, ac Novi Testamenti proprius, in quo, peccatorum venia percepta, justificatique per fidem, plenam ac solidam animi sanctitatem et justitiam obtinerent, nec jam propter temporalia commoda, vel timore pœnæ, aut serviliter Deum amarent, et ejus mandata facerent, sed amore justitiæ, « Ut jam non essent legi subditi per reatum, sed legi sociati per justitiam [1].

XI. Ex iis consectarium istud est scitu dignissimum, quo novæ calumniæ fucus et versutia repellitur. Nimirum, statum illum legis ac Veteris Testamenti proprium, ad quem instituendum Mosaica lex cum ordinario, et attributo sibi divinitus auxilii necessarii modulo perducere poterat; qui in eo consistebat, ut Deum verum, largitorem promissoremque temporalium bonorum, ac peccatorum severum vindicem, propter illa ipsa bona, et terrore pœnarum istarum colerent, et ejus præcepta servarent; hunc, inquam, statum, quatenus a Deo manat, et si per sese spectetur, malum non esse, neque damnatione dignum, imo potius laudabilem, et propter adjunctum misericordis gratiæ subsidium ad salutem præparasse, non tamen adventitio caruisse peccati consortio, nec ab æterna damnatione liberasse. Nam duo sunt in illo consideranda : primum est, affectus ille animi, quem Deus in danda lege procurabat, ut et spe divinorum munerum, et metu pœnarum peccata sua detestarentur, ac legi obtemperare cuperent. Alterum est, peccatum anterius, sive peccata potius ante legis notitiam admissa, vel *transgressiones*, *propter quas* lex ab Apostolo *posita* dicitur [2]. Cum igitur lex ad illarum remedium et sanationem constituta sit, non ut penitus aboleret, iisque detersis, sanitatem et justitiam conferret, sed ut viam pararet medicinali gratiæ Christi, hujusmodi præparatio, et quasi prævia medicatio, ac purgatio fuit uterque affectus ille, quem dixi, amoris Dei propter bona et terrena, cum spe eorumdem ab illo promerendorum, et timoris initialis, quo peccandi voluntas excludebatur. Ambo enim honesti erant; et, quamvis ad susceptas hactenus criminum labes expiandas, repræsentandamque justitiam non sufficerent; ad hanc tamen pro suo modulo perducere nitebantur. Quamobrem, si in illo statu consisterent, non erat in tuto posita salus ipsorum ; neque Deo grati erant et accepti, aut ad sempiternam vitam idonei, non ipsius vitio status, qua legis est ac Testamenti Veteris, sed quasi ex accidenti, et propter pristinas sordes et maculas, quæ nondum elui, nisi abundantiore copia cœlestis auxilii poterant.

XII. Ut si medicus veteri ægroto curationem adhibeat, et ante postrema et decretoria remedia, quibus morbus profligandus est, ejecto humore noxio, vel putri abscissa corporis parte, dandis potionibus, vel alvo ducenda, ac lenibus quibusdam medicamentis male affectum corpus præparat; quandiu hoc molitur, et in eo statu est æger τῆς προκαθάρσεως, ac velut prolusionis et *præmedicationis*, nondum sanitatis est compos, aut mortis periculo vacuus. Neque tamen ob id præcise morbida et periculosa est hæc affectio corporis, quod his curationis primordiis subest, cum tanto propius ad sanitatem pertineat, cujus jam aliqua in parte versatur. Verum propter anteriorem morbum, cui emolliendo ac propulsando idoneas vires initia illa non conferunt, male esse corpus habitum, et periculose laborare dicitur. Sic, cum peccator quispiam transit ad justitiam, quæ *justificatio* vocatur, necessaria est in adultis præparatio quædam, quæ præveniente fit gratia, quando, « qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponuntur [3], » ut Tridentini Patres asserunt. Qui præparationem hanc multiplicem statuunt, qua pedetentim ad

1 Aug. lib. IX *contra Faust.* cap. VII. — 2 *Gal.* III, 19. — 3 Trid. conc. sess. VI, cap. V.

justitiam proceditur. Primum enim « Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum; tum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem[1].» Quibus, et aliis modis demum « ad peccatorum remissionem, et sanctificationem ac renovationem interioris hominis perveniunt, per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum Dei; unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ[2]. » In hac ergo progressione si ille peccatoris status præcise consideretur, quo etiamnum tendit ad justitiam, nec dum eam attigit, non est a peccati laqueis extricatus, nec immunis ab reatu damnationis æternæ; neque tamen eo ipso talis est, quod iis gradibus et accessionibus ad perfectam sanitatem promovetur, tanquam culpabilis sit, et vitiosa illa curationis progressio. Hæc enim, quantum in se est, tendit ad sanitatem; sed quoniam imbecillior est, ac minus efficax, quam ut eam per se recuperare possit, non sua, sed aliena labe, mortis æternæ reum, qualem reperit, non fecit, peccatorem relinquit. Hæc plane graphica est et expressa similitudo status illius et habitus animi, ad quem velut ad scopum et finem, Testamentum Vetus ac lex Mosaica dirigebatur. Quod minime discernentes nuperi criminatores illius Testamenti, quæ hominum erant vitia, in legem ipsam stolide refundunt.

Vetus Testamentum e lupis fecit oves, Novum ex ovibus filios.

XIII. Cogitemus illud præterea, quod ad Augustini mentem accuratius explorandam, et recentem convincendam hæresim plurimum valet; cum lex ideo data sit, ut peccatores altius in scelera sua demersi resipiscerent, et per illud legis auxilium ad sanantem et justificantem ex fide Christi gratiam contenderent; sic esse transitionem istam, ut si ex lupis primum oves, deinde homines ex ovibus divina voluntate ac potentia fiant. Sic enim ex idolorum veneratoribus, et grandium criminum ac flagitiorum spurcitia contaminatis, populum sibi Deus eligens, sive Ecclesiam, aut Synagogam, quasi ex lupis et impacatis hostibus, non repente filios instituit facere, sed *oves* prius ac mitium pecorum gregem, quem in deserto ipse pavit, indeque in opima pascua transtulit, *montem pinguem, et coagulatum*[3], *humum lacte, ac melle manantem*[4]. *Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto*, etc. *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisivit dextera ejus*[5]. Et alibi : *Qui regis* (Hebraice רועה *Pascens*) *Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph*[6]. Hinc et Synagoga (quod nomen proprie congregationem esse pecorum, dicit Augustinus supra citatus a nobis[7]) vocata est Testamenti Veteris Ecclesia. Quocirca primitus domitis et mansuefactis, et utcumque conversis ad Deum, nec adhuc humanitatem penitus edoctis lex illa congruebat, quæ terrenas res, et ad usum vitæ præsentis accommodatas sic, tanquam pabula, domesticis animantibus ostenderet, ac virga insuper metuque verberum indociles et contumaces officii admoneret; quam figuram eleganter Psal. XXII expressit.

XIV. Augustinus vero pulchre in locis aliquot eidem similitudini suffragatur. Ut in *Expositione epistolæ Pauli ad Romanos*[8] : « Ecclesia, inquit, ex vocatione appellata est; Synagoga vero ex congregatione. Convocari enim magis hominibus congruit; congregari autem magis de pecoribus dici solet, unde greges pecorum proprie dici solent. Quanquam ergo plerisque Scripturarum locis ipsa Ecclesia grex Dei, et ovile Dei, et pecus Dei vocetur; tamen, cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinent. Et apparet, hujusmodi homines non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissionum tanquam terreno pabulo esse contentos. » Et in tract. ad *Psalmum* LXXXI, illum alium locum referens, *Quasi pecus factus sum apud te, et ego semper tecum*[9] : « Cum utique, ait, quamvis uni vero Deo mancipatus videretur, pro magnis tamen ac summis bonis ab illo carnalia, terrena, temporalia requirebat. »

Hinc illud evidens est, quomodo, qui sub Vetere Testamento pie Deum colebant, intra mensuram ac modulum legis, necdum eo processerant, ut spiritales essent, ac fidei spiritum obtinerent, nondum justi essent; nec tamen mali ob illud ipsum, quod eos in statu isto collocabat, neque æterna damnatione plectendi, sed propter peccata aliunde contracta, quibus eluendis impar erat ille, qui tum eos occupabat, alioqui suopte pretio ac

1 Conc. Trid. sess. VI. — 2 Ibid. c. VII. — 3 *Psal.* LXVII. — 4 *Num.* XIV, 8. — 5 *Ps.* LXXVII, 52. — 6 *Ps.* LXXIX. — 7 § 7. — 8 Sub initio — 9 *Ps.* LXXII; ita Aug.

dignatione commendabilis affectus. Præter hos extiterunt alii in eodem populo, qui sic ex illis pendebant terrenis, et præsentibus bonis, et legi quomodocumque parebant, ut intus animo ac voluntate peccarent, et rebus illicitis gauderent adeo, ut quidquid ex lege servabant, id sine ullo motu piæ voluntatis, solo metu, vel carnalis boni cupiditate facerent. Hi proprie *carnales* erant, et *carnaliter* mandata legis observabant.

XV. Ex hoc genere carnalium Judæorum, qui nullo pietatis impulsu, sola cupiditate rerum externarum, vel ambitione, ac laudis auræque popularis captandæ studio, legis observantiam præ se ferebant, Scribæ ac Pharisæi fuerunt Christi tempore, ut ex evangelica historia et Christi ad illos sermone constat. Quos et hypocritas idcirco vocat, quod legis corticem tantummodo tenerent, et externam illius umbram ac speciem, hoc est ritus ac cæremonias, et quæcumque in oculos ac sensus hominum incurrunt, scrupulose anxieque præstarent; quæ vero lex potissimum requirit, virtutum scilicet officia ex intimo manantia, ut sunt religiosus in Deum amor et cultus, in homines charitas et benignitas, in omnes beneficentia, præsertim in parentes, nolle cuiquam injuriam facere, acceptam vero comiter ignoscere, et id genus alia, quæ passim in lege, ac Scriptura veteri præcipiuntur, ea negligebant, proque illis arrogantiam, superbiam, crudelitatem, immanitatem, avaritiam, fraudem, ac cætera vitia in pectoribus fovebant. *Væ vobis*, inquit, *Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum; et reliquistis, quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem; hæc oportuit facere, et illa non omittere*, etc. *Quia mundatis, quod deforis est calicis, et paropsidis; intus autem pleni estis rapina, et immunditia* [1].

Veteris Novique Testamenti comparatio.

XVI. De hoc Testamenti Veteris filiorum genere, et animo erga legem fuse utiliterque disserit Augustinus in *Psalmum* LXXIII, ubi primum leges ambas inter se comparat, veterem, ac novam, et utriusque promissa. Nam eadem ambarum præcepta fuisse dicit, sed Sacramenta, præmiaque diversa. « Præcepta, inquit, eadem Sacramenta non eadem, promissa non eadem. Videamus, quare præcepta eadem; quia secundum hæc Deo servire debemus [1]. Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem, etc. Promissa quare non eadem? Quia promissa est terra Chanaan, terra copiosa, fructuosa, affluens lacte et melle, promissum regnum temporale, promissa felicitas sæculi, promissa fecunditas filiorum, promissa subjectio inimicorum. Hæc omnia ad terrenam felicitatem pertinent. Sed quare ipsa primo promitti oportebat? Quia non primo, *quod spirituale est, sed quod animale;* postea, inquit, *spirituale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis; qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes* [2]. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus, qui de cœlo est. Ad imaginem terreni pertinet Vetus Testamentum; ad imaginem cœlestis Novum Testamentum. Sed, ne quisquam putaret, ab alio factum esse hominem terrenum, ab alio cœlestem, ideo Deus ostendens, se esse utriusque creatorem, etiam utriusque Testamenti se esse voluit auctorem, ut et terrena promitteret in Veteri Testamento, et cœlestia in Novo Testamento. Sed tandiu primus homo terrenus es, quandiu terrena sapis. Numquid, quoniam puero dantur puerilia quædam ludicra, quibus puerilis animus avocetur, propterea grandescenti non excutiuntur e manibus, ut aliquid jam utilius tractet, quod grandem decet? Verumtamen tu ipse dedisti filio tuo et nuces parvulo, et codicem grandi [3]. » Hactenus proprium ac genuinum scopum exposuit, in quem Deus intendens legem veterem tulit; cujus auctor ipse fuit, et eorum exactor operum, quæ fini illi et consilio respondebant. Ex quo sæpius id conclusimus, non esse pravum vitiosumque simpliciter, amore terrenorum bonorum legis mandata facere, ne vitii ac peccati Deus auctor habeatur.

XVII. Verum improbi ac scelerati homines *bona lege non legitime* utentes, sed, promissore contempto, sola ejus promissa consectantes, et externa tantummodo persequentes opera legis, interiora vero ac præcipua pensi nihil habentes; quales fuere Pharisæi, et Scribæ, Judæique cæteri, a quibus interfectus est Dominus; quid egerint postea, sic enarrare pergit Augustinus : « Illi autem inhærentes terrenis, miseri, et non de illo præsumentes, qui fecit cœlum, et terram, qui eis dedit et ipsa terrena, qui eos etiam temporaliter de Ægypti captivitate liberavit, qui eos per divisum mare duxit, qui eorum inimicos perse-

1 *Matth.* XXIII, 23 et *Luc.* XI, 42. — 2 I *Cor.* XV, 46. — 3 Aug. in *Psal.* LXXIII.

quentes fluctibus obruit, non in illo præsumentes, qui daret utique cœlestia grandibus, sicut terrena parvulis dedit, timentes perdere, quod acceperant, occiderunt, qui dederat. » Mox de iisdem illis non piis utique Judæis, quales ad *Psalmum* LXXII, in loco supra citato commemorat, sed impiis, et hypocritis loquens, « Hæc dicimus, fratres, inquit, ut omnes de Novo Testamento discatis non inhærere terrenis. Si enim illi inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum Novum Testamentum nondum fuerat revelatum, quanto inexcusabilius terrena sectantur, quibus jam promissa cœlestia in Novo Testamento revelata sunt ? » Quibus verbis adversarius abutitur, ut universe Judæos omnes, qui legi quondam obsecuti sunt amore temporalium bonorum, eo ipso peccasse probet, nec excusari posse. Verum manifestum est, Augustinum non de omnibus Judæis, sed de solis iis loqui, qui terrena ista Deo præferentes, externa tantum legis opera præstabant, sive partem illius duntaxat, quæ *cæremonialis* dicitur, ac corporis administratione geritur; quæ autem ad mores attinent, et ad Dei ac proximi dilectionem compendio revocantur, ea funditus omittebant [1]. Cujusmodi fuisse docui Pharisæos et Scribas hypocritas, legis ea parte, quam dixi, tenacissimos, et ad superstitionem ridiculam, et anilem usque studiosos. De quibus tamen vere Christus exprobrat, *Nonne Moses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem* [2]? De talibus loquitur Augustinus, qui et Dominum occiderunt, et non modo perfecta charitate carebant, quam in Veteri Testamento soli spirituales adepti sunt et justi, sed illa quoque initiali et inchoata, cujus fructu circumscriptam esse diximus ordinariam legis et adjuncti huic auxilii in Judæis efficientiam; ut, peccandi voluntate deposita, legem observare, Deoque placere cuperent, spe terrenæ impetrandæ felicitatis, vel animadversionis metu. Qui motus animi nec sine gratia in illis excitabatur, nec tamen idoneus ad ingenerandam justitiam erat; valebat tamen ad eam promerendam, et ad pios illos Mosaicæ cultores legis ad majora promovendos.

Quatuor classes Judæorum.

XVIII. Quocirca, ut ex superioribus colligitur, quadrifariam populus ille Judaicus, sive Synagoga distribui debet, non trifariam solum, ut vel imperite, vel veteratorie Calviniamus Dogmatistes existimat. Primum genus eorum fuit, quos *spirituales Judæos* appellant, justos scilicet ac sanctos, ut fuerunt prophetæ aliique qui legem non figura tenus observabant, sed ad interiorem ejus spiritum, et perfectam charitatem pervenerant, nec jam spe temporalium bonorum, vel timore pœnæ, sed amore justitiæ, ac filiorum affectu Deo serviebant; quos *sub lege* non fuisse, sed *cum lege*, dicit Augustinus supra laudatus a nobis, et hæredes Novi Testamenti nominat.

1ª Spiritualium seu perfectorum

Secundo post illos in gradu numerantur, qui solo hoc affectu, quem lex proprie spectabat, officium implebant, aut implere certe cupiebant; ut abhorrentes animo ac voluntate ab eo, quod lex vetabat, et ei obtemperare studentes, nonnisi bonorum ejusmodi spe, qualia promittebat illa, vel malorum metu, quæ intentabat, ita comparati essent. Hi nimirum, ut nondum justitiam adepti fuerant, sic in via progressuque erant ad eam assequendam; et, ut carnales appellari queant, legem tamen non carnaliter observabant, hoc est malo et vitioso animi impulsu ac studio, sed eo solum, quo contenta lex erat.

2ª Imperfectorum.

Tertium ordinem tenent ii, qui legis duntaxat cæremonias, et externa officia diligentissime servabant; ablutiones corporis, ciborum delectum, neomenias, sabbata, circumcisionem, et alia sacramenta; virtutis autem ac morum præcepta insuper habebant, nec nisi speciem quamdam pietatis, et larvam præ se ferebant. Qui, ut ait Christus, « similes erant sepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Sic illi foris quidem apparebant hominibus justi, intus autem pleni erant hypocrisi, et iniquitate [3]. » Hi non modo carnales fuerunt, sed etiam, quod de lege retinuerunt, hoc nonnisi *carnaliter* fecerunt. Neque tamen in idolorum cultum proclives erant, sed ab illis, et gentilium commercio, ultra etiam, quam necesse fuit, abhorrebant adeo, ut pro lege patria non dubitarent mortem oppetere, corpusque suum exquisitissimis offerre suppliciis. Hujusmodi Christi Domini tempore, ac deinceps ad excidium usque urbis ac templi fuere Judæi. Qui, ut Josephus narrat, religionis suæ ac sacrorum tuendorum gratia, multa et horrenda tum privatim, tum publice pertulerunt. « Observantes, ait Arnobius ad *Psalmum* XIII, sabbata et baptismata calicum et urceorum; Dei vero Filium et ejus discipulos, ut diximus, persequentes, confitentes, se pa-

3ª Hypocritarum contra quos detonat Christus.

1 *Matth.* XXII, 37. — 2 *Joan.* VII, 19. — 3 *Matth.* XXIII, 27.

trem habere Abraham, de genere, non de justitia præsumebant. » Quin et hodieque natio ista eo duci spiritu videtur. Nam exteriorem cultum legis ac cæremonias omnes, quoad potest, morose et superstitiose custodire pergit, et quodlibet supplicii mortisque genus toleret potius, quam ut religionem patriam ejuret, vel contra majorum suorum decreta faciat. Cæterum, quod ad mores pertinet, improbissimi sunt ac nequissimi, rapaces, avari, perjuri, in fraudes ac fallacias intenti. Ad idque plurimum valet cum servitus ipsa, in qua nati educatique sunt, et quæ servilibus vitiis eorum mentes inficit; tum institutio ac disciplina, qua ab magistris suis ex Talmudicis libris erudiuntur. Quorum quidem librorum genius et indoles fere est hujusmodi, ut de exterioribus tantummodo ritibus officiisque præscribant, ac de iis innumera præcepta tradant, quorum multitudine, varietate, anxia, et enucleata subtilitate distentus et irretitus animus, ac penitus obrutus, majoribus ac præcipuis maximeque necessariis vacare non potest.

4° Pessimorum.

XIX. Quarta et infima in classe reponendi sunt Judæi veteres, qui avitæ religionis non valde studiosi erant; nec uni colendo Deo, quem a majoribus acceperant, admodum dediti. Sed tantisper in Synagogæ, ac sacrorum communione, et Judaismi professione manebant, dum res ipsorum secundum cursum tenerent, ac nihil esset, quod præsentem felicitatem, et bonorum temporalium, quibus solis inhiabant, fructum impediret. Simul atque vero molestiæ aliquid et calamitatis inciderat, ac vel lucri commodique spes majoris affulserat, vel vitæ aut fortunarum amittendarum periculum imminebat; tum ejurata fide, ac religione, ad gentilium sacra et idola transibant. Tales plerique Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis ac cæterorum prophetarum ætate Judæi fuerunt, nec non Machabæorum, ut ex illorum omnium libris, et historiis constat.

Protervus.

At Armacanus ὁ Ὑβριστής, pro quatuor iis ordinibus tres duntaxat Judæorum constituit, ex puncto secundo, quem cum tertio jungit; eo nimirum animo et consilio, ut omnem funditus affectum animi, quo propter terrena commoda, vel ob metum pœnarum, Deo ac mandatis ejus obtemperatur, tanquam malum vitiosumque condemnet. Quod non est ita. Multum enim inter secundum et tertium gradum interest, ut ex antecedentibus patere confido. Ex quibus etiam facilis erit reliquorum omnium Augustini locorum explicatio, quæ pro suo errore protulit. Ut hic finem contra Calvinum ejusque stirpem omnem ac reliquias disputandi faciam, pluribus alias de hac tota re verba facturus, si Deo visum erit, cum de gratia, de spe, et charitate, deque lege, ac similibus theologicis dogmatibus ex professo sermonem faciam.

DIONYSII PETAVII

AURELIANENSIS

E SOCIETATE JESU

In tomum secundum operis Theologicorum dogmatum

PRÆFATIO

IN QUA DE TRINITATIS DOGMATE ET EJUS TRADITIONE PER TRIA PRIORA SÆCULA PROPAGATA DISSERITUR.

CAPUT PRIMUM.

Trinitatis mysterium fundamentum esse christianæ professionis. Ideo de illo universe disputandum ; quibus venis illius ad nos traditio pervenerit. De traditione ejusque vi ad fidei dogmata conservanda. Aliud est δόγμα, *aliud* κήρυγμα. *Traditionis usus duplex, tum ad propaganda fidei decreta non scripta ; tum ad interpretanda scripta. Qua ratione fides Trinitatis per ætatum successiones delapsa fuerit ; ac de antiquis Patribus, qui Nicænæ synodi tempus antecesserunt ; quorum aliqui non satis accurate de hoc mysterio locuti sunt. Quid in illis spectandum.*

Dogma.

Institutum, Ritus.

Trinitatis fides christianæ religionis fundamentum.

I. Fidei, et professionis ejus, qua Christiani sumus, caput est unius summi Dei in essentia unitas, et in personis differentia, quo uno velut fundamento stat catholicæ structura religionis ; atque ab Judæorum et gentilium utrimque pravitate disjungitur. Quod a Basilio, Gregorio Nazianzeno, aliisque notatum Patribus suo loco meminimus ; et Hilarius in octavo *de Trinitate* libro his verbis exposuit : « Hoc Ecclesia intelligit : hoc Synagoga non credit : hoc philosophia non sapit, unum ex uno, et totum a toto Deum, et Filium, neque per nativitatem Patri ademisse, quod totus est, neque hoc ipsum totum non secum nascendo tenuisse. » Hoc cum probe judicasset perennis ille Christi hostis et Ecclesiæ diabolus, illud præ cæteris sumpsit sibi, contra quod omnes suos conatus, machinationes et artes omnes, studium et industriam omnem, vires omnes ac potentiam explicaret.

Nam nullum ab initio fere aut oppugnare violentius est aggressus, aut in oppugnando perseveravit constantius, dum vel penitus oblitterare mysterii illius fidem, et mentionem studet, vel, si id non succederet, depravare certe, ac sive detrahendo, sive addendo sinceritatem illius inficere. Oppugnandi vehementiam et ardorem atrox ac furibunda illa testatur Arianorum impressio, et, qui ab his scissi postea sunt, Aetianorum, Eunomianorum, Macedonianorum. Qui furore et in Catholicos odio præcipites, ac principum et imperatorum armati potentia, ferro, cæde, proscriptionibus, et omni genere atrocitatis immanem ubique stragem et carnificinam exercuerunt. Pervicaciam indicat grassandi ac perbacchandi diuturnitas et constantia. Nam, ex quo primum excitatum est ab inferis horribile portentum hæresis nefandæ, etsi debilitari interdum, et ad tempus comprimi potuit, nunquam sic est extinctum et oppressum, ut non modo his, modo illis in locis fumarent ejus reliquiæ, ac parte sui aliqua rem catholicam infestam, atque exercitam haberent.

II. Quæ dogmatum pestilentia quatenus his nostris temporibus perditorum hominum audacia renovari ac recrudescere cœpit, discent qui volent iis ex libris, qui in Germania, Polonia, Dacia, et finitimis locis pro illa, vel contra illam centum abhinc annis prodie-

runt; et nos in præstatione tertii libri tomi hujus quædam de hac re memoravimus. Fecit eadem importunitas truculentæ ac capitalis hæresis, ut adversus hanc plura, quam adversus reliquas simul universas, a doctis, et catholicis viris elucubrata fuerint. Quorum admoniti exemplo, tomum integrum de tribus nostris huic explicando ac propugnando uni dogmati secrevimus. Neque tamen omnia in tam grande volumen conferre complectique potuimus, non modo quæ tanta postularet illius ubertas argumenti, sed vel ea, quæ nobis ad dicendum ex antiquorum usu ac lectione suppeterent. Sed infinitati rerum moderata est ea, quæ scriptorem regere debet, lectoris commoditas, metusque fastidii; ne tanta mole defessus uniusmodi tractationis, ad cætera nauseæ odiique plenus accederet.

Nunc antequam eo te dimitto, quisquis es perinde amans catholicæ religionis, ac subtilis, et eruditæ sapientiæ, paucis hic detinere volo te, et qui præcipuus ex his libris de Trinitate capi fructus debet, eum tibi ante oculos ponere. Etenim in id potissimum incubuimus toto in hoc Theologicorum dogmatum opere, ut tum singula fidei christianæ, tum doctrinæ, qua hæc illustratur, acute disputantis capita, suam ad originem fontemque revocemus; hoc est, ostendamus illud, quibus venis ac lineis unumquodque fidei dogma ad sua principia pertineat; quæ nos duo triave constituimus in prolegomenis tomi primi, adeoque totius operis, scripturam, œcumenica concilia, traditionem, quæ Vincentius Lirinensis duobus definit istis, « primo scilicet divinæ legis auctoritate, tum deinde Ecclesiæ catholicæ traditione. » In theologicis vero quæstionibus, quemadmodum privatim quælibet ad stirpem suam, id est, præter ista fidei principia, ad antiquorum Patrum auctoritatem reducatur; ut non pro inventu humanæ calliditatis habeatur ac morosis et delicatis ludibrium debeat.

III. Quod officium voluntate ipsa certe, ac susceptione probandum, et Ecclesiæ perinde, ac theologiæ studiosis utile, per totius operis membra dissipatum est. Sed in eo, quod præcipui momenti esse docui, Trinitatis mysterio singulare istud faciam, uti professionis illius ductum, ac velut filum repetam ab initio Ecclesiæ ad Nicæna usque tempora, illis ortum ex principiis, ab quibus fides, ut jam dixi, christiana proficiscitur.

Verum illud ante omnia præque omnibus habere oportet indagatorem talium rerum, quod proxime attigi, et in iisdem nostris prolegomenis latius disputavi: fidei decreta catholicæ non expressa tantum litterarum sacrarum mentione niti, sed etiam traditione; quæ dupliciter valet, aut ad eorum, quæ nullo modo scripta sunt, conservandam ac propagandam memoriam, aut ad scriptorum explanandam sententiam: quod quæ in Scripturis comprehensa sunt, non tam diserte sunt prodita, ut vel ambiguitatem omnem etiam doctis ac prudentibus auferant, vel rixosis ac pugnantibus contradicendi voluntatem. Itaque ratiocinando, et aliud ex alio colligendo confici ax illis litteris christiana dogmata, moderante humani ingenii solertiam, ac velut manu ducente summa et principali auctoritate, quæ sit penes Ecclesiam, et concilia sacra, quorum est interpretandis præesse divinis oraculis, et verborum ac sententiarum, quibus illa traduntur, momenta ponderare. Quod ni fiat, neque certi atque fixi quidquam ex iis libris ad assensum, aut probationem elici posse; et finem altercationum fore nullum, quæ sunt apud hostes nominis catholici inextricabiles et perpetuæ. Hæc nos fere in prolegomenis istis; ubi et de traditionum genere ipso quædam universe dicta sunt; et nunc, quod ad Trinitatis confessionem spectat, nonnulla speciatim addere oportet.

Traditio non scripta conservat, scripta explanat.

IV. Quemadmodum igitur, præter Scripturas, per traditionis lineam ac seriem ab Christo et apostolis cum generatim totius fidei capita, tum hujus, de quo agimus, Trinitatis dogma perductum sit, pulchre Irenæus ostendit in libro tertio. Ibi primum ait, *dispositionem salutis nostræ* [1], hoc est christianam doctrinam, ante prædicationem Evangelii traditam ab Apostolis fuisse; deinde *per Dei voluntatem in Scripturis* [2]. Hæreticos porro subdole astuteque facere; qui, « cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem, etc. Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni,

1 Iren. lib. III, cap. I. — 2 Ib, cap. I.

etc. Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos. »

Exinde capite tertio, « Traditionem, inquit, apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. » Tum ex omnibus episcoporum successionibus in fundatis ab apostolis Ecclesiis unam Romanam, exempli gratia, deligit; in qua tradita semel a Christo et apostolis per eorum successores fidei doctrina decurrit. « Eam, inquit, quam habet Romana Ecclesia ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, » etc.

Traditio commendatur.

Capite item sequenti multa in commendationem traditionum disputat. « Et si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum, et re liquidum est? Quid autem, si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem cœli, et terræ, et omnium, quæ in eis sunt, per Christum Jesum Dei Filium.»

Mysteria olim occultata.

V. Traditione itaque sine scripto manante, ab apostolis ad insequentium annorum posteritatem fides christiana profluxit. Et quidem quo erant sublimiora, et a communi captu remotiora mysteria, eo magis occultabantur, et in sinu quodammodo fovebantur; eratque cautior illorum, et magis arcana traditio, nec ea scripto temere committebantur, aut, si id necesse foret, parce id fiebat, ac dissimulanter, et obscure; ut, nisi interpretatione doctorum adjuti, passim liquido ista capere non possent. Hanc ab apostolis cæterisque deinceps religionis antistitibus cautionem adhibitam esse, auctores dabo præter Irenæum aliquot, qui id in dogmatibus usurpasse illos asserunt. Ac primum disertus et illustris est Basilii locus in libro de Spiritu sancto, cujus partem alibi[1] descripsimus; ubi dogmatum et institutorum Ecclesiæ alia dicit esse scripto tradita, alia non scripta, sed occulte commissa, « quæ ex apostolorum traditione velut in mysterio accepimus[a]. » Non igitur rituum duntaxat et institutorum, quæ κηρύγματα vocat, aliqua sunt arcana, et sine scripto in Ecclesia; sed etiam dogmatum, ac *fidei*, ut vocant, *articulorum*. « Quæ ex minime vulgata, sed secreta doctrina profecta sunt; quam quieto minimeque curioso silentio Patres nostri custodierunt, probe quidem illi intelligentes, mysteriorum majestatem in taciturnitate servari[b]. » Hunc locum Basilii hactenus descripsere collectores canonum, Burchardus[2], Ivo[3], et Gratianus[4]. Sed pergit ille, ac pluribus demonstrat, morem hunc perpetuo fuisse, ac Mosis adeo tempore, usuque receptum, ut divina mysteria, quo erant sanctiora, eo celarentur diligentius. « Ad eumdem modum, ait, et qui in primordiis Ecclesiæ leges condiderunt, apostoli, ac Patres in occulto, et non verbis expresso, suam servavere mysteriis dignitatem. Neque enim mysterium est omnino, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam sine scripto tradita fuerunt, ne dogmatum cognitio ipsa apud vulgus consuetudine vilesceret[c]. »

Sed eximia sunt, quæ subinde pertexit, et ad propositum nostrum apprime facta. « Nam aliud est, inquit, *dogma*, aliud κήρυγμα, sive *institutum*[d]. » Hoc nomine *legem*, opinor, intel-

a Basil. cap. xxvii lib. *de Spir. Sancto*. Τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα.

b Ibid. Οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀποῤῥήτου διδασκαλίας, ἣ ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ, καὶ ἀπεριέργῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν, καλῶς ἐκεῖνοι δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι.

c Ibid. Κατὰ τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ οἱ τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξ ἀρχῆς διαθεσμοθετήσαντες Ἀπόστολοι, καὶ πατέρες ἐν τῷ κεκρυμμένῳ, καὶ ἀφθέγκτω τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλασσον. οὐδὲ γὰρ ὅλως μυστήριον τὸ εἰς τὴν δημώδη, καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἔκφορον· οὗτος ὁ λόγος τῆς τῶν ἀγράφων παραδόσεως, ὡς μὴ καταμεληθεῖσαν τῶν δογμάτων τὴν γνῶσιν· εὐκαταφρόνητον τοῖς πολλοῖς γενέσθαι διὰ συνήθειαν.

d Ibid. Ἄλλο γὰρ δόγμα, καὶ ἄλλο κήρυγμα· τὰ μὲν γὰρ δόγματα σιωπᾶται· τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύε-

1 Lib. I *de Hier. Eccl.* cap. i. — 2 Lib. III, cap. cxxvii. — 3 Part. IV, cap. clxix et in *Pan.* lib. II, cap. clix. — 4 In I dist. ii, cap. v.

ligit, ac *decretum*, quod omnibus servandum proponitur. Ita enim principes ac magistratus solent edicta sua legesque, quas servari ab omnibus volunt, publice ac præconis voce promulgare; ut δόγμα sit fidei sanctio; κήρυγμα rerum agendarum, ac rituum. Pergit vero: « Nam dogmata quidem, ait, silentio premuntur: instituta vero publicantur. Est autem silentii quoddam genus obscuritas, qua utitur Scriptura, difficilem intellectu reddens dogmatum sententiam, idque ad utilitatem lectorum.» Ergo « dogmata, ut idem supra scripserat, rerum mysticarum, quarum spectatores esse nefas erat nondum initiatos, neutiquam efferri publice solebant[a].» Hoc consilium fuit Spiritus sancti, dum litterarum sacrarum Scriptoribus eam mentem afflavit, ut illas obscuras, nec ad intelligendum cuivis faciles, atque expositas redderent. « Bonæ sunt, ait Prosper ex Augustino, in Scripturis sanctis mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vilescant; ob hoc quæruntur, ut exerceant; ob hoc autem aperiuntur, ut pascant[1]. » Celebre est hoc apud Patres argumentum, et ab his plurima sunt de Scripturarum obscuritate, ac causis hujus disputata. Præsertim vero scripsit de hoc accurate Jovius monachus apud Photium[2].

Scriptura intellectu difficilis.

VI. Ex quo velut corollarium, ac πόρισμα illud obiter efficitur, quod contra hujus ætatis hæreticos valere potest: Scripturam sacram ex professo, ac destinato Dei consilio perobscuram esse, nec explicatu facilem, etiam in his, quæ ad dogmata fideique capita spectant, ac majora præsertim et in quibus christianæ religionis ac salutis summa vertitur. Convenit in hoc ipsum Origenis sententia, ex tomo nono in Joannem, in capite nono *Philocaliæ*. Ibi enim « universe propositum hoc dicit fuisse tum Spiritui, qui erat in prophetis, tum verbo Christi, quod in apostolis erat, occultare veritatis sensa, nec aperte proferre[b]. » Ideo locutione usos illos esse non satis cohærente, ac multum intricata et perplexa; quod potissimum in epistola ad Romanos usuvenit.

Versatur autem hoc in genere, traditionis usus alter ac fructus, magni, pro eo ac meretur, faciendus, diligenterque notandus. Nam primus ille est, cum ea, quorum nulla prorsus exstat in Scripturis mentio, dogmata fideique placita conservat, et ad posteros transmittit. Cui nunc alter iste, de quo loqui volumus, accedit, cum eorum decretorum, quæ in Dei verbo involuta latent et ambigua, vel diversas in partes trahi explicando possunt, verum et catholicum sensum constituit; ut eo modo constans, et uniusmodi fidei ac dogmatis ratio constet Ecclesiæ, neque fideles opinionum æstu quodam ac varietate jactentur, dum pro arbitrio suo et ingenii modulo quisque, quam vult potestve, sententiam Scripturæ verbis subjicit: ex quo pugnantium inter se dogmatum conflictio, et inde conflatæ hæreses sectæque nascuntur. Quæ nec ullæ esse possunt in catholica parte, et nusquam profecto forent, si, quam habet ista tam legendarum Scripturarum, quam intelligendarum ex traditione regulam, eidem illæ vellent obsequi; nec suo sensu ac spiritu potius, quam divino, et Ecclesiæ, quæ ex eo pendet, auctoritate regerentur. Sic igitur duo illa retinentur, quæ in Ecclesia permanere cupiunt Gangrenses Patres; nempe « quæ ex divinis libris accepta, et quæ apostolicis traditionibus ad nos usque propagata sunt[c].»

VII. Quo quidem loco venit mihi in mentem præclari cujusdam dicti, quod apud Nyssenum Gregorium legi; ex quo discant theologi nostri, quemadmodum traditione uti sic poterunt, ut quod disciplinæ proprium est suæ, comitem ei subjungant humani in ratiocinando ingenii solertiam. Nam, cum adversus sophistam Eunomium nonnulla disputasset ex artis dialecticæ regulis, ne quem ea res offenderet, ita factum excusat. « Ac, ne mihi aliquis obstrepat, inquit, quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, rationibus, et argumentis roboretur; sciat is sufficere nobis ad nostri dogmatis probationem, quod venientem ad nos a majoribus traditionem habemus, velut hæreditatem quamdam, per successio-

Insignis locus Gregorii Nysseni.

ται. σιωπῆς δὲ εἶδος καὶ ἡ ἀσάφεια, ᾗ κέχρηται ἡ γραφὴ, δυσθεώρητον κατασκευάζουσα τῶν δογμάτων τὸν νοῦν, πρὸς τὸ τῶν ἐντυγχανόντων λυσιτελές.

a Idem. Ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασιν.

b Origen. cap. IX *Philoc.* Καθόλου γὰρ τοῦτο ἰστέον, ὅτι προκειμένου κρύψαι, καὶ μὴ φανερῶς ἐκθέσθαι τὰ νοήματα τῆς ἀληθείας τῷ ἐν τοῖς Προφήταις πνεύματι, καὶ ἐν τοῖς Ἀποστόλοις Χριστοῦ λόγῳ.

c Gang. can. 21, in Græco. Καὶ πάντα συνελόντας εἰπεῖν, τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν, καὶ τῶν Ἀποστολικῶν παραδόσεων, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, γίνεσθαι εὐχόμεθα.

1 Sent. LXVII. — 2 Cod. 222.

nem ab apostolis, continuata per sequentes sanctos serie transmissam. At illi, qui ad novitatem istam fidei dogmata convertunt, multis opus haberent rationum præsidiis, si vellent non pulveris instar leves, et agitabiles, sed graves, et animo constantes homines ad suam sententiam adducere. Quandiu vero rudis, nec ratione ulla perpolita, aut argumento probata prodibit eorum opinio, ecquis ita fatuus, ac pecudi similis erit, ut evangelistarum, et apostolorum, ac cæterorum, qui in Ecclesiis postea floruerunt, imbecilliorem putet esse doctrinam, quam nugacem istam loquacitatem omnis funditus demonstrationis expertem[a]? » Tria hoc loco singulari observatione digna Gregorius nos docet : Alterum, solam absque probatione satis esse traditionem ad catholici fidem dogmatis ; sive nulla præterea diserta sit hujus in sacris Libris expressio ; sive ita contineatur, ut interpretatione sit adjuvanda. Alterum, posse nihilominus traditionis auctoritatem ratione fulciri ; dum sit ista, ut in prolegomenis dictum est totius operis, comes illius, ac pedissequa, non autem antecedat, ac præeat. Ac postremo, si ad persuadendum argumentatione opus est ulla, multo eam magis novæ opinioni, atque hæresi necessariam esse, ut se contra vetustatis potentiam, ac gravitatem defendat, quam receptæ jam sententiæ, corroboratæque perpetuitate temporis ; a qua, nisi maximis, et invictis rationibus oppressum nemo se deduci patiatur. Hanc vim, firmitatemque per sese traditionis antiquæ, etiam ubi nulla est adjutrix ratio, Nicephorus Constantinopolitanus ita commendat : « Omnibus liquet, quod vetusta, et prisca Ecclesiæ traditio valentissima est, et omni demonstratione evidentior, et firmior, ut sancti Patres nostri docent, apostolica oracula sequentes[1]. »

Ad catholicam fidem sufficit traditio.

Egregium est et illud, imprimisque sermoni huic nostro congruens, quod de traditionibus istis minime scriptis animadvertit Joannes Philoponus in primo libro *de Mundi opificio*[2] ; quod alibi descripsimus.

VIII. Commodum ad Trinitatis mentionem delapsa nostra est oratio ; hoc est ab universi generis tractatione ad partem illam Catholicæ fidei, cujus illam gratia suscepimus. Hoc enim demonstrare volumus, quemadmodum in asserenda Trinitatis processione « ad fontem recurramus, id est ad apostolicam traditionem ; et inde canalem in nostra tempora dirigamus, » ut Augustini[3] verbis utar ex Cypriano[4] ita scribentis. Tametsi ad Nicæni concilii tempus traditionis seriem continuare sufficit nobis ; quod ex eo tempore plena deinceps inter Catholicos, et extra controversiam posita fuit istius dogmatis assertio, nec jam canalibus, et rivis, sed torrentibus, et fluviis effusa totam inundavit Ecclesiam. Cum igitur traditio, uti superius ostensum est, aut ipsam sine scripto christiani dogmatis, ut sic loquar, substantiam derivet, aut ejus e Scripturis exculpendi, intelligendique modum doceat, posteriori hac via Trinitatis est propagata confessio, ac per eam directa semitam, quam operis initio sui informat Hilarius, quamque trivisse, ac tenuisse se refert, cum ex gentili paulatim ad perfectam christianæ doctrinæ, maximeque Trinitatis professionem adolesceret. Primam enim intelligentiæ suæ lucem obortam esse dicit, qua Deum esse cognosceret « non incuriosum rerum humanarum, ac negligentem ; » tum eumdem nonnisi unum esse, eo quod « divinum, et æternum nihil, nisi unum esse, et indifferens pro certo habebat : quia id, quod sibi ad id, quod est, auctor esset, nihil necesse est extra se, quod sui esset præstantius, reliquisse. » Deinde « hæc, multaque alia ejusmodi cum animo reputantem, incidisse in eos libros, quos a Mose, atque a prophetis scriptos esse Hebræorum religio tradebat ; in quibus, ipso creatore Deo testante de se, hæc ita continebantur : *Ego sum, qui sum*[5], » et alia hujus generis. Ex quibus didicit : « Non

Quibus gradibus ad fidem perpolitus Hilarius.

[a] GREGOR. NYSS. lib III *cont. Eunom.* Καί μοι μηδεὶς ὑποκρουέτω καὶ τὸ παρ' ὑμῶν διομολογούμενον διὰ κατασκευῆς κυρωθῆναι. ἀρκεῖ γὰρ εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ἡμετέρου λόγου, τὸ ἔχειν πατρόθεν ἥκουσαν πρὸς ἡμᾶς τὴν παράδοσιν, οἷόν τινα κλῆρον δι' ἀκολουθίας ἐκ τῶν Ἀποστόλων διὰ τῶν ἐφεξῆς ἁγίων παραπεμφθέντα. οἱ δὲ πρὸς τὴν καινότητα ταύτην μετατιθέντες τὰ δόγματα, πολλῆς ἂν δέοιντο τῆς ἐκ τῶν λογισμῶν συμμαχίας, εἰ μέλλοιεν μὴ τοὺς κονιορτώδεις τῶν ἀνθρώπων, καὶ εὐριπίστους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐμβριθεῖς τε, καὶ βεβηκότας ταῖς διανοίαις προσάγεσθαι. ἕως δ' ἂν ἀκατάσκευος αὐτοῖς, καὶ ἀναπόδεικτος ὁ λόγος προφέροιτ' ἄν, τίς οὕτως ἠλίθιος, καὶ κτηνώδης. ὡς τῶν Εὐαγγελιστῶν, καὶ Ἀποστόλων, καὶ τῶν καθεξῆς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις διαλαμψάντων, ἀσθενεστέραν τὴν διδασκαλίαν τῆς ἀναποδείκτου φλυαρίας ποιήσασθαι.

1 Nicephor. in XII cap. Tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 1121, A. — 2 Philop. lib. I *de Mundi opif.* cap. XI, citatus lib. III *de Trinit.* c. VII, § 7. — 3 Aug. lib. V *de Bapt. cont. Donat.* c. XXVI. — 4 Cypr. epist. LXXIV. *ad Pomp.* — 5 *Exod.* III.

aliud proprium magis Deo, quam esse intelligi, quia idipsum, quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti. » Exinde compertum id sibi fuisse narrat Deum illum nullo circumscriptum loco omnia concludere, et intra se continere; « nullumque sine Deo, neque ullum non in Deo locum esse. » His, et aliis notionibus accesserunt ex Evangelicis litteris aliæ, quæ uberiorem, expressioremque personarum notitiam invexerunt, præsertim ex Joannis verbis istis. « *In principio erat Verbum*, etc. » Quibus perceptis, « proficit mens, inquit, ultra naturalis sensus intelligentiam, et plus de Deo, quam opinabatur, edocetur. Creatorem enim suum Deum ex Deo dicit : Verbum Deum, et apud Deum in principio esse audit, etc. Deinde Verbum carnem factum. » Ex quo « primum ad cognitionem Dei Patris imbutus est. Et quod antea de creatoris sui æternitate, et infinitate, et specie, naturali sensu opinabatur, hoc nunc proprium esse etiam unigenito Deo accepit; non in Deos fidem laxans, quia ex Deo Deum audit; non ad naturæ diversitatem in Deum ex Deo decedens, quia plenum gratia, et veritate Deum ex Deo discit; neque præposterum ex Deo Deum sentiens, quia in principio apud Deum esse Deum comperit. »

IX. His doctrinæ gradibus, ac per hæc Scripturæ vestigia, ad Trinitatis scientiam perpolitus est Hilarius; cum ex iis, quæ in divinis Libris erant expressa, ad alia ratiocinando pervenisset, quæ cum disertis istis implicata sunt, et naturali ex iis consecutione ducuntur. Sic Joannes Philoponus paulo ante memoratus aiebat, quædam in Ecclesia recepta, vulgataque esse dogmata, quæ in Scriptura non exstant; quatenus ex notis, et expressis argumentatione colliguntur. Et Gregorius Nazianzenus contra hæreticos disputans, qui Spiritus sancti divinitatem, et id genus alia, quæ de Trinitate pars catholica pronuntiabat, usurpari ideo nolebant, quod de iis Scriptura tacuisset; cum alia multa, tum hoc opponit, ex iis natum, et erutum illud esse dogma, quæ nominatim in illa continentur. Quod et ipsos facere calumniatores fidei catholicæ docet; qui *Ingenitum* esse Patrem dicerent, in eoque arcem, ac robur professionis suæ collocabant, cum ne ipsum quidem Scripturæ uspiam traderent, sed ex aliis diserte comprehensis haberetur : Igitur « hæc de iis sumpta sunt, inquit, ex quibus colliguntur, tametsi minime dicantur [a]. » Vide, quæ de ὁμοουσίου voce, et conflictu super ea diximus in quarto libro tomi hujus[1]. Hinc enim intelliges, qua ratione veteres, traditionis usu ac vi, ex iis, quæ Scripturæ manifeste loquuntur, consectaria quædam in christianam fidem assumpserunt.

Consubstantialis.

X. Quocirca, cum duo sint in unoquoque dogmate fidei spectanda : alterum, ipsa, ut vocari solet, ejus substantia, Græci τὸ συνέχον τοῦ δόγματος nominant : alterum, quæ ex illa sequuntur, eique sunt annexa, et consentanea; id si ad Trinitatis mysterium applices, hujus caput, ac summam in Scripturis ita traditio deprehendit; quomodo ex Hilario proxime ante demonstravi. Imprimis enim Deum unum esse, non plures Deos, luculenter illæ aperteque prædicant. At vero sic unum eum esse, ut non sit solitarius, nec singularis, sed plurium personarum, perspicue in iisdem litteris traditur tum Antiqui Testamenti, tum Novi; verum illic obscurius, hic autem explanatius, ut in secundo libro, capite septimo dictum est. Quo etiam in libro pleraque, ac præcipua testimonia selegimus, quibus personarum numerus adstruitur sic, ut ternarium ultra non excurrat. Quæ qui legunt, si et eum aliqua ratione, ac prudentia, et non occæcati amentia legunt, tres esse nimirum personas intelligunt *coæternas*, ut Athanasii symbolum loquitur, et non creatas, et eadem potentia, bonitate, sapientia, natura denique, essentiave præditas; hoc est, unum omnibus istis, sed trinum proprietatibus Deum : vel eo tandem, quodcumque illud est, quod numerum facit, ac discrimen trium. Expendantur omnia hæc argumenta, quæ in toto fere secundo libro de utriusque Testamenti libris instruximus; ut, quam necessario illa consequantur, quæ sunt mysterii hujus οὐσιώδη, æstimare possimus.

Essentialia

Etiam clara Scripturæ loca depravant hæretici.

XI. Sed enim nihil tam perspicuum est in Scripturis, ac velut solis scriptum radiis, quod non captiosa ingenia, et ad perfidiam obdurata controversum faciant. « Exstiterunt enim plures, ait Hilarius[2], qui cœlestium verborum simplicitatem, pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent, aliter interpretantes, quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non

a Naz. Orat. xxxvii. Ἢ δῆλον ὅτι ἐκ τῶν ταῦτα συναγόντων κἂν μὴ ταῦτα λέγηται.

1 Cap. v, § 5 et seq. — 2 Initio lib. II.

de Scriptura est et sensus, non sermo fit crimen. Numquid corrumpi veritas potest, cum Patris nomen auditur? Numquid natura Filii non continetur in nomine? Numquid Spiritus sanctus non erit qui nuncupatur? Neque enim in Patre potest non esse, quod Pater est; neque in Filio deesse, quod Filius est; neque in Spiritu sancto non exstare, quod sumitur. Sed homines mente perversi omnia confundunt, et implicant; et usque ad naturæ demutationem, sensus sui perversitate contendunt, ut, quod pater est, Patri adimant; dum volunt Filio auferre, quod filius est. Adimunt autem, cum his non de natura sit filius. Non ex natura autem est, quando non eadem in se habent ortus, et generans. Neque enim Filius est, cui alia, ac dissimilis erit a Patre substantia. Pater autem quomodo erit, si non, quod in se substantiæ, atque naturæ est, agnoscat in Filio? » Ita prorsus ex innumerabilibus Scripturæ locis existit vera, et germana Trinitatis professio, cujusmodi catholica docet Ecclesia; si, quibus illic verbis exprimitur, ea in propria, simplici, et nativa significatione sumantur, non calumniose contorta, nec adulterata fuco callidæ interpretationis, nec ad causæ commoditatem ingenio, atque arte deflexa. Verumtamen, si majore contentionis studio, quam veritatis inducti homines, perspicuis Scripturæ sententiis illudere pergant, et earum sinceritatem speciosa, et probabili in vulgus cavillatione pervertere; quid erit consilii capiendum? aut qua tandem ratione certa, et explorata hujus mysterii formula constabit? Nempe, quod jam dixi, ad interpretandi magistram eundum erit Ecclesiam catholicam; quæ de locorum illorum sensu consulentibus respondeat. Ea tum vetus, tum hodierna potest esse, nam utraque est una. Sed contra hodiernam præscribent hæretici. Quare ad antiquam revocandi sunt, atque illud probandum; per ætatum successiones ita Scripturæ intellecta ista esse testimonia, et hanc de Trinitate fidem inde collectam, quam veræ, et Romanæ communionis affirmat Ecclesia. Hoc autem traditione fieri supra diximus. Traditio contra pervicaces, atque hostes ex historiis, Patrumque responsis, ac sententiis defenditur; qui sæculis omnibus, tanquam in firmamento stellæ, sic in Ecclesia luxerunt. Per hos igitur ab apostolicis temporibus, perque consequentes ætates ad nos usque traditionis series, et in ea fidei salubritas decurrit.

Ad Ecclesiam recurrere necessarium.

XII. Atenim complures antiquorum illorum, quos auctores, ac testes appellamus fidei nostræ, de plurimis dogmatibus, præsertim vero de Trinitate multum a nobis diversa scripserunt. Verum et paucissimi illi sunt, qui in re dissentiunt a communi fide, et, si sinceros, purosque catholicos quærimus, omnino nulli. In re ipsa dixi. Nam in loquendi modo paululum quosdam variasse, in tertio, et quarto capite primi libri *de Trinitate* monstravimus. Deinde cujusquemodi tandem istorum scripta, et testimonia sunt, in præcipuis tamen, et quæ ad summam spectant mysterii totius, ut concordes invicem sunt, ita nobiscum congruunt.

Ex omni Patrum numero, qui Nicænam præcessere synodum, paucos ibi commemoravi, eosque distinctos in partes duas. Etenim, præter manifeste hæreticos, et hæresum conditores, qualis Tatianus fuit, ac veterum etiam judicio Tertullianus, alios esse docui, qui communem, rectamque fidem, et, ut sæpius dico, substantiam ipsam dogmatis tenentes, in consectariis quibusdam nonnihil ab regula deflectunt; alios, qui in omnibus re consentientes, loquendi duntaxat modo dissident ab usitata præscriptione, quæ non solum recte sentire, sed rectis etiam verbis explicare quod sentias jubet. Prioris generis tres non amplius sunt, Justinus martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus; posterioris, Irenæus, Clemens Alexandrinus, et, Basilio teste, Gregorius Neocæsariensis; tum Methodius. Addes plerisque scriptorum suorum in locis etiam, si voles, apertos hæreticos, Tertullianum, et Origenem. Lactantium enim facile prætermitto; quem sermonis potius elegantia, quam accurata christianæ doctrinæ scientia commendat, ut indicat Hieronymus. De his itaque, qui Ecclesiæ Patres vulgo censentur, et in auctoritatem asciti sunt, ita judico: tametsi quædam in usu cavenda de mysterio hoc nostro suis in libris adsperserint, alia quoque sana, et consentanea catholicæ regulæ iisdem in scriptis edidisse; tum in illis ipsis, quæ abhorrentia videntur, elucere nihilominus communis, et integræ professionis summam. Dicam amplius, vel in illis portentis errorum, quibus Trinitatis dogma vitiarunt hæretici, et eo rejecti nomine scriptores, apparere tamen aliquid, quo communis fidei, et traditionis veritas, ac constantia probatur. Quippe Deum omnes unum, quem christiani colunt, fatentur esse. In hac porro singulari divinitate tria quædam numero, et gradu originis distincta, nec plura tribus agnoscunt. Nec pauci ex iis,

Aliqui Patres antiquiores minus accurati alii in exponendis consectariis Trinitatis, alii in modo loquendi.

qui Patrem, et Filium appellant, peculiari quodam jure nomina hæc habere significant; non vulgari illo, et translatitio, quo pater operum suorum artifex dicitur Deus. Nonnulli denique palam insuper eamdem utriusque substantiam, et consortium divinitatis admittunt.

Multi omni parte irreprehensibiles quorum nec scripta nec nomina ad nos pervenerunt.

XIII. Verum, quod ad rem magnopere spectat, et nostra potissimum interest, præter paucos illos, quos nominatim percensui, quamplurimi sunt, quorum scripta aut non multa restant, aut eorum fragmenta ab aliis descripta Patribus, aut qui ab iisdem, omissis eorum verbis, testes citantur fidei illius, quam ab Arianorum calumnia vindicabant, sive nomine ipso, ac singillatim appellati sunt, sive generatim, et hac comprehensi formula; ut antiquos Patres ita, ut ipsimet credebant, qui illos laudabant, et sensisse de Trinitate, et scriptis docuisse testentur. Quod profecto minime mentitos illos esse vel inde constat, quod alioqui convinci, ac redargui facile potuissent ab non stupidis, nec illitteratis adversariis. Quamobrem, cum innumerabiles isti sint, quorum ne ad nos quidem nomina pervenerunt; quæ infinite comprehensa sunt ab Athanasio, Basilio, Gregoriis ambobus, Nysseno, et Nazianzeno, Augustino, et aliis; apparet totidem nos habere testes, ac velut cognitores fidei nostræ, quot eos extitisse verisimile est, quorum illi auctoritate sunt usi.

Hæc esse generalis formula potest nostræ ratiocinationis, qua catholicæ de Trinitate professionis traditio colligitur. Sed ea nisi perpolita, et per partes adstructa sit, minus fortasse ponderis habitura videtur; certe meretur hoc de nobis, ut eam paulo diligentius, enucleatiusque tractemus. Quapropter duo nobis hac in reliqua præfatione facienda sunt; primum, ut ex aliis, quam quorum in primo *de Trinitate* libro meminimus, priorum sæculorum Patribus asseveremus Trinitatis traditionem, quam Romana hodie tuetur Ecclesia: alterum, ut ex illis ipsis, quos illic adduximus, eamdem approbemus.

CAPUT II.

Ostenditur primum, universe, et infinite traditionem in Ecclesia versatam esse de Trinitatis vera, et catholica fide, ex Alexandrinæ, et Antiochenæ duplicis Synodi, et ex Athanasii, Basiliique testimoniis, tum singillatim ex trium sæculorum scriptoribus, ac primum ex iis, qui primo floruerunt, Herma, sive Pastoris auctore, Clemente Romano, Ignatio, Polycarpo; quorum indubitatæ sententiæ proponuntur, ex quibus vera Trinitatis fides, et traditio firmatur.

I. Antequam singulorum Patrum, qui Nicænam antecessere synodum, dicta referam, quibus catholicæ de Trinitate fidei, traditionique suffragantur; generatim eos ostendam consentientem cum illa doctrinam habuisse. Hujus rei primum, ac latissime patens argumentum est, quod quibus temporibus exorta est opinio quælibet, atque hæresis dogmati illi, et traditioni contraria, statim ei reclamatum est ab universo christiano nomine, paucis exceptis vel auctoribus hæreseon istatum, vel auctorum imitatoribus; ac nulla prius aut enixius iis nota suscripta est, quam novitatis peregrinæ, ac profanæ, quæ cum ab sacris litteris, tum ab communi, et apostolica doctrina, et hactenus recepta usu, ac traditione discederet. Sic Ebioni, Artemoni, Paulo Samosateno, Arii antecessoribus, ut scribit Alexander episcopus Alexandrinus[1], universa Christianorum repugnavit Ecclesia. Sic Theodoto coriario, Noeto, Sabellio, Patripassianis, reliquis denique omnibus restitit; qui vel Filii divinitatem, vel Trinitatis sinceram fidem commentis labefactarent suis: quod ex Ignatio, Justino, Irenæo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, et antiquioribus aliis liquet, qui illorum æquales extiterunt.

Veram de Trinitate traditionem semper in Ecclesia viguisse testes sunt. 1° Alexandrina synodus, 2° Antiochena.

Alexandrini certe Patres, qui synodicam epistolam ad Paulum Samosatenum miserunt, in qua consentaneam cum hodierno dogmate de Filii divinitate, ac Trinitate fidem explicant, testantur, « ita prædicasse sanctos Patres, et sibi profitendum, credendumque tradidisse[a]. » Tum Antiocheni, qui bis in eadem causa convenerunt, et Paulum dam-

[a] Epist. Dion. *Bibl. PP. Græco-Lat.* Καὶ οὕτως ὡμολόγησαν αὐτὴν οἱ ἅγιοι πατέρες, καὶ παρέδωκαν ἡμῖν ὁμολογεῖν, καὶ πιστεύειν.

[1] Alex. *ad. Alex. Const.* apud Theod. lib. I, cap. IV.

narunt, idipsum asserunt. Nam in priore synodo, ex qua epistolam scripserunt ad Paulum ipsum, « Decrevimus, inquiunt, fidem scripto edere, et exponere, quam a principio accepimus, et habemus traditam, et servatam in catholica, et sancta Ecclesia usque in hodiernum diem, a beatis apostolis, qui viderunt ipsi, et ministri fuerunt verbi, prædicatam ex lege, et prophetis, ac Novo Testamento[1]. » Subjiciunt deinde professionem fidei, in qua Trinitatis mysterium declarant : « Esse unum Deum ingenitum, etc. Et Filium genitum, unigenitum, Sapientiam, et Verbum, ac virtutem Dei ante sæcula, non præcognitione, sed substantia, et hypostasi Deum, Dei filium, etc. Qui autem contra dicit, Filium Dei non esse ante constitutionem mundi, dicitque credere, et confiteri esse Deum, non esse aliud, quam duos Deos prædicare; qui Filium Dei non esse Deum prædicat, hunc alienum esse ab ecclesiastica regula arbitramur, et omnes Ecclesiæ catholicæ nobiscum consentiunt, etc. » Quibus verbis, ut et aliis plerisque, summa continetur veræ, et catholicæ de Trinitate sententiæ; quam ab apostolis acceptam, et continua propagatam serie, omnes Ecclesias amplexas esse per id tempus asserunt.

Nec minus in secunda synodica, Paulum dicunt « ab regula desciscentem, ad falsas, et adulterinas doctrinas transisse[a] .»

3° Athanasius.

II. Athanasius vero sæpius hortatur, « ut fidem a majoribus traditam, et ab Ario vexatam, retineant, quam Patres illi scribendo repetierunt, qui Nicææ congregati sunt; et ne illos tolerent, qui contra eam novi aliquid moliantur[b]. » Ac licet Scripturæ verba ipsa proferant, non tamen auscultandum iis esse, quoniam sensus illis alienos subjiciunt. In quo traditionis vis apparet illa, de qua superiori egimus capite; quæ Scripturarum interpretationem rectam, et genuinam defert, ac derivat in posteros. Et in epistola, quam contra Arianos scripsit ad Adelphium episcopum, hæreticorum insaniæ, et audaciæ, hoc est novæ opinioni opponit « fidem nostram, quæ recta est, et ex apostolorum, ac Patrum doctrina confirmatur, auctoritate Novi, Veterisque Testamenti[c]. » Sic in libro *de Incarnatione Verbi*, contra Paulum Samosatenum, « Qui in iis permanet, ait, quæ tradita sunt, extra periculum est. Suademus igitur vobis, quod et nobis ipsis suademus, ut fidem eam servetis, quæ vobis tradita est, et ut profanas vocum novitates vitetis[d]. » Hanc porro fidem subinde declarat hujusmodi, quæ in Ecclesia perseverat, de Christi divinitate proprie dicta; nec non de ejus adoratione, quam nulli creaturæ fas sit tribuere. Unde consequens est, Deum illum esse verum, et proprie dictum, ac Patri consubstantialem : quod est dogmatis catholici caput, majorum traditione transfusum ex apostolicis temporibus. Rursus in eadem epistola, « Clare, inquit, exponatur apostolorum prædicatio, quemadmodum vultis; quæ et a sanctis Patribus tradita est : nempe, quod ad divinitatem attinet, Trinitatem esse unam naturam : Secundum quod unam substantiam præsentes synodi apostolice scribunt[e]. » Igitur Nicæni Patres, aliique catholici conventus, non aliam Trinitatis exposuerunt fidem, quam quæ πατροπαραδότως, hoc est traditione per majores suos ab apostolis deducta, in omnium versabatur animis.

III. At vero præstantissimus est, et omnium expressissimus locus ille ex epistola *ad Serapionem*, quæ est de Spiritu sancto; quem non esse creaturam, sed Deum verum, et unam Trinitatis personam probat ex plena, et antiqua traditione majorum, quæ totam illius mysterii doctrinam complectitur. Cum enim multa de Spiritu illo sancto docuisset, quemadmodum unius sit cum Filio substantiæ, ac divinitatis, et unus e Trinitate; ita porro scribit : « Videamus tamen adhuc et ipsam, quæ fuit ab initio, traditionem, et doctrinam, et fidem Ecclesiæ catholicæ; quam Dominus

a In epist. syn. Antioch. apud Eus. VII *Hist.* cap. XXX. Ὅπου δὲ ἀποστὰς τοῦ κανόνος ἐπὶ κίβδηλα, καὶ νόθα διδάγματα μετελήλυθεν.

b ATHAN. Orat. Καὶ κατέχων ἕκαστος τὴν ἐκ πατέρων πίστιν, ἣν καὶ οἱ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες ὑπέμνησαν γράψαντες, μὴ ἀνέχεσθαι τῶν κατ' αὐτῆς ἐπιχειρούντων καινοτομεῖν.

c ATHANAS. ad Adelph. Ἡμῶν δὲ ἡ πίστις ἐστὶν ὀρθὴ, καὶ ἐκ διδασκαλίας Ἀποστόλων, καὶ πατέρων βεβαιουμένη ἐκ τῆς νέας, καὶ παλαιᾶς διαθήκης.

d Idem. Ὁ δὲ τοῖς παραδοθεῖσιν ἐμμένων, ἀκίνδυνος. παραινοῦμεν δὲ ὑμῖν ὅπερ καὶ ἑαυτοῖς παραινοῦμεν, τὴν παραδοθεῖσαν πίστιν φυλάττειν, ἐκτρέπεσθαι δὲ τὰς βεβήλους καινοφωνίας.

e Idem. Σαφὲς τοίνυν τὸ κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων ἐκκείσθω καθάπερ βούλεσθαι, ὅπερ καὶ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων παραδέδοται· περὶ μὲν τῆς θεότητος, ὅτι μία φύσις ἡ τριὰς, καὶ κατὰ τοῦτο μίαν οὐσίαν καὶ αἱ νυῦν σύνοδοι γράφουσιν Ἀποστολικῶς.

1 *Profes. fidei synod. Ant.* Tom. I, Conc.

quidem dedit, apostoli vero prædicarunt, et Patres custodierunt. In hac enim fundatur Ecclesia; et qui ab hac excidit, nec esse christianus, nec vocari poterit[a].» Mox, quæ sit fides illa declarat, a Deo per apostolos, et Patres traditione diffusa. «Trinitas igitur, ait, sancta, et perfecta est, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto divinitatis honore dignata; nihil habens alienum, vel extrinsecus admistum.» Pluribus deinde totum hoc mysterium explicat. Ac multis interjectis, «Consentiunt igitur in hujus rei demonstrationem sacræ Litteræ, non esse creaturam Spiritum sanctum; sed proprium Verbi, ac divinitatis Patris. Sic enim sanctorum doctrina in sanctam, et individuam Trinitatem colligitur: et una fides hæc est Ecclesiæ catholicæ[b].»

4° Basilius. IV. Basilius præterea de Spiritus sancti divinitate disserens, deque formula ista, *cum Spiritu*, quam in solemni *glorificatione* usurpare solebat ipse, frementibus nonnullis, qui vel exæquari cum personis cæteris molebant Spiritum; vel, ut alioqui recte de eo sentirent, voces tamen ejusmodi, quia non extabant in Scripturis, rejiciendas putabant; contra istos ergo disputans, primum satis esse traditionem asserit ad auctoritatem illi conciliandam, «eo quod pleraque mystica sine scripto inter nos habentur, inter quæ illud etiam de Spiritu sancto recipi debet. Apostolicum vero, inquit, esse duco, non scriptis quoque traditionibus inhærere[c].» Post Apostoli verba illa profert, *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et, sicut tradidi vobis, traditiones tenetis*[1]. Ita enim Græce legitur, *traditiones*, pro quo Latine est *præcepta;* tum illud, *Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam*[2]. E quibus traditionibus unam esse hanc affirmat, qua Spiritus sanctus cum aliis personis ex æquo copulatur. «Quam, inquit, qui ab initio constituerunt, successoribus tradentes, procedente cum tempore semper usu, per diuturnam consuetudinem, altis radicibus in Ecclesia defixerunt[d].» Ubi vides dogma illud fidei, de divinitate, et æquata cum Patre, ac Filio majestate Spiritus sancti, traditione pervenisse ad Basilii tempora; ac de rebus etiam ad fidem, et dogmata spectantibus ab eodem intelligi Basilio locum illum Apostoli, in quo traditiones commendat. Pergit deinde Basilius, et si, tanquam in foro, ac judicio testibus res agatur, superiorem se in hac causa fore dicit; quippe qui multos in antiquitate auctores et dogmatis, et illius formulæ glorificandi habeat in promptu, ex quibus quatuor, vel quinque percenset: quos paulo postea memorabimus.

V. Nunc, quod instituimus, illud universe ex hac Basilii oratione colligimus: primis illis Ecclesiæ sæculis complures exstitisse sanctos, et eruditos Patres, qui sinceram, et legitimam Trinitatis doctrinam et ipsi tenerent, et tum docendo iis, quibuscum degebant, tum scribendo posteritati traderent. Ex quibus nominatim hic appellandi sunt aliqui; quorum auctoritate illi ipsi sunt usi veteres, ac per sæcula tria distribuendi, quæ Nicæna synodo superiora sunt; ut traditionis per eos intelligatur continuata successio: nec solos tamen, quippe nec omnes ex prima antiquitate nomine citatos esse dixi ab iis, qui traditionem auctoribus approbant; sed paucissimos; nempe quatuor ad summum, aut quinque, ut a duobus illis, quos laudavi, Athanasio, et Basilio; et hi tamen, cum ex Patrum traditione fidem illam Trinitatis manasse scribunt, permultos esse significant, quorum e scriptis, ac testimoniis haud falso istud asseverant. Sane qui Eusebii potissimum historiam, et Hieronymi catalogum scriptorum, et aliorum similes libros legerit, cognoscet, quam multi doctrina insignes, et pietate tribus primis sæculis in Ecclesia vixe- Corollarium ex Athanasio Basilioque notandum.

a Athanas. *ad Serap.* Ἴδωμεν δὲ ὅμως καὶ πρὸς τούτοις καὶ αὐτὴν τὴν ἐξ ἀρχῆς παράδοσιν, καὶ διδασκαλίαν, καὶ πίστιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἣν ὁ μὲν κύριος ἔδωκεν, οἱ δὲ Ἀπόστολοι ἐκήρυξαν, καὶ οἱ πατέρες ἐφύλαξαν. ἐν ταύτῃ γὰρ ἡ ἐκκλησία τεθεμελίωται· καὶ ὁ ταύτης ἐκπίπτων, οὔτ' ἂν εἴη, οὔτ' ἂν λέγοιτο χριστιανός. τριὰς τοίνυν ἁγία, καὶ τελεία ἐστὶν ἐν πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι θεολογουμένη, οὐδὲν ἀλλότριον, ἢ ἔξωθεν ἐπιμιγνύμενον ἔχουσα, etc.

b Ibid. Συμφώνως ἄρα ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν δείκνυται, μὴ εἶναι κτίσμα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἴδιον τοῦ λόγου, καὶ τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος· οὕτω γὰρ τῶν μὲν ἁγίων ἡ διδασκαλία εἰς τὴν ἁγίαν, καὶ ἀδιαίρετον τριάδα συνάγεται· καὶ μία πίστις αὕτη τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.

c Basil. lib. *de Sp. sanc.* cap. XXVII. Εἰ δὲ τὰ πλεῖστα τῶν μυστικῶν ἀγράφως ἡμῖν ἐμπολιτεύεται, μετὰ πολλῶν ἑτέρων καὶ τοῦτο καταδεξώμεθα. Ἀποστολικὸν δὲ οἶμαι, καὶ τὸ ταῖς ἀγράφοις παραδόσεσι παραμένειν.

d Ibid. Ἣν οἱ ἐξ ἀρχῆς διαταξάμενοι παραδιδόντες τοῖς ἐφεξῆς, συμπροϊούσης ἀεὶ τῷ χρόνῳ τῆς χρήσεως, διὰ μακρᾶς τῆς συνηθείας ταῖς ἐκκλησίαις ἐγκατερρίζωσαν.

1 I *Cor.* XI, 2 — 2 II *Thes.* II, 14.

runt, qui de fide, ac christiana re aliquid elucubrarunt, cujus ne vestigium quidem superest hoc tempore. Ergo illi tot summi viri, aliique nobis ignoti, bene autem Athanasio, Basilio, cæterisque noti, traditionis fidem et istis fecerunt, et per eos posteris. Ut etsi nulli prorsus restarent hodie priorum illorum scriptores temporum, quorum in monumentis traditionem illam legere possemus, sola posteriorum Patrum, qui se legisse dicerent, auctoritas sufficeret, ut scripto ab illis mandatam fuisse crederemus. Non hic expectabit a nobis lector, ut, quanti momenti sit locus iste, et quam valde ponderandus, admoneatur. Satis enim res per se loquitur. Et ex eo disci potest, quam firmis, solidisque radicibus traditionis hæreat catholica professio; quæ per illas longo tramite recurrens, cum origine sua, hoc est apostolorum, ac Christi prædicatione commissa deprehenditur. Verum quo sit utilior hæc nostra disputatio, volo usum ejus experiri, ac leviter adumbrare, auctoribus aliquot primorum trium sæculorum allatis; qui traditioni catholicæ, doctrinæque de Trinitate testimoniis suis pondus afferunt.

VI. In primo ergo sæculo nulli prius commemorandi sunt, quam qui vel soli sufficiunt, apostoli, et canonici scriptores. Nam hi Trinitatis dogma, quod ad ejus *substantiam* attinet, plane ac liquido definiunt. Quid enim aliud, quam et unum prædicant Deum; et tres ejusdem compotes divinitatis, potentiæ, bonitatis, sapientiæ, ac cæterorum, quibus divinitas constat? Lege argumenta omnia copiose disputata de Scripturis in secundo, et tertio libro. Per hos igitur ab stirpe sua, qui est Christus, traditio nostra decurrit *.

5° Hermas. Præter hos, liber est *Pastoris*, qui Hermæ inscribitur, qui cujusquemodi sit, (nam de statu ejus merito dubitari video) ad id tamen, quod modo agitur, inutilis non est; quippe ab vetustissimis laudatur scriptoribus, ut ab Irenæo[1] qui etiam pro Scripturæ libro citavit, ut animadvertit Eusebius[2], et a Clemente Alexandrino, Origene, Tertulliano, Athanasio[3], qui eum vocat ὠφελιμωτάτην βίβλον *librum utilissimum*, et ab Hieronymo post apostolos memoratur; nec ab ullo hæresis, falsive, maxime de Trinitate, dogmatis insimulatus est. De hoc igitur Irenæus ita refert: « Bene ergo pronuntiavit Scriptura, quæ dicit, Primo omnium crede, quoniam unus est Deus, qui omnia constituit, et consummavit, et fecit ex eo, quod non erat, ut essent omnia, omnium capax, et qui a nemine capiatur[a]. » Quæ verba referuntur etiam ab Origene[4], et Athanasio loco citato; et in libro secundo *Pastoris* hodieque leguntur in *Mandato* primo. In quibus unius Dei vocabulo comprehenditur et Filius; qui et Deus ab Joanne Evangelista vocatur, et per ipsum dicuntur omnia facta. Sed, etsi unus ille Deus de Patre solo intelligatur, cæterarum personarum fit in eodem libro mentio; nec aliter, quam ut veri Dei, ac summi. Etenim in libro tertio, similitudine quinta, dum interrogasset Hermas, « Quare Filiùs Dei in similitudine hac, servili loco ponitur? » respondet Pastor : « Audi inquit : In servili conditione non ponitur Filius Dei; sed in magna potestate, et imperio. » Et in similitudine nona, « Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, inquit, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam. » Jam hæc primaria est divinitatis nota[5]. Nihil enim inter Deum, et creaturam medium est; quidquid autem est creatum, id servili conditione censetur. Itaque hoc argumento multum Patres contra Arianos utuntur.

In eodem vero loco Spiritus sancti meminit; eumque dicit infundi, et habitare in hominibus, eique servire corpora nostra. Qua ratione divinitas illius ab antiquis probari consuevit, ut suo loco dixi[6]. Ita non obscuris lineamentis expressa est doctrina Trinitatis illo in libro; quem « apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publice lectum, et revera uti-

a Iren. lib. IV, cap. xxxvii. ex Euseb. lib. V *Hist.* cap. viii. Καλῶς οὖν εἶπεν ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα· πρὸ πάντων πίστευσον ὅτι εἷς ἐστιν ὁ θεὸς, ὁ τὰ πάντα κτίσας, καὶ καταρτίσας.

* Barnabæ epistola (eam enim etsi sancto Apostolo non pauci abjudicant, a Barnaba prodiisse plures asserunt, atque hi quidem primi subsellii scriptores; et porro cujus cujus demum auctoris sit, antiquissimam esse, et sub secundi sæculi finem passim Barnabæ inscriptam nemo negaverit) Barnabæ, inquam, epistola potuisset heic a Petavio memorari; multa enim in ea sunt luculenta pro Verbi divinitate testimonia. Unum adferam in notis ad caput v sequentis libri. Z.

1 Lib. IV, cap. xxxvii. — 2 Lib. V, cap. viii. — 3 Athanas. *de Incarn.* — 4 Lib. I *Periar.* cap. iii. — 5 Vide t. I, lib. III, § 4. — 6 Lib. II tom hujus, cap. xvi.

lem esse, multosque de eo scriptorum veterum usurpasse testimonia, » scribit Hieronymus[1].

VII. Eodem sæculo floruit et Clemens Romanus; cujus testimonio, hoc ipsum, quod nos agimus, traditionem adstruere volens Irenæus[2], hoc illum ornat elogio : « Clemens, inquit, qui et vidit ipsos apostolos, et contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem apostolorum, et traditionem ante oculos haberet. Non solus enim; adhuc multi supererant ab apostolis docti[a]. » Tum ejus *ad Corinthios* epistolam citat, in qua « annuntiari ait traditionem, quam ab apostolis acceperant, annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem cœli, et terræ, etc. Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt, et apostolicam traditionem intelligere, cum sit vetustior epistola his, qui nunc falso docent. » Edita nuper est Clementis hæc epistola; in qua personæ tres ita describuntur, ut appareat, nihil in iis creatum, et infra Deum numerari. Nam, præter Deum Dominum omnium conditorem, id est Patrem, de Christo honorificentissime loquitur. Ut cum inter cætera scribit sic : « Sceptrum majestatis Dei Dominus noster Christus Jesus non venit in jactantia superbiæ[b].» Hunc et Dominum vocari ab Isaia propheta refert; et ipse passim vocat. « Si, inquit, Dominus ita humilis fuit, quid faciemus nos, qui sub jugum gratiæ ipsius venimus[c]? » Ubi nomen ὁ κύριος insignitum articulo, et simpliciter positum, altius quiddam humano fastigio sonat, de quo alibi dixi[3]; nec ad creaturam convenit, uti neque quod *jugum gratiæ ipsius* vocat. Et in epistolæ clausula, « Gratia, inquit, Domini nostri Jesu Christi vobiscum[d]. » Item quod fideles vocat membra Christi[4]. Ex epistola *ad Hebræos* magnificum de Christo elogium illud exscribit. « Qui, cum sit splendor majestatis ejus, tanto major est angelis, quanto excellentius, quam illi, nomen est sortitus[e].» Quod nomen ostendit mox esse, quod *Filius* appelletur. Quare indidem agnoscimus, Filium Dei Christum dici eximia quadam, neque communi cum cæteris ratione; cujus nominis, et argumenti vim expendimus suo loco[5]. Denique personas tres eodem filo pertexit : « Annon unum Deum habemus, et unum Christum, et unum Spiritum gratiæ effusum in nos[f]? » Quæ non diceret, nisi æquales, et ὁμοτίμους illos faceret[6].

Clemens Romanus

Basilius quoque ex eodem Clemente verba ista refert : « Vivit Deus, et Dominus Jesus Christus, et Spiritus sanctus[g];» nec librum nominat, ubi ista scripsit, quæ in epistola *ad Corinthios* exstare non memini.

VIII. Vixit eodem primo sæculo martyr Ignatius, qui post apostolos Antiochiæ constitutus est episcopus, ut scribit Athanasius[7]. Et, ut Chrysostomus[8], Antiochiæ prædicabat, apostolorum ipsorum manu ordinatus. De quo ita Theodoretus : « Audisti, inquit, omnino Ignatium illum qui magni Petri dextra pontificatus gratiam accepit, et, cum Antiochensem rexit Ecclesiam, martyrii corona redimitus est[h]. » Passus est autem anno Trajani II, ut testis est Hieronymus, adeoque Christi CVIII.

Itaque dignus est, cui de Apostolica traditione, imo Christi ipsius doctrina fides habeatur; quem se in carne vidisse post resurrectionem testatus est in epistola *ad Polycarpum*, ut scribit Hieronymus[9]. Et quamvis hodie exstet epistola illius *ad Polycarpum*; in ea tamen non reperiuntur illa, quæ

a Iren. apud Euseb. V *Hist.* cap. VI. Ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους Ἀποστόλους, καὶ συμβεβηκὼς αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἔναυλον τὸ κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων, καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων οὐ μόνος. ἔτι γὰρ πολλοὶ ὑπελείποντο τότε ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων δεδιδαγμένοι.

b Clem. epist. *ad Cor.* Τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ θεοῦ ὁ κύριυς ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας.

c Ibid. Εἰ γὰρ ὁ κύριος οὕτως ἐταπεινοφρόνησε, τί ποιήσομεν ἡμεῖς οἱ ὑπὸ τὸν ζυγὸν τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐλθόντες;

d Ibid. Ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' ὑμῶν.

e Ibid. Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ, τοσούτῳ μείζων ἐστιν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν.

f Idem. Ἢ οὐχὶ ἕνα θεὸν ἔχομεν, καὶ ἕνα Χριστὸν, καὶ ἓν πνεῦμα τῆς χάριτος τὸ ἐκχυθὲν ἐφ' ἡμᾶς;

g Basil. lib. de *Sp. sanc.* Ἀλλὰ καὶ ὁ Κλήμης ἀρχαϊκώτερος· ζῇ, φησὶν ὁ θεὸς, καὶ ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

h Theodoret. Dial. I. Ἀκήκοας δὲ πάντως Ἰγνάτιον ἐκεῖνον, ὃς διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, καὶ τὴν ἐκκλησίαν Ἀντιοχέων ἰθύνας τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀνηδήσατο.

1 Catal. cap. xx. — 2 Lib. III, cap. III. — 3 Lib. III *de Trinit.* cap. VIII, § 12. — 4 Clem. *ad Cor.* — 5 Vide II *de Trinit.* cap x. — 6 Ibid. cap. XII. — 7 Ath. *de Syn.* — 8 Chrys. hom. LXX, tom. V. Vide lib. I *de Hier.* cap. II, § 13. — 9 Lib. *de Scrip.* cap. XXVI.

inde citat Hieronymus. Et alioqui constat eas omnes epistolas interpolatas fuisse. Nam pleraque ex illis loca ab antiquis laudata, vel in eis minime reperiuntur, vel longe aliter concepta, ut alias ostendam. Quocirca, ne quem calumniandi locum relinquam, non aliis utar illius sententiis, quam quibus veterum Patrum consensus germanitatis testimonium perhibet, ut de illis dubitationem, ac tergiversationem omnem præcidam; reliqua vero dicta ejusdem missa faciam, quæ Bellarminus ex hodiernis epistolis deprompta contra Trinitatis inimicos attulit[1]; tum alia, quæ nos in tertio libro *de Trinitate* citavimus[2], præter unicum, quod ab Athanasio, et Theodoreto profertur, paululum utrobique diversum, ut appareat, jam ex antiquo epistolarum istarum exemplaria variasse. Theodoretus igitur ex epistola Ignatii *ad Ephesios* hæc verba refert : « Unus est medicus carneus, et spiritualis, genitus ex ingenito; in homine Deus, in morte vera vita, et ex Maria, et ex Deo, primum patibilis, et tunc impatibilis Jesus Christus Dominus noster[a]. »

Athanasius vero eadem verba, paucis immutatis, refert[3]. Legit enim γενητὸς, καὶ ἀγένητος, ut idem Christus genitus, sive *factus et creatus, et increatus* dicatur; ac « factum illum vocet propter carnem. Siquidem Christus caro factus est; increatum vero, quoniam non est ex operum, et creaturarum numero, sed Filius ex Patre[b].» Ac nonnullos post Ignatium doctores ita scripsisse ait Athanasius : « Unum est ingenitum, Pater : et unus, qui ex ipso natus est, germanus filius, verus fetus, Verbum, et Sapientia Patris[c]. »

Rursus Theodoretus ex eodem Ignatio alia testimonia describit, quæ divinitati Christi perspicue suffragantur. Ut cum ex epist. *ad Rom.* « Dominum nostrum vocat Filium Dei secundum divinitatem, et potentiam[d].» Et ex epist. *ad Ephes.* « Deus noster Jesus Christus in Mariæ utero gestatus est, secundum dispensationem Dei[e]. » Et in eadem epist. nominat illum « Filium hominis, secundum carnem, et Filium Dei[f].» Quæ omnia loca demonstrant, eam ex traditione Christi, et apostolorum fuisse tum in Ecclesia trinitatis fidem, ut idem Jesus Christus duplici natura præditus, verus homo, et Deus haberetur, ac secundum divinitatem minime creatus, sed ejusdem cum Patre substantiæ.

Post Ignatium recensendus occurrit Aristides Atheniensis « qui Hadriano principi de religione christiana volumen obtulit, nostri dogmatis continens rationem; et quod Christus Jesus solus esset Deus, præsente ipso imperatore, luculentissime peroravit. » Ita *Martyrologium* Romanum; nec non Adonis, Notkeri, etc[4]. Non exstat quidem illius hæc oratio. Sed si in ea Christum solum esse Deum verum probavit, τὸ ὁμούσιον utique personarum, ac discrimen agnovit. *Consubstantiale.*

IX. Non minus primo, quam secundo sæculo accenseri potest Polycarpus, « non solum ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis, verba sunt Irenæi, qui Dominum viderunt; sed etiam ab apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate. Multum enim perseveraverat, et valde senex gloriosissime, et nobilissime martyrium faciens, exivit de hac vita. Hic docuit semper, quæ ab apostolis didicerat; quæ et Ecclesia tradidit, et sola sunt vera[g]. » Hujus martyrii acta describit Eusebius, et inter alia orationem ejus, quam ad Deum postremam habuit paulo ante mortem; in qua Trinitatis Polycarpus

a Theod. dial. I. Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικὸς, καὶ πνευματικὸς, γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου, ἐν ἀνθρώπῳ θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ θεοῦ πρῶτον παθητὸς, καὶ τότε ἀπαθὴς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν.

b Athan. *de Syn.* Ὅτι, καὶ ὁ μακάριος Ἰγνάτιος ὀρθῶς ἔγραψε, γενητὸν αὐτὸν λέγων διὰ τὴν σάρκα. ὁ γὰρ Χριστὸς σὰρξ ἐγένετο· ἀγένητον δὲ, ὅτι μὴ τῶν ποιημάτων, καὶ γενητῶν ἐστιν, ἀλλ' υἱὸς ἐκ πατρὸς.

c Ibid. Τινὲς δὲ καὶ τῶν μετὰ Ἰγνάτιον διδάσκαλοι, καὶ αὐτοὶ γράφουσιν· ἓν τὸ ἀγένητον ὁ πατὴρ, καὶ εἷς ὁ ἐξ αὐτοῦ υἱὸς γνήσιος, γέννημα ἀληθινὸν, λόγος, καὶ σοφία τοῦ πατρός.

d Ignat. apud Theodor. Dial. I. Τὸν κύριον ἡμῶν υἱὸν θεοῦ κατὰ θεότητα, καὶ δύναμιν.

e Ibid. Ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας, κατ' οἰκονομίαν θεοῦ.

f Ibid. Κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ, τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ υἱῷ τοῦ θεοῦ.

g Iren. lib. III, cap. III apud Eus. lib. IV, cap. XIV. Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν, ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος. ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ· ἐπὶ πολὺ γὰρ παρέμεινε, καὶ πάνυ γηραλέος ἦν, ἐνδόξως, καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας, ἐξῆλθε τοῦ βίου· ταῦτα διδάξας ἀεὶ, ἃ καὶ παρὰ τῶν Ἀποστόλων ἔμαθεν, ἃ καὶ ἡ ἐκκλησία παραδίδωσιν, ἃ καὶ μόνα ἐστὶν ἀληθῆ.

1 Lib. I *de Chr.* cap. x. — 2 Cap. II, § 13. — 3 Athan. *de Syn.* — 4 Die 31 Aug. meminit Euseb. lib. IV *Hist.* cap. III et in *Chr.* Hieron. *de Script.*

personas omnes nominat, Patrem ita compellans : « O dilecti, et benedicti filii tui Jesu Christi Pater, » etc. Tum : « Propterea et de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per sempiternum Pontificem Jesum Christum dilectum Filium tuum : per quem tibi cum ipso in Spiritu sancto gloria nunc, et in futura sæcula sæculorum, Amen. » In hac precatione absoluta continetur Trinitatis confessio. Siquidem et Filius Dei propria, et exquisita ratione intelligendus est ; et trium in eamdem formulam, ac communionem gloriæ complexio, naturæ, ac divinitatis unitatem, et æqualitatem personarum significat, ut in secundo *de Trinitate* libro, et in septimo, quod ad Spiritum sanctum attinet, fuse declaravimus.

Afferuntur et illa ex Polycarpo a Victore Capuano, in Catena quadam ad Evangelia descripta, « Lucam a Zachariæ sacerdotio incipere, ut ejus filii miraculo nativitatis, et tanti prædicatoris officio, divinitatem Christi gentibus declararet[1]. »

CAPUT III.

Quibus testibus ex secundo sæculo, traditionis de Trinitate perpetuitas probetur. Ea ex Justino martyre demonstratur : tum ex Irenæo, Athenagora, Theophilo Cæsariensi. Memorabilis ratio traditur ; cur nonnulli antiquiores Patres de mysterio Trinitatis minus interdum accurate, castigateque locuti sint : quod eos fecisse justis de causis ostenditur.

I. Altera ætas Ecclesiæ primum omnium repræsentat nobis Justinum philosophum, et martyrem ; cujus scripta, quæ supersunt, catholici de Trinitate dogmatis, et traditionis memoriam conservant. Quamvis, ut alibi dixi[2], in quibusdam, quæ ad hoc mysterium spectant, usurparit aliqua, quæ ab exacta theologorum regula, et loquendi modo dissident ; quod tamen in eo primarium est, et οὐσιῶδες, præclare complexus est. Id omnino liquet ex iis locis *Apologeticorum* duorum, quæ hic ideo non adscribam, quoniam in eodem hoc tomo legi possunt, libro tertio capite ultimo descripta[3], cum adversus Photinianos catholicæ religionis causam perorarem. Ibi animadvertet, « Filium Dei proprie dictum, ac solum nominari Filium, et Verbum ante res omnes conditas a Patre genitum, qui homo factus, Jesus Christus appellatus est. »

Substantiale.

Rursus idem in dialogo *cum Tryphone*, divinitatis Christi Domini, et ejus a Patre generationis non leviter impressa vestigia reliquit. Nam et Filium Dei, et Deum in Scripturis nominari, et Dominum virtutum, toto in dialogo demonstrat ; et quæ iisdem sacris in Litteris, maxime in *Psalmis*, de summo omnium Domino, ac Deo dicuntur, ea Christo convenire probat. Velut cum illum esse dicit, qui Abraamo, Mosi, et patriarchis apparuit ; quem hi tanquam Deum suum adorarunt ; quique eo nomine, et quidem tetragrammato, illic honestatur. Atque inter cætera, Filium Dei et agnitum a Petro, et in apostolorum scriptis prædicari, qui creaturas omnes antecessit[c]. Ac, cum Trypho, ejusque comites minime ferrent, Deum ab Justino vocari Jesum, tanquam alius esset Deus verus, et proprie dictus, quam qui unus ab Judæis colitur, quique rerum omnium conditor appellatur, idem ille copiose probat, « esse alterum in sacris Libris, qui nominatur Deus, et Dominus, præter universorum opificem[d]. » Quod late deinceps adstruit, et omnia illius nomina iisdem e Scripturis colligit, inter quæ est Θεὸς προσκυνητὸς, *Deus adorandus*. Denique confutata eorum opinione, qui vim illam Patris negabant subsistens quiddam esse, ac solidum ; sed efficientiam duntaxat neutiquam ab eo persona distinctam asserebant, quemadmodum lucem solis in terra esse dicimus, statuit, « Virtutem illam esse Dei, ac Deum a

Secundo sæculo traditionis de Trinitate perpetuitatem probant Justinus,

a Euseb. lib. IV, cap. xiv. Ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ, καὶ εὐλογημένου παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ πατὴρ.

b Ibid. Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων σὲ αἰνῶ, σὲ εὐλογῶ, σὲ δοξάζω, διὰ τοῦ αἰωνίου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀγαπητοῦ σου παιδός· δι' οὗ σοι σὺν αὐτῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα νῦν, καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

c Justin. Dial. Καὶ γὰρ υἱὸν Θεοῦ Χριστὸν κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐποκάλυψιν ἐπιγνόντα αὐτὸν ἕνα τῶν μαθητῶν αὐτοῦ Σίμωνα πρότερον καλούμενον, ἐπωνόμασε Πέτρον, καὶ υἱὸν Θεοῦ γεγραμμένον αὐτὸν ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασι τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ ἔχοντες, καὶ υἱὸν αὐτοῦ λέγοντες νενοήκαμεν ὄντα, καὶ πρὸ πάντων ποιημάτων ἀπὸ τοῦ πατρὸς δυνάμει αὐτοῦ καὶ βουλῇ προελθόντα.

d Ibid. Ἃ λέγω πειράσομαι ὑμᾶς πεῖσαι νοήσαντας τὰς γραφὰς ὅτι ἐστι καὶ λέγεται Θεὸς, καὶ κύριος ἕτερος ὑπὲρ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων.

1 Fevard. in *Annot.* ad lib. III, cap. III Iren. — 2 Lib. I *de Trin.* cap. III et lib. III cap. XI, § 13. — 3 § 13.

Propheta nuncupari, non ita, ut solis lux solo vocabulo numeratur, sed numero alterum quiddam esse; non tamen recisione, tanquam Patris substantia secetur, uti cætera omnia divisa, atque secta non sunt eadem, atque erant ante sectionem [a]. » Quod etiam « exemplo declarat ignis, a quo multi alii accenduntur ignes; sine ulla ejus imminutione, a quo plures accensi sunt, sed eodem illo permanente. » Quid ad hanc professionem fidei, ac Trinitatis potest adjici? Aut quid in Nicæno ipso Patrum consessu, vel post ipsum, expressius, significantius, efficacius proditum est? Nam solemni illi formulæ, quæ ibi constituta est, « Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, » præivit tanto ante Justinus sententia ista; ex qua et τὸ ὁμούσιον, hoc est substantiæ sine ulla partitione communio, et identitas efficitur.

Consubstantiale.

Irenæus.

II. Post Justinum memorandus venit Irenæus : « Ille, inquam, Irenæus, qui vicinus fuit apostolorum temporibus [b]; » cujus libri omnes illustribus traditionis ejusdem notis referti sunt. Sed verba ipsa, et sententias referre hoc loco non est necesse, præter duas, tresve, quæ aliis adjungendæ sunt in libro tertio descriptis [1], et a Bellarmino in primo libro *de Christo*, capite decimo. Ad has igitur addenda modo est præclara illa de Filio Dei : « Et bene, inquit, qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Patris Filius, quoniam et capit eum [2]. » Tanta est horum verborum majestas, et dignitas, ut ad commendandam Patris, et Filii omni ex parte absolutam æqualitatem, instar sint amplissimi voluminis. Nam, si immensus est Pater, et infinitus, et hunc tamen capit, ac metitur Filius, adæquari hunc cum illo necesse est, ac perinde infinitum, et immensum esse, ut cum extra infinitum nihil sit, nihil prorsus desit ei, qui mensura est infiniti.

De Spiritu sancto idem multis in locis testimonium dicit, eumque duabus aliis personis adjungit, et exæquat, præsertim in tertio libro, capite XIX ubi et baptismi formulam commemorat, et hæreticos redarguit, qui Spiritum, ut et Christum ineptis fabulis injuriose tractant. Irenæi verba nonnulla ex eo capite Theodoretus attulit, quæ ad personas tres illustrandas attinet [3] : « Spiritu itaque descendente, ait, super prædictam dispositionem, et Filio Dei unigenito, qui et Verbum est Patris, veniente plenitudine temporis incarnato [c], » etc. Basilius item in cap. XXIX libri *de Spiritu sancto*, Irenæi locum alium citat, qui ad Spiritus sancti dignitatem ornandam pertinet. Vide et librum tertium hujus operis, capite septimo, sectione XI ubi de persona Spiritus sancti præclarus Irenæi locus adducitur.

Athenagoras.

III. Athenagoras in *Legatione pro Christianis*, Trinitatis et ipse mentionem haud vulgarem exhibet, auctor antiquus. Vixit enim M. Aurelio, et L. Aurelio Commodo impp. cujus tamen non meminit Hieronymus in *Catalogo*, sed Methodius antiquior Hieronymo mentionem facit in dialogo *de Resurrectione* adversus Origenem, cujus fragmentum descripsit Epiphanius in hæresi LXIV quæ est *Origenis*. In eo vero mendum est, quod ex Photio castigari debet, ut Athenagoræ mentio ibi facta restituatur. « Quidnam igitur tandem diabolum esse dicemus, ait? Spiritum nempe, qui circa materiam versatur, quemadmodum dictum est ab Athenagora [d]. » Locus autem Athenagoræ est in *Legatione;* ubi « alias esse virtutes ait, quæ circa materiam versantur [e]. » Hic et Deum unum esse persuadet primum, deinde vero huic esse Filium, et Verbum, per quod omnia procreavit, ac disposuit. « Est, inquit, Filius Dei, Verbum Patris in idea, et operatione. Ab ipso enim, et per ipsum omnia

a Ibid. Καὶ ὅτι δύναμις αὕτη, ἣν καὶ θεὸν καλεῖ ὁ προφητικὸς λόγος, διὰ πολλῶν ὡσαύτως ἀποδέδεικται, καὶ ἄγγελον, οὐχ ὡς τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὀνόματι μόνον ἀριθμεῖται· ἀλλὰ καὶ ἀριθμῷ ἕτερον τί ἐστι, etc. ἀλλ' οὐ κατὰ ἀποτομὴν, ὡς ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, ὁποῖα τὰ ἄλλα πάντα μεριζόμενα, καὶ τεμνόμενα, οὐ τὰ αὐτὰ ἐστιν ἃ καὶ πρὶν τμηθῆναι· καὶ παραδείγματος χάριν παρειλήφειν τὰ ὡς ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἀναπτόμενα πυρὰ ἕτερα ὁρῶμεν, οὐδὲν ἐλαττουμένου ἐκείνου, ἐξ οὗ ἀναφθῆναι πολλὰ δύνανται, ἀλλὰ ταὐτοῦ μένοντος.

b Basil. cap. XXIX. de *Sp. S.* Εἰρηναῖος δὲ ἐκεῖνος ὁ ἐγγὺς τῶν Ἀποστόλων γενέμενος.

c Iren. lib. III, cap. XIX. Τοῦ πνεύματος οὖν κατελθόντος διὰ τὴν προωρισμένην οἰκονομίαν, καὶ τοῦ υἱοῦ θεοῦ μονογενοῦς, ὃς καὶ λόγος ἐστὶ τοῦ πατρὸς, ἐλθόντος τοῦ πληρώματος τοῦ χρόνου σαρκωθέντος, etc.

d Meth. apud Epiph. hær. LXIV. § 21. et Phot. cod. 234. Τί οὖν ὁ διάβολος λέξεται; πνεῦμα περὶ τὴν ὕλην ἔχον, καθάπερ ἐλέχθη τῷ Ἀθηναγόρᾳ. Male in editis Epiphanii, ὦ Ἀθηναγόρα.

e Athenagoras in *Legat.* Οὕτω καὶ ἑτέρας εἶναι δυνάμεις κατειλήμμεθα περὶ τὴν ὕλην ἐχούσας.

1 Cap. XI, § 14. — 2 Iren. lib. IV, cap. VIII. — 3 Theodoret. dial. I.

facta sunt, cum sit unum Pater et Filius, et sit in Patre Filius, et Pater in Filio, unitate, et virtute Spiritus. » Hæc satis sunt ad Trinitatem, et christianum de ea dogma declarandum, Arianamque comprimendam, sed et Sabellianam perfidiam. Nec, si quid interim adspersum est loquendi magis, quam sentiendi modo ab usitata regula dissentiens, in rei errore ponendum.

Theophilus Antiochensis.

Verbum.

Sapientiam.

Omnes secundi sæculi Patres dogmatis substantiam sine labe tenuerunt.

Eodem fere tempore floruit Theophilus Antiochensis episcopus. Cujus in secundo libro *ad Autolycum*, luculenta Trinitatis est professio, quam in libro primo *de Trinitate* posui ; dum, præter summum Deum, λόγον ejus, et σοφίαν enumerat. De hoc vero idem, quod de Athenagora, et Justino, atque etiam Tatiano, secundi omnibus sæculi scriptoribus asseverandum est, eos omnes dogmatis caput, et substantiam ipsam sine ulla labe tenuisse, atque ex tam concordi de tribus in divinitate sententia, quoquo tandem ea genere locutionis expresserint, vim occultæ, et ab apostolis transfusæ traditionis colligi. Ac mihi videntur illi, cum adversus gentiles doctos, et philosophiæ deditos pro christiana fide disceptarent, quo eam vendibiliorem facerent, ac magis persuaderent, minus accurate, ac subtiliter illius intima, et arcana commisisse libris istis, quos emanare in vulgus cuperent; atque ad decreta, eamque, quam illi combiberant, theologiæ formulam christianum istud conformasse mysterium. Ita plane sese res habuit, ut idem in hoc instituerent dogmate fidei, quod in plerisque aliis longe etiam postea factum novimus ab iis, qui rudes ad christianam religionem imbuebant animos, et iis sermonibus erudiebant, quos κατηχητικοὺς appellant. Nam initio sic illa tradebant, ut prima duntaxat adumbrarent eorum lineamenta, et ex communibus placitis, atque insitis ex usu philosophorum notionibus, colorem illis, ac plausibilem speciem captarent.

Qua ratione in verbis minus accurati.

Catecheticos

Paulus ipse audientium moribus se accommodat.

IV. Nonne et Apostolus hoc Paulus Athenis sumpsit sibi, ut christianam unius Dei fidem ad captum, et institutum accommodaret gentilium? Nam ex aræ inscriptione, quam *Ignoto Deo* nuncupatam legerat, sic usus est, tanquam *ignotus* ille verus esset Deus, quem religio christiana veneratur, cum longe ab eo reipsa distaret. De quo Apostoli facto memorabile istud est Hieronymi in caput primum epistolæ *ad Titum*. « Nec mirum, si pro opportunitate temporis, gentilium poetarum versibus abutatur ; cum etiam de inscriptione aræ aliqua commutans, ad Athenienses locutus sit, etc. Inscriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus asseruit, *Ignoto Deo*, sed ita : *Diis Asiæ, et Europæ, et Aphricæ diis ignotis, et peregrinis*. Verum quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret suum illum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent, et recte eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, et nescire non poterant. » Nihil ad mentem, propositumque nostrum fieri potest aptius, quam hoc fuit Pauli consilium, et exemplum. Nam, etsi longe dissimilis erat ignotus ille Deus Atheniensium, sive unus, et quilibet ignotorum istorum, quos colebant, ab vero, summoque Deo, sic eum tamen usurpat Apostolus, quasi idem esset ; « ac pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei, » ait alibi idem Hieronymus ut ea συγκαταβάσει, ac prudenti temperatione doctrinæ, prima in illis formaret initia, et rudimenta fidei. Ac nemo propterea credat hunc illius reipsa sensum, ac judicium fuisse, christianorum Deum unum aliquem ex eorum esse numero, quos Ethnici in Attica colebant, etsi verbo, ac loquendi modo tale quippiam exprimeret. Ita prorsus de illis, quos nominavi, christianæ legis magistris, et doctoribus existimamus, quamvis Trinitatis mysterium sic apud gentiles interpretati fuerint, ut quædam de eo Platonico pene more disputarint, non hanc tamen interiorem fuisse mentem, ac sententiam ipsorum, sed declarandi solum gratia, et ut captus erat audientium, aut eorum scripta versantium, eum modum interpretationis adhibuisse. Quæ ratio in rudibus non modo catechumenis, sed etiam christianis instituendis hodieque valet ; ut, cum illis paulo reconditiora dogmata traduntur, ita, uti capere possunt, et rerum usitatarum argumentis, ac similitudinibus explicentur.

V. Certe, cum unius, ac trinæ deitatis fidem contra gentiles tuentur veteres illi, uti non incredibilem eam, aut absurdam esse

a Athenag. Ἀλλ' ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ, καὶ ἐνεργείᾳ, πρὸς αὐτοῦ γὰρ, καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ· ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι, καὶ δυνάμει πνεύματος.

1 Hier. *de Script.* cap. XXXV. — 2 Cap. III, § 6. — 3 Hier. ep. LXXXIV.

demonstrent, antiquos illorum theologos proferunt, Orpheum, Mercurium, Platonem vero maxime, ac deinceps cæteros tam poetas, quam generis alterius scriptores, ab quibus illud idem dogma traditum, et scriptis vulgatum fuerit. Sic Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyrillus, et omnes ad unum fecere, qui in eo argumento versati sunt; ut ex primis capitibus libri nostri *de Trinitate* primi perspicuum erit.

Quin et ipse Athanasius.

Addam instituti illius, ac moris exemplum longe præstantissimum ex Athanasio magno; cui præ cæteris Patribus exquisita, et liquida catholici de Trinitate dogmatis intelligentia concessa divinitus videtur, ut Basilius, Gregorius Nazianzenus, aliique passim prædicant: de quo vere Photius scripsit, omnes, qui post ipsum Arianam scriptis impugnarunt hæresim, ingenia sua, et lucubrationes ex illius irrigasse fontibus. Ergo ille vindex, ac defensor adversus Arianos mysterii illius acerrimus, et vigilantissimus, cum de Verbi incarnatione disputat, et ejus divinitatem asserere, ac persuadere gentilibus studet, his ad probandum utitur argumentis, quæ illorum ex usu, atque sensu, et anticipata, quam de Verbo habebant ex Platone, aliisque philosophis, notione Verbi petuntur. Quam ab exacta, et catholica veritate dissidere, et Arianorum hæresis esse similem, nec ignorabat ipse, et ex iis constat, quæ in primo capite libri primi *de Trinitate* dixi. Cum igitur incarnationis fidem ab gentilium offensione, et calumnia purgare vellet, quod iis maxime in illa displicebat, eludere, ac refellere conatur; nempe, quod christiana professio docet λόγον, id est *Verbum* divinum corpore indutum apparuisse. « Nam si, inquit, confitentur esse aliquem Dei λόγον, et hunc ducem universitatis esse, atque in ipso creaturam omnem a Patre fabricatam esse; hujus item providentia illuminari cuncta, vivificari, et esse, ipsumque in omnibus regnare adeo, ut ex providentiæ operibus tam ipse, quam per eum Pater agnoscatur; animadverte obsecro, annon imprudentes contra semetipsos irrisionem illam contorqueant[a].» Tum illa pertexit, quæ de λόγῳ Platonici prodiderunt; quemadmodum per vastissimum universitatis immensæ corpus diffusus sit, et immistus: quod in sexto *Æneidos* imitatus est poeta his versibus:

« Principio cœlum, ac terras, camposque
[liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore
[miscet. »

Et alibi [1]:

« Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque pro-
[fundum. »

Ex quibus christianam fidem Athanasius affirmat, nihil incredibile continere, dum « corpus illud, in quo λόγον inesse dicit, velut instrumento usum asserit ad sui declarationem [b]. » Atqui et Pater ille Platonicorum, et λόγος ex eorumdem opinione toti infusus universitati eamque regens, et animans, longo intervallo distabant a Patre, Verboque, cujusmodi Christiani nos in Trinitate ponimus, et luculentissimo præconio omnibus fere paginis expressit Athanasius. Sed rationem habuit, cum ista scriberet, quid gentilibus, ac philosophis instituendis, et quodammodo cicurandis esset aptum; ac denique alias ejus esse partes intellexit, qui prima fidei rudimenta rudibus, aut ab Christi nomine alienis explicet; alias illius, qui eamdem fidem vel contra hæreticos propugnet, vel ex professo declarare studeat.

Hæc agendi ratio quatenus periculosa.

VI. Nec diffiteor, hanc ad gentilium, ac philosophicorum decretorum similitudinem temperandæ christianæ rationem fidei, fraudi interdum fuisse vel ipsis enarratoribus illius, ut Origeni, ac similibus, vel librorum ab iis scriptorum lectoribus. Nam de Origene notatum est, et a nobis dictum alio loco; cum is christiana dogmata, Scripturasque sacras rideri ab ethnicis, et contemni videret, tum propter eorum simplicitatem, tum quod multa continent hominum, ac mundi, ut loquitur Apos-

c Athan. lib. *de Incarn. Verbi.* Εἰ δὲ ὁμολογοῦσι λόγον εἶναι θεοῦ, καὶ τοῦτον ἡγεμόνα τοῦ παντὸς, καὶ ἐν αὐτῷ τὸν πατέρα δεδημιουργηκέναι τὴν κτίσιν, καὶ τῇ τούτου προνοίᾳ τὰ ὅλα φωτίζεσθαι, καὶ ζωογονεῖσθαι, καὶ ἐπὶ πάντων αὐτὸν βασιλεύειν, ὡς ἐκ τῶν ἔργων τῆς προνοίας, γινώσκεσθαι αὐτὸν, καὶ δι' αὐτοῦ τὸν πατέρα· σκόπει, παρακαλῶ, εἰ μὴ τὴν χλεύην καθ' ἑαυτῶν κινοῦντες ἀγνοοῦσι;

d Athanas. ibid. Τί λοιπὸν χλεύης ἄξιον λέγομεν, εἰ ἐν ᾧ ἐστιν ὁ λογος, τούτῳ πρὸς φανέρωσιν ὡς ὀργάνῳ κέχρηται ὁ λόγος;

1 *Georg.* IV.

tolus, stulta judicio; dedisse operam, ut aliorsum, quam præ se ferebant, trahenda, et interpretanda illa putarentur; ac primum rerum gestarum historicam ab Scripturis veritatem adjudicasse, totumque retulisse ad allegoricos, figuratosque sensus; deinde fidei capita præcipua ad horum similia, quæ penes gentes erant, applicasse, aut hæc in illa transtulisse. De cæteris autem, qui ex hujusmodi scriptorum lectione errandi causas habuerunt, permulta sunt exempla, nec alia magis usurpanda nobis, quam quæ in hoc, de quo agimus argumento versata sunt. Etenim Ariani, et id genus hæretici, ad erroris sui præsidium, veterum aliquot testimoniis abuti solebant; qui, « antequam in Alexandria, quasi dæmonium meridianum, Arius nasceretur, innocenter quædam, et minus caute locuti sunt [1], » ut ex Hieronymo alibi dixi [2]; præsertim vero Dionysii Alexandrini, ut testatur Athanasius, qui pro ejus defensione librum scripsit peculiarem. Sed et Gregorii Thaumaturgi, quem in partes suas invitum trahebant iidem hæretici, propter quædam minus ab illo accurate libris suis inspersa; de quibus ipsum purgat in epistola LXIV Basilius. Quocirca omnium fere, quæ paulo incuriosius ab sanctis illis Patribus de hoc mysterio interdum jacta sunt, causa illa primaria videtur esse, quam dixi, quod, cum gentiles philosophos alienos a christiana professione conciliare vellent, et probabilem iis causam fidei nostræ reddere, salva dogmatis ipsius, ut loqui soleo, substantia, pleraque illorum more, instutoque declararunt.

VII. Quam in rem egregium istud est Augustini in libro *de Catechizandis rudibus*. « Quanquam, inquit, et illi, qui catholici ex hac vita migrarunt, et aliquid litterarum christianarum posteris reliquerunt, in quibusdam locis opusculorum suorum, vel non intellecti, vel, sicuti est humana infirmitas, minus valentes acie mentis abditiora penetrare, et verisimilitudine aberrantes a veritate, præsumptoribus, et audacibus fuerunt occasioni ad aliquam hæresim moliendam, atque gignendam. Quod mirum non est, cum de ipsis canonicis litteris, ubi omnia sanissime dicta sunt, non quidem aliter accipiendo quædam, quam vel scriptor sensit, vel se ipsa veritas habet; nam, si hoc solum esset, quis non humanæ infirmitati ad corrigendum pa-ratæ libenter ignosceret? Sed id, quod perverse, ac prave opinati sunt, animositate acerrima, et pervicaci arrogantia defensitantes, multi multa perniciosa dogmata, conscissa communionis unitate, pepererunt [3]. »

Neque vero paucorum vel errata illa, vel παροράματα perpetuitati traditionis obsunt, aut eam interpellant; vel quia in minutis fere, et incidentibus, non autem in summa, et capite ipso dogmatis illorum qualiscumque versatur error; vel quia compensatur hoc, quidquid est, quod non satis exacte locuti sunt, cum aliis eorum sententiis, in quibus credendæ rei τὰ καίρωτατα cernuntur; vel quia longe plures *Præcipua.*
exstiterunt, a quibus aut scripto comprehensa, aut sine scripto prædicata fidei veritas permanavit ad posteros. Postremo, ut de Trinitate potissimum agam, cum tam subtilis, tamque negotiosa, et lubrica sit illius tractatio, et, ut Augustinus ait, « nec periculosius alicubi erretur, nec laboriosius aliquid quæratur [4]; » difficile est, non in quibusdam labi vel opinando, vel loquendo saltem; præsertim in iis, quæ nec summam rei continent, neque doctorum hominum vigiliis, ac disputationibus adhuc expolita, et limata sunt, nec ante ortas de illis controversias, Ecclesiæ judicio, et synodali auctoritate fixa steterunt: qualia fuerunt illa, in quibus pauci isti, quos dixi, incuriosius versati sunt. Quibus eo certe magis ignoscere debemus, quod etiam post Nicænum concilium, cum in tam copiosa luce collocatum illud esset dogma Trinitatis, tamen non defuere, qui in nonnullis, quæ hodie certa, et fide rata sunt, multum opinione sunt falsi. Ut qui Filium ipsam esse putarunt sapientiam, qua Pater sapiens dicitur; aut Spiritum sanctum ipsam voluntatem, qua Deus vult; quidam etiam divinitatem ipsam, quia legerant, *Deus charitas est;* quos refellit Augustinus, ut et alios quosdam similibus in mysterii illius capitibus aberrantes, de quibus haud pauca legentur in libris nostris. Cujusmodi lapsus nemo hodie theologus impune habeat; sed statim ad canonica præscripta revocetur. Hæc sufficere arbitror, non tam ad tuendam veterum existimationem, quæ nec defensionis istius eget, cum ne minimum quidem huic ex illa prolapsione decesserit; quam ut palam facerem, traditionis in Ecclesia cursum, quo Trinitatis propagatam esse catholicam doctrinam di-

Digni venia qui ante hæreses et synodos scripsere.

1 Hier. 2 *Apol. de con. Ruc.* — 2 Lib. I *de Trinit.* cap. III. — 3 Vide idem cap. III nostrum § 10. — 4 Cap. VIII. — 5 Lib. I *de Trinit.* cap. III.

ximus, nihil inde cepisse detrimenti, sed per salebras istas, et offensiones perpetuum, nec interruptum iter habuisse. Quod in recensendis auctoribus priorum duarum ætatum fieri præsertim oportuit; in quibus minus enucleata, quam in sequentibus mysterii illius ratio fuisse videtur. Nunc in ætate tertia traditionis ejusdem vestigia relegamus.

CAPUT IV.

De scriptoribus tertii sæculi, qui traditioni veteri de Trinitate testimonium præbent, Hippolyto Portuensi, Clemente Alexandrino, Origene, Dionysiis, Romano et Alexandrino, Theognosto, Gregorio Thaumaturgo, Methodio.

Tertii sæculi testes.

I. Tertii sæculi fidem, ac traditionem longe plures monumentis expresserunt suis, quam priorum duorum. Primusque subit in stylum nostrum, ac memoriam Hippolytus martyr, et episcopus, incertum Hieronymo[1], cujus urbis. Sed nec Eusebius[2], qui ejus meminit, neque Theodoretus, qui ejus utitur testimoniis, nomen urbis memorant. Verum Anastasius Bibliothecarius[3], qui ejus aliquot fragmenta collegit, Επίσκοπον Πόρτου, τοῦ λιμένος Ῥώμης, hoc est *Episcopum Portus Romani* vocat. Floruit Alexandro Mammææ filio imperante; cujus anno primo, hoc est Christi CCXXII, consignata est Henneadecaëteris illius, sive Canon Paschalis, qui in marmorea statua insculptus est, effossa Romæ MDLI. Hujus hic nonnulla loca proponam, quibus Trinitatis fidem comprobat, quatenus Filium Dei ejusdem cum Patre divinitatis esse confitetur, et in omnibus æqualem. Apud Theodoretum[5] hæc illius verba leguntur ex sermone *de Helcana, et Anna;* cum de eo, quod Maria gestabat in utero, loquitur. « Verbum erat Dei, primogenitum e cœlo ad te delapsum, et homo primogenitus in utero formatus; ut primogenitum Verbum Dei primogenito conjunctum homini monstretur [a]. » Horum vis verborum quanta sit, melius existimabit, qui nominum istorum, *Verbi*, et *primogeniti* potestatem expenderit. Etenim λόγον ejusmodi intellexit Hippolytus, de quo Joannes initio *Evangelii* loquitur. At λόγος iste « Deus et apud Deum in principio » exstitit, et « per eum omnia sunt facta. » Non igitur creatus est, neque per alium λόγον factus, ut Ariani postea fabulati sunt[6], eo ipso, quod est primogenitus. Ad hæc Hippolytus idem alio in libro κύριον ἀναμάρτητον vocat Christum, id est *impeccabilem*, quod solius veræ, et increatæ divinitatis proprium est, ut alibi docui [7].

Verbum.

II. Sed multo luculentiora perfectæ, ac veræ divinitatis in Filio, ejusque persona a Patre distincta, Hippolytus idem testimonia dedit in opusculis *contra Beronem, et Helicem* apud Anastasium. In quibus duplicem in Christo naturam accurate discernit; et divinam eamdem plane esse demonstrat, quæ est in Patre, « Verbum enim Dei nulla re mutatum esse (dicit eo ipso quod carnem induit,) nec in ullo prorsus, in quo idem est cum Patre, factum esse idem cum carne propter exinanitionem. Sed cujusmodi erat absque carne, ita mansisse extra omnem circumscriptionem [b]. » Rursus, « Deum illum infinitum simul, et circumscriptum hominem esse ait, et intelligi, utriusque substantiam perfecte perfectam habentem [c]. » Quod potest esse clarius summæ, absolutæque divinitatis in Christo præconium? Nam et infinitum Deum hunc esse prædicat, et immensum, et immutabilem, et idem omnino cum Patre, quod ad naturam attinet, cum sit ejus Filius, ideoque reipsa distinctus. Denique « Divinitas, inquit ex Anastasii versione, ut erat ante incarnationem, est et post incarnationem secundum naturam infinita, incomprehensibilis, impassibilis, incomparabilis, imo inalterabilis, inconvertibilis, per se potens, et, ut totum dicamus, subsistens, substantialis sola infinitæ virtutis bonum [d]. » Potuitne vel hoc

Hippolytus.

a Hippol. Λόγος γὰρ ἦν θεοῦ πρωτότοκος ἀπ' οὐρανῶν, ἐπὶ σὲ κατερχόμενος, καὶ ἄνθρωπος πρωτότοκος ἐν κοιλίᾳ πλασσόμενος, ἵν' ὁ πρωτότοκος λόγος θεοῦ πρωτοτόκῳ ἀνθρώπῳ συναπτόμενος δειχθῇ.

b Hippol. in Serm. I apud Anast. in *Collect.* Τροπὴν οὐχ ὑπέμεινεν μηδ' ἑνὶ παντελῶς, ὃ ταὐτὸν ἐστι τῷ πατρὶ, γενόμενος ταὐτὸν τῇ σαρκὶ διὰ τὴν κένωσιν. ἀλλ' ὥσπερ ἦν δίχα σαρκὸς, πάσης ἔξω περιγραφῆς μεμένηκε.

c Ibid. Θεὸν ἄπειρον ὁμοῦ, καὶ περιγραπτὸν ἄνθρωπον ὄντα τε, καὶ νοούμενον, τὴν οὐσίαν ἑκατέρου τελείως τελείαν ἔχοντα.

d Ibid. Τὸ γὰρ θεῖον, ὡς ἦν πρὸ σαρκώσεως, ἐστι καὶ μετὰ σάρκωσιν κατὰ φύσιν ἄπειρον, ἄσχετον, ἀπαθὲς,

1 In *Catal* cap. LXXI. — 2 Lib. VI *Hist.* cap. XXII. — 3 In *Collect.* — 4 Vide lib. II *de Doct. temp.* cap. LX. — 5 Dial. I, tom. IV. — 6 Vide lib. VI *de Trinit.* cap. III, § 5. — 7 Lib. VII *de Deo*, cap. VIII, § 6, et tom. IV, lib. *de Hær. Pel.* cap. VI, § 4 et seq.

sæculo quisquam disertius, expressius, significantius divinitatem Filii, ac personarum discrimen exponere, quam scriptor ille fecit antiquus, antequam Nicænus consessus liquidam ea de re scientiam explicasset? His sunt consentanea testimonia reliquorum fragmentorum (sunt autem octo omnia) de Christo Deo, Deique Filio dicta; quæ longum sit exscribere. Ut cum in secundo nominatur ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, *Deus universorum*. Et in sexto tribuitur illi » inprincipalitas, infactio, infinitas, sempiternitas, incomprehensibilitas, et quæcumque horum secundum magnitudinem theologica amplissime in deitate ratio contemplatur[a], » ut barbare vertit Anastasius.

Clemens Alexandrinus.

Sequitur Alexandrinus ille Clemens, vir laudatissimus, cujus superfluum est hoc loco referre sententias. Jam enim eas attulimus in primo libro *de Trinitate*[1]; ubi pleraque ab illo auctore scripta de Trinitate diximus sine erroris suspicione. Itaque lectorem ad ea remittimus, quæ illic exscripta sunt; et dogmatis illius de naturæ unitate, ac personarum distinctione manifestam professionem continent.

Origenes.

Sic Origenis loca in eodem libro nonnulla producta sunt, præsertim quem ex Athanasio descripsi, in quo perhonorifice, ac catholice sentit de Filii divinitate, et æternitate. De Spiritu vero sancto perinde Basilius ab illo nonnulla profert dicta laudabiliter; quamvis alioqui non recte de illius divinitate saperet. Sed « nimirum, ait Basilius, vim consuetudinis reveritus, religiosas de Spiritu sancto voces edidit[b].» Itaque in sexto *Enarrationum* Joannis de baptismo agens, « adorandæ Trinitatis deitatem[c] » nominat. Et in commentariis in epistolam *ad Romanos*, « Sacræ virtutes, ait, capaces sunt Unigeniti, et sancti Spiritus deitatis[d]. »

Quin et Africanum citat ibidem historicum Basilius, qui in solemni δοξολογίας, id est *glorificationis* formula, cum Filio copulavit Spiritum, addita particula τῷ. quam non ferebant ii, qui ab communione divinitatis illum excludere volebant.

Dionysius papa.

III. Exinde Dionysius Papa prodibit; qui Valeriano et Gallieno imperantibus Ecclesiæ præfuit, cœpitque anno CCLIX. Cujus egregia est sententia ab Athanasio descripta in libro *de Synodi Nicœnæ decretis* ex epistola quadam *contra Sabellianos*. « Deinceps, inquit, adversus eos dicam, qui dividunt, et secant, et evertunt religiosissimum dogma Ecclesiæ Dei, monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, et divisas hypostases, ac deitates tres. Nam audio, quosdam apud vos esse institutores, et doctores divini verbi, qui illius sunt opinionis auctores; qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum asserens esse Patrem, et e converso Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos prædicant, dum sanctam monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, a se invicem plane separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, et in Deo manere, et habitare Spiritum sanctum. Jam vero, divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam, ac summam, Deum universorum colligi, et coalescere prorsus est necesse. Quippe Marcionis est insani dogma, in tria principia secare, ac dividere, quæ est diabolica doctrina, non autem eorum, qui revera discipuli sunt Christi, et Salvatoris disciplina delectantur. Nam hi Trinitatem ab Scriptura sacra prædicari plane intelligunt; tres autem deos neque in Veteri, neque in Novo Testamento doceri[e].»

ἀναλλοίωτον, ἄτρεπτον, αὐσθοένες, καὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν, ὑφεστὼς οὐσιῶδες, μόνον ἀπειροσθενὲς ἀγαθὸν.

a ATHAN. Καὶ τῆς αὐτῆς αὐτῷ γέγονε φύσεως, μεθ' ὅσων ἡ φύσις, ἀναρχίας, ἀγεννησίας, ἀπειρίας, ἀϊδιότητος, ἀκαταληψίας, καὶ τῶν ὅσα τούτων καθ' ὑπεροχὴν ὁ θεολογικὸς ὑπερφυῶς ἐνορᾷ τῇ θεότητι λόγος.

b ORIGENES apud Basil. *de Sp. S.* Πλὴν ἀλλὰ πολλαχοῦ καὶ αὐτὸς τῆς συνηθείας τὸ ἰσχυρὸν δυσωπούμενος, εὐσεβεῖς φωνὰς ἀφῆκε περὶ τοῦ πνεύματος.

c Ibid. Τῇ θεότητι τῆς προσκυνητῆς τριάδος.

d Ibid. Αἱ ἱεραὶ δυνάμεις χωρητικαὶ τοῦ μονογενοῦς, καὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος θεότητος.

e DIONYS. Papa apud Athanas. lib. *de Decret.* Ἑξῆς δ' ἂν λέγοιμι καὶ πρὸς διαιροῦντας, καὶ κατατέμνοντας, καὶ ἀναιροῦντας τὸ τεμνότατον κήρυγμα τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ, τὴν μοναρχίαν εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς, καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις, καὶ θεότητας τρεῖς· πέπυσμαι γὰρ εἶναί τινας τῶν παρ' ὑμῖν κατηχούντων, καὶ διδασκόντων τὸν θεῖον λόγον, ταύτης ὑφηγητὰς τῆς φρονήσεως, οἳ κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντίκεινται τῇ Σαβελλίου γνώμῃ. ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ, αὐτὸν τὸν υἱὸν εἶναι λέγων τὸν πατέρα, καὶ ἔμπαλιν· οἱ δὲ τρεῖς θεοὺς τρόπον τινὰ κηρύττουσιν, εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας, ἀλλήλων παντάπασι κεχορισμένας διαιροῦντες τὴν ἁγίαν

* In loco Dionysii τρεῖς ὑποστάσεις ξένας vertendum fuit *tres substantias a se invicem alienas*, non *hypostases peregrinas*. Nam liquet ὑπόστασιν dici *substantiam*, ex superioribus verbis, ut observavit Petavius : deinde ξένος hic perinde est ac ἀλλότριος, *dissimilis naturæ. Dii peregrini* auribus Latinis aliud sonant. TH. AL.

1 Cap. IV, § 1. — 2 Ib. § 6.

Animadvertis in hoc Dionysii papæ loco plenam, ac solide catholicam Ecclesiæ traditionem, et doctrinam, quæ Trinitatis dogma perfectissime complectitur. Siquidem et μονάδα et τριάδα, hoc est « unitatem in Trinitate, et Trinitatem in unitate » asserit; ac tam Sabellio contradicit, identitatem substantiæ quam Dionysius ὑπόστασιν ex usu illius ætatis nominat, asseveranti, quam Tritheitis, et Arianis, aliisque pestibus, quæ tres naturas, sive substantias, quot et personas, constituebant. Vetus est igitur Trinitatis in Ecclesia fides, et appellatio; quam et in Scripturis divinis traditam, et in Ecclesia perpetuo servatam esse, gravissimus ille auctor, ac Romanus pontifex confirmat.

Dionysius Alexandrinus.

IV. Dionysio succenturiandus est alter Dionysius, Romano Alexandrinus. Vixit enim eodem uterque tempore; atque hic postulatus aliquando est apud illum, quod contra Sabellianam hæresim disputans, in adversam illi incurrisset, ac tres et natura et persona diversos adstrueret. Qui propterea scripsit apologiam, qua se apud Romanum pontificem purgavit; de quo vide, quæ alio in loco scripsi[1]. Athanasius porro librum adversus Arianos elucubravit; in quo eos refellens, quod Dionysii Alexandrini auctoritate niterentur, eumdem excusat, et verba ejus ex sensu, et sententia temperanda esse dicit.

Cæterum in illo ipso Dionysii facto, et ipsius apologia, cujus aliqua verba memoravit Athanasius, multa lucent indicia dogmatis, ac traditionis antiquæ de fide Trinitatis. Nam hoc ipsum, quod objectum sibi crimen diluit, nec patitur, id imputari sibi, quod tres naturis, et personis differentes deos in Trinitate posuerit, sed tres ejusdem naturæ se intellexisse personas contendit adeo; satis ostendit, pro nefanda hæresi damnatam ab illo esse Arianam opinionem. Deinde Athanasius ad illum propugnandum non dissimilem rationem adhibet ei, quam supra reddidimus, cur interdum Patres aliqui de Trinitate præsertim minus commoda verba dixerunt; nempe ut rudes, et imperitos paulatim dedocerent ea, in quibus aberrabant. Hoc enim Dionysium facere volentem, et Sabelliano errore occupatas quorumdam in Pentapoli mentes sanare cupientem, Filium demonstrasse a Patre esse diversum; in eoque constituendo discrimine, ultra metas excurrisse liciti, ac legitimi sermonis. Addit eumdem Dionysium post illam, cui calumniabantur, epistolam, alias edidisse, in quibus et mentem explicavit suam, et obtrectatoribus satisfecit, et communem, sinceramque fidem sine ulla labe perscripsit. Denique epistolæ isti, qua se apud Romanum pontificem purgavit, ἐλέγχου et ἀπολογίας titulum fecisse, hoc est *refutationis* et *defensionis*; quo quid aliud significavit, nisi se Arianam sententiam falsam, impiam, et hæreticam judicare, et ab ea quam longissime distare? Subjungit his Dionysii testimonia plurima, quibus doctrinæ catholicæ suffragatur. Ut cum ita scribit: « Nunquam fuit, quando Deus Pater non erat[a]. » Et postea: « Cum enim sit splendor lucis æternæ, prorsus æternus est et ipse[b]; » ac similia deinceps quamplurima subtexit. Illud vero palmare est ejusdem, quod et Filium ὁμοούσιον, id est *ejusdem cum Patre esse substantiæ* docet[2]; cum inter accusationis capita positum hoc esset, negatum ab illo τὸ ὁμοούσιον. Hoc enim reipsa, et argumentorum vi, ac sententia comprobasse se dicit, tametsi in Scriptura non exstare fateretur. Sed hujus Dionysii alia loca jam attulimus[3], in quibus citra calumniam recta est, et germana Trinitatis confessio.

Consubstantiale.

Theognostus.

V. Cum hoc Theognostus numerandus est scriptor antiquus; qui, ut refert Athanasius, Filium scripsit « non ex non exstantibus, sed ex Patris substantia productum esse[4]; » quo perbrevi decreto Arianam succidit hæresim.

Per idem tempus, quo ambo illi Dionysii christianæ fidei traditionem illustrabant luce

μονάδα· ἡνῶσθαι γὰρ ἀνάγκη τῷ θεῷ τῶν ὅλων τὸν θεῖον λόγον· ἐμφιλοχωρεῖν δὲ τῷ θεῷ, καὶ ἐνδιαιτᾶσθαι δεῖ τὸ ἅγιον πνεῦμα. ἤδη δὲ καὶ τὴν θείαν τριάδα εἰς ἕνα. ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα, τὸν θεὸν τῶν ὅλων, τὸν παντοκράτορα λέγω, συγκεφαλαιοῦσθαί τε καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη. Μαρκίωνος γὰρ τοῦ ματαιόφρονος δίδαγμα, εἰς τρεῖς ἀρχὰς τῆς μοναρχίας τομὴν καὶ διαίρεσιν, παίδευμα ὂν διαβολικὸν, οὐχὶ δὲ τῶν ὄντως μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν ἀρεσκομένων τοῖς τοῦ σωτῆρος μαθήμασιν. οὗτοι γὰρ τριάδα μὲν κηρυττομένην ὑπὸ τῆς θείας γραφῆς σαφῶς ἐπίστανται· τρεῖς δὲ θεοὺς, οὔτε παλαιὰν, οὔτε καινὴν διαθήκην κηρύττουσαν.

a Dionys. apud Athan. Οὐ γὰρ ἦν ὅτε θεὸς οὐκ ἦν πατήρ.

b Ibid. Ἀπαύγασμα δὲ ὢν φωτὸς ἀϊδίου, πάντως καὶ αὐτὸς ἀΐδιός ἐστι.

1 Lib. I, cap. IV, § 10. — 2 Vide Ath. — 3 Vide lib. I cap. IV, et lib. III, cap. XI et lib. IV, cap. V. — 4 Lib. *de Decr. syn. Nicæn.* Vide infra lib. IV, cap. V, § 1.

doctrinæ, auctoritatisque suæ, complures episcopi eamdem illi operam navarunt, apud Antiochiam semel iterumque congregati; tum Alexandriæ alii, eodem illo præside Dionysio: de quibus jam supra egimus capite secundo.

Gregorius Thaumaturgus. Ex horum numero, qui Antiochiæ Paulum Samosatenum damnarunt, unus fuit admirabilis ille, et mirabilium artifex operum, indeque nomen sortitus, Gregorius Neocæsariensis episcopus, cognomento Thaumaturgus; cujus catholicum dictum frustra in suspicionem vocari a Basilio dixi [1] in primo libro *de Trinitate;* tum eamdem ab illo δοξολογίας formam adhiberi scribit Basilius ibidem. *Doxologiæ* Exstat fidei confessio, quam, jubente B. Virgine, Joannes illum Evangelista docuit, ut in ejus laudatione Gregorius Nyssenus refert; qui et illam describit, quod est illustre monimentum traditionis, de qua hic agimus, et ecclesiasticæ, ac catholicæ de Trinitate professionis; ex qua pauca describam. « Unus Deus Pater Verbi viventis, ait interprete [1] Ruffino, sapientiæ subsistentis, et virtutis suæ, et figuræ sempiternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo, etc. Filius verus veri Patris [a]. » Mox: « Et unus, inquit, Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, etc. Imago Filii perfecti, perfecta vita, viventium causa, fons sanctus, sanctitas santificationis præstatrix [b].» Postremo ita concludit: *Trinitas perfecta.* In hac expositione fidei totam mysterii illius admodum comprehensa ratio est: quod iis melius agnoscet, qui de singulis ejus partibus, quæ sparsim hoc in opere tradidi, perscrutari voluerit.

Methodius. Methodius, qui eodem tertio sæculo inclinante scripsit, in libro de *Martyribus*, apud Theodoretum, Christi divinitati summum quiddam tribuit, cum eum nominat « Dominum, et Filium Dei, qui non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo. » Quæ nonnisi in Deum verum cadere possunt.

CAPUT V.

De Latinis scriptoribus tertii sæculi; qui traditionis antiquæ de vero Trinitatis dogmate fidem faciunt, Tertulliano, Cypriano, Novatiano, Minucio, Arnobio, Lactantio.

Tertullianus. I. Ex Latinis vetustissimus occurrit Tertullianus; cujus in scriptis vera pellucet Trinitatis fides, etsi nonnullis identidem adspersa maculis, quæ illi ex contagione fœdæ hæresis allini potuerunt, postquam, ejurata communione catholica, animum adjecit ad Montani fanaticam sectam. Perstant tamen haud pauca, nec obscura doctrinæ, ac traditionis veteris indicia, e quibus pauca libabimus. In libro *contra Praxeam* [4], adversus Patripassianos disserens, qui « unicum Deum non alias putabant credendum, quam si ipsum eumdemque et Patrem, et Filium et Spiritum sanctum dicant, » his fidei regulam opponit, quæ tres agnoscit, « non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formæ, et species, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti deputantur. » Addit « et numerum sine divisione pati. » Falli enim hæreticos, qui « numerum et dispositionem Trinitatis divisionem præsumunt unitatis; quando unitas ex semetipsa derivans Trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos, et tres jam jactitant a nobis prædicari, se vero unius Dei cultores præsumunt, quasi non et unitas irrationabiliter collecta hæresim faciat, et Trinitas rationabiliter expensa veritatem constituat [5]. » Mox « Filium de substantia esse Patris » affirmat.

Ac post multa de Filii productione interposita, « Nec dubitaverim, inquit, Filium dicere, et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium; quia omnis origo parens est, et omne, quod ex origine profertur, progenies est; multo magis sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit. Nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur; sicut nec a Deo Sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem ejus, Patrem et Filium ipsius. Nam et

---

a Greg. Thaum. Εἷς θεὸς πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου, τέλειος τελείου γεννήτωρ, πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς, εἷς κύριος, μόνος ἐκ μόνου, θεὸς ἐκ θεοῦ, etc. υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ πατρός.

b Item. Καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, etc. εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου τελεία ζωὴ, ζώντων αἰτία, πηγὴ ἁγία, ἁγιότης, ἁγιασμοῦ χορηγός.

Ibid. Τριὰς τελεία δόξῃ, καὶ ἀϊδιότητι, καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδ' ἀπαλλοτριουμένη.

1 Cap. iv, §. 10. — 2 *Hist.* Euseb. lib. VII, c. xxv. — 3 Dial. I. — 4 Cap. ii. — 5 Cap. iii et iv.

radix, et frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons, et flumen duæ species sunt, sed indivisæ. Et sol, et radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne, quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est, de quo prodit; non ideo tamen est separatum. Secundum autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo, et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice. Et tertius a fonte rivus ex flumine. Et tertius a sole apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas par consertos, et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiæ nihil obstrepit, et οἰκονομίας statum protegit. » Item, « Ecce dico alium esse Patrem, et alium Filium, et alium Spiritum. Male accepit idiotes quisque, aut perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, et ex diversitate separationem protendat, Patris, et Filii, et Spiritus [1]. »

Dispensationis.

Sunt et alia non pauca ejusdem auctoris loca, quæ et nos alibi citavimus[2], et alii recensent[3]; in quibus apparet vis sententiæ communis, ac dogmatis, cujus traditio christianorum mentes, animosque pervaserat; ut, quod de Origene Basilius supra commemoratus a nobis aiebat, idem de Tertulliano dicere possimus, eum consuetudinis robur, ac vim reveritum, pias voces, ac religiosas de Trinitate fudisse. Nam alioqui nonnulla de hoc mysterio disputat haud sane probanda; quæ in capite illo quinto libri primi de *Trinitate* congessimus. Sed quæ sunt οὐσιώδη, professionis istius, hæc abunde ab scriptore illo vulgata sunt. Cætera vero, in quibus ab regula deflexit, « non obstrepentia veritati, sed perfectæ institutioni necessaria, » ut Minucii verbis utar, tantum abest, ut ejus, quod de antiqua traditione, ac veri dogmatis propagatione defendimus, fidem, et auctoritatem elevent, ut eam potius adstruant. Quod paulo post certa ratione demonstrabo; ubi duos reliquos istius sæculi tertii produxero, vindices illius traditionis, et catholicæ de Trinitate fidei testes.

Essentialia.

Cyprianus.

II. Primus horum Cyprianus erit. Is in epist. LXXIII *ad Jubaianum* de baptismo agens, ejusque formula, « Insinuat Trinitatem, inquit, cujus sacramento gentes baptizarentur. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eumdem asserit, quem et nos, Patrem creatorem? Numquid eumdem unum Filium Christum de Maria Virgine natum, qui Sermo caro factus sit? » Ac postea docet, baptismum in solo Jesu Christi nomine collatum nihil efficere, ex eadem formula; « quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate. »

Idem in libro *de Idolorum vanitate*, Christum esse verum Deum adstruit. « Hic est virtus, inquit, Dei, hic ratio, hic sapientia ejus, et gloria; hic in Virginem illabitur; carnem, Spiritu sancto cooperante, induitur. Deus cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est, » etc. Et postea, « Per orbem vero discipuli, magistro et Deo monente, diffusi. » Item in libro *de Bono patientiæ:* « Quod item legimus in *Psalmis*, ubi Dei judicis prædicatur adventus. » Et paulo post: « Hic est Deus noster, id est, non omnium, sed fidelium, et credentium Deus, qui, cum in secundo adventu manifestus venerit, non silebit. Et, » Pater Deus præcepit Filium suum adorari, » etc.

Sed in libro secundo *Testimoniorum adversus Judæos*[4] uberrime probat e Scripturis, Christum esse Deum; eique Isaiæ verba illa tribuit: *Quoniam in te Deus est; et non est Deus alius præter te* [5], et alia testimonia, quæ in Veteri Testamento soli summo Deo tribuuntur. Tenemus igitur ex Cypriano et personarum in divinitate discrimen, quod Baptismi formula commendat, et divinitatis ipsius unitatem, propter quam tres illi unus sunt Deus. Nam, quod idem scribit, « Unus omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem[6]. » Moxque negat, Dei nomen esse quærendum, « quoniam illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo, qui solus est, Deus vocabulum totum est. Ergo unus est, et ubique totus diffusus est. » Quibus deinceps ista subtexuit, quæ jam attuli: « Hic Deus noster, hic Christus est. » Quamobrem unus ille Deus, quem christiana colit religio, Dei Filius est, et Christus. Atqui idem est a Patre distinctus, ut Cyprianus ipse docet. Igitur non aliter unus dicitur, et solus Deus, nisi, qua Deus est, et unum cum Patre; quod idem et Spiritu sancto intelligi, Trinitatis vox, et ratio ipsa declarat. Nam in Dei nomine baptizamur; nec alterius, quam unius. Hoc modo perfecti de Trinitate dogmatis traditio

1 Tertul. *cont. Prax.* cap. IX. — 2 Lib. VIII *de Trinit.* cap. V, § 5. — 3 Ut Bell. lib. I *de Christ.* cap. X. — 4 Cap. VI, VII et VIII. — 5 *Is.* XLV, 14. — 6 Lib. *de Idol. van.*

per Cypriani canalem ad Nicæna usque tempora defluxit.

Novatianus. III. Auctor libri *de Trinitate*, qui Novatiano vulgo tribuitur, proxime ab Cypriano nominandus est ; qui eamdem dogmatis traducem approbat. Imprimis enim Deum unum esse confirmat, sic exorsus initio libri : « Regula exigit veritatis, ut primo omnium credamus in Deum Patrem, et Dominum omnipotentem, id est rerum omnium perfectissimum conditorem. » Hunc [1] per Prophetam dicere ait, *Ego Deus, et non est præter me* [2]. « Deinde solum et unum esse asserit, cui conferri nihil potest, dum parem non habet. Quoniam nec duo infinita esse possunt, ut rerum dictat ipsa ratio. » Postea de Filio, « Eadem regula veritatis, inquit, docet nos credere, post Patrem, etiam in Filium Dei Christum Jesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium, hujus Dei, qui unus et solus est[3], etc. Tam enim Scriptura etiam Deum adnuntiat Christum, quam etiam ipsum hominem adnuntiat Deum [4].» Verum, ne quis Deos inde duos esse concluderet, pergit deinceps : « Sed ex hac, inquit, occasione, quia Christus non homo tantum, sed et Deus divinarum Litterarum sacris auctoritatibus approbatur, alii hæretici erumpentes, statum in Christo religionis concutere machinantur, hoc ipso Patrem Deum volentes ostendere Christum esse, dum non homo tantum asseritur, sed et Deus promitur. Sic enim inquiunt : Si unus esse Deus promitur, Christus autem Deus, ergo inquiunt, si Pater, et Christus est unus Deus, Christus Pater dicetur [5]. » Quibus ita respondet : « Quis enim non secundam Filii post Patrem agnoscat esse personam ? » etc. Ex quibus hoc directe conficitur, Filium Dei et a Patre personam esse distinctam, et eamdem cum eo habere divinitatem ; non enim secundus, aut minor illo Deus est, cum nonnisi unus sit Deus, ne duos Deos, quod consequens putabant hæretici, dici patiatur. Cujus rei causam hanc reddit, quia Filius e Patre nascitur ; nec duo sunt innati : cujusmodi si essent, duos ait fore Deos [6]. Quare unus illi ambo sunt Deus, natura utique, non persona. At idem Novatianus de Spiritu sancto pergit scribere : « Sed etiam ordo rationis, et fidei auctoritas, digestis vocibus, et litteris Domini, admonet nos, post hæc credere etiam in Spiritum sanctum [7] ; » de quo subinde plenius disputat. Vides absolutum dogma Trinitatis. Verum quædam hæc inter inserit, aut solo loquendi modo, aut certe citra mysterii substantiam, ab catholica regula discrepantia, quæ in primo hujus operis libro, capite quinto notavimus ; de quibus idem cogitandum est, quod paulo ante de Tertulliano docuimus.

Minucius Felix. Minucius Felix, qui Cyprianum ætate præcessit, in *Octavio* suo, traditioni non minus favet, ac Trinitatis confirmat fidem. Principio namque Deum esse confitetur unum. Ideo « nec nomen Deo quærendum, quia solus est [8] ; » quod verbis illis declarat, quæ Cyprianus ex eo transtulit, paulo a nobis ante descriptis ; pergitque porro ex omnium consensu mortalium unum esse monstrare Deum, præsertim philosophorum. « quibus illustrior gloria est, ut quivis arbitretur, aut nunc christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse jam tunc christianos [9]. » Verum idem Christum esse Deum agnoscit. Etenim exprobranti Cæcilio, qui gentilium causam contra christianos agit, hominem ab his pro Deo coli in cruce suffixum, obviam it Octavius : « Nam quod religioni nostræ hominem noxium, inquit, et crucem adscribitis, longe de vicinia veritatis erratis ; qui putatis Deum credi aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum [10]. » Ita Deum esse Christum, eoque nomine coli a christianis, quemadmodum ethnici deos suos venerabantur, Octavius fatetur. Quare, cum nonnisi unus Deus sit, oportet Christum unum eumdemque esse cum illo Deum.

Arnobius et Lactantius. IV. Duo reliqui sunt magister, et discipulus : ille Arnobius, hic Lactantius. Horum prior unum esse Deum intellexit, « qui bonorum omnium solus caput, et fons est [11]. In hoc, inquit, omne, quod colendum est, colimus : quod adorari convenit, adoramus ; quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur [12]. » Atqui Christum etiam Deum esse censet verum, et potentem. Quippe, ubi Christum dixit « æqualiter bonis, malisque subvenisse, » rationem ita subjicit : « Hoc est enim proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli [13]. » Tum utramque personam Patris, et Filii eadem oratione complectitur et divinitatem affirmat amborum. « Deus, inquit, ille sublimis, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, et ab omnium principe Deus sospitator est missus. » Et in libro secundo : « Et ideo Christus, licet vobis invi-

1 Novat. cap. III. — 2 *Isa.* XLV, 5. — 3 Novat. cap. IX. — 4 Idem, cap. XI. — 5 Ibid. cap. XXI. — 6 Cap. XXXI. — 7 Cap. XXIX. — 8 Minuc. — 9 Ibid. — 10 Ibid. — 11 Arnob. lib. II *cont. Gent.* — 12 Idem, lib. III. — 13 Idem, lib. I.

tis, Deus: Deus, inquam, Christus (hoc enim sæpe dicendum est, ut infidelium dissiliat, et dirumpatur auditus) Dei principis jussione loquens sub hominis forma, » etc. Item, « Sed si, inquiunt, Christus in hoc missus a Deo est[1]. » Aut igitur duos a christianis poni Deus putavit Arnobius, quod est falsum, cum nonnisi unum esse scribat: aut Christum, quem « verum, et sublimem Deum » esse credidit, unum et eumdem cum eo, a quo missus est, Deum esse voluit. In quo Trinitatis inest aperta, et omnibus numeris expleta confessio: atque eo profecto mirabilior, et pluris facienda, quod libros illos scripsisse dicitur, antequam christianus esset *, quibus editis, « velut quibusdam obsidibus, pietatis fœdus impetravit, » ut ait Hieronymus[2].

Lactantius et ipse Christum imprimis Deum profitetur, quod et Hemmanuelis voce significari dicit; et illis Psalmi verbis, « *Veritas de terra orta est*[3]: quia Deus, in quo veritas est, terrenum corpus accepit[4]. » Eumdem asserit bis esse genitum: « In prima enim
Sine matre. nativitate spirituali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris a solo Deo Patre generatus est.
Sine patre. In secunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, etc. Interim et Deum fuisse, et hominem ex utroque genere permistum, prophetis vaticinantibus dicimus. » Ad idque Isaiæ verba illa citat, quæ et ex Cypriano supra memoravi: *Quoniam in te Deus est, et non alius Deus præter te*[5]: Et Hieremiæ, hoc est Baruchi[3]; *Hic Deus noster est, et non deputabitur alius absque illo*[6]. Idem vero Lactantius Deum unum esse non affirmat solum, sed exquisitis etiam rationibus demonstrat[7]; et prophetas unum prædicare Deum adstruit; sed et gentiles poetas, et philosophos[8]. Itaque, quod in superioribus ostendimus, in Lactantio perinde valet, ut, quoniam plures posse esse deos non putavit, et tamen Patrem a Filio scivit esse distinctum, prorsus ambos unum esse Deum crediderit.

CAPUT VI.

Epilogus præfationis; in quo docetur, quemadmodum mira quadam ratione veteres illi in eo ipso traditionem dogmatis de Trinitate adstruunt, in quo illi adversari videntur. Quomodo ex iis, quæ communiter omnes asserunt, certa Trinitatis professio confici possit.

I. Hac testium virorum sanctissimorum, eruditissimorumque copia fidem nostram liberasse, et id, quod propositum erat, cumulate nos præstitisse confidimus; ut catholici de Trinitate dogmatis fidem omnes intelligerent, per traditionis seriem, ac velut canalem a Christo, et apostolis ad Nicæna cucurrisse tempora, a quibus deinceps ad extrema usque mundi sæcula plenis velis, et continuato cursu provehitur. Ac, tametsi nonnulli ex iis, quos appellavimus, iisdem illis in libris, unde testimonia protulimus, quædam admiscuerint haud satis sincera, quæ Arianorum errori gratificari videntur; nihil hoc perpetuitati incorruptæ traditionis officit, sed miro quodam modo magis eam | commendat, et illustrat.

Etiam quæ minus sincera scripti miscuere suis auctoris supra citati, traditionem commendant et illustrant.

Etenim errores illi, ac labes opinionum privatarum, vel magis in loquendi modo, quam in re ipsa consistunt, ut sæpe dixi; vel ad ipsam communis dogmatis substantiam non pertinet, sed ad quædam capita illius, et consequentia decreta; vel denique in sola versantur interpretandi ratione, dum mysterii ipsius, fideique summam, in qua omnes invicem congruunt, alius aliter edisserit.

II. Quo in negotio magnopere illud animadverti, expendique cupimus, illos ipsos, qui in enarrando Trinitatis arcano ab catholica regula desciscunt sive locutione tenus, sive rei aliqua particula, eo ipso, in quo discordant, fidem, et auctoritatem augere Christianæ traditionis. Quod non de Patribus duntaxat illis intelligi volo, qui in Ecclesiæ communione manserunt, aut qui alias inter Patres citari vulgo

* Cum Petavius ait Arnobium libros suos adversus pristinam religionem elucubrasse *nondum christianum*, id intelligendum est de ejus admissione in Ecclesiam; non de sententia ipsa animi. Sic habet Hieronymus ad annum 2342 (ab Abraham): «Cum in civitate Siccæ juvenes ad declamandum erudiret, et adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab episcopo impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversus *pristinam religionem* luculentissimos libros, et tandem, velut obsidibus pietatis fœdus impetravit. » Hoc est in catechumenorum numerum admissus est. T. AL.

1 Arnob. lib. II *cont. Gent.* — 2 In Chron. — 3 *Psalm.* LXXXIV, 12. — 4 Lact. lib. IV, cap. XII. — 5 *Isa.* cap. XLV. — 6 *Baruch.* III, 36. — 7 Lact. lib. I, cap. III. — 8 Ibid. cap. IV, V et seq.

solent, quales sunt Tertullianus, Origenes, Tatianus; sed de hæreticis ipsis, sectarumque magistris, et eorum discipulis. Hos, inquam, omnes Arianos, Eunomianos, Tritheitas, cæterosque dico, illis ipsis opinionum erroribus, quibus catholicam de Trinitate fidem, ac traditionem oppugnasse videntur robur ei, ac pondus, adjecisse. Quod incredibile, ac portenti simile, vereque παράδοξον, divinæ opus providentiæ licet ex eo recognoscere, quod omnes isti duo habent in hæresi sua, alterum commune tum secum, tum cum Ecclesia catholica, alterum privati erroris proprium. Ejusmodi sunt autem illa duo, ut cum priore posterius pugnet, ac se ambo invicem evertant. Porro in priori, communique continetur integra, et germana Trinitatis definitio. Ex quo statim cognoscitur eam proprie traditionem esse catholicam. « Hoc est etenim vere, proprieque catholicum, ut scribit Vincentius Lirinensis, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. » Exempli causa, omnes in eo scriptores illi conveniunt, esse unum Deum, unamque deitatem; non autem plures deos, aut deitates. Deinde tres esse, qui divinitatem illam habent, quique singuli qua nomen ipsum obtinent Dei, qua proprietates, et, ut Græci philosophi nominant, κατηγορήματα, quæ nulli alteri, quam soli, ac vere, proprieque dicto Deo tribuuntur. Sic in eo rursus congruunt, ut unum de tribus fontem, et originem cæterorum constituant, eumque Patrem nuncupent illius, qui proxime ab hoc numeratur, appellaturque Filius; qui et genitus ab illo dicitur, ac tum Deus est tum homo, pro nativitate duplici: quarum una sæculis est anterior omnibus ab solo Patre Deo, altera in tempore, sola itidem ex matre fœmina. Hæc fere de Deo, ac Trinitate profiteri sigillatim illos reperies, idque alios aliis clarius, ac disertius eloqui. Quæ si sola considerentur, ex iis reliqua deinceps necessario sequuntur, quæ de hoc mysterio post Nicænam synodum in Ecclesia sancita sunt, post vehementes, ac diuturnos conflictus, et ad convincendos, ac refutandos Arianos, aliosque religionis hostes idonea sunt ex sese.

Paradoxum

Prædicata.

III. Nam, ut supra non semel ratiocinati sumus, si primus ex illis tribus Deus est, et secundus, Filius verus ac proprie dictus, idemque Deus; est autem unus tantummodo Deus, non plures numero, consequens est, et duos illos esse, hoc est personas duas subsistentes, quia nihil seipsum gignit, aut a seipso gignitur; et duos illos nonnisi unum esse Deum; additoque tertio Spiritu, Trinitatem existere in una divinitate, ac natura subsistentium æqualium, et coæternorum non deorum, sed divinitatem habentium. Ex quo Ariani, et similes hæretici, non solum impietatis arguuntur, sed inscitiæ quoque, ac dementiæ; qui, positis illis, et concessis, frivolas, et minime cohærentes opiniones in cæteris adstruunt.

Etenim qui vere, proprieque Deus est, et ex Dei substantia genitus, idem habeat omnia necesse est, quæ sunt propria Dei, infinitatem, immensitatem, æternitatem, omnipotentiam, τὸ ἄκτιστον, τὸ ἄτρεπτον, hoc est *increabilitatem*, ut sic loquar, et *immutabilitatem*, cæterasque dotes et proprietates, sine quibus stare divinitas vera non potest, de quibus vide, quæ et in primo Tomo, de Deo ac Dei attributis diximus, et in hoc, ejusque secundo libro, ubi ex Scripturis, et iis omnibus, quæ de Filio, ac Spiritu sancto illæ prædicant, ostendimus Trinitatem ex consubstantialibus et æqualibus constare tribus; nec ullam esse ibi posse graduum, perfectionumque differentiam, ut aliæ sint aliis anteriores, ac majores, hoc est excellentiores personæ. Sic ea pariter corruunt, et refelluntur, quæ antiqui illi regulæ adversa catholicæ vel dicto tenus, vel reipsa posuerunt, nec ad illa castiganda, et labefactanda opus est aliis principiis, et effatis, quam communibus istis, in quibus consentaneos invicem illos esse docui. Hoc modo traditio vetus, et catholica etiam per lutulentos tramites salva, et illibata profluxit. Quam insuper, ut alia deessent, ipsa fidei tessera conservare potuit, id est Symbolum apostolicum, et pervetus, quod christianismi tironibus initio tradere, et inculcare mos erat, iidemque deinceps fideles facti, memoria, usuque quotidiano retinebant.

APPENDICULA

VENETIANI EDITORIS

IN QUA BREVIS PETAVIANÆ DOCTRINÆ INSTRUITUR APOLOGIA.

Si in cæteris libris omnibus perlegendis decet lectores præfationem consulere, in qua auctor consilium suum plane explicat aperitque; nefas profecto esset, quæ hic edita est, Petavii præfatione neglecta, ad sequentium librorum lectionem accedere; neque ea solum de causa, quod eruditissima est, et præstantissimi inter catholica dogmatis egregiam continet defensionem ex veterum Patrum traditione petitam; sed etiam quod, ut aiebat doctissimus Bossuetius, Petavianæ quod ad hoc spectat doctrinæ universæ rationem nobis ob oculos ponit. Retractat illa sequentis libri capita tria, tertium nempe, quartum, et quintum, atque in Patrum, quos ibi a regula nonnihil deflexisse demonstrat auctor, mentem diligentius inquirit.

Incredibile dictu est, quantam tria hæc capita invidiam Petavio conflarint tum apud heterodoxos, tum apud catholicos.

Curcellæus in appendice primæ dissertationis, Joannes Clericus in commentariis ad illud Joannis : *Et hi tres unum sunt*, Jurius in libro inscripto *Tableau du Socinianisme*, pag. 224 et 303, Faiditius in *Apologia systematis SS. PP*, pag. 89, Socinianis accensent Petavium. Sandius quoque illum inter Antitrinitarios numerat. Georgius vero Bullus graviter eum reprehendit, insectaturque toto passim libro, quem anno 1685 primum edidit, deinde anno 1688, auctiorem Oxonii *Defensio fidei Nicœnæ* prænotatum. Quid porro fabellas memorem, quas istam ob causam de Petavio disseminatas novimus? Mitto Bulli somnia in procemio suæ illius *Defensionis* digna hæretico homine, atque adeo Societatis, cujus ornamento Petavius erit sempiterno, osore acerrimo, infensissimoque. Fuere, qui Petavium a sui amicissimo Grotio (erat huic cum Crellio aliisque Socinianis necessitudo) in absurdam adeo de Antenicænorum Patrum fide sententiam paulatim abductum fuisse jactarent; quos Simonius, etsi hac ipsa de causa Petavio iratior, refellit in selectis epistolis pag. 12 et 13.

Quid ergo? Petaviumne nulla defensione purgabimus? Minime vero. Antenicænos Patres, quos capitibus illis accusat Petavius, in notis vindicabimus. Nunc autem Petavium ipsum ab inconsultis temerariisque censoribus defendamus. Neque tamen id primi aggredimur. Nam, ut Jesuitas Franciscum Oudinum in Petavii elogio apud Niceronium, et Petrum Lazerum amicum meum omni eruditionis genere exornatum in Thesibus selectis ex Historia ecclesiastica antiqua anno 1747, propugnatis pag. 22, n. 60, omittam, Petavium egregie vindicarunt Bossuetius Meldensis episcopus in prima ad protestantes admonitione, num. 28 ; Benedictinus Mairanus in præstantissimo opere inscripto *Divinitas Domini nostri Jesu Christi manifesta in Scripturis et Traditione*, et clarissimus Pisani Athenæi professor P. Raymundus Adami in Florentino doctorum hominum diario T. V, parte III, artic. 7, pag. 112 et seqq.

Quanquam ante hos omnes apologiam suam Petavius ipse contexuit, quam frustra adrodere nisi sunt Ballerinii in Prolegomenis Zenonianis, diss. II, cap. I, § 1. pag. 68, iisque multo impudentius Etruscus auctor dissertationis *de recta Patrum Nicœnorum fide;* in præfatione, inquam, cui ista subjicimus. Quamobrem ex illa potissimum Petavianæ hujus defensionis argumenta promam.

Quoniam vero duas veluti in classes tribui possunt Petavii accusatores, quorum aliqui, perfrictæ sane frontis homines eum Socinianæ hæreseos patronum, ac vindicem appellant, alii nocuisse illum saltem catholicæ communioni, ac Socinianis ministrasse arma queruntur, ab illis primum paucis me expediam. Atque eos meridiana in luce cæcutire necesse est, qui stultissimam esse accusationem hanc suam minime vident. An adeo insipientem nobis Petavium fingunt ipsi longe ineptissimi, ut si Socinianas partes fuisset sectatus, non solum veteres Arianos, eorumque cavillationes omnes refellere pluribus in locis, sed integro libro III. Crellium Grotii sui amicum, cæterosque Photinianos recentiores confutare suscepisset? Socinianusne in præfatione suorum de Trinitate librorum ostendere fuisset aggressus « primum universe et infinite traditionem in Ecclesia versatam esse de Trinitatis vera, et catholica fide; tum sigillatim ex trium sæculorum scriptoribus? » At quibus tandem pro Trinitatis catholico dogmate Antenicænorum Patrum sententiis pugnant Witassius, cæterique de schola theologi? Quibus Bullus ille Nicænæ fidei defensor juxta ac Petavii insectator? Illis nimirum ipsis, quas delegit in sua præfatione, illustravitque novus hic Socinianus. Nam quod aliqui paucas alias ex illis Patribus a Petavio prætermissas sententias postea addiderunt, neque ad traditionem confirmandam necessarium erat, neque fortasse eo delectu factum, qui ad hanc maxime causam fuerat adducendus, sed potius vanæ cujusdam eruditionis ostentandæ gratia. Gratulor enimvero Socinianis talem patronum, qui ipsorum fundamenta convellat, qui Scripturis, ac Patribus eorum dogmata adversari ostendat, qui latebras illorum omnes sedulus pervestiget, atque disjiciat, in apertam lucem nequitiam eorum, sceleratamque hæresim protracturus. Verum qui ita de Petavio sentiunt, non verbis castigandi sunt, sed ferula.

Ad alios summi viri criminatores sese convertat oratio. Atque ab illis primum peto, cur qui Petavii imprudentiam exaggerant tantopere, nihil de illustrissimo Abrincensium episcopo Huetio querantur, cujus eadem causa est, quæ Petavii? Deinde illos rogatos volo, ut illud ipsum, quod Sandio, Curcellæo, et cæteris Petavii veluti Arianæ perfidiæ sectatoris accusatoribus nuper objiciebam, attente considerent, quam bene de vera et catholica Trinitatis fide sit meritus, qui indubitatas Antenicænorum Patrum sententias primus collegerit, Socinianisque opposuerit. Petavium redarguunt ipsi, quod tribus primi *de Trinitate* libri capitibus parum accurate locutos de Trinitate antiquos illos Patres docuerit : cur ergo eidem non plaudunt, quod ipsos illos Patres in præfatione a catholicis partibus stare certissimis eorum testimoniis demonstrarit? Imo eo magis propter hoc fuerat commendandus, quod quidquid imprudenti exciderat capitibus illis, unde aliquid detrimenti catholica res caperet, hic corrigit, explicat, reformat. Monet enim ille secundo capite, atque iterum sexto, multo plures exstare catholici dogmatis testes Antenicænos, quam Patres sint, quos aliqua censura notaverat in primo libro ; ut nihil propterea traditioni timendum sit ; deinde paucos hosce distinguit in partes duas, aliosque « communem, rectamque fidem, et substantiam ipsam dogmatis tenentes, in consectariis quibusdam nonnihil ab regula deflexisse ; alios in omnibus re consentientes, loquendi duntaxat modo dissidere ab usitata præscriptione, quæ non solum recte sentire, sed rectis etiam

verbis explicare quod sentias jubet. » Hoccine est Patres contemnere? Hoccine Socinianos ad bellum instruere? At eadem docuere Thomassinus *de Trinitate*, cap. XXVIII; Natalis Alexander in *Hist. Eccles.* sæc. IV, dissert. XLII; Tournelius, aliique. Adde in eo ipso, quod peccasse Veteres illos fatetur Petavius, eos ab illo excusari lib. I, capite III, aptissimis argumentis, atque Hieronymi et Augustini sententiis, quas Natalis Alexander quoque, et Witassius ex ipso sunt mutuati.

Eat nunc maleferiatus ille impostor Etruscus, atque impudenti ore garriat in sua illa dissertatione « De recta Patrum Nicænorum fide, non fuisse Petavio cordi Traditionem a calumnia vindicare, in quibus vel prævaricator, vel etiam artifex ipse et structor exstiterit. » Melius scilicet Petavii animum noscit ipse, quam Bossuetius, qui ad castigandam Jurii licentiam, Petavianam Præfationem in medium adfert, atque perpendit. Gratias enimvero maximas debebunt Etrusco illi blateroni Sociniani, quod ipsis novam hancce molestissimæ Petavianæ Præfationis eludendæ viam monstrarit, ipsumque cum Bossuetio de Præfatione illa nimium sibi blandiente triumphabundi contendent. At quid quæso si Petavio cordi fuisset traditionem vindicare, facere is debuisset, quod minime præstiterit? Audio; singula Patrum testimonia vindicare poterat. At id necesse non erat, mi bone, postquam docuerat omnes revera nobiscum congruere in prædicanda vera catholicaque Trinitatis fide; neque enim de loquendi modo sollicitus admodum esse debuit, qui rem ipsam in tuto jam collocaverat.

Verum, inquiunt Ballerinii (p. LXVIII) : « ad hunc tot Patrum censorem plane purgandum non ea declaratio sufficit, quam Præfationi inseruit cap. I num. 12, ubi Patres, quos ita perstringit, non re, sed *loquendi duntaxat modo dissidere ab usitata præscriptione contendit* : quod idem fusius profitetur lib. I, cap. VI, num 4. Quid enim profuit id semel et iterum monere; si ipsa illorum testimonia allegans earum locutionum interpretandarum rationem non subjicit, sed ita ea recitat atque ingerit, ac si re, non loquendi duntaxat modo illi dissentire videri possint? Hæretici quidem recentiores... non ea quam locis laudatis Petavius indidit, declaratione utuntur, quo eosdem Patres re sibi contrarios, et solo loquendi modo faventes præferant, sed ipsas eorum locutiones, quas Petavius toto in lumine exposuit, unas arripiunt, ut eos, ipso Petavio teste, secum sensisse suadeant. » Hactenus illi. In qua quidem doctissimi P. Petavii increpatione studiumne catholicæ rei, modestiamque magis laudem, an judicium requiram, animi pendeo. Rem sane oppido ridiculam! Dolent Ballerinii, Petavium Patrum testimoniis adlatis rationem eorum interpretandorum non subjecisse : at si id fecisset Petavius, quænam, amabo, in illum querelarum causa potuisset excogitari? Dolent hæreticos Petaviana declaratione non uti; at ita quidem illos se gerere necesse est, nisi stultiores audire malint, quam heterodoxi; si enim eam ipsi declarationem usurparent, Patres omnes nobiscum sensisse faterentur, quod ipsorum erroribus maxime incommodaret. Igitur ut Petavius criminis hac in re alicujus reus agatur, duo aio demonstrari debere, quorum alterutrum si non probetur, non accusatores qui illum arguunt, dicendi sunt sed calumniatores maledicentissimi. Primum est, debuisse Petavium locutionum illarum interpretandarum rationem subjicere; alterum, hæreticos jure gloriari Petavio duce. Atqui utrumque est falso falsius. Nam quod ad hæreticos adtinet, quis illos vehementius Petavio invasit? quis eos fortius oppugnavit? Indubitatas, clarissimasque Patrum antiquorum pro catholico dogmate sententias proferens, aliaque præterea indicans pro eodem Traditionis vestigia certissima. Imo cum doleant Ballerinii, hæreticos Petavii declaratione non uti, nonne ostendunt, eam si adhiberent hæretici, istos causa casuros? Petaviumque rationem eorum redarguendorum optimam demonstrasse? Utuntur quidem hæretici « Patrum locutionibus, quas Petavius toto in lumine exposuit; » sed et alias omnino addunt, quas in Petavio frustra requiras, uti Sandium legens facile agnoscet; Petavii etiam verba corrumpunt : (quod de Jurio graviter questus est Bossuetius) : tandem ejusdem Petavii declarationem dissimulant; quamobrem si Petavium jactantibus heterodoxis Petavium ipsum opposueris semet explicantem, viceris illos, infamiaque perfuderis. Utinam S. Augustinus mentem semper ipse suam nobis diserte aperuisset, quemadmodum Petavius! An illum propterea hæreticorum causam juvare audacter adfirmabimus, Lutheroque, Calvino, Jansenianorum gregi suum esse Augustinum effutienti ipsis eum concedemus?

Quod vero queruntur Ballerinii, Petavium Patrum, quorum recitaverat sententias, interpretandorum non subjecisse rationem, injusta item accusatio est; neque enim id eum facere oportuit. De Patribus illi quidem merentur optime, qui eos conantur interpretari ; sed si cum hæreticis res sit, illi pro catholico dogmate tutius certare mihi videntur, qui Patres primum certissimis testimoniis in eo quod ad Mysterium Trinitatis adtinet, a nobis non dissidere ostendunt cum Petavio, deinde hæreticis obscuras alias eorumdem Patrum sententias opponentibus generatim respondent, Patres, qui ipsam Trinitatis substantiam aliis in locis testati sunt, in illis eadem retenta dogmatis substantia (ne secum ipsi pugnent) non satis accurate locutos, ipsumque hoc qualecumque in illis peccatum excusent, illi, inquam, pro catholico dogmate tutius videntur mihi certare, quam qui singulas Patrum sententias explanare student, aut emollire. Si enim facillima quæpiam via illarum explicandarum pateret, ipse etiam eorum consilium probarem potius, qui in earum explanatione confiderent; verum cum difficillimum sit eas interpretari, atque inter ipsos Antenicænorum Patrum vindices de illarum explicatione non constet (Bullus unam init rationem, aliam Witassius, neutra Balleriniis ipsis placet) nonne fallacibus hi conjecturis pro certissimo dogmate pugnant, cum contra Petavius viam ingressus sit, quæ irritas reddit hæreticorum artes omnes, atque fallacias? Enimvero cur, quæso, Natalis Alexander, Witassius, aliique, antequam singula Patrum testimonia adgrediuntur interpretari, declarationem illam Petavianam usurpant? Nisi quia etsi loca illa Patrum explicare se posse confidunt, intelligunt tamen expeditiorem esse, atque tutiorem Petavianam refellendorum hæreticorum rationem? Cæterum et ipse Patres vindicabo; sed hoc mihi negari ab æquo lectore nolim, cum perdifficiles sint, obscurissimæque Patrum sententiæ, neque ab incertis explanationibus certissimum dogma pendere debeat, Petavium catholicæ rei egregie consuluisse. Sed necesse non est pluribus Petavium defendere.

F. A. ZACHARIAS.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE TRINITATE

LIBER PRIMUS

IN QUO MYSTERII ILLIUS, HOC EST OPINIONUM DE EO ΤΑ ΙΣΤΟΡΟΥΜΕΝΑ TRADUNTUR.

CAPUT PRIMUM.

Quid de Trinitate veteres philosophi, præsertim Platonici, tradiderint, Platonis mens de Deo varie ab ejus interpretibus, ac discipulis accepta.

I. Rerum investigare causas adeo sapientiæ proprium est, ut hæc vulgata sit illius, et usu trita definitio : *Scientiam divinarum, et humanarum esse rerum, causarumque, quibus res eæ continentur*. Sed causarum aliæ sunt componentes, ex quibus rei natura constituitur, ut materia, et forma; efficientes aliæ, quarum genus est duplex. Nam sunt quædam proximæ rebus; aliæ remotæ, ac generales, inter quas principatum obtinet Deus, suprema omnium causa, maximeque communis. Hanc postremam veteres fere prætermisere philosophi; qui naturales rerum causas, et principia perscrutantes, physici nominabantur, et in propinquis, vel inferioribus explicandis studium suum omne posuerunt, præsertim vero in materia, ex qua res omnes constant, in eamque dissolvuntur. Quam unicam causam antiquos illos indagasse philosophos scribit in *Metaphysicis* Aristoteles[1]. Sed cum ad illarum investigandam, exponendamque naturam minime unum istud sufficere causæ genus animadvertissent, eo tandem perducti sunt, ut mentem esse aliquam agnoscerent, quæ materiam illam temperaret, et regeret, resque omnes ex ea elaboraret, ac perficeret. Quod cui primum venit in mentem, hunc unum sobrium inter vana, et futilia garrientes exstitisse, testis idem Aristoteles ; qui et Anaxagoram principem ejus profitendi fuisse demonstrat. « Mentem vero, inquit, qui, ut in animalium genere, sic in natura causam esse mundi dixit, et ordinis universi; hic tanquam vigilans, ac sobrius supra nugantes reliquos visus se est extulisse. Has igitur rationes palam attigisse scimus Anaxagoram ; sed ante ipsum Hermotimus Clazomenius idem dixisse perhibetur [a]. » Sunt tamen auctores aliqui, qui, præter Hermotimum istum ante Anaxagoram, idem et Thaletem sensisse pronuntiasseque memorant, ut Cicero[2] : « Thales, inquit, Milesius, qui primus de talibus rebus quæsivit, aquam dixit esse initium rerum ; Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. » Quem secutus est Minutius Felix, et Lactantius[3]. At Plutarchus in libro primo *de Placitis philosophorum*[4], ubi Thaletis meminit, nihil tale commemorat; ac primum Anaxagoram significat efficientem causam ad materiam adjecisse, nimirum mentem; eoque nomine commendandum esse, uti cæteros, qui illam prætermiserint, reprehensione dignos.

II. Hanc sive ab Anaxagora, sive ab altero primum introductam sententiam cupide complexus Socrates apud Platonem, non uno loco celebravit. Quorum hæc insuper opinio fuisse videtur, mentem istam universitatis moderatricem, ac præsidem, fetum esse supremi illius, et cuncta complentis Dei ; a quo velut principio, et genitore gubernata, vicissim inferiora continet, ac regit. Tale Platonis esse dogma, testis est Alcinous, qui de supremo Deo sic loquitur[5] : « Nam pro sua voluntate

a Arist. Νοῦν δέ τις εἰπὼν εἶναι, καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις, καὶ ἐν τῇ φύσει, τὸν αἴτιον καὶ τοῦ κόσμου, καὶ τῆς τάξεως πάσης, οἷον νήφων ἐφάνη παρ' εἰκῆ λέγοντας τοὺς πρότερον. φανερῶς μὲν οὖν Ἀναξαγόραν ἴσμεν ἁψάμενον τούτων τῶν λόγων. αἴτιον δ' ἔχει πρότερον Ἑρμότιμος ὁ Κλαζομένιος εἰπεῖν.

1 Lib. I, cap. III. — 2 Lib. I *de Nat. Deor.* — 3 Lib. I cap. v. — 4 Cap. III. — 5 Cap. x.

semetipso cuncta replevit; mundi animam excitans, ad seque convertens, cum sit mentis ejus principium; quam ut moderatur Pater, sic naturam omnem in hoc mundo vicissim ipsa moderatur[a].»

Ac longius sane disputando Plato provectus, ejusque discipuli, speciem quamdam Trinitatis informarunt; quo etiam nomine nostrorum aliqui supra modum illos admirantur, ac prædicant. Sed profecto majore flagitio, ac dispendio veritatis, quam operæ pretio, istud illorum dogma prodiisse mihi videtur; neque ulla ex alia re gravior christianæ fidei noxa, et pernicies importata fuisse; ut perinde facere illos putem, qui Platonicos deosculantur, quod larvam nescio quam personarum trium adumbraverint, ac si quis poetas, et profanæ superstitionis, idololorumque buccinatores impense collaudet, quod in Jove, Neptuno, ac turpioribus etiam Deorum portentis divinitatis utcumque nomen, majestatemque commendent. Etenim, quidquid hæreseon, opinionumque falsarum primis illis Ecclesiæ temporibus emersit, ac præsertim Ariana tota perfidia, ex illo Platonicorum commento causam, et originem accepit. Quocirca cum de Trinitate, deque veterum nonnullorum erroribus in illo explicando mysterio, ac de Ariana potissimum hæresi hoc in opere disputandum mihi sit; rem prorsus utilem, instituto vero meo necessariam facturus mihi videor, si de Platonico isto dogmate paulo plenius, accuratiusque verba fecero. Inde enim, quod volo, constabit, fontem illum fuisse, vel stirpem errorum omnium, quibus in eo genere non hæretici solum, ac christianæ communitatis desertores, sed nonnulli etiam pii, sanctique scriptores afflati sunt.

Platonicum dogma de Trinitate fons errorum et hæreseon.

III. Igitur summum, ac supremum quemdam esse Deum, et unicum eumdem, ac singularem, certissima Platonis est sententia tum in *Timæo*, tum in aliis libris ab eo tradita. Hunc aliorum Deorum, et quidem minorum, inferiorumque satorem, et propagatorem fuisse, idem ille confirmat Plato. Qui in *Timæo* plures illos commemorat post summum Deos, a quibus mortalia sunt effecta corpora. Alibi vero duos, ac tres distinguit universe Deos; e quibus primus est parens cæterorum, conditorque; secundus artifex, et principium omnium rerum; tertius obscure ab illo significatus, a plerisque mundi esse anima dicitur. Duo sunt autem, præter *Timæum*, Platonis loca, quæ ab antiquis [1] Patribus usurpari solent. Alter in epistola secunda *ad Dionysium*, qui sic habet: « Dicendum est igitur tibi nunc per ænigmata quædam; ut, si quid huic tabellæ vel mari, vel terra contingat, qui eam legerit, intelligere non possit. Est autem ita. Circa omnium regem cuncta sunt; ipsius gratia omnia; ipse pulchrorum omnium causa; circa secundum, secunda; tertia circa tertium[b]. » Quibus verbis tres divinitatis personas significari ex sententia Platonicorum, adnotavit Eusebius: « Hæc Platonis inquit verba, qui explicandam philosophi mentem suscepere, ad primum Deum, secundumque principium referunt; nec non ad tertium, quam mundi animam, Deumque tertium ipsi quoque appellare solent[c]. » Alter locus est ex epistola sexta ad Hermiam[d], et Erastum, et Coriscum, in quo duos deos, Patrem, et Filium disertius significat, cum epistolam suam legere illos jubet, ad quos eam scribit. « Etiam jurejurando[e], ut æquum est, interposito, non sine eleganti studio, atque hujus studii sorore disciplina, testando Deum rerum omnium ducem, quæ sunt, et quæ futuræ sunt, ac ducis, et prin-

Platonis mens de Deo

a Alcinous : Κατὰ γὰρ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ἐμπέπληκε πάντα ἑαυτοῦ, τὴν ψυχὴν τοῦ κόσμου ἐπεγείρας, καὶ εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέψας, τοῦ νοῦ αὖθις αἴτιος ὑπάρχων· ὃς κοσμηθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς, διακοσμεῖ σύμπασαν φύσιν τῷδε τῷ κόσμῳ.

b Plato. Φραστέον δή σοι δι᾿ αἰνιγμῶν, ἵν᾿ ἄν τι ἡ δέλτος ἢ πόντου, ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ. ὧδε γὰρ ἔχει περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ᾿ ἐστὶ, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν· δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα.

c Euseb. Ταῦτα οἱ τὸν Πλάτωνα διασαφεῖν πειρώμενοι ἐπὶ τὸν πρῶτον Θεὸν ἀνάγουσιν, ἐπί τε τὸ δεύτερον αἴτιον· καὶ τρίτον τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν, Θεὸν τρίτον καὶ αὐτὴν ὁριζόμενοι εἶναι.

d Plato. Ταύτην τὴν ἐπιστολὴν πάντας ὑμᾶς τρεῖς ὄντας ἀναγνῶναι χρὴ, μάλιστα μὲν ἀθρόους· εἰ δὲ μὴ, κατὰ δύναμιν, ὡς οἷόντε ἐστὶ πλειστάκις καὶ χρῆσθαι συνθήκῃ, καὶ νόμῳ κυρίῳ ὅ ἐστι δίκαιον ἐπομνύντας, σπουδῇ τε ἅμα μὴ ἀμούσῳ, καὶ τῇ τῆς σπουδῆς ἀδελφῇ παιδείᾳ, καὶ τὸν τῶν πάντων Θεὸν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμόνος, καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας.

1 Ut ab Euseb. XI *Præp. orat.* et Theodoreto, serm. II *con. Gr.*; Cyril. *cont. Julian. III.*

cipii Patrem Dominum. » Sed in tribus illis Platonis constituendis diis nonnihil invicem Platonici dissentiunt.

Platonis mens de Deo varie ab ejus discipulis et interpretibus accepta.

Plotinus [a] insignis in illa schola, ac velut coryphæus, primum de tribus censet esse summum ac perfectum, quem κρείττονα νοῦν vocat, *mentem* videlicet *potiorem ;* secundum appellat νοῦν δεύτερον, *mentem posteriorem*, a priore genitam, et illius imaginem; tertium porro animam esse, quæ ab secunda mente gignitur, ejusque est λόγος[1]. *Verbum.* Addit, et mentem a primo genitam omnia, quæ sunt, genuisse, adeoque pulchritudinem idearum omnem, et intelligibiles Deos omnes. Tum capite octavo clarius Platonis sententiam explicat, ejusque verba, quæ in epistola secunda sunt ad Dionysium ; ac summum ait Deum patrem esse τοῦ αἰτίου, id est causæ, vel principii, sive Mentis, ac Demiurgi; hunc vero animam procreare. Subjicit deinde Patrem eumdem illum esse τἀγαθὸν, id est *bonum ipsum*, a quo νοῦς, et ἰδέα propagetur; a mente vero anima. *Mens et idea.*

Numenius Pythagoreus apud Eusebium [2] principem trium deorum appellat τἀγαθὸν, quem et αἴτιον, id est *causam* nominat ; secundum δημιουργὸν, id est *artificem*, qui a priore procreatus, mundum et ipse genuit ; tum et Patrem ipsum, primamque mentem, sive ipsummet bonum, ideam esse dicit, ut sit duplex velut idea; una primaria, quæ est supremus omnium Deus ; altera secundaria, quam secundus Deus, qui est νοῦς, et mundi opifex, peperit. Sic et οὐσίαν duplicem ac φύσιν distinguit; unam primi : alteram secundi : hanc rursus mundum ait imitari. *Essentiam. Naturam.*

Numenii sententiam brevius, dilucidiusque complexus est Proclus in *Commentariis ad Timœum*[3], « Numenius inquit tres deos prædicans, Patrem quidem appellat primum : factorem autem, secundum : opus vero, tertium. Mundus enim ex illius opinione, tertius est Deus. Itaque duplex ab eo constituitur artifex , primus et secundus Deus : quod autem conditum est, tertius[b]. » Quæ tria totidem appellabat nominibus, vocans, *avum*, *filium, nepotem*, πάππον, ἔγγονον ἀπόγονον. Tertium itaque numerabat Deum mundum ipsum, hoc est animam mundi, ut Alcinous, aliique censent : sive id, quod ex anima, et vastissimo universitatis corpore, unum, Platonicorum opinione, animal efficitur.

Sunt, qui aliter Triadem illam Deorum Platonicam exponunt : quorum opiniones aliquot Proclus ibidem recenset, ac refellit. Ipse autem minime probabilem, meo quidem judicio, depromit, dum Triadi isti, quam ex Platone commemoravi, principatum detrahens, supra illam eminere asserit supremum aliquem Deum, ea inductus ratione, quod ubique Plato « a multitudine ad unitates solet assurgere, imo vero divinus ordo ab uno incipit. Siquidem a Trinitate progredi divinum numerum oportet*. Sed Trinitatem unitas antecedit[c]. »

IV. Atqui et falsa est Platonis hæc interpretatio ; et interpretandi ratio futilis. Etenim nullus alius supremus ab illo constituitur Deus, nisi qui in illa Triade primus censetur : quippe τοῦ αἰτίου, vel δημιουργοῦ, hoc est *causæ*, et *opificis* Pater appellatur. Et, quod maxime contendit Proclus, ab uno progressionem ad multa facere Platonem, vicissimque a multis

a Plot. *Enn.* V, lib. I, cap. I. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ Πλάτωνος τρίτα πάντα περὶ τὸν Βασιλέα φησὶ γὰρ πρῶτα· καὶ δεύτερον περὶ τὰ δεύτερα· καὶ περὶ τὰ τρίτα, τρίτον. λέγει δὲ καὶ τοῦ αἰτίου εἶναι πατέρα. αἴτιον μὴν τὸν νοῦν λέγων. δημιουργὸς γὰρ ὁ νοῦς αὐτῷ. τοῦτον δέ φησι τὴν ψυχὴν ποιεῖν, etc.

b Procl. Νουμήνιος μὲν γὰρ τρεῖς ἀνυμνήσας θεοὺς, πατέρα μὲν καλεῖ τὸν πρῶτον, ποιητὴν δὲ τὸν δεύτερον, ποίημα δὲ τὸν τρίτον. ὁ γὰρ κόσμος κατ' αὐτὸν, ὁ τρίτος ἐστὶ θεός. ὥστε ὁ κατ' αὐτὸν δημιουργὸς, διττὸς, ὅ, τε πρῶτος, καὶ ὁ δεύτερος θεός· τὸ δὲ δημιουργούμενον, ὁ τρίτος.

c Proc. Ἀπὸ τοῦ πλήθους ἐπὶ τὰς ἑνάδας ἀνατρέχειν εἴωθε. Καὶ πᾶσα θεία τάξις ἀπὸ μονάδος ἄρχεται. δεῖ μὲν γὰρ ἐκ τριάδος προϊέναι τὸν ἀριθμὸν τὸν θεῖον, ἀλλὰ πρὸ τῆς τριάδος ἡ μονάς.

* Nihil hæc ad Trinitatem spectare cum Montfauconio multis probant Benedictini S. Justini editores præf. parte II, cap. I. Sed etsi depravatam, aliquam tamen Trinitatis hic ideam nobis ingeri a Platone, vix negari potest sine veterum Patrum injuria, qui omnes Trinitatis vestigia quædam in hisce Platonis locis videre sunt sibi visi. Confer hanc in rem Emin. Quirini priores duas *Vaticanæ Decadis* epistolas, ad Montfauconium unam pag. 14 , alteram præsidi generali congregationis Benedictinæ sancti Mauri inscriptam pag. 6 , et seqq. Porro quærunt operose nonnulli, undenam qualemcumque hanc informem Trinitatis notitiam hauserit Plato. Clericus *Artis criticæ* tomo III, epist. VII, pluribus contendit, sola ratiocinatione eam fuisse adsecutum Platonem : contra ex scriptis Hebræorum derivasse Cudworthus statuit, et qui Clericum edito ad id Florentiæ 1733. *De recta Christianorum in eo quod mysterium divinæ Trinitatis adtinet, sententia* perobscuro, indigestoque libro refellere adgressus est Joannes Lamius. Hæc satis sit indicasse. Z

1 Enn. V, lib. I, cap. VI et VII citatur, a Cyril. lib. VIII cont. Jul. — 2 Lib. *de Præpar.* — 3 Lib. II.

ad unum regredi : id non minus locum habet, si nihil Trinitati huic anteponitur *. Non enim æquales illos, et, ut Græci loquuntur, ὁμοτίμους tres Deos esse Plato voluit, uti personas tres pares, et æquales esse catholica profitetur fides : sed unum inter illos summum, ac seipso contentum, nec alio spectantem, et ab omni, ut vocant, σχέσει, hoc est *habitudine*, ac *respectu* liberum, ac solutum, quem τἀγαθὸν, hoc est *ipsummet bonum* vocabat, eumdemque « causam, vel principium essentiæ omnis, et supra id omne, quod est, erectum [a]. » Huic secundum subjiciunt, qui totius universitatis procuratio convenit : qua quidem ex parte seipso quodammodo minor est**. Nam qua superiorem, ac potiorem respicit, et ejus contemplatione, ac velut haustu pascitur, longe felicior est, ac divinior. Ergo posterior ille Deus multum priori cedit, a quo et genitus dicitur : non eo modo, quo a Patre Filium genitum esse credimus, hoc est e substantia, ut

Consubstantialis. sit ὁμούσιος ; sed itidem plane, ut Arius, ejusque discipuli, et imprimis Eusebius Cæsariensis, aut Arianorum pessimi Anomœi, Filium a Patre verbo tenus genitum affirmabant, reipsa vero creatum, et factum. Tertius porro Deus manifeste creatus ab

Creationem. iisdem Platonicis putatur ; quem et ποίημα nominant***. Quamobrem inferiorem utrumque Deum a supremo creatum esse ex Platonis opinione, Macrobius affirmat[1] ; cujus verba, quia profanam illam Trinitatem consentanee his, quæ diximus, explicant, hic non inutiliter legentur. «Deus, inquit, qui prima causa et est et vocatur, unus omnium, quæque sunt, quæque videntur esse, princeps et origo est. Hic superabundanti majestatis fecunditate de se mentem creavit. Hæc mens, quæ νοῦς vocatur, qua Patrem inspicit, plenam similitudinem servat auctoris, animam vero de se creat, posteriora respiciens ; rursus anima partem, qua intuetur, induitur, ac paulatim regrediente respectu in fabricam corporum, incorporea ipsa degenerat. » Frustra autem est Petrus Abælardus, qui hunc Macrobii locum enarrans, existimat Macrobium hic « *creari*, sive *nasci* abusive protulisse[2] ; » quasi non sit proprie dicta creatio, sed generatio Filii; Spiritus autem sancti processio. Verum fallitur. Non enim arcana illa fidei christianæ aut Macrobius, aut ille, unde sumpsit ista, Plato, ac Platonici omnes intellexere. Itaque nihil verius, quam ab uno summo, ac supremo principe Deo reliquos esse factos Deos ex illorum decreto, eamque ab christianis quibusdam susceptam opinionem, prolusionem quamdam fuisse Ariani sacrilegii, ut postea constabit, docetque Cyrillus in primo libro *contra Julianum*.

Redeo ad Proclum, quem liquet perperam existimasse, supra triadem illam Deorum Platonicam supremum collocari quempiam Deum. In quo illi ab reliquis Platonicis merito contradicitur ; ut a Plotino, Numenio, Amelio, Harpocratione (quos ille refert), tum ab Alcinoo. Hoc Platonicæ theologiæ commentum recte sic exposuit Cyrillus in primo, et tertio libro *adversus Julianum* : « Quippe pater, inquit in tertio, et præceptor ipsius Plato, unum quidem esse opificem definit eum, qui

b Procl. Αἴτιον πάσης οὐσίας, καὶ ἐπέκεινα τοῦ ὄντος.

* Non est facile intellectu quid senserit Plato de tribus illis Diis quia paucis et obscure de iis loquitur. Pluribus quidem verbis de ea re egit Plotinus enneade V, cap. I, ad VIII. Sed utrum Plotinus accurate expresserit mentem Platonis, an vero suiipsius meditationibus indulserit, quis dicere queat? Ideoque sunt docti viri qui contendant a Platone quidem et genuinis Platonicis credita tria principia æterna, et æque præstantis naturæ, quamvis sit aliqua inter ea subordinatio ; recentiores vero Platonicos, inter quos Proclus, eam corrupisse doctrinam. Nec carent verisimilitudine quæ dicunt, quamvis varia iis objiei versa vice possint, quæ ægre solvant. Itaque nolim Petavium erroris, in explicando Platonico dogmate, arguere, nec plane ejus causam tueri. Curiosi harum rerum consulant hac de re Rodolf. Cudworthum in *Vero systemate intellectuali universi* cap. IV, ubi Petavium errasse contendit.

T. AL.

** Hisce similia habet Plotinus enneade V lib. I, cap. III, IV, V, VI, VII, VIII, qui non semel νοῦν ait esse minorem τοῦ ὄντος et Ψυχὴν τοῦ Νοῦ, quia in re videtur plane Arianis et Macedonianis præivisse. At idem describit ita τὸν Νοῦν, ut vix *ente* inferiorem faciat cap. VI, et generationem æternam τοῦ Νοῦ esse vult. Eum adeant quicumque rem accuratius cognoscere volent; nam in breves notulas doctrina ejus contrahi non potest. Attente legentibus liquebit, ambiguitate illa sermonis philosophorum factum esse ut et τὸ ὁμοούσιον et τὸ ἀνόμοιον secundæ personæ viderentur ex iis posse confirmari. T. AL.

*** Revera, apud Platonem in *Timæo* et Plotinum loco memorato γεννᾷν et ποιεῖν idem sunt. A Plotino *mens* dicitur *animam* non modo γεννῆσαι *generasse*, sed etiam ποιῆσαι *fecisse*. Οὐ τέλειον, erit ille, cap. III. ὥς πρὸς αὐτὸν ἐγέννησε : *non perfectum, si ipsi conferatur, genuit*. Cap. vero VIII, loquens de Platone Τοῦτον δὲ φησὶ τὴν Ψυχὴν ποιεῖν : *hunc* (τὸν Νοῦν) *ait animam facere*. Hinc et Αἴτιος, Πατὴρ et Δημιουργὸς idem apud eos sonant. T. AL.

1 Macr. lib. I in *Somn. Scip.* cap. XIV — 2 Lib. II *Introd. Theol.* cap. XVII.

causa est omnium; quem et mundo citimum esse factum asserit; ante hunc porro Deum alterum constitisse, nempe boni ideam. Ad hæc tertium insuper principium excogitavit, quod ordine, ac natura prioribus illis inferius; quam etiam omnium, quæ sunt, animam, appellat[a]. » Videri potest idem Cyrillus et in quarto operis illius; ubi, ex Plotini sententia, triadem istam deorum sic ordinat, ut jam exposuimus, ac Patrem ait esse bonum ipsum, quod mentem omnem, et οὐσίαν excedit; post hunc, mentem, quæ et τὸ ὄν, et Idea nominatur; tertio loco *animam*[b]. Sic in octavo libro fuse idipsum pertractat; atque ex Numenii, et Plotini interpretatione declarat, cujusmodi tres illi sint dii. In quo multum ab illorum somniis christianam dissidere professionem probat. Quinetiam Theodoretus in libro secundo *adversus Gentiles*, et Eusebius, non aliter Platonicam triadem explanant. Et Augustinus in decimo *de Civitate Dei*, ex Porphyrii sensu, quem tamen de Spiritu sancto, cum Patrem, et Filium expressisset, « aut nihil, aut non aperte aliquid dixisse » refert. Verum Cyrillus in primo *contra Julianum*, Porphyrium ait Platonis triadem exponentem, tres illos itidem, ut supra fecerunt cæteri, designasse; nempe Bonum ipsum, Opificem, et Animam.

Substantiam. Ens.

V. Rursus idem Augustinus alibi[1], ex Platonicorum doctrina, triplicem instituit divinitatis gradum. Nam primum nominat summum Deum, a quo producti sunt reliqui; secundum huic subjicit mundum; tertii demum ordinis complures facit deos, qui corporibus illigati, ac natura sua dissolubiles sunt, et mortales, sed Dei virtute, quæ natura omni valentior est, immortalitate donantur. Quod quidem apud Platonem in *Timæo* summus illis pollicetur Deus. Quo quidem in libro supremus idem tum mundum, ejusque partes omnes, hoc est Deos illos, qui cernuntur, nempe sidera fixa pariter, et errantia, tum cæteros, quos Græci δαίμονας, Latini *lares* appellant, procreasse dicitur[2]. Quinetiam, quod alias δημιουργὸν, id est *opificem*, et conditorem rerum cæterarum a primo, summoque Deo discernere, eique tanquam inferiorem subjicere visus est Plato, secus eodem in *Timæo* tradidit. Ibi enim δημιουργὸν ipsum, sive αἴτιον, hoc est *causam*, summum esse parentem, mundique conditorem statuit; qui in eam speciem, quæ semper eadem est, et exemplar, sive ἰδέαν intuens, mundum hunc, aspectabilem scilicet Deum, ac Deos reliquos fabricavit. Tum de hoc ipso opifice, et effectore memorabilem hanc sententiam edidit. « Atque illum quidem opificem, et parentem hujus universitatis invenire, difficile, et, cum eum inveneris, prædicare in vulgus nemo potest[c]. » Quibus in verbis ποιητὴν, id est *opificem* a parente distinxerunt aliqui; ac primo loco patrem, secundo ποιητὴν esse jusserunt, ut Numenius : quod Proclo merito displicet. Plotinus vero δημιουργὸν duplicem facit; unum, qui in mundo intelligibili residet; alterum, quem ἡγεμόνα τοῦ παντὸς, *universitatis ducem* nominat. Porphyrius animam mundo superiorem, quam ψυχὴν ὑπερκόσμιον vocat, δημιουργὸν esse censet, eumque secundi esse ordinis Deum; cujus mens, ad quam anima ista convertitur, αὐτοζῷον, hoc est *ideam animalis* appellat : adeo ut exemplar opifici propositum sit superior ille Deus, ait Proclus in *Commentariis* ad eum locum[d]. Mihi non est dubium, quin δημιουργὸς, sive ποιητὴς, id est *opifex*, et *parens universitatis* ille, non alius sit, quam qui supremus in illa Trinitate alibi constitutus est, ut cuivis perspicuum erit, qui Platonis illum in *Timæo* locum sive Græce, sive Latine, ut a Cicerone in libro *de Universitate* redditus est, attente legerit. Hinc autem constare potest, quanta in sua illa declaranda, definiendaque triade Platonicorum conflictio

Animam supermundanam.

a Cyril. lib. III *cont. Jul.* Ὁ μὲν γὰρ αὐτοῦ πατὴρ καὶ διδάσκαλος Πλάτων, ἵνα μὲν εἶναι τὸν δημιουργὸν διωρίσατο τὸν ἁπάντων αἴτιον, ὃν καὶ προσεχῆ τῷ κόσμῳ γενέσθαι φησί. προϋφεστάναι γε μὴν αὐτοῦ θεὸν ἕτερον, ἤτοι τὴν ἰδέαν τἀγαθοῦ. προσεπινοεῖ δὲ καὶ τρίτον αἴτιον, τάξει δὲ καὶ φύσει τῶν πρώτων μειονεκτούμενον, ὃ δὴ καὶ ψυχὴν τῶν ὄντων ἁπάντων ἀποκαλεῖ. Vide et lib. I.

b Cyrill. lib. IV. Τοῦ δὲ αἰτίου νοῦ ὄντος, πατέρα φησὶ τἀγαθὸν, καὶ τὸ ἐπέκεινα νοῦν, καὶ ἐπέκεινα οὐσίας. πολλαχοῦ δὲ τὸ ὂν καὶ τὸν νοῦν, καὶ τὴν ἰδέαν λέγει. ὥστε Πλάτωνα εἰδέναι ἐκ μὲν τἀγαθοῦ τὸν νοῦν· ἐκ δὲ τοῦ νοῦ, τὴν ψυχήν.

c Plato. Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα ἐς ἅπαντας ἀδύνατον λέγειν.

d Proclus. Ὡς εἶναι τὸ παράδειγμα τοῦ δημιουργοῦ κατὰ τοῦτον.

1 Lib. XIII *de Civit.* cap. XVI et XVII. — 2 Plato in *Timæo*, et Cicero lib. *de Univer.*

sit. Quam etiam Gemisthus Plethon observabat in quadam epistola ad Bessarionem cardinalem, quam penes nos habebamus, in qua refert, eum, quem Plato citimum cœli hujus δημιουργὸν, id est *opificem* facit, ab aliis aliter explicari [a]. Nam Proclum ad Orphei fabulas Platonica referentem dogmata, quartum illum a causa prima constituere; Plotinum vero, tertium; Julianum vero (Imperatorem, et Apostatam intelligit) secundum, uti a Maximo præceptore suo forsitan didicerat. Cui postremæ sententiæ, tanquam veriori, et Platonicæ magis accedit. Sane Julianus in oratione, quam *in Solem* scripsit, quæ in editione nostra quarto loco ponitur, post supremum Deum, qui et ἓν, id est *unum*, et τἀγαθὸν, id est *ipsum Bonum* a Platone nominatur; secundum nominat Solem: non illum aspectabilem, sed alterum priorem, et augustiorem, qui et intelligibilis sit, et intelligibili mundo, intelligentibusque diis præsit: quemadmodum sol iste, quem videmus, corporato mundo præsidet, ac tertius est a summo; sensuque præditis vitam, ac salutem impertit. Hæc, et plura Julianus; qui Solem nescio quem intelligibilem δημιουργὸν, id est *opificem* illum Platonis constituere videtur. De quo ista Plato : « Hunc igitur, inquam, vocare me dicito illius Boni fetum, quem Bonum sibimetipsi proportione quadam respondentem genuit [b]. » Sic Æsculapius *ad Ammonem* scribens, δημιουργὸν vocat Solem, eumque effectorem omnium, ac moderatorem constituit.

VI. Impio, ac detestando Apostatæ similem dabimus advocatum, ac suffragatorem, hæreticum Marcionem; qui et ipse totus ex Platone pendet, atque ex ejus decretis, quod tunc moris erat, suam concinnavit hæresim. Itaque, etsi nefarius est, Platonici tamen dogmatis idoneus erit interpres. Hic igitur, Epiphanio teste, tria dicebat esse principia, hoc est Deos tres [1]: primum omnium supremum, quem, itidem, ut Plato, Bonum appellabat : secundum aspectabilem, eumdemque creatorem et δημιουργὸν, id est *opificem*, qui hanc totam universitatem condidit : tertium denique medium inter ambos illos, Diabolum. Igitur secundo ille loco *Demiurgum*, perinde ac Numenius, Julianus, aliique, Platonis ex mente statuit.

Ad Platonicorum istorum gregem annumerari potest et Synesius, præsertim cum gentilis esset adhuc. Hic autem de Trinitate multa in hymnis ex Platonis opinione, ac doctrina posuit. Sed horum hymnorum alios, puto, jam christianæ fidei institutis formatus edidit; qui vel omnino, vel majori saltem ex parte cum pietatis catholicæ regula consentiunt; alios ab ea plusculum abhorrentes, nonnisi in gentili errore potuit conscribere. Ejusmodi est primus; in quo trinitatem sic explicasse potest videri, quomodo Proclus Platonem sensisse credidit. Nimirum supra Trinitatem istam unum, et summum collocabat Deum; quem sic describit : Platonicis annumerandus Synesius.

Syn. Ο μὲν αὐτόσσυτος ἀρχὰ
Ταμίας πατήρ τε ὄντων,
᾿Αλόχευτος, ὑψιθώκων
Ὑπὲρ οὐρανοῦ καρήνων
᾿Αλύτῳ κύδει γαίων
Θεὸς ἔμπεδος θαάσσει.
Ἑνοτήτων ἑνὰς ἁγνή.
Μονάδων μονάς τε πρώτη
Ἁπλότητας ἀκροτήτων
Ἑνώσασα, καὶ τεκοῦσα
Ὑπερουσίοις λοχείαις.
Ὅθεν αὐτὴ προθοροῦσα
Διὰ πρωτόσπορον εἶδος
Μονὰς ἄῤῥητα χυθεῖσα
Τρικόρυμβον ἔσχεν ἀλκάν.

« Ille quidem ex se ortum principium,
Gubernator, paterque rerum omnium,
Ingenitus, excelsa
Super cœli cacumina
Indissolubili gloria exultans,
Deus constanter sedet,
Unitatum unitas sancta,
Monadumque monas prima,
Simplicitates summitatum
Quæ junxit, et peperit
Supersubstantiali partu.
Unde ipsa prosiliens
Per primigeniam formam
Unitas, ineffabilem in modum diffusa,
Trinam adepta est vim.

a Pletho. Αὐτίκα ὃν Πλάτων προσεχῆ τοῦδε τοῦ οὐρανοῦ τίθεται δημιουργὸν, Πρόκλος μὲν τὰ Πλάτωνος δόγματα ἐς τοὺς ᾿Ορφέως ἕλκων μύθους, τέταρτον ἀπὸ τοῦ πρώτου τίθεται αἰτίου. Πλωτῖνος δὲ τρίτον, ἐς τούς γε πολλοὺς οὗτος ἀποϐλέψας τῶν ποιητῶν, ᾿Ιουλιανὸς δὲ δεύτερον, παρὰ Μαξίμου ἴσως οὕτω τοῦτο δεδιδαγμένος. δοκεῖ δὲ καὶ Πλάτων οὕτω μᾶλλον ἀξιοῦν, καὶ οὐχ ᾗ Πρόκλος, ᾗ καὶ Πλωτῖνος ἀξιοῦσιν.

b Plato lib. VI *de Repub.* Τοῦτον τοίνυν, ἦν δὲ ἐγὼ, φάναι με λέγειν τὸν τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον ὃν τἀγαθὸν ἐγέννησεν ἀνάλογον ἑαυτῷ.

1 Hær. LXII, n. 4.

Hæc verba sic possunt accipi, ut a summo illo Deo, et uno, sive monade, et unitate, velut profundente se, triplex vis emanarit. Etsi aliter quoque licet interpretari, ut nonnisi tres constituerit. Cætera ejusdem, quæ saniora, sincerioraque sunt, postea referam. Nam hoc capite de solis gentilibus Trinitatis propugnatoribus visum est agere. Quorum post Platonem plerique, præter supremum omnium Parentem, Logon, id est *Verbum*, sive *sermonem*, vel potius *rationem* prædicant, ut Zeno, Cleanthes, aliique, de quibus Justinus [1], Tertullianus [2], Lactantius [3], Origenes [4], et complures alii tam veteres, quam recentiores. Sed iis leviter, quantum necesse est, notatis, duo quidam paulo longiori oratione commemorandi sunt, et non illi quidem christiani, sed neque gentiles omnino, et divinarum Scripturarum notitia perfusi : quarum ex fontibus ea perspicue derivarunt, quæ de divinis personis sive duabus, sive tribus attigerunt, tametsi non, ut inde profluunt, pura illa conservarunt, et liquida, sed Platonicorum nugis, atque erroribus infecerunt; quales partim ab gentilibus expositi; partim primis ab hæreticis christianam in religionem invecti sunt. Sunt autem isti ambo, Philo Judæus, qui omnium in ore, admirationeque fertur, et Mercurius Trismegistus. De his igitur sequenti in capite dicemus.

CAPUT II.

De Trinitate quemadmodum Philo Judæus, ac Mercurius Trismegistus senserint; hunc posteriorem supposititium videri, ac sub apostolorum tempora prodiisse.

I. Inter Platonicæ sectæ, ac philosophiæ alumnos longe clarissimus habetur Philo Judæus; cujus scripta ex illius sententiis, ac dogmatibus efflorescunt adeo, ut frequenti apud Græcos illud in sermone fuerit, « aut Platonem tanquam alterum Philonem loqui; aut Philonem tanquam alterum Platonem [a] :» quod [b] Isidorus Pelusiota [5], et Photius [6] referunt. Quorum hic ab Hellenistis, hoc est Judæis Græcissantibus dictum illud manasse scribit. Ex quo emendandus videtur Isidorus; apud quem corrupta est vox ἑαυτῶν, quam libens in ἑλληνιστῶν mutaverim. Uterque porro similitudinem illam definit amborum dicendi genere, ac stylo ; hoc est τῇ ἐν τοῖς λόγοις δυνάμει, ut Photius loquitur, *Vi ac facultate dicendi;* sive *grandi et sublimi genere dicendi*, ut Isidorus ait. Tum Augustinus in duodecimo *contra Faustum* [7], « Philo, inquit, vir liberaliter eruditissimus, unus eorum, cujus eloquium Græci Platoni æquare non dubitant. » Ego vero granditate sententiarum, quam sermone, ac verbis, affinitatem illam, et convenientiam utriusque metiri malim. Nam nihil dissimilius videri mihi solet, quam est Platonis in scribendo Philo.

Hic igitur germanum illud Platonicorum dogma passim in libris suis prodidit : duos, inquam, Deos, alterum Patrem, ac summum; alterum secundum, prioris illius filium, eoque inferiorem, et illi subjectum. Qua de re collecta illius testimonia leguntur apud Eusebium [8]; primum ex libro quodam quæstionum et responsionum, qui non exstat, ubi causam affert, cur Scriptura de hominis procreatione loquens, Deum ait ad imaginem Dei finxisse hominem, quasi alter ab creatore significaretur Deus, cujus ad imaginem, non item ejus, qui creabat, homo sit factus. Quod eo accidisse narrat, quod ad supremi illius, et universorum parentis effigiem nulla creatarum rerum possit accedere; quippe qui naturam ratione præditam infinito intervallo superet. Quare ad secundarii ordinis Deum, qui est illius logos, natura ista, quæ λογικὴ dicitur, expressa fuit. Philonis verba sunt hæc : « Nihil enim mortale ad supremi, et universorum parentis imaginem fingi poterat, sed ad secundi Dei, qui illius est logos, hoc est ratio, vel sermo. Oportebat enim rationalem hominis in anima figuram a divina imprimi ratione. Siquidem Deus ille logon antecedens rationalem omnem naturam antecellit. Ad ejus vero similitudinem, qui supra rationem optima in specie, eximiaque constituitur, genitum aliquid commodari nefas erat [c].»

Sententia Philonis de Trinitate.

Rationalis.

Rursus idem Philo [9] in primo *de Agricul-*

a Photius de *Philone*. Τοσοῦτον δ' αὐτὸν τοῖς ἑλληνισταῖς παρασχεῖν θαῦμα τῆς ἐν τοῖς λόγοις δυνάμεως, ὡς καὶ λέγειν αὐτοὺς, ἢ Πλάτων Φιλωνίζει, ἢ Φίλων Πλατωνίζει.

b Isid. Pel. Ἐῤῥέθη γὰρ παρ' ἑαυτῶν, ἢ Πλάτων ἐφιλώνισεν, ἢ Φίλων ἐπλατώνισεν.

c Philo. Θνητὸν γὰρ οὐδὲν ἀπεικονισθῆναι πρὸς τὸν ἀνωτάτω, καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο. ἀλλὰ πρὸς τὸν

1 In *Apol.* 2. — 2 In *Apol.* cap. XXI. — 3 Lib. IV, cap. VIII et 9. — 4 Hom. XIV in *Gen.*— 5 Lib. III, ep. LXXXI. — 6 Cod. 105. — 7 Cap. XXXIX. — 8 Lib. VII *de Præp.* — 9 Phil. op. I.

tura, totam hanc rerum universitatem, ejusque partes omnes, et elementa, « Tanquam pastor, inquit, et rex Deus administrat secundum jus, ac legem; cum iis rectam suam rationem, primogenitum filium præfecerit, qui sacri illius gregis curam, velut magni Regis præfectus, suscipiat. Nam et alicubi dictum est : *Ecce ego sum : mittam angelum meum ante faciem tuam, ut te custodiat in via* [a]. »

Hunc porro logon in libro *de Abelis et Caini sacrificio* opus esse Dei scribit, quod omnem temporum generationem præcedit[b]; eumdemque vocat in libro *De vita Mosis,* « Dei hujus mundi parentis filium. »

Laudat et Philonem Judæum enixe sanctus Isidorus Pelusiota, quod, contra popularium suorum institutum, de Verbo, ac Dei filio tam aperte sit locutus; etsi minus recte secundas ei a Patre tribuat[1]. Quod quidem multo apertius, intolerabiliusque deinde fecit Eusebius Cæsariensis, ut postea videbimus. Idem Philo in libro de *Nominum commutatione,* de logo, id est *Verbo Dei*, Platonico more, sed ab christiana dissidente regula, ista scribit. « Ne igitur ambigas, an quod rebus, quæ sunt, antiquius est, ineffabile sit; cum ne Verbum quidem ipsius declarari nomine aliquo possit[c].» Tum quod scriptum est, *Apparuit Dominus Abrahamo*[2], neutiquam sic intelligendum esse dicit, tanquam prima omnium causa videndam se præbuerit : « Nam quæ humana mens idonea esset ad illam apparentis speciem capiendam? sed ut una virtutum, quæ circa illam sunt, nempe regia, tunc apparuerit[d]. » Cujusmodi verba Justino, aliisque priscis occasionem præbuisse videntur similium locutionum de Verbo Dei, ac Filio, quas postea referam[3]; dum negant, Patrem ipsum patriarchis, ac prophetis, aut ulli alteri mortalium esse conspectum, sed solum Filium, quod illius majestatem neque certus, ac definitus locus, neque creata res ulla capere possit.

II. Talibus igitur de Filio Dei præconiis, Arianorum Philo perfidiam armavit. Neque quibusdam e nostris, id est catholicis, assentiri possum, qui et hujus, et aliorum, maxime gentilium, ejusmodi scita, quæ de divinis personis utcumque aliquid tinniunt, cupide deosculantur, atque ad christiani integritatem dogmatis accommodare student, labe omni erroris, et invidia, fuco quadam falsæ, ac violentæ interpretationis obducta. Qui quidem merito in Photii reprehensionem incidunt; qui « Nostrorum, ait, aliquos ea, quæ plurimum distant, et abhorrent, eniti ad religionis nostræ, quæ nequaquam indiga, sed sola sincera est, ac vera, comprobationem per vim applicare, eaque conciliare cum nostris, a quibus magis differunt, quam a luce tenebræ [e]. »

Non absimilia de Patre, ac mente hujus Filio, utroque Deo, sed illo superiore, imo summo, hoc inferiore, ac subjecto, longe ante Platonem a Chaldæis, et Ægyptiis memoriæ prodita celebrantur; quorum principes. auctoresque sunt habiti Zoroastres, et Mercurius Trismegistus, et horum inscripti nominibus libelli circumferuntur; illius quidem *Oracula Magica,* quæ Plethonis, ac Pselli scholiis illustrata sunt, et cum Sibyllinis oraculis Lutetiæ edita, Mercurii porro Ποιμάνδρης jam olim prodiit. In utroque, sed hoc præsertim, expressa sunt illius Platonici dogmatis, arcanique vestigia, quæ magnis clamoribus a plerisque solent excipi, imprimis ab Augustino Steucho Eugubino; qui in primo operis *Pœmandres.*

δεύτερον θεὸν, ὅς ἐστιν ἐκείνου λόγος. ἔδει γὰρ τὸν λογικὸν ἐν ἀνθρώπου ψυχῇ τύπον ὑπὸ θείου λόγου χαραχθῆναι, ἐπειδὴ ὁ πρὸ τοῦ λόγου θεὸς κρείσσων ἐστὶν ἢ πᾶσα λογικὴ φύσις, τῷ δὲ ὑπὲρ τὸν λόγον ἐν τῇ βελτίστῃ καὶ ἐξαιρέτῳ καθεστῶτι ἰδέᾳ οὐδὲν θέμις ἦν γεννητὸν ἐξομοιοῦσθαι.

a Philo in I. Περὶ γεωργίας. ταῦτα δὴ πάντα ὡς ποιμὴν, καὶ Βασιλεὺς; ὁ θεὸς ἄγει κατὰ δίκην καὶ νόμον, προστησάμενος τὸν ὀρθὸν αὐτοῦ λόγον· πρωτόγονον υἱὸν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης. οἷά τι μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. καὶ γὰρ εἴρηταί που· ἰδοὺ ἐγώ εἰμι, ἀποστελῶ ἀγγελόν μου εἰς πρόσωπόν σου τοῦ φυλάξαι σε ἐν τῇ ὁδῷ.

b Philo *de Abele et Caino*. Ὁ λόγος ἔργον αὐτοῦ, etc. Καθάπερ οὖν ἀγέννητος φθάνει πᾶσαν γένεσιν, οὕτω καὶ ὁ τοῦ ἀγεννήτου λόγος παραθεῖ τὸν γενέσεως.

c Philo. Μήτ' οὖν διαπόρει, εἰ τὸ τῶν ὄντων πρεσβύτερον, ἄῤῥητον, ὁπότε ὁ λόγος αὐτοῦ κυρίῳ ὀνόματι οὐ ῥητὸς ἡμῖν.

d Idem. Τίς γὰρ ἀνθρώπειος νοῦς τὸ μέγεθος τῆς φαντασίας ἱκανός ἐστι χωρῆσαι; ἀλλ' ὡς μιᾶς τῶν περὶ αὐτὸν δυνάμεων τῆς βασιλικῆς προφαινομένης.

e Photius, cod. clxx. Εἴγε καὶ τὰ μηδὲν προσήκοντα, ἀλλὰ καὶ ὡς πλεῖστον ἀπεμφαίνοντα ἐπιχειροῦντάς τινας τῶν ἡμετέρων ἕξουσι δεικνύειν εἰς σύστασιν τῆς ἀπροσδεοῦς, καὶ μόνης καθαρᾶς καὶ ἀληθοῦς λατρείας ἡμῶν, τὰ ἐκείνων ἐκβιαζομένους, καὶ ἐπιχειροῦντας εἰς συμφωνίαν ἄγειν, ἃ πλέον πρὸς τὰ ἡμέτερα, ἢ τὸ σκότος πρὸς τὸ φῶς διέστηκεν.

1 Lib. II, ep. cxliii. — 2 *Gen.* xvii. — 3 Lib. I cap. iii, § 3 et seq.

de Perenni philosophia, quædam ab illis pene christiane dicta commemorat, vehementerque miratur. Velut est illud e Zoroastri Magicis,

« Omnia enim perfecit Pater, et mente tra- [didit.
Secundæ, quam primam vocat omne genus [hominum [a]. »

Mercurii vero de eadem re longe plura, et insigniora testimonia sunt, quæ ab illo multis capitibus expromuntur.

Oracula magica ac Pœmandres apocrypha.

III. Sed opus utrumque supposititium, et confictum mihi videtur, nec tantæ vetustatis esse, quantam ei vulgo fere docti, indoctique omnes adscribunt. Ut de Magicis istis, et Chaldaicis quisquiliis hoc loco taceam, certe qui Pœmandrem sub Mercurii Trismegisti nomine publicavit, non belle mimum suum peregit; nec sic latere potuit, ut attentos, minimeque stolidos lectores falleret : quin certa identidem adspersit indicia, ex quibus de fraude non levis conjectura ducatur.

Quod cum alii jam ante me animadverterint, argumentisque pluribus ostenderint, ego ipse quoque ad eam inquisitionem animum adjeci, ac libro accuratius perlecto, cum ex iis notis, quas ab nonnullis collectas esse docui, tum ex aliis, quæ ab iisdem sunt omissæ, prorsus opinionem veterem obfirmavi meam; personatum illum Hermam omnino post et adventum Domini, et apostolicas litteras scriptis proditas, pseudepigraphum suum opus elucubrasse; ac vel semichristianum hominem fuisse, ex illa fæce veterum hæreticorum, quos nascenti Ecclesiæ similibus, atque in libro isto sunt, obstrepuisse nugis, ex Irenæo, et Epiphanio didicimus; aut, ut commode christianus homo fuerit, ad antiquitatis usurpandam speciem, veris dogmatibus, ac nostris pleraque de Platone, ac philosophis aliis de industria miscuisse. Ac non longe post apostolos emersisse fit ex eo probabile, quod Justinum scimus testimonio usum illius, ac verbis in calce Parænetici ad Gentiles. Nunc, quibus indiciis de hoc fœneo Trismegisto persuasum mihi sit, paucis expediam.

Capite primo, Mercurius oblatam sibi per visum speciem refert orbis conditi; cujusmodi magna ex parte ab Mose primo capite *Geneseos* exponitur. Tum se Pœmandres λόγον κυρίου esse prædicat, quæ loquendi ratio, et appellatio, non alibi, quam in sacris Litteris usurpata legitur. Non fuit igitur Scripturarum iste nostrarum inscius, ac proinde Mercurius ille Trismegistus non fuit; quem haud paulo antiquiorem fuisse Mose consentiunt omnes. Eodem capite scribit, λόγον, et νοῦν a Patre genitum esse θεὸν τοῦ πυρὸς, καὶ πνεύματος, *Deum ignis et spiritus*. In quo respexit ad id, quod Joannes Baptista de Christo, *Matthæi*, et *Lucæ* tertio capite prædicat, eum baptizare in spiritu, et igne. Addit et ὁμοούσιον esse Patri; quod nemo, nisi christianis initiatus mysteriis cogitare potuit. Deum præterea narrat, hominem a se conditum, et ad imaginem factum adamasse, eique opera sua omnia commisisse. Quid aliud *Geneseos* cap. I Moses, ubi hominem ait procreatum a Deo, ut piscibus dominaretur ac bestiis, cæterisque, quæ terra continentur? Rursus Pœmandres, τοῦτό ἐστι, inquit, τὸ κεκρυμμένον μυστήριον μέχρι τῆσδε τῆς ἡμέρας; quod ex Paulo mutuatus est; qui *ad Coloss.* I, 26, ita scripsit, τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, νυνὶ δὲ ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. *Mysterium quod absconditum fuit a sæculis, et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus.* Item capite illo eodem, Deus animalibus omnibus a se procreatis dixisse fertur, αὐξάνεσθε αὐξήσει, καὶ πληθύνεσθε ἐν πλήθει; quæ sunt ipsissima Dei verba, quæ simili in re usurpata narrantur *Genes.* I, 22. Sic illæ locutiones in fine capitis, δέξαι λογικὰς θυσίας; et, καθὼς παρέδωκας αὐτῷ τὴν πᾶσαν ἐξουσίαν; necnon, ὁ τῆς αὐθεντίας λόγος; quæ Christianismi haud ignarum, neque tantæ vetustatis hominem fuisse demonstrant. Nam et secunda de *Joannis Evangelio*, cap. XVII, 2, est expressa: καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκός. Sunt et aliæ sequentibus in capitibus sermonis formulæ, quæ sine dubio de Scripturis acceptæ sunt. Ut in fine quarti, καρδίας ὀφθαλμοί; cap. XIII, κατάργησον τοῦ σώματος τὰς αἰσθήσεις. Quis hac notione verbum καταργεῖν positum uspiam meminit, præterquam apud apostolos canonicosque scriptores? Ejusdemmodi est et illud capitis XIII, ἐδικαιώθημεν, ὦ τέκνον, ἀδικίας ἀπούσης. *Justificati sumus, o fili! injustitia absente.* Ibidem est, πέμψον δεκτὴν θυσίαν. Tum illud,

Verbum Domini.

Rationem et mentem.

Consubstantialem.

Hoc est, inquit, absconditum mysterium usque ad hunc diem.

Crescite et multiplicamini.

Accipere rationales hostias; et *Sicut tradidisti illi omnem potestatem;* necnon, *Omnipotens Sermo.*

Sicut dedisti illi potestatem omnis carnis.

Cordis oculi *Destrue corporis sensus.*

Mitte acceptabile sacrificium.

[a] ZOROASTRES. Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε Πατὴρ, καὶ Νῷ παρέδωκε. Δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλῄζεται πᾶν γένος ἀνδρῶν.

μηδενὶ, τέκνον, ἐκφαίνων, τῆς παλιγγενεσίας τὴν παράδοσιν, ἵνα μὴ ὡς διάβολοι λογισθῶμεν. *Nemini regenerationis prodens mysterium, ne tanquam diaboli habeamur.* Diaboli nomen, non pro calumniatore simpliciter accepit, ut vertit interpres; sed pro eo, qui diabolus a Christianis appellari solet.

IV. Sed invictum est argumentum, quod ex cap. XVI, conficitur, quæ est epistola Æsculapii *ad Ammonem;* ubi ille Mercurii se Trismegisti discipulum faciens, ejus dictum memorat, quod ex ore ipsius excepisse refert. Libros itaque suos aiebat Mercurius iste a Græcis in linguam suam translatos obscuriores fore. Quare vetat illos communicari cum Græcis, ne horum elegantiæ pigmentis, tanquam fuco, ac cerussa doctrinæ illius vis, ac majestas oblitteretur. « Quantum igitur potes, inquit, o rex, nam omnia potes, orationem hanc ab nemine interpretatam conserva; uti nec ad Græcos mysteria ista perveniant; neve Græcorum superba, et dissoluta loquendi ratio, ac velut ornamentis fucata, majestatem illius, et gravitatem, et efficacem vocabulorum locutionem enervet. » Ac paulo post: « Græci enim, o rex, ait, orationes habent probationibus vacuas, minimeque efficaces; talisque Græcorum est philosophia inanis, ut sit strepitus verborum [a].» Apparet hoc in loco, λόγους, id est *orationes* Græcorum appellari *vacuas probationibus;* atque ita scribendum, κενοὺς ἀποδείξεων, οὐκ ἐνεργητικούς; neque recte vertisse doctum alioquin interpretem, *ostentationum efficaces.* Dixisset enim potius ἐπιδείξεων, si id in animo habuisset. Atqui iisdem ex illis verbis evidens est, totum hoc opus suppositium esse; nec illius ætatis, quam Mercurio Trismegisto tum veteres, tum recentiores ejus fautores attribuunt, quamque Mose ac Pharaone superiorem faciunt. Nam Suidas Pharaone antiquiorem illum fuisse scribit; Abraami autem æqualem Candalla, qui Græce Latineque hunc edidit. Idemque Mercurium ipsum sui ipsius Græcum fuisse interpretem perhibet. Quod mirum est excidisse viro docto. Quæ enim ex eo sequantur absurda, res ipsa clamat. At ego planum, et impostorem fuisse pro certo habeo; qui fortasse, uti christianis mysteriis fidem, et auctoritatem apud Ethnicos conciliaret, sub Mercurii nomine librum hunc vulgavit primis exorientis Christianismi temporibus. Neque tamen satis callide personam suam sustinuit, ut illa demonstrant, quæ superius notata sunt, præsertim cum Græcæ facundiæ veneres, ac delicias cavere jubet, quo tempore ne ipsum quidem Græcorum, hoc est Ἑλλήνων nomen esset auditum; quod circiter decimo quinto ante Christum sæculo, post aditam Chananæam est exortum, ut alibi demonstramus[1]. Est tamen circulator iste perantiquus, et paulo post apostolorum tempora exstitit. Siquidem illius testimonio usus est Justinus Martyr [2], qui anno Christi centesimo quinquagesimo floruit, ut ipse refert [3]. Tum Lactantius [4], Augustinus [5], Cyrillus, aliique. Sane Jamblicus in libro *de Mysteriis* auctor est, « Ægyptios scriptores, putantes, omnia inventa esse a Mercurio, suos libros Mercurio inscripsisse [6].» Quod exemplum præ oculis habere aretalogus ille potuit, ut sub Mercurii persona fumum suum posteris venditaret.

V. Cæterum illius scripta, ubi de Filio Dei, sive λόγῳ, ac personis adeo divinis loquitur, mera Platonicorum commenta redolent; quæ sunt ejusmodi scilicet, ut, cum perexigua quadam veri dogmatis specie, quasi fuco, colorentur, multis ac turpissimis impietatis, errorisque maculis infecta sint, et Arianæ venena perfidiæ incautos sui admiratores instillent. Faciam hujus rei periculum in uno illo, ac singulari loco, quem Græce Lactantius, Latine Augustinus in iis, quos adnotamus, libris expresserunt ex libro Hermetis, hoc est Trismegisti illius impostoris, qui λόγος τέλειος inscribitur, « Dominus, inquit, et universorum effector, quem nos Deum appellare instituimus, postquam secundum fecit Deum aspectabilem, et sensibilem (sensibilem dico, non quod sensu utatur ipse; nam de eo causæ esse nihil potest, cur sentire dicatur; sed quoniam in sensus immittit, et mentem); quoniam ergo primum illum fecit, ac solum, et unum, et pulcher ei visus est, et bonis omnibus refertissimus, sanctificavit eum, ac penitus dilexit, velut proprium fœtum [b].» Hic igitur Deum

Trismegisti sententia.

Verbum supremum

a Æsculap. Ὅσον οὖν δυνατόν ἐστί σοι; βασιλεῦ· πάντα δὲ δύνασαι· τὸν λόγον διατήρησον ἀνερμήνευτον· ἵνα μήτε εἰς Ἕλληνας ἔλθῃ τοιαῦτα μυστήρια, μήτε τῶν Ἑλλήνων ὑπερήφανος φράσις, καὶ ἐκλελυμένη, καὶ ὥσπερ κεκαλλωπισμένη, ἐξίτηλον ποιήσῃ τὸ σεμνὸν καὶ στιβαρὸν, καὶ τὴν ἐνεργητικὴν τῶν ὀνομάτων φράσιν.

Mox: Ἕλληνες γὰρ, ὦ βασιλεῦ, λόγους ἔχουσι κενοὺς ἀποδείξεων ἐνεργητικούς· καὶ αὕτη ἐστὶν Ἑλλήνων φιλοσοφία λόγων ψόφος.

b Mercurius Trismeg. Ὁ Κύριος, καὶ τῶν πάντων ποιητὴς, ὃν θεὸν καλεῖν νενομίκαμεν, ἐπεὶ τὸν δεύτερον

1 Lib. I *Rat.* c. VII. — 2 In calce *Protrep. ad Græcos.* — 3 Apol. II. — 4 Lib. IV, c. VI. — 5 Lib. V *de Hær,* c. III, tom. VI. — 6 Lib. I *cont. Jul.*

alterum, et factitium planus iste nominat Dei Filium. Quod, ut αὐτόχρημα Platonicum est, sic a catholica professione dissonum, et ab Arianis ascitum est ; ut postea declarabitur.

Ad extremum nec illud præterierim, quod ad philosophorum istorum testimonia spectat, quibus sanctissimæ Trinitatis mysterium adumbrare utcumque visi sunt, plerosque, præter summum Deum, ac Patrem, etiam Verbi, ac Filii mentionem fecisse ; Spiritum vero sanctum ignorasse funditus : quod ex Didymo refert Augustinus, idque significatum ait esse in magorum Ægyptiorum historia, qui cum Mose contendentes, cum cyniphes, itidem ut ille, nequirent educere, dixerunt, « Digitus Dei est hic. » Quippe digitus Dei Spiritum sanctum indicat. « Commendatur enim fortasse Trinitas, ait Aug., et quod verum est, summi philosophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu sancto philosophati sunt ; quamvis de Patre, et Filio non tacuerint, quod etiam Didymus in libro suo meminit, quem scripsit de Spiritu sancto. » Ex quo, ut et cæteris ex omnibus, quæ de Platone, ejusque dogmate, capite superiori diximus, liquet, quantopere existimatione sua falsi sunt nostri quidam, qui Platonem, tanquam Trinitatis propugnatorem, et prope christianum, nimiis, et invidiosis in cœlum laudibus extollunt.

Reprehenduntur qui Platonem nimiis laudibus extollunt.

VI. Ut de Eugubino, aliisque recentioribus modo sileatur, unum ex antiquis præterire non possum, qui hoc in genere modum omnem pudoris, ac veritatis excessit. Is est Claudianus Mamertus ; cujus de Platone ex secundo libro verba ista sunt : « Quo fit, ut mirari admodum digne nequeam hujus Platonis animum, qui tantis equidem sæculis ante puerperium Virginis ; ante prædicatam summæ Trinitatis in gentibus unitatem ineffabilem, unum tres in divinitate personas laudabili ausu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quæsivit, invenit, prodidit Patrem Deum, paternamque mentem, artem, sive consilium ; nec non et utriusque horum amorem mutuum, unam, summam, æquiternam, indivisam divinitatem, non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse convicit[1]. » Hæc de Platone Claudianus ; quæ profecto nunquam scripsisset, si aut Platonem ipsum, aut Platonicorum monumenta diligentius legisset. Nam, quæ de Trinitate ab illo pronuntiata, probataque asserit, de iis ne somniavit iste quidem ; ut trium in eadem divinitate personarum unitatem summam, et indivisam putaret esse, præsértim tertiæ. Quod ex superioribus liquidissime constare arbitror, ut non sit necesse, longiorem de ea re disputationem facere.

CAPUT III.

Exponuntur veterum quorumdam, qui ante Ariana tempora in christiana professione floruerunt, de Trinitate sententiæ ab catholica regula, saltem loquendi usu, discrepantes ; ut Justini Martyris, Athenagoræ, Tatiani, Theophili, Irenæi, Clementis Romani.

I. Nunc illud ipsum, cujus gratia Platonicorum de Trinitate sententiam accurate pervestigavimus, expendamus hoc capite ; quis antiquorum aliquot de eodem dogmate sensus extiterit ; ac quemadmodum Platonis in christianam religionem commentum de Trinitate paulatim ab iis introductum sit, qui ex illius secta, institutioneque transierunt ad Christi professionem, vel utcumque doctrina ipsius afflati, excultique sunt. Quorum genus est omnino duplex. Nam alii sunt, quos ne christiana quidem dignos appellatione censeat, qui exactius de eo judicare voluerit, ut hæretici ; quos inter cultores idolorum numerat Tertullianus. « Deum enim, ait ille, aut fingunt alium adversus creatorem, aut, si unicum creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quam in vero est. Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriæ[2]. » Augustinus vero, « Sunt quidam, inquit, eorum, qui christiani vocantur, et non sunt ; quos partim digessit Ecclesia, tanquam stercora, ut sunt omnes hæreses, et omnia schismata[3]. » Alii vere christiani, et catholici, ac sancti fuerunt. Sed, ut erant tempora, nondum mysterio illo satis liquido cognito, nonnulla periculose

ἐποίησε θεὸν ὁρατὸν, καὶ αἰσθητὸν (αἰσθητὸν δέ φημι, οὐ διὰ τὸ αἰσθέσθαι αὐτόν· περὶ γὰρ τούτου οὐκ ἔστι πότερον αὐτὸς αἴσθοιτο· ἀλλ' ὅτι εἰς αἴσθησιν ὑποπέμπει, καὶ εἰς νοῦν) ὅτι οὖν τοῦτον ἐποίησε πρῶτον, καὶ μόνον, καὶ ἕνα, καλὸς δὲ αὐτῷ ἐφάνη, καὶ πληρέστατος πάντων τῶν ἀγαθῶν, ἡγίασέ τε, καὶ πάνυ ἐφίλησεν ὡς ἴδιον τόκον.

1 Claudianus lib. II *de Statu animæ*. — 2 Lib. *de Præscr.* c. XL. — 3 Ser. I ex editis a Sirm.

dicta jecerunt. De quibus in promptu illud esse debet Hieronymi : « Fieri potest, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint ; vel certe, antequam in Alexandria, quasi dæmonium meridianum, Arius nasceretur, innocenter quædam, et minus caute locuti sunt, et quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare[1]. »

Posteaquam enim seditiosarum, ac pestilentium linguarum veluti flabellis ventilata fidei est illa quæstio, multum ad ejus dogmatis professionem constantiæ, ac perspicuitatis accessit ; tumque illud evenit, quod bene animadvertit Augustinus : « Multa quippe, inquit, ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida (*for.* calida) inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur, et ab adversario mota quæstio discendi existit occasio[2]. » Et alio in libro, « Didicimus enim, singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret[3]. » Idem etiam alibi : « Numquid enim perfecte de Trinitate disputatum est, antequam oblatrarent Ariani ? numquid perfecte de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Novatiani [4] ? » etc. Sed hæc postea. Tum autem, christiana nuper exorta religione, cum ex philosophorum sectis, maxime vero Platonicorum, quæ per id tempus primas obtinebat, nonnulli se ad illam applicassent, haud pauca secum in eam ex ista transtulerunt, præsertim quæ ad Trinitatis fidem spectant, cujus larvam quamdam, ac speciem ostentabat ista philosophia ; ut, quod universe de hæresibus omnibus dictum est a Tertulliano, id in illa parte locum imprimis habeat. « Doleo, inquit ille, bona fide Platonem hæreticorum omnium condimentarium esse factum[5]. » Et alibi de philosophorum « ingeniis omnem ait hæresim animari[6]. » Ac de hæreticis, qui quidem extra controversiam tales habentur, postea. Nunc de cæteris, qui vel perpetuo catholici fuerunt, vel inter eos aliquando floruerunt, prima esse debet inquisitio, ut plerosque, quod dixi, constet de sanctissima Trinitate Platonico pene more sensisse, vel loquendi genere ipso nonnihil ad eum implicatos videri posse. Quod posterius ad sanctos potissimum, atque omni dignos veneratione Patres attinet, quos neque culpare debeo, aut in hæresis nefariæ crimen adducere ; neque, si quid minus ab iis accurate dictum exstat, atque ab catholica norma dissidens, possum prætermittere.

II. Justinus Martyr unus ex antiquissimis, qui quidem extra controversiam sunt, et ipse philosophus, minorem Patre Filium posuit, non solum quatenus hominem se fecit, sed etiam divinitate, et antequam humana se carne vestiret. Prorsus enim, quod ex Judæis, et Platone Arianos expressisse Gregorius Nyssenus queritur, Deum Patrem constituit ὑπεράνωθέν τινα κτίστην, καὶ ποιητὴν ὑποβεβηκότος θεοῦ *supremum conditorem, ac Dei inferioris opificem, et subjecti*[a]. In dialogo *cum Tryphone*, Dei Filium, et Verbum asserit, ante susceptam hominis naturam, sæpe patriarchis apparuisse. Nam quoties in Scriptura legitur, angelum Domini cum Abraamo, Mose, ac reliquis esse locutum, ait ipsum intelligi Filium Dei a Patre missum, et ejus ministrum, « Quod iste, qui a patriarchis est conspectus, Deus, et angelus, et Dominus appellatur ; ut vel ex his intelligatis, ipsum universorum parenti ministrasse[b]. » Et paulo post, angelum, qui Mosi dixit, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*, negat fuisse conditorem omnium Patrem, sed Filium Patris administrum : « Sed quem vobis demonstravimus, Abraamo visum esse, et Jacob, qui conditoris universorum voluntati ministravit[c]. » Hujus rei causam reddit ejusmodi, quæ sententiam illius evidentiorem facit. Nam idcirco Filium, ac Verbum patribus sui videndi fecisse copiam ait, quod universorum pater, et conditor « neque superiora cœlo spatia relinquere possit ; nec in exigua terræ parte conspici[d]. » Ac post multa subinde producta testimonia Scripturæ, in quibus veteribus apparuisse, collocutusque esse dicitur ;

Justini de Trinitate sententia exponitur.

a Nyss. lib. I *cont. Eunom.*

b Justinus, *contr. Tryph.* Ὅτι οὗτος ὀφθεὶς τοῖς πατριάρχαις λεγόμενος Θεὸς, καὶ ἄγγελος, καὶ Κύριος λέγεται, ἵνα καὶ ἐκ τούτων ἐπιγνῶτε αὐτὸν ὑπηρετοῦντα τῷ τῶν ὅλων πατρί.

c Just. Ἀλλ' ὁ ἀποδεχθεὶς ὑμῖν ὦφθαι τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τῷ Ἰακὼβ τῇ τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων θελήσει ὑπερετῶν.

d Just. ibid. Οὐ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, καὶ πατέρα καταλιπόντα τὰ ὑπὲρ οὐρανὸν ἅπαντα, ἐν ὀλίγῳ γῆς μορίῳ πεφάνθαι, πᾶς ὀστισοῦν, κἂν μικρὸν νοῦν ἔχων, τολμήσει εἰπεῖν.

1 Apol. II *con. Ruff.* — 2 Lib. XVI *de Civit.* c. II. — 3 Lib. II *de Bono per.* c. XX. — 4 Aug. in *Psal.* LIV. — 5 Lib. *de Anim.* XIII. — 6 Lib. I *con. Marc.* c. XIII.

per illa ipsa demonstratum ait esse, Filium Dei significari, « qui sit Patri ac Domino subjectus, ejusque voluntati serviat[a]. » Mox, cum in iisdem sacris Libris legitur, *Ascendisse Dominus ab Abraamo;* vel *locutus Mosi;* vel *descendisse, ut videret turrim;* vel *clausisse Deus arcam Noe deforis;* « Cavete putetis, inquit, vel ipsum ingenitum Deum descendisse alicunde, vel ascendisse. Etenim ineffabilis Pater, ac Dominus omnium neque profectus est aliquo, neque ambulat, neque dormit, neque surgit; sed in suo, ubicumque demum manet, loco acute intuens, et audiens, non oculis, nec auribus, sed vi quadam inexplicabili et omnia prospicit, et cognoscit omnia, nec eum latere quispiam potest nostrum; nec movetur, cum loco nullo, ac ne mundo ipso quidem contineri possit; quippe qui, antequam mundus esset, exstiterit. Quomodo igitur vel alicui iste loqueretur, vel conspiceretur ab aliquo, vel in exigua terræ particula cerneretur, cum ne ejus quidem, qui ab ipso missus erat, gloriam intueri populus in Sina potuerit; nec vel ipse Moses in tabernaculum, quod fecerat, ingredi, nisi communicata illum a Deo gloria complevisset[b]? » Ac paucis interjectis ita concludit: « Igitur nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob, nec alius mortalium quisquam, vidit Patrem, et ineffabilem Dominum omnium simpliciter, adeoque ipsiusmet Christi; sed illum, qui de ipsius voluntate Deus est, ejus Filius, et angelus, ex eo, quod illius voluntatis administer sit; quem et hominem nasci per Virginem voluit: qui et ignis aliquando in illo de rubo cum Mose colloquio factus est[c] »

Addit præterea, nisi eo modo Scripturas explicemus, consequens fore, cum in iis legimus, *Pluisse Dominum a Domino de cœlo ignem, et sulphur* [1], et id genus alia, Patrem ipsum universorum, ac Dominum aliquando in cœlo non fuisse. Quæ omnia demonstrant, Justinum inferioris cujusdam conditionis esse putasse Filium, etiam antequam homo fieret; ac minorem esse Deum, qui nec ubique esset, et spatio circumscriberetur aliquo, et paternæ voluntati serviret*.

III. Huic Justini opinioni non parum refragatur expositio illa fidei, quæ Justini ejusdem nomine est inscripta. Sed alterius est omnino,

a Id. Δι' ὧν ἀποδέδεικται ὑπὸ τῷ Πατρὶ, καὶ Κυρίῳ τεταγμένος, καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ αὐτοῦ.

b Ibid. Μὴ ἡγεῖσθε αὐτὸν τὸν ἀγέννητον Θεὸν καταβεβηκέναι, ἢ ἀναβεβηκέναι ποθέν. ὁ γὰρ ἄῤῥητος πατὴρ, καὶ κύριος τῶν πάντων οὔτε ποι ἀφῖκται, οὔτε περιπατεῖ, οὔτε καθεύδει, οὔτε ἀνίσταται, ἀλλ' ἐν τῇ αὐτοῦ χώρᾳ, ὅπου ποτὲ μένει, ὀξὺ ὁρῶν, καὶ ὀξὺ ἀκούων, οὐκ ὀφθαλμοῖς, οὐδὲ ὠσὶν, ἀλλὰ δυνάμει ἀλέκτῳ, καὶ πάντα γινώσκει, καὶ οὐδεὶς ἡμῶν λέληθεν αὐτὸν, οὔτε κινούμενος· ὁ τόπῳ τε ἀχώρητος, καὶ τῷ κόσμῳ ὅλῳ, ὅς γε ἦν καὶ πρὶν τὸν κόσμον γενέσθαι. πῶς ἂν οὖν οὗτος ἢ λαλήσειε πρός τινα, ἢ ὀφθείη τινὶ, ἢ ἐλαχίστῳ μέρει γῆς φανείη, ὁπότε γε οὐδὲ τὴν δόξαν τοῦ παρ' αὐτοῦ πεμφθέντος ἴσχυεν ὁ λαὸς ἰδεῖν ἐν Σινᾷ, οὐδὲ αὐτὸς Μωσῆς ἴσχυσεν εἰσελθεῖν εἰς τὴν σκηνὴν, ἣν ἐποίησεν, εἰ μὴ ἐπληρώθη τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δόξης;

c Mox: Οὔτε οὖν Ἀβραὰμ, οὔτε Ἰσαὰκ, οὔτε Ἰακὼβ, οὔτε ἄλλος ἀνθρώπων εἶδε τὸν πατέρα, καὶ ἄῤῥητον κύριον τῶν πάντων ἁπλῶς, καὶ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, ἀλλ' ἐκεῖνον τὸν κατὰ τὴν βουλὴν τὴν ἐκείνου, καὶ Θεὸν ὄντα υἱὸν αὐτοῦ, καὶ ἄγγελον ἐκ τοῦ ὑπηρετεῖν τῇ γνώμῃ αὐτοῦ· ὃν καὶ ἄνθρωπον γεννηθῆναι διὰ τῆς παρθένου βεβούληται· ὃς καὶ πῦρ ποτὲ γέγονε τῇ πρὸς Μωσέα ὁμιλίᾳ τῇ ἀπὸ τῆς βάτου.

* Recolendum diligenter est, quo in recensendis hisce Justini testimoniis spectarit Petavius. Nimirum S. martyrem cum Athenagora, et Theophilo Antiocheno inter eos numerat in primo præfationis capite, qui communem, rectamque fidem, et substantiam ipsam dogmatis tenentes, in consectariis quibusdam nonnihil ab regula deflectunt, imo capite ejusdem præfationis tertio luculentissima ad Verbi divinitatem confirmandam S. Justini loca in medium attulerat. Consectaria igitur expendamus, in quibus Justinum ab regula deflexisse existimavit vir summus. Sunt autem hæc duo: 1. Verbum ubique non esse, et spatio circumscribi aliquo. 2. Paternæ illud voluntati servire. Qua in re qui Justinum negant duriusculis usum fuisse verbis, næ illi nimia in eam reverentia ducuntur. Verumtamen molliri facile etiam possunt. Judæum hic Tryphonem alloquitur S. martyr, qui et unam in Deo personam adstruebat, et Scripturas Veteris Testamenti venerabatur. Id cum primis ante oculos habendum. Igitur quod ad secundum Petavii consectarium spectat, cum paternæ voluntatis minister dicitur Verbum, hoc ea solum ratione intelligendum est, quod a Patre Filius mittatur, « ipse enim, ut idem Justinus ait in *Apologia pro Christianis* secunda, seu potius prima, quæcumque cognitu necessaria sunt, adnuntiat, et mittitur, ut quæcumque adnuntiantur, indicet. » Et vero *ministri* illa vox si proprie usurpetur, inferiorem indicat conditionem; qua de causa Athanasius oratione *contra Arianos* tertia, Hieronymus in prima *contra Rufinum Apologia*, Cyrillus Alexandrinus dialogo tertio *de Trinitate*, cum Ariani passim eam adhiberent, veluti hæreticam illam rejecere. At minus proprie de Filio Dei dici quid vetat? quatenus scilicet Dei Patris voluntatem ille executioni mandarit. Neque alio eam accepisse sensu Justinum multa sunt, quæ suadeant. Nam eo ipso loco probat Christum Deum esse Israelis Deum, qui Mosi dixerat: *Ego sum qui sum;* quæ quidem verba divinam omnino in Christo naturam paternæ æqualem exprimunt. Quare in epistola *ad Diognetum* ait n. 7: « Ipse .. omnipotens Deus... Verbum... inter homines locavit... non quemadmodum aliquis conjicere possit, misso hominibus ministro aliquo, sive angelo... sed ipso opifice, et creatore omnium... tanquam rex mittens Filium regem, misit tan-

1 *Gen.* XIX, 24.

quod non modo stylus ipse persuadere cuivis potest linguæ illius non omnino rudi; sed illud insuper, quod Bellarminum movit, ut de auctore Justino solummodo dubitaret; quod et « veteres ejus non meminerunt : et apertius et distinctius disserit de mysteriis Trinitatis, et Incarnationis, quam scriptores ejus sæculi facere soleant[1]. » Quod profecto verum est. Nam et de essentiæ, sive οὐσίας unitate, et de Hypostaseon trinitate, et de Filii generatione, processione vero sancti Spiritus ea diserte, ac subtiliter disputat, quæ neque ab antiquis cæteris, ante Nicænum concilium, usurpata esse constat; neque, nisi patefacto, illustratoque, post Arianam procellam, dogmate isto, scribi potuerunt. Præsertim cum, ut postea dicemus, vox *hypostasis*, non modo ante Nicænum concilium, sed ne ab ipsis quidem Nicænis Patribus aliter fere accepta sit, quam pro οὐσίᾳ, et *substantia*, rarissime vero pro persona, et proprietate διακριτικῇ, ac *numerum faciente*. Quare nemo doctus, ac prudens librum istum, qui alioqui elegans est, et eruditus, Justino tribuendum existimet. Quem tamen in causa Trinitariorum, adversus Servetum, et Gentilem, tanquam Justini germanum opus, magno cum strepitu intentabant Calvinus[2], et Bernentis ministellus[3] Aretius.

Cæterum, quod et ex veterum silentio, et nimis enucleata dogmatis explicatione præjudicium de falsa Justini inscriptione operi illi præfixa facit Bellarminus; non animadvertit, itidem et de Areopagita Dionysio posse fieri; cujus nec antiquiorum mentionem facit quispiam primis quinque, eoque amplius, sæculis; et de Trinitatis, Incarnationisque mysteriis multo, quam Ἔκθεσις illa Justini, disertius, expressiusque loquitur. Sed hæc obiter *. *Ecthesis.*

Item Athenagoræ

IV. Athenagoras philosophus Atheniensis æqualis fere Justini fuit. Scripsit enim apologiam pro Christianis ad M. Aurelium Antoninum, et L. Aurelium Commodum imperatores. In qua christianorum de sanctissima Trinitate, hoc est Patre, Filio, et Spiritu sancto, professionem exposuit, ac quid Filius esset, et qua ratione gigni a Patre diceretur, obscure significavit. Igitur, quod *athei* passim christiani nominabantur, non esse tales ostendit ex eo, quod unum Deum venerentur, « Ingenitum, et æternum, nec aspectabilem, patiendi expertem, qui neque comprehendi, neque capi loco possit, cum sola mente ac ratione comprehendatur, qui luce ac pulchritudine, et spiritu ac potentia circumfusus sit inexplicabili, a quo universitas est facta per Verbum ipsius, eademque digesta est, et

quam Deum. » Ex his porro personarum Patris, et Filii discrimen optime probabat Justinus; alia enim esse debet persona mittens, alia missa. Ad alterum consectarium quod attinet, non ea mens Justino fuit, ut Patrem non posse eum esse, qui visus fuerit, sed Filium patriarchis apparuisse assereret, quod natura sua invisibilis Pater esset, visibilis Filius; (id certe inter utrumque naturæ diversitatem significaret) : verum id unice adfirmare voluit S. martyr, Patrem Dei immensi, incircumscripti, invisibilis partes agere semper debuisse, quas scilicet partes illi Scripturæ tribuunt; nec mitti, aut angelum (quo nomine qui visus est, in iisdem Scripturis non semel donatur) esse potuisse. Hinc illud : « cavete, putetis, vel ipsum *ingenitum* Deum descendisse » etc., quibus verbis aperte causam indicat Justinus, cur Pater dici nequeat visus. Cæterum non minus, quam Pater sit, suapte natura Filium esse immensum, incircumscriptum, invisibilemque poteratne clarius Justinus, ac significantius docere? Hæc ejus verba sunt in *Parænetica ad Græcos oratione :* Oportuit namque, ut opinor, principem, et imperatorem Hebraicæ gentis futurum, primum omnium cognoscere existentem ipsum Deum. Quam ob causam primo huic apparens, *Quatenus quidem possibile erat homini Deum apparere*, ad eum dixit : Ego sum existens ille. » Audin? Deus qui Mosem e rubo ardenti allocutus est, non aliter apparuit, quam Deum deceret; hoc est, non de loco in locum transeundo, aut ita ut loci alicujus clauderetur angustiis, sed speciem visibilem, atque audibilem vocem efformando, sese Prophetæ sancto manifestavit; cæterum ipse natura invisibilis erat, ut qui *semper existens*, quemadmodum Pater. Sed ad omnem erroris suspicionem ab Justino hac in re amoliendam eum contendamus quæso cum magno illo Nicænæ fidei adversus Arianos assertore Hilario, qui in hanc sententiam scribit libro *de Trinitate* quinto : « Volens igitur lex, imo per legem Deus, personam paterni nominis intimare, Dei Filium, Angelum Dei locuta est, id est nuntium Dei; significationem enim officii testatur in nuntio : naturæ autem veritatem confirmavit in nomine, cum Deum dixit. Hic autem nunc dispensationis est ordo, non generis... Missi autem et mittentis significatio hic non aliud, quam Patrem et Filium docet : cæterum veritatem non adimit naturæ, neque in Filio perimit nativæ divinitatis proprietatem. » Sed de Justino satis. Confer præter Tournelium, Witassium, Simonnetum, aliosque theologos Maurinos in notis ad num. 127 *Dialogi cum Tryphone*, Natalem Alexandrum in *Hist. Eccles.* sæc. XI. diss. VI, n. 2. Bullum in *Defensione fideiNicænæ*, sect. IV. cap. III, § 5. Z.

* Nestoriani hominis fœtum expositionem hanc esse, plerique eruditiores hodie arbitrantur, etsi nonnulla inter eos de tempore, quo edita fuit, dissensio est. Nam Eutychiana quoque hæresi recentius id opus existimat Lequienius Dominicanus oppido doctus; Benedictini contra Justini editores in *Admonitione ad illud* ante scriptum existimant, quam Nestoriana hæresis erumperet ab homine, qui illam fovebat præformabatque. Plures tamen Justino libellum hunc ex veteribus tribuisse negari non potest, quos citat Fabricius *Bibl. Græcæ* T. V, pag. 58, atque hos inter Leontius Byzantinus, frustra repugnante J. Ernesto Grabio, *Spicil.* Tom. II, pag. 163. Z

1 Lib. *de Script. eccl.* — 2 Calv. in *Refut. error. Ser.* — 3 In *Histor. Valent. Gent.*

continetur [a]. » Mox, Deum hunc habere Filium asserit, qui sit « Verbum ipsius in idea, et efficientia. Nam ab ipso, et per ipsum omnia facta sunt; cum sit unum Pater, et Filius, ac Filius in Patre, et Pater in Filio sit unione, et potentia Spiritus, mens, et Verbum Dei Filius est Dei [b]. » Quanam porro ratione Filius appelletur, his verbis explicat : « Primigeniam esse Patris progeniem, non quasi facta sit; a principio quippe Deus, qui est æterna mens, habebat in seipso λόγον, id est *rationem*, cum æternum sit rationalis; sed ita, ut cum materia concreta omnia, informisque natura, atque terra instar vehiculi subjiciantur, in iisque crassiora levioribus admista sint, ad hoc. ut idea, et actus illorum esset, prodierit [c]. » Hæc Athenagoras, quæ sane haud satis diserte Filii naturam, et productionem explicant. Ac videtur putasse, *rationem* ipsam, hoc est λόγον, quo Pater ipse λογικὸς est, quam velut formam in illius essentia cogitamus, Filium esse Dei; quemadmodum nonnulli sapientiam ipsam, qua sapiens est Deus, aut Pater, eumdem esse Filium arbitrati sunt; quod Augustinus refellit in sexto *de Trinitate*, ut postea docebimus. Hunc igitur insitum Patri, et apud eum ex æterno manentem λόγον prodiisse dicit aliquando; ut idea, et actus esset infirmarum rerum; hoc est ut illas confusas, et tumultuarias perpoliret, ac digereret. Quem quidem *progressum*, et προέλευσιν si Filii ac Verbi productionem esse crediderit, sic, ut illa ipsa processione distincta primum ὑπόστασις exstiterit, cum antea in Patris essentia contineretur, quæ videtur illius opinio fuisse, neque coæternum Patri Verbum, ac λόγον existimavit; et a Sabelliano dogmate non multum illius abhorrebit oratio *.

Rationalis. *Hypostasis.*

V. Athenagoræ subjiciendus est Tatianus Justini martyris discipulus; cujus contra Græcos exstat liber, in quo de Patre, ac Filio, et hujus productione in hunc modum disputat.

Item Tatiani.

a Athenagor. in *Apol.* Ἕνα τὸν ἀγένητον, καὶ ἀΐδιον, καὶ ἀόρατον, καὶ ἀπαθῆ, καὶ ἀκατάληπτον, καὶ ἀχώρητον, νῷ μόνῳ, καὶ λόγῳ καταλαμβανόμενον, φωτὶ, καὶ κάλλει, καὶ πνεύματι καὶ δυνάμει ἀνεκδιηγήτῳ περιεχόμενον, ὑφ' οὗ γεγένηται τὸ πᾶν διὰ τοῦ αὐτοῦ λόγου, καὶ διακεκόσμηται, καὶ συγκρατεῖται.

b Ibid. Ἀλλ' ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ λόγος τοῦ Πατρὸς, ἐν ἰδέᾳ, καὶ ἐνεργείᾳ· πρὸς αὐτοῦ γὰρ, καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ· ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν Πατρὶ, καὶ Πατρὸς ἐν υἱῷ ἑνότητι, καὶ δυνάμει πνεύματος. νοῦς, καὶ λόγος τοῦ Πατρὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

c Ibid. Πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ Πατρὶ, οὐχ ὡς γενόμενον (ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς, νοῦς ἀΐδιος ὢν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὢν) ἀλλ' ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων ἀποίου φύσεως, καὶ γῆς, ὀχείας ὑποκειμένων δίκην μεμιγμένων τῶν παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα ἐπ' αὐτοῖς, ἰδέα, καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθών.

* Duo, uti vides, in Athenagora reprehendit Petavius, qui tamen reapse de Trinitate illum recte sensisse cap. III præfat. n. 3, fatetur. Alterum est, quod Verbum cum Patre usque ad mundi creationem confundere videatur; alterum, quod Verbum tunc productum fuisse indicet, quum mundus creatus est. Sed utraque criminatio facile diluitur. Nam ut de priore illa primum dicam, duo incommoda removet a Filii generatione Athenagoras. Ne quis sibi fingeret, Christianos de Filio Dei idem sentire, quod poetæ de filiis deorum; docet Filium Dei esse Verbum Patris in idea, et operatione, nihilque propterea illius generationem habere commune cum stultis gentilium de Divinitate commentis. Rursus ne videretur, hunc λόγον in divinis ideis veluti quamdam efficientiam et proprietatem reponere, explanat has voces *in idea*, et *operatione*, ac Dei Filium esse demonstrat « Verbum Patris in idea, et operatione, quia secundum ipsum, et per ipsum omnia creata sunt, » sive quia, ut paulo post ait, Verbum prodiit, « ut omnium idea, et effectio foret. » Quid autem est Verbum hujusmodi, quam Verbum, in quo mundi exemplar descriptum fuit, et per quod creatus fuit mundus? Docet ergo Athenagoras Filium nec modo corporeo genitum esse, quemadmodum filii erant Ethnicorum numinum, nec Patris esse efficientiam, seu proprietatem, sed veram, et genitori, cujus ideas omnes possideat, et in omnipotentia, et æternitate æqualem. Ad secundam criminationem progredior longe difficiliorem. Fratres Ballerinii in prolegomenis Zenonianis diss. XI, cap. I, § 5. statuunt, Filium esse Verbum Patris non solum quatenus nihil est, quod Pater in Filio non dixerit, quod ad essentiam spectet, ac attributa, aliasque notiones divinas, sed etiam quatenus in eo dicta a Patre sunt omnia, quæ creanda fuere. Porro etsi in æternitate nihil revera est prius posteriusve, pro nostræ tamen mentis intelligentia prius quiddam, et posterius concipiendum est. Prius enim, quam Pater creandas res in Filio diceret, quæ a tota Trinitate libero decreto constituta fuere, concipiendus est Pater genuisse Verbum, quod cum genuit, dixit omnia divina, ac divina omnia repræsentavit. Postea vero ut creandi orbis decretum ferretur, dixit Pater, quæ creari volebat; tum enimvero e paterno sinu in quo prius delitescebat nihil foris creandum repræsentante hactenus, ac dicente Patre, prodivit Verbum creanda dicens, atque respiciens, in quo omnia creanda repræsentabantur. Cum ergo Athenagoras, inquiunt iidem Ballerinii § 7, Filium λόγον in Patre ab æterno fuisse scribit, ut Pater esset rationalis, Filium utique accipit pro eo statu, in quo Pater se ipsum ac divina omnia in Filio cognovit; ac proinde λόγον *rationem* interpretatur, non *Verbum*, propterea quod hoc in statu Pater consideretur ut rationalis, seu cognoscens omnia, quæcumque Deum respiciunt : at ad res creandas quod attinet, nihil hactenus concipiatur. Cum porro eumdem Filium Athenagoras ad res creatas refert, *ideam* illam appellat, qua scilicet in Filio res creandæ præconceptæ, æternumque in Verbo dictæ fuere, vi cujus stato deinde tempore cum effectæ fuerint per Verbum, jure earum *efficientiam* ipsum Verbum appellat. Atque hæc quidem ingeniose excogitata, sed præter Athenagoræ mentem, cætero-

Rationem.

« Deus, inquit, erat in principio ; principium autem rationis esse potentiam accepimus. Etenim Dominus omnium, cum ipse totius esset universi substantia, quatenus nulla adhuc erat facta creatura, solus exstabat ; quatenus vero tota vis et potentia, ac tam eorum, quæ videri possunt, quam quæ videri nequeunt, substantia erat ipse, cum eo erant omnia. Nam cum ipso per rationalem vim λόγος ipse, qui in illo erat, produxit. Voluntate porro simplicitatis ipsius λόγος erupit; qui quidem non in vacuum emanans, primigenium opus Patris fuit[a].» Ibi Deum Patrem fuisse dicit in principio; quam *principii* vocem haud absolute, uti par est, et vulgo intelligitur, accepit, sed

Relative. σχετικῶς, qua videlicet originem rerum omnium, ac principium significat. Id enim de-

In principio. clarat, dum illud ipsum ἐν ἀρχῇ, quid esset, explicat, et ait esse λόγου δύναμιν, *vim rationis* ac *potentiam*, secundum quam omnia producere potest, et eorum est ὑπόστασις, hoc est illa sustentat, vel, ut ea sint, facit. Quamvis igitur, quæ a Deo producta sunt, et ὑφέστηκε nondum reipsa ex æterno constarent; erant tamen quodammodo cum illo, quatenus eorum propagandorum potentia, et ὑπόστασις erat. Hoc sensu, ἐν ἀρχῇ, *in principio* fuisse summum universorum Deum, ac Dominum asserit. Quare λόγου δύναμις, quam exprimit ἡ ἀρχὴ, non est *Verbi potentia*, ut vertit interpres *. Siquidem haud satis commode dixeris, Patrem in Verbi potentia fuisse, esse idem, atque in principio fuisse. Et perspicuum est, subinde Tatianum inter ea, quæ ex illo principio et λογικῇ δύναμει prodierunt, primo loco numerare *Rationalis potentia.*

Verbum. Quocirca Verbum, sive λόγος, ἐκ λογικῆς δυνάμεως, quæ erat in Patre, profluxit, et hujus voluntate prosiluit; ac primum omnium opus illius exstitit, a quo deinde fabricata sunt. Sane Theophilus libro primo *ad Autolycum*, Dei nomina et qualitates explicans, εἰ λόγον, inquit, εἴπω, ἀρχὴν αὐτὸν λέγω. *Si λόγον dixero, principatum ipsius dicam* **. Igitur Tatianus videtur existimasse, Verbum a Patre productum

a Tatianus. Θεὸς ἦ ἐν ἀρχῇ· τὴν δὲ ἀρχὴν λόγου δύναμιν παρειλήφαμεν. ὁ γὰρ δεσπότης τῶν ὅλων αὐτὸς ὑπάρχων τοῦ παντὸς ἡ ὑπόστασις, κατὰ μὲν τὴν μηδέπω γεγενημένην ποίησιν, μόνος ἦν· καθὸ δὲ πᾶσα δύναμις ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων αὐτὸς ὑπόστασις ἦν, σὺν αὐτῷ τὰ πάντα· σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως, αὐτὸς, καὶ ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε· θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ λόγος· ὁ δὲ λόγος οὐ κατὰ κενοῦ χωρήσας, ἔργον πρωτότοκον τοῦ πατρὸς γίνεται.

rumque Patrum, qui eadem cum Athenagora docuerunt. Athenagoras enim Verbum, quod ab æterno fuerat, « proiisse ait, cum materia concreta omnia, informisque natura atque terra instar vehiculi subjicerentur ; » agit igitur de temporaria quadam generatione, qua Verbum in ipsa orbis creatione prodierit, non de æterna, quatenus divinarum, imo et creatarum rerum Verbum est. Hinc Witassius multis probat, Athenagoram, Tatianum, Tertullianum, aliosque antiquiores non paucos duplicem Verbi divini statum admisisse, duplicemque processionem ; primam internam, qua ut Deus de Deo, Spiritus e Spiritu, utque Dei Verbum e Patre prodierit, atque illam æternam : alteram externam, sensibilem, certoque duntaxat tempore factam, qua ad opificium mundi e Patre foras progressum fuerit. Verum necesse non est, ut absurdam hanc, et certe a vulgari theologiæ nostræ ratione non mediocriter abhorrentem tot Patribus, iisque antiquissimis, atque apostolico ævo proximis tribuamus doctrinam. Rem acu tetigisse videtur mihi Bullus in *Defensione fidei Nicœnæ*, sect. II, cap. V, qui Athenagoræ mentem latiore stylo est persecutus. In pauca sententiam ego Bulli contraham, mentemque Athenagoræ aperiam. Ex mente

Logos ante progressionem. Athenagoræ ὁ λόγος ante προέλευσιν in eo tantum differt a τῷ λόγῳ, qualis post προέλευσιν fuit, quod ante προέλευσιν λόγος erat apud Patrem velut *quiescens* ; postmodum vero fuit λόγος ἐν ἐνεργείᾳ *Verbum operans*, ut idem prorsus sit in utroque statu ὁ λόγος, in eodemque Deo Patre semper

Progressio Verbi operatoria. manens. Itaque juxta Athenagoram προέλευσις ista τοῦ λόγου fuit tantum ἐνεργητική ; quod etiam aperte significat, cum ait prodiisse illum ἐνέργεια εἶναι, ut energia foret rerum creandarum. Hinc veteres nonnulli istam τοῦ λόγου προέλευσιν Filii Dei *revelationem*, atque *ostensionem* appellarunt, ipsumque exinde mundo veluti *visibilem* factum fuisse dixerunt; ut manifestum sit, intellexisse ipsos generationem figuratam, et μεταφορικῶς sic dictam, quam S. Athanasius, cui « præ cæteris Patribus exquisitam, et liquidam catholici de Trinitate dogmatis intelligentiam concessam fuisse divinitus » affirmat Petavius in præfat. hujus tomi c. V, n. 5, in oratione contra Arianos tertia *Verbi* appellat *ad creaturas condescensionem* : quem Athanasii locum idem Bullus sect. III, cap. IX, § 10, cum Athenagoræ verbis ingeniose contendit. Z.

* Errat hic Petavius. Nam ut cætera mittam, quæ in hanc rem congerit Bullus sect. II. cap. VI, § 3. λόγου *Verbi potentiam.* δύναμιν pro Verbi potentia non uno loco Tatianus usurpat, ut num. 7, et num. 18 Maurinæ editionis. Eadem præterea est Tatiano (quod non animadvertit Petavius) λόγου δύναμις, et ἡ ἀρχή. Z. *Verbi potentia et principium.*

** Luculentus tamen est sensus. Dixerat de Deo verbis proxime præcedentibus Tatianus, eum, qui nullus rei indigus sit, non tamquam egenum a nobis traduci debere. Id porro ulterius declarans addit, Deum ex æterno ante omnes res creatas, et absque illis sibi αὐτάρκη fuisse; non loco aut *Sufficientem.* domicilio aliquo caruisse, in quo habitaret; neque ipsi defuisse, quocum sese communicaret, aut in quo se ipsum quasi oblectaret; siquidem ex æterno in τῷ λόγῳ suo erat, et cum ipso versabatur. Quare Tatianum imitatus aiebat in libri *adversus Praxeam* capite quinto Tertullianus : « Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi et mundus, et locus, et omnia. Solus autem, quia nihil extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus ; habebat enim secum, quam habebat in semetipso rationem suam. » Sed et hoc voluit significare Tatianus, Deo ante conditum mundum, etiam ipsum quodammodo mundum præsentem fuisse ; cum ipsi revera præsens fuerit ὁ λόγος mundi principium, qui et

ex æterno non actu, et in seipso, sed tantummodo in λογικῇ δυνάμει, ac potestate fuisse *, quemadmodum in eadem erant et creata deinceps omnia. Porro quatenus in illa δυνάμει continebantur tam Verbum, quam quæ a Verbo deinde procreata sunt, cum summo ac principe Deo simul extitisse. Non igitur συναΐδιον, *coæternum* Patri putavit Filium, ac Verbum, sed creatum, ac voluntate sic, tanquam ab opifice productum, unde ἔργον appellatur **.

Rationali potentia.

Opus.

Pergit Tatianus, et logon ipsum sic a Patre prodiisse narrat, ut tamen logon ipsius, hoc est rationem, vel sermonem, aut sermocinandi facultatem non exhauserit; neque alogon eum reliquerit; sicut ex una face cum plures accenduntur, nihil de ejus, unde accenduntur, flamma perit.

« Ut homo, qui erranti comiter monstrat [viam, ait Ennius,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accende- [rit : »

Aut, cum audientibus multis unus loquitur, non propterea quod in illos sermo dimanat, inanis, unde sermo profectus est, iste relinquitur. Quocirca κατὰ μερισμὸν potius, quam κατὰ ἀποκοπὴν Verbum a Deo prodire censet; id est *participatione*, *non abscissione ;* μερισμὸν enim non *divisionem* puto significare, ut vertit Interpres. Non enim partitione ulla flammæ, altera fax accenditur, sed participatione, et communicatione ***.

VI. Vixit iisdem fere temporibus Theophilus Antiochenus episcopus, qui christianæ legis obtrectatores libris tribus confutavit, quos Autolyco inscripsit. Horum in secundo de Verbi generatione sic disputat, minime ut æternam eam faciat, sed temporariam. Etenim Deum asserit, « logon suum, quem intimum in visceribus suis haberet, genuisse cum sapientia sua, eructantem ante omnia. Quod quidem Verbum operum suorum administrum adhibuit, ac per ipsum universa molitus est. Hoc appellatur principium, quoniam principatum, ac dominatum habet in omnia, quæ per ipsum fabricata sunt. Hoc igitur, cum sit spiritus Dei, et principium, et sapientia, et virtus altissimi, labebatur in Prophetas[a], » etc. Λόγον ἐνδιάθετον hoc est *intimum, et inclusum in Dei visceribus* fuisse dicit, antequam gigneretur. Nondum ergo Filius dicebatur, sed idem erat ac Pater; nempe ipsa mens ejus, et sapientia, quam tum demum protulit, et quodammodo profudit, cum procreandæ rerum universitatis consilium cepit. Quod in sequentibus planius exponit. Nam, cum scripsisset, Deum in para-

Theophili Antiocheni.

[a] THEOPH. lib. II. Ἔχων οὖν ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἐξερευξάμενος πρὸ τῶν ὅλων. τοῦτον τὸν λόγον ἔσχεν ὑπουργὸν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένων. οὗτος λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει, καὶ κυριεύει πάντων τῶν δι' αὐτοῦ δεδημιουργημένων. οὗτος οὖν ὢν πνεῦμα θεοῦ, καὶ ἀρχὴ, καὶ σοφία, καὶ δύναμις ὑψίστου κατήρχετο εἰς τοὺς προφήτας.

idea est, et exemplar, sive ars divina, qua Pater universa, cum voluit, molitus est, quemadmodum vocem *principium* recte, et juxta mentem veterum alibi explicavit ipse Petavius. Z

* Minime vero; si enim Tatiano διὰ λογικῆς δυνάμεως sit non actu, sed potestate existere; dicendum est, existimasse Tatianum, ipsum quoque Deum Patrem ex æterno potestate tantum, non actu extitisse; siquidem de Deo Patre, et ejus τῷ λόγῳ pariter dicit, ipsos æterno διὰ λογικῆς δυνάμεως substitisse. Itaque λογικὴ δύναμις hic omnino exprimit *rationalem vim*, sive, ut ita loquar, *facultatem*, ut sensus Tatiani manifestus sit, quemadmodum in homine ex rationali ipsius potentia necessario profluit verbum ejus internum, et simul cum ipsa existit; ita per rationalem Dei vim, quæ æternum cum ipso fuit, cum ipso ex æternó substitit ὁ λόγος. Z

Per rationalem potentiam.

** Ἔργον dicit Tatianus τὸν λόγον non in se spectatum (eum enim ex æterno substitisse paulo ante dixerat), sed cum respectu ad προπήδησιν, quia prosiliit ex Patre non vera generatione, sed metaphorica ἐν ἐνεργείᾳ, quemadmodum dixisse Athenagoram vidimus. Primum ergo opus Dei Patris fuit emissio, seu manifestatio τοῦ λόγου, ut per ipsum deinceps hoc universum constitueret. Z

Progressionem. In efficientia.

*** Diurisculas esse hasce similitudines fatetur Bullus sub finem capitis VI. Dici tamen potest cum Maurinis S. Justini editoribus in hunc Tatiani locum exemplum facis de alia accensæ non idcirco adhibere Tatianum, imo et Justinum, quod Filium Dei tunc lumen de lumine esse cœpisse crediderint; sed in hoc tantum instituere comparationem, quod quemadmodum fax, ex qua aliæ accenduntur, minime imminuitur, ita Patris substantia, Filio ad creationem progrediente, minime divisa est, nec « Verbum progrediens ex Patris potentia genitorem Verbi expertem fecit. » At inquies: Si nativitas ac generatio, quam Verbo *progredienti* tribuit Tatianus, metaphorica est, quis locus esse potuit imminutionis suspicioni? Molesta hæc est pro Witassii sententia, quam supra exposuimus, objectio. At illud animadvertendum, metaphoricam quidem fuisse generationem istam ex mente veterum Patrum, veram tamen progressionem a Patre, qui quod interius dixerat ex æterno Verbum, idem tunc exterius protulit, per ipsum creans universa. Quamobrem ex illa Verbi exteriore transmissione suspicari quis poterat, Patris substantiam fuisse imminutam. Itaque Tatianus, ut huic suspicioni occurrat, similitudinibus illis utitur, quæ omnem ea de re dubitationem amoliuntur. Z

diso inambulasse, quæsivit, quanam ratione Deus ambulare dicatur, qui loco nullo coerceri potest. Cui sic respondet, « Deum quidem ipsum, ac patrem universorum comprehendi loco non posse, nec in eo deprehendi. Sed Verbum ipsius, per quod omnia molitus est, quæ est virtus ipsius, et sapientia, personam in se patris, et omnium Domini suscipiens, in Paradisum venit sub persona Dei, et cum Adamo collocutum est[a]. » Quod enim eodem capite secundo *Geneseos* legitur, Adamum « vocem audivissse inambulantis Dei, » id esse *logon* ipsum, qui sit Dei Filius[b]. Tum quomodo *logos* idem a Patre productus sit, ut ejus esset Filius, enarrare pergit. « Antequam ulla res, inquit, existeret, consiliarium habebat istum, qui est mens ipsius, et sapientia. Cum autem efficere voluit Deus, quæcumque deliberaverat, hunc *logon* genuit prolatitium, primogenitum omnis creaturæ, non ut verbo vacuus ipse fieret, sed ut verbum gigneret, et cum verbo suo perpetuo versaretur[c]. » Subjicit ista ex Evangelio Joannis: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* « Quibus, inquit, ostendit, in principio solum fuisse Deum, et in ipso Verbum. Postea dicit: *Et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Verbum itaque cum sit Deus, et ortum habeat ex Deo, quandocumque vult Pater universorum, mittit ipsum quemlibet ad locum; eoque veniens auditur, ac videtur ab illo missum, et in loco reperitur[d]*» Duplicem hic *logon* statuere videtur**; alterum ἐνδιάθετον, Patri ipsimet insitum, qui cum ipso, et in ipso ex æterno fuerit, et, ut opinor, ipsa Dei est essentia sive mens illius, et intelligentia, unde habet, ut *logicos* nominetur. Eademque est λογικὴ δύναμις, unde *logon* prodiisse Tatianus docuit. Alterum λόγον προφορικὸν *prolatitium* vocat, quem Deus Pater protulit administrum operum suorum, quem et quocumque voluerit allegat. Neque vero *prolatitium* eo sensu nominat, ut sit externa tantummodo productio, et significatio, quæ per rem aliquam creatam in tempore fit, quomodo Sabellius eamdem simplicissimam Dei naturam tunc appellari dicebat Filium, cum externo quopiam indicio, κατ' οἰκονομίαν, *demissionem* ac *subjectionem* exprimeret. Cum enim multiplex sit ista significatio, quæ per rem creatam editur, ac nova toties assumatur, quoties loquitur, aut facit aliquid Deus, non unam productionem, generationemque τοῦ λόγου, nec unicum ipsum, et singularem a Patre productum asseveraret Theophilus, sed plures, et infinitas istiusmodi γεννήσεις, et λόγους. Atqui unicum, præter ἐνδιάθετον illum et primogenitum, *logon* esse dicit a Patre genitum, et administrum operum suorum, qui sit ἀρχὴ, id est *principium*, sive potius *principatus* ipsius, idemque Spiritus, et sapientia***, et virtus

Rationalis potestas.

a Theoph. Ὁ μὲν θεὸς, καὶ πατὴρ τῶν ὅλων ἀχώρητός ἐστι, καὶ ἐν τόπῳ οὐχ εὑρίσκεται, οὐ γάρ ἐστι τόπος τῆς καταπαύσεως αὐτοῦ. ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα πεποίηκε, δύναμις ὢν, καὶ σοφία αὐτοῦ, ἀναλαμβάνων τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου τῶν ὅλων, οὗτος παρεγίνετο εἰς τὸν παράδεισον ἐκ προσώπου τοῦ θεοῦ, καὶ ὡμίλει τῷ Ἀδάμ.

b Ibid. Φωνὴ δὲ τί ἄλλο ἐστὶν, ἀλλ' ἢ ὁ λόγος ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅς ἐστι καὶ υἱὸς αὐτοῦ;

c Πρὸ γάρ τι γίνεσθαι, τοῦτον εἶχε σύμβουλον ἑαυτοῦ, νοῦν, καὶ φρόνησιν ὄντα. ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως, οὐ κενωθεὶς αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γεννήσας, καὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ διὰ παντὸς ὁμιλῶν.

d Ibid. Δεικνὺς, ὅτι ἐν πρώτοις ἦν ὁ θεὸς, μόνος, καὶ ἐν αὐτῷ ὁ λόγος. ἔπειτα λέγει, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο, οὐδὲ ἕν. θεὸς οὖν ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ θεοῦ πεφυκὼς ὁπότε ἂν βούληται ὁ πατὴρ τῶν ὅλων, πέμπει αὐτὸν εἴς τινα τόπον· ὃς παραγενόμενος καὶ ἀκούεται, καὶ ὁρᾶται, πεμπόμενος ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν τόπῳ εὑρίσκεται.

* In his locis, fateor, τῷ λόγῳ et Filio Dei generationem quamdam a Theophilo tribui, quæ creationem mundi paulo antecessit; at nonnisi metaphoricam, et ἐνεργετικήν, qualem ab Athenagora tributam vidimus. Eodem certe modo et sapientiam suam eructasse, sive protulisse dicit Deum Patrem, cum mundum conditurus esset; sapientiam, inquam; suam, seu Spiritum sanctum; neque enim, ut optime contra Petavium monent in hunc Theophili locum Maurini S. Justini editores, sapientia Theophilo hic est Verbum, sed Spiritus sanctus; quod paulo post et nos ostendemus. Igitur Filius, et Spiritus sanctus *copiosum illud, et inenarrabile ministerium* est, ut loquitur S. Irenæus lib. IV, c. I, quod Deo Patri semper præsto fuit non indigente ipso angelis, aliove *ministerio ad fabricationem eorum, quæ facta sunt*: hos igitur, quando voluit, emisit ἐν ἐνεργείᾳ ad constitutionem universi.

Operatoriam.

** Equidem non video, quid Petavio in mentem venerit, alium Theophilo esse τὸν λόγον, per quem Deus condidit universa, a Dei τῷ λόγῳ ἐνδιαθέτῳ; postquam enim Theophilus dixerat, Deum Patrem ex æterno habuisse in se τὸν λόγον sui consiliarium, e vestigio subjungit τοῦτον τὸν λόγον prolatum in rerum creatione: pronomen enim demonstrativum τοῦτον manifeste respicit ipsum illud λόγον, de quo antea locutus fuerat, perpetuo ἐνδιάθετον *insitum* in corde Dei.

Verbo insito. Logon. Hunc logon.

Hunc Verbum.

*** Spiritum multi alii Patres *Sapientiam* appellarunt, ut Irenæus lib. III, c. XXIV; lib. IV, c. VII, et c. XX cur idem non licuit Theophilo? Sed et illi familiare fuit *sapientiæ*

Altissimi, qui, ubicumque Patri libitum est, comparet, cum Pater ipse, ac Deus universorum videri nulla ratione queat. Igitur, *Insitum.* præter ἐνδιάθετον *logon*, quæ est ipsa mens Patris, et essentia, *logos* est alter, et unicus a Patre genitus, quem neque coæternum, neque *Consubstantialem.* ὁμοούσιον, sed minorem putavit Theophilus, velut ὑπουργὸν, et *ministrum*, qui id habet, ut sensibus, quando ita Pater voluerit, subjiciat sese, ac loco contineatur, quod quidem summus ille Deus, ac Pater non potest. Hinc illa Joannis, *In principio erat Verbum,* sic interpretatur, ut hæc, *et Verbum erat apud* *Insito Verbo.* *Deum*, de ἐνδιαθέτῳ λόγῳ capiat; hæc autem, *et Deus erat Verbum* de προφορικῷ, et genito, quo administro usus est Pater *. Quæ ut absurda, ita Justini, Athenagoræ, ac Tatiani doctrinæ consentanea sunt, et ex Platonico dogmate deprompta.

Eodem pertinet quod τριάδα *Trinitatem* longe aliter explicat, quam christiana fert professio [1]. Siquidem tres illos dies, qui in mundi ortu solis, ac lunæ procreationem antecesserunt, figuram ait extitisse τῆς τριάδος, nempe τοῦ θεοῦ, καὶ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ, *Dei, et Verbi ipsius, et ipsius sapientiæ*. Ibi mentio nulla *Spiritus*, quem cum logo confudisse *Spiritum Dei Sapientiam.* videtur**. Eumdem quippe *logon*, et πνεῦμα τοῦ θεοῦ, et vero σοφίαν appellasse, superius ostendimus.

Irenæi. VII. Irenæus libro IV, capite XVII, Deum Patrem negat opus habere angelorum ministerio ad ea, quæ vult, efficienda. « Ministrat enim ei ad omnia sua progenies, et figuratio sua, id est Filius, et Spiritus sanctus, Verbum, et sapientia, quibus serviunt, et subjecti sunt omnes Angeli. » In his verbis ὑπουργίαν, et *ministri functionem* Dei Filio tribuit. Quam et tertio in libro, capite octavo significat. Nam, cum illa tricesimi tertii *Psalmi* verba retulisset, *Quoniam ipse præcepit, et creata sunt, ipse dixit et facta sunt*; mox addit: « Cui ergo præcepit? Verbo scilicet, per quod, inquit, cœli firmati sunt. » Tum Spiritum sanctum *Sapientiam* nominare videtur, quemadmodum proxime citato loco Theophilus. Sed comiter *ministri* vox interpretanda est. Alioqui, cum Origenes Spiritum sanctum ministrum esse dixisset, Hieronymus Apologetico primo *contra Ruffinum*, hæreticum id esse scribit***. In iisdem Clementis Constitutionibus castigandum illud est quoque, quod ait, diaconum *Clementis Romani.* ad episcopum referre omnia debere, sicut Christus ad Patrem referebat [2] : « Quæcumque tamen potest, moderetur, inquit, per sese, accepta ab episcopo potestate, sicut Christus potestatem creandi, et providendi accepit a Patre [a]. » Poterat ante omnes illos, quorum hactenus memini, vetustatis unus nomine commemorari Clemens Romanus; siquidem germana essent, quæ illius inscripta nomine circumferuntur; sed non sunt. Hic igitur in *Constitutionibus apostolicis* ridiculum nescio *Constitutiones apostolicæ apocryphæ.* quid, et hæreticum de Trinitate posuit [3]. Nam episcopum in Ecclesia instar esse Dei Patris ait : diaconum itidem, ut Christum, qui Patri assistit, et in omnibus ministrat [4]. Quæ, si Christus, ut homo est consideretur, non improbe dicta videri possunt. Sed pestilens est, quod addit; « Diaconissam figuram habere

a Clem. Papa, lib. II. *Cons.* cap. XLIV. Ἀλλ' ὅσα δὲ δύναται, εὐθυνέτω δι' ἑαυτοῦ, λαβὼν παρὰ τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἐξουσίαν, ὡς ὁ κύριος παρὰ τοῦ πατρὸς τὸ δημιουργεῖν, τὸ προνοεῖν.

nomen Spiritui tribuere, ut lib. I, num. 7, ubi cum Deum dicat *per Verbum, et Sapientiam* condidisse universa, utique *Sapientiam* a Verbo distinguit. Quam illud clarissimum est in ham rem ex eodem, quo de agimus, secundo libro num. 15, testimonium. « Tres illi dies, inquit Theophilus, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis, Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiæ : » quo certe loco *Sapientiam* intellexerit Spiritum sanctum oportet, qui tres enumerare personas instituit. Z.

* Frustra hæc Petavius. Nam ut Johannes in utroque suæ *Logo.* orationis membro de eodem τῷ λόγῳ manifeste agit ; ita *Logo.* etiam Theophilus utrumque membrum de eodem λόγῳ interpretatur; hoc solum discrimine, quod verba illa, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* intelligat de τῷ λόγῳ ex æterno apud Patrem existente, et in Patre velut *quiescente* : illa vero, *Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt*, de eodem τῷ λόγῳ e Patre quasi ἐν ἐνεργείᾳ *In efficientia.* progrediente ad rerum creationem.

** Imo hinc animadvertere debuisset Petavius, Spiritum sanctum sapientiam a Theophilo dici; quæ enim quæso Trinitas esset, qualem tribus illis diebus denotari aiebat Theophilus, Pater, et Verbum Spiritu prætermisso ? Z.

*** Ministrum intelligo cum Simonneto, et Bullo non extraneum Patri, sed ὁμοούσιον, qualem ab Irenæo Filium admissum fuisse docent, ut alia mittam, ipsius Irenæi verba a Petavio Præf. cap. III, § 2. Quanquam et ipse hic locus, qui Petavio censura dignus visus est, Filium Patri æqualem satis ostendit; cur enim ait Irenæus, « non indigere Patrem angelis... ministrat enim ei ad omnia sua progenies » etc. ? Nempe ut innuat, non opus fuisse Deo inferiorum postestatum ministerio « ad fabricationem eorum, quæ facta sunt ; » quæ ergo *progenies* Patri ministravit, Patre inferior non est ; secus inferiore potestate Pater indiguisset. Z.

1 Theoph. — 2 Luc. II *Const.* cap. XLIV. — 3 Lib. II *Const.* cap. XLIV. — 4 Lib. II *Const.* cap. XLVI.

Spiritus sancti, quæ nihil sine diacono facere debeat, aut loqui; quemadmodum neque Paracletus a seipso aliquid loquitur, aut facit; sed Christum glorificans voluntatem illius expectat[a].» Quod quidem Macedonianum pus, ac venenum sapit. Ideo Cyrillus Alexandrinus, Spiritum sanctum ait, « non ministri more obsignare in nobis, quæ sunt Patris, et Filii, nec ministri partes obire[b]. » Photius de Clementis operibus agens, in *Constitutionibus*, asserit, quædam inesse Arianæ impietatis vestigia, quæ nonnisi violenter excusari possint[1]. Cujusmodi iste locus fuerit, quem adduximus; neque alius modo similem ad labem implicatus occurrit. Verum quanta in istis Constitutionibus ab interpolatoribus varietas inciderit, ad Epiphanium olim adnotavimus[2] *.

Ego Clemens Idem porro Photius testatur in libris *Recognitionis*, quorum initium est, Ἐγὼ Κλήμης, infinita esse hæretica, et absurda, quæ Arianismum redolent, ad injuriam Filii Dei pertinentia[c]. Quæ haud scio, an in vulgatis compareant. Et puto, aliam longe ista, quam habemus, editione depravatiorem vidisse Photium. Postremo Photius alibi, de epistolis Clementis ejusdem *ad Corinthios* loquens, suspectum hoc in priore esse dicit, quod, cum Jesum Christum pontificem et patronum nostrum appellasset, nullas alias voce divinitati ejus congruentiores, ac sublimiores addiderit. At in secunda Deum expresse nominari. Sed, si hoc satis esse credidit Photius, ad evitandam Arianæ hæresis suspicionem, Deum nominare Christum, multum falsus est. Nam Deum Ariani impigre nominabant Christum, etiam qui inter ipsos perditissimi erant, Anomœi; ut ex illa re neutram in partem præjudicium facere liceat.

CAPUT IV.

Clementis Alexandrini, Origenis, Dionysii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Methodii, Luciani martyris de Trinitate sententiæ declarantur. Origenem autem de ea præsertim haud recte sensisse.

I. Clemens Alexandrinus, vir eruditissimus, et in Græca, Platonicaque philosophia apprime versatus, christianum dogma de Verbo Dei, ac Filio, Platonis ad mentem accommodare statuit, sine erroris plerumque suspicione; ut cum in IV *Strom.* ideam, sive ἐννόημα τοῦ θεοῦ, *actionem Dei*, dici ait a Barbaris (ita christianos appellat) λόγον τοῦ θεοῦ, *Verbum Dei*[d]. In VII vero, logon eumdem μονογενῆ, et omnipotentis Patris gloriæ characterem vocat δεύτερον αἴτιον. Patrem ipsum πρῶτον αἴτιον; quæ primi, ac secundi principii vocabula ex Platonicorum opinione sumuntur. Clementis Alexandrini sententia declaratur. *Unigenitum* *Secundum principium. Primum principium.*

At in illo ipso septimo libro minus ex catholicorum regula de Filio ita scribit: « Perfectissima autem, et sanctissima, maximeque principalis, et maxime imperans, ac beneficentissima est natura Filii, quæ soli omnipotenti propinquissima est[d]. » Naturam ait Filii omnipotenti Deo citimam esse; quod Platonici, et Ariani dogmatis indolem sapit. Atqui non est proxima natura; sed eadem cum Patre Filii. Mox honorifice de eodem Filio sentiens, « Nunquam a sua, inquit, excedit specula Dei Filius; non divisus, non dissectus, non migrans e loco in locum, sed ubique semper existens, nec ullo modo circumscriptus, totus mens, totus lumen paternum, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens, potestate potestates perscrutans. Huic universa subjecta est militia angelorum, ac deorum,

a Clem. Ἡ διάκονος εἰς τύπον τοῦ ἁγίου πνεύματος τετιμήσθω ἡμῖν, μηδὲν ἄνευ τοῦ διακόνου πράττουσα, ἢ φθεγγομένη, ὡς οὐδὲ παράκλητος ἀφ' ἑαυτοῦ τι λαλεῖ, ἢ ποιεῖ· ἀλλὰ δοξάζων τὸν χριστὸν περιμένει τὸ ἐκείνου θέλημα.

b Cyril. Dial. III *de Trinit.* Οὐχ ὑπουργικῶς ἐνσημαίνοντος τὰ ἑκατέρου τυχὸν, καὶ τὴν διακονικὴν ἐν ἡμῖν ἀποπληροῦντος χρείαν.

c Phot. Μυρίων δὲ ἀτοπημάτων ἡ πραγματεία γέμει αὕτη, καὶ τῆς εἰς τὸν υἱὸν βλασφημίας κατὰ τὰν Ἀρείου δόξαν ἐστὶ, ἀνάπλεως.

d Clem. lib. VII *Strom.* Τελειοτάτη, καὶ ἁγιωτάτη, καὶ κυριωτάτη, καὶ ἡγεμονικωτάτη, καὶ βασιλικωτάτη, καὶ ἐνεργετικωτάτη ἡ υἱοῦ φύσις, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη.

* Confer de apostolocis hisce Constitutionibus Natalem Alexandrum, Cotelerium, Annatum, Mansium, T. I *Suppl. ad Conc. Veneto-Labbeana*, aliosque, præsertim vero eruditissimum P. Biner *Apparatus ad Jurisprudentiam* parte II, cap. IV, quæst. I, ubi ipsum nunc citat Petavii locum. Z.

1 Cod. 113. — 2 Ad hær. v:I. — 3 Cod. 126.

Verbo, inquam, paterno quod sanctam dispensationem suscepit, propter eum, qui subjecit [a]. » Videtur, Filium Dei diversæ a Patre esse naturæ putasse Clemens ; sed excellentis, et a supremo Deo, ac Patre proximæ, qui illi subjecta esse voluerit universa. Hinc eodem illo loco, paucis interjectis, ait, « Dominum omnium a nullo prohiberi posse, maxime cum boni, et omnipotentis Patris voluntati servit [b].» Nec alio retulerim quod in lib. IV *Strom.* inferiorem eatenus Patre Filium esse docet. « Quod ille sub demonstrationem non cadit, adeoque neque sub scientiam; Filius vero sapientia sit et scientia, et veritas, et quæcumque cognata sunt istis. Proinde demonstrationem habet, et uberiorem enarrationem [c]. »

At in *Protreptico* commodius eumdem « revera Deum nominat, et æqualem universorum Domino [d]. » Sic idem in *Pædagogo* recta, et fidei consentanea catholicæ tradit, eo ipso, quod Verbum unum ait esse cum Patre, et eamdem utrique bonitatem accommodat. « Nihil, inquit, odit Deus; sed neque Verbum. Unum quippe sunt ambo, videlicet Deus. Dixit enim, *In principio Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [e]. » Mox ei bonitatem adscribit, et appellat τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας συναγωνιστὴν γνήσιον, *humanitatis Dei sincerum adjutorem.* Tum in calce *Pædagogi*, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum esse definit. Rursus in eodem capite IX primi libri *Pædagogi* ait, « Universorum Deum unum esse solum, bonum, justum, opificem, Filium in Patre [f].» Quod summæ Christi divinitatis illustre testimonium est.

Et libro VII *Stromateon*, sub initium, Filium vocat « tempore, et initio carens principium ; ac primitias eorum quæ sunt [g]. »

Ejusdem Clementis opus aliud exstabat olim, quod hoc tempore intercidit, *Hypotyposeon*, in quibus Arianæ perfidiæ semina erant plurima, ut a Photio proditum est cod. 109, sed quæ Clementis ipsius germana minime videntur *.

II. De Origene ut ejus habent hodie scripta, longe aliter sentias, quam Epiphanius, Hieronymus, aliique veteres arbitrati sunt. Hi enim de Trinitate quædam adscribunt Origeni absurda prorsus, et impia, quæ in illius libris minime comparent, præsertim iis, quos de principiis inscripsit; in quibus omnis errorum illius officina constituitur. Hujus auctor varietatis Ruffinus interpres fuit; qui, ut illius invidiam minueret, complures ejus scriptis errores sustulit; ac pro iis catholica dogmata substituit, ut in præfatione testatur ipse, quam illius περὶ ἀρχῶν operi præfixit. Temere id quidem, imo flagitiose, non solum quia veterum interpolare libros, ac pro libito commutare, periculosi res exempli est, sed etiam quod nec errata illius emendavit omnia, et ea ipsa, quæ reliquit, non modo probare dissimulando, sed commendare insuper, cum auctorem ipsum laudaret, est visus. Quamobrem, quid de sanctissimæ Trinitatis mysterio existimavit Origenes, ex antiquorum potius testimonio Patrum, quam ex illius monumen-

Item Origenis.

De principiis.

a Clem. l. VII *Strom.* Οὐ γὰρ ἐξίσταταί ποτε τῆς αὐτοῦ περιωπῆς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, οὐ μεριζόμενος, οὐκ ἀποτεμνόμενος, οὐ μεταβαίνων ἐκ τόπου εἰς τόπον, πάντῃ δὲ ὢν πάντοτε, καὶ μηδαμῆ περιεχόμενος, ὅλος νοῦς, ὅλος φῶς πατρῷον, ὅλος ὀφθαλμὸς, πάντα ὁρῶν, πάντα ἀκούων, εἰδὼς πάντα, δυνάμει τὰς δυνάμεις ἐρευνῶν. τούτῳ πᾶσα ὑποτέτακται στρατιὰ ἀγγέλων τε καὶ θεῶν, τῷ λόγῳ τῷ πατρικῷ τὴν ἁγίαν οἰκονομίαν· ἀναδεδεγμένῳ διὰ τὸν ὑποτάξαντα.

b Ibid. Οὔθ' ὑφ' ἑτέρου κωλυθείη ποτ' ἂν ὁ πάντων κύριος, καὶ μάλιστα ἐξυπηρετῶν τῷ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ παντοκράτορος θελήματι πατρός.

c Ibid, lib. IV. Ὁ μὲν οὖν θεὸς ἀναπόδεικτος ὢν, οὐκ ἔστιν ἐπιστημονικός· ὁ δὲ υἱὸς σοφία τέ ἐστι, ἐπιστήμη, καὶ ἀλήθεια, καὶ ὅσα ἄλλα τούτῳ συγγενῆ, καὶ δὴ καὶ ἀπόδειξιν ἔχει, καὶ διέξοδον.

d Clem. *Protr.* Ὄντως θεὸς, καὶ ἐξισωθεὶς τῷ δεσπότῃ πάντων.

e Clem. I *Pæd.* cap. XIII. Οὐδὲν ἄρα μισεῖται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ· ἀλλ' οὐδὲ ὑπὸ τοῦ λόγου. ἓν γὰρ ἄμφω, ὁ θεὸς, ὅτι εἶπεν. Ἐν ἀρχῇ ὁ λόγος ἦν ἐν τῷ θεῷ, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

f Clem. Τῶν συμπάντων θεὸν ἕνα μόνον εἶναι ἀγαθὸν, δίκαιον, δημιουργὸν, υἱὸν ἐν πατρί.

g Clem. Alex. Τὴν ἄχρονον, ἄναρχον ἀρχήν τε καὶ ἀπαρχὴν τῶν ὄντων, τὸν υἱόν.

* Etiam Cl. Petrus Daniel Huetius *Origen.* lib. II, c. II, quæst. II, n. 10, « Filii substantiam a paterna ita secernere Clementem ait, ut inferiorem eam statuat. » Ruffinus tamen *de Adulteratione librorum Origenis* hæc de Clemente scripsit : «Clemens Alexandrinus... in omnibus pene libris suis Trinitatis gloriam, et æternitatem unam eamdemque designat. » Et pluribus quidem Clementis doctrinam a Petavianis castigationibus vindicant Witassius, Simonnetus, Natalis Alexander in *Hist. eccles.* sæc. II, dis. VIII, et Bullus sect. II, cap. VI. Sed necesse non est, in eo vindicando scriptore diutius immorari, cujus opera Gelasianum decretum recenset inter apocrypha, « non eo quidem in sensu, inquit sapientissimus pontifex Benedictus XIV, in litteris *De nova Martyrologii Romani editione*, num. 29, ut eorum publicam duntaxat lectionem, non etiam privatam interdicat : sed verius, quod opera illa erroribus sint adspersa. »

tis, vel assutis a Ruffino laciniis æstimare convenit.

Hieronymus in iis libris, quos de eo argumento scripsit, constanter asserit, Origenem pessime de Filii, ac Spiritus sancti divinitate sensisse. Etenim in epist. *ad Avitum* ait ipsum in libro primo περὶ ἀρχῶν asserere, « Christum Filium Dei non natum esse, sed factum : Deum Patrem per naturam invisibilem, a Filio non videri : Filium, qui sit imago invisibilis Patris, comparatum Patri, non esse veritatem; apud nos autem, qui omnipotentis non possumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri; ut majestas, ac magnitudo majoris quodammodo circumscripta sentiatur in Filio : Deum patrem esse lumen incomprehensibile : Christum collatione Patris splendorem esse perpetuum; qui apud nos pro imbecillitate nostra magnus esse videatur. Duarum statuarum, majoris et parvulæ, unius, quæ mundum impleat, et magnitudine sua quodammodo invisibilis sit, et alterius, quæ sub oculos cadat, ponit exemplum, priori Patrem, posteriori Filium comparans. Deum Patrem omnipotentem appellat bonum, et perfectæ bonitatis : Filium non esse bonum, sed auram quamdam, et imaginem bonitatis, ut non dicatur absolute bonus, sed cum additamento, pastor bonus, et cætera. Tertium dignitate, et honore post Patrem, et Filium, asserit Spiritum sanctum. De quo cum ignorare se dicat, utrum factus sit, an infectus, in posterioribus, quid de eo sentiret, expressit, nihil absque solo Deo patre infectum esse confirmans. Filium quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit; et Spiritum sanctum inferiorem Filio, in sanctis quibusque versari. Atque hoc ordine majorem Patri fortitudinem esse, quam Filii, et Spiritus sancti; et rursum majorem Filii fortitudinem esse, quam Spiritus sancti, et consequenter ipsius sancti Spiritus majorem esse virtutem cæteris, quæ sancta dicuntur. »

Rursus in quarto libro scripserat idem Origenes, Hieronymo referente, Filium non comprehendere Patrem; etsi Pater illum comprehendat; tum majorem esse Patrem Filio in omnibus, adeoque in cognitione, « Dum perfectius, et purius a semetipso cognoscitur, quam a Filio. »

III. Hæc sunt germani Platonici, et Ariana imbuti perfidia scriptoris de Trinitate dogmata; quæ in hodiernis libris *Periarchon* frustra requiras. Hæc enim Ruffinus omnia detruncavit, negans hæc Origenis esse, sed ab hæreticis illius intexta fuisse libris asserens. Sic enim in libri primi præfatione loquitur : « Sicubi ergo nos in libris ejus aliquid circa id invenimus, quod ab ipso in cæteris locis de pietate de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc, et alienum aut prætermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam. » Quod etiam in præfatione libri tertii repetit. Hoc autem Ruffini facinus cum catholicis omnibus merito detestatus est Hieronymus. Hac enim ratione factum est, ut omnigenis errorum portentis infamis scriptor a plerisque Latinorum pro catholico sit habitus, propter unicam illam cum Nicæna congruentem regula de Trinitate sententiam, quam ei Ruffinus affinxerat. Tum vero, cum alii quamplurimi iisdem in libris errores ab interpolatore isto relicti sint, qui se suspecta, et hæretica omnia abrasisse professus erat; iidem illi videlicet probati, et pro sinceris ipsius judicio sunt recepti; cujusmodi illa sunt, quæ de animarum ex aliis in alia corpora transitu, ac de resurrectione non iisdem cum corporibus, vel extinguendis postmodum et ipsis, futura, opere in illo tradita leguntur.

IV. Quibus adductus Hieronymus libros *Periarchon* in Latinum rursus e Græco quam fidelissime transtulit, sic, ut, nulla re addita, vel detracta, ipsissimas Origenis sententias, decretaque proponeret; quæ editio non sine magna jactura harum litterarum intercidit, ac sola Ruffiniana superest, quam nemo sine stomacho, ac tam stolidi interpretis odio potest legere. Sed sunt nonnulla tamen aliis in libris ab eodem Origene prodita, quæ minorem Patre esse Filium, haud obscure significant.

Tomo primo *in Joannem*, verba illa declarans, *In principio erat Verbum*, magno conatu magnas nugas effutiit, dum illud inquirit, an, et qua ratione principium sit Christus : ac docet, principium esse, « in quantum sapientia est, » et quidem a Deo creata, ut ex *Proverbiorum* octavo capite colligit; non autem « in quantum est vita, » aut cætera post sapientiam. Nam in Verbo, et Filio Dei proprietates multas, easque distinctas inesse putat : ut minime sit simplex, uti est Pater. Nam « Deus quidem, ait de Patre loquens, unum est et simplex. Servator autem noster propter multa; quandoquidem proposuit illum Deus propitiationem, et primitias omnis creaturæ, efficitur etiam multa. » Quod si quis de Filio Dei, propter assumptam car-

nem, dici ab illo sentiat, relegat, quæ proxime ante idem scripsit Origenes; tum sciet divinum ipsum Verbum et creatum a Deo, et multiplex, ac variis præditum qualitatibus ab eodem constitui. Nam et sapientiam in Christo factam, id est creatam, et vitam asserit. « Cum enim protulerit Joannes, ait, de Verbo loquens, *Quod factum est in ipso, vita erat*, ostendit factum fuisse vitam in Verbo. Neque vero Verbum hoc aliud est a Christo, Deus existens, et Verbum apud Patrem, per quod facta sunt omnia; neque vita alia est a Dei Filio, qui inquit, *Ego sum via, veritas, et vita* [1]. Unde non secus atque vita facta fuit in Verbo, sic Verbum erat in principio. » Ac postea illam ipsam sapientiam, quæ est Verbum, creatam esse dicit : « Dicendumque est, Deum, cum animatam sapientiam, ut ita loquar, creasset, illius curæ permisisse, ut ex figuris, et speciebus, quas ipsa habebat, opinor, subsistentiam, et plasmationem, et formas præberet entibus, et materiæ. » Rursus eumdem Dei Filium dicit « non esse principium, juxta omnia, quibus nominatur, » id est secundum omnes illius proprietates. « Qui enim fieri potest, ut sit principium, in quantum est vita, cum vita facta fuerit in Verbo, quod est ipsius vitæ principium? etc. Quod si diligenter examinemus omnia ipsius cognomina, solum, quia sit sapiens, principium est; ne principium quidem existens, in quantum est λόγος, id est Verbum, vel ratio; quandoquidem Verbum, vel ratio in principio erat. Adeo ut audacter ausit quis dicere, antiquiorem omnibus, quæ excogitantur, nominibus primogeniti omnis creaturæ sapientiam esse. » Hic Origenes fœde Joannis locum illum interpretans, Verbum Dei tum creatum, factumque demonstrat, tum multiplicibus ex proprietatibus contextum; quarum una prior cæteris, ac pollentior est. Quod etiam in tomo secundo, ad illa verba, *Omnia per ipsum facta sunt*, etc. manifeste docet. Quippe, et Spiritum ipsum sanctum per Christum fuisse factum affirmat, ut postea dicemus : et alia « omnia per sermonem Deum facta esse, præter ea, quæ considerantur in Christo; quia Pater fecerit ea in sapientia. Omnia enim, inquit, in sapientia fecisti, non per sapientiam fecisti. » Igitur in Filio Dei sapientiam, et vitam, et cætera inesse vult, quæ a solo Deo Patre facta sunt; facta, inquam, in sapientia, hoc est in Filio ipso, qui est sapientia; non per sapientiam, uti vulgo Hebraica ista locutio accipi solet, et vero debet, ut ad creatas res pertineat.

V. Præterea eodem in tomo secundo sub initium, indigne de Dei Filio sentit. Ait enim, quando in sacris libris ὁ Θεὸς cum articulo ponitur, Patrem intelligi, qui verus Deus est; cum autem sine articulo Θεὸς legitur, Dei Filium, ac cæteros, qui dii participatione quadam nominantur. Ac, ne quem offendat, inquit, « quia dixerimus, unum esse verum Deum, nempe Patrem, et præter Deum verum, multos factos deos participatione Dei, verentes gloriam ejus, qui omnem creaturam præcellit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo; » respondet sic : « Præter datam differentiam, per quam Deum λόγον diximus reliquis omnibus diis ministrum esse deitatis, etiam hæc differentia est apponenda. Ea enim ratio, quæ in singulis rationis capacibus inest, eamdem comparationem habet ad illam rationem, quæ in principio apud Deum est, et Deus est λόγος, quam habet Deus λόγος, id est ratio sine articulo, ad Deum cum articulo. Ut enim Pater αὐτόθεος, hoc est *per se Deus*, et verus Deus se habet ad imaginem, nempe Filium, et ad imagines imaginis, etc., sic hunc in modum se habet ipse λόγος, hoc est ipsa ratio, ad eam, quæ est in singulis, rationem. » Hac in tota disputatione, in qua stupor cum impietate certat, palmare illud est sacrilegium, quod et Filium Dei verum dici Deum non patitur, et inter factos deos numerat; ac Verbum, id est λόγον ita comparari cum creaturis affirmat, quemadmodum cum λόγῳ ipso summus ac verus Deus. Ut ab reliquarum creaturarum consortio nihil Dei Filium, præter excellentiam quamdam potiorem, vindicet; quæ fuit postea trita Arianorum usu nænia. Sic eodem in loco mox Origenes tres constituit eorum gradus, qui Deum colunt. « Deum, inquit, alii quidem Deum universorum habent; qui vero hos proxime sequuntur, in Christum Dei ipsius Filium defixi sunt. Tertii vero sunt, qui solem, lunam, omneque cœli ornamentum habentes, a Deo aberrant. » Poterit, qui in auctoris illius scripta diligentius intenderit, complura alia deprehendere Arianæ perfidiæ semina. Nos ad superiora unum, aut alterum alio ejusdem ex opere subjungemus. Libro sexto *contra Celsum* ait, « proximum mundi molitorem esse Filium Dei Verbum, qui velut suapte manu mundum

Deus.

Rationem Verbum.

[1] *Joan.* x.

fabricarit; Patrem vero Verbi, eo ipso, quod Filio suo, atque Verbo jusserit mundum facere, esse primarium opificem [a]. » Atque idem in libro quinto, verba illa *Deuteronomii* secundum septuaginta interpretum editionem enarrans, *Constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei* [1], post disjectos Babylonicæ turris architectos, et in varia loca dispersos, singulas, ait, nationes, pro linguarum diversitate præsidibus suis angelis attributas esse; quos ἄρχοντας, id est *principes* appellat; inter quos præstantiorem, ac valentiorem cæteris unum fuisse, cui genus Hebræorum est traditum. Hunc vero Jesum esse demonstrat non secus, atque Eusebius Cæsariensis; qui stertentis Origenis somnia ista cupide est amplexus, ut paulo post ostendam. De Origenis erroribus lege insuper Hieronymi librum contra errores Joannis Hierosolymitani.

VI. At ille ipse Origenes quædam de Trinitate recte scripsit interdum, nisi ab aliena manu hæc inserta sunt. Velut homilia VI in *Exodum*, « Nullus ergo in diis, ait, similis Domino; nullus enim invisibils, nullus incorporeus, nullus immutabilis, nullus sine initio, et sine fine, nullus creator omnium, nisi Pater cum Filio, et Spiritu sancto. » Et in præfatione ad tractatus in *Evangelium Joannis*, « Verbum cum Patre universorum Deum esse » dicit. Et ad ista verba, *In principio erat Verbum*, de Filii sempiterna generatione, ut par est, disserit. Etenim, quod in secundo *Psalmo* scriptum est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, sic enarrat: « Neque enim est vespera diei, neque mane, meo quidem judicio, sed tempus, ut ita dicam, simul se extendens cum illa ipsius ingenita, et sempiterna vita, ipsi dies est hodie, in qua genitus est Filius, sic non invento originis ipsius principio, sicut neque diei. » Hic enim nullum initium esse originis, sive productionis Filii docet, quem Pater hodie, id est in æternitate, et sine initio genuit. Sed hæc satis catholice dicta velut nebula quadam obscurat in iisdem commentariis; ubi Deum, ait, « cum animatam sapientiam, ut ita loquar, creasset, illius curæ permisisse, ut ex figuris, et speciebus, quas ipsa habebat, opinor, subsistentiam, et plasmationem, et formas præberet entibus, et materiæ. » Rursus in libro sexto *contra Celsum*, præclare Filium vocat ἀγένητον, id est *non factum*. « Non enim, ait, eum, qui factus non est, et naturæ omnis factæ primogenitum, pro dignitate scire quis potest, sicut ille, qui ipsum genuit, Pater [b]. »

Sed eximia sunt, imprimisque memoranda, quæ ex eodem Origene Athanasius refert in libro *de Decretis Nicœnæ synodi*: « Si est, inquit, imago Dei invisibilis, ipsa quoque invisibilis: equidem audacter hoc etiam adjecerim, cum sit idem similitudo Patris, non fuisse aliquando, cum non esset. Quandonam enim Deus, qui secundum Joannem lumen dicitur, Deus enim lumen est, splendorem propriæ gloriæ non habebat, ut audeat quispiam initium dare Filio, cum antea non esset? Ecquando vero illa hypostaseos Patris, quam nec effari, neque nominare, neque verbis eloqui possumus, imago; character ille Verbum, Patrem cognoscens non fuit? Animadvertat enim, si quis hoc dicere audeat, Erat aliquando, quando non erat Filius, illud etiam se esse dicturum, Sapientia aliquando non erat, et Verbum non erat, et vita non erat [c]. »

Hæc plane mirifica sunt; ac, si quis alius, quam Athanasius, fidem faceret talia ab Origene esse scripta, profecto ab catholicis quibusdam intexta fuisse libris Origenis, haud absurda foret suspicio. His enim prorsus argumentis utitur, quibus Arii dogma, et illam ejus impiam vocem, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, refellere solent antiqui Patres. *Erat quando non erat.*

VII. Cæterum Hieronymo de Origene assentitur Epiphanius; qui ideo in epistola *ad Joannem Hierosolymitanum*, quam in Latinum transtulit Hieronymus, Arii Patrem illum vocat; ac subinde verba ejus ex libro περὶ ἀρ-

a Orig. lib. VI *cont. Cels.* Τὸν μὲν προσεχῶς δημιουργὸν εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ λόγον, καὶ ὡσπερεὶ αὐτουργὸν τοῦ κόσμου. τὸν δὲ πατέρα τοῦ λόγου τῷ προστεταχέναι τῷ υἱῷ ἑαυτοῦ λόγῳ, ποιῆσαι τὸν κόσμον, εἶναι πρώτως δημιουργόν.

b Orig. Οὔτε γὰρ τὸν ἀγένητον, καὶ πάσης γενητῆς φύσεως πρωτότοκον κατὰ ἀξίαν εἰδέναι τις δύναται, ὡς ὁ γεννήσας αὐτὸν πατήρ.

c Athan. lib. *de Decret.* Εἰ ἔστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, ἀόρατος εἰκών· ἐγὼ δὲ τολμήσας, προσθείην ἂν ὅτι καὶ ὁμοιότης τυγχάνων τοῦ πατρὸς οὐκ ἔστιν ὅτε οὐκ ἦν. πότε γὰρ ὁ θεὸς ὁ κατὰ τὸν Ἰωάννην φῶς λεγόμενος· ὁ θεὸς γὰρ φῶς ἐστιν· ἀπαύγασμα οὐκ εἶχε τῆς ἰδίας δόξης, ἵνα τολμήσας τις ἀρχὴν δῷ εἶναι υἱοῦ πρότερον οὐκ ὄντος; πότε δὲ ἡ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀκατονομάστου, καὶ ἀφθέγκτου ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς εἰκὼν, ὁ χαρακτὴρ λόγος, ὁ γινώσκων τὸν πατέρα, οὐκ ἦν; κατανοείτω γὰρ ὁ τολμῶν καὶ λέγων, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱὸς, ὅτι ἐρεῖ καὶ τό· σοφία ποτὲ οὐκ ἦν, καὶ λόγος οὐκ ἦν, καὶ ζωὴ οὐκ ἦν.

1 Cap. XXXII.

χῶν refert, quibus « neque Filium videre posse Patrem, neque Spiritum sanctum videre posse Filium asserit. » Et in hæresi Origenis, cum ejus verba descripsisset ex commentario *ad Psalmum* primum, in iis illud reprehendit, *Genitum.* quod Filium Dei salvatorem nostrum γεννητὸν appellaret Deum. Quam vocem ambiguam, et ὁμώνυμον esse dicit. « Ac, si quidem, ait, ab alio quopiam vocabulum istud usurparetur, recto, ac sincero animo pronuntiatum esse, existimare possemus. Nunc, cum in aliis plerisque locis deprehendamus, unigenitum Deum a paterna divinitate, atque substantia ab eodem auctore segregari, nec non Spiritum sanctum; propterea γεννητὸν, hoc est *productum* Deum ideo dixisse illum apparet, quod creatum statueret [a]. »

Et in epitome hæreseon testatur, ab illo creaturas constitui Filium, et Spiritum sanctum. Quod etiam ex Epiphanio refert Augustinus; qui et defensores Origenis ait dicere, Origenem « Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius ejusdemque substantiæ docuisse. Sed qui ejus plura legerunt, addit, contradicunt. » Tum in fine : « Dicit præterea ipse Origenes, quod Filius Dei sanctis hominibus comparatus veritas sit, Patri collatus, mendacium; et quantum distant apostoli Christo, tantum Filius Patri. Unde nec orandus est Filius cum Patre; quia non est auctor indulgendarum petitionum, sed supplicator [1]. »

Non puto delirasse sic Origenem, ut Filium Dei ulla ratione *mendacium* esse dixerit; sed quosdam, qui hoc illius dogma refellerent, quod supra ex Hieronymo commemoravi, « Filium, si cum Patre comparetur, non esse veritatem, » argumentando ita conclusisse : ergo mendacium esse, si non sit veritas. De cujus ratiocinationis vi ac momento dicemus in secundo libro [2]. Nihilominus, quod ex Origene tam Hieronymus, quam Epiphanius et Augustinus afferunt, fit ex iis probabile, quæ in commentario *ad Joannem* idem scripsit Origenes. Theophilus item Alexandrinus in *Epistola prima Paschali* quædam de Filio Dei ab Origene commemorat impie irreligioseque dicta. Velut, « Filium Dei, id est Verbum, ejusque virtutem ad ea tantum, quæ rationabilia sunt, pervenire. » Item, « Sicut Pater, et Filius unum sunt, ita et animam, quam assumpsit Filius Dei, et ipsum Filium Dei unum esse. » Utcumque vero hæc habent, et quoquo sensu ab Origene dicta sunt, perspicue ex superioribus omnibus efficitur, pessime illum de sanctissimæ Trinitatis mysterio, deque Filii dignitate statuisse.

VIII. Neque audiendus est Lambertus Danæus, Genevensis alumnus Synagogæ, qui ad Augustini librum *de Hæresibus*, cap. XLIII adnotat, Origenem primum vocasse Filium Patri ὁμοούσιον; cujus rei testem citat Athanasium, *Consubstantialem.* et Socratem libro tertio capite septimo; sed neutrubi istud legitur. Nam Athanasius in lib. *de Decretis Nicænæ synodi*, ubi Origenis sententias duas contra Arianos refert, nihil, quod ad ὁμοούσιον pertineat, attingit, sed solam æternitatem Filii ex eo probat. Primus ergo locus ejusmodi est : « Si est imago Dei invisibilis, invisibilis est imago; ego vero ausim hoc addere, cum sit similitudo Patris, non fuisse aliquando, cum non fuerit. Nam quomodo Deus, qui secundum Joannem lumen dicitur (Deus enim, inquit, lumen est), propriæ gloriæ splendorem non habuit; ut quispiam initium Filii, qui antea non erat, audeat asserere? Quandonam autem erat ineffabilis illa, innominabilis et inenarrabilis hypostasis Patris imago, forma, Verbum, qui Patrem cognoscit? Animadvertat enim, qui audet dicere : Erat aliquando, cum non esset Filius, se illud etiam dicturum : Sapientia non erat aliquando, et Verbum non erat, et vita non erat [b]. » Nec dissimilis est locus alter, qui Sapientiam nunquam non fuisse cum Patre demonstrat; ne non esset, cui adgauderet Pa-

a Epiph. Hær. LXIV, num. 8. Καὶ εἰ μὲν ὑπὸ ἄλλου ἡ λέξις ἐλέγετο, ἦν εἰπεῖν, ὅτι κατὰ ὀρθὴν διάνοιαν καὶ τοῦτο εἴρηται. ὁπότε δὲ ἐν πολλοῖς τόποις εὕρομεν αὐτὸν τὸν μονογενῆ θεὸν απαλλοτριοῦντα τῆς τοῦ Πατρὸς θεότητός τε καὶ οὐσίας ὁμοῦ τε καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τούτου χάριν τὸ γενητὸν θεὸν εἰρηκέναι αὐτὸν, σαφές ἐστιν, ὅτι κτιστὸν ὁρίζεται.

b Orig. Εἰ ἔστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου ἀόρατος εἰκὼν, ἐγὼ δὲ τολμήσας προσθείην ἂν ὅτι καὶ ὁμοιότης τυγχάνων τοῦ πατρὸς οὐκ ἔστιν ὅτε οὐκ ἦν. πότε γὰρ ὁ θεὸς ὁ κατὰ τὸν Ἰωάννην φῶς λεγόμενος· ὁ θεὸς γὰρ φῶς ἐστιν. ἀπαύγασμα οὐκ εἶχε τῆς ἰδίας δόξης, ἵνα τολμήσας τις ἀρχὴν δῷ εἶναι υἱοῦ πρότερον οὐκ ὄντος; πότε δὲ ἡ τῆς ἀῤῥήτου, καὶ ἀκατονομάστου, καὶ ἀφθέγκτου ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς εἰκὼν, ὁ χαρακτὴρ, λόγος, ὁ γινώσκων τὸν πατέρα, οὐκ ἦν; κατανοείτω γὰρ ὁ τολμῶν, καὶ λέγων· ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱὸς, ὅτι ἐρεῖ καὶ τό· σοφία ποτὲ οὐκ ἦν, καὶ λόγος οὐκ ἦν, καὶ ζωὴ οὐκ ἦν.

Tom. VI lib. *de Hæres.* n. 43. — 2 Vide et l. V, cap. IX.

ter; quod de Sapientia testatur Salomon [1]. Hæc igitur adversus Arianos, ac sacrilegam Arii formulam valent illa quidem, quæ fuisse dicebat aliquando, cum non esset Filius; sed *Consubstantiale.* ad ὁμοούσιον affirmandum non sufficiunt. Nam et creaturas ex æterno fuisse cum Deo, censebat Origenes; quod alioqui neque creator, neque omnipotens, id est *omnitenens* fuisset ex æterno Pater, sed in tempore id illi accidisset; quod in primo *Periarchon* [2] hodieque significatum ab eo legitur, et apud Photium late Methodius ex eodem declarat, ac refellit.

Socrates porro in eo loco, quem Danæus *Consubstantiali.* nominat, de ὁμοουσίῳ nullam ex Origene mentionem facit. De hujus porro fautoribus et oppugnatoribus vide Photium in *Excerptis Gobari Tritheitæ* [3]; ubi defensores Origenis nominat Athanasium, a quo et Theognostus laudatus est; Titum Bostrensem, Gregorios ambos, Theologum, et Nyssenum, Dionysium Alexandrinum, adversarios vero Theophilum, et Epiphanium. Quod ad Athanasium spectat, quæ in Origene probata sunt ab eo, paulo ante commemoravi.

IX. Meminit et idem Photius codice 117 anonymi cujusdam, qui pro Origene apologiam edidit, quinque in libros partitam. In ea demonstrare studebat auctor iste Origenem de Trinitate recte ac catholice sensisse; verum, cum adversus Sabellii dogma, quod tum maxime se efferebat, vehementius disputaret, contrariam in partem ardore contentionis abreptum, quædam minus considerate jecisse, nonnulla etiam ab hæreticis illius inserta scriptis. De corruptis Origenis libris, vetus est querela fautorum ejus; quam Hieronymus diluit contra Ruffinum scribens. De Sabellio, quod anonymus iste narrat, non est verisimile. Nam posterior Origenis morte videtur hæresis ista, ut ex Eusebii historia [4], et Epiphanio liquet [5]. Verum quinta synodus sub Justiniano, anno Domini DLIII habita Constantinopoli, de Origene dubitationem omnem sustulit. Nam varios illius errores notavit, damnavitque, præsertim qui ad sanctissimæ Trinitatis mysterium attinent; quos ab illo vere profectos esse, non aliunde scriptis illius intextos, suo judicio comprobavit *.

X. Cæterum illa ipsa apud Photium de *Dionysii Alexandrini* Sabellio sumpta excusatio, ad Dionysii Alexandrini patrocinium a nonnullis probabilius adducitur. Quem quidem merito post Origenem ponimus. Vixit enim eodem, quo ille, sæculo, et illius auditor ac prædicator fuit. Hic vero de Filio Dei scripsit aliqua, quibus minorem eum esse Patre significavit, et Arianorum prælusit hæresi. Etenim « opus quoddam, et factitium dixit esse Dei Filium; neque porro natura proprium, sed peregrinum secundum substantiam esse a Patre; quemadmodum agricola comparatur ad vitem, et navis fabricator ad navem. Siquidem tanquam qui opus est, non erat, antequam fieret [a]. » Hæc, et hujus generis alia ex illius *contra Sabellium* libris ab Arianis deprompta, non diffitetur Athanasius in eo libro, quem de Dionysii sententia peculiarem scripsit. Sed eum excusat sic, ut κατὰ οἰκονομίαν, *accommodatione quadam* ista dixisse velit, nempe ut hæresi Sabellianæ resisteret, quæ unam omnino divinitatis hypostasim perinde ac naturam asserebat. Ob id Filii Dei diversam a Patre personam demonstrare studens, ea de Scripturis testimonia selegit, quæ ad assumptæ carnis imbecillitatem spectant; quæ sine controversia sic Filii propria sunt, ut a Patre censeantur aliena. Quin Dionysius ipse, postulatus eo nomine apud cognominem Dionysium Romanum Pontificem, sese ipse purgavit, et invidiosa illa verba commodum ad sensum revocare studuit, ac Filium Patri ὁμοούσιον *Consubstantialem. Coæternum.* appellavit, et συναΐδιον. Tum in epistola, quam sub exitum vitæ contra Paulum Samosatenum elucubravit, tum eadem illa de Filio profitetur, tum de Trinitate catholice loquitur. Ubi inter alias: « Non enim, inquit, creatum est Verbum Jesus Christus [b]. » Ac nonnulla insuper ejusdem loca sequenti libro tertio referemus; ex quibus appareat illum æmulorum obtrectatione ista prudentiorem redditum, sub vitæ tempus

a DION. ALEX. Ποίημα, καὶ γενητὸν εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, μήτε δὲ φύσει ἴδιον, ἀλλὰ ξένον κατὰ οὐσίαν εἶναι τοῦ πατρὸς, ὥσπερ ἐστὶν ὁ γεωργὸς πρὸς τὴν ἄμπελον, καὶ ὁ ναυπηγὸς πρὸς τὴν σκάφην. καὶ γὰρ ὡς ποίημα ὢν οὐκ ἦν πρὶν γένηται.

b DION. Οὐ γὰρ κτιστὸς ὁ λόγος Ἰησοῦς Χριστός.

* Longissimam pro Origene apologiam non contra Petavium modo, sed etiam contra illustrissimum Huetium adornarunt Halloix, Witassius, et Bullus, sect. XI, cap. IX. Simonnetus vero, qui totus est in vindicandis cæterorum veterum sententiis, tract. XI, *de Deo trino*, disp. III, artic. 3, §. 6, Origenem deserit, deque Verbi divinitate male illum sensisse fatetur, comprobatque. Hoc certum est, Socinianos non multum eo homine, qui ab œcumenica synodo damnatus sit, gloriari debere. Z.

1 *Prov.* VIII. — 2 Cap. II. — 3 Cod. 232. — 4 Euseb., lib. VII, cap. I et VI. — 5 Hær. LXII.

extremum, de tanto mysterio sensisse rectius, aut locutum certe fuisse. Nam Basilius epistola prima et quadragesima Dionysium illum in multis improbat, quod Anomœorum hæresim primus in humanum genus invexit : « Non omnia, inquit, illius hominis admiramur ; nonnulla vero prorsus etiam rejicimus. Propemodum enim istius, quæ nunc divulgatur, impietatis Anomœorum, quantum scimus, primus iste humano generi semina præbuit. Causam vero hujus rei non puto improbitatem animi fuisse, sed quod Sabellio vehementius obluctari cuperet [a]. » Addit ipsum non solum hypostaseon, sed etiam οὐσιῶν diversitatem adstruxisse, atque inferiorem potentiæ gradum, et gloriæ ; ὁμοούσιον alias repudiasse, alias admisisse ; Spiritum sanctum a divinitate segregasse, et in creatarum rerum ordinem retrusisse. Meminit illius de Dionysio Alexandrino dissensionis sanctorum Athanasii, et Basilii Photius in *Excerptis Gobari*. Et Facundus lib. X Athanasii pro illo sententias describit. Quinetiam episcopi illi sex, qui ad Paulum Samosatenum, antequam in ordinem redigeretur, epistolam miserunt, in ea quædam de Filio proponunt ab catholicæ regula fidei nonnihil abhorrentia. Ut cum Filium dicunt in mundo procreando « Paternam implesse voluntatem, eique, ut id faceret, præcepisse Patrem. » Unde et diversum a Patre Filium esse confirmant ; « quoniam, qui præcipit, alteri præcipiat necesse est [b]. » Addunt eumdem paternam implentem voluntatem patriarchis apparuisse ; et ob id ministerium Angeli nomen obtinuisse. Hunc enim dandæ legis ministrum fuisse, quem et *mediatorem Dei, atque hominum* vocat Apostolus [2]. De Dionysio Gennadius libro *de Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. IV : « Nihil, inquit, creatum, aut serviens in Trinitate credamus, ut vult Dionysius, fons Arrii *. »

Substantiarum.

Consubstantiale.

XI. Per idem illud tempus floruit Gregorius Neocæsariensis cognomento Thaumaturgus, Origenis discipulus, quem et ipsum suspectas nonnunquam de Trinitate sententias protulisse testatur Basilius epistola quarta et sexagesima, ubi illum excusat, quod non dogmatice, neque affirmando talia dixerit, sed vel disputantis, altercantisque more, vel ad eum, quocum certabat, gentilem hominem sese temperantem, accuratius expendere ista noluisse. Ex iis minus excusari possunt hæc, quæ Basilius ab illo posita scribit, quod Filium κτίσμα, ποίημα, hoc est *creaturam*, et *opus*, ac quædam alia nominaverit. Nam, quod primo loco proponit illius dictum ex fidei Expositione, quæ, ut puto, non exstat, et adversus Ælianum disputatione, id, si dextre interpretemur, nihil habet improbum. Est autem ejusmodi, « Patrem, et Filium ratione quidem, et cogitatione esse duo; unum autem hypostasi [c]. » Hæc, inquam, verba nihil continent ab catholica regula dissonum. Etenim, quod ἐπινοίᾳ differre Patrem a Filio dicit, idem a Maxentio in libro *contra Acephalos* scriptum est [3]. Eum alii Patres discrimen illud, quod ἐπινοίᾳ vocatur, laxius usurparunt, ut ea quoque comprehendat, quæ reipsa invicem distant ; ut suo loco demonstravi [4]. Ac sola cogitatione duo esse Patrem, et Filium, sic accipere licet, ut invicem, ac secundum substantiam non sint separati, neque numerum faciant. Quod autem ὑποστάσει unum esse definit, id si reprehendendum est, reprehendatur et Athanasius, aliique complures, qui etiam post Nicæni concilii tempus exstiterunt, tum cæteri omnes, qui ante Nicænum concilium vixere : de quibus libro hujus operis quarto **. At Basilius minus attente, ut ibidem planum fiet; qui ὑπόστασιν ibi pro persona usurpari censuit, ubi naturam, et substantiam significare debet. Cæterum *Ecthesis* illa fidei

Gregorii Thaumaturgi.

Cogitatione.

Cogitatione.

Hypostasi.

a BAS. Οὐ πάντα θαυμάζομεν τοῦ ἀνδρός· ἔστι δὲ ἃ καὶ παντελῶς διαγράφομεν, σχεδὸν γὰρ ταυτησὶ τῆς νῦν περιθρυλλουμένης ἀσεβείας, τῆς κατὰ τὸ ἀνόμοιον λέγω, οὗτός ἐστι, ὅσαγε ἡμεῖς ἴσμεν, ὁ πρῶτος ἀνθρώποις τὰ σπέρματα παρασχών. αἴτιον δὲ, οἶμαι, οὐ πονηρία γνώμης, ἀλλὰ τὸ σφόδρα βούλεσθαι ἀντιτείνειν τῷ Σαβελλίῳ.

b Epist. Episcop. *ad Paul. Sam.* Tom. I *Bibl. Græco-Lat.* Τοῦτον πιστεύομεν σὺν τῷ πατρὶ ἀεὶ ὄντα ἐκπεπληρωκέναι τὸ πατρικὸν βούλημα πρὸς τὴν κτίσιν τῶν ὅλων, etc., ὁ δὲ ἐντελλόμενος ἑτέρῳ ἐντέλλεταί τινι.

Ibid. Μεσίτην γὰρ ἄλλον οὐκ ἴσμεν θεοῦ, καὶ ἀνθρώπων ἢ τοῦτον.

c GREG. THAUM. Πατέρα, καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν.

* Iniquior Petavio in Dionysium Alexandrinum fuit Sandius, cujus cavillationes strenue refellit Bullus, sect. II, cap. XI. Confer etiam Baronium in notis *ad Martyrolog.* die 17 Novembris. Z.

** Aliter Basilii verba esse interpretanda contendit Bullus, sect. II, cap. XII, docere nimirum Basilium Sabellianos verba illa *Ecthesis* Gregorianæ, quæ auctor tantum ex hypothesi adversariorum inter disputandum protulerat, pro dogmate ipsius Gregorii accepisse : Sed vereor, ut ita Basilii verba possint intelligi. Z.

1 Cod. 232. — 2 *Gal.*, III. — 3 To. IV *Bibl. PP.* col. 461. — 4 Lib. I. *de Deo*, cap. VI.

longior, quæ sub Gregorii nomine a Turriano, et Vossio publice est edita, Gregorii non est *.

Methodii Martyris.

XII. Huic adjungendus est Methodius Martyr, qui contra Origenem scripsit. Cujus animadversione digna quædam est sententia, quam refert Photius [1] : « Duas, inquit, vires in iis, quæ ante confessa sunt, esse diximus effectrices ; unam, quæ ex non exstantibus nuda voluntate, sine cunctatione, simul ac voluit per seipsam, molitur, quidquid vult facere, eaque est Pater; alteram, quæ componit, et varietate quadam exornat ad prioris imitationem, quæ jam facta sunt, et est Filius, omnipotens, ac fortis manus Patris, in qua, postquam fecit materiam ex non exstantibus, exornat[a].» Hic non placet, δυνάμεις duas appellari ** Patrem, et Filium, cum ambo una sint virtus, et potentia; tum quod alteram virtutem, id est Patrem, sola voluntate αὐτουργεῖν ***, id est *per se moliri*, ac creare dicit ita, ut Filium excludat, quem ait ea, quæ jam sunt facta perpolire et exornare ****. Quod catholicæ fidei regula usurpari non sinit. Nihil enim Pater sine Filio, ac nisi per Filium efficit.

Virtutes.

Luciani martyris Antiochensis.

XIII. Fuit et Lucianus Antiochensis presbyter, vir sanctitate doctrinaque celebris; qui sub Galerio Maximiano gloriosum martyrium obiit Nicomediæ, anno CCCI. Hic de Filii divinitate, et æquali, vel una potius cum Patre substantia, haud satis recte ab nonnullis sensisse proditur, Origenis fortasse, aliorumque, quos commemoravi, veterum vestigia persecutus. Nam et Alexander Alexandriæ episcopus, qui primus Arium damnavit, et contra ejus hæresim classicum cecinit, in epistola ad cognominem Alexandrum Byzantii episcopum, docet Arianam perfidiam auctorem habuisse Paulum Samosatenum [2], « Quem Lucianus, inquit, excipiens, a tribus episcopis longo tempore mansit excommunicatus[b].» Quinetiam Arius ipse, ejusque fautores *Lucianistas* sese nominabant. Hinc Arius epistola *ad Eusebium Nicomediensem,* quam Epiphanius[3], ac Theodoretus [4] descripserunt, Eusebium vocat συλλουκιανιστήν. Et Marius Victorinus libro primo *contra Arium,* « Isti, inquit, Ariani, isti Lucianistæ, isti Eusebiani, isti Illyriciani; sed abjicientes aliqua, auferentes aliqua, et mutantes, omnes diversæ opinionis hæretici. »

Fautorem Lucianistarum.

Epiphanius quoque in *Ancorato*[5] Lucianum, et Lucianistas omnes Arianosque refelli ait ab Evangelio, quod Christo animam tribuit, qua hunc illi caruisse putant[c]. Quin idem, hæresi quadragesima tertia[6], Arianos illudere videtur, quod Lucianum inter martyres numerant, «Quem scilicet, inquit, Ariani inter martyres annumerant[d].» Ex quo falsum esse liquet, quod de Epiphanio et Luciano scribit impostor ille, qui Epiphanii vitam totam ex mendaciis nugisque contexuit; nimirum ab Luciano conversum esse ad christianam fidem Epiphanium, et una cum sancto Hilarione monasticam sub illo vitam professum. Nam, si id verum esset, de magistro suo non ita scriberet Epiphanius ; ut certam et exactam ætatis utriusque rationem prætermittam, quæ minime congruit *****.

a Method. Δύο δὲ δυνάμεις ἐν τοῖς προωμολογημένοις ἔφαμεν εἶναι ποιητικὰς, τὴν ἐξ οὐκ ὄντων γυμνῷ τῷ βουλήματι χωρὶς μελλησμοῦ, ἅμα τῷ θελῆσαι, αὐτουργοῦσαν ὃ βούλεται ποιεῖν· τυγχάνει δὲ ὁ πατήρ. Θατέραν δὲ κατακοσμοῦσαν, καὶ ποικίλλουσαν, κατὰ μίμησιν τῆς προτέρας, τὰ ἤδη γεγονότα· ἔστι δὲ ὁ υἱὸς, ἡ παντοδύναμος, καὶ κραταιὰ χεὶρ τοῦ πατρὸς, ἐν ᾗ μετὰ τὸ ποιῆσαι τὴν ὕλην ἐξ οὐκ ὄντων κατακοσμεῖ.

b Alex. Ὃν διαδεξάμενος Λουκιανὸς ἀποσυνάγωγος ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων πολυετεῖς χρόνους.

c Epiph. Ἔλυσε Λουκιανιστῶν τὸν τρόπον, καὶ Ἀρείου τὴν δύναμιν· Λουκιανὸς γὰρ, καὶ πάντες Λουκιανισταὶ ἀρνοῦνται τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ψυχὴν εἰληφέναι.

d Id. Hær. XLIII. Ὃν δῆθεν οἱ Ἀρειανοὶ ἐν μάρτυσιν ἐπιψηφίζονται.

* Vide Fabricium *Biblioth. Græcæ* tom. V. p. 251. Z.

** Duas appellat Methodius non *essentialiter*, ut aiunt, sed *personaliter*. Z.

*** Pater solus αὐτουργεῖν hoc est *a se ipso operari* dicitur, quia ut aiebat S. Gregorius Nazianzenus, orat. XXXVI, « rerum formas, (in Verbo,) imprimit Pater : exequitur autem Verbum non serviliter, nec imperite, sed scienter, et heriliter, et ut aptius loquar, paterne. » Vide Petavium ipsum lib. I *de Trinit.* cap. IV, §.6. Z.

**** Nequaquam Filium a creatione rerum excludit Methodius, quemadmodum Patrem non excludit ab earumdem jam creatarum exornatione; sed neque excludere poterat, qui Filium disertis verbis appellat omnipotentem Patris manum. Z.

***** Bullus, sect. II, cap. XIII, § 4 et seqq. post Baronium tum in *Martyrol.* tum in *Annal.* ad ann. CCCXI et CCCXVIII causam Luciani strenue agit. Huetius tamen *Origen.* lib. II, cap. III. §. 6, et Valesius in notis ad Theodoreti *Hist. Eccles.* lib. I, cap. IV, multis contendunt Lucianum de Verbo fuisse contra catholicam fidem opinatum. Atque horum graviora meo quidem judicio momenta sunt quam quæ proferunt Luciani adsertores. Nam quod Bullus ait, Alexandrum aut de alio Luciano locutum, aut plane deceptum fuisse ex mendaci fama, variisque, ut etiam suspicatur Witassius, Arianorum erroribus, ægre adducor, ut credam, accedentibus præsertim aliis veterum testimoniis, quæ Alexandro mirifice suffragantur. At quid argumentis imbecillius, quæ isti pro Luciano adferunt? Nituntur hi maxime

1 Cod. 235 — 2 Apud Theodoret. lib. I, c. IV. — 3 Hær. LXIX quæ est *Arii.* — 4 Lib. I *Hist.* c. V. — 5 Num. 33. — 6 Num. 1.

Sed neque verum illud est, quod in Annalibus legitur, Athanasium purgare ab illa suspicione voluisse Lucianum eo ipso, quod in *Synopsi* hunc enixe collaudavit. Nam *Synopsis* ista non est Athanasii *.

CAPUT V.

Quid Tertullianus et Lactantius de Trinitate senserint. Mira Zenonis Veronensis de eadem, et priscis illis consentanea sententia.

Tertullianus quid de Trinitate senserit.

I. Ut a Græcis transeamus ad Latinos, Tertullianus imprimis de Filio Dei, ac Verbo cum Justino paria profitetur; illum videlicet ideo Patribus antiquis apparuisse, quod Pater a nullo possit videri; in cujus nomine et auctoritate ipse erat Deus, qui videbatur Dei Filius. Lib. II *cont. Marc.* cap. XXVII. «Nam et profitemur, inquit, Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum patriarchis, et prophetis Filium Creatoris, sermonem ejus, quem ex semetipso proferendo Filium fecit, et exinde omni dispositioni suæ voluntatique præfecit, diminuens illum modico citra angelos, sicut apud eum scriptum est[1]; qua diminutione in hæc quoque dispositus est a Patre, quæ ut humana reprehenditis, ediscens jam inde a primordio, jam inde hominem quod erat futurus in fine. Ille est, qui descendit; ille, qui interrogat; ille, qui postulat; ille, qui jurat. Cæterum, Patrem nemini visum, etiam commune testabitur Evangelium, dicente Christo: *Nemo cognovit Patrem, nisi Filius*[2]. Ipse enim et Veteri Testamento pronuntiarat; *Deum nemo videbit, et vivet*[3]; Patrem invisibilem determinans, in cujus auctoritate, et nomine ipse erat Deus, qui videbatur Dei Filius.» Hic sermonem Dei factum esse Filium, ac rebus creatis omnibus esse præfectum asserit a Patre, qui sit invisibilis et incongressibilis, qualem utique negat esse Filium.

II. Verum in libro *contra Praxeam*, c. V et seq. manifestius opinionem explicat suam, quæ etiam Arianam hæresim impietate et absurditate superat. Hujus hæc est summa: Rationem, qui sensus et *logos* dicitur, ex æterno penes Deum fuisse, qui rationalis inde sit dictus; nondum tamen sermonem edidisse, quod Verbum dicitur, et ejus Filius, per quem universa condidit. Hunc enim, antequam produceret, « cum ipsa, et in ipsa ratione intra semetipsum habuisse, tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus; » adeo ut interior hic esset tantummodo sermo, sive sophia, uti *Proverb.* VIII nominatur. Sed nondum in se, ac per se subsistebat. Cum autem creare Deus hunc mundum voluit, tum hunc ipsum sermonem sophiamque protulit, et animavit, eique substantiam dedit, et ipsum Filium suum fecit. Quocirca sub ipsum rerum exordium, Verbum suum, sive sermonem produxit ex se Deus, ac secundam Trinitatis personam, eumdemque Filium condidit, quem hactenus in sola dispositione, ac cogitatione sua continebat. Quemadmodum enim creatæ res omnes in divina mente ex æterno constiterunt, ut in Dei sensu, ac dispositione facta jam essent, sed nondum in suis speciebus, atque substantiis cognoscebantur, et tenebantur, quod tum fieri cœpit, cum illæ procreatæ sunt; ita sermo divinus, ac sophia in Dei sensu ac dispositione, veluti præparatus ex omni æternitate, non prius substantiæ suæ proprietatem accepit, quam hanc rerum universitatem creare Deus insti-

Lucianæo symbolo ab Antiochenæ synodi episcopis invento, quod dempta voce ὁμοούσιος cætera cum Nicæna fide plane consentit, et Hilarius in libro *de Synodis* catholicum prædicat; addunt deinde Eusebio *Hist. Eccles.* lib. VIII, cap. XIII, Lucianum « per omnem vitam optimum Ecclesiæ Antiochenæ presbyterum » dici, Sozomeno vero *Hist. Eccles.* lib. III, cap. V: « Virum tum in cæteris probatissimum, tum maxime in sacris Litteris summe eruditum; » neque aliter sensisse Hieronymum. Verum Hieronymus nihil in libro *de Viris illustribus*, cap. LXXVII, de Luciano prædicat aliud, quam quod « vir disertissimus fuerit, et in Scripturarum studio laboraverit. » Eusebio autem Arianorum, qui se *Lucianistas* jactabant, partibus devotissimo quis credat? Arianorum nimirum erat Luciani sanctimoniam, auctoritatemque prædicare, ut ejus nomine abuterentur adversus catholicorum dogmata. Quamobrem Sozomeni quoque testimonium infirmius est, ut qui ab Eusebio decipi facile potuit, et ab illis præterea quo Lucianus floruit, temporibus valde remotus fuit. Symbolum porro illud etsi demus ab Arianis non fuisse confictum, de quo dubitare visus est Sozomenus, incertum est, quo anno editum a Luciano fuerit. Fortasse enim paulo antequam Nicomediæ martyrium subiret, priores revocavit errores. Quare ab illo perperam ducitur argumentum, ut errasse illum antea negemus. Cæterum recte illud a Ruinartio dictum in *Admonitione* in ejus martyrium, etsi revera aliquando non recte sensisset Lucianus, ipsum tamen in Ecclesiæ sinu vitam gloriosissimo martyrio finiisse.

* Quod miror non fuisse a Ruinartio animadversum in citata *Admonitione*, ubi Athanasium et ipse in *Synopsi* pro Luciano martyre testem appellat. Z.

1 *Heb.* I. — 2 *Matth.* XI, 27. — 3 *Exod.* XXXIII, 20.

tuit. Hoc caput est Tertullianeæ sententiæ, quam per partes illius verbis explicabimus.

Imprimis cap. v Patrem a Filio persona esse distinctum, ex quorumdam ratione confirmat, qui *Genesis* initio sic in Hebraico scriptum esse dicebant : *In principio Deus fecit sibi Filium*; sed ut id minime firmum sit, alia argumenta suppetere ait ex ea dispositione Dei, quæ Filii generationem antecessit : « Aiunt quidem, inquit, et Genesin in Hebraico ita incipere, *In principio Deus fecit sibi Filium.* Hoc ut firmum non sit, alia me argumenta deducunt ab ipsa Dei dispositione, qua fuit ante mundi constitutionem ad usque Filii generationem. Ante omnia enim Deus erat solus ; ipsi sibi et mundus, et locus, et omnia. » Mox Deum asserit ideo solum dici fuisse, « quia nihil aliud extrinsecus, præter illum, erat, » cum tamen *rationem suam* haberet in semetipso, id est *sensum suum,* ac *sermonem*, quem Græci *logon* appellant; quemadmodum homo, dum cogitat, antequam sermonem suum efferat ac producat, eum intus habet in animo veluti conlocutorem. Quod autem sermonem istum, quem intra se continebat, tum protulerit, cum universitatem hanc mundi fabricare constituit, his verbis ostendit : « Nam, ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione, et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit, sermonem habentem in se individuas suas rationes *Sophiam*, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata, atque disposita, imo et facta jam, quantum in Dei sensu. Hoc enim eis deerat, ut coram quoque in suis speciebus, atque substantiis cognoscerentur, et tenerentur. Tunc igitur etiam ipse sermo speciem et ornatum suum sumit, sonum et vocem, cum dixit Deus : *Fiat lux.* » Hac vero productione, sive pronuntiatione sermonis, qua res singulas in seipsis creavit Deus, alteram Trinitatis personam, hoc est Sermonem, sive Verbum, ac Dei Filium in se, et in substantia ipsius propria productum esse, non ex nihilo, sed ex ipsius Dei substantia, testatur cap. VII. « Hæc est, inquit, nativitas perfecta Sermonis (qua nimirum Sermonem ipsum in specie, ornatuque suo protulit, cum dixit, *Fiat lux*), dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum, in nomine *Sophiæ*[1]. *Dominus condidit me in initium viarum suarum;* dehinc generatus ad affectum : *Cum pararet cœlum aderam illi simul.* Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est; primogenitus, ut ante omnia genitus, et unigenitus, ut solus ex Deo genitus, proprie de vulva cordis ipsius. » In hunc ergo *Sermonem* ad creatas res moliendas de interiore Dei substantia profusum, hæc Scripturæ loca convenire putat, *Filius meus es tu, ego hodie genui te ;* et *Ante luciferum genui te*[2]; necnon, *Dominus condidit me initium viarum in opera sua : Ante omnes colles generavit me*[3]. Quod autem sermo prolatus, cujusmodi fuit iste, *Fiat lux*, et cæteri, nullam substantiæ proprietatem habeat, sed vox tantummodo sit, et sonus oris, negat idem, de sermone Dei cogitandum esse, ut asserebat Praxeas ; verum illum esse substantivum, ac propria persona præditum : « Non vis enim, inquit, eum substantivum habere in re per substantiæ proprietatem, ut res, et persona quædam videri possit, et ita capiat secundus a Deo constitutus duos efficere, Patrem et Filium, Deum et Sermonem. Quid est enim, dices, sermo, nisi vox et sonus oris et (sicut grammatici tradunt) aer offensus, intelligibilis auditu ; cæterum vacuum nescio quid, et inane, et incorporale ? » Hæc objiciebat Praxeas, ne, cum producturus omnia Deus sermonem suum edidit, ac locutus est *Fiat lux*, etc., putaret aliquis substantiam ac personam aliquam esse productam, ac proinde plures in Deo esse personas ostenderet. Quem contra Tertullianus disputat. « At ego, inquit, nihil dico de Deo inane et vacuum prodire potuisse, ut non de inani et vacuo prolatum ; nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit. Fecit enim et ipse, quæ facta sunt per illum. Quale est, ut nihil sit ipse, sine quo nihil factum est ; ut inanis solida, et vacuus plena, et incorporalis corporalia sit operatus ? » Mox ; « Vacua et inanis res est sermo Dei, qui Filius dictus est : qui ipse Deus cognominatus est, Et sermo erat apud Deum, et Deus erat sermo ? etc. Hic certe est *qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit esse se æqualem Deo*[4]. In qua effigie Dei ? utique in alia, non tamen in nulla. Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est ? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed et invisibilia illa quæcumque sunt, habent apud Deum et suum corpus, et suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt; quanto magis,

1 *Prov.* VIII. — 2 *Psal.* II et CIX. — 3 *Prov.* VIII. — 4 . *Philip.* II, 6.

quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit? Quæcumque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam; et illi nomen Filii vindico; et dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo. »

III. Hæc fuit igitur Tertulliani de Filio Dei, Verboque sententia ; tunc ipsum a Patre genitum, ac Filium esse factum, quando res omnes creatas e nihilo fabricatus est, ad idque sermone est usus ; quem tum ex sese protulit, ac veluti corporavit, hoc est propriam illi substantiam ac personam attribuit. Nam corpus pro substantia, sive soliditate, et hypostasi sumpsisse a plerisque creditur ; ne quis ex eo concludat Tertullianum asseverasse, Deum, aut Dei verbum esse corpus, quatenus ei, quod est spiritus, opponitur. Nam et « Spiritum sui generis esse corpus » ait ; hoc est hypostasim habere, ac per se subsistere, ut ab accidentibus, et iis maxime differat, quæ fugacia sunt, et continuo fluxu ac successione transeunt. Sic in libro *contra Hermog.* cap. XXV, non concedit esse aliquid incorporale, « cum ipsa substantia corpus sit rei cujusque. » Verbum itaque personam propriam habere, ac secundum a Patre esse cœpit eo momento, quo mundum hunc procreare Deus instituit.

Rursus cap. X et XI, quod Praxeas opponeret, Patrem qui sit omnipotens, se sibi Filium potuisse facere ; respondet Tertullianus, non esse consequens, id illum fecisse, quamvis potuerit facere ; verum ex Scriptura probandum, istud ipsum revera fecisse. « Probare autem, inquit, tam aperte debebis ex Scripturis, quam nos probamus, illum sibi Filium fecisse sermonem suum. » Capite vero XII, manifeste demonstrat, Filium, sive Sermonem, et Spiritum, secundam et tertiam Trinitatis personam, non ex æterno subsistentes cum Patre fuisse : « Sed et in antecedentibus operibus mundi quomodo scriptum est? *Primum quidem nondum Filio apparente, et dixit Deus; Fiat lux, et facta est ipse statim sermo lux vera, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum*[1], *et per illum mundialis quoque lux. Exinde autem in sermone Christo assistente et administrante, Deus voluit fieri, et Deus fecit.* » Ac paulo ante, capite eodem, cum dixit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*[2], idcirco plurali usum esse numero dicit, « quia jam adhærebat illi Filius secunda persona, Sermo ipsius, et tertia Spiritus in Sermone. » Jam, inquit, adhærebat, quia tunc productæ sunt ambæ illæ personæ, quando mundum fabricare instituit. Idem Tertullianus libro *contra Praxeam*, cap. XII, Patrem dicit his verbis : *Faciamus*, et *nostram*, et *nobis*, Filium, et Spiritum alloqui, « velut cum ministris, et arbitris ex unitate Trinitatis loquentem. » Ubi *ministri* vox, etsi non satis castigata sit, quod ad sensum attinet, intelligi sic debet, ut duos illos vim, ac δύναμιν, et ἐνέργειαν Patris esse significet, de quo alibi dixi[3]. Qua ratione excusari potest Irenæus, qui Filium ὑπουργεῖν, id est *ministrare* Patri scripsit. At idem Tertullianus præclare in libro *de Pudicitia*, cap. XXI, « Trinitas, inquit, unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » *Virtutem et efficientiam*

IV. Idem cap. XIV, Patrem naturam invisibilem facit, Filium autem visibilem. Nam inde personarum duarum differentiam colligit, quod alias Deum videri, Scriptura testetur, alias neget videri posse; quorum illud in Filium competit, hoc in Patrem : « Jam ergo alius erit, inquit, qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri, qui videbatur, et consequens erit, ut invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majestatis, invisibilem vero Filium agnoscamus pro modulo derivationis. Sicut nec solem nobis contemplari licet, quantum ad ipsam substantiæ summam, quæ est in cœlis, radium autem ejus toleramus oculis, pro temperatura portionis, quæ in terra inde porrigitur. » Quibus verbis Filium multo inferiorem Patre constituit, etiam ante Incarnationem ; quasi portio tantum sit non plenitudo ipsa substantiæ, quemadmodum et IX capite dixit : « Pater, inquit, tota substantia est ; Filius vero derivatio totius, et portio, sicut ipse profitetur, *Quia Pater major me est*[4], » etc.

Præterea in libro *contra Hermogenem* non minus falsa, imo etiam absurdiora contra æternitatem Filii, et æqualitatem adstruit. Capite tertio Deum asserit fuisse quidem ex æterno, ac semper Deum ; non tamen fuisse Patrem. « Quia et Pater Deus est, et judex Deus est, non tamen ideo Pater, et judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum et delictum, et Filius non fuit, quod judicem, et qui Patrem Dominum faceret. Sic et Dominus non ante ea, quorum Dominus existeret, sed Dominus tantum futurus quandoque, sicut Pater per

1 *Joan.* I. — 2 *Gen.* I. — 3 Tom. I, lib. V, cap. VIII et IX. — 4 *Joan.* XIV, 28.

Filium, sicut judex per delictum; ita et Dominus per ea, quæ sibi servitura fecisset. » Cap. XVIII, *de Sophia*, id est Sermone, vel Filio: « Denique, ut necessariam sensit ad opera mundi, statim eam condit, et generat in semetipso. *Dominus*, inquit, *condidit me in initium viarum suarum in opera sua*[1], etc. Agnoscat ergo Hermogenes, idcirco etiam Sophiam Dei natam et conditam prædicari, ne quid innatum, et inconditum, præter solum Deum, crederemus. » Subinde vero, materiam non esse Deo coæternam, argumentatur ex eo, quod, si Sophia, et Sermo Dei, qui est ejus Filius, ex ipso, et in ipso natus, sine initio non fuit, multo minus materia, quæ extra Deum est, sine initio esse potuerit, alioqui Filio præter Patrem aliquid esset antiquius: « Si enim intra Dominum, quod ex ipso, et in ipso fuit, sine initio non fuit, Sophia scilicet ipsius exinde nata et condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari, multo magis non capit, sine initio quidquam fuisse, quod extra Dominum fuerit. Si vero Sophia eadem Dei sermo est sensu Sophia, et sine quo factum est nihil, sicut et dispositum sine Sophia, quale est, ut Filio Dei sermone unigenito, et primogenito aliquid fuerit præter Patrem antiquius, et hoc utique generosius, nedum quod innatum nato fortius, et quod infectum facto validius? quia quod, ut esset, nullius eguit auctoris, multo sublimius erit eo, quod ut esset aliquem habuit auctorem. » Hinc evidens est, Patrem antiquiorem poni Filio, et fortiorem, validiorem ac sublimiorem, quatenus Pater innatus est, et infectus; Filius natus, et factus, ut diserte docet cap. XXXII.

At idem nonnulla spargit interdum de hoc mysterio, quæ apprime catholica videntur; velut eamdem esse Patris ac Filii substantiam, et divinitatem. Sic in libro *de Pudicitia*, « Trinitatem vocat unius divinitatis, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum[2]. » Et in *Apologetico*: « Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiæ. Nam et Deus spiritus[3]. » Et in tertio libro *contra Marcionem*, « Christum ait, et Spiritum, et substantiam esse creatoris, et eos, qui Patrem non agnoverint, nec Filium agnoscere potuisse, per ejusdem substantiæ conditionem[4]. » Rursus in libro *contra Praxeam*, « Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius esse docet substantiæ, et unius status, et unius potestatis[5]. » Et «Filium non aliunde deducere se ait, sed de substantia Patris[6]. » Hæc, et si qua sunt ejusdemmodi, non statim persuadere debent, Tertullianum eamdem numero in tribus substantiam, ac perfectam divinitatem posuisse; sed ut in Patre plena, atque tota; in cæteris portio quædam insit illius. Quemadmodum, cum homo hominem gignit, non totam pater in genitum substantiam derivat; sed ejus portionem; neque numero eamdem, quam habet, naturam, et essentiam. Itaque Deum Patrem, ut supra memoravi, longe antequam Filium produceret, exstitisse putat, et hunc tamen ὁμοούσιον, hoc est eadem substantia præditum; uti filius, tametsi tempore sit patre homine posterior, eamdem cum illo naturam obtinet. Hanc esse Tertulliani mentem, quæ supra posui, illius loca confirmant. In *Apologetico*, postquam docuit, Filium Dei « ex unitate substantiæ dictum, » rem ita declarat: «Etiam, cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa. Sed sol erit in radio; quia solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de spiritu spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum, manet integra et indefecta materiæ matrix, etsi plures inde traduces qualitatis mutueris. Ita et quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo[7]. » Et in tertio *adversus Marcionem*, Patri ac Filio ejusdem quidem tribuit *substantiæ conditionem*; sed mox addit: « Cujus si plenitudo intellecta non est, multo magis portio, certe qua plenitudinis consors[8]. » Et *contra Praxeam*, « Pater tota substantia est; Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur[9]: *Quia Pater major me est*[10]. » Repetantur et alia paulo ante descripta, in quibus Tertullianus totam substantiam in Patre, et portionem in Filio non sic intelligit, quomodo theologi nostri, cum dicunt, « Patrem plenitudinem divinitatis possidere in primo signo originis; » ut benigne magis, quam vere Pamelius interpretatur[11]. Sed ita plane, ut longe minor sit Filius adeo, ut propterea invisibilis sit *pro modulo derivationis*, cum sit Pater invisibilis, ait capite decimo quarto *adversus Praxeam*[12]. Sane Athanasius, plenitudinem divinitatis in Patre esse dicit, ut sit etiam in

1 *Prov.* VIII. — 2 Cap. XXI. — 3 Cap. XXI. — 4 Cap. VI. — 5 Cap. II. — 6 Cap. IV. — 7 Cap. XXI. — 8 Cap. VI. — 9 Cap. IX. — 10 *Joan.* XIV. — 11 In *Parad. Tertul.* — 12 Lib. VIII *con. Gregal. Sabel.*

Filio; quod Apostolus diserte asserit[1], quia « plenus e pleno natus est Filius, » ut ait Ambrosius. Sic et Victorinus in primo *contra Arium*, tam Patrem, quam Filium ait esse plenitudinem; quod ad mentem Tertulliani minime convenit. Quocirca, uti radius a sole derivatus, ac fonte ipso luminis, etsi eodem lumine constat, et substantia, ideoque dici potest ὁμοούσιος, multo est tamen minor, et inferior, et aspectui nostro tolerabilis est, cum ad solis intuitum oculorum nostrorum acies hebetetur; sic Deum Patrem, tanquam immensum, et incircumscriptum lumen, majusque adeo, quam ut cerni possit, Tertullianus contemplatus est; Filium vero sic, quasi portionem quamdam lucis istius quam proinde oculorum nostrorum imbecillitas capere posset[2]. Qua in opinione veteres, ut jam ostensum est capite superiori, nonnulli fuerunt. De Spiritu vero sancto, quemadmodum perperam existimavit idem, postea demonstrabimus.

V. Et hoc de Tertulliani sententia judicium nostrum adjuvat eorum ratio, qui Deum ab illo corporeum esse creditum volunt. Nam corporum natura collatationem, et contractionem ejusmodi recipit. Quæ res alibi disceptabitur. Quod vero ad æternitatem attinet Verbi, palam est ex iis locis, quos supra descripsimus, Tertullianum minime illam agnovisse; ac frustra niti Pamelium, ut errori manifesto colorem obducat, quasi perinde fuisse tempus dixerit, cum non esset Filius; ac sanctus Hilarius « solum Patrem æternum esse scripsit; Filium autem illi coæternum esse. » Hoc enim recto, et catholico sensu potest usurpari, si solum Patrem intelligamus fontem et principium æternitatis esse; illud Tertulliani nulla specie, vel fuco potest obtegi, quod Filium tunc a Patre productum asserit, cum mundum fabricare institueret, tanquam hactenus potestate, non actu ipso Pater esset Deus, quæ fuit Arianorum nefanda hæresis, cujus hac ex parte Cyrillus meminit in secundo dialogo. « Erat enim, inquiebant illi, potestate Pater Deus. Proinde nuda consideratione, ac sola apparenti specie capi animo poterat Filius, antequam gigneretur; postea vero genitus est[a]. » Postremo, quod Tertullianus « modulo alterum numerum, gradu, non statu » in Deo factum ait, et « a matrice non recessisse, sed excessisse[3], » eodem pertinet. Nam modulum vocat τρόπον τῆς ὑπάρξεως, ut Græci loquuntur, certum modum, quo derivatus a Patre Filius existit; uti radius emissus a sole extra ipsum extenditur ita, ut idem sit status, hoc est οὐσία, vel ὑπόστασις, ut tum loquebantur, luminis; gradus vero diversus, id est persona. Sic in libro *adversus Praxeam*[4], « tres esse scribit, non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie. » Ubi forma est *personalis proprietas*, ut et species, quæ communem naturam modificat, ad seque trahit. Invenio tamen apud eumdem Tertullianum recte illud et catholice dictum, minorem non esse Patre Filium: « Omnia, inquit in quarto *contra Marcionem*, c. XXV, sibi tradita dicit a Patre. Credam, si Creatoris est Christus, cujus omnia; quia non minori se tradidit omnia Filio Creator, quæ per eum condidit, per sermonem suum scilicet*. »

VI. De Tertulliano satis multa. Novatianus hunc sequitur; etsi falso id ei libro nomen tribuitur, qui *de Trinitate* est, et inter opera Tertulliani legitur. Cujus quicumque est auctor, de hoc mysterio non satis accurate est locutus, imo absurde pleraque tradidit. Primum in decimo septimo capite, locum illum tractans Apostoli : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, æqualem se Deo esse*[5], etc., hæc scribit: « Quamvis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre, et hoc ipsum, quod est, habere se, quia Pater dedisset. Inde denique et ante carnis assumptionem, sed et post assumptionem corporis, post

Necnon Novatianus.

a CYRIL. Ἦν γὰρ ἀεὶ δυνάμει πατὴρ ὁ θεός. ψιλῇ δὲ οὖν ἄρα θεωρίᾳ ληπτὸς, καὶ μόνῃ τοῦ εἶναι δοκήσει, πρὸ τῆς γεννήσεως ὁ θεός. γεγέννηται δὲ μετὰ τοῦτο.

* Natalis Alexander, Nourrius tom. II *Appar. ad Biblioth. Max. SS. PP.*, diss. IV in Tertull., cap. VIII; Ballerinii in Prolegomenis Zenonianæ editionis diss. II, cap. I, §. 7; Witassius, ac latissime Simonnetus in citata disp. III, artic. 3, §. 8, et Bullus sect. II, cap. VII, et sect. III, cap. X, Tertullianum omni studio defendunt. Hos consulat lector. Ego, ut in simili argumento aiebat Hieronymus *advers. Helvidium* cap. IX, « de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse. » Certe ejus hæresis « scriptis probabilibus detraxit auctoritatem, » ut Hilarius loquitur can. 5 *in Matth.* Z.

1 *Col.* II, 9. — 2 Lib. I *de Fide*, cap. V. — 3 *Apol.* cap. XXI. — 4 Cap. II. — 5 *Phil.* II.

ipsam præterearesurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitit pariter, ac præstat. Ex quo probatur nunquam arbitratum illum esse rapinam quamdam divinitatem, ut æquaret se Patri Deo ; quinimo contra, omni ipsius imperio, et voluntati obediens, atque subjectus, etiam, ut formam se servi susciperet, contentus fuit. »

Capite secundo et vicesimo, verba illa *Joannis* decimo : *Ego et Pater unum sumus*, Ariano pene more declarat : « Unum autem, quod ait, ad concordiam, inquit, et eamdem sententiam, et ad ipsam charitatis societatem pertinet, ut merito unum sit Pater, et Filius per concordiam, et per amorem, et per dilectionem. »

At in XXVI et XXVII capitibus, tum Deum Patrem Deo Filio præcepisse dicit, ut mundi partes singulas fabricaret, « Deo, inquit, præcipiente ut homo fiat, Deus refertur esse, qui hominem facit ; » tum Deum « Patrem immensum, atque sine fine, non qui loco cludatur, sed qui omnem locum cludat ; nec eum, qui in loco sit, sed potius in quo omnis locus sit, omnia continentem, et cuncta complexum ; ut merito nec descendat, nec ascendat, quoniam ipse omnia et continet, et implet. » Quocirca non Patrem ipsum esse, qui a Mose passim descendisse dicitur, sed Dei Filium, ac Verbum, cum et invisibilis alioqui sit Pater. « Ex quo intelligi potest, ait idem, quod non Pater visus sit, qui nunquam visus est, sed Filius, qui et descendere solitus est, et videri, quia descenderit. » Quæ sunt iis consentanea, quæ ex Justino supra memoravi. Rursus primo et tricesimo capite de Patre loquens, « Ex quo, quando ipse voluit, inquit, sermo Filius natus est. » Et, « Hic ergo, quando Pater voluit, processit ex Patre ; et qui in Patre fuit, processit ex Patre ; et qui in Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre postmodum fuit, quia ex Patre processit. » Quo in loco illud indicat, Filium hactenus in Patre fuisse ; et cum mundum creare vellet Pater, ex se Filium protulisse ; qui tum demum ex Patre processit, et cum Patre fuit, ac secundam personam effecit, ut mox loquitur. Cujusmodi aliquid et Tertullianum aliosque ante scripsisse meminimus, et Lactantium, Victorinum ac cæteros paulo post audiemus. Quasi in Evangelio Joannis verba illa , *In principio erat Verbum* , de illo nescio quo statu Filii et Patre accipienda sint, in quo nondum ab hoc ille distinctus erat, neque productus ab ipso. Redeo ad sextum et vicesimum caput ; quo in capite longa oratione disserit, quemadmodum in Veteri Testamento is, qui apparuisse, et cum hominibus usum sermonis, et consuetudinem habuisse legitur Deus, non Pater fuerit ipse, sed ejus Filius, ac Verbum. His enim verbis illic utitur : « Imago est enim invisibilis Dei ; ut mediocritas, et fragilitas conditionis humanæ, Deum Patrem videre aliquando jam tunc adsuesceret in imagine Dei, hoc est in Filio Dei. Gradatim enim, et per incrementa fragilitas humana nutriri debuit, per imaginem ad istam gloriam, ut Deum Patrem videret aliquando. Periculosa sunt enim, quæ magna sunt, si repentina sunt. » Addit eodem spectantia nonnulla. In quibus omnibus quædam Arianæ perfidiæ velitationes, ac præludia cernuntur ; ac Patre haud paulo Filius inferior ostenditur maxime capite XXXI, sub libri finem : ubi Filium, etiam quà Deus est, Patri obedientem, et subjectum facit. « Cujus sic divinitas traditur, inquit, ut non aut dissonantia, aut inæqualitate divinitatis duos deos reddidisse videatur. Subjectis enim ei, quasi Filio, omnibus rebus a Patre, dum ipse cum his, quæ illi subjecta sunt, Patri suo subjicitur, Patris quidem sui Filius probatur, cæterorum autem et Dominus, et Deus esse reperitur *. »

VII. Lactantius a Tertulliani opinione non discrepat **, ac de Filio Dei prorsus indigne, absurdeque statuit. Primum libro secundo, capite octavo Deum ait, « Cum esset ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum so- Item Lactantius.

* Novatianus videtur eadem quæ Tertullianus, de Trinitate sensisse : præterea obscurus auctor est, incertique nominis, ut de illo laborandum admodum non sit. Tandem cum legitima Trinitatis fides ex aliis ejus sententiis elluceat, ut in Præfat. demonstratum fuit a Petavio cap. V, facilius æquiusque postulamus, ut difficiliora hæc obscurioraque loca ad eum modum explicentur, quo Athenagoræ, aliorumque veterum testimonia sumus antea interpretati. Confer Bullum, sect. III, cap. VIII. Z.

** De Lactantio hæc paucis habe ; neque illum esse, cujus admodum auctoritate moveamur ; rhetor enim fuit, non theologus, atque in aliis etiam christianis dogmatibus minus caute locutus ; neque ejus opera incorrupta ad nos pervenisse, sed ab imperitis amanuensibus misere depravata, ut ex Sixto Betuleio monet Bullus sect. III, cap. X, et nos exemplo mox confirmabimus ; multa præterea hic a Petavio objecta loca eodem fere modo explanari posse, quem in Athenagoræ mente interpretanda iniimus, quemadmodum et Ballerinii faciunt, etsi nostra Athenagoræ aliorumque antiquorum explicatio a violenta illa eorum interpretatione plurimum discrepat. Z.

lertissimus, antequam ordiretur hoc opus mundi, ut ab eo bono, tanquam rivus oriretur, longeque proflueret, produxisse similem sui spiritum, qui esset virtutibus Dei Patris præditus. » Tum, « Exorsus igitur Deus fabricam mundi, illum primum, et maximum Filium præfecit operi universo, eoque simul et consiliatore usus est, et artifice in excogitandis, ornandis, perficiendisque rebus. » Rursus in quarto libro, cap. VI : « Deus, inquit, machinator constitutorque rerum, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum et incorruptibilem spiritum genuit, quem Filium nuncuparet. Et, quamvis alios postea innumerabiles per ipsum creavisset, quos angelos dicimus, hunc tamen solum primogenitum divini nominis appellatione dignatus est, patria videlicet virtute ac majestate pollentem. » Capite item octavo explicat, qua ratione procreatus fuerit, et cum voce, ac sono ex ore Dei processisse scribit : in quo ab angelis distat, qui ex Deo taciti spiritus exierunt. Hoc ridiculum, neque dignum theologo commentum his verbis explicat : « Quomodo igitur procreavit? Primum nec sciri a quoquam possunt; nec narrari opera divina. Sed tamen sanctæ Litteræ docent, in quibus cautum est, illum Dei Filium, Dei esse sermonem, itemque cæteros angelos Dei spiritus esse. Nam sermo est spiritus cum voce aliquid significante prolatus. Sed tamen, quoniam spiritus, et sermo diversis partibus proferuntur, siquidem spiritus naribus, ore sermo procedit, magna inter hunc Dei Filium, et cæteros angelos differentia est. Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt, quia non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad ministerium creabantur. Ille vero, cum sit et ipse spiritus, tamen cum voce, ac sono ex Dei ore processit, sicut verbum, ea scilicet ratione, quia voce ejus ad populum fuerat usurus; id est, quod ille magister futurus esset doctrinæ Dei, et cœlestis arcani ad homines perferendi, quod ipsum primo locutus est, ut per eum ipse ad nos loqueretur, et ille vocem Dei, ac voluntatem nobis revelaret. Merito igitur sermo, et verbum Dei dicitur, quia Deus procedentem de ore suo vocalem spiritum, quem non utero, sed mente conceperat, inexcogitabili quadam majestatis suæ virtute ac potentia, in effigiem, quæ proprio sensu ac sapientia vigeat, comprehendit, et alios item spiritus in angelos figuravit. » Mox vero, « Nostræ voces, inquit, licet auræ misceantur, atque evanescant, tamen plerumque permanent litteris comprehensæ; quanto magis Dei vocem credendum est et manere in æternum, et sensu ac virtute comitari, quam de Deo Patre, tanquam rivus de fonte traduxerit. Quod si quis miratur, ex Deo Deum prolatione vocis ac spiritus potuisse generari, si sanas voces prophetarum cognoverit, desinet profecto mirari. » Illud vero recte Lactantius, quod libro quarto, capite XIV Christum appellat « Deum Judæorum. Quis non igitur captos mentibus tum fuisse Judæos arbitretur, inquit, qui, cum hæc legerent, et audirent, nefandas manus Deo suo intulerunt? » Ita enim consequens est, verum illum, ac summum haberi Deum. Illud apud eumdem dextre capiendum in illo ipso capite, cum Filium missum esse dicit a Patre, ut hominum mentes a stultitia ad sapientiam traduceret. « Ille vero exhibuit Deo fidem, inquit. Docuit enim, quod unus Deus sit, eumque solum coli oportere; nec unquam se ipsum Deum dixit, quia non servasset fidem, si missus, ut deos tolleret, et unum assereret, induceret alium, præter unum. Hoc erat non de uno Deo facere præconium, nec ejus, qui miserat; sed suum proprium negotium gerere, ac se ab eo, quem illustratum venerat, separare*. »

VIII. Igitur nonnullis veterum illa de divinitate, ac personarum in ea diversitate insederat opinio, unum esse summum, ingenitum, neque aspectabilem Deum, id est *Verbum*, vel *Sermonem*, quem ἐνδιάθετον, *intus inclusum* tenebat, ex sese foras produxerit, vocalem et sonantem; nec tamen vocis instar, sonique transeuntem ac dissipabilem, sed ejusmodi, ut velut corporatus, ac subsistens cætera deinceps efficeret. Tum autem a supremo Deo,

* In Betuleii, Genevensi, et aliis Lactantii editionibus lib. II, cap. IX, hæc prope initium leguntur : « De matre natus est, qui ante jam fuit; de Patre, qui aliquando non fuit. » Petavius hæc a Lactantio aliena videtur existimasse, cum ea silentio prætererit, quæ certe Arianorum blasphemiæ cæteris ab ipso prolatis sententiis proximiora esse nemo non intelligit. Et vero qui ista scribere Lactantius potuisset, qui ante illa verba Filium a Patre genitum dixerat *coæternum*? Sed pericope illa in octo omnino Vaticanis codicibus; in editione vero Romana ann. 1475, aliaque vetusta, imo et in codicibus aliquot manuscriptis (Gallicanos duos memorat Lengletius recentissimus Lactantii editor, Forojuliensem unum P. de Rubeis in libro *de Rebus Congregationis sub titulo S. Jacobi Salomonii in Provincia S. Dominici Venetiarum erecta*) legitur : « De matre natus est, qui ante eam fuit; de Patre, qui aliquando non defuit. » Z.

ac Patre productum esse dixerunt, cum hanc rerum universitatem moliri statuit, ut illum velut administrum adhiberet. Quam sententiam alii clarius, obscurius alii significant; sed isti fere Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus et Lactantius. Tam ii vero, quam alii, ut Origenes, ævo, dignitate ac potentia superiorem esse Verbo Patrem arbitrati sunt; ac, tametsi de Patris esse substantia sive natura Filium assererent, quam una re ab cæteris, quæ creaturæ propriæ vocantur, illius conditionem diversam faciebant : non minus tamen, quam creaturas, initium habuisse, hoc est minime ex æterno distinctam hypostasim fuisse putarunt? Ac de antiquioribus quidem istis minus est mirandum, sic eos de divini Verbi productione sensisse. Zenonem Veronensem episcopum satis admirari nequeo, qui sermone tertio*, de æterna Filii generatione, eadem cum priscis illis existimasse videtur : « Principium, fratres, inquit, Dominus noster incontanter est Christus; quem ante omnia sæcula Pater, adhuc utcumque in semetipso Deus, beatæ perpetuitatis indiscreta spiritus plenitudine, nescio qua sua conscientia velatum Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur. Sed excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus, incomprehensibilisque sapientia e regione cordis eructat verbum, omnipotentia se propagat. De Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri, etc. Quomodo autem generatus sit, qui processit, dementis est opinari. Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas sustinere. Cum imperat Pater orbem fieri, opus cum dicto completur a Filio. » Hic Zeno Verbum Dei ex omni æternitate in Patris sinu, et essentia, velut indiscretum et affixum hæsisse latuisseque demonstrat : postea vero, cum designatam a se rerum universitatem moliri vellet, eum ipsum ex sese propagasse ac genuisse dicit, atque hanc primam e duabus esse nativitatem, quam in sequentibus sermonibus exponit. Idipsum et antecedentibus duobus sermonibus aperit, qui de æterna Filii Dei generatione inscripti sunt. Nam in primo, paululum immutatis verbis, postquam principium dixit esse Christum, ita loquitur : « Quem ante omnia sæcula Pater in profundo suæ sacræ mentis arcano insuspicabili, ac soli sibi nota conscientia Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa incomprehensibilisque sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo nascitur Deus, de ingenito unigenitus; de solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus ; totum Patris habens, nihil derogans Patri. » Procedit « in nativitatem, qui erat, antequam nasceretur, in Patre. » Ergo Filium, antequam a Patre gigneretur, in Patre exstitisse significat; generatio vero, et nativitas tum fuit, cum res omnes procreare voluit; quod in secundo sermone declarat : « Cujus ex ore ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus; exinde visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat, » etc. Cujusmodi antiquorum fuit a nobis explicata illa sententia**.

Mira Zenonis sententia.

IX. Sane Eunomius apud Cyrillum [1] in *Thesauris* ad hujusmodi opinionem allusisse videtur, quæ Verbum, et Filium in Patris substantia comprehensum fuisse primum adstruit, deinde natum ex eodem. Cum enim

* Zenonem hic vides a Petavio tum sermonum, qui sub ejus nomine circumferuutur, auctorem haberi, tum post Nicænum concilium collocari; quod utrumque pluribus comprobarunt Ballerinii in sua Veronensi S. Zenonis editione. Z.

** Zenonem cum Bullo de *nativitate* illa metaphorica in tempore, qua Filius ex Patre processisse ad condenda universa dictus est etiam ab Athenagora, cæterisque antea memoratis veteribus, interpretari malumus, quam cum Balleriniis, proleg. diss. XI, cap. I, § 4, seqq., de æterna Verbi generatione, quatenus non divina solum, sed etiam creata omnia a Patre dicta sunt; aut cum eruditissimo Bonachio in dissertatione critica *de S. Zenonis episcopi Veronensis epocha*. cap. I, §. 22, de temporaria in utero Virginis. Subtilis enim illa, et ad Scholæ placita inventa explicatio Zenonis sententias nimis distorquet; hæc vero prorsus a Zenonis instituto abhorret saltem quod spectat ad priorem illum textum a Petavio adlatum (posterior enim facilius Bonachianam patitur interpretationem) : nam quid quæso ad temporalem verbi in utero Virginis *nativitatem* facit Pater, « e regione cordis eructans Verbum, excogitatarum ut ordinem institueret rerum? » Hæc certe non perditarum spectant rerum instaurationem per Christum, sed primam earum per Verbum creationem. Cæterum scite monet Bonachius, p. 139, a Balleriniis perperam opponi Petavio verba illa Zenonis : « Videamus nunc optime, christiane, quemadmodum inter Patrem et Filium tempus infulcias. » Hæc enim verba Zenonem ostendunt quidem a primo abhorruisse Arii errore dicentis, « Christum ante Mariam non fuisse, fuisseque tempus, quando non fuit, » non autem a posteriore (unum hunc Zenoni objecerat Petavius), quo nefarius hæresiarcha « Filium aiebat ante tempora, et ante sæcula plenum Deum exstitisse unigenitum, non tamen Patri coæternum. » Z

1 Lib. VII Græco-lat.

ex Patris voluntate productum illum asseverare vellet, « Si quidem, ait, in Patris inerat substantia diversus existens ab eo Filius, non hunc voluntate genuit. Necesse enim erat, ut eum gigneret, qui in ipsius natura situs erat. Quod si in Patre non erat, natus est autem volente Patre, necesse est, illo priorem existere voluntatem[a]. »

Ac sunt etiam inter catholicos, posterioresque Nicæna synodo scriptores aliqui, qui in eadem esse causa videntur; ut Marius Victorinus, quem σκοτεινὸν haud minori jure, quam Heraclitum illum, cognominare possis. *Tenebricosum.* Et hic igitur Verbum Dei ac Filium indicat semper quidem exstitisse in Patre, et apud Patrem, sed tum foras generatione prodiisse, quando mundum procreavit Deus : ita ut generatio illa Verbi nihil sit aliud, quam emersio ejus, quod latebat hactenus, et ut ipse loquitur, *manifestatio*. Marius Victorinus quid senserit. Nam in primo libro *contra Arium,* « Duplex, inquit, generatio ejus : una quidem in divinitatem, et filietatem, occulta, divina, et quæ fide intelligatur : alia autem in carnem venire, et ferre carnem. Illa quidem sola generatio a Deo potentiæ manifestatio : ista autem acceptio magis carnis, non generatio. » Ac paulo post, « Imago, inquit, substantia, cujus, et in qua est imago : et quod imago substantia a substantia ejus, in qua est, vel subsistit genita, in declarationem intus potentiæ. Hinc Pater, qui intus : hinc Filius, qui foris[1]. » Itaque Patrem, mox ait esse *potentiam*, et *potentialiter* omnia continere : Filium autem esse ἐνέργειαν, *et manifestationem eorum, quæ sunt.* Tum multis interjectis ait, *logon* prosiluisse e potentia Dei, eamque potentiam « logon esse, qui genuit logon, hoc est in manifestationem et operationem adduxit. » Eodem pertinet, quod Patrem dicit esse *quiescentem :* Filium « vero motionem ab eo, quod est intus foras[2]. » Item alibi Patrem esse Verbum, asserit, et Filium Verbum : voluntatem Patris esse *silens Verbum :* Filium *sonans Verbum, atque operans*[3]. Et in hymno primo:

« Tu, cum quiescis, Pater es, cum procedis,
[Filius. »

Sed hunc de tanto mysterio incondite balbutientem omittamus*.

X. Rupertus in primo *Commentariorum in Genesim*, qui et de Trinitate, et operibus ejus inscribitur, quiddam hujus generis, ac parum emendate loquitur. Rupertus. « Quid ergo? inquit, quid in eo, quod dictum est, dixit Deus, nisi generationem Verbi æterni, Verbi Deo consubstantialis, de cujus effectu et nos, et angeli rationales sumus, significatum intelligere debemus? Vere enim sine voce natum, et omnia potentialiter continens Verbum tunc Pater actualiter generavit, quando cœlum et terram creavit, quando lucem et cætera fecit. Eructavit ergo cor Patris Verbum bonum, et ex utero, id est de suæ substantiæ secreto, ante luciferum genuit illud, quando dixit: Fiat lux[4]. » Qua in Ruperti oratione cum multa displicent, de quibus alias, tum illud de *actuali,* ut loquitur, generatione Verbi; quod tunc voce, ac cum sonitu emissum esse significat, cum Deus mundi partes singulas elaboravit. Quod, ut priscorum aliquot opinioni, quorum meminimus supra, consonat, sic ab exacta castigataque ratione plurimum abhorret, præsertim quod egregium illum, de sempiterna generatione, Davidis locum e *Psal.* CIX, *Ante luciferum genui te*, pene jlocaliter interpretans, singulare catholico dogmati præsidium e manibus extorquet. Apparet tamen, non illum bona fide putasse, tum demum natum esse genitumve a Patre Filium, quando mundum ille condidit; sed metaphorice ac figurate loqui voluisse. Sed utcumque ista scripsit, quæ in antiquiore aliquo tolerari poterant, in tanta luce sacrarum Litterarum excusari facile nequeunt**.

XI. His et similia et similiter animadvertenda leges in epistola Constantini Magni *ad* Constantinus

[a] CYRIL. Εἰ μὲν γὰρ ἐνυπῆρχε τῇ τοῦ πατρὸς οὐσίᾳ ἕτερος ὢν παρ' αὐτὸν ὁ υἱὸς, οὐ προαιρέσει τέτοκεν. ἦν γὰρ ἀνάγκη τεκεῖν τὸν ἐν τῇ φύσει κείμενον. εἰ δὲ οὐκ ἦν ἐν πατρὶ, ἐγεννήθη δὲ βουληθέντος τοῦ πατρὸς, ἀνάγκη προϋπάρχειν αὐτοῦ τὴν βούλησιν.

* Marium Victorinum eadem, qua Zenonem, Theophilum, Tatianum, Athenagoram explicavimus, ratione interpretamur. Z.

** Insulse Bullus sect. III, cap. IX, §. 13, hæc de Ruperto scripsisse conjicit Petavium, quod « magnum illud pontificiorum idolum transubstantiationis dogma... palam oppugnare ausus fuit. Hinc, inquit ille, in Rupertum illud Romanensium odium. » Præclare! lepide! graviter dictum! Quidni ergo dicamus nos, Bullum Ruperto assentatum fuisse grati animi causa, quod *idolum* illud oppugnarit, non veritatis studio? Vah! stultissimas, neque erudito Nicænæ fidei vindice, qualem se præstitit Bullus, dignas criminationes! Z

1 Col. 195, tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 2 Col. 22, D. — 3 Lib. III, col. 231. — 4 Cap. x.

Nicomedienses contra Eusebium ac Theognim, apud Gelasium Cyzicenum in farragine actorum Nicæni concilii[1]. Ibi sanctissimæ Trinitatis contra Arianam perfidiam mysterium enarrans, Patrisque ac Filii proprietates explicans, « Patrem dico, inquit, sine principio, sine fine parentem sæculi ipsius; Filium vero, hoc est Patris voluntatem, quæ quidem neque per cogitationem est aliquam assumpta, neque ad operum suorum perfectionem per exquisitam aliquam substantiam accepta. Qui enim hoc intelligit, intelligetque, hic habebit ad omne supplicii genus indefessam tolerantiam. Sed Dei Filius Christus omnium opifex, et immortalitatis ipsius largitor genitus est, quantum ad fidem pertinet, cui credidimus, genitus est; imo potius processit ipse, cum semper in Patre esset, ad ea ordinanda, quæ ab ipso facta sunt [a*]. » Non minus jejuna, et enecta est notio illa divinæ Verbi generationis, quam quæ ab superioribus est tradita. Cujus quidem constituendæ ansam illis præbuisse videntur philosophi ac poetæ veteres, qui de Verbo, Sermoneve Dei, et ejus prolatione nescio quid somniarunt ejusmodi. In promptu modo nobis est Orpheus; cujus hi sunt versus ab Justino citati in *Protreptico* ad Gentiles :

« Vocem juro patris, primum quam prodidit [ore,
Consilio ipse suo mundum cum conderet [omnem [b]. »

Hanc *vocem*, id est αὐδὴν, quam paulo ante λόγον appellaverat, ut Justinus animadvertit, tum vult esse productam, cum Deus hanc universitatem condidit; quod imitati videntur eorum aliqui, quos in medium adduximus. Quo et allusisse videtur Hebion apud Hilarium initio libri secundi. Verum hic nullam ante susceptam carnem « existentis unigeniti Dei naturam fuisse dixit; sed sonum vocis elatum. » At plerique illi, quos citavi, veteres, Verbum Dei in illa productione οὐσιῶσθαι, id est *substantiam*, vel *subsistentiam* accepisse propriam et distinctam a Patre profitentur.

CAPUT VI.

De veteribus hæreticis, qui catholicum de Trinitate dogma contrariis oppugnarunt erroribus, maxime Patripassianis, Noeto, Sabellio, Paulo Samosateno.

I. Si antiquiores hæreses recenseas, quarum apud Epiphanium, Philastrium cæterosque fit mentio; id esse verum invenies, quod superius exposui : omnium fere dogmatum, quæ contra catholicam fidem exstiterunt, præsertim vero, quibus sanctissimæ Triadis oppugnata professio est, fundum et auctorem fuisse Platonem. Nam cum omnes illi fere in principiorum constituenda multitudine concordant invicem; tum plerique unum esse summum et ingenitum asserunt, qui nec animo capi, nec sermone declarari possit, nec ullum cum rebus creatis usum et commercium habere potuerit. Ab eo vero inferioris aliquod principii genus ac numinis esse productum, quod deinceps procrearet omnia. Atque hoc aliis unum atque simplex esse placuit, quod quidem, nullo in-

a Const. Πατέρα φημὶ ἄναρχον ἄνευ τέλους γονέα τοῦ αἰῶνος αὐτοῦ· υἱὸν δὲ, τουτέστι τὴν τοῦ πατρὸς βούλησιν, ἥ τις οὔτε δι' ἐνθυμήσεώς τινος ἀνείληπται, οὔτε πρὸς τὴν τῶν ἔργων αὐτοῦ τελεσιουργίαν διά τινος ἐξεζητημένης οὐσίας κατελήφθη. ὃς γὰρ τοῦτο καὶ νοεῖ, καὶ νοήσει, οὗτος ἕξει πρὸς ἅπαν τιμωρίας γένος ἀκάματον ὑπομονήν. ἀλλὰ γὰρ ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς Χριστὸς ὁ τῶν ἁπάντων δημιουργὸς, καὶ τῆς ἀθανασίας αὐτῆς χορηγὸς ἐγεννήθη ὅσον πρὸς τὴν πίστιν ἀνῆκεν, ᾗ πεπιστεύκαμεν. ἐγεννήθη, μᾶλλον δὲ προῆλθεν αὐτὸς, καὶ πάντοτε ἐν τῷ πατρὶ ὢν ἐπὶ τὴν τῶν ἐπ' αὐτοῦ γεγενημένων διακόσμησιν.

b Orpheus. Αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς, τὴν φθέγξατο [πρῶτον,
Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς στηρίξατο βουλαῖς.

* Constantinus hic veterum Patrum sententias ad eum plane modum explicat, quo nos illas exposuimus; eademque fere docet, quæ Athanasius in tertia *contra Arianos* oratione. Vide Bullum sect. III, cap. IX, §. 9, seqq. Ac multa jam diximus ad explicandam hujusmodi sententiam. Sed antequam manum de tabula, liceat mihi ex epistola Barnabæ, de qua ad caput II pauca pro instituto meo dixi, aliqua adscribere. « Dominus (sic in ea num. V ex perantiqua interpretatione latina) sustinuit pati pro anima nostra, cum sit orbis terrarum Dominus, cui dixit Deus ante constitutionem sæculi : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* » Quæso cum his conferantur veteres, quorum causam hactenus egimus. Illud jure affirmare mihi posse videor, eo demum subobscuras illorum sententias spectare, quod Barnabas clarius hic ait, Deum scilicet Patrem Verbo suo *quiescenti* ex æterno dixisse paulo *ante constitutionem sæculi : Faciamus*, etc. perque Filium suum universa condidisse. Z.

1 Par. 1.

terjecto, ab summo ac primo descenderet, ab eoque gradatim propagatos esse cæteros: cujusmodi Basilidæ sententia fuit ac Nicolai, et Apellis, qui cæteris hoc disertius asseruerunt; alii plures statim exstitisse volunt ab summo, quales Valentinianorum æones, et aliarum pestium ridicula fuere commenta; quidam duo, ac disparata, mutuoque pugnantia, vel etiam tria esse principia finxerunt[1]. Ex quibus priores duæ sectæ ad imitationem Platonis expressæ sunt. Siquidem unum fere tum Platonem philosophiæ scholæ personabant, cujus dogmata miscere cum christianis, eaque re vendibiliorem hanc facere professionem, et hujus invidiam minuere studebant. Quo ex genere cum essent Manichæi, mirum est, quod de illis, qui optime scivit, testatur Augustinus « Patrem ipsos, et Filium, et Spiritum sanctum non dispari natura copulari confessos esse. » Cyrillus porro Hierosolymitanus catechesi XVI Marcionem primum omnium tres deos dixisse refert[2].

Atque, ut ab vetustioribus illis discedat oratio, quorum erant horrida magis et a communi sensu hominum remotiora decreta, ut ad Hesiodi potius Theogoniam, quam *ad Timæum* Platonicum videantur expressa, (quanquam Hesiodeas, et omnino poeticas fabulas studiosius est consectatus Plato), sed ut portenta illa prætercam, certe qui tolerabiliores, ac minus absurdi fuerunt, velut illi sunt, quos proxime antecedentibus capitibus percensui, quorum nonnulli cæteroqui catholici habentur, et sancti; alii ab Ecclesia proscripti sunt, ut Tatianus, Tertullianus, Origenes; tum qui deinceps consecuti sunt hæretici, præcipueque omnium Ariani, propius se ad æmulationem Platonici dogmatis accommodarunt, quo et eruditior appareret christiana religio, et ab gentilium calumniis ludibriisque tutior esset, maxime philosophorum. De his posterioribus hæreticis, quorum quidem supra non meminimus, instituendus est modo sermo; quorum est secta duplex. Nam alii unicam divinitatis esse personam arbitrati sunt; alii tres, sed perinde natura, ut proprietate distinctas. De utrisque, ac de prioribus imprimis hoc capite disseremus.

Recensentur qui catholicum dogma de Trinitate oppugnarunt.

II. Fuere igitur, qui vel duas, vel tres ipsas Trinitatis personas in unam confunderent; adeo ut Patrem esse passum assererent; quales erant illi, quos Patripassianos Cyprianus vocat epist. LXXIII et Marius Victorinus lib. I *cont. Arium*; quorum etiam Tertullianus meminit in libro *de Præscriptionibus* capite ultimo, ubi de portione quadam Cataphrygastarum, quæ Cata Æschinem dicebatur, agens, « Privatam autem blasphemiam, ait, illi, qui sunt Cata Æschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium, et Patrem. » Ac sub finem *de Praxea*: « Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam hæresin introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dixit, hunc crucifixum, passumque contendit; mortuum præterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam, cum profana et sacrilega temeritate contendit. » Hunc Praxeam singulari refellit libro Tertullianus idem. Athanasius in libro *de Salutari adventu Christi*, Valentinum antiquissimum hæreticum refert totam Trinitatem passam esse docuisse. Et oratione II, Christum ab eodem ejusdem cum angelis naturæ constitutum. Ignatius quoque ad Philippenses scribens (quæ epistola inter septem ab Hieronymo illi adscriptas minime censetur), ejusdem mentionem facit erroris. Nec non in epistola *ad Trallianos* meminit hæresis unam personam asserentis.

Patripassiani.

Sed eam propugnavit deinde vehementius Noetus Ephesius, ut testatur Epiphanius hær. LVII, ubi haud satis accuratus est, cum ante Noetum scribit neminem talem hæresin invexisse; quem quidem ante CXXX annos, quam ista lucubraret, exstitisse memorat. Ita sub annum Christi CCXLV, Noetus prodiit; ante hoc vero tempus jam illa hæresis erat audita. Noetus ergo Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, non natura solum, sed etiam persona, unum, et singularem esse Deum asseruit, iis Scripturæ fretus testimoniis, quæ plures esse negant Deos. Unde est consequens, Patrem ipsum, ut et Spiritum sanctum, carnem ac mortem subiisse; quod et illum asseverasse prodit Epiphanius num. 2. Noetum hunc patria Smyrnæum facit Theodoretus, in libro tertio *de Hæreticis*, et ab Epigono quodam primo hæresis auctore, ac discipulo hujus Cleomene illam accepisse prodit.

Noetus.

Ejusdem patrocinio dogmatis Sabellius deinde successit, a quo Sabelliani ortum accepere; quo nomine secta illa notior est, quam Noetianorum, aut aliorum, qui eam architec-

1 Vide Epiph. Hær. XXIV et XXV, ac XLIV; Tert. *de Præscrip.* cap. VII. — 2 Lib. *con. Ep. fund.* cap. V, tom. VI et tom. X ser. XVI *de Div.* cap. XI.

tati sunt; quod et Augustinus admonet libro *de Hær. ad Quodvultdeum*, hær. XLI, ubi miratur Epiphanium duas ex una fecisse hæreses, ac Noetianos a Sabellianis distraxisse: « Noetiani enim, inquit, difficillime ab aliquo sciuntur; Sabelliani autem sunt in ore multorum. Nam et Praxeanos a Praxea quidam vocant, et Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt; qui Praxeas, et Hermogenes eadem sentientes in Africa fuisse dicuntur. Nec tamen istæ plures sectæ sunt, sed unius sectæ plura nomina ex iis hominibus, qui in ea maxime innotuerunt, sicut Donatistæ iidem Parmenianistæ, sicut Pelagiani iidem Celestiani. »

Sabellius. III. Scribit Eusebius libro *Eccles. Hist.* VII, cap. IV Græcæ edit., Sabellii hæresim sub tempora Decii, sive Galli ac Volusiani audiri cœpisse, cum Romanæ sedi præesset Stephanus, aut Sixtus; hoc est circa annum Christi CCLVII. Natus hic in Libya, sive Pentapoli, ac Cyrenaica provincia, oppido Ptolemaide, quandoquidem ibi recens exortam hæresim illam ætate sua Dionysius testatur Alexandrinus apud Eusebium; Deum asserebat υἱοπάτορα, hoc est eamdem personam esse Patrem, et Filium, ut ait Athanasius in *Expositione fidei*. Talem enim in Deo, ac Dei esse sapientiam, aut Verbum, qualia in hominibus existunt, hoc est personæ, ac substantiæ jam completæ aliquid accidens. « Horum hæc opinio est (verba sunt Epiphanii), eumdem esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; ut ad eamdem hypostasim tres appellationes conveniant, aut perinde atque in uno homine corpus et anima, et spiritus inest. Ita ut corporis instar sit Pater, animæ Filius, Spiritus denique in ipsa Divinitate humani spiritus instar habeatur[a]. » Addit et solis similitudinem, in quo triplex inest ἐνέργεια, illuminandi vis, calefaciendi, et *Efficientia.* rotunda figura, sive corpus ipsum solare, quem discum vocant; ac vim quidem calefaciendi respondere Spiritui sancto, illuminandi autem Filio, Patrem vero formam esse totius hypostasis. Filium proinde radii instar certo emissum tempore, post absolutam Evangelii procurationem, ad auctorem rediisse suum; uti radius a sole propagatus in eumdem refunditur. Spiritum vero sanctum identidem in fidelium insinuari pectora, ut ea fervore suo succendat.

Itaque de Spiritu sancto perinde, ut de Filio sentiebat, uti eos ὁμοτίμους faceret, neque a *Æqualis dignitatis.* Patris persona separaret, sed unam eamdemque, ac velut primariam hypostasin statueret, cujus duæ illæ essent ἐνέργειαι. Cujusmodi ne- *Efficientiæ.* fariam hæresim Gregorius Nazianzenus vocat Σαβελλίου συναίρεσιν, cui respondet ex adverso *Sabellii synæresim.* Ἀρείου διαίρεσις[1]. Et alibi θεότητος συστολήν, *con-* *Arii deæresis.* *tractionem divinitatis*: nec non ἀθεότητα[2]. Idem *Atheismum* Gregorius triplicem ait esse sectam Trinitatis, ac divinitatis inimicam, ἀθεΐαν Sabellii Ἰουδαϊσμὸν *Atheiam.* *Judaismum,* Arii, πολυθεΐαν quorumdam alioqui catholico- *Multorum deorum cultum.* rum; quarum appellationum subinde rationem explicat. Sabellius enim, eo ipso, quod personarum discrimen adimit, ista ipsa confusione « non magis unum facit omnia, quam nihil esse singula definit[b]. » Arius vero Judæorum more solitariam Dei personam, et infecundam adstruit. Alii denique tres hypostases a se mutuo minime pendentes, nec ulla σχέσει *Habitudine.* devinctas invicem, sed disparatas invehebant, quasi totidem principia; atque hoc pacto πολυαρχίαν Ἑλληνικήν, *gentilem plurium deorum principatum* admittebant*.

IV. Ut de Sabellio potissimum agatur, apparet ex ejus dogmate, consequens fuisse, uti Patrem ipsum, ut et personas reliquas pro indiviso carnem, ac mortem subiisse; imo

a Epiph. Hær. LXII. Δογματίζει γὰρ οὗτος, καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ Σαβελλιανοὶ, τὸν αὐτὸν εἶναι πατέρα, τὸν αὐτὸν υἱὸν, τὸν αὐτὸν εἶναι ἅγιον πνεῦμα· ὡς εἶναι ἐν μιᾷ ὑποστάσει τρεῖς ὀνομασίας, ἢ ὡς ἐν ἀνθρώπῳ σῶμα, καὶ ψυχὴ, καὶ πνεῦμα· καὶ εἶναι μὲν τὸ σῶμα, ὡς εἰπεῖν, τὸν πατέρα, ψυχὴν δὲ, ὡς εἰπεῖν, τὸν υἱὸν, τὸ πνεῦμα δὲ ὡς ἀνθρώπου, οὕτως καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν τῇ θεότητι.

b Orat. I Nazianz. Καὶ μήτε πρὸς τὴν Σαβελλίου ἀθεΐαν ἐκ τῆς καινῆς ταύτης ἀναλύσεως, ἢ συνθέσεως ὑπαχθῆναι μὴ μᾶλλον ἓν τὰ πάντα, ἢ μηδὲν ἕκαστον εἶναι ὁριζομένους, etc.

* Gregorius Nazianzenus Sabellii hæresim *atheiam* nuncupat non ideo quod nullum omnino Deum esse putaret, sed quod ita divinas hypostases resolveret, vel imponeret, ut non magis unum omnes, quam nihil singulas esse definiret. Nam id quod sunt esse desinunt, cum in sese mutuo confluentes, proprietates omittant suas. Hæc liquent ex iis quæ subdit egregius doctor, quæque Latine tantummodo hic ponimus. « Intra pietatis metas consistamus, ac neque in Sabellii atheiam ex hac nova resolutione vel compositione devolvamur, non magis omnia hæc unum, quam unumquodque horum nihil esse constituentes. Id enim quod sunt esse desierint, mutuo inter se commeantia et transeuntia; aut mixtum quemdam nobis Deum, quemadmodum fabulosa quædam animalia, confingentes et adumbrantes. » Greg. Naz. ibid. J. B. F.

1 Orat. XIV. — 2 Orat. XXI.

Patri multo id magis convenire putaret, quam cæteris; quoniam substantiam ipsam et hypostasim, hoc est solidam οὐσίαν, propriam esse Patris asseverabat: alias vero duas quasi ἐνεργείας illius esse, minimeque per se subsistere. Siquidem Verbum aiebat haud ἐνυπόστατον esse, sed προφορικὸν, *prolatitium* ac *transiens*, ut scribit Epiphanius; quod veteres aliquot existimasse, supra vidimus, imprimisque Theophilum, et Tatianum.

Efficientias.

Subsistens.

Sabelliana hæresis merus Judaismus

Hinc Basilius in epistola quarta et sexagesima, Sabellii hæresim merum esse Judaismum ait, quod illa Christianum dogma funditus evertat: « Judaismus, inquit, est Sabellismus sub prætextu Christianismi in Evangelicam prædicationem invectus. Qui enim rem unam pluribus nominibus appellatam esse dicit, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et unam trium hypostasim exponit, quid aliud facit? Nonne sempiternam Unigeniti, quæ sæcula antecessit, existentiam negat? Negat item adventum illius ad homines quadam dispensatione factum, descensum ad inferos, resurrectionem, judicium? Negat porro peculiares etiam Spiritus operationes[a].» Et sub finem epistolæ hanc hæresim « personarum fictionem subsistentiæ vocat expertem, discente Sabellio, eumdem Deum unum subjecto existentem, prout rerum* opportunitates singillatim postulant, transformari, ac modo tanquam Patrem, modo tanquam Filium, modo tanquam Spiritum sanctum loqui[b]. » Vide Basilium eumdem in homilia quam *contra Sabellianos et Arianos* edidit; ubi et Sabellianam perfidiam ad Judaismum, Arianam ad gentilem superstitionem relegat. Quippe « Sabellianos, cum Verbum confitentur, ipsum comparare cum interno; Sapientiam vero similem esse dicere habitui illi, qui in eruditorum anima conflatur, atque idcirco unam esse personam Patris, et Filii, quoniam et unus homo dicitur, non divisus ab eo, quod secum existit, Verbo et Sapientia[c].» Sic in *Fidei expositione* quæ ἡ κατὰ μέρος dicitur, ac Gregorio Thaumaturgo tribuitur, notantur Sabelliani, qui « Sapientiam in Deo existimant esse, sicut in homine sapientiam humanam, qua sapiens est; et Verbum simile esse interpretantur verbo, quod ore profertur, vel mente concipitur, nulla hypostasi. » Tum ita: « Quocirca Sabellium fugimus, qui dicit eumdem esse Patrem, et Filium; Patrem quidem dicit eum, qui loquitur, Filium vero Verbum in Patre manens, et tempore creationis patefactum, completis vero rebus, in Deum remeans. Idem dicit de Spiritu sancto.» Quæ Sabelliana perfidia ex Ebionis fonte descendit; qui et ipse Verbum, quod in carnem delapsum est, nihil præter sonum fuisse vocis agnoscit. Utrumque certe conjungit Hilarius initio secundi libri: « Ut Sabellius, inquit, Patrem extendat in Filium, idque nominibus potius confitendum putet esse, quam rebus, cum ipsum sibi Filium, ipsum proponat et Patrem; ut Hebion omne initium Filii Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine Deum proferat; neque subsistens antea, quod in principio apud Deum Deus erat Verbum, virgo in carne susceperit, sed carnem genuerit per Verbum; quia in Verbo non antea existentis unigeniti Dei naturam dicat, sed sonum vocis elatum. » Nam e Spiritu sancto conceptum e Virgine, adeoque per Verbum Dei ad aures allapsum Christum esse

Per partes.

a Basil. Ἰουδαϊσμός ἐστιν ὁ Σαβελλισμὸς, ἐν προσχήματι Χριστιανισμοῦ τῷ Εὐαγγελικῷ κηρύγματι ἐπεισαγόμενος. ὁ γὰρ ἓν πρᾶγμα πολυώνυμον λέγων πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, καὶ μίαν τῶν τριῶν τὴν ὑπόστασιν ἐκτιθέμενος, τί ἄλλο ποιεῖ; οὐχὶ ἀρνεῖται μὲν τὴν προαιώνιον τοῦ Μονογενοῦς ὕπαρξιν; ἀρνεῖται δὲ καὶ τὴν οἰκονομικὴν αὐτοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν, τὴν εἰς ᾅδου κάθοδον, τὴν ἀνάστασιν, τὴν κρίσιν, ἀρνεῖται δὲ καὶ τὰς ἰδιαζούσας τοῦ πνεύματος ἐνεργείας.

b Id. Ἐπεὶ τόν γε ἀνυπόστατον τῶν προσώπων ἀναπλασμὸν οὐδὲ ὁ Σαβέλλιος παρῃτήσατο εἰπὼν τὸν αὐτὸν θεὸν ἕνα τῶν ὑποκειμένων ὄντα (for. τὸ ὑπεκείμενον, vel τῷ ὑποκειμένῳ) νῦν μὲν ὡς πατέρα, νῦν δὲ ὡς υἱὸν, νῦν δὲ ὡς πνεῦμα ἅγιον διαλέγεσθαι.

c Id. hom. xxvii. Οἱ δὲ τὸν ἐκ θεοῦ θεὸν λόγον ἀρνούμενοι, καὶ ὀνόματι μὲν ὁμολογοῦντες υἱὸν, ἔργῳ δὲ καὶ ἀληθείᾳ τὴν ὕπαρξιν ἀθετοῦντες, τὸν Ἰουδαϊσμὸν πάλιν ἀνανεοῦνται. καὶ γὰρ ὅταν ὁμολογῶσι λόγον, τῷ ἐνδιαθέτῳ αὐτὸν παρεικάζουσι· καὶ σοφίαν λέγοντες, ὁμοίαν εἶναι λέγουσι τῇ ἕξει τῇ ἐν τῇ ψυχῇ τῶν πεπαιδευμένων συνισταμένῃ. καὶ διὰ τοῦτο πρόσωπον ἓν πατρὸς καὶ υἱοῦ· ἐπειδὴ καὶ ἄνθρωπος εἷς λέγεται, οὐ διαιρούμενος ἀπὸ τοῦ ἐνυπάρχοντος αὐτῷ λόγου, καὶ τῆς σοφίας.

* Vera lectio est sequens ἕνα τῷ ὑποκειμένῳ ὄντα, quam editores exhibent Benedictini. « Cum *subjecto* unus sit. » Lectioni vero ἕνα τῶν ὑποκειμένων, quam merito reprobat auctor, et quam exhibent editio Basileensis secunda et Parisina repugnant omnes manuscripti et vetustiores editiones, ut recte asserunt eruditi editores supra citati. J. B. F.

1 Tom. I, hom. xxvii.

dicebant Ebionitarum aliqui, Epiphanio teste, ut in animadversionibus ostendimus [1].

Ad quem finem auctor errata veterum etiam sanctorum redarguerit.

Cæterum, quod in superioribus capitibus tribus veterum sententias ac dicta recensuimus, quæ alienum quiddam et abhorrens a catholica professione, saltem loquendi modo, continere videntur, non sic accipi velim, quasi nihil sincere catholiceque scriptum in eorum libris exstet. Nam plurima reperiri fateor, e quibus nonnulla retulimus. Sed hoc propositum nobis fuit, non quid absolute de Trinitate sensissent illi, persequi; verum, quæ in eorum scriptis cavenda, periculoseque dicta essent, adnotare. Ita enim Augustinus ipse multa in libris suis animadvertit ac reprehendit, duobus argumenti hujus editis libris, quos *Retractationum* vocavit. Quod si quis in antiquorum Patrum operibus institueret, neque vituperandus esset, tanquam obtrectator veterum illorum ac sanctissimorum virorum; et non inutilem catholicæ rei ac theologiæ navaret operam. Multo ergo minus improbari factum meum oportet, si in paucis duntaxat sanctis catholicisque scriptoribus (nam reliqui, quos eadem censura complexus sum, pro hæreticis manifestis, aut contagione pravi dogmatis afflatis communi judicio censentur) idipsum præstiterim; maxime cum non tam de re ipsa, quam de vocabulis, ac loquendi more modoque complures appellati a me fuerint, et hac qualicumque castigatione perstricti.

V. Cæterum idem Epiphanius in *Synopsi* libri secundi tomi primi, et in *Anacephalæosi* disertius affirmat Sabellium cum Noeto sentientem in plerisque, hoc uno discrepasse capite, quod non, ut ille, passum esse Patrem arbitraretur; quod quidem merito admiratus est Augustinus. Itaque magis est audiendus Athanasius, qui in libro *de Synodis* eos a Romanis *Patripassianos* vocari dicit, quos Græci Sabellianos nominant; idemque docet Augustinus in tractatu sexto et tricesimo *in Joannem*. « Nam Sabelliani, inquit, dicti sunt quidam hæretici, qui vocantur Patripassiani; qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse. » Et Fulgentius libro *contra Serm. Fastidiosi.*

Cujusmodi etiam Epiphanium inter et Socratem conflictus apparet, quod ad Montanos, sive Cataphrygas spectat. Nam Epiphanius hær. XLVIII, scribit illos de Patre, Filio, et Spiritu sancto parem et eamdem cum Catholicis habuisse sententiam. Socrates vero libro I, c. XXIII Sabellianum iis dogma tribuit. Sed de Cataphrygibus, et Montano nihil tale perhibet Augustinus, aut Philastrius; imo vero hic asserit illos Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum confiteri. Verum Theodoretus Montanum ipsum « nihil catholico de Trinitate dogmati nocuisse [a]» refert; verum quosdam ex illius sectatoribus cum Noeto et Sabellio convenisse. Quos Cata Æschinem nominatos esse, ex Tertulliano supra meminimus. Postremo, quod ante Sabellium, idem dogma propugnasse Novatum ait Epiphanius initio hær. LXV quæ est Pauli Samosateni, minime verum est. Neque enim de sanctissima Trinitate contrarium aliquid Ecclesiasticæ regulæ Novatianus, ejusve partiarii docuerunt; neque istius erroris in Novatianorum, sive Catharorum hæresi meminit Epiphanius, aut Theodoretus; neque Augustinus, ac Philastrius.

VI. Paulo post Sabellium exortus est Paulus Samosatenus, qui, cum Dominum Jesum merum hominem fuisse, minimeque Deum, ac Dei natura Filium putaret, Trinitatem ipsam ὁμοούσιον, ac τρισυπόστατον sustulit itidem, ut Sabellius. Quanquam Athanasius Sabellium ait Pauli sententiam approbasse, sed eo sensu fortasse, ut idem, quod ille, non post illum, senserit [b]. Cœpit enim post annos aliquot Paulus Samosatenus virus suum spargere; nimirum imperante Gallieno; cujus sub annum duodecimum, sive Christi CCLXV, prima contra illius errorem celebrata est Antiochiæ synodus, ad quam insignes sanctitate doctrinaque Præsules adfuerunt, Firmilianus Cæsariensis, Gregorius Thaumaturgus, et ejus frater Athenodorus, et alii complures. Dionysius autem Alexandrinus senectutem excusavit. Sed, cum subdola tergiversatione Patrum studia Paulus elusisset, in altera synodo sub Aureliano damnatus est; quando et Ecclesia cedere Aureliani imperatoris decreto coactus est, sub annum Christi CCLXX, quod testatur Eusebius lib. IX, cap. XXII et seq. Æquales igitur ambo illi fuerunt hæretici, sed paucis ante Samosatenum annis Sabellius pro hære-

Paulus Samosatenus.

Consubstantialem ac trium hypostaseon

a Theodor. lib. III *de Hær.* Τὸν δὲ περὶ τῆς τριάδος οὐκ ἐλυμήνατο λόγον. Mox : Τινὲς δὲ αὐτῶν τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τῆς θεότητος Σαβελλίῳ παραπλησίως ἠρνήσαντο, τὸν αὐτὸν εἶναι λέγοντες καὶ πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, παραπλησίως τῷ Ἀσιανῷ Νοητῷ.

b Athan. Orat. *de Salut. adven.* Σαβέλλιος δὲ τοῦ Σαμοσατέως Παύλου, καὶ τῶν κατ' αὐτὸν ἐπιδέδεικται· (cor. ἐπιδέδεκται) τὴν γνώμην.

1 Ad hær. Epiph. XXX.

tico judicatus est. Quare nihil alterum ab altero prohibet perfidiam suam expressisse.

Verum contra personarum in eadem essentia discrimen, præcipue, ac magis diserte Sabellius disputavit; Paulus vero Christi divinitatem, et τὸ συναΐδιον oppugnavit. Ex alterutrius tamen dogmate alterum sequitur. Nam, si Christus, quem Dei Filium Scripturæ nominant, et quidem μονογενῆ, præter quem nullus alius Filius sit naturalis, et ex Dei substantia genitus, ac Deus non est; profecto Filium nullum proprie ita dictum habebit Deus, eritque μονοπρόσωπος; at e contrario, si singularis est hypostasis Dei, non potest Christus esse Dei filius a Patre distinctus.

Coæternitatem.

Unigenitum

Singularis persona.

Sabellianæ hæresis origo.

De Sabelliana hæresi observandum illud est, eam multo exortam ante fuisse, quam Sabellius existeret. Nam Justinus in *Dialogo cum Tryphone*, ubi personas reipsa et numero differre invicem probat, meminit opinionis quorumdam qui discrimen illud rei tollebant, ac nihil aliud esse Filium dicebant, « quam virtutem quamdam Patris universorum, quæ Mosi apparuit, aut Abraamo, aut Jacobo; quæ et angelus in ipsa processione ad homines vocatur, quoniam per ipsam, quæcumque vult Pater, hominibus nuntiantur[a].» Sic et hominem vocari, quod tali specie videndam se iisdem hominibus exhibeat. « Porro virtutem hanc nullo modo a Patre disjungi ac secerni posse; quemadmodum solis lumen aiunt esse in terra indivisum, minimeque separatum, cum sit in cœlo sol. Qui cum occiderit, una cum eo lumen aufertur. Ita Pater, inquiunt, cum ei libitum est, virtutem suam prosilire facit; et, cum ei visum est, iterum ad sese retrahit[b].» Hujusmodi Sabellianum dogma fuit postea; ut ex Athanasio liquet sub finem libri *contra Sabellianos*[1]; et ex Epiphanio[2], cujus verba paulo ante descripsi. Itaque tale Hebionis etiam fuisse videtur, quod Hilarius initio secundi libri significat. Quin et varius, et a seipso discrepans videtur Sabellius fuisse, ut interdum personas tres quasi partes totius alicujus esse diceret; alias unam et eamdem personam pro diversis functionibus diversa vocabula sortitam, ut ex eodem Epiphanii loco colligitur. Cæterum Sabellianam hanc hæresim paulatim extinctam et *evisceratam* esse sic, ut nusquam tempore suo exstaret, testis est Augustinus[3].

CAPUT VII.

De Ario præcipuo Trinitatis inimico; cujus, et Nicænæ contra illum synodi habitæ historia describitur. De Colluthianorum secta. Alexander Arium ejicit; ideo turbatus Oriens. Osii legatio ad pacem restituendam irrita. Tum Nicæni concilii acta. In quo neque Arius, neque alii exilio damnati.

I. Sabellianæ hæresi ex adverso respondet Ariana, male auspicatum ab auctore nomen adepta. Cujus historiam bene accurateque cognitam habere, plurimum ad susceptam de fide pertractandam quæstionem interest. Id quod in cæteris disputationibus, quæ contra hæreses instituuntur, usuvenit; in hac autem præ omnibus, quod ut impietate ac perfidia nulla est inferior, ita calliditate ac versutia vincit universas.

Arii historia.

Fuit Arius ex Libya, ut scribit Epiphanius[4], oriundus, ea videlicet, quæ Ægypto vicina est, et Alexandriæ contributa, unde et Sabellius originem traxit. Hic Meletiani particeps schismatis a Petro Alexandrino episcopo communione ob id interdictus est, ut est in *Actis* beati Petri, quæ sinceriora in Annalibus Baronius exhibuit[5]. Postea reconciliatus Ecclesiæ, ab eodem Petro diaconus est factus, ut eadem *Acta* referunt. Sed cum denuo idem ad schisma rediisset, iterum communione privatus est. Quin et Petrus in Maximini persecutione comprehensus, cum in vinculis esset, quod ab Christo ipso didicerat, de eo certiores fecit Achillam, et Alexandrum, desperatum esse Arium; quem, ne unquam, ut erant divinitus sibi destinati successores,

a JUSTIN. *Dialog.* Ἀλλ' ἐπεὶ γινώσκω καί τινας προλέγειν ταῦτα βουλομένους, καὶ φάσκειν τὴν δύναμιν παρὰ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων φανεῖσαν τῷ Μωσεῖ, ἢ τῷ Ἀβραὰμ, ἢ τῷ Ἰακὼβ, ἄγγελον καλεῖσθαι ἐν τῇ πρὸς ἀνθρώπους προόδῳ, ἐπειδὴ δι' αὐτῆς τὰ παρὰ τοῦ πατρὸς τοῖς ἀνθρώποις ἀγγέλλεται.

b Ibid. Ἄτμητον δὲ καὶ ἀχώριστον τοῦ πατρὸς ταύτην τὴν δύναμιν ὑπάρχειν, ὅνπερ τρόπον τὸ τοῦ ἡλίου φασὶ φῶς ἐπὶ γῆς εἶναι ἄτμητον καὶ ἀχώριστον, ὄντος τοῦ ἡλίου ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅταν δύσῃ, συναποφέρεται τὸ φῶς· οὕτως ὁ πατὴρ, ὅταν βούληται, λέγουσι, δύναμιν αὐτοῦ προπηδᾷν ποιεῖ· καὶ ὅταν βούληται, πάλιν ἀναστέλλει εἰς ἑαυτόν.

1 Tom. I. — 2 Hær. LXII, n. 1. — 3 Aug. Tract. XL *in Joan*, n. 2. — 4 Hær. LXIX, n. 1. — 5 Ad an. CCCX.

reciperent, valde eos est hortatus. Nec audiendus est Nicetas Choniates, qui in *Thesauro* scripsit Arium ejectum a Petro fuisse propterea, quod Filium Dei e non exstantibus productum a Patre esse diceret; sed id nonnisi post annos aliquot evenit [1].

Sozomenus vero refert Arium primo ad Meletium adhæsisse; post, eo relicto, diaconum ordinatum a Petro, et ab eodem communione multatum, quod, cum Petrus Meletii fautores excommunicasset, nec eorum baptismum reciperet, Arius ei assentiri nollet[2]. Sed de baptismo valde mihi suspecta est narratio. Non enim Arianorum baptismus per illud tempus ab Ecclesia rejectus est, ut ex Epiphanio liquet [3]. Post hæc, Petro mortuo, ab Achilla reconciliatum ait, et ex diacono presbyterum esse factum; deinde ab Alexandro etiam in honore habitum. Gelasius vero Cyzicenus in actis Nicæni concilii scribit, Arium ab Achilla diaconum creatum, ab Alexandro presbyterum, proximumque ab episcopo locum ei tributum esse [4].

II. Igitur Alexandriæ, præsule Alexandro, presbyter factus, cuidam ecclesiæ sive parœciæ in ea urbe præfectus est [5]. Nam, cum plerisque in urbibus una tantum esset ecclesia, in quam cives omnes convenirent, Alexandriæ, propter urbis amplitudinem, complures fuerunt, iisque singulis curatores appositi, qui ecclesiastica ibi munia præstarent; quales *Lauras.* hodie sunt parœciæ, quas illic λαύρας nominatas esse scribit Epiphanius. Baucalis ea dicebatur, quam Arius administrabat; eodemque tempore Colluthus, Carponas Sarmatas suæ quisque præerat ecclesiæ; quos omnes hæretica pestis afflavit. Ac duo quidem posteriores se ad Arium adjunxerunt. Colluthus privatam et ipse condidit sectam; cujus hoc præcipue decretum Augustinus ac Philastrius commemorant; *Deum non facere mala*, hoc est, non infligere pœnas ut iidem interpretantur: in quo cum Marcione sentiebat. Sed obscura, neque diuturna fuit hæresis ista, et subinde dissipata est, ut refert Epiphanius. Athanasius *Apologetico* secundo Colluthianos cum Meletianis et Arianis conjunctos adversus Athanasium conspirasse scribit; porro Colluthum fuisse presbyterum, et schisma fecisse per idem tempus, quo Meletius scidit Ecclesiam, ac pro episcopo se gessisse, cujus ordinationes omnes synodali decreto abrogatæ sunt. Alexander quoque episcopus in epistola *ad Alexandrum Constantinopolitanum*, Colluthi φιλαρχίαν, id est *ambitionem* notat; quam ait imitatos esse, et expressisse penitus Arium et Achillam.

Colluthi secta.

Pace ergo Ecclesiæ reddita, cum, ut refert Socrates [6], Alexander in quodam conventu clericorum de mysterio Trinitatis disputans, subtilius exponeret, quemadmodum μονὰς ἐν τριάδι, id est *unitas* esset *in trinitate*, Arius adversum illum contendere cœpit, et Sabellianum errorem dictis illis impingere. Auctor est Sozomenus[7], Alexandrum, Arii audita sententia, initio velut addubitasse, deque ea quæstione disputationem instituisse, in qua vehementius instanti Ario etiam ipse suffragatus est. Verum subinde catholicum dogma toto pectore complexum, contra novam hæresim acerrime certasse. Quonam vero tempore primum ab Ario disseminari cœperit, indicat Orosius libro septimo; ubi *his diebus*, quibus Cæsares creati sunt Crispus et Constantinus junior, id incidisse scribit [8]. Facti sunt autem illi Cæsares, ut in Fastis Idatii legitur, anno Christi CCCXVII. Quare non assentior iis [9], qui Lactantium putant Arianos inter alios hæreticos numerasse [10]. Illud enim nomen perperam in contextum irrepsit, nec in emendatis codicibus legitur.

III. Igitur Alexander, coacto adversus Arium centum, ut ipsemet in Synodica memorat, episcoporum concilio, ac re diu illic agitata, demum recantare, quæ dixerat detrectantem, hominem communione privavit una cum ejusdem hæresis sociis. Docet Epiphanius, initio presbyteros illi inhæsisse septem, diaconos duodecim, episcopum unum, Secundum Pentapolitanum, nec non virgines septingentas. Alexander autem in encyclica epistola apud Socratem, quatuordecim omnino recenset [11]; qui et libello subscripti leguntur, quem eidem Alexandro post depositionem suam obtulerunt [12]. Sunt autem hi, presbyteri sex, Arius, Aithales, Achillas, Carponas, Sarmatas, Arius alter; diaconi totidem, Auzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius, Gaius; episcopi duo, Secundus Pentapolis, et Theonas Libyæ; Pistum addit Epiphanius, qui Alexandriæ ab Arianis constitutus est. Sed de hoc postremo vide, quæ in Epiphanianis animadversionibus olim adnotavimus. Hunc certe ab Alexandro episcopo, et Nicæna

Alexander Arium ejicit

1 Lib. V, c. I. — 2 Lib. I, c. XV. — 3 In *Exposit.* n. 13. — 4 Lib. II, c. I. — 5 Epiph. Hær. LXIX, Nicet. l. V, c. I et seq. — 6 Lib. I, c. V. — 7 Lib. I, c. XV. — 8 Oros. l. VII, c. XXVIII. — 9 Ut Bar. ad an. CCCXV. — 10 Lact. l. IV, c. ult. — 11 Lib. I, c. VI. — 12 Apud Epiph. hær. LXIX, n. 8.

synodo damnatum et depositum ob Arianam impietatem, scribit Julius Romanus pontifex[1] in epistola *ad Eusebium*, et reliquos Arianos; sed, cujus dignitatis fuerit, non exprimit. Apud Theodoretum, in epistola ejusdem Alexandri ad cognominem episcopum Byzantii, unus presbyter Arius, reliqui diaconi percensentur numero novem. In quo ridiculus est Gelasii Cyziceni error in secundo libro *de Actis Nicænis*, capite XXVII, qui Alexandrum illum Constantinopolitanum Nicæni concilii tempore adhuc presbyterum fuisse prodit. Cæterum, quod iidem alias diaconi, alias presbyteri nominentur, potest ea causa reddi, quod, qui tum inferioris erant gradus, cum ab Ecclesia una cum Ario expulsi sunt, subinde ab fautoribus partium altius sunt evecti. Liberius papa in epistola *ad Constantium*, quæ exstat tomo tertio Bibliothecæ Patrum, editionis ultimæ, testatur, undecim tam presbyteros, quam diaconos, quod Arii sequerentur hæresim, ab Alexandro ejectos ab Ecclesia; quod et verum est, si Arium sectæ auctorem eximas. Post hæc Alexander encyclicas litteras ad singulos episcopos scripsit, numero septuaginta, ut testatur Epiphanius, quibus de iis, quæ a se gesta erant, certiores illos reddidit. Exstant eæ litteræ apud Socratem et Theodoretum. Quibus acceptis, episcopi pro suo quisque ingenio ac moribus varie rescripserunt. Alii factum probare, et, ut in eo perseveraret, hortari. Alii fautores Arii se palam profiteri, et, ut ejectos a se in gratiam reciperet, admonere, quorum Arius animos litteris suis occuparat. Nam ad plerosque, quos sibi improbitate conjunctos noverat, litteras et ipse cum suis dedit, præsertim ad Eusebium Nicomediensem; quarum exemplar descripsit Epiphanius. His fortiter resistente Alexandro, Eusebii ambo, alter Nicomediæ, Cæsareæ alter episcopi, et Patrophilus Scythopoleos, synodos coegerunt, in quibus Arium in integrum restituerunt, ut refert Sozomenus[2]. Sed Alexandriæ antistes Alexander nihil his commotus, in Arii condemnatione ac proposito suo summa constantia perstitit. Scribit Nicetas in *Thesauro* Eusebium Nicomediensem synodum coegisse episcoporum CCL, et Alexandrum, ac τὸ ὁμοούσιον damnasse; quod esse falsum videtur de ὁμοουσίῳ, quod nondum percrebuerat. Talibus altercationum, ac jurgiorum flabellis in Oriente excitatum incendium, majora per dies incrementa capiebat; ac jam christiana ipsa religio, et sacrosancta fidei mysteria in contemptum ac ludibrium apud gentiles venerant; eaque per scenas ac theatra publice traducebantur[3].

Consubstantiale.
Consubstantiali.

Ad componenda dissidia incumbit Constantinus imperator.

IV. Ad ea componenda dissidia Constantinus imperator primum litteris ad Alexandrum et Arium datis incubuit; quibus amanter eos, ac benevole ad concordiam hortatus est. Exstant eæ litteræ integræ apud Eusebium libro secundo *de Vita Constantini*[4], et apud Socratem decurtatæ libro primo, capite septimo[5], in quas irrepsisse præterea liquet nonnulla vocabula, quibus τὰς νῦν ἐπιπολαζούσας αἱρέσεις vocat Ἀρειανῶν, Εὐνομιανῶν, id est *regnantes modo hæreses Arianorum*, *Eunomianorum*; quæ et orationem interturbant, et recentioris sunt temporis, nec apud Eusebium leguntur. Misit autem litteras istas per Hosium Cordubæ in Hispaniis episcopum; ut ibidem Eusebius, Socrates, et Theodoretus affirmant[6]. Præter has, circularem aliam epistolam ab eo missam scribit Epiphanius[7], in qua adversus Arium et Arianos vehementius est invectus; quæ apud Gelasium in *Actis* legitur, libro tertio. Sed ea incondita est ac frivola, ut propemodum ab otioso aliquo ficta, et Constantini nomine publicata videri possit. Quod si vere scripta est ab illo, nequaquam tamen sub idem tempus dictata est, quo priorem per Osium misit ad Alexandrum et Arium, ut est in *Annalibus*, nimirum anno Christi CCCXIX, neque hoc potest ex Epiphanio colligi. Imo longe postea esse scriptam ostendit idem.

Osii ad pacem restituendam legatio irrita.

Osius, postquam nihil imperatoris litteris, neque privatis colloquiis ad pacem et concordiam profectum vidit, synodum, ut in mandatis habebat, coegit Alexandriæ: cujus meminit Athanasius in *Apologia* secunda. Qua in synodo Colluthus, qui sibi episcopi dignitatem sumpserat, in pristinum locum redactus est; Ischyras vero, qui se presbyterum fecerat, inter laicos censeri jussus. Sabelliana denique rursum hæresis est damnata. De Ario, ejusque factione, quid actum sit, non constat.

V. Igitur Constantinus recuperandæ spe pacis et concordiæ frustratus, ac majoribus hoc auspiciis tentandum existimans, ex omnibus Christiani orbis provinciis episcopos convocat. Quod ut faceret, non Arianæ solum turbæ illum incitarunt, sed altera quoque non minus gravis dissensio de Paschate cele-

1 Apud Athen. *Apol.* II. — 2 Lib. I, cap. XV. — 3 Euseb. lib. II *de Vita Const.* — 4 Fol. 134, ed. Rob. Steph. — 5 Et apud Gelas. lib. II, cap. IV. — 6 Lib. I, cap. VII. — 7 Hær. LXIX, n. 9.

brando, quod aliis atque aliis temporibus passim in Ecclesiis obire mos erat, ut, quibusdam jejunantibus, aliis comessationibus, atque epulis indulgerent[1]. Quocirca, litteris ad episcopos ubique missis, et evectionis ac publici cursus potestate facta, Nicææ in Bithynia synodum coegit œcumenicam primam, anno Christi CCCXXV, Paulino, et Juliano coss. imperii anno vicesimo [2].

Concilium Nicænum.

Ad hanc episcopi convenere CCCXVIII inter quos insigni complures sanctitate, nonnulli etiam doctrina præditi erant, quidam superioribus Diocletiani et Maximini, nec non Licinii persecutionibus immania tormenta passi, eorum in corporibus suis decoras et illustres notas ostendebant. Huic episcoporum cœtui Romanus pontifex propter ingravescentem ætatem non interfuit; sed legatos pro se duos presbyteros misit, Vitonem et Vincentium[3]. Erat is Silvester, non Julius, ut perperam Sozomenus scripsit[4]. Quem qui sic excusat, ut eum scripsisse dicant, πολιὸς δὲ ὁ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, διὰ γῆρας ἀπελιμπάνετο, hoc est, *Canus autem Romanorum episcopus propter senectutem aberat*, pro eo Ἰούλιος δὲ, etc. multum opinione falsi sunt. Aderat vero Alexandriæ præsul Alexander cum Athanasio diacono suo et Eustathius Antiochenus; Macarius item Hierosolymitanus. Tam illustris conventus fama gentiles quoque philosophos eodem excivit, partim studio novæ explorandæ religionis, et nuper e latebris in apertum lucemque productæ, partim ut disputandi subtilitate, ac versutia rudes et illitteratos homines implicatos tenerent. Quorum multiplices congressus ad pompam magis confictos, quam ad veritatis fidem descriptos, memoriæ prodidit Gelasius Cyzicenus, scriptor, ut superius attigi, imperitus et ineptus.

VI. Scribit Socrates [5], pridie quam Patres convenirent, philosophos complures ad eos accurrisse, et inter alios disputatorem unum acrem et versutum ab laico quodam e confessorum numero simplici sermone compressum. Postquam autem dicta dies advenit, congregati sunt in aula quadam interioris palatii, dispositis ad utrumque latus sedibus, ac suo omnes ordine locati sunt [6]. Postea Constantinus imperatorio habitu, totus auro gemmisque collucens ingressus est. Cui cum omnes assurrexissent, atque ille primo in ordine constitisset, posita ipsi aurea, sed humili sella, non prius assedit, quam episcopi annuissent, qui post eum omnes sederunt. Tum unus ex episcopis, qui in dextro ordine primus erat, ait Eusebius, orationem habuit, qua Deo et imperatori gratias egit. Hunc Eustathium fuisse Antiochenum episcopum, refert Theodoretus [7]. Alii Eusebium Pamphili suspicantur [8]. Theodorus Mopsuestenus apud Nicetam in *Thesauro*, Alexandriæ præsulem Alexandrum maluit. Post hunc Constantinus orationem et ipse Latinam dixit, quæ ab Interprete Græce est reddita; in qua tum Deo gratulatus est, tum episcopos ad pacem et concordiam, non solum inter se sanciendam, sed etiam Ecclesiæ reddendam hortatus est. Forte, antequam convenirent, fœde inter se rixati episcopi plerique, querelis et criminationibus refertos libellos imperatori obtulerant; quos ille obsignatos, et in concione prolatos cremari extemplo jussit, professus, se nullum eorum legisse, nec ab homine judicandos eos, quo Deus tam sui, quam omnium mortalium judices constituisset[9]. Hoc imperatoris facto et hortatu incitati episcopi, pacatos animos et tranquillos ad cognoscendam Arii causam diligentius intenderunt.

Quem cum sæpius in medium adductum, interrogatumque patienter audissent, tandem illius condemnarunt hæresim, ac fidei symbolum condiderunt; in quo ὁμοούσιον, id est *consubstantialem* esse Patri decreverunt Filium; in auctorem quoque ipsum, et aliquot perfidiæ socios, ac defensores sententiam dixerunt. De quo non satis constans et accurata est historicorum fides. Nam complures Arium referunt in concilio ipso Nicæno damnatum, Constantini jussu exulatum abiisse cum quibusdam episcopis; quod esse falsum, paulo post ostendam. Illud enim prævertendum est, de quo inter omnes convenit, cum primum synodi decreto Arii notata sententia est, septemdecim episcopos reclamasse, ac noluisse subscribere; mox autem, oblato sibi ab Imperatore exilii metu, undecim ex iis, communicato consilio, ficte assensos esse. Ita Ruffinus; qui sex reliquos cum Ario pelli se passos esse dicit [10]. Fuerunt hi, ut ex Socrate ac Sozomeno constat, Eusebius Nicomediæ, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ in Africa, Secundus Ptolemaidis, et Eusebius Cæsareæ episcopi. Theodoretus vero auctor est [11], Menophantum Ephesium,

Consubstantialem Deo esse filium decretum est.

1 Euseb. lib. III *de Vita Constan. Socrat*. lib. I. — 2 Ibid. et Theod. I, Sozom. I. — 3 Euseb. loc. cit. — 4 Lib, I, cap. XVII. — 5 Lib. I, cap. VII. — 6 Euseb. loc. cit. — 7 Lib. I, cap. VII. — 8 Soz. lib. I, XVIII. Nicetas Chon. in *Thes*. lib. V, cap. VI. — 9 Ruff. lib. I, cap. II; Socr. l. I, cap. VII. — 10 Lib. I, cap. VII. — 11 Lib. I.

Patrophilum Scythopolitanum, Theogonium Nicænum, Narcissum Neroniadis, Theonam, et Secundum initio restitisse, ac novam obtulisse fidei formulam, quæ a Patribus est conscissa, nec non et altera ab Eusebio proposita[1]. Tanto igitur omnium consensu territi reliqui in synodi potestate fuerunt. Duo soli pertinacius obluctati sunt, Theonas et Secundus, qui ideo damnati sunt a synodo una cum Ario. At Socrates duos illos cum Ario damnatos ac depositos commemorat, Eusebium Nicomediensem et Theognim.

Nec Arius nec alii exilio mulctati.

VII. Verum certissime constat, neque Arium, neque fautorum ejus quemquam in synodo pœnis ullis affectum, aut relegatum fuisse, sed omnes oblatis libellis receptos, et in integrum restitutos. Quod imprimis testatur ex *Actis Nicænis* Hieronymus in dialogo *contra Luciferianos*; ubi octo episcopos Arianos scribit in Nicæno concilio susceptos esse, quos ita percenset, « Eusebius Nicomediensis, Theogonius Nicænus, Saras tunc presbyter Libyæ, Eusebius Cæsariensis, et reliqui, quos enumerare longum est; tum Arius presbyter, et Euzoius diaconus, qui post Eudoxium Antiochenus episcopus fuit, et Achillas lector. » Constantinus quoque ipse in epistola ad episcopos, qui Hierosolymis ad Encænia convenerant, post conciliabulum Tyrium, Arium recipi in communionem jubens, si recte sentiret, erroremve correxisset, hanc rationem adhibet: « Quandoquidem tanta fuerit concilii (Nicæni), moderatio, ut non in personam ejus, sed in dogmatum pravitatem fuerit lata sententia; » ut est apud Ruffinum libro *Historiæ* primo, capite II. Athanasius vero libro *de Decretis Nicænæ synodi* scribit Eusebium Nicomediensem, et alterum Cæsariensem ὁμοουσίῳ subscripsisse. Exstat rescriptum[2] imperatoris Constantini *ad Nicomedienses*, in quo demonstrat Eusebii Nicomediæ episcopi depositionem post Concilium accidisse; ac dum hoc celebraretur, supplicem illum, et nihil non agentem, id, quod petebat, impetrasse. Quid illud vero fuerit, declarat libellus ab eodem Eusebio et Theogonio oblatus synodo apud Socratem[3], in quo profitentur se antea fidei subscripsisse; non autem anathematismo, id est damnationi Arii, quod non crederent talem Arium esse, qualis vulgo ferebatur; nunc vero velle se subscribere, non quod exilium moleste ferant, sed ut hæresis infamiam devitent. Absurdum autem videri, cum is qui reus esse videbatur, hoc est Arius, pœna liberatus sit, seque ipsum excusaverit, seipsos tacere. Quamobrem rei tum gestæ seriem propemodum tenemus ex illis litteris. Nimirum in synodo ipsa, cum imperatoris sententia damnati essent tam Arius, quam Eusebius et Theogonius, et in exilium amandandi, primum Arius hæresim suam abdicasse videtur, ac libello Patribus oblato receptus in gratiam, sed ea tamen lege, ne Alexandriam unquam rediret. Post hujus exemplum secuti episcopi illi duo, qui ita fidei subscripserant, ut ad Arii damnationem adigi non potuissent, ob idque sententiam exilii pertulissent, illo ipso dato libello, quem describit Socrates, communioni sedibusque suis restituti sunt. Verum post annos aliquot, ac prorsus finito concilio, iidem illi duo episcopi a Constantino in exilium deportati sunt, eorumque loco iidem illi substituti episcopi, qui in Nicæna synodo constituti jam erant, Amphion Nicomediæ, Chrestus Nicææ.

Testis est enim Athanasius in libro *de Synodis*, « post Nicænam, ut dixi, synodum depositum Eusebium esse[a];» quem locu haud recte vertit interpres. Verum haud multo reversus ab exilio, ut idem narrat, et in imperatoris gratiam et amicitiam receptus, majores turbas concivit, præsertim post Constantini obitum; de quo postea.

VIII. Damnato Ario, Constantinus edictum præterea fecit[4], quo tam illum, quam ejus fautores sempiterna notavit ignominia, jubens, omnes in posterum *Porphyrianos* appellari ab illo, cujus imitati essent impietatem; tum, ut quidquid uspiam exstaret Arii librorum, igni traderetur, pœna mortis in eos constituta, qui penes se illos retinerent. Quod decretum subinde post Arii condemnationem editum videtur, priusquam ille resipisceret. Non enim verisimile est, ejus nomen personamque styli sui mucrone confossurum esse Constantinum, quem, mutato animo, ad saniora spectasse consilia putaret, atque ab Ecclesia recipi voluisset.

Idem judicium de epistola illa synodica facimus[5]; quam ad Alexandrinam Ecclesiam, eique contributas omnes Nicæni Patres scrip-

a ATHAN. Μετὰ γὰρ τὴν ἐν Νικαίᾳ σύνοδον οἱ περὶ Εὐσέβιον καθῃρέθησαν.

1 Theod. cap. VIII. — 2 Apud Theodor. lib. I, cap. XIX. — 3 Lib. I cap. XIV et *Hist.* Trip. lib. II, cap. XVI. — 4 Soc. lib. I, cap. IX *Hist.* Trip. lib. II, cap. XV. — 5 Apud Socrat. lib. I et *Hist.* Trip. lib. II, cap. XII.

serunt. Nam videtur ante restitutum Arium, ejusque socios data, siquidem in ea testantur Arium, et cum eo duos episcopos, Theonam Marmaricensem, ac Secundum Ptolemaidis, meritas pœnas excepisse, et ab Ecclesiæ communione rejectos. Duos autem illos synodica ista solos ideo commemorat, quod soli ad Alexandrinam metropolim ex iis qui damnati erant, pertinebant. Videndus Nicetas Choniates in *Thesauro*, ubi ex Philostorgio nonnulla profert, quæ ad hanc historiam spectant[1]. Præter Arii causam, alia duo præcipue in eodem concilio tractata, et ordinata sunt. Alterum est, de Meletio nefarii schismatis auctore, quem, ut ex synodica illa colligitur, solo episcopi nomine contentum in urbe sua manere jusserunt, nec ullam partem functionis attingere; qui autem promoti ab illo forent, eos manuum impositione, ac sacratiore ritu expiatos secundo gradu censeri ab iis, quos Alexander ordinarat.

Alterum negotium fuit Paschatis observatio, quod uno ubique die celebrari oportere sanxit. Ad extremum liquet ex antecedentibus, haud exacte loqui plerosque veterum, qui de Nicæna synodo verba facientes, trecentos decem et octo, qui illi interfuerunt, pro sanctis et catholicis habent, et communi omnes præconio celebrant; tum vero mysticas quasdam e Scripturis, vel aliunde significationes ad illos accommodant. Ut cum Ambrosius in Procemio librorum *de Fide* [2], Trecenti, inquit, decem et octo sacerdotes, tanquam Abrahæ electi judicio, consona fidei virtute victores velut trophœum toto orbe subactis perfidis extulerunt, ut mihi videatur hoc esse divinum, quod eodem numero in conciliis fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum. Aut cum idem ex numeri ejusdem Græcis notis, τ et ι, et η, « crucem in trecentis, Jesu nomen in decem et octo sacerdotibus contineri » ait[3]. Neque enim sancti in illo conventu episcoporum omnes, aut catho-

Non omnes Nicæni Patres fuere sancti aut catholici.

lici fuerunt; quod et Paschasius diaconus in præfatione librorum *de Spiritu sancto* adnotat; ubi mysteria illa numeri duo commemorat, atque « etsi, inquit, ex hoc numero paucorum fragilitas declinavit, universalis tamen numeri mysterium non resolvit. » Hinc Coptitæ et Æthiopes in confessione liturgica trecentos octodecim illos pro sanctis nominant[4].

CAPUT VIII.

Cujusmodi mera et primigenia fuerit Arii hæresis, ac quibus infamiæ notis ab Catholicis inusta sit.

I. Quod de vitiis ac malis exemplis universe Velleius Paterculus scripsit, « Non ibi consistere, unde cœperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime sibi evagandi finem facere; et ubi semel recto deerratum est, in præceps perveniri, » hoc esse verissimum Arianæ progressus hæresis ostendit. Nam ea paulatim sumptis viribus, non spatiis modo regionum, atque hominum numero longe lateque diffusa, sed in varias etiam sectas factionesque divisa est. De quibus antequam dico, res ipsa monere videtur, ut cujusmodi primigenium, ut ita loquar, dogma fuerit Arii, quam accuratissime demonstrem; ejusque tum ex ipsis illius verbis, tum ex antiquissimis, et hæretici ipsius æqualibus scriptoribus, velut summam conficiam.

In quo sita sit Arii hæresis.

Sic igitur affirmabat unum ac singularem esse verum, proprieque dictum Deum, quem nos Patrem dicimus, qui « solus sit ingenitus, solus æternus, solus principio carens, solus verus, solus habens immortalitatem, solus sapiens, solus bonus, solus potens, omnium judex, gubernator administrator, invariabilis, et mutationis expers[a], » etc. Quæ sunt Arii ejusque fautorum verba in libello supplici[5], quem Alexandro Alexandriæ præsuli

a Arii et sociorum epistola. Οἴδαμεν ἕνα θεὸν, μόνον ἀγέννητον, μόνον ἀΐδιον, μόνον ἄναρχον, μόνον ἀληθινὸν, μόνον ἀθανασίαν ἔχοντα, μόνον σοφὸν, μόνον ἀγαθὸν, μόνον δυνάστην, πάντων κριτὴν, διοικητὴν, οἰκονόμον, ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον, etc.

* Imo et solemne fuit, ab hisce sanctis Patribus precari anathema iis, qui pacta violassent. Exstant hanc in rem inscriptiones aliquæ, atque ea cum primis, quam ex Donii schedis acceptam refert, illustratque eruditus P. Eduardus Corsinius scholarum piarum dissert. III, e sex, quas *Notis Græcorum* subjecit. In illa nempe istæc legas : « Abeat (*habeat*) anathema a Juda, si quis alterum omine (*sic*) sup. (*super*) me posuerit, anathema abeas (*sic*) da tricenti decem et octo Patriarche (*sic*) qui chanones esposuerunt (*sic*) et da sca... xsti quatuor Evangelia. » F. A. Z.

1 Nicet. lib. V, cap. VI et seq. — 2 *Gen.* XIV. — 3 Amb. lib. I *de Fide*, cap. IX. — 4 Kircherus in *Prod.* cap. II. — 5 Apud Ath. lib. *de Syn.*, et Epiph. hær. LXIX, num. 7.

obtulerunt, postquam ab illo damnati ejectique sunt. Hunc ex æterno Deum, Patrem vero non ex æterno fuisse; sed tum demum, postquam Filium produxit, qui e nihilo, hoc est, ut illi loquuntur, ex non exstantibus creatus est, adeoque κτίσμα est καὶ ποίημα, hoc est *creatura et opus*, ad hoc editum, ut ad creata fabricanda cætera, tanquam instrumento, et administro illo Deus uteretur[1]. Neque vero Sapientiam illum esse putabat, quæ inest in Deo, neque λόγον, id est *Verbum* interius insitumque Deo; verum duas esse σοφίας, totidemque λόγους; ac Filium illum, quem vocamus et Sapientiam, extra Deum esse, et ab interiore illa Sapientia, et λόγῳ fabricatum, non natura sed gratia, tam Verbum, aut Sapientiam appellari, quam Filium[1].

Sapientias. Verba.

Quocirca Deum verum negabat esse, sed participatione duntaxat, quemadmodum homines et angeli; verum præ cæteris omnibus, præstanti quadam illum ratione dici Filium, ac, secundum famosum illud carmen, creaturam quidem esse, sed non cujusmodi creaturæ sunt reliquæ. Imo vero mutabilem eumdem esse dicebat, et in malum posse desciscere; sed præscientia tamen ex omnibus exemptum, quod in bono constantem eum fore præviderit Deus[2]. Quodsi Paulus, aut Petrus, aliusve quispiam tantum ad virtutem et sanctitatem, quantum iste Filius Dei, conatum adhiberet, eodem jure, nec minus excellenter esse, dicique posse Filium; quæ fuit Carpocratis opinio, ut Epiphanius ac Theodoretus affirmant. Cum autem a Patre solus, et interposito alio nullo sit conditus, per ipsum vero cætera deinde procreata, eo quod meram et proximam vim illius, et efficientiam creata res nulla capere ac sustinere posset, quod ex Asterio Sophista descripsisse Arium, testis est Athanasius libro de *Decretis Nicænæ synodi;* ideo præstanti quodam modo Filium nominari eum Arius asseverabat, ita tamen, ut alios eidem vel æquales, vel etiam potiores, si lubeat, adhuc efficere possit. Etenim plures esse in Patris potestate δυνάμεις, pluresque λόγους, ut Arius in Thalia scripsit; e quibus aliquem Christo etiam excellentiorem proferre possit[3].

Virtutes.

II. Proinde Patrem, Filium, et Spiritum sanctum naturas et substantias asserebat invicem disjunctas, ac separatas esse penitusque peregrinas ac dissimiles[4]; Filium ipsum nihil habere proprium Dei, neque huic æqualem, aut consubstantialem esse quod in eadem *Thalia* totidem verbis hæreticus iste canebat[5]. Ideo Triusiani a Fulgentio nominantur Ariani[6].

Addit insuper nefandus iste in *Sotadeo* libello, Filium neque Patris naturam, ut in se est, cognoscere, neque suam ipsius; Deum tamen eumdem exstitisse voluntate Patris, sed eo longe inferiorem, adeoque minime verum Deum. Hæc Arii, ac nascentis illius Thaliæ hæresis professio fuit, quam ex illius Thaliæ fragmento, quod est apud Athanasium[7], et epistolis ejusdem Arii *ad Alexandrum*, *et Eusebium*, tum ex Alexandri ipsius epistolis atque ex Athanasio collegimus[8]. In ea vero professione quod supra memoravi, planissime constat germanum Platonicum Arium exstitisse; tum illorum veterum secutum esse dogma, qui nondum patefacta constitutaque re ad eumdem errorem offenderunt. Nam et illi productum a Deo Patre Verbum, non tamen ex æternitate, docuerunt, sed antequam mundum fabricaret; ut illo administro ad hujus molitionem operis uteretur. Non enim per sese, ac sine interjecto aliquo, procreasse putabant omnia; quod et Philo in libro *de Opifice mundi* secutus est. Quamobrem, quod Arium illius dogmatis architectum fuisse, cujusmodi hactenus auditum non erat, Alexander in epistola queritur, aliique Patres, qui contra hanc hæresim scripsere, oratorio more, et per exaggerationem dici arbitror, siquidem magna est a nobis producta copia priscorum, qui idem, quod Arius, ante tradiderunt. Nisi forte hoc iste præcipuum habeat, quod Verbum Dei, ac Filium ἐξ οὐκ ὄντων, *ex nihilo creatum* palam, ac disertius, quam unquam alias, asseveraverit. Nam plerique illi, quos supra citavi, non id aperte declarant, sed Filium, sive λόγον aiunt ex Patris substantia profluxisse; ut Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus. Origenes autem, et Dionysius Alexandrinus, etsi reipsa idem, quod Arius, sentiunt; non tamen expresse ac verbo declarant, ἐξ οὐκ ὄντων Filium esse factum. Tum illud forte vel peculiare, vel præ cæteris Arius habuit, quod Filium Dei natura esse mutabilem, et in deterius verti posse defenderet. Itaque Sozomenus quædam ait Arium docuisse, « Quæ a nullo hactenus usurpata fuerant; videlicet Filium Dei ex non existentibus esse factum; ac fuisse quondam eum nondum esset. Item libero suo ar-

Arius germanus Platonicus.

Ex non existentibus

Filium ex nihilo factum mutabilemque asserit.

1 Athan. orat. I. ex Ario. — 2 Athan. orat. II. — 3 Vide Ari *Thaliam* apud Ath. lib. *de Syn.* — 4 Idem orat. II. — 5 Athan. *de Synod.* — 6 In *Respons. ad Object.* VII *Arian.* — 7 Lib. *de Synod.* — 8 Apud. Ath. ib. et Socr. Epiph. hær. LXIX.

bitrio nequitiæ ac virtutis capacem esse, et creaturam, atque opificium [a].» Hæ voculæ, ἐξ οὐκ ὄντων, *ex non existentibus*, duplici sensu possunt accipi : primum ut ex nihilo, hoc est nulla velut ex materia naturave prius existente productum aliquid esse dicatur, ut cum Deus mundum initio condidit; tum ita, ut cum nondum existeret, cœpisse significetur existere, quemadmodum Adamus a Deo productus est, cum non esset antea, non tamen ἐξ οὐκ ὄντων secundum priorem modum, quippe Deus illum ex humo fabricavit. Arius utraque notione, sed priore potissimum, Filium Dei ἐξ οὐκ ὄντων productum esse contendit; hoc est non ἐξ οὐσίας, *e substantia Patris*, sed illum prorsus extraneum esse voluit, ac veri summique Dei dissimilem, velut creatæ res cæteræ sunt; inter quas eminere singulare et primigenium illud opus Dei fatebatur. Emersere tamen ex illo grege Arianorum nonnulli, quos *Psathyrianos* appellari scribit in IV libro *de Hær.* Theodoretus, qui ut Patrem exstitisse semper, ita Filium semper ab eo creatum fuisse dicerent. Nihil enim apud Deum aliud esse gignere, quam creare. Isti, si recte Theodoretum interpretamur, Filium ex non exstantibus fuisse priori notione, non posteriori faterentur. Velut etiam hodieque philosophi illi, qui mundum ab æterno produci potuisse censent, id, si esset a Deo factum, ἐξ οὐκ ὄντων creatum priori significatione defenderent, non posteriori; quia ex omni æternitate tum exstitisset. At veteres complures ita Filium negabant ex æternitate productum, ut a Patris substantia non alienum, neque peregrinum esse dictitarent; imo vero ex ejus *usia, natura et substantia* productum ac genitum. Sane architectus, cum et domum, et Filium producere dicatur, utrumque non existentem in rerum natura constituit, sed longe dissimili ratione. Nam domum ex nulla re, quæ sua sit, efficit, alienum prorsus opus et adventitium; idem Filium ex natura, et substantia sua, tanquam alterum sese, non efficere, aut fabricare, sed generare dicitur. Quamobrem Arius, qui a Patris substantia Filium abjudicabat, merito omnium execratione damnatus est. Unde Ariani postea ἐξουκόντιοι nominari consueverant; quod, cum e Patris substantia negarent esse, e nihilo productum dicerent.

III. Ejusmodi damnatam in synodo Nicæna, et ab Ario ejusque discipulis recantatam hæresim, iidem paulo post resumpserunt, primum occulte ac subdole, quamdiu superstes fuit Constantinus M. Hoc enim vivo, quamlibet occultis cuniculis Nicænam fidei confessionem subruere conati sunt, huic tamen contrariam nullam obrogare sunt ausi; sed hoc unum pugnarunt, quod et majori ex parte perfecerunt, ut et sede sua pelleretur Athanasius, et Arius in integrum restitueretur. Ut enim illo manente ac consentiente, iste pristinum locum reciperet, nulla vi extorquere potuerant. Itaque falsis criminibus circumvento, relegatoque Athanasio, qui anno Christi CCCXXXVI, jussu Constantini Treverim in Gallias exulatum abiit, Constantinopolim vocatus Arius ficta catholicæ fidei professione imperatorem delusit, et cum in Ecclesiam et communionem, invito Alexandro urbis illius episcopo, intrudendus esset, turpi et horrenda morte pœnas perfidiæ ultimas dedit, quorum omnium testis est Athan. epist. *ad Serapionem;* Rufinus, Socrates, Sozomenus et alii.

Proxime qui est secutus annus, Christi CCCXXXVII, mortuo Constantino, tres ejus filios imperatores dedit, Constantinum, cui Galliæ cum Transalpinis omnibus regionibus cesserunt; Constantium, qui Thraciam, Asiam, et Orientem cum Ægypto tenuit, et Constantem, cui Roma, Italia, Africa, Sicilia, insulæque contigerunt. Horum primus et tertius catholicam pietatem integre coluere. Athanasium etiam ille ab exilio revocatum, Alexandriam cum honore dimisit anno Christi CCCXXXVIII. Constantius ab Eusebio Nicomediensi aliisque fautoribus Arianæ perfidiæ deceptus, Athanasium haud minus, quam Nicænam fidem, hostiliter insecutus est,

IV. Sed nec illud postremo prætereundum est, Arianos peculiari vocabulo Ariomanitas esse dictos, quo nomine appellandos eos Constantinus imperator epistola sua deinceps præcipit, nec aliter Epiphanius nuncupat, Gregorius quoque Nazianz. orat. XX *in Basilium*, Arium vocat μανίας ἐπώνυμον eo sensu non quod Αρεῖος a Marte vocaretur, ut putavit Interpres. Nam orat. XXIX, idem τὴν Ἀρείου κακῶς ὀνομασθεῖσαν μανίαν appellat.

Quibus insaniæ notis inustus fuerit Arianismus

A furore nomen habens.

Arii recte nominatum furorem.

Eamdem illam pestilentem, ac detestandam hæresim *Judaicam* appellare consueverunt

[a] Sozom. lib. I, cap. xv. Ὡς τοῦτο πρότερον παρ' ἑτέρου μὴ εἰρημένον τολμῆσαι ἐν ἐκκλησίᾳ ἀποφήνασθαι, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐξ οὐκ ὄντων γεγενῆσθαι, καὶ εἶναί ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ αὐτεξουσιότητι κακίας, καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν ὑπάρχειν, καὶ κτίσμα, καὶ ποίημα.

Patres, ut Athanasius multis in locis[1]. Ἰουδαϊκή, inquit, νέα αἵρεσις *Judaica nova hæresis.* Proclus vero Constantinopolitanus episcopus Judaica quoque deteriorem perfidia illam vocat[2], « novissime fabricatam, inquiens, et novam blasphemiam, quæ Judaismo multo in Deum contumeliosior est[a].» Cur sit magis, quam Judaismus, inimica Deo, causam affert Cyrillus libro XI *in Joannem* : « quod Judæi secundum carnem Christum affigunt cruci; illi autem in ipsam debacchantur ineffabilem Verbi naturam[b].»

CAPUT IX.

De variis, ac dissonis fidei professionibus paucis annis ab Arianis editis, quæ intra annos circiter viginti numerantur quatuordecim; et earum accurata historia describitur.

I. Post Arianam in Nicæna synodo profligatam hæresim, et in ea præscriptam catholicæ fidei regulam, quæ tota fere unica τοῦ ὁμοουσίου, id est *consubstantialis* vocula continebatur, omnes ad hanc obliterandam conversi sunt Arianorum impetus; qui variis artibus, et subdolis verborum circumscriptionibus fucum facere conati sunt, ac simplicitatem Nicænæ professionis perpetua oblivione conterere. Quod ut efficere possent, alios super aliis conventus episcoporum ac synodos congregarunt, in iisque diversas, et prioribus posteriores sæpe contrarias fidei formulas ediderunt adeo, ut paucis annis, hoc est novemdecim, traditas ab illis undecim Athanasius referat in libro *de Synodis;* quibus duodecimam adjungemus, imo decimamtertiam. In his porro οὐσίας et ὁμουσίου nomina tanquam scopulos evitantes, illam cum Patre divini Verbi cognationem, ac σχέσιν variis modis explicarunt. De quibus singillatim ac paucis agere, ad hæresis illius arcana cognoscenda, et veterum Patrum ea de re sententiam explorandam, plurimum intersit. Atque ex eo verissimum esse deprehendemus, quod in præfatione *Thesaurorum* scripsit Cyrillus, « multiplicem ac multiformem fuisse Arii et Eunomii dogmatum errorem, variisque modis veritatis fucasse et adulterasse formam[c], » similiter ac meretrices faciunt, quæ deformitatem suam fuco ac cerussa pigmentisque variis, et auro, ac gemmis, sericarumque vestium ornatu tegere conantur.

Tredecim formulæ fidei Arianæ

Substantiæ et consubstantialis. Habitudinem.

II. Prima post Constantini obitum ab Arianis celebrata synodus, et fidei confessio, Antiochiæ facta est anno Christi CCCXLI *, in Encæniis, cum ad dedicandum Dominicum aureum, quod in ea urbe Constantinus erexerat, frequentes advenissent. Convenerunt episcopi numero XC, ut ait Athanasius[3], et Socrates[4]; vel XCVII, si Sozomeno credimus[5], Marcello et Probino coss. anno quarto ab obitu Constantini, teste Athanasio et Socrate, qui est Christi CCCXLI. In eo conciliabulo duas edidere fidei formulas, quarum prior Filium nominat « unum Dei Filium unigenitum, ante omnia existentem sæcula, et cum Patre versantem, qui ipsum genuit; per quem omnia facta sunt, tam visibilia, quam invisibilia[6]. » Ibi de οὐσίᾳ et similitudine litteram nullam fecerunt. In fine vero, « manere dicunt ipsum regem, et Deum in sæcula[d]. »

Prima formula.

Altera fidei confessio** in eodem illo Antiocheno conventu paulo de Filio Dei honorificentius loquitur. Nam eum vocat « conver-

a PROCL. Τὴν νεότευκτον ταύτην καὶ καινὴν βλασφημίαν, τὴν τὸν Ἰουδαϊσμὸν κατὰ πολὺ εἰς βλασφημίαν νικῶσαν.

b CYRIL. Οἱ μὲν γὰρ κατὰ σάρκα σταυροῦσι Χριστόν· οἱ δὲ εἰς αὐτὴν ἐκπαροινοῦσι τὴν ἄῤῥητον τοῦ λόγου φύσιν.

c CYRIL. Πολυσχιδὴς μὲν γὰρ καὶ πολυπρόσωπος, ἵν' οὕτως εἴπωμεν, ἡ τῶν Ἀρείου, καὶ Εὐνομίου δογμάτων ἐστὶ πλάνη, καὶ ποικίλως τὸ τῆς ἀληθείας πλάττεται σχῆμα.

d Καὶ εἰς ἕνα υἱὸν τῷ θεῷ μονογενῆ, πρὸ πάντων αἰώνων ὑπάρχοντα, καὶ συνόντα τῷ γεγεννηκότι αὐτὸν πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τά τε ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα.

MOX : Καὶ διαμένοντα βασιλέα, καὶ θεὸν εἰς τοὺς αἰῶνας.

* De hujus concilii Antiocheni epocha dissensio est inter chronologos. Schelstratæus qui librum *de Synodo Antiochena* perscripsit, cœpisse illam contendit a. CCCXL, exeunte, perductamque ad sequentis anni exordium. Initio hujus anni CCCXLI Tillemontius adfigit concilium; Augusto mense cœpisse illud satis verosimiliter conjicit Cl. P. Mansius in dissertatione *de Epochis Sardic. et Sirmiens. conc.* t. I, *suppl. ad Conc. Veneto-Lubbeana*, col. 177. Z.

* Secundam hanc ediderunt Eusebiani, quos prioris pœnituerat. Vide Natalem Alexandrum *Hist. eccles* sæc. IV, cap. III, art. 4, § 9 Z.

1 Velut *ad Solit.* — 2 In Ep. *ad Arm.* — 3 Athan. lib. *de Syn.* — 4 Socr. lib. I, cap. VIII. — 5 Sozom. lib. III, cap. V. — Exstant apud. Athan. lib. *de Syn.* Arm. m., et Socr. lib. II, cap. X.

Secunda formula. sionis, et mutationis expertem, divinitatis, substantiæ, consilii, potestatis et gloriæ Patris sine ulla dissimilitudine imaginem. » Addit « Deum esse Verbum. » Item, « tres personas hypostasi quidem esse tria, sed unum consensione [a]. » Denique anathematizant eos, qui sentiunt « tempus, aut momentum, aut sæculum esse, vel fuisse, antequam gigneretur Filius. Vel, si quis dixerit Filium creaturam esse, tanquam unam ex creaturis [b]. » Hic notanda sunt verba, « Divinitatis et usiæ sine ulla dissimilitudine imaginem. »

Tertia formula. Tertia professionis formula per eadem Encænia prodita est a Theophronio Tyanorum episcopo, et in illo conciliabulo probata, ut auctor est Athanasius. In ea Filius appellatur « unigenitus Deus Verbum, et Deus perfectus de Deo perfecto ; de *usia*, vel *substantia* prorsus tacuerunt.

Exinde paucos post menses, cum Ariani Athanasium, Eustathium Antiochenum, Paulum Constantinopolitanum episcopos sedibus suis exturbassent, eaque re commotus Occidentis imperator Constans tres ad se mitti episcopos petiisset, qui rationem illorum redderent, quarta est conscripta fidei professio quatuor ab episcopis, Narcisso Cilice, Theodoro Thrace, Mari Calchedonio, Marco Arethusio, qui ad imperatorem missi sunt. In illa mentio est omissa substantiæ, vel usiæ. Christus Deus ex Deo pronuntiatur [b]. In fine damnantur anathemate dicentes Filium esse « ex non existentibus, vel ex altera hypostasi, et non ex Deo ; aut, fuisse aliquando tempus, cum nondum esset [c] ; » quæ ab Ario ac primis ejus suffragatoribus posita, in Nycæna synodo condemnata fuerant.

Quarta formula.

Quinta formula. Quinta post triennium ab Orientalibus ad Occidentales missa est per Eudoxium Germanicæ episcopum, Martyrium, et Macedonium, cæteris fusior. Ubi, suppresso usiæ vocabulo, « Filium per omnia Patri similem esse decreverunt ; atque eidem subjectum tamen ; Deum item esse natura perfectum, ac verum, ante sæcula genitum [d]. »

Sexta formula. Sexta in Sirmensi concilio ab Arianis contra Photinum habito concepta professio est, anno Christi CCCLI. Quæ οὐσίας vocem prætermittit, necnon similitudinis et imaginis ; Filium asserit Deum de Deo ; damnat affirmantes, « ex non existentibus, aut ex altera hypostasi esse Verbum ; vel fuisse tempus aliquando, cum non esset.

IV. Septima in eadem urbe Sirmio concepta est formula, anno Christi CCCLVII, cum imperator eo venisset, ad eumque pauci ex Arianis episcopis adiissent, quorum principes erant Ursacius et Valens. Ea porro Latine scripta est, et in Græcum postea conversa. Latinam habet Hilarius libro *de Synodis ;* Græcam Athanasius et Socrates. Quæ quidem *usiæ*, et tam *homousii,* quam *homœousii* mentionem vetat fieri, quod Scripturæ nusquam earum vocum meminerint. Mox, « Patrem majorem esse definit, Filium subjectum. » Septima formula.

Hilarius hanc formulam, « blasphemiam per Osium, et Potamium conscriptam vocat ; » quod Osius Cordubensis episcopus ei subscribere coactus fuerit. Sed et Liberius papa, qui anno CCCLV Berœam relegatus fuerat, Constantii et Arianorum fraude ac terroribus compulsus, Athanasii damnationi subscripsit post biennium, anno videlicet CCCLVII, necnon fidei novæ cuidam formulæ, in qua τὸ ὁμοούσιον supprimebatur. Refert enim Sozomenus lib. IV, cap. XV, cum imperator Constantius Sirmium advenisset, eodem Liberium ab exilio revocatum venisse ; quem, collectis episcopis omnibus, qui in comitatu tunc erant, imperatorem cogere studuisse, uti « homousion negaret esse Patri Filium ; » agentibus id imprimis Basilio, Eustathio et Eleusio, qui apud Constantium omnia poterant, a quibus omnia illa fidei decreta, quæ contra Paulum Samosatenum, Photinum, et in Encæniis condita erant, in unum redacta sunt. Quam in professionem fidei consensisse Liberium ait, necnon Ursacium, Germinium, et Valentem, et Orientales, qui illic aderant ; at Liberium vicissim confessionem alteram exhibuisse, in qua damnabat eos, qui non secundum substantiam ac per omnia similem esse Patri Filium dicerent. *Consubstantiale.*

V. Quocirca necesse est diversam fuisse

a Ἄτρεπτόν τε καὶ ἀναλλοίωτον, τῆς θεότητος οὐσίας τε, καὶ βουλῆς, καὶ δυνάμεως καὶ δόξης τοῦ πατρὸς ἀπαράλλακτον εἰκόνα. Mox : Ὡς εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν.

b Ibid. Καὶ εἴ τις παρὰ τὴν ὑγιῆ τῶν γραφῶν ὀρθὴν πίστιν διδάσκει, λέγων, ἢ χρόνον, ἢ καιρὸν, ἢ αἰῶνα, ἢ εἶναι, ἢ γεγονέναι πρὸ τοῦ γεννηθῆναι τὸν υἱὸν, ἀνάθεμα ἔστω· καὶ εἴ τις λέγει τὸν υἱὸν κτίσμα, ὡς ἓν τῶν κτισμάτων.

c Ἐξ οὐκ ὄντων, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, καὶ μὴ ἐκ τοῦ θεοῦ. καὶ ἦν ποτε χρόνος, ὅτε οὐκ ἦν.

d Apud Ath. Πρὸ αἰώνων γεννηθέντα ἐκ τοῦ θεοῦ. Θεὸν κατὰ φύσιν τέλειον εἶναι καὶ ἀληθῆ.

Cuinam formulæ subscripserit Liberius.

formulam illam fidei, cui subscribere coactus est Liberius, ab Osiana ista, quam blasphemiam Osii, et Potamii vocat Hilarius. Siquidem in hac non minus ὁμοιύσιον, quam ὁμοούσιον rejectum est. At Liberius, tametsi ὁμούσιον concordiæ gratia dissimulaverit, ὁμοιούσιον profecto non tacuit, ne dum conceptis verbis respuit. Præterea, cum professio illa, quam Liberius approbavit, ex tribus concinnata dicatur, nimirum ex ea, quæ contra Paulum Samosatenum edita est, et ea, quæ in Encæniis Antiochiæ concepta, et ea denique, quæ contra Photinum apud Sirmium publicata est, longe ab Osiana blasphemia distat. Nam in tribus illis non est rejectum aut damnatum ὁμοιούσιον, ac ne ὁμοούσιον quidem. Imo in Antiochensi decretum est, Filium imaginem esse paternæ substantiæ ac divinitatis, sine ulla dissimilitudine. In ea vero, quæ contra Paulum Samosatenum condita est, οὐσίας nomen adhibitum esse testantur Semiariani apud Epiphanium Hær. LXXIII, n. 13. Igitur ἔκθεσις illa fidei, quam ab Liberio expresserunt Ariani, nec ea potuit esse, quæ Latine Sirmii scripta dicitur, et ab Osio probata, nec una ex decem, aut undecim, quas recenset Athanasius, sed ab illis omnibus diversa, in quam Semiariani et Anomœi consenserunt ; quod ex Fragmentis Hilarii colligitur, in quibus epistola Liberii ad orientales episcopos data ponitur, qua non solum Athanasii communionem abdicat, verum etiam Sirmii editam a Demophilo Arianæ sectæ coryphæo fidei professionem amplectitur ; quam ob causam semel iterumque Liberio anathema dicit Hilarius. Post epistolam deinde ista subjiciuntur : « Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt, qui conscripserunt, Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius et Junior. » Quo in episcoporum numero alii continentur Anomœi, alii Semiariani, et Homœousii, quos in illam professionem convenisse mirum videtur, quæ Patri per omnia similem, adeoque ejus usiæ, vel substantiæ Filium asseverabat. Ad id vero Constantii voluntate compulsos esse verisimile est, qui Anomœorum perfidiam execrabatur, ut scribit Socrates lib. XI, capit. XXIV, et Epiphanius Hær. LXXIII, num. 23, refert Constantium Basilio Ancyrano et Semiarianis cæteris impense faventem, Anomœos insectatum fuisse [a].

Homousion (consubstantiale.)
Homeousion (similis substantiæ.)

VI. Sed antequam ab septima illa fidei professione discedimus, animadvertendum est, præter eam ipsam, quæ ab Osio vi est extorta, et ab Hilario Osii et Potamii blasphemia nuncupatur, alteram exstitisse, quæ, ut mea conjectura fert, sub Osii nomine vulgata est, non ab ipso probata; in qua Filius *substantia dissimilis* est dictus. Testantur hoc Basilius Ancyranus et Georgius Laodicenus *in Hypomnematismo* apud Epiphanium [1], ubi Semiariani isti queruntur, Anomœos ab Osio expressisse litteras, quibus *dissimilis substantiæ* continebatur, vel potius *secundum substantiam;* ita enim Græca castiganda sunt, τὸ ἀνόμοιον κατὰ οὐσίαν non τὸ ἀνόμοιον οὐσίαν. Atqui in illa Osii et Potamii blasphemia minime *substantia dissimilis* Filius appellatur ; sed tantum utraque dictio supprimi jubetur ὁμοούσιον, et ὁμοιούσιον, imo ipsa vox οὐσίας, quod in Sacris Litteris nusquam legantur. Ac Sozomenus quidem scribit, extortam ab Osio confessionem hoc unum comprehendisse, ut vox utraque ὁμοουσίου et ὁμοιουσίου rejiceretur [2]. Verum aliam præterea ab eodem, aut ejusdem saltem nomine professionem editam fuisse Epiphanii ille locus ostendit.

VII. Octava fidei professio Sirmii concepta est, coss. Eusebio et Hypatio, 2 cal. Jun., ut in ipsa ejus inscriptione posuerunt, qui fuit annus Christi CCCLIX. Nam, cum Basilius Ancyranus aliique Semiarianorum legati ex Ancyrana synodo, quæ adversus Anomœos, et Osianam formulam anno Christi CCCLVIII, circa

Octava formula.

a Epiph. Hær. LXXIII. Δι' ὧν ἐθήρασαν παρὰ τοῦ αἰδεσίμου ἐπισκόπου Ὁσίου γραμμάτων, ἐν οἷς φέρεται τὸ ἀνόμοιον οὐσίαν. (leg. κατὰ οὐσίαν, ut paulo ante.)

* De Liberio confer in Appendice Dissertationem nostram. Cæterum etsi verus est Liberii lapsus, non tamen ille secundam Sirmiensem formulam subscripsit. Paucis tamen ea probatur sententia, quam hic indicat Petavius, et clarius exponit in animadversionibus Epiphanianis. Plerique censent ormulam a Liberio subscriptam primam fuisse a Sirmiensi synodo contra Photinum editam; qnod pluribus confirmant Natalis Alexander diss. XXXII, in sæc. IV, art. 1. Mansius in notis ad hunc Natalis locum, Merenda *in Diatriba de gestis Liberii exulis*, Sbaralea quæst. v. n. 13, et Mazochius in Kalend. Neapolit, pag. 582. Z.

1 Epiph. Hær. LXXIII, N. 14. — 2 Soz. lib. IV, cap. XII.

Pascha celebrata fuerat, ad imperatorem Constantium Sirmium adiissent, auctores ei fuerunt, ut ad comprimendam Anomœorum perfidiam, et Ecclesiæ componenda dissidia generalem synodum indiceret; quam cum Nicodemiæ primum, deinde Nicææ celebrari placuisset, quod ambæ civitates sub id tempus terræ motu corruissent, Basilio datum est negotium, ut de loco indicendæ synodi deliberaret. Hic anno Christi CCCLIX Sirmium rursus ad imperatorem contendit, ibique Arianos episcopos aliquot reperit, Marcum Arethusium, Georgium Alexandrinum, Valentem, Ursacium et alios, de quorum consilio primum Seleucia Isauriæ oppidum celebrando concilio deligitur, mox vero dividi placuit, ut Orientales Seleuciam, Occidentales Ariminum eodem tempore cogerentur. Quo antequam proficiscerentur, novum aliquod fidei decretum communi consensu perscribi placuit, in quod universi convenirent, quodque ambabus synodis offerretur. Itaque collatis inter se capitibus, præsente imperatore, formulam condidere fidei cum hac epigraphe : « Exposita est catholica fides in præsentia Domini nostri religiosissimi, et victoris imperatoris Constantii æterni Augusti, sub consulatu Flaviorum Eusebii et Hypatii clarissimorum virorum apud Sirmium, undecimo calendas Junias. » Huic subjecta professio est, in qua decernitur, Filium esse « Deum de Deo, similem ei, qui se genuit, Patri secundum Scripturas [a]. » In fine vero : « Nomen autem substantiæ, quia simplicius a Patribus est positum, et ignotum vulgo, offensionem habet, quod nec illud Scripturæ contineant, istud ipsum e medio placuit auferri sic, ut nulla substantiæ deinceps in Deo fiat mentio; quandoquidem sacræ Litteræ nusquam de Patris et Filii substantia meminerunt. Similem vero per omnia Patri Filium esse dicimus; quemadmodum sacræ Scripturæ asserunt ac docent [b]. » Hæc ex Athanasio, libro *De synodis*, et Socrate lib. XI, cap. XXXVII.

VIII. Porro Athanasius inter cætera illud hac in professione redarguit et irridet, quod consules cum mense ac die sint appositi, quasi tum primum ista fides ortum habuisset; tum quod αἰώνιον *æternum* imperatorem nominarent Constantium, qui hunc titulum Dei Filio negare essent ausi. Addit, eamdem illam formulam ipsis postea displicuisse ejus auctoribus, ac per Martianum notarium jussu Constantii, et edicto sub gravi pœna omnia illius exempla conquisita. Verum Socrates lib. XI, cap. XXX, hoc de illa professione refert, quæ Latine Sirmii condita est, et Osii ac Potamii blasphemia dicitur ab Hilario, quam proxime ante posuimus. Siquidem multa in illa pugnantia deprehendisse, ob idque per Constantium egisse, ut prorsus aboleretur. Sed, nisi ab Constantio bis id esse factum velimus, multo Athanasius audiendus est magis, quam Socrates; non solum quia longe ille certior est auctor, verum etiam quia, cur hanc posteriorem supprimere vellent, causa perspicua est, quæ in antecedente minus apparet. Etenim Ursacium et Valentem præcipuos illius actores fabulæ fuisse, non est dubium, quibus addictissimus erat Constantius; ut e Socrate, Sozomeno, aliisque constat. At illi Anomœorum dogma complexi, vel dissimilem Patri Filium esse palam, si auderent, affirmare cupiebant, vel, si id minus liceret; saltem exactæ per omnia similitudinis, quam Semiariani tuebantur, mentionem omittere. Quamobrem in illo conventu ac colloquio, quod in comitatu Sirmii utriusque illi sectæ principes habuerunt, antequam Ariminum ac Seleuciam abirent, non levis inter eos altercatio fuit, quam narra Epiphanius [1]; qui scribit Valentem, cum subscriberet, *Filium Patri similem* posuisse, prætermissis voculis *per omnia;* Constantium autem, ea re animadversa, illas addere coegisse; Basilium porro Ancyranum suspicantem, subdole istud etiam *per omnia*, ac secundum sententiam suam, et interpretationem a Valente additum esse, ita subscripsisse, ut per omnia Patri Filium esse similem exprimeret, non solum voluntate, sed etiam hypostasi, et secundum essentiam ipsam. Hoc tum Basilius obtinuit, cum apud Constantium gratia valeret; postea tamen, cum minore esse in pretio cœpisset, et Ano-

a Θεὸν ἐκ θεοῦ, ὅμοιον τῷ γεννήσαντι αὐτὸν πατρὶ κατὰ τὰς γραφάς, etc.

b Mox : Τὸ δὲ ὄνομα τῆς οὐσίας, διὰ τὸ ἁπλούστερον παρὰ τῶν πατέρων τεθεῖσθαι, ἀγνοούμενον δὲ ὑπὸ τῶν λαῶν σκάνδαλον φέρειν, διὰ τὸ μήτε τὰς γραφὰς τοῦτο περιέχειν, ἤρεσε τοῦτο περιαιρεθῆναι, καὶ παντελῶς μηδεμίαν μνήμην οὐσίας ἐπὶ θεοῦ εἶναι τοῦ λοιποῦ, διὰ τὸ τὰς θείας γραφὰς μηδαμῶς περὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ οὐσίας μεμνῆσθαι. ὅμοιον δὲ λέγομεν τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα, ὡς καὶ αἱ ἅγιαι γραφαὶ λέγουσί τε καὶ διδάσκουσι.

1 Epiph. Hær. LXXIII; N. 22.

mœorum factio prævaleret, ut idem scribit Epiphanius, videntur hi ab imperatore obtinuisse, uti prior illa formula rescinderetur, in qua Patri per omnia similis esse Filius dicitur. Quod si, præter hanc, superiorem quoque Constantii mandato obliteratam esse cum Socrate putemus, potest causa similis ex historia proferri; nimirum Basilium ac Semiarianos, quo tempore apud Constantium auctoritate pollebant, operam dedisse, ut illa formula deleretur, quæ non minus *homœusium*, quam *homousion*, nec non *usiæ* vocabulum abrogaret. Utcumque res habet, Valens et Ursacius postremam illam fidei confessionem secum ad Ariminense concilium attulerunt; sed ea ab omnibus est rejecta, ipsique, qui eam obtulere, damnati. De tribus istis Sirmiensibus formulis plura disputavimus tum in animadversionibus ad Epiphanium, hæresi LXXIII, tum in peculiari de ea re dissertatione. Nunc pauca quædam, quæ operæ pretium sit scire, de iisdem hoc loco trademus. Primum, quod ad tempus attinet, certissima hæc esse, quæ illic docuimus, ex illis formulis fidei tribus, primam, quæ in Sirmiensi concilio adversus Photinum edita est, anno Christi CCCLI, scriptam esse, qui annus in fastis notatur, *post consulatum Sergii et Nigriniani*, ut est apud Socratem libro secundo, capite XXIX, secundam vero anno CCCLVII factam esse, *Constantio* IX *et Juliano Cæs.* II, *coss.* tertiam denique biennio post, *Eusebio, et Hypatio coss.* Fallitur vero Socrates, et multis modis conturbat; qui tres illas professiones eodem anno, quo Sirmiense concilium adversus Photinum celebratum est, conscriptas arbitratur, tum primam omnium a Marco Arethusio Græce dictatam esse. Et mendosus omnino iste est Socratis locus; de quo alias dicam. Res porro ita se habet. Prima

Ecthesis. fidei ἔκθεσις Græce scripta est ab episcopis illis, qui contra Photinum Sirmii convenerunt; quorum princeps erat Basilius Ancyranus aliique Semiarianæ partis proceres. Secunda, et tertia Latine conceptæ sunt. Sed illa non a Marco, sed ab alio quopiam scripta videtur, et Osio tradita; qui huic una cum Potamio subscripsit; unde Osii et Potamii blasphemia nuncupatur ab Hilario. At tertia Marco Arethusio dictante concinnata est, paulo ante synodum Ariminensem. Quod ex Germinii epistola constat, quæ inter Fragmenta Hilarii est edita, ubi ita refert : « Constantio imperatore, quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu ejusdem imperatoris, præsentibus Georgio episcopo Alexandrinorum Ecclesiæ, Basilio episcopo tunc Anquiritano, præsente etiam ipso Valente et Ursacio, post habitam usque in noctem de fide disputationem, et ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus nobis electum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est, Filium similem Patri per omnia, ut sanctæ dicunt et docent Scripturæ, cujus integræ professioni consensimus omnes, et manu nostra subscripsimus. » Hæc igitur a Marco composita formula est, quæ anno CCCLIX Sirmii coram imperatore concinnata est et Ariminum perlata; cujus meminit Epiphanius[1] hæresi LXXIII. Nam sola ex omnibus illud habet, « Filium per omnia esse Patri similem secundum Scripturas; » ut recte Nicolaus Faber observat[2].

Reliquæ duæ, prima, et secunda, nec eodem anno, ut vulgo creditum erat, nec in eadem synodo conscriptæ fuerunt. Sed prior anno CCCLI, *post consulatum Sergii et Nigriniani,* in Sirmiensi illo concilio, quo damnatus est Photinus; posterior anno CCCLVII, ut dixi. Quam « apud Sirmium per Osium, et Potamium conscriptam » esse refert Hilarius[3]. Quod utrumque cum certissimis et evidentissimis rationibus ostensum sit a nobis in animadversionibus ad Epiphanii hæresim LXXIII, nondum tamen probare id omnibus potui. Ac nuper[4], qui ad Philostorgium dissertationes edidit, priorem illam contra Photinum habitam anno CCCLVII attribuit; posteriorem, quæ est Osii et Potamii formula, anno CCCLVIII. Ac secundam hanc synodum (synodum voco qualemcumque concursum episcoporum, ut moris est) « longe aliam esse ab ea scribit, quæ habita adversus Photinum anno CCCLVII, ut diserte scribit Socrates libro II, cap. XXIV, et Sozomenus lib. IV, cap. V. » Itane diserte Socrates et Sozomenus duas illas discernunt synodos Sirmienses, a quibus totidem illæ formulæ profectæ sunt? Atqui miscent ambo potius, et in unam confundunt duas istas synodos; et in eadem non duas tantum istas, sed etiam tertiam fuisse scriptam asserit Socrates. Quod tam falsum est, quam illud certum, quod ostendimus, de annis quibus tres illæ formulæ sunt editæ. Nam, quod ille ad Philostorgium adnotat, nullo modo cohæret. Formula fidei, quam ab

1 N. 22. — 2 In *Præfat. ad Fragm. Hilar.* — 3 Lib. *de Syn.* — 4 Godofr. *ad Philost.* lib. IV, cap. III.

Osio et Potamio conscriptam auctor est Hilarius, nonnisi anno CCCLVII scribi potuit; anno CCCLVIII, omnino non potuit. Etenim Ancyrana synodus a Semiarianis et eorum principe Basilio Ancyræ episcopo celebrata est anno ipso CCCLVIII, circa Pascha, ut ipsimet docent in epistola synodica [1]. Hujus autem celebrandæ causam præbuit Osii et Potamii formula; quam ab Osio vi et ingratiis expressam Valens, et Ursacius Arianorum deterrimi ad Eudoxium Antiochenum episcopum ejusdem sectæ ac perfidiæ miserunt. Qua ille accepta, triumphans gaudio, cum Anomœis suis, et tam catholicis, quam dimidiatis Arianis insultans, Georgio Laodiceno Semiarianarum partium stomachum movit; qui ad Basilium Ancyranum litteras scripsit, hortans, ut huic se tempestati, pro ea, qua valebat, auctoritate, et apud imperatorem gratia, cum episcopis suis interponeret. Exstat epistola hæc apud Sozomenum [2]; ejusque meminit idem Basilius in synodica, quæ est apud Epiphanium. Ex quibus perspicuum est, formulam fidei, cui subscribere coactus est Osius, et quam Ancyrana synodus damnavit, anno CCCLVII scriptam fuisse; Ancyranam vero synodum anno sequente celebratam. At Photinus longe antea condemnatus erat in Sirmiensi synodo. Sed hæc plenius enucleata sunt in animadversionibus ad Epiphanium.

Atenim Constantius Sirmii non fuit, nisi exeunte anno CCCLVII. Ita enim ille idem objicit, indeque colligit, non ante annum CCCLVIII fieri ista potuisse. Sed nihil obstat, quin Sirmii Constantius anno CCCLVII esse potuerit, non solum exeunte anno, sed etiam post initium. Etenim Constantinopoli anno illo fuit 6 calend. Mart., ut constat ex lege I, tituli I, libri XIV, codicis Theodosiani; Constantio IX et Juliano Cæs. II coss. Inde profectus [3] Mediolani fuit 15 calend. Maii [4], necnon 3 calend. Maii. Unde Romam rursus abiens [5], ibi fuit prid. non. Maii [6], necnon calend. Junii. At idibus Junii [7] Mediolani, etc. Quocirca Constantinopoli profectus, in itinere Sirmium adiit. Omnino igitur Sirmii longe ante anni finem fuisse Constantium ex historia perspicuum est. Ibi enim cum Osio egit, ut eum vi ac tormentis ad voluntatem suam inflecteret. Atque hæc perspicua res est ex antecedentibus, maxime ex Ancyrana synodo, quæ anno sequenti, Christi CCCLVIII, necessario tribui debet. Itaque Sirmii anno CCCLVII Osius, post annuum carcerem et vexationem multam, coactus est cum Ursacio et Valente communicare, neque tamen adduci potuit, ut contra Athanasium subscriberet, ut refert [8] Athanasius ipse, qui de subscripta hæresi non meminit. Et fieri potest, ut hujus nomine perfidiam illam vulgaverint Ariani.

De Liberio major est quæstio, de qua satis ad Epiphanium disputavi, et alias iterum pluribus agetur.

IX. Nona fidei formula ab Acacio in Seleuciensi conciliabulo proposita est; de qua non prius agemus, quam istius synodi ac rerum ibi gestarum ordinem exposuerimus. Pertinet enim ad Arianæ sectæ cognoscenda divortia historiæ illius accurata tractatio. Cum igitur eodem tempore concilia duo celebrari placuisset, Arimini in Occidente, et Seleuciæ in Isauria, Ariminum Valens et Ursacius advenerunt cum illa fidei confessione, quam octavo loco recensuimus. Ea porro initio ab omnibus est rejecta. Aderant autem episcopi fere CCCC, ut scribit Athanasius lib. *de Synodis;* ac Nicæna fides approbata; et Valens cum Ursacio, Germinio, Auxentio, Demophilo et Caio in ordinem redacti. Qui ad Constantium properantes, antequam ab synodo missi legati eo pervenirent, imperatorem perpulerunt, ut Arimini detentos episcopos, ac mora longiore maceratos ad subscribendam perfidiam cogeret. Ita complures tædio peregrinationis evicti, ait Sulpicius, manus dedere; reliqui numero viginti a Valente et Ursacio subdola professione decepti sunt. In qua damnatus est Arius totaque ejus perfidia; cæterum non etiam Patri æqualis, et sine initio, sine tempore Dei Filius pronuntiatur. Suggerente porro Valente, Filium Dei non esse creaturam, sicut cæteras creaturas, huic assensi sunt catholici, non intelligentes, his verbis, quibus similis esse cæteris creaturis Filius negabatur, creaturam tamen, sed potiorem cæteris affirmari. Hoc modo concilium dimissum bono initio, fœdo exitu est consummatum. Hæc Arimini anno Christi CCCLIX et sequente, ut ex Athanasio, lib. *de Synodis*, et epist. *ad Africanos*, Sulpicio, Socrate, Sozomeno aliisque constat.

Nona formula.

X. At Seleuciæ per idem tempus convenere orientales episcopi numero CLX, ut auctor est Athanasius, eodemque divina providentia venit et Hilarius, quartum jam exilii annum in Phrygia agens, ut scribit Sulpicius. In eo

1 Apud Epiph. Hær. III § 2. — 2 Lib. IV, cap. XIII. — 3 Lib. VI, eod. tit. XXIX, lib. II. — X 4 Lib. XIII, tit. X, lib. III. — 5 Lib. VIII, tit. I lib. V. — 6 Lib. XIII, tit. V, lib. XI. — 7 Lib. I, tit. II, lib. V. — 8 In epist. *ad Solit.*

conventu primum altercationes exortæ sunt, cum alii de fide prius inquirendum esse censerent, alii de criminibus cognoscendum, quæ pluribus episcopis erant objecta. Aderant ei concilio comites duo, Leonas et Lauricius, ut tumultus prohiberent; e quibus prior Acacio et Anomœis favebat. Nam duæ potissimum factiones ibi tum episcoporum erant. Plerique enim de grege Semiarianorum ὁμοιούσιον propugnabant, et eorum principes erant Basilius Ancyranus, Macedonius Constantinopolitanus, Georgius Laodicenus, Eleusius Cyzicenus, Sophronius Pompeiopolis in Paphlagonia episcopus; ac videtur Hilarius libro *contra Constantium*, istius partis episcopos centum et quinque numerare. Alterius vero signiferi erant Acacius Cæsariensis, Eudoxius, qui Germaniciæ in Syria episcopatu relicto, Antiochiam occuparat, Georgius Alexandrinus, Patrophilus Scythopolitanus, Urianus Tyri episcopus, et alii triginta duo, ut narrant Socrates[1], et Sozomenus[2]. Hi tam ὁμοούσιον, quam ὁμοιούσιον et οὐσίας omnino vocabulum respuebant; dissimilem tamen Patris esse Filium, etsi reipsa cum Aetio sentirent, verbis negabant. « Soli, inquit Hilarius, Ægyptii, præter Alexandrinum hæreticum, homousion constantissime obtinebant. » Cum igitur, instante Leona Comite, prius de fide quæri placuisset, Acacius novam fidei ἔκθεσιν legendam obtulit. Sed ab aliis ea repudiata est; qui illam solam admittendam esse pugnabant, quæ apud Antiochiam in Encæniis proposita fuerat; nimirum e tribus ibi conditis secundam, in qua Filium professi sunt « usiæ, sive substantiæ paternæ sine ulla dissimilitudine imaginem esse, » quam et postridie, Acacianis exclusis, subscriptione sua confirmarunt, occlusis Ecclesiæ foribus. Sequenti die Leonas ambabus in unum collectis partibus, novam ab Acacio sibi traditam ἔκθεσιν attulit, quam Athanasius libro *de Synodis*, Epiphanius hær. LXXIII, Socrates libro II, cap. XL, describunt. In hac, quæ est ordine nona, homousii, et humœusii nomina ex æquo rejecta sunt, tanquam a Scripturis aliena; ἀνόμοιον autem anathemate damnatum sic, ut Filii tantummodo cum Patre similitudo sancita sit. Verum huic formulæ reclamatum est a cæteris, qui et de Acacio sciscitati sunt, quare tandem similem Patri Filium esse vellet, cum *usia* non esse similem diceret; præsertim cum in libris suis per omnia similem esse scripsisset. At ille sola voluntate similem esse respondit. Cumque nullus altercandi finis esset, Leona Comite digresso, nec interesse amplius volente, cum eoque dilapsis Acacianis, cæteri in hos ipsos certis criminibus accusatos, et causam agere detrectantes, depositionis sententiam tulerunt. Qui Constantinopolim ad imperatorem accurrentes, novum in ea conventum, ac fidei professionem instaurarunt, de qua mox.

Homœousion

Homousion quam homœousion et usiæ.

Ecthesim.

Anomœum vel dissimile.

XI. Hilarius lib. *contra Constantium* (quem vivo ipso edidit, non, ut Erasmus putabat, mortuo) synodi illius meminit, in qua, quid se audiente gestum sit, refert. Sed depravata sunt ipsius verba, et in ὁμοουσίου, atque ὁμοιουσίου vocabulis magna ibi perturbatio est. « Centum, ait, et quinque episcopos ὁμοιούσιον, id est dissimilis essentiæ professos esse, et solos Ægyptios, præter Alexandrinum hæreticum, ὁμοούσιον constantissime obtinuisse. » Legendum illic, « id est similis essentiæ. » Nam plures ibi Semiariani, et ὁμοιουσίου propugnatores aderant. Mox: « Cogente itaque Leona Comite, in unum omnes congregati sunt ex his, qui homoiusion prædicabant. Aliqui eorum nonnulla pie verbis proferebant quod et ex Deo esset, id est de substantia Dei Filius, et semper fuisset. Qui vero homoiusion defendebant, nihil nisi profanissimum asserebant, negantes quicquam substantiæ Dei simile esse posse, neque de Deo posse existere generationem, sed esse Christum creaturam. » Subjungit Eudoxii, nisi fallor, impium dictum, quod Antiochiæ pro concione protulit, ac demum ista pertexit: « Cum autem intellexissent et hi, qui dissimilem Deum dicunt, humanas aures tantæ impietatis verba suscepturas non esse, rursum hi ipsi palatio potius, quam Ecclesiæ episcopi, fidem scribunt homousiu, et homoiusiu dissimilitudinem damnant, » etc. Hæc sunt minime sincera, quæ sic castiganda sunt, « Fidem scribunt, homousion et homoiusion, ac dissimilitudinem damnant. » Nam loquitur de Acaciana ἐκθέσει in illa synodo proposita, quæ tria ista rejecit. Unde se commotum scribit Hilarius, de uno ex illis episcopis sciscitatum esse, « quid sibi vellet istud, ut, qui unam substantiam Filii esse cum Patre damnassent, vel esse similis substantiæ denegassent, dissimilitudinem damnarent. » Postremo synodi illius exitum ita describit: « Hi autem, qui homoiusion prædicabant, omnes

Homousii atque homœusii.

Formula.

[1] Lib. II, cap. XXXIX. — [2] Lib. IV, cap. XXI.

eos, qui maxime sine aliquo impietatis pudore impudentissime hæc loquebantur, condemnaverun Condemnati ad regem suum advolaverunt, exceptique honorifice, impietates suas quanta potuerunt ambitione confirmaverunt, similem Deo esse, vel ex Deo natum, vel naturalem esse Filium denegantes. »

Decima formula.

XII. Decima igitur fidei professio Constantinopoli scripta est ab Acacio, Eudoxio, aliisque, qui Seleuciensis decreto synodi damnati ad imperatorem confugerunt. In ea Filium «Deum ex Deo, et similem Patri esse [a] » definierunt. Nomen vero usias, *substantiæ*, quod simplicius Patres imposuerant, utpote populis ignotum, causamque scandali, quandoquidem in sacris Litteris nusquam legitur, eximendum esse statuerunt, Sed nec hypostasim de Patre, Filio ac Spiritu sancto usurpandam esse sciverunt. Quamobrem nulla re discrepat ἔκθεσις ista ab illa, quæ Sirmii coss. nominibus inscripta, octavo a nobis loco posita est, nisi quod hypostasis præterea nomen expunxit. Vide Socratem lib. II, cap. XLI qui addit, Ulphilam Gothum hanc admisisse, cum hactenus Nicænam secutus esset, a Theophilo decessore, qui illi subscripserat, acceptam. Hanc fidei professionem ad eos, qui Arimini convenerant, transmissam fuisse, eique subscribere coactos episcopos scribit Athanasius.

Undecima formula.

Undecima, ut idem Athanasius refert, Antiochiæ ab illis exarata est, qui Constantinopoli proxime a nobis commemoratam ediderant. Nam, cum in ea Filium Patri similem esse docuissent, hoc ipsum illis displicuit. Quare perfidiam suam aperte publicantes, Filium Patris omnino dissimilem esse, nec ullo modo similem asseverarunt. Ex quo ἀνόμοιοι et ἐξουκόντιοι vocati sunt, quod ex οὐκ ὄντων esse Filium dicerent. Hæc professio fidei an. Christi CCCLX conscripta videtur. Quocirca intra annos viginti, undecim, sive duodecim, ut in septima demonstravimus, fidei ἐκθέσεις ab Arianis conditas recenset Athanasius; initio facto ab anno CCCXLI, quo Antiochiæ per Encænia primus ab illis conventus est habitus.

Anomœi et *Exucontii.* Ex *non exstantibus.*

Duodecima formula.

XIII. Verum duas illis annumerare possumus ab Athanasio prætermissas. Quarum prior est ea, quam Sardicensis concilii tempore, ubi se ab eo segregarunt, Philippopoli in Thracia condiderunt [1], et conciliabulum suum Sardicensis nomine synodi venditantes, encyclicam indidem miserunt, quæ in *Fragmentis* Hilarii legitur. In ea professio fidei est, ubi Filius *Deus ex Deo* dicitur; tum in fine anathemate damnantur, qui dicunt « ex alia substantia, et non ex Deo fuisse Filium Dei; aut fuisse aliquando tempus, vel sæculum, quando non fuit Filius; aut, Christum non esse Deum. »

Tredecima formula.

Alteram fidei formulam numeramus eam, quæ anno Christi CCCLVIII a Semiarianis tradita est in Ancyrana illorum synodo, in qua Basilius præsedit, quæ est apud Epiphanium [2], et Hilarium in libro *de Synodis;* ubi post longam fidei suæ confessionem, anathematismos aliquot addiderunt contra Anomœorum hæresim, ac multa satis commode de Filii similitudine secundum essentiam, et æternitate dixerunt. Sed postremus anathematismus apud Epiphanium, hunc enim Hilarius omisit, eos condemnat, qui profitentur Filium esse Patri *homousion*, vel ταὐτοούσιον, hoc est *consubstantialem*, vel *eumdem substantia*.

Ita fidei formulas quatuordecim annis circiter novemdecim Ariani publicarunt; dum identidem novas cudentes, iis ipsis rejectis ac damnatis, alias subjiciunt, velut *testamenta condentes*, ut illis exprobrat Athanasius [3]. In quo risui se omnium objiciunt et contemptui, quod illorum omnia decreta non ab aliis, sed ab ipsismet antiquata, et rejecta, auctoribus suis sacrilegi mendacii et perfidiæ dedecus aspergunt [b]. Eleganter quoque S. Hilarius in lib. I *ad Const. Augustum:* « Sed accidit tibi, inquit, quod imperitis ædificatoribus, quibus sua semper displicent, accidere solet; ut semper destruas, quod semper ædifices. » Et paulo post, « Tu his ipsis dissides, et adversus tuos hostes rebellas. Novis vetera subvertis; nova ipsa rursum innovata emendatione scindis; emendata autem iterum emendando condemnas. » Et in tertio libro, de usu illo innovandæ fidei loquens, « Qui postquam, ait, nova potius cœpit condere, quam accepta retinere, nec veterata defendit, nec innovata firmavit, et facta est fides temporum potius, quam evangeliorum; dum et secundum annos scribitur, et secundum confessionem baptismi non

a Θεὸν ἐκ Θεοῦ, ὅμοιον τῷ γεννήσαντι αὐτὸν πατρί.

b ATHAN. Πάντα γοῦν κινοῦσι, καὶ ταράττουσι, καὶ οὐδὲ οὕτω τοῖς ἑαυτῶν ἀρκοῦνται, κατ' ἐνιαυτὸν ὡς οἱ τὰς διαθήκας γράφοντες, συνερχόμενοι καὶ αὐτοὶ προσποιοῦνται περὶ πίστεως γράφειν· ἵνα καὶ ἐν τούτῳ γέλωτα μᾶλλον καὶ αἰσχύνην ὀφλήσωσιν, ὅτι μὴ παρ' ἑτέρων, ἀλλὰ παρ' αὐτῶν τὰ αὐτῶν ἐκβάλλεται

1 Socr. lib. II, cap. X. Soz. lib. III, cap. XI. — 2 Hær. LXXIII, n. 2. — 3 Or. I.

tenetur. Periculosum nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, et tot nobis doctrinas esse, quot mores, et tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt; dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita, ut volumus intelliguntur. » Quæ postrema idcirco dicit Hilarius, quod, etsi nonnulla in superioribus illis Arianorum formulis pie ac catholice dicta videntur, fallunt tamen subdola et captiosa ambiguitate, et *arcanum pestiferi mysterii*, ut idem in libello *contra Auxentium* loquitur, occulte continent. « Tribuunt, inquit, Christo Dei nomen, quia hoc et hominibus sit tributum. Fatentur Dei vere Filium, quia sacramento baptismi vere Dei Filius unusquisque perficitur. Ante tempora, et in sæcula conficitur, quod de angelis atque diabolo est non negandum. Ita Domino Christo sola illa tribuuntur, quæ sunt vel angelorum propria, vel nostra. »

CAPUT X.

De multiplici Arianorum discrimine, ac præsertim meris Arianis, et Semiarianis. Explicantur hæresis istius factiones tres; tum variæ de iis auctorum sententiæ. Semiarianorum præsertim divortia declarantur. Cassiani de his error. Gennadius explicatus. De Donatistis, Priscillianistis, Apollinaristis, quatenus de Trinitate prave senserunt.

Arianorum secta divisa in factiones tres.

I. Qui Ecclesiasticam temporum illorum historiam legerit, majorem invicem Arianorum, quam cum Catholicis, pugnam, ac dissensionem fuisse cognoscet. Ea porro vel ex ambitione ac privatis odiis, vel ex doctrinæ opinionisque diversitate ortum habuit. Ut hanc potissimum attingam, duo fuere Arianæ sectæ fastigia. Nam alii meram Arii blasphemiam amplexi sunt, qualem capite septimo proposuimus; qui Verbum Dei, ac Filium a Patre creatum ex nihilo, non de ejus substantia genitum esse dicebant. Fuisse proinde tempus aliquando, cum nondum existeret, ac natura ipsum esse mutabilem, sed excellentis cujusquam præ cæteris creaturis dignitatis atque virtutis; cujusmodi tamen præstantiam ac dignitatem, si quis vellet, suopte conatu posset attingere. Ad hæc Patrem affirmabant nihil æquale habere, vel simile, vel majestate ac gloria comparandum; nec a Filio, quem de nihilo voluntate sua procrearat, perfecte videri, ut est in sese, sed propriis finibus, ac terminis perinde circumscriptam illius esse cognitionem atque naturam. Quocirca dissimilem substantia rebusque cæteris Patris esse Filium existimavit Arius; quod ex ejus libro quem *Thaliam* inscripsit, Athanasius demonstrat libro *de Synodis*. « Nihil, inquit Arius, æquale, neque simile, neque gloria et majestate compar ille solus habet[a]. » Mox de Filio: « Principium constituit Filium eorum, quæ facta sunt, ille, qui principio caret, eumque protulit, ac sibi adoptavit in Filium. Proprium nihil habet Dei secundum proprietatis hypostasim. Non enim æqualis est; sed neque consubstantialis ipsi[b]. » Item: « Propriis mensuris sustinet Filius videre Patrem, quantum fas est. Nempe trias est, non simili majestate, et impermistibiles invicem sunt hypostases ipsorum. Una in infinitum altera gloriosior est majestate. Alienus a Filio secundum substantiam est Pater, quoniam principii est expers. Intellig emonadem initio fuisse; binarius vero non erat, antequam existeret (Filius): sane, Filio non existente, Pater Deus est. Denique Filius, cum non esset, paterna voluntate exstitit. Unigenitus Deus est, et alienus ab utrisque[c]. » Ad hæc, « Æqualem, ait, Filio generare potest præstantior; imo excellentiorem, aut præstantiorem, aut majorem. Nonne Dei voluntate Filius est quantus, et quantus est, ex quanto, et a quo? atque ab eo tempore ex Deo substitit. Fortis Deus cum sit, meliorem ex parte prædicat. Uno verbo Filio Deus inenarrabilis est[d]. » Tum, « Impossibile est Filio Patrem

Prima Anomœorum qui Filium Patris dissimilem asserebant.

a Athan. *de Synodis*. Οὐκ ἴσον, οὐδὲ ὅμοιον, οὐκ ὁμόδοξον ἔχει μόνος οὗτος.

b Ibid. Ἀρχὴν τὸν υἱὸν ἔθηκε τῶν γεννητῶν ὁ ἄναρχος, καὶ ἤνεγκεν εἰς υἱὸν ἑαυτῷ τεκνοποιήσας. ἴδιον οὐδὲν ἔχει τοῦ θεοῦ καθ' ὑπόστασιν ἰδιότητος· οὐδὲ γάρ ἐστιν ἴσος, ἀλλ' οὐδὲ ὁμοούσιος αὐτῷ.

c Ibid. Ἰδίοις τε μέτροις ὑπομένει υἱὸς ἰδεῖν τὸν πατέρα, ὡς θέμις ἐστίν. ἤγουν τριάς ἐστι, δόξαις οὐχ ὁμοίαις, ἀνεπίμικτοι ἑαυταῖς εἰσιν αἱ ὑποστάσεις αὐτῶν· μία τῆς μιᾶς ἐνδοξοτέρα δόξαις ἐπ' ἄπειρον. ξένος τοῦ υἱοῦ κατ' οὐσίαν ὁ πατὴρ, ὅτι ἄναρχος ὑπάρχει. σύνες ὅτι ἡ μονὰς ἦν, ἡ δυὰς δὲ οὐκ ἦν πρὶν ὑπάρξει, (for. υἱὸς) αὐτίκα γοῦν υἱοῦ μὴ ὄντος, ὁ πατὴρ θεός ἐστι. λοιπὸν ὁ υἱὸς οὐκ ὢν, ὑπῆρξε δὲ θελήσει πατρῴᾳ, μονογενὴς θεός ἐστι, καὶ ἑκατέρων ἀλλότριος οὗτος.

d Ibid. Ἴσον μὲν τοῦ υἱοῦ γεννᾷν δυνατός ἐστιν ὁ κρείττων, διαφορώτερόν τε, ἢ κρείττονα, ἢ μείζονα. οὐχὶ θεοῦ θελήσει ὁ υἱὸς ἡλίκος καὶ ὅσος ἐστὶν, ἐξ ὅτε;

investigare, ut est in seipso. Ipse enim Filius substantiam suam non novit, Nam, cum sit Filius, voluntate Patris vere exstitit. Quæ enim ratio patitur, eum, qui est ex Patre, genitorem suum cognitione comprehendere? Manifestum est id, quod principium habet, eum, qui caret principio, ut in se est, animo complecti ac comprehendere non posse. [a]»

Secunda. Semiarianorum qui Filium per omnia similem profitebantur.

II. Hæc Arii mera blasphemia fuit; a qua cum Christianæ aures vehementer abhorrerent, plerique ex isto grege, ut illius invidiam emollirent, simile dixerunt esse Patris Filium; atque iidem rursus bifariam divisi sunt. Quidam enim simpliciter ὅμοιον *similem* esse profitebantur, nulla *substantiæ*, vel *usiæ* mentione facta; alii κατὰ πάντα ἴδμοιον, καὶ κατ' οὐσίαν, *per omnia similem, et secundum substantiam*, hoc est ὁμοιούσιον. Iidemque Filium non ex tempore cœpisse fatebantur, sed ita creatum, aut genitum, ut neque Patri συναΐδιος esset; et ante creatas res omnes, ipsumque adeo tempus exstitisset. De his loquitur August. initio lib. VI *de Trin.*: « Nam ipse, inquit, Arius dixisse fertur, Si Filius est, natus est. Si natus est, erat tempus, quando non erat Filius, non intelligens, etiam natum esse Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri Filius, sicut splendor, qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus illi est, et esset coæternus, si esset ignis æternus. Unde quidam posteriores Ariani abjecerunt istam sententiam, fassique sunt, non ex tempore cœpisse Dei Filium. » Epiphanius hær. LXXIV, num. 1, refert Pneumatomachos, qui et Macedoniani dicti sunt, semicatholicos, et semiarianos asseverasse, Filium non absolute creatum esse, sed ἀχρόνως γεγεννημένον, *ante tempus genitum;* non tamen ab Arii vesania penitus abhorrentes dixisse, fuisse aliquando, cum non esset, quod est non esse συναΐδιον. Sic Arianorum secta divisa est in factiones tres. Prima fuit Anomœorum, qui aperte Filium creaturam esse dicebant, nec ulla re Patri similem, nedum parem et æqualem; quæ Arii ipsissima sunt hæresis. Altera Semiarianorum, qui, ut minime consubstantialem esse Patri Filium, hoc est ὁμοούσιον, ita per omnia esse similem, adeoque *usia* et *substantia* docebant. Tertia inter ambas interjecta nonnullorum exstitit, qui neque consubstantialem Filium, neque substantia similem, sed tantummodo similem esse statuebant; et eumdem creaturam ex cæterarum ordine esse vel negabant, vel manifeste profiteri non audebant. Hoc tripartitum Arianæ sectæ discrimen maxime ex Epiphanio, tum ex Athanasio, Hilario, Socrate, Sozomeno aliisque colligitur. Ruffinus lib. I *Hist.* cap. XXV triplex hoc sectæ Arianæ divortium paulo aliter explicat. Nam alios ait Eunomianos et Anomœos exstitisse, qui nulla re prorsus similem facerent Filium; alios Arianos, qui similem esse dicerent largitate gratiæ, non proprietate naturæ; tertios Macedonianos, qui similem per omnia esse faterentur. Epiphanius Hæresi LXXIII, quæ est *Semiarianorum*, num. 22 et 23 tria ista sectæ capita describit; ac tam ex hoc, quam ex aliis scriptoribus constat, Semiarianorum principem fuisse Basilium Ancyranum, hominem eruditum, qui in Sirmiensi synodo contra Photinum anno Christi CCCLI Sergio et Nigrino coss. habita, præcipuam navavit operam; tum Georgium Laodicenum, Silvanum Tarsensem, Sophronium Pompeiopolitanum, Eleusium Cyzicenum, Macedonium Constantinopolitanum, qui contra Spiritum sanctum execrandam perfidiam postea vulgavit; Marcum Arethusium, Cyrillum Hierosolymitanum Eusebium Samosatenum, Meletium Antiochenum, ut de duobus postremis testatur Athanasius epistola contra illos ad Antiochenses data, si modo est Athanasii; de quo postea. Anomœorum vero signiferum et auctorem fuisse Aetium, ab Leontio Antiocheno diaconum factum, cujus discipulus ac sectæ propugnator acerrimus postea fuit Eunomius. Aetio porro favisse cum Georgium illum, tum Euzoium, qui Antiochiæ post redactum in ordinem Meletium episcopus est factus; nec non Uranium Tyrium; Eudoxium item Antiochenæ sedis invasorem (quanquam hic Aetium paulo post, metu imperatoris, ab communione rejecit, ut testatur Epiphanius hær. LXXVI, num. 3, in Occidente vero Valentem Mursæ, et Ursacium Singidonis episcopos, Germinium Sirmium translatum Cyzico ab Constantio, Auxentium Mediolanensem, Caium, Demophilum. His assentiebatur et Acacius Cæsareæ in Palæstina

Coæternus.

Coæternum.

Tertia inter ambas interjecta.

καὶ ἀφ' οὗ; καὶ ἀπὸ τότε ἐκ τοῦ θεοῦ ὑπέστη· ἰσχυρὸς θεὸς ὢν τὸν κρείττονα ἐκ μέρους ὑμνεῖ. συνελόντι εἰπεῖν, τῷ υἱῷ ὁ θεὸς ἄῤῥητος ὑπάρχει.

a ATH. *de Syn.* Ἀδύνατα γὰρ αὐτῷ τὸν πατέρα ἐξιχνιάσαι ὅς (for. ὡς) ἐστιν ἐφ' ἑαυτοῦ. αὐτὸς γὰρ ὁ υἱὸς τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν οὐκ οἶδεν. υἱὸς γὰρ ὢν θελήσει πατρὸς ὑπῆρξεν ἀληθῶς. τίς γὰρ λόγος συγχωρεῖ, τὸν ἐκ πατρὸς ὄντα αὐτὸν τὸν γεννήσαντα γνῶναι ἐν καταλήψει; δῆλον ὅτι τὸ ἀρχὴν ἔχον τὸν ἄναρχον, ὡς ἐστὶν, ἐμπερινοῆσαι, ἢ ἐμπεριδράξασθαι οὐχ οἷόν τέ ἐστιν.

episcopus, ut scribit Sozomenus libro IV, capite XII.

Tertiæ factionis princeps Acacius.

III. Tertiæ demum partis principem hunc ipsum Acacium exstitisse, scriptores iidem nos docent. Ea vero non tam ex doctrinæ dissidio, quam ex odio ac simultate conflata est. Acacius enim Cyrillo inimicus erat, ob Ecclesiæ suæ jura, a qua prærogativa se Hierosolymitanæ sedis, et Nicæni decreti Cyrillus abstrahere moliebatur, ut indicat Sozomenus lib. IV, cap. XXIV. Quamobrem, etsi reipsa non aliter, atque Anomœi, de Deo sentiret, tamen privato impulsus odio, paulo diversam rationem ingressus est, ut neque consubstantialem diceret esse Patri Filium, neque creaturam unam ex creaturis; ac præterea similem esse Patri, non tamen substantia, vel οὐσίᾳ; quod illi sic interpretabantur, ut, quemadmodum statuarii effigies hominum, ac simulacra vivorum ad similitudinem exprimunt, quæ natura substantiaque diversa, ac dissimilia, externa sola specie, ac lineamentis similia sunt; sic Pater similem sibi Filium procrearit, non tamen divinitate, vel æternitate, vel ulla naturæ proprietate parem et æqualem. Proinde ὁμοουσίου *consubstantialis*, et ὁμοιουσίου *similis substantiæ* vocabula, tanquam peregrina, neque Scripturis usitata rejiciebant; ἀνόμοιον vero anathemate damnabant. In quo, verbo tenus ab Anomœis dissidentes, reipsa consentiebant. Nam qualemcumque similitudinem istam eodem atque illi, sensu capiebant. Hujus generis exiit illa formula, quæ Seleuciæ in Isauria publicata est, quam nonam ordine capite superiori posuimus, ab Acacio conceptam; cui suffragabantur Eutychius Eleutheropolitanus, Meletius Antiochenus, Uranius Tyrius, ut scribit Epiphanius[1]. Etenim, cum Aetii et Anomœorum dogma quod Filium creaturam esse ex reliquarum ordine, ac Patri nulla re aut naturæ proprietate similem asserebat, aperte palamque prolatum vulgo invidiam haberet, ut istiusmodi vocem qualiumcumque Christianorum aures non admitterent, fucum illi fecere captiosis insidiosisque verbis; neque palam virus suum effudere, sed ea, quam dixi, tergiversatione sunt usi, similem ut esse docerent Patri Filium, eodem prorsus modo sensuque, quo Anomœi fatebantur; sed *dissimilis* vocem callide condemnabant, quam isti audacter usurpabant. Quare fautores Aetii plerique, amore sedium suarum, vel metu Constantii, qui *dissimilis* vocabulum ferre non poterat, Acacii partes amplectebantur, ut in Seleuciensi, ac paulo post in Constantinopolitano conciliabulo; cujusmodi fuere Georgius Alexandrinus, Eudoxius Antiochenus, ac deinde Constantinopolitanus episcopus, aliique complures. Qui quidem postea Antiochiæ convenientes, perfidiam suam audacter professi sunt, et ex Ariminensi Seleuciensique formulis *similitudinis* nomen ac mentionem abraserunt, asserentes, *per omnia*, et adeo substantia, ac voluntate Patri dissimilem esse Filium, atque ex nihilo procreatum; quod Sozom. narrat lib. IV, cap. XXIX, quod Arii primigenium fuisse dogma scribit, ab Aetio, dissimulantibus cæteris, aperte, ac sine tergiversatione defensum; ex quo et Atheus ille cognominatus, et ejus sectatores ἀνόμοιοι, et ἐξουκόντιοι; quæ omnia paulo ante Constantii obitum acciderunt. Ad hunc modum Ariana perfidia duas in factiones redacta est, Semiarianorum et Anomœorum; quæ posterior alteram obliteravit, ac sola paulatim obtinuit. De Eunomio Aetianorum coryphæo memorabile est, quod refert Epiphanius, ab hoc rebaptizatos esse tam catholicos, quam Arianos, ac nova quadam verborum formula in baptismo usum esse. Verba Epiphanii nullo modo prætermittenda sunt: « Eunomius, inquit, falso ita nominatus, et hodieque superstes, ad quidvis audendum projectus est. Nam eos, qui baptizati sunt, denuo baptizat, non solum eos, qui a catholicis ad se veniunt, aut ab diversis a sua hæresibus, sed etiam illos, qui ab ipsis Arianorum partibus ad se transeunt. Rebaptizat autem ipsos in nomine Dei increati; et in nomine Dei creati, et in nomine Spiritus sanctifici, atque ab creato Filio creati[a]. » Ideo Constantinopolitana prima synodus, et œcumenica secunda decrevit canone VIII, ut ad Ecclesiam redeuntes Eunomiani, tanquam gentiles reciperentur; hoc est catechumeni fierent, et postea baptizarentur. Sed causam addidit, quod una immersione baptizentur; nec de formula ab illis

Usia.

Anomœum vel dissimile.

Anomœi et exucontii.

a EPIPH. Hær. LXXVI, § 6. Εὐνόμιός τις ψευδωνύμως καλούμενος, ἔτι καὶ δεῦρο περιὼν τῷ βίῳ μέγα κακὸν τόλμημα. ἀναβαπτίζει γὰρ τοὺς ἤδη βαπτισθέντας, οὐ μόνον τοὺς ἀπὸ ὀρθοδόξων πρὸς αὐτὸν ἐρχομένους, καὶ αἱρέσεων, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀπ' αὐτῶν Ἀρειανῶν. ἀναβαπτίζει δὲ αὐτοὺς εἰς ὄνομα θεοῦ ἀκτίστου, καὶ εἰς ὄνομα θεοῦ κεκτισμένου, καὶ εἰς ὄνομα πνεύματος ἁγιαστικοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ κεκτισμένου υἱοῦ κτισθέντος.

1 Epiph. Hær. LXXIII, num. 23.

depravata meminit. Quæ omnino baptismo illos initiandi ratio esse debuit, quam et in Paulianis a Paulo Samosateno institutis, et eodem modo rebaptizatis exstitisse testatur Augustinus libro *de Hæresibus*, hæresi XLIV. Ad illa Tertulliani minime Catholica dogmata addit Hieronymus[1] etiam illud, « quod juxta insanas et blasphemas feminas suas, id dogmatis defendebat, quo Christianos nollet recipere pœnitentes. » Quod de mœchis duntaxat in libro *de Pudicitia* Tertullianus affirmat.

IV. Theodoretus lib. IV *de Hær.* cap. de Arianis, et Eunomianis, sive Aetianis, Arianam hæresim bifariam esse divisam asserit, et alios quidem vocatos Arianos, qui et Eudoxiani dicti sunt, ab Eudoxio invasore sedis Antiochenæ, qui nomen suum commendare appellatione ista sectæ voluit, sed et Hexacionitæ ab loco, ubi congregabantur; alios Eunomianos et Arianos, quos *Troglitas* sive *Troglodytas* nominarunt, quod furtim in latebris convenirent, quos et omnium ait execratione confixos ad summam paucitatem redactos fuisse.

Ambrosius lib. I *de Fide*, cap. IV de variis Arianorum sectis: « Itaque nunc in plures, ait, se divisere formas. Alii Eudoxium; alii Eunomium, vel Aetium; alii Palladium, vel Demophilum atque Auxentium, vel perfidiæ ejus hæredes sequuntur; alii diversos. ».

Nicetas Choniata libro quinto *Thesauri*, cap. XII et sequenti, similiter atque Epiphanius, triplicem Arianorum sectam enumerat. Nam alios τὸ ὁμοιούσιον asseverasse dicit, cujus auctores facit Eusebianos (nempe, ut arbitror, Cæsariensis Eusebii, non Nicomediensis discipulos) velut Georgium episcopum Laodiceæ, Basilium Ancyræ, Eustathium Sebastiæ, Eleusium, Sophronium, Cyrillum Hierosolymitanum, Silvanum Tarsensem, Dracontium Pergami, Heortasium Sardium, Neonem Seleuciæ in Isauria, Elpidium Satalorum, Theophilum Gabalorum; quos ait similem substantia constituisse Filium, « non naturali similitudine, sed imaginaria » duntaxat. Altera fuit eorum factio, qui ὅμοιον, id est *similem* tantummodo dicebant, non ὁμοιούσιον, id est *substantia similem* Filium; quemadmodum imagines archetyporum similes sunt, non tamen natura, vel substantia. Inter hos erant Acacius Cæsareæ episcopus, Georgius Alexandriæ, Eudoxius Antiochiæ, Uranius Tyri, Patrophilus Scythopoleos, Theodulus Chæretaporum in Phrygia, Theodosius Philadelphiæ in Lydia Evagrius Mitylenes, Leontius Tripolis Lydiæ, Phœbus Silandes Phrygiæ, Eutychius Eleutheropolis Syriæ, Eustachius Epiphaniæ, Eusebius Seleuciæ in Syria, Germinius Sirmii, Auxentius Mediolani, Demophilus Berrhœæ, Basilius, vel Basiliscus Caunorum in Lydia. Tertia fuit Anomœorum, quorum princeps Aetius, tum Eunomius.

Homœusion.

V. Quod ad Semiarianos, et ὁμοιουσιαστὰς attinet, arbitror duas itidem illorum partes fuisse. Quidam enim Filium Dei ante tempora omnia et sæcula a Patre genitum asserebant, non tamen ex æterno, ut esset Patri συναΐδιος; in quo ab Ariano magistro dissentiebant, qui fuisse tempus dixerat, quo nondum erat Filius. Augustinus initio libri sexti *de Trinitate*, « Nam ipse Arius, inquit, dixisse fertur, si Filius est, natus est: si natus est, erat tempus, quando non erat Filius, non intelligens, etiam natum ex Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri Filius; sicut splendor, qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus est illi, et esset coæternus, si esset ignis æternus. Unde quidam posteriores Ariani abjecerunt istam sententiam, fassique sunt, non ex tempore cœpisse Filium Dei. » Quorum dogma clarius exponit Epiphanius in hæresi LXXIV, quæ est *Pneumatomachorum*. « Ab his, inquit, Semiarianis et ab orthodoxis, monstrum quoddam, ut ita dicam, biformium hominum ac semiferorum contra nos excitatum est: quales Centauros, aut Panas, aut Sirenas fabularum nobis auctores ediderunt. Nam alii sunt Arianarum partium, qui Filium non absolute creaturam esse sentiunt, sed Filium absque tempore genitum. Tempus autem id esse in opinione sua ponunt, qui a cœli conditu ad hoc usque tempus elapsum est. Iidem tamen a priore illa, quam Arius evomuit, locutione non recedunt: fuisse nimirum, cum nondum esset Filius. Sed, cum ante omnia tempora exstitisse ipsum asserant, per quem facta sunt omnia, Spiritum sanctum blasphemant [a]. »

Homœusiastas.

Coæternus.

Divortia Semiarianorum.

Semiarianorum duæ partes.

Alii ex omni æternitate et ex infinitis sæ-

a Epiph. Hær. LXXIV. Ἀπὸ τούτων ἡμιαρείων, καὶ ἀπὸ ὀρθοδόξων τινὲς, ὡς εἰπεῖν, τεράστιοι γεννηθέντες ἄνθρωποι, διφυεῖς, καὶ ἡμίπλαστοι, ὡς τοὺς Κενταύρους, ἢ Πᾶνας, ἢ Σειρῆνας οἱ ἀναγράψαντες τοὺς μύθους ἐπανέστησαν ἡμῖν, οἱ μὲν ἀπὸ Ἀρείου ὄντες, καὶ δῆθεν τὸν υἱὸν οὐ τέλειον κτιστὸν ὁριζόμενοι, ἀλλ' υἱὸν ἀχρό-

1 Ep. CXLV, col. 1196 D.

culis a Patre productum esse defendebant Filium, sed eumdem ὁμοούσιον negabant, adeoque vere ac proprie de substantia genitum; quod Basilius Ancyranus Semiarianorum coryphæus, ac cæteri apud Epiphanium et Hilarium profitentur in anathematismis Ancyranæ synodi [1].

Consubstantialem.

VI. Cæterum idem Epiphanius in eo loco, quem citavi, Pneumatomachos fuisse aliquos docet, qui, cum de Filio recte et catholice sentirent, in solo Spiritu sancto ab fidei aberrabant regula, ut et Zonaras ac Balsamo ad primum canonem Constantinopolitanæ primæ synodi notarunt. Quod Macedonianis hæreticis tribuit Augustinus libro tertio *contra Maximinum* [2], et Philastrius [3]; Semiarianis Leo Papa [4]; et Cassianus libro primo *de Incarnatione* capite secundo, Macedonium scribit ejusdem substantiæ Patrem et Filium dixisse, sanctum tamen Spiritum creaturam vocasse. Verum uti de Filio recte, et ex Nicænæ fidei regula quosdam existimasse scio, qui de Spiritu sancto non sincere judicarent, uti post paulo referam; non puto tamen talem fuisse Macedonium ipsum, quem constat Semiarianæ partis principem fuisse, sed Macedonianos appellatos omnes esse, qui Spiritus sancti divinitatem negabant, Itaque melius Augustinus Macedonianis id tribuit, quam Cassianus, et Leo, Macedonio. Cassianus vero notandus insuper, quod Eunomium scribit arbitratum esse, similem sibi esse Trinitatem. Sed errat plurimum. Nam nemo ardentius τὸ ἀνόμοιον tutatus est. Largius vero peccat Genebrardus, vir alioqui doctissimus, qui in [2] secundo libro *de Trinitate* Aetium et Eunomium credit, Patrem et Filium *essentias pares æqualesque fecisse*; quod quam alienum sit a vero, ex Epiphanio, Basilio, Gregorio Nysseno aliisque pluribus constat. Fefellit autem illum non Gennadius, quem citat auctorem, sed Gennadii locus non bene intellectus. Hic enim in *Sabbatio* refert, ab eo scriptore librum esse compositum adversus Marcionem, et Aetium atque Eunomium. « Aetio vero, inquit, et Eunomio discipulo ostendit, Patrem et Filium, non duarum esse naturarum, et divinitate parilium, sed unius essentiæ, et alterum ex altero, id est ex Patre Filium, alterum alteri coæternum; cui credulitati Aetius et Eunomius contradicunt. » Quæ sic explicanda sunt, ut Aetius et Eunomius, a quibus Anomœi derivati sunt, Catholicis ὁμοούσιον et coæternum esse Patri Filium asserentibus, objecerint, ex hac opinione sequi, duos esse pares et æquales inter se, nec unum ab altero productum. Hoc enim argumento passim usi sunt adversus catholicum dogma, cum ipsi propterea inferiorem Patre Filium, nec æternum esse dicerent, ne duo principia ponerentur æqualia inter se, nec a se mutuo pendentia. Contra quos Basilius, et Gregorius Nyssenus, quod et Sabbatium illum fecisse scribit Gennadius, contendebant, ideo unum esse principium, etsi duo coæterni numerentur, quod a Patre Filius oritur, eademque numero est amborum essentia.

Anomæum vel dissimile.

Sic etiam Cyrillus Alexandrinus lib. IX *in Joannem*, sublata personæ unius ab altera productione, jam esse Trinitatem negat, sed tres duntaxat, sua quemque natura et substantia ab aliis separatum ac divulsum. Quem Cyrilli locum mendose editum obiter restituimus [a].

Hilarius libro *de Synodis*, Acacianorum, qui ὅμοιον, non ὁμοιούσιον putabant esse Filium, expositam sibi ait esse sententiam a quodam episcopo, quocum Seleuciensi intererat synodo; de quo cum percontatus esset, « quid sibi vellet istud, ut qui unam substantiam Filii esse cum Patre damnassent, vel esse similis substantiæ denegassent, (hoc est τὸ ὁμοούσιον et ὁμοιούσιον ex æquo repudiassent) dissimilitudinem damnarent,» nempe τὸ ἀνόμοιον. Ad quæ ita respondit episcopus: « Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse; » quod subinde sic explicavit. « Dico eum dissimilem Deo esse, similem Patri posse intelligi, quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia sui vellet; et idcirco similem Patri esse, quia voluntatis esset potius Filius, quam divinitatis; dissimilem autem Deo esse, quia neque Deus esset, neque ex Deo, id est de substantia Dei natus esset.

Similem non consubstantialem.

νως γεγενημένον, χρόνου δὲ ἐν ὑπονοίᾳ λέγουσι τὸν ἀπ' οὐρανοῦ καὶ δεῦρο, οὐ μὴν ἀπηλλαγμένοι τῆς ἐν πρώτοις τοῦ 'Αρείου ἐξεμεθείσης λέξεως, τῆς φασκούσης εἶναί ποτε, ὅτε οὐκ ἦν.

a Cyr. lib. IX *in Joann.* Τριὰς οὐκέτι γὰρ ἡμῖν ἡ ἁγία πιστεύεται κατά τινα δὴ τρόπον, τρεῖς δὲ μᾶλλον, ὡς ἐν ἀλλήλοις οὐκ ἐνυπάρχοντες οὐσιωδῶς, ἑκάστου τε ὥσπερ τῶν ὀνομάτων εἰς τὸν οἰκεῖον τῆς ἰδίας φύσεως ἀναχωροῦντος, διακεκομμένου τε τοῦ ἑτέρου παντελῶς. In cusis legitur mendose. Nam post τριὰς ponitur hypostigme, et ἐνυπάρχοντος pro ἐνυπάρχοντες.

1 Hær. LXXIII, n. 21. Hil. lib. *de Syn.* anath. X. — 2 Cap. XXIII. — 3 Cap. XX. — 4 Leo, ser. IV *de Nat.* cap. V.

Hæc audiens, addit Hilarius, hebui, neque credidi, donec publice ex consensu omnium eorum profanissimæ hujus similitudinis ratio prædicaretur. »

Quæ quidem ad Acacianam sectam pertinere ex antecedenti capite liquet. Sic Athanasius in libro *de Synodis*, Acacium et Eudoxium redarguit, quod, cum professi essent, se formulam in Antiochena synodo per Encænia propositam sequi, tam ὁμοιούσιον, quam ὁμοούσιον damnassent; cum tamen in Antiochena illa professione contineretur, Filium esse ἀπαράλλακτον τῆς οὐσίας εἰκόνα, *imaginem substantiæ nulla re dissimilem.* Tum quod iidem apud Seleuciam τὸ ἀνόμοιον peræque condemnassent, « Atqui, si substantia non est similis, dissimilis est utique ; neque potest imago esse substantiæ, quod dissimile est, » ait Athanasius [a].

Homæusion quam *homousion.*

VII. Postremo Semiarianorum et ὁμοιουσιαστῶν, quorum dux erat Basilius Ancyranus, dogma mirifica quadam ratione declaratur a Mario Victorino, libro I *adversus Arium* [1] : « Quod autem, inquit, ὁμοιοισύον dicunt, (ita enim legendum) etsi confitentur, Filium a Patre habere substantiam, sed aliud quidem dicunt, dicentes neque generatione Filium, neque faciendo esse a Deo, sed compulsu istorum duorum, et generationis, et faciendi, veluti lapidis et ferri, atque inde emitti flammam. Ista dicentes occulti Ariani sunt. » Nihilominus de hoc Semiarianorum genere commodius senserunt ac locuti sunt plerique Patrum, ut Athanasius in libro *de Synodis;* ubi etiam *fratres* illos appellare non dubitat, et qui Arianos cæteros pleno verborum ac sententiarum impetu, ac cujusdam fulminis more percellit ac disjicit, lenius cum istis agit ac mollius, quod de re ipsa propemodum consentientes cum Catholicis, de solo vocabulo litigabant. Sed horum Semiarianorum, quorum antesignanus fuit Basilius Ancyræ episcopus, prorsus obscura fuit hæresis, et densis offusa tenebris, atque ad investigandum difficilis et perplexa ; ut ne ipse quidem Athanasius satis illam exploratam habuerit. Nam, si eam penitus intellexisset, multum de tanta

Homæusiaston.

Basilii laude ac commendatione remisisset ; neque de solo istum vocabulo τοῦ ὁμοουσίου dissentire ab Catholicis partibus putasset, a quibus re tota discrepabat. Igitur qualis Basilii Ancyrani, et hujus universæ factionis opinio de sacrosanctæ Trinitatis mysterio fuerit, non potest aliunde melius certiusque cognosci, quam ex ipsa illorum confessione uberrimaque disputatione, quam de hoc argumento ab illis editam descripsit integram sanctus Epiphanius in eorum hæresi, quæ est numero tertia, et septuagesima [2]. Ibi multa catholico dogmati quam simillima proferunt. Imprimis quod Filium negant esse creaturam [3], eo quod verus sit Filius, ac vera generatione productus, non tropica illa, qua creatæ res a Deo genitæ dicuntur [4], sed vere esse Patrem [5]. Quem et *ex sese genuisse* fatentur Filium [b], idque « ante omnem cogitationem, et omnes rationes, et tempora, et sæcula [c]. » Hæc sunt specie ipsa plausibilia, et ad catholicam professionem quamproxime accedunt. Sed deest tamen hoc illis, in quo fidei robur, caputque consistit, quod Filium ἐκ τῆς οὐσίας genitum a Patre esse non confitentur ; sed ἐκ τῆς ὁμοιότητος τοῦ πατρὸς, *ex similitudine Patris*, nempe ἐνεργείᾳ γεννητικῇ *actione et efficientia genitali*. Siquidem Patrem aiunt varias actiones habere, unam κτιστικὴν *creatricem*, alteram γεννητικὴν *generatricem*, qua producit Filium [d] [6]. Tum non eamdem οὐσίαν in utroque esse statuunt, sed duas inter se similes. Etenim in illa eadem hæresi, post fidei professionem et anathematismos synodicæ Ancyranæ, Basilii, Georgii Laodiceni aliorumque Semiarianorum commentarius descriptus est, in quo de οὐσίας nomine latius disputant; ac λόγους Dei multiplices esse dicunt, id est *Sermones*, quibus Pater locutus dicitur; sed unum esse singularem, qui illius appellatur Filius, quem idcirco Patres οὐσίαν et ὑπόστασιν vocarunt. Nam cæteri, non οὐσία, sed λεκτικαὶ ἐνέργειαι, hoc est, *non substantiæ sunt, sed sermocinatrices actiones*. Itaque ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ sumpserunt, ut utraque vox significet id quod exstat et solidum est, qualis est *substantia.* At iidem postea tres hypostases agnoscunt in Deo, non

Consubstantialis.

E substantia

Substantiam.

Hypostasin.

a Athan. Εἰ γὰρ οὐχ ὅμοιος κατ' οὐσίαν, πάντως ἀνόμοιός ἐστι. τὸ ἀνόμοιον οὐκ ἂν εἴη εἰκών.

b Epiph. num. 7. Πατέρα μὲν ἐξ ἑαυτοῦ γεγεννηκότα.

c Ibid. num. 15. Ἐξ οὗ πατρὸς τελείως ἐκ τελείου, πρὸ πάσης ἐννοίας, καὶ πάντων λογισμῶν καὶ χρόνων, καὶ αἰώνων, ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθείς.

d Ibid. num. 7. Οὐ μόνον τὴν κτιστικὴν ἔχων ἐνέργειαν, ἀφ' ἧς κτίστης νοεῖται, ἀλλὴ καὶ ἰδίως, καὶ μονογενῶς γενητικὴν, καθ' ἣν πατὴρ μονογενοῦς ἡμῖν νοεῖται.

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 2 Hær. LXXIII n. 2 — 3 Ibid. n. 3. — 4 Ibid. n. 5. — 5 Ibid. n. 10. — 6 N. 17.

tamen divinitate tres. Credo, quia in solo Patre summam divinitatem inesse putabant; in Filio vero tantum σχετικῶς, quod imago Patris esset, ac summæ illius divinitatis; quemadmodum ex Eusebio Cæsariensi postea referemus. Quapropter non unam numero, ac ne specie quidem οὐσίαν in Patre ac Filio constituebat Ancyranus Basilius, ejusque socii, sed diversas ac dispares[1]. Ideo τὸ ὁμοούσιον in postremo anathematismo damnarunt.

Relative.

Consubstantiale.

VIII. Post istos omnes Arianæ perfidiæ maculis extra controversiam infectos, adjungemus alios quosdam, qui propriis infames erroribus, communi etiam illa labe notantur a nonnullis. Cujusmodi sunt imprimis Donatistæ, quos a « schismate prosiluisse in hæresim, » auctor est Facundus libro *contra Mocianum*[2], « ut postea etiam de baptismate, et divina Trinitate male sentirent. » Verum, si ex eo solo, prave illos de Trinitate sensisse colligit, quod baptismum iterarent, non recte disputat. Nam alio pertinebat hoc illorum nefarium dogma. Augustinus quidem, quo nemo melius Donatistarum arcana cognovit, in epistola quinquagesima, «Inter Arianorum et Donatistarum errorem interesse dicit, quod Ariani Patris, et Filii, et Spiritus sancti diversas substantias esse dicunt; Donatistæ autem non hoc dicunt, sed unam Trinitatis substantiam confitentur. Et si aliqui ipsorum minorem Filium esse dixerunt, quam Pater est, ejusdem tamen substantiæ non negarunt. Plurimi vero in eis hoc se dicunt omnino credere de Patre, et Filio, et Spiritu sancto, quod catholica credit Ecclesia, etc. Aliquando autem, sicut audivimus, nonnulli ex ipsis, volentes sibi Gothos conciliare, quando eos videnf aliquid posse, dicunt, hoc se credere, quod et illi credunt. Sed majorum suorum auctoritate convincuntur; quia nec Donatus ipse sic credidisse asseritur, de cujus parte se esse glorientur. » Rursus idem in libro *de Hæresibus ad Quodvultdeum*[3], de Donato, a quo Donatistæ, ita scribit : « Exstant scripta ejus, ubi apparet, eum etiam non catholicam de Trinitate habuisse sententiam; sed, quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum sanctum. Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem, Donatistarum multitudo intenta non fuit; nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur. »

Donatistæ nonnulli de Trinitate male senserunt.

IX. Atque idem Augustinus Priscillianistas ait « de Christo Sabellianam sectam tenuisse, eumdem ipsum esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, et Spiritum sanctum[4]. » Item alterius meminit hæresis anonymæ, » quæ triformem sic asserebat Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, hoc est, quod Dei unius partes sint, quæ istam faciunt Trinitatem, velut ex iis tribus compleatur Deus, nec sit perfectus in seipso vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. » Sic Vigilantium tres Deos asseverasse docet commentarius in Boetium *de Trinitate*, qui Bedæ perperam inscriptus, inter ejus opera legitur.

Priscillianistæ.

Quod Joannem Philoponum celebrem Aristotelis Interpretem propugnasse postea refert Nicephorus[5] Calixti, ac Tritheitarum hæresis auctorem fuisse, de quo agemus postea. Theodoretus[6] quoque *Peratarum* meminit, qui tres perinde faciebant deos. Apollinaris item hæreticus de Trinitate perperam existimavit, ut auctor est Gregorius Nazianzenus epistola prima *ad Cledonium*. Nam et Spiritum sanctum nomine tenus Deum appellans, vim illi nominis ac rem adimebat, et gradus quosdam deitatis instituebat, ac magni, majoris, maximi discrimen in personis tribus. Quam « deitatis scalam, non ad cœlum efferentem, sed ab cœlo deferentem[a], » eleganter idem vocat.

Exstant Apollinarii Fragmenta in tomo quarto Bibliothecæ Patrum, inter quæ fidei professio est ab eodem edita, quæ in Trinitatis dogmate prorsus cum catholica fide consentit. De recentioribus Trinitatis hostibus libro tertio mentionem faciemus.

---

a Naz. Τὸ γὰρ ἐκ μεγάλου καὶ μείζονος, καὶ μεγίστου συνιστᾷν τὴν τριάδα, ὥσπερ ἐξ αὐγῆς καὶ ἀκτῖνος, καὶ ἡλίου, τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, ὥσπερ σαφῶς ἐν τοῖς ἐκείνου γέγραπται λόγοις, κλίμαξ ἐστὶ θεότητος οὐκ εἰς οὐρανὸν ἄγουσα, ἀλλ' ἐξ οὐρανοῦ κατάγουσα.

1 N. 11. — 2 Cap. LXIX. — 3 Ib. cap. LXX — 4 Ib. cap. LXXIV. — 5 Lib. XVIII, cap. XLVII. — 6 Lib. I *de Hær.* cap. XIX.

CAPUT XI.

De nonnullis, quorum ad nomen infamia Arianæ hæresis adhæsisse videtur; ac primum de Eusebio Cæsariensi, quem Arianum fuisse contra Molinæum asseritur.

I. Ex illo, quod superiori capite attigi, Arianorum dissidio constat, alios meram auctoris sui perfidiam expressisse, qui non solum diserte Filium Dei creaturam esse dicerent, atque ex nihilo productum, sed etiam natura et substantia Patris dissimilem; alios tolerabiliori in errore versatos esse, qui neque creaturam esse Filium aperte profiterentur, et eum affirmarent, Patri esse per omnia, adeoque substantia, et usia similem, cum neutri interim ὁμοουσίου vocabulum, hoc est, Nicænæ, et catholicæ fidei tesseram adhiberent. Atque hos sane posteriores quidam ex Orthodoxis partibus pro catholicis amplexi sunt; ut inter alios, Gallicanæ per illud tempus Ecclesiæ decus ac columen sanctus Hilarius, qui in libro *de Synodis*, fidei ἔκθεσιν, in Ancyrano conventiculo a Basilio ejus urbis episcopo, aliisque Semiarianis editam, magnopere collaudavit, et accuratius expositam atque defensam misit in Gallias; cum in illa tamen, *consubstantialis* voce suppressa, sola per omnia cum Patre Filii similitudo poneretur. In hunc numerum a scriptoribus includi video nonnullos, qui inter Ecclesiæ catholicæ doctores et sanctos Patres vulgo referuntur; et ab aliis Patribus, qui sine controversia catholici fuerunt, partim Arianis partibus adjudicantur, partim ab recta fide ac pietate laudantur. Ejusmodi sunt imprimis duo, Cyrillus Hierosolymitanus, cujus exstant Catecheses, et Meletius Antiochenus, quem SS. Gregorius Nyssenus, et Chrysostomus, ac Theodoretus aliique catholici celebrem commendatione sua fecerunt; plerique vero inter Semiarianorum principes adscripserunt; quorum a nobis hoc loco causa disceptabitur, nec non aliorum totidem, de quibus minor inter doctos et pios debet esse dubitatio, quæ tamen fuit aliquando nonnulla. Sunt hi Cæsariensis Eusebius, quem ab hæresis suspicione vindicare utcumque conatus est Socrates; et hodie Calvinianus Molinæus in libro, quem adversus Cardinalem Perronium scripsit, Arianum fuisse præfracte negat, eoque nomine haud sane merito, nec sine calumnia traduci ab Romanæ fautoribus Ecclesiæ queritur*, tum Marcellus Ancyranus, cujus olim ab Romanis Pontificibus aliisque viris magnis patrocinium est susceptum. Quocirca de eorum statu breviter hic agendum videtur, ac primum Eusebii, qui cæteris est antiquior.

(Marginalia: *Consubstantialis.* — *Ecthesin.* — Molinæus Eusebium Cæsariensem Arianum fuisse negat.)

II. Hic Cæsareæ, quæ Palestinæ metropolis erat, episcopus, Pamphili ejus, qui in Maximini persecutione martyrium obiit, familiaris ac discipulus fuit, qua etiam in persecutione comprehensus, ac sine ulla corporis labe dimissus, ejuratæ fidei suspicione non caruit; quod ei sanctus Potamo, qui in eadem causa oculum amiserat, in conciliabulo Tyrio coram omnibus exprobravit, ut scribit Epiphanius [1], meminitque sanctus Athanasius [2]. Idem Arium recens exortum, una cum cognomine Eusebio Nicomediensi Episcopo, studio ac favore complexus est; quod Arius ipse demonstrat in Epistola, quam ad hunc ipsum Nicomediensem dedit, quæ ab Epiphanio refertur [3]. Quinetiam in Nicæna synodo, cum propositæ ibi formulæ, quæ consubstantialem Patri Filium asserebat, subscribere initio detrectasset, postridie consensit, ut scribit Athanasius in libro *de Decretis Nicænæ synodi*. Et in epistola *ad Africanos*, testatur, ipsum Arianam hæresim secutum hactenus, Nicæni concilii probasse decretum [4]. Verum postea ad ingenium reversus, magna pars Arianorum fuit, et conciliabulis iis, quæ contra Athanasium fidemque Nicænam perfidiose contracta sunt, non interfuit solum, sed etiam præfuit; velut Tyrio,

(Marginalia: Eusebium Cæsariensem Semiarianum fuisse demonstratur.)

* Molinæi causam, seu potius Eusebii egerunt ex catholicis Henricus Valesius *Diss. de vita scriptisque Eusebii*, et P. Staviolus societatis nostræ in mu. libro, qui in Bibliotheca Mediolanensi PP. S. Fidelis asservatur; ex heterodoxis vero Abr. Calovius *Confession. Martyr.* tom. II. *Scriptor. anti-Socinian.* Georgius Bullus in *Defensione Fidei Nicænæ*, Samuel Basnagius tom. II *Ann. Politico-Eccles.* in primis autem Guillielmus Caveus singulari dissertatione, quæ in calce *Historiæ* ejus *litterariæ* legitur; sed Petavii sententia multos utriusque communionis doctissimos homines nacta est sectatores. Nam ut protestantes omittam, Christophorum Sandium, Johannem Clericum tom. X. *Biblioth. Univers. et Artis Criticæ* tom. III, epist. II, aliosque, Eusebium Ariani erroris postulant ex orthodoxis nostris Norisius *De quinta synodo* cap. XIII. Montfauconius in *Præfat. ad Eusebii commentarios in Psalmos*; Natalis Alexander in *Hist. Eccles.* sæc. IV, diss. XVII. In utramque partem disputat Witassius *de Trinit.* q. IV, art. 2, sect. 4. Z.

1 Epiph. Hær. LXVIII, n. 7. — 2 Athan. Apol. II. — 3 Epiph. Hær. LXIX, n. 6. — 4 Lib. *de Syn.*

et Antiocheno. Quare inter primores Arianos merito numeratus est, et ab Hieronymo in *Apologia contra Ruffinum*, *Arianæ signifer factionis* dicitur.

Molinæus Calvinianæ sectæ minister[1], cardinalem Perronium, cæterosque catholicos redarguit, quod præter meritum scriptori isti Arianismum affinxerint, quem, inquit, de divinitate Filii Dei præclare esse locutum, multis ex locis apparet; maxime vero ex lib. IV *de Dem. Evang.* c. III, et ex libr. V, c. II. Tum idem Nicæno symbolo, et Arianorum damnationi subscripsit. Præterea Theodoretus l. I, c. XI, hæresis ab illo suspicionem removet; nec non Socrates lib. I cap. III, et lib. II cap. XXI, et Nicephorus l. VIII, c. XXI. Hæc ille. In quibus plurimum fallitur, et historiæ inscitiam ostendit, quam in rebus divinis jamdudum prodidit. Nihil enim evidentius est, quam Eusebium de Filio Dei prorsus eadem cum Semiarianis saltem sensisse, non solum antequam Nicæna synodus exstitisset, verum etiam postea; quod ex ejus libris demonstrabimus.

III. Inprimis septimo in libro de *Præpar. Evang.* c. XIII et XIV ex antiquorum Hebræorum, hoc est patriarcharum et prophetarum, ac veteris Testamenti scriptorum sententia definit, esse causas rerum duas, totidemque substantias, quarum altera « sine principio est, et ingenita, universorum Dei propria, quæ cum nullo commercium habet, et comprehensionem omnem superat; » altera est « secunda substantia, divinaque vis, principium omnium, quæ facta sunt, prima omnium constituta, et a primo principio condita, quam Verbum, et sapientiam, et Dei virtutem nominant[a]. » Exinde vero missum eumdem dicit a Patre quondam patriarchis ac prophetis, ad communem hominum salutem; ut quod illis apparuisse legimus sæpe Deum, hoc de Verbo Dei ac Filio dictum intelligamus, qui « tanquam ægrotantium salvator, et animarum medicus a majore mitteretur[b]. » Mox illa verba capitis *Gen.* I: *Faciamus hominem*, etc. summi Dei esse scribit, et esse διάταξιν, παρακέλευσιν, et ἐντολὴν, *edictum, adhortationem et mandatum*, quo facere aliquid imperat.

Idem capite XV manifestius opinionem aperit suam. Triplicem enim distinguit divinitatis gradum ita, ut alius alio major sit ac præstantior. Primam esse dicit, « expertem principii, et ingenitam summi Dei substantiam. Post hanc esse alterum, non aliunde, quam a Patre genitum principium, primogenitum, et adjutorem paterni consilii. Hanc substantiam inter ea, quæ postea facta sunt, principatum tenere; unde et imaginem Dei, et Dei virtutem, Dei sapientiam, Dei verbum, necnon principem militiæ Domini, et magni consilii Angelum vocari; » quæ quidem tolerabilia sunt. Sed illa prorsus Ariano tincta succo, quæ eodem capite pertexit. Ut in his, quæ sub oculos cadunt, primum esse cernimus immensum illud, omniaque continens cœlum; deinde solem, ac lunam, cæteraque sidera; nam alia est gloria solis, alia lunæ, et alia stellarum: « Sic in intelligibilibus et incorporeis substantiis evenit; in quibus omnia confertim amplectitur inexplicabilis, et infinita magnitudine prædita vis universorum Dei; secundum vero locum habet post patrem artifex vis, et illuminatrix divini Verbi; unde et lumen verum, et justitiæ sol ab Hebræis vulgo dicitur; tertia post secundum substantiam, instar est lunæ sanctus Spiritus[c], » etc. In his gradus atque ordines τῶν ὑποβεβηκυιῶν, ut Nazianzenus loquitur, hoc est sibi ordine subjectarum, ac *descendentium* usiarum, sive substantiarum describit Eusebius ita, ut quemadmodum mundus, hoc est supremum immensumque cœlum solem ac lunam magnitudine superat; sic Pater Filio, qui soli respondet, Filius Spiritu sancto, qui lunæ instar est, major sit, et capacior; atque, ut luna reliquis deinceps minoribus ignibus, ita Spiritus sanctus cæteris intelligibilus substantiis antecellat. Addit secundum illud principium, Dei Filium communicatum sibi a

Triplex divinitatis gradus juxta Eusebium.

a Euseb. VII *de Præp.* Μετὰ τὴν ἄναρχον, καὶ ἀγένητον τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων οὐσίαν, ἄμικτον οὖσαν, καὶ ἐπέκεινα πάσης καταλήψεως, δευτέραν οὐσίαν, καὶ θείαν δύναμιν, ἀρχὴν τῶν γενητῶν ἁπάντων, πρώτην τε ὑποστᾶσαν, κἀκ τοῦ πρώτου αἰτίου γεγενημένην εἰσάγουσι, λόγον καὶ σοφίαν, καὶ θεοῦ δύναμιν αὐτὴν προσαγορεύοντες.

b Ibid. Οἷα νοσούντων σωτῆρα, καὶ ψυχῶν ἰατρὸν πρὸς τοῦ μείζονος ἀπεσταλμένον.

c Euseb. XVI, pag. 191. Ταύτῃ πῃ τοιγαροῦν καὶ τὸν ἐν ἀσωμάτοις καὶ νοεραῖς οὐσίαις κόσμον χρὴ νοεῖν, τὰ πάντα μὲν ἀθρόως ἀπολαβούσης τῆς ἀνεκφράστου, καὶ ἀπειρομεγέθους δυνάμεως τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων, δευτερούσης δὲ μετὰ τὸν πατέρα τῆς δημιουργικῆς ὁμοῦ καὶ φωτιστικῆς δυνάμεως τοῦ θείου λόγου· διὸ καὶ φῶς ἀληθινὸν, καὶ δικαιοσύνης ἥλιον Ἑβραίοις φίλον αὐτὸν ὀνομάζειν. τρίτης δὲ ἤδη μετὰ τὴν δευτέραν οὐσίαν ἐν χώρᾳ σελήνης καθισταμένης τοῦ ἁγίου πνεύματος.

1 Molin. in *Resp. ad Perron.* lib. III, cap. II.

Patre splendorem reliquis omnibus, adeoque Spiritui sancto, tanquam « magis, quam cætera, ac seipsum accedenti ac propinquissimo largiri[a]. Nam supremum illum Deum omnia, quæ in sese continet, soli primo a se producto communicare fetui, utpote qui solus capere possit, ac recipere exuberantem Patris bonorum copiam, quam cætera consequi nequeant et capere; particulatim vero singulis, pro eo ac capax est unumquodque, singula distribuere, et ad hoc ipsum principii ministerium et interventum, quorum particularium donorum præcipua summeque sancta ei, qui tertium a Patre gradum, a Filio proximum tenet, per hunc ipsum Filium donantur[b]. » Subjicit in fine capitis ejusdem, « Porro omnia ista (angelos videlicet, principatus, potestates, et innumerabiles cæteras intelligibiles substantias) comprehensis una Filio, et Spiritu sancto, animalia intelligibilia, et rationalia, cum iis, quæ apparent, in cœlo, ipsumque adeo cœlum, et quæcumque ambitu illud suo complectitur, ei soli, qui præest omnibus, Deo, qui per omnia et in omnibus supremus rex ac ductor est, et universorum principium, utpote omnium opifici, factori, moderatori ac salvatori, congruentem hymnum, et, quale Deo dignum est, præconium, divina, et prophetica Scriptura persolvere admonet his verbis: *Laudate Deum de cœlis*[c], » etc. Denique, «Unigenitus, inquit, ipse Dei, et primogenitus universorum, principium omnium, Patrem suum solum arbitrari Deum verum, solumque venerari nos hortatur[d].» Ad hæc l. II operis ejusdem, Platonicorum dogmati de triplici αἰτίᾳ, id est *principio* consentiens, quorum sententiam pluribus capitibus exponit, in octavo decimo, tres νοερὰς οὐσίας, *intelligibiles essentias* consentanee iisdem ipsis ab Hebræis, hoc est Vetere in Testamento definiri docuit. Hæc Eusebius in l. VII et XI *de Præpar.* in quibus antiquum illud obtinet, quod a Platonicis mutuo acceptum, complures ex Christiana vetustate Nicæna priores synodo secuti sunt, plura ut principia rerum statuerent, tum natura, et substantia, tum vero dignitate distincta; ita ut majus unum esset, ac sublimius altero, et quidam velut gradus inessent, quos Græci theologi βαθμοὺς τῶν ἀξιωμάτων nominant, quales in divinis personis Apollinarem constituisse testatur libro *contra Hæreses* quarto Theodoretus. « Hujus enim inventum est, ait, magnum, majus, maximum; tanquam magnus quidem foret Spiritus, Filius major, maximus Pater[e]. » Verum longe ante hunc Apollinarem plerosque veterum ita docuisse, supra vidimus; nec Eusebium aliter existimasse, satis ex hujus capitis disputatione constat, tum ex iis, quæ subinde dicenda sunt, melius intelligetur. Quanquam id in Apollinaris opinione singulare fuit, et absurdius, quam in cæteris, quod idem οὐσίαν, sive substantiam eamdem in tribus esse personis defenderet; et nihilominus gradus illos majoris ac minoris assereret; quæ secum pugnare duo, recte Theodoretus animadvertit. Gradationis autem illius minime repertorem hunc fuisse præter ea, quæ dixi, etiam ex illo liquet, quod Arius eodem prorsus modo tres personas cum essentia, tum dignitate disjunctas, et aliam alia majorem superioremque statuerit. Sed Eusebii reliqua flagitia videamus.

Principio.

Gradu- dignitatum

IV. Libro IV *de Demonst. Evang.* pus suum ac venenum apertius effundit. Capite primo, Deum Patrem ait omnia prævidentem, cum spirituales et corporeas res omnes fabricari constituisset, his ipsis dispensatorem ac ducem regemque putasse præponendum, videlicet filium suum, atque Verbum. « Itaque, ait capite XI, omnium quæ sunt, primum producit fetum suum, primogenitam sapientam, etc., hoc ex sese primum ipse fundamentum eorum, quæ deinceps erant futura, pro-

a Τοῖς πᾶσιν ὁμοῦ, καὶ δὴ καὶ αὐτῷ τῷ ἁγίῳ πνεύματι μᾶλλον πάντων αὐτῷ προσεχεῖ, καὶ ἐγγυτάτω ὄντι.

b Ibid. Τὰ μὲν πάντα, ὅσαπερ ἐν ἀῤῥήτοις δυνάμεσι περιείληφε, τῷ πρώτῳ γεννήματι κοινωνεῖν μόνῳ, ὡς ἂν μόνως οἵῳ τε χωρεῖν, καὶ ἀποδέχεσθαι τὴν τοῖς ἄλλοις οὐκ ἐφικτὴν, οὐδὲ χωρητὴν τοῦ πατρὸς τῶν ἀγαθῶν ἀφθονίαν· τὰ δὲ ἐν μέρει τοῖς κατὰ μέρος ἀξίοις διὰ τῆς τοῦ δευτέρου διακονίας τε, καὶ μεσιτείας κατὰ τὸ ἑκάστῳ ἐφικτὸν ἐμπαρέχειν· ὧν τὰ τέλεια, καὶ ἄκρως ἅγια τῷ τρίτῳ μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ, ἄρχοντι δὲ, καὶ ἡγουμένῳ τῶν μετέπειτα διὰ τοῦ υἱοῦ τὰ περὶ (for. παρὰ) τοῦ πατρὸς ἐπικομιζομένῳ δεδωρῆσθαι.

c Ibid. Τὰ δὲ πάντα ἀθρόως αὐτῷ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, νοερά τε ζῶα, καὶ λογικὰ, σὺν καὶ τοῖς κατ' οὐρανὸν φαινομένοις, οὐρανόν τε αὐτὸν, καὶ ὅσα ἔνδον οὗτος ἐν αὐτῷ περιλαβὼν ἔχει, μόνῳ τῷ ἐπὶ πάντων θεῷ τῷ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσι παμβασιλεῖ, καὶ πανηγεμόνι, καὶ αἰτίῳ τῶν ὅλων ὡς ἂν δημιουργῷ πάντων, ποιητῇ τε καὶ φροντιστῇ, καὶ σωτῆρι, τὸν πρέποντα ὕμνον, καὶ τὴν προσήκουσαν θεολογίαν, ἡ θεία, καὶ προφητικὴ γραφὴ νέμειν παρακελεύεται, φάσκουσα, Αἰνεῖτε τὸν θεὸν ἐκ τῶν οὐρανῶν.

d Ibid. Ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ, καὶ πρωτότοκος τῶν ὅλων, ἡ πάντων ἀρχὴ, τὸν αὐτοῦ πατέρα μόνον ἡγεῖσθαι θεὸν ἀληθῆ, καὶ μόνον σέβειν ἡμῖν παρακελεύεται.

e THEOD. IV *cont. Hær.* Αὐτοῦ γάρ ἐστιν εὕρεμα. τὸ μέγα, μεῖζον, μέγιστον· ὡς μεγάλου μὲν ὄντος τοῦ πνεύματος, τοῦ δὲ υἱοῦ μείζονος, μεγίστου δὲ τοῦ πατρός.

fert, perfectum perfecti opificium, ac sapiens sapientis architectamentum, boni Patris bonum fetum[a]. » Eumdem mox « divinis oraculis celebrari Deum genitum asserit, tanquam inexplicabilis et incomprehensæ divinitatis solum in seipso ferentem imaginem; ob quam et ipse sit Deus, et dicatur, propter expressam illius primi, quam habet in se, similitudinem. Hinc etiam bonum aiunt ipsum ministrum a Servatore (Deo Patre) in medium fuisse productum, ut sic, tanquam per unum sapientissimum, ac vivens instrumentum, et artis scientiæque propriam regulam, ab ipso dirigerentur omnia, corpora simul, et corporis expertia[b], » etc.

Capite tertio demonstrat, unicum esse Filium, non vero plures illius supremi ac singularis Dei; quemadmodum una lucis substantia unum gignit ex sese profertque splendorem. In quo tamen hoc inest discrimen, «quod a sensibili luce separari splendor non potest; at Filius privatim præter Patrem per se ipse subsistit; tum lucis splendor efficientiæ locum obtinet, filius vero aliud quiddam est ab efficientia diversum, cum per se substantiam habeat. Item splendor cum luce simul existit; hanc enim ille complet. Nam sine splendore lux consistere non potest; unde simul et per se ille subsistit. At vero Pater prius, quam Filius, existit, et ante generationem ejus subsistit; quatenus solus erat ingenitus[c], » etc. « Ad hæc splendor nequaquam lucis voluntate coruscat, sed secundum inseparabile quoddam substantiæ accidens; Filius ex consilio, et arbitrio imago Patris prodiit. Etenim volens Deus Pater fuit Filii, ac secundum lumen per omnia sibi simile produxit[d].» At idem Eusebius in fine capitis, « Filium ait genitum non temporibus certis nondum existentem, aliquando exstitisse postea; sed ante tempora æterna exstitisse; » imo « ante omnia sæcula ex Patris inexplicabili et incomprehenso consilio, ac potentia substantiam accepisse[e]. »

V. Sic in capite quarto, « Visum, ait, esse optimo Patri, unigenitum et dilectum Filium, antequam facta omnia moliretur, oportere produci; quoniam mundum unum, tanquam corpus unum, ac magnum ex pluribus ac diversis membris et partibus paulo post editurus erat[f]. » Addit eumdem Filium « ex Patris divinitate, velut ex majori capite pendere. Caput enim Christi Pater[g], » etc. Item, ad id omne, quod Pater jusserit, et ad creatorum omnium effectionem idoneum esse. « Ob id, inquit, diximus ipsum primum omnium a Patre, velut simplex, et uniusmodi, substantiæ omnis, ac naturæ editum instrumentum fuisse animatum, ac vivens, sive potius divinum et vivificum[h], etc. »

Capite v sub finem, summum Deum appellat « artificis Verbi Deum, ac Patrem. » Capite vi longiori disputatione causam explicat, propter quam supremus ille Deus, se-

a Καὶ δὲ τῶν ὄντων ἁπάντων πρῶτον ὑφίστησιν αὐτοῦ γέννημα, τὴν πρωτότοκον σοφίαν. Mox : Τοῦτο πρῶτον αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ θεμέλιον τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων προβάλλεται. τὸ τέλειον τελείου δημιούργημα, καὶ σοφοῦ σοφὸν ἀρχιτεκτόνημα, ἀγαθοῦ πατρὸς ἀγαθὸν γέννημα, etc.

b Ibid. Ὅθεν εἰκότως οἱ χρησμοὶ θεολογοῦντες θεὸν γεννητὸν αὐτὸν ἀποφαίνουσιν, ὡς ἂν τῆς ἀνεκφράστου καὶ ἀπερινοήτου θεότητος μόνον ἐν αὐτῷ φέροντα τὴν εἰκόνα; δι' ἣν καὶ θεὸν εἶναί τε αὐτὸν, καὶ λέγεσθαι τῆς πρὸς τὸ πρῶτον ἐξομοιώσεως χάριν, ταύτῃ τε αὐτὸν ἀγαθόν φασιν ὑπηρέτην πρὸς τοῦ σωτῆρος ὑποβεβλῆσθαι, ἵνα ὥσπερ δι' ἑνὸς πανσόφου, καὶ ζῶντος ὀργάνου τεχνικοῦ τε καὶ ἐπιστημονικοῦ κανόνος, τὰ πάντα αὐτῷ ἀπευθύνοιτο, σώματα ὁμοῦ, καὶ ἀσώματα, etc.

c Ἀλλὰ τοῦ μὲν αἰσθητοῦ φωτὸς ἀχώριστος ἡ αὐγὴ, ὁ δ' υἱὸς ἰδίως παρὰ τὸν πατέρα καθ' ἑαυτὸν ὑφέστηκε. καὶ φωτὸς μὲν ἡ αὐγὴ χώραν ἐνεργείας ἐπέχει, ὁ δ' υἱὸς ἕτερόν τι ἢ κατὰ ἐνέργειαν τυγχάνει, καθ' ἑαυτὸν οὐσιωμένος. καὶ πάλιν, ἡ μὲν αὐγὴ συνυπάρχει τῷ φωτὶ, συμπληρωτική τις οὖσα αὐτοῦ· ἄνευ γὰρ αὐγῆς οὐκ ἂν ὑποσταίη φῶς, ὁμοῦ τε, καὶ καθ' αὐτὸ συνυφέστηκεν· ὁ δὲ πατὴρ προϋπάρχει τοῦ υἱοῦ, καὶ τῆς γενέσεως αὐτοῦ προϋφέστηκεν, ᾗ μόνος ἀγένητος ἦν.

d Ibid. Καὶ πάλιν, ἡ μὲν αὐγὴ οὐ κατὰ προαίρεσιν τοῦ φωτὸς ἐκλάμπει· κατά τι δὲ οὐσίας συμβεβηκὸς ἀχώριστον· ὁ δὲ υἱὸς κατὰ γνώμην καὶ προαίρεσιν εἰκὼν ὑπέστη τοῦ πατρός. βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς γέγονεν υἱοῦ πατὴρ, καὶ φῶς δεύτερον κατὰ πάντα ἑαυτῷ ἀφωμοιωμένον ὑπεστήσατο.

e Ibid. Υἱὸν γεννητὸν οὐ χρόνοις μέν τισιν οὐκ ὄντα, ὕστερον δέ ποτε γεγονότα. ἀλλὰ πρὸ χρόνων αἰωνίων ὄντα, etc. Πρὸ πάντων αἰώνων ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς ἀνεκφράστου, καὶ ἀπερινοήτου βουλῆς καὶ δυνάμεως οὐσιούμενον.

f Capit. IV. Πλὴν ἀλλ' ἕνα μονογενῆ, καὶ ἀγαπητὸν υἱὸν ἐδόκει τῷ παναγάθῳ πατρὶ τῆς τῶν γενητῶν ἁπάντων δημιουργίας προϋφίστασθαι δεῖν, ἐπεὶ καὶ κόσμον ἕνα, ὥσπερ ἓν, καὶ μέγα σῶμα ἐκ πλειόνων καὶ διαφόρων μελῶν τε, καὶ μερῶν ἤμελλεν ὅσον οὐδέπω προβάλλεσθαι.

g Ibid. Οὐκ ἐπιστατεῖν μὲν αὐτὴν ἄνωθεν, ὥσπερ μείζονος κεφαλῆς τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος ἐξημμένην· κεφαλὴ γὰρ τοῦ Χριστοῦ ὁ πατήρ.

h Cap. IV. Διὸ δὴ καὶ ἔφαμεν αὐτὸν πρῶτον πάντων ὑπὸ τοῦ πατρὸς οἷόν τι μονοειδὲς πάσης οὐσίας καὶ φύσεως προβεβλῆσθαι ὄργανον ἔμψυχον, καὶ ζῶν, μᾶλλον δὲ ἔνθεον, καὶ ζωοποιόν.

cundum a se principium, Filium, ac Verbum suum, inter seipsum, et creatas res interponi voluerit. Nam cum diversa rerum genera, naturasque varias, et substantias procreare statuisset, quæ propter imbecillitatem, utpote genitæ excellentem illam et infinitam divinitatis ingenitæ incomprehensæque vim haud possent capere, neque sempiternæ lucis ejus ac splendoris radios admittere; oportuisse dicit præstantissimum illum Patrem mediam quamdam interponere vim unigenæ, ac primogeniti filii sui quam proxime accedentis ad sese, sed magis ad creaturarum usum captumque temperari. « Hunc ergo Pater universi providens ante alia omnia condidit; ne penitus genitarum natura rerum excideret, propter imbecillitatem et infirmitatem ab ingenita et incomprehensa paterna substantia disjuncta[a]. »

VIII. Libro V ejusdem operis, capite primo, ex illis Salomonis verbis, *Dominus creavit me in initium viarum suarum*[1] probat Filium Dei esse γενητόν, id est *factum*, sive γεννητόν; nam ambo ista confundit : « Nec eumdem esse cum ingenito; sed ante omne sæculum substantiatum, » ut ita dixerim, et, « ut fundamenti instar genitis esset omnibus, productum[b]; » unde et primogenitus creaturæ omnis ab Apostolo dicitur. Mox vero, « ministrum et adjutorem Patris, ad universitatis substantiam producendam et ordinandam appellat[c]. » Ad hæc, « ante Filium existere Patrem, ac subsistere, nemo, inquit, non fateatur[d]. »

Genitum.

Ejusdem veneni est, quod illo ipso libro, ut et alibi sæpe Filium vocat ἕτερον κύριον, et ἕτερον θεὸν, *alterum Dominum*, *alterumque Deum*, Patrem vero μείζονα, vel κρείττονα θεὸν aut κύριον, *majorem*, aut *potiorem Deum*, vel *Dominum*; Filium vero δεύτερον, *secundarium Deum*; Patrem item, πρώτην, καὶ ἡγουμένην οὐσίαν, *primam*, *et principalem substantiam*.

Et in eodem libro, « primum Dominum, tanquam universe herum omnium, ab Hebræis ineffabili vocabulo, quod quatuor constabat litteris, appellatum esse dicit; secundarium vero minime, sed ipsum proprie appellatum esse Dominum[e]. »

Sic alibi « proprie esse dicit universorum Deum primum, et vere Dominum tam ipsius unigeniti sui Verbi, quam eorum omnium, quæ post illud genita sunt, in quæ secundo loco dominatum ac jus herile a Patre nactum Dei Verbum, tanquam germanus Filius, et Unigenitus, secundus merito et ipse Dominus pie nominetur[f]. »

Huc etiam spectat, quod et libro illo quinto, et in aliis plerisque locis, unum Deum, quem Christiana colit religio, solum esse prædicat Patrem : « Adeo ut proprie unus ille sit Deus, qui et solus, et natura sit, nec ab altero acceperit, post quem Verbum secundas obtinet; quod hoc ipsum, ut sit Deus, a Patre habet acceptum[g]. » Quibus simillima sunt, quæ apud Augustinum Maximinus Arianus recoctus catholicis objicit. « Dicendo autem unum Deum, bene quidem facere, si confitendo unum Deum, non Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum diceres Deum, contra tuam sententiam veniens. A nobis unus colitur Deus innatus, infectus, invisibilis, qui ad humana contagia, et ad humanam carnem non descendit[2]. »

Pene illud prætermiseram, quod libro primo *de Demonstr.*, capite tertio, eum, qui antiquis Patribus conspiciendum se præbuit, nullum alium scribit, quam Dei Verbum ac Filium esse potuisse, quandoquidem supremus ille Deus invisibilis et ingenitus, omniumque rex ac Dominus ab mortali natura videri non potest.

IX. Jam in libro primo *Ecclesiasticæ histo-*

a Cap. v. Ὃν αὐτὸς ὁ πατὴρ προνοίᾳ τῶν ὅλων, πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων συνεστήσατο, ὡς ἂν μὴ παντελῶς ἡ τῶν γεννητῶν ἀποπέσοι φύσις, δι' οἰκείαν ἀτονίαν, καὶ ἀδυναμίαν τῆς ἀγεννήτου καὶ ἀχωρήτου πατρικῆς οὐσίας διεστῶσα.

b Euseb. Οὐχὶ δὲ τὸν αὐτὸν ὄντα τῷ ἀγεννήτῳ διδάσκει, πρὸ παντὸς αἰῶνος οὐσιωμένον, θεμελίου τε τρόπον τῶν γεννητῶν ἁπάντων προβεβλημένον.

c Ibid. Ὑπουργόν τε, καὶ συνεργὸν τῷ πατρὶ τῆς τῶν ὅλων οὐσιώσεώς τε, καὶ διακοσμήσεως γεγενημένον.

d Ibid. Προϋπάρχειν δὲ, καὶ προϋφεστάναι πατέρα υἱοῦ πᾶς ὅςτις οὖν ὁμολογήσειεν.

e Idem. Τὸν πρῶτον κύριον, ὡς ἂν καθόλου τὸν ἁπάντων δεσπότην Ἑβραῖοι ἀνεκφωνήτῳ προσρήσει τῇ διὰ τῶν τεσσάρων στοιχείων ἀνηγόρευον. τὸν δὲ δεύτερον οὐκέθ' ὁμοίως, ἰδίως δὲ αὐτὸν κύριον ὠνόμαζον.

f Ibid. Ὡς ἂν κυρίως ὄντος τοῦ ἐπὶ πάντων θεοῦ πρώτου, καὶ ἀληθῶς κυρίου αὐτοῦ τε τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ λόγου, καὶ τῶν μετ' αὐτὸν γεννητῶν ἁπάντων, καθ' ὧν δευτέρως τὴν κυρίαν, καὶ δεσποτείαν παρὰ τοῦ πατρὸς ὁ τοῦ θεοῦ λόγος ἀναδεξάμενος, οἷα γνήσιος υἱὸς, καὶ μονογενὴς, δεύτερος εἰκότως καὶ αὐτὸς ἂν εὐσεβῶς χρηματίζοι κύριος.

g Idem. Ὥστε κυρίως καὶ ἕνα ἐκεῖνον εἶναι θεὸν, καὶ μόνον μὲν, καὶ φύσει ὄντα, καὶ μὴ παρ' ἑτέρου λαβόντα· τὸν δὲ τῶν δευτερείων ἠξιῶσθαι, καὶ τὸ θεὸν εἶναι λαβόντα παρὰ πατρὸς ἔχειν.

1 *Prov.* VIII. — 2 Lib. *con. Maxim.* n. 1.

riæ, capite primo, utriusque naturæ conditionem in Christo disserens, de divina, hoc est Verbo Dei conditore omnium rerum ita Mosem existimasse scribit, ut hunc Patre multo inferiorem, eidem, ut majori minorem obtemperasse crederet, quando creata omnia produxit. Sic enim loquitur.

« Patrem quidem, et factorem introducens, tanquam summum ducem, nutu regio præcipientem, hunc vero secundum ab illo Dei Verbum, non alterum utique, quam qui prædicatur a nobis, paternis imperiis servientem [a]. » Capite porro secundo, Filium Dei apparuisse scribit Abraamo, et ab eo suppliciter adoratum velut Deum, ad ilicem Mambre. « Nam si ratio nulla patitur, ingenitam, et immutabilem substantiam Dei omnipotentis in virilem converti speciem; neque vero genitæ rei ullius imaginem intuentium oculos ludificare, neque falso talia Scripturam fingere, Deus et Dominus judicans omnem terram, (quem Abraamus nominat [1],) et faciens judicium, in hominis figura conspectus, quisnam alius pronuntiari posset, quandoquidem primum universorum principium illum esse nefas est dicere, nisi solum, quod ante omnia extitit, Dei Verbum [b]? » At hunc ipsum subinde Filium Dei, qui et Josue conspectus est, ac divinæ militiæ ἀρχιστράτηγος vocatur Josue v, 14 (Dux.) Patris appellat δύναμιν, καὶ σοφίαν ἰσοκλεῆ, *vim et sapientiam æquali gloria præditam*, etsi mox, « secundas ait ipsi regni omnium, et imperii esse concreditas [c]. » Quibus ista subjecit, « Tum esse substantiam quamdam anteriorem hoc mundo, viventem ac subsistentem, quæ Patri ac Deo universorum ad genitarum omnium rerum conditum servierit, quæ Verbum Dei ac Sapientia nominetur [d]. »

X. In libris vero *contra Marcellum*, qui ante annos quatuor primum editi sunt, cum eamdem de Filio Dei Ariani dogmatis perfidiam detegit, tum et minore, quam alibi, fuco, ac tergiversatione, tam de illo, quam de Spiritu sancto *loquitur blasphemias*, et majore, quam illic, probro, quod novissime ab illo scripti sint isti *contra Marcellum* libri, post Arianam ab ipsomet etiam Eusebio damnatam hæresim; ex quo, super impietatem, prævaricationis turpissimæ suo nomini maculam inussit.

Libro primo, capite I, Verbum Dei μεσίτην *mediatorem* inter Deum et angelos esse scribit, ac proinde non esse Deum; quia mediator a Deo diversus sit oportet. Mox eumdem λόγον, (Verbum.) quatenus inter Deum et homines mediator est, neutrius esse conditionis ait; quia neque est unus ac solus Deus; neque homo cæterorum instar hominum [e]. Quæ Eusebii verba non eatenus solum usurpantur, ut Filium Dei ac Verbum a Patre distinctum esse velit, hoc est non esse Patrem; verum ut usia, id est *essentia*, sive substantia et hypostasi ac potestate distare sentiat. Quippe monarchiam et singularitatem Dei eo ipso prædicare solet Eusebius, quod, etsi Filius, Verbumque Dei sit Deus, unus tamen sit proprie ac præcipue Deus ὁ ἐπὶ πάντων, de cujus voluntate productus (Qui est super omnia.) sit secundus, ac genitus factusve Deus, quo velut instrumento et administro cætera genita factaque moliretur. Hanc esse dogmatis Eusebiani sententiam, quæ ex eodem opere proferemus, ostendent. Imprimis, cap. IV, libri ejusdem, quod a Marcello sibi erat objectum, *usias duas, ac res duas, ac duas potentias*, δύο οὐσίας, καὶ δύο πράγματα, καὶ δύο δυνάμεις, a se constitui, id ille non negat, sed immerito reprehensum queritur. Quod etiam in lib. VII *de Præpar. Evangelica* ab illo diserte traditum superius animadvertimus.

At in lib. I *de Ecclesiastica Theologia*, qui est operis totius *contra Marcellum* ordine tertius, cap. VIII, Filium dicit ante omnia sæcula

a Euseb. lib. I *Hist.* cap. I. Τὸν μὲν πατέρα, καὶ ποιητὴν εἰσάγων, ὡς ἂν πανηγεμόνα βασιλικῷ νεύματι προστάττοντα· τὸν δὲ τούτῳ δευτερεύοντα θεοῦ λόγον, οὐχ ἕτερον τοῦ πρὸς ἡμῶν κηρυττομένου ταῖς πατρικαῖς ἐπιτάξεσιν ὑπουργοῦντα.

b Ibid, cap. II. Εἰ γὰρ μηδεὶς ἐπιτρέποι λόγος τὴν ἀγέννητον, καὶ ἄτρεπτον οὐσίαν τοῦ θεοῦ τοῦ παντοκράτορος εἰς ἀνδρὸς εἶδος μεταβάλλειν, μήτ' αὖ γεννητοῦ μηδενὸς φαντασίᾳ τὰς τῶν ὁρώντων ὄψεις ἐξαπατᾷν, μηδὲ μὴν ψευδῶς τὰ τοιαῦτα πλάττεσθαι τὴν γραφὴν, θεὸς καὶ κύριος ὁ κρίνων πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ ποιῶν κρίσιν, ἐν ἀνθρώπου ὁρώμενος σχήματι, τίς ἂν ἕτερος ἀναγορεύοιτο, εἴ μοι (cor. μὴ) φάναι θέμις τὸ πρῶτον τῶν ὅλων αἴτιον, ἢ μόνος ὁ προὼν αὐτοῦ λόγος;

c Euseb. ibid. Καὶ τὰ δευτερεῖα τῆς κατὰ πάντων βασιλείας τε καὶ ἀρχῆς ἐμπεπιστευμένον.

d Ibid. Καὶ ὅτι γε ἐστὶν οὐσία τις προκόσμιος, ζῶσα, καὶ ὑφεστῶσα, τῷ πατρὶ, καὶ θεῷ τῶν ὅλων εἰς τὴν τῶν γεννητῶν ἁπάντων δημιουργίαν ὑπηρετησαμένη, λόγος θεοῦ, καὶ σοφία χρηματίζουσα.

e Euseb. I *cont. Mar.* cap. I. Οὔτε ἄρα ὁ θεὸς εἴη ἂν ὁ μεσίτης. τίνος γὰρ ἂν γένοιτο μεσίτης; οὔτε ὁ μεσίτης αὐτὸς ἂν εἴη ὁ θεός· ὁ γὰρ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, δυεῖν δὲ ἄρα μέσος ἕστηκε.

1 *Gen.* XVIII, 25.

genitum a Patre ad universorum salutem, non similiter ac reliqua genita subsistentem, sed solum ex ipso Patre natum [a]; quibus ista subtexuit: « Erat enim supremo Deo conveniens, ut ante genitum omne, et ante omnia sæcula, hunc unigenitum fetum proferret, velut quamdam basim et fundamentum inconcussum eorum, quæ per ipsum erant futura. Ideo ante omnia futura Filium gignebat [b].» Hic vero tacite demonstrat, quod alibi sæpe docuerat expressius, maxime in IX *de Demonst.* cap. III Filium a Patre non necessario, sed voluntate ac consilio esse productum, ut hoc adminiculo uteretur ad procreanda deinceps cætera. Ideo cap. IX, subdole disputat, non esse creaturam ex non extantibus similiter, ac reliqua creata productam; quod excellenti ratione prodierit : Quo sensu porro veteratores Ariani, tam istud in Ariminensi præsertim synodo defenderint, quam quod in fine capitis ejusdem subjicit Eusebius, non esse Filium γενητὸν ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ κτίσμα προηγμένον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος *factum de non extantibus, et creaturam ex non extante productam*, partim superius explicavimus, partim postea declarabitur.

XI. Capite autem XI disserit ex eo quod Filius Dei nominetur Deus, haud esse consequens plures Deos constitui; quoniam nihilo secius « unius sit Deus principii expers, ingenitus, qui divinitatem proprio jure possideat, ac Filio causa sit, ut et existat, et talis existat [c]. » Hunc esse Filii ipsius Deum, et caput, qui illum divinitatis suæ ac vitæ participem fecerit, qui ipsum mittit, qui ipsi imperat, qui eum docet, qui propter hæc omnia ipsius est Filii Deus, cui obediens unigenitus ipsius Filius « exinanivit seipsum formam servi accipiens, » etc. Quæ omnia, et his longe plura ibidem exposita, non ad assumptam hominis naturam, sed ad divinitatem ipsam ac substantiam Verbi ab Eusebio referri, facile quivis agnoscet. Id enim propositum habet, ut eos refellat, qui plures a nobis Deos constitui putant, si Verbum, et Filium Dei diversum a Patre, ac Deum esse fateamur; quibus ita respondet, nihilo tamen secius unum esse Deum, ac principium, quod solus Pater supremus sit omnium Deus, adeoque Verbi ipsius ac Filii, qui et ipse sit illi subjectus, ac tanquam majori pareat. Quod nisi de Verbo ipso ejusque divina substantia capiatur, non procedit argumentatio. Cæterum in fine capitis istius undecimi, propter illam Filii prærogativam, qua Pater eum ad consessum suum evexit, nullum aliud *ex genitis* ἐκ τῶν γενητῶν, quam Filium, Deum nominari contendit. Quibus verbis indicat, se γεννητοῦ vocabulum in Filio Dei sic usurpare, ut ejus notio creaturis quoque reliquis accommodetur; nihil ut inter γενητὸν, quod est *factum,* et γεννητὸν, quod est *genitum,* intersit, qua de re postea, tum ut ejusdem ac creaturæ cæteræ, conditionis sit Filius, quatenus sola Patris voluntate ac certo destinatoque consilio, velut administer cæterorum procreandorum futurus, et instrumentum ab illo productus est [d]; nisi quod præcipua quadam ratione Pater eum ex semetipso genuerit, nimirum, ut interpretor, quia non altero administro instrumentoque usus est ad producendum Filium, sed eum per sese, atque ἀμέσως edidit, quando libuit, « ad omnium genitorum, sive creatorum salutem, ac providam gubernationem [e], » ait idem in fine cap. XII, quasi divina Filii generatio in eum finem a Patre suscepta sit, eoque consilio, ut per illum creatis omnibus prospiceret; quæ est germana Cæsariensis Eusebii mens, et sententia. Quorsum autem cura illa τῶν γεννητῶν, ac providentia pertineat, quam in gignendo Filio sibi Pater proposuit, declarat sequenti XIII capite in hanc fere rationem; quod, cum rerum omnium a Deo conditarum naturæ sive corporeæ, sive corporis expertes, sive animatæ, sive inanimæ tam longe sint a supremi Dei conditione dissitæ, ut nec ad eum propius accedere, neque splendorem divinitatis illius sustinere possint, magna et paterna sua benignitate fecerit, ut unigenitum Filium universis creaturis præficeret, qui eas pervadens,

Rerum conditarum.

a Euseb. Ἐκ τοῦ πατρὸς, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ὅλων γεγενημένον, καὶ οὐχ ὁμοίως μὲν τοῖς λοιποῖς γεννητοῖς ὑποστάντα, etc. Μόνον δὲ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἀποτεχθέντα.

b Euseb. ibid. Καὶ ἔπρεπε γὰρ τῷ πάντων θεῷ πρὸ παντὸς γενητοῦ, καὶ πρὸ πάντων αἰώνων, τὸ μονογενὲς τοῦτο προβάλλεσθαι γέννημα, ὥσπερ τινὰ κρηπῖδα, καὶ θεμέλιον ἀῤῥαγῆ τῶν μελλόντων δὲ αὐτοῦ γενήσεσθαι. διὸ δὲ πρὸ πάντων τῶν μελλόντων ἔσεσθαι τὸν υἱὸν ἐγέννα.

c Euseb. ibid. Εἷς ἂν γένοιτο θεὸς μόνος ἐκεῖνος ὁ μόνος ἄναρχος, καὶ ἀγέννητος ὁ τὴν θεότητα οἰκείαν κεκτημένος αὐτῷ τε τῷ υἱῷ τοῦ εἶναι, καὶ τοῦ τοιῷδε εἶναι γεγονὼς αἴτιος.

d Euseb. lib. I. *de Eccl. theol.* cap. II. Μόνος δὲ τοῦτον οἶδε θεὸν, ὃν μόνον ὁ πατὴρ ἐξ ἑαυτοῦ ἐγέννα.

e Ibid. Ὃν ὑπὲρ τῆς τῶν γεννητῶν ἁπάντων σωτηρίας τε καὶ προνοίας ὑφίστη.

intimeque penetrans, regeret illas, ac vim omnibus vigoremque subministraret. Ex quibus efficitur, naturam Filii, ac substantiam a Patris natura substantiaque, conditione ac dignitate esse diversam, ut quæ creaturarum ad captum magis accommodata sit.

XII. Capite XX, ubi contra Marcellum demonstrationes aliquot e Scriptura profert, demonst. III, ex eo, quod Joannes *Evangelii* cap. I, scripsit, « omnia per ipsum facta esse, » declarari colligit in Verbo τὸ ὑπηρετικὸν τοῦ θεοῦ, hoc est « *ministri, ac servi conditionem,* qua Deo famulatur. Nam, cum dicere posset Evangelista, Omnia ab ipso facta sunt; et Mundus ab ipso factus est, non dixit ab ipso, sed per ipsum, ut nos revocaret ad omnium effectricem Patris auctoritatem[a]. » Mox autem explicans, quemadmodum Verbum Dei lumen appelletur ibidem, docet in eo discrepare ab eo lumine, quod est Pater, quod hic lucem *habitat inaccessam*, ut ait Apostolus, *quem nemo vidit, sed nec videre potest*[1]; ille autem « in mundo erat illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum[2]. Sed et mundus, inquit, per hoc lumen factus est; utpote quia, qui præstantior est, videlicet Pater, per Filium universa constituerit[b]. »

Demonstratione quoque VII, illa Joannis VIII, quibus « a Patre se doceri, et quæ placita sunt ei, facere se semper » Christus affirmat, de divinitate ipsa Filii contendit accipi debere; itaque Patrem esse Filii διδάσκαλον, *magistrum;* et hunc ea, quæ Patri placita erant, fecisse semper, non solum post assumptum hominem, sed etiam antequam carne vestitus esset; atque hanc esse dicit ὑπεροχὴν τῆς τοῦ πατρὸς δόξης, *prærogativam et eminentiam paternæ gloriæ.* Sic demonstratione X hæc Apostoli verba, *Humiliavit semetipsum factus obediens*[3]; et, *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*[4], ad divinitatem Christi pertinere contra Marcellum disputat.

Rursus libro II *de Eccles. theolog.* cap. III, negat τὸ ἀΐδιον τοῦ Λόγου, *æternitatem Verbi;* quam perperam exponit, quasi sit idem ac τὸ ἀγέννητον, ut *æternum* esse nihil sit aliud, *Ingenitum.*
quam esse *ingenitum;* ex quo Marcellum calumniatur, qui scripserat, « Incarnationem in Christo ad hominem spectare, hoc est humanæ naturæ ratione convenire; æternitatem vero, quæ secundum spiritum illi tribuitur, id est qua Deus est, ac Spiritus, uniri cum Patre[c]. »

Capite VII libri ejusdem, Marcellum refutans, qui μονάδα in Deo constituebat, et hypo- *Monadem.*
stases duas asserere nolebat, ne duos affirmaret Deos, non id esse consequens respondet; quia, cum Pater Filii sit caput, et principium, una monarchia, et unum regnum adstruitur. « Non enim duas illas hypostases honore pares asseveramus, etc. Propterea et ipse Filius Deum suum Patrem esse docet, cum ait, *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, et Deum meum, ac Deum vestrum.* Igitur Deus, et Pater ipsius Filii, Deus esse monstratur. Ob id unus Deus ab Ecclesia Pater Filii prædicatur. Filius porro cum Patre comparatus, non jam Deus erit Patris ipsius, sed Filius ejus unigenitus, et dilectus, et imago Dei invisibilis, splendor paternæ gloriæ; ac colit, et adorat, et glorificat Patrem suum, Deum illum et suiipsius esse profitens[d]. » Subjicit his omnia illa, quæ de Filio Dei in *Evangelio* narrantur, quod *Patrem roget, quod ei gratias agat, quod obediens illi fuerit usque ad mortem, quod ut ejus voluntatem, non suam faceret, venerit, quod majorem se esse Patrem fateatur,* et id genus alia; cum illud ostendere, alium esse Patrem á Filio, eoque majorem, et præstantiorem; tum de carne, sive humana

a EUSEB. Δυνάμενος γοῦν ὁ Εὐαγγελιστὴς εἰπεῖν, πάντα ὑπ' αὐτοῦ ἐγένετο· καὶ αὖθις, καὶ ὁ κόσμος ὑπ' αὐτοῦ ἐγένετο, οὐκ ὑπ' αὐτοῦ ἔφη, ἀλλὰ δι' αὐτοῦ ἦν, ἵν' ἡμᾶς ἀναπέμψῃ ἐπὶ τὴν τῶν ὅλων ποιητικὴν τοῦ πατρὸς αὐθεντίαν.

b EUSEB. Ἀλλὰ καὶ ὁ κόσμος, φησὶ, διὰ τοῦδε τοῦ φωτὸς γέγονε, τοῦ κρείττονος δηλαδὴ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πᾶν συνισταμένου.

c MARCELLI verba. Τὴν μὲν κατὰ σάρκα οἰκονομίαν τῷ ἀνθρώπῳ διαφέρειν γινώσκομεν· τὴν δὲ κατὰ πνεῦμα ἀϊδιότητα, ἡνῶσθαι τῷ πατρὶ πεπιστεύκαμεν.

d EUSEB. Οὐδὲ γὰρ ἰσοτίμους αὐτὰς ὁριζόμεθα, etc. Διὸ καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς καὶ ἑαυτοῦ εἶναι θεὸν τὸν αὐτοῦ πατέρα διδάσκει, ἐν οἷς φησιν· ἀνέρχομαι πρὸς τὸν πατέρα μου, καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεόν μου, καὶ θεὸν ὑμῶν. ὁ μὲν δὴ θεὸς, καὶ πατὴρ καὶ αὐτοῦ τοῦ θεοῦ υἱὸς ὢν δείκνυται. διὸ δὴ εἷς θεὸς τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ υἱοῦ κηρύττεται· ὁ δὲ υἱὸς ὅτε μὲν αὐτὸς παραβάλλεται τῷ πατρὶ, οὐκέτ' ἔσται καὶ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς θεὸς, ἀλλ' υἱὸς μονογενὴς, καὶ ἀγαπητὸς αὐτοῦ, καὶ εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου, καὶ ἀπαύγασμα τῆς πατρικῆς δόξης, σέβει τε, καὶ προσκυνεῖ, καὶ δοξάζει τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, θεὸν αὐτὸν καὶ ἑαυτοῦ ἐπιγραφόμενος.

1 I *Tim.* VI, 16. — 2 *Joan.* I. — 3 *Phil.* II, 8. — 4 Ibid. 7.

assumpta natura non posse accipi, sed de divinitate ipsa Verbi. « Quibus omnibus, ait, alterum seipsum a Patre esse demonstrat, et paternam gloriam excellentiorem esse sua significat, cum dicit, illum quidem misisse, seipsum vero esse missum, et e cœlo descendisse, non ut faciat voluntatem suam, sed ejus, qui ipsum miserit. Quid ad ista dicturus est Marcellus, cum eum, qui de cœlo descendit, hæc docentem audiat? Non enim, opinor, etiam nunc Salvatoris carnem loqui ista dixerit. Nam non ipsa caro descendit[a], »etc.

XIII. Capite XIV, in illo Joannis loco, *Omnia per ipsum facta sunt*, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο[1], » notat usurpari præpositionem διά; quæ quidem præpositio τὸ ὑπηρετικὸν σημαίνει, « *ministri* ac *famulantis notionem exprimit*. Quemadmodum, ait, in sequentibus idem Evangelista demonstrat his verbis, *Lex per Mosem data est; gratia et veritas per Jesum Christum.* Ut enim lex, cum humana non esset, neque Mosis ipsius et propria, sed a Deo profecta, Mosi ministro, et famulo tributa est, per quem hominibus edita est; ideoque dictum est, *Lex per Mosem data est.* Sic et gratia per Jesum Christum facta est, Patre ipsam efficiente per Christum. Eodem itaque modo dictum est et illud, *Omnia per ipsum facta sunt;* ut alter sit, qui effecit, ipse vero minister fuerit[b]. »

Capite XVII ait Patrem « inaccessibilem esse, nec ab ullo capi posse; Filium vero propinquiorem esse rebus omnibus. » Capite XXIII, exponens, quemadmodum duo non sint dii, causam affert ejusmodi, quod duo non sint ingenita, vel duo principio carentia[c], neque duæ οὐσίαι honore pares. Præterea de Spiritu sancto, ejusque divinitate detestandam blasphemiam expromit in tertio *de Eccles. theol.* cap. VI, ubi, quæ sit Ecclesiæ catholicæ de Trinitate sententia, declarans ait, Spiritum sanctum a Filio factum, et creatum esse. « Filius vero solus, inquit, paternæ divinitatis honore præditus, effector et opifex fuerit omnium, quæ facta sunt, visibilium, et invisibilium; nec non et ipsius Paracleti Spiritus existentiæ. Omnia quippe per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil. Item, in ipso creata sunt omnia, quæ in cœlis, et quæ in terra[d].» Paulo post vero sic ait, supremum Deum ac Patrem, omnium, quæcumque sunt, et quocumque existant modo, et ipsius adeo Spiritus sancti, quemadmodum et unigeniti Filii sui, solum ducem ac principem esse; Filium autem unigenitum Deum esse, qui sit in sinu Patris : « At Spiritum sanctum neque Deum esse, neque Filium, sed unum eorum, quæ per Filium facta sunt; quoniam omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil[e].»

Denique cap. XIX et sequentibus, loca ista Scripturæ, quibus una Patris Filiique substantia, et *usia* contra Arianos a sanctis PP. asseritur, veterator iste, gregalium more suorum, ad tropicam voluntatem unitatem, et concordiam derivat. Veluti quod *Joan.* X, 30, Christus ait, *Ego et Pater unum sumus*; et *Joan.* XVII, 23 : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Item cap. XIV, 2 : *Pater in me, et ego in Patre*, et id genus alia, quæ a Marcello, et aliis Sabellianis (ita catholicos Nicænæ fidei suffragatores nominat) afferri solent, in ipsos retorquenda dicit, quoniam iisdem in sententiis perinde discipulos unum

a EUSEBIUS : Δι' ὧν ἁπάντων ἕτερον ἑαυτὸν τοῦ πατρὸς δείκνυται, καὶ τὸ ὑπερέχον τῆς δόξης τοῦ πατρὸς παρίστησι, διὰ τοῦ τὸν μὲν ἀπεσταλκέναι λέγειν, ἑαυτὸν δὲ ἀπεστάλθαι, καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατεληλυθέναι οὐχ ἵνα ποιήσῃ τὸ θέλημα τὸ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντος αὐτόν. καὶ τί ἂν πρὸς ταῦτα φαίη ὁ Μάρκελλος, ἀκούων τοῦ κατεληλυθότος ἐξ οὐρανοῦ ταῦτα διδάσκοντος. οὐ γὰρ δήπου καὶ νῦν τὴν σάρκα τοῦ σωτῆρος ταῦτα φάσκειν ἐρεῖ, οὐ γὰρ ἡ σὰρξ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατελήλυθε.

b EUSEB. Ἡ δὲ διά πρόθεσις τὸ ὑπηρετικὸν σημαίνει ὡς ὁ αὐτὸς Εὐαγγελιστὴς προϊὼν ἑξῆς παρίστησι λέγων, ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη, ἡ χάρις, καὶ ἡ ἀλήθεια δι' Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. ὡς γὰρ ὁ νόμος οὐκ ὢν ἀνθρώπινος, οὐδ' αὐτοῦ τοῦ Μωσέως ὑπάρχων, ἀλλ' ἐκ τοῦ θεοῦ, Μωσέα διάκονον, καὶ ὑπηρέτην ἐπεγράψατο τῆς εἰς ἀνθρώποις ἐκδόσεως, καὶ διὰ τοῦτο εἴρηται, ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη· οὕτω καὶ ἡ χάρις δι' Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο, τοῦ πατρὸς αὐτὴν διὰ τοῦ Χριστοῦ κατεργασαμένου. ὡσαύτως οὖν εἴρηται καὶ τὸ, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, ἑτέρου μὲν πεποιηκότος, αὐτοῦ δὲ διακονησαμένου.

c EUSEB. Οὔτε δύο οὐσίας ἐξ ἰσοτιμίας ἀντιπαρεξαγομένας ἀλλήλοις εἰσάγει.

d EUSEB. Ὁ δὲ υἱὸς μόνος πατρικῇ θεότητι τετιμημένος, ποιητικὸς ἂν εἴη, καὶ δημιουργικὸς τῆς τῶν γενητῶν ἁπάντων, ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων, καὶ δὴ καὶ αὐτῆς τῆς τοῦ παρακλήτου πνεύματος ὑπάρξεως. πάντα γὰρ δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν· καὶ ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.

e EUSEB. Τὸ δὲ παράκλητον πνεῦμα οὔτε θεὸς, οὔτε υἱὸς, etc., Ἕν δέ τι τῶν διὰ τοῦ υἱοῦ γενομένων τυγχάνει, ὅτι δὴ πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν.

1 *Joan.* I.

esse cupit, et ejusdem unitatis conjunctionisque participes, quam de se ac Patre prædicabat. Ita consequens esse negat, ex illis testimoniis, uti Filius, ac Verbum uniatur Deo, et substantia conjungatur.

CAPUT XII.

Expenduntur omnia, quæ ad purgandum suspicione Arianæ labis Eusebium ab antiquis, ac recentioribus, ex illius scriptis adducuntur, Semiarianarum maxime fuisse partium ostenditur.

Ex dictis Arianæ sectæ intima cognoscuntur.

I. Hæc de Eusebii mente, ac sententia paulo diffusius exponenda censuimus, quod non aliunde melius, ac planius intelligantur Arianæ sectæ intima, et arcana decreta, præsertim illius partis, quæ non dissimilem Patri Filium, aut ex non existentibus creatum fuisse, aperte impieque jactaret, quales erant Eunomiani, et Anomœi; sed quæ similem esse profiteretur, quæque, tametsi verbis, ac modo quodam explicandi a priori discreparet, revera tamen in eumdem conspirabat opinionis errorem, ut de substantia, sive essentia Patris negaret esse Filium, sed extraneam prorsus, ac diversam οὐσίαν assereret, et ab illo ante creatas res omnes certo consilio, ac voluntate productam, ut eo velut instrumento, et ministro ad cæterorum opificium uteretur. Horum itaque ludificationes, ac miras cavillandi artes, quibus imperitos homines illudere, ac pro catholicis se venditare solebant, nemo clarius, quam Eusebius ipse declarat in omni illa disputatione, quam ex ejus scriptis libavimus. Ex quibus apparet merum illum, ac germanum Arianum fuisse, ex eorum grege, quos Semiarianos, et ὁμοιουσίους vocabant, quibus maxime favisse Constantium ecclesiastica refert Historia. Siquidem imaginem Patris esse Filium, eique similem, non uno loco demonstrat, ut in V *de Demonst.* cap. I, lib. I, *de Eccles. theol. contra Marc.* cap. IX. Capite vero X, κτίσμα *creaturam* esse negat, quia nemo κτίζειν υἱὸν, *creare Filium* dicitur, sed domum, aut aliud ejusmodi. Præterea ἐξ οὐκ ὄντων, *e non existentibus, vel e nihilo productum* fuisse non semel negavit; ut eodem illo cap. IX, *de Eccles. theol.* et lib. III, cap. II, lib. IV *de Demonst.* cap. III, *similem esse* dixit οὐσίᾳ.

Substantiam.

Arianorum ludificationes.

Homœusios.

Vera Eusebii Cæs. mens.

Verum, quo sensu tria illa definierit, tum ex nihilo non esse productum Filium, ideoque creaturam non esse; tum similem esse substantia; tum denique esse Deum, apparet ex ejus locis omnibus, quæ superius adduximus. Nam, quod ad primum attinet, non eo sensu negabat e non exstantibus productum esse, quo catholici adversus Arium disputantes, idipsum contendere solebant, quod videlicet non solum ex ipsa Patris οὐσίᾳ genitus esset, sed etiam una esset amborum οὐσία, et substantia, quod ὁμοουσίου vocabulum exprimebat. Contra enim Eusebius extraneum a Patris οὐσίᾳ, et adventitium dicebat esse Filium, videlicet τοῦ πατρὸς ἐκτὸς ζῶντα, καὶ ὑφεστῶτα *extra Patrem viventem, et subsistentem,* ut ait in I *de Eccles. theol.* cap. XX, demonstr. VII, quemadmodum ante demonstr. V, verba illa Joannis exponens, *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit* [1], perinde hoc ait usurpari, ac nos in sinu Abraami, Jacobi, et Isaaci acquieturos esse promisit Christus [a]. Ut enim minime propterea cum illis unum futuri sumus; sic neque Filius unus est, idemque cum Patre. Sed sunt οὐσίαι duæ, ac *duæ res*, δύο πράγματα, ut ex I con. Marcellum, cap. IV, retulimus. Eumdem porro Filium verbo tenus creaturam, id est κτίσμα, negavit esse, reipsa vero confessus est. Quippe lib. IV *de Demonstr.* δημιούργημα, et ἀρχιτεκτόνημα, id est *opificium* et *architectamentum*, nec non ὄργανον, *instrumentum* a Patre productum appellavit, non necessario, et naturaliter editum, ut ex sole splendor oritur; sed consilio ac voluntatis destinatione, ut hoc velut instrumentum haberet, quo et reliqua γενητὰ, vel γεννητὰ, *facta genitave* conderet, et intelligentibus creaturis peculiari quodam modo rationem ac sapientiam tribueret.

Genitt.

Factum... genitum.

Quinetiam illa ipsa vox τοῦ γεννητοῦ versipellis ac subdoli veteratoris animum detegit. Siquidem ambo hæc vocabula promiscue accipit, et γενητὸν, et γεννητὸν, et utrumque Spiritui sancto cum creaturis commune statuit. Quanquam peculiare habet hoc Verbum, ut ab ipso Patre, sine ullo interventore, atque instrumento, vel medio productum fuerit, cætera vero γεννητὰ per Verbum, tanquam minorem, ac secundum Deum, et instrumentum pro-

a Euseb. Οὕτω καὶ ὁ υἱὸς εἰς τὸν κόλπον ἦν τοῦ πατρὸς, οὐχ εἷς, καὶ ὁ αὐτὸς ὢν πατρί· ἐπεὶ μηδὲ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐσόμεθα τοῖς ἁγίοις πατράσι.

1 *Joan.* I, 18.

creata sint, ut in I *de Eccles. theol.* cap. VIII et XX, et in lib. II, cap. XIV, significat. Atque hæc est unica ratio, ut idem docet, cur ex omnibus γεννητοῖς solum Verbum, Filii, et quidem unigeniti nomine dignatum sit, iisque

Immediate.

antecellat omnibus, quod ab ipso Patre ἀμέσως fabricatum fuerit; reliqua per administrum alterum, ac secundum Deum. Hic est cardo Arianæ perfidiæ, in quo arcana illorum doctrina vertebatur, qua catholicis, uti dixi, minus attentis, ac perspicacibus illudebant; quod in Ariminensi præsertim synodo fecerunt, in qua subdola, et ambigua professione simpliciores, et illorum fuci, atque artis ignaros episcopos fefellerunt, ut in *Dialogo contra Luciferianos* explicat Hieronymus. Etenim Filium a Patre productum, et fabricatum esse dicebant, ante creata omnia, adeoque ante sæculum, ac tempus omne. Hinc audacter negabant fuisse tempus aliquod, ac sæculum, quo Filius non existeret: nec fateri verebantur interdum æternum eumdem esse, hoc est sæcula, temporaque omnia præcessisse, sed

Coæternum.

non ita, ut συναΐδιον illum Patri dicerent. Nam Patrem, non solum dignitate, ac substantia, et essentia perfectioneque majorem esse, sed anteriorem etiam asserebant; qui sponte suapte, ac nulla naturæ necessitate, suum sibi instrumentum, hoc est Verbum genuisset, Filiumque esse voluisset. Hinc vero præterea, creaturam non esse, uti creaturæ sunt reliquæ, callide jactitabant. Creaturam quippe, hoc est κτίσμα, id proprie nominari, quod per aliud, tanquam instrumentum, molitus sit Deus. Ad hæc divinum splendorem, perfectionem, ac gloriam, quam pro suo cuique mo-

Creatis.

dulo γεννητοῖς omnibus supremus communicavit Pater, uberius cæteris, ac largius hausisse Filium ut qui de ipso fonte, hoc est Patre,

Creata.

illam acceperit, cum reliqua γεννητὰ proxime a Filio, ac per Filium habuerint. Hanc istorum mentem fuisse luculenter ostendit Athanasius libro *de Decretis syn. Nic.*, ubi eadem prorsus, quæ ab Eusebio scripta docuimus, tanquam ab Arianis usurpari solita refellit.

Sic enim refert, Asterium dixisse, propterea creaturas omnes a Patre per Verbum esse procreatas, velut administrum, et adjutorem, quod meram illius, ac minime temperatam vim, et potentiam, ac manum nulla sustinere res posset; unde medium aliquod interjici opus fuisse, quod immensam, et intolerabilem vim eam in sese recipiens, temperaret, atque ad inferiora demitteret. Hoc Asterii dictum arripuisse scribit Arium sanctus Athanasius (quod lib. IV *de Demonstr. evang.* cap. V, fuse declarat, ac docet Eusebius); ac subinde refert, Arianos asseverasse in eo potiorem esse Filii, quam cæterorum, conditionem, quod ille proxime de Patre hauriat; hæc de Filio, ac per eum a Patre quidquid habent, exprimant.

Incredibilis Eusebii vafrities.

II. Sed incredibilem Eusebii vafritiem ex eo licet animadvertere, quod, licet absolutam Filii neget æternitatem, hoc est συναΐδιον esse Patri non sentiat, sed προϋπάρχειν, et προϋφεστάναι, *prius existere, priusque subsistere* Patrem velit;

Coæternum.

nihilominus Filium dicit ante omnia sæcula, et ex infinitis sæculis exstitisse, neque ex nihilo vel e non exstantibus, uti cætera γενητὰ, fuisse productum. In quo catholici speciem præ se ferre videtur, et ab Ario discrepare, cum reipsa idem cum eo, sed calliditate majore professus sit. Nam non esse συναΐδιον Patri

Coæternum.

diserte in IV *de Demonstr. evang.* cap. III, declarat, ubi illa, quæ dixi, προϋπάρχειν, et προυφεστάναι Patrem asserit. Nec est, quod prius

Prius existere et prius subsistere.

ratione, ac secundum intelligentiam humanam subsistere Patrem ab illo dici arbitretur quispiam, quemadmodum nostri vulgo prædicant, qui Patrem, qua principium Filii est, non natura, vel tempore, aut æternitate, sed ratione, et modo quodam intelligendi nostro, sive origine priorem esse dictitant. Nihil tale sibi finxit Eusebius; quin potius natura, imo æternitate censet anteriorem esse Patrem Filio. Siquidem capite illo tertio, cum verba ista *Sapientiæ* VII: *Splendor est lucis æternæ*, etc. ad Filium accommodasset, in eadem ipsa similitudine dispar hoc esse demonstrat; quod « ἀπαύγασμα *splendor*, vel αὐγὴ cum luce simul existit. Nam sine splendore lux esse non potest. Proinde simul, et eodem momento consistunt. Pater vero existit ante Filium, et ante productionem ejus subsistit, quatenus solus est non productus [a]. » Quod igitur prius existere Patrem asseverat, majus quiddam est, quam quod vulgo ratione, vel origine prius appellatur; imo et amplius est, quam quod natura prius dicitur. Siquidem lux, quæ est

[a] EUSEB, lib. IV *de Dem.* cap. III. Ἡ μὲν αὐγὴ συνυπάρχει τῷ φωτὶ, συμπληρωτική τις οὖσα αὐτοῦ. ἄνευ γὰρ αὐγῆς οὐκ ἂν ὑποσταίη φῶς, ὁμοῦ τε, καὶ κατ' αὐτὸ συνυφέστηκεν, ὁ δὲ πατὴρ προϋπάρχει τοῦ υἱοῦ, καὶ τῆς γενέσεως αὐτοῦ προϋφέστηκεν, ᾗ μόνος ἀγένητος ἦν. Scripsi κατ' αὐτὸ pro καθ' αὐτὸ, quod vitiosum arbitror.

in sole, non solum ratione, vel origine, sed etiam natura prior est splendore, quem foras emittit, etsi eodem ambo momento temporis existant. Atqui plus aliquid in antecessione illa Patris inesse significat. Igitur non natura solum, sed etiam æternitate Pater Filium præcesserit oportet. Non enim tempore solum potuit antecedere.

Eodem quoque pertinet, quod Patrem affirmat voluntate sua, certoque, ac destinato consilio produxisse Filium, cum statuisset creaturas aliquas ex sese fundere. Id enim argumento est, Patrem prius exstitisse, ac deliberasse, deque fabricando opere cogitasse, quam ad hujus molitionem instrumentum pararet.

Nonnunquam de Filii æternitate recte sentire videtur.

III. Quæ cum ita posuisset, nihilominus aliquot locis de Filii æternitate recte sentire videtur; velut cum ait ipsum ante omnia sæcula productum, lib. I *de Eccles. theol.* capite VIII et V *de Demonstr.* cap. I, et alibi non semel; quod ideo non veritus est asserere, quia sæcula αἰῶνες in rerum a Deo productarum genere censentur, cum nihil aliud sint, quam ætas rerum intelligibilium, ut cœlestium spirituum, et angelorum, quod ævum nominari solet. Quamobrem in omnibus fere Arianorum confessionibus, quas supra cap. VIII, retulimus, πρὸ πάντων αἰώνων exstitisse Filium scribitur.

Ante omnia sæcula.

Idem subdole magis, ex nihilo, vel ex non exstantibus Filium existere negat, non absolute, sed ut creaturæ cæteræ exstitisse dicuntur. Lib. I *de Eccl. theol.* cap. IX: « Ex quo, inquit, merito reprehendi possunt ii, qui illum creaturam esse non veriti sunt dicere, e non exstantibus similiter, ac creaturas cæteras, productum. Qui enim Dei Unigenitus appelletur, si eadem illi cum creaturis reliquis natura tribuatur[a]? » Tum lib. III, cap. II: « Quod si, inquit, Scriptura dicat, creatum illum fuisse, non sic accipiendum est, quasi e non exstante ad existentiam pervenerit, neque quasi similiter, ac reliquæ creaturæ, ipse ex nihilo productus sit, quemadmodum aliqui haud recte senserunt; sed ita potius, ut subsistens, vivensque fuerit, et ante mundi constitutionem exstiterit[b]. » Præterea, lib. V *de Demonst.* cap. I, ait non carere periculo, « si quis simpliciter, ac temere Filium ex non exstantibus genitum perinde, ac genita cætera, pronuntiet[c]; » cujusmodi conceptione verborum fucum objicit imprudentibus, quasi de nihilo productum neget esse Dei Filium, cum reipsa tantummodo neget eadem, ac cætera, conditione ac ratione esse productum. Etenim præstantiore quodam modo editum fuisse Verbum, quam reliqua omnia, ejusque propterea dici generationem inexplicabilem, passim admonet Eusebius, nec diffitebatur Arius; sed uterque nihilominus eumdem cogebat in earum rerum ordinem, quas Deum voluntate sua condiderat, æternitate, ac naturæ substantiæque dignitate longe sibi impares, quod est simpliciter creaturam esse; quamvis creaturam absolute vocare Filium ausus non fuerit Eusebius, utique Semiariani solebant; sed, ut incautos falleret, hoc semper adjecerit, *sicut creaturæ cæteræ;* nimirum Dei verbum asserebat non esse creatum, ac productum, ut cæteræ creaturæ productæ sunt. Quinetiam, ut perfidiam suam magis obtegeret, *creaturæ*, *creandique* verbo sæpius abstinuit; pro quibus τοῦ γεννητοῦ, et γεννᾶν vocabula substituit, quæ sic usurpavit, ut productionem Verbi, perinde ac creaturarum omnium, notione sua continerent. Quamobrem τὰ γεννητὰ nominat ea omnia, quæ Deo minora, neque συναΐδια, *coæterna* libere ab illo fabricata sunt, in quibus primas ipse Filius obtinet. Hanc Eusebii fuisse mentem, cum pleraque illius loca declarant, quæ superiori capite proposuimus, tum insigniter ille ex lib. I *de Eccles. theol.* cap. XI, petitus, ubi Ecclesiam catholicam ait ita sentire de Verbo, « ut supremi Dei Filium unigenitum esse prædicet, nec illum ex genitis alium Deum esse pronuntiare velit; sed hunc solum noverit Deum, quem solum Pater ex seipso genuit[d]. » Vides, ut γεννητοῦ vocem Filio Dei, creaturisque communem faciat, nec aliud illi,

Caute legendus Eusebius.

a Euseb. Ὅθεν εἰκότως ἄν τις μέμψαιτο τοῖς κτίσμα αὐτὸν φάναι τετολμηκόσιν, ἐξ οὐκ ὄντων ὁμοίως τοῖς λοιποῖς κτίσμασι γενόμενον, καὶ πῶς γὰρ ἔτι ἔσται υἱός; πῶς δὲ μονογενὴς τοῦ θεοῦ, ὁ τὴν αὐτὴν τοῖς λοιποῖς κτίσμασιν ἐπιγραφόμενος φύσιν;

b Idem, lib. III, cap. II *de Eccles. theol.* Εἰ δὲ λέγοι ἐκτίσθαι αὐτὸν, οὐχ ὡς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρελθὼν, τοῦτ' ἂν εἴποι, οὐδ' ὡς ὁμοίως τοῖς λοιποῖς κτίσμασι, καὶ αὐτὸς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γεγονώς· ᾗ τινες οὐκ ὀρθῶς ὑπειλήφασιν· ἀλλ' ὡς ὑφεστὼς μὲν, καὶ ζῶν, προών τε, καὶ προϋπάρχων τῆς τοῦ παντὸς κόσμου συστάσεως.

c Ibid. lib. V *de Demonstr.* cap. I. Ἐπειδὴ καὶ τὴν ἐναντίαν ἐλθεῖν οὐκ ἀκίνδυνον, καὶ ἁπλῶς οὕτως ἐξ οὐκ ὄντος γεννητὸν τὸν υἱὸν τοῖς λοιποῖς γεννητοῖς ὁμοίως ἀποφήνασθαι.

d Euseb. Τοῦ δ' ἐπὶ πάντων θεοῦ υἱὸν μονογενῆ αὐτὸν γινώσκειν, καὶ οὐδένα μὲν ἄλλον τῶν γεννητῶν ἀναγορεύειν θεὸν ἀξιοῖ, μόνον δὲ τοῦτον οἶδε θεὸν, ὃν μόνον ὁ πατὴρ ἐξ ἑαυτοῦ ἐγέννα.

quam prærogativam quamdam honoris attribuat, quod ab ipso Patre sine ullo interjecto medio, et instrumento prodierit.

IV. Quamvis ergo nonnunquam de Filio Dei, ejusque productione commode, ac catholice loqui videatur Eusebius, suspecta debet illius esse sententia, quam certum est ejusmodi fuisse, qualem ex tot illius locis deprompsimus. Sane lib. I *de Eccles. theol.* cap. IX ac. X, perspicue tradere videtur, Filium Dei non esse productum e nihilo, neque creaturam. Non enim Patrem dici creare Filium, sed domum, quam vicissim generare non dicitur. Verum animadvertimus, Eusebium in ista loquendi formula, γεννητὸν ἐξ οὐκ ὄντων, *ex non exstantibus productum, vel factum*, ludum de industria facere. Nam alicubi nullam rem de nihilo, vel ex non exstantibus esse productam, asserere videtur; velut lib. IV *de Demonstr. evangelica* cap. I. Ibi enim supremi Dei, ac rerum omnium conditoris potentiam describens, ait universa ejus esse voluntate producta : « Sic tanquam materiam et substantiam, inquit, effectionis, et constitutionis omnium rerum, consilium suum, ac potestatem producens; adeo ut nulla jam ratione dici queat, ex non exstantibus esse quidquam eorum, quæ exstant. Neque enim de nihilo aliquid esse possit. Nam quomodo id, quod non est, alteri, ut sit, esse causa poterit? Verum omne, quidquid est, ex uno existente, et præexistente qui et illud dixit: *Ego sum, qui sum ;* ut esset, accepit[a]. »

Etiam recte prima fronte loquens, lusum facit.

Hac ille cavillatione demonstrat, quemadmodum interpretandum sit, quod Filium Dei negat alibi ex non exstantibus esse productum. Id enim valet *a nulla causa, vel principio;* quod ne meris quidem, et infimis creaturis potest tribui. Quippe nihil, nisi ab existente jam causa, producitur. Proinde captiose, et ambigue jecit illud in fine cap. IX, lib. I *de Eccles. theol.*, ut probaret Filium non esse factum e non exstantibus : « Nam qui e non exstantibus productus est, non potest vere esse Filius Dei, cum ne aliud quidem esse possit eorum, quæ producta sunt[b]. » Quorsum attinebat hæc adjicere postrema, « cum ne aliud quidem esse possit eorum, quæ producta, vel facta sunt? » γενητῶν enim dixit, quod *facta* significat, quid aliud, inquam, hac ambage voluit, nisi istud, quod posui, non minus creaturas cæteras e nihilo, vel ex non exstantibus non esse, quam Filium Dei? nimirum quod utrique ab aliqua causa jam existente initium acceperint. Atqui stolide hoc est ludificari in re seria. Nemo enim aliter usurpat, aut intelligit illud *e nihilo*, sive *e non exstantibus,* quam ut materiam significet, quæ nulla creationi subesse debet; efficientem vero causam, aut principium, ad quod Eusebius ista retulit, nullus adeo stultus est, qui exprimi putet. Hinc evidens est, quanta cum cautione vel ea sint legenda, quæ ab Eusebio catholice scripta videntur, et Arianæ adversa esse perfidiæ, quibus utique dolosum aliquid inesse, ac maligne perplexum suspicari debemus.

V. Jam quod substantia Patri similem esse Filium, quod Deum esse confirmat idem, non hoc ita confitetur, quemadmodum catholica fides habet, quæ unam eamdemque substantiam, hoc est οὐσίαν utriusque constituit, personas vero distinguit, quæ ambæ sunt æquales, et similes inter se adeo, ut neutra plus altera, vel minus aliquid obtineat. Verum Eusebius οὐσίας, hoc est *substantias*, et naturas perfectionesque diversas adstruit in utroque et in Filio infinitis partibus minores. Quare unicam, et singularem divinitatem, quæ quidem vera sit, et hoc digna vocabulo, hoc est non tropice, et analogice nominetur, soli vindicat Patri. Ideo μοναρχίαν, sive μοναρχικὴν θεότητα unicam, quæ est in Patre, definit; Filio vero nonnisi σχετικῶς, et ut comparatur cum Patre, estque imago ejus, et figura. Nam, ut si quis regis imaginem effingat, non idcirco duplex regia potestas erit, sed una, et singularis in principe; in ejus autem imagine proprie non erit, sed tantummodo figurate, et, quod nostri dicere solent, *repræsentative.* Non enim ipsa imaginis substantia rex est, quæ ab ejus substantia separatur, ac longe deterioris est conditionis et naturæ; sed in ea tamen certis descripta lineamentis contineri regis substantia dicitur extrinsece duntaxat, tropice, et analogice, hoc est σχετικῶς. Similiter in Patre solo veram ac propriam divinitatis substan-

Monarchiam sive monarchiam divinitatis. Analogice.

a Euseb. IV *Demonst.* cap. I. Ὕλην ὥσπερ τινὰ, καὶ οὐσίαν τῆς τῶν ὅλων γενέσεώς τε καὶ συστάσεως τὴν ἑαυτοῦ βουλὴν καὶ δύναμιν προβεβλημένος. ὡς μηκέτι εὐλόγως φάναι δεῖν ἐξ οὐκ ὄντων εἶναί τι τῶν ὄντων· οὐδὲ γὰρ ἂν εἴη τι τὸ ἐκ μὴ ὄντος. πῶς γὰρ τὸ μὴ ὂν ἑτέρῳ τοῦ εἶναι γένοιτ' ἂν αἴτιον; πᾶν δὲ, ὅ, τί ποτε καὶ ἔστιν, ἐξ ἑνὸς τοῦ μόνου ὄντος, καὶ προόντος, τοῦ δὴ καὶ φήσαντος· ἐγώ εἰμι ὁ ὢν, τὸ εἶναι λαβὸν ἔχει.

b Id. lib. IX *de Eccles. theol.* cap. IX. Ὁ γὰρ ἐξ οὐκ ὄντων γεγονὼς οὐκ ἂν ἀληθῶς γένοιτο υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὅτι μηδὲ ἄλλο τι τῶν γενητῶν.

tiam, eamque singularem inesse credidit Eusebius; at in Filio proprie, ac per se minime residere sic, ut ejus ipsa substantia, et οὐσία, quam a paterna diversam facit, per se Deus sit, sed solum extrinsece; quoniam imago est divinitatis, non οὐσιωδῶς ipsa divinitas.

Substantialiter.

Vera asseritur Eusebii sententia.

VI. Talem Eusebii esse sententiam constat ex l. XI *de Eccles. theol. contra Marcel.* c. VII, quem locum superius adduximus. In eo quippe μοναρχίαν, hoc est *singularem principatum*, ac divinitatem Patri sic asserit, ut ei soli tribuatur. Marcellum enim refellens, qui hypostases duas fateri verebatur, ne duo principia poneret, ac μοναρχικὴν θεότητα, *monarchiam divinitatis* everteret; hac illum ratione confutat, quod una nihilominus sit futura divinitas, eo quod unum sit præcipuum, videlicet Pater, qui et Filii principium est, et caput. *Caput enim Christi Deus*, ait Apostolus. Ut ergo « qui Deos duos hypostases Patris esse dicat, ac Filii, non propterea duos asseverare Patres cogitur, neque Filios duos, sed unum esse Patrem fatebitur, alterum Filium; eodem pacto neque duos Deos affirmare necesse est eum, qui duas hypostases constituat. Non enim æquales ambas dignitate definimus, nec ambas principiis expertes, et ingenitas, sed unam ingenitam, et principio carentem, alteram genitam, et quæ Patrem sui principium obtinet. Hinc ipse Filius etiam Deum suum Patrem esse suum docet[a], » etc. Subjicit, « Filium adorare, ac venerari, et glorificare Patrem suum, ejusque facere voluntatem, non suam; tum illud: se esse majorem[b]; » quæ quidem, et id genus alia negat ad assumptam carnem pertinere, sed ad Verbum ipsum, ac Dei Filium, hoc est substantiam ipsam, et οὐσίαν ex οὐσίᾳ Patris expressam. Quocirca, uti Patris substantiam, et οὐσίαν, quam in solo inesse Patre, et a Filii οὐσίᾳ diversam esse putat, solam esse principium rerum omnium et caput existimat Eusebius; sic eamdem solam, divinitatem, ac Deum esse proprie, et οὐσιωδῶς arbitratur. Quippe, propterea non esse duo principia dicit, etsi duæ sint hypostases (hypostasim autem cum οὐσίᾳ promiscue accipit, ut et Athanasius; quod postea docebitur), quoniam ipsius etiam Filii principium est Pater, ideoque solum, et unicum rerum omnium est principium; at eodem modo pugnat, non esse duos Deos, quo duo principia non esse docuit; quia scilicet non æquali dignitate, ac majestate præditi sunt ambo, sed ipsius quoque Filii Deus est Pater. Igitur Deum proprie, ac per se non esse Filium opinatur Eusebius, qui hæc nomina ἀρχὴν, ἀγέννητον, θεὸν, *principium, ingenitum, Deum* dici συνωνύμως, et ubi convenire Patri credidit, quod Ariani, ac potissimum Eunomiani obnixe contenderunt, ut postea demonstrabitur.

Substantiae ex substantia.

Substantialiter.

Synonyme.

VII. Sic in eodem lib. II *de Eccles. theol.* c. XXIII idem argumentum urget adversus Marcellum, docetque, duos ab Ecclesia Deos non constitui: quandoquidem duo ingenita, vel principio carentia non ponit, neque duas substantias honore pares opponit invicem, sed neque Deos duos, verum unicum principium, ac Deum unicum, eumdemque Patrem unigeniti Filii[c]. Ac, tametsi unus Deus, ac rex unus ab Apostolo dicatur esse Pater, et eumdem Christus ipse unum solum Deum profiteatur; « Non tamen cunctandum esse, quin et ipsum Filium confiteamur esse Deum verum, cui quidem hoc tanquam in imagine conveniat[d]. Porro, quemadmodum, ubi rex unus imperat, cujus imago terrarum ubique circumfertur, nemo prudens dixerit duos esse imperantes, sed unicum, qui in imagine ista colitur; eodem modo et Ecclesia Dei unum venerari Deum edocta, hunc ipsum et per Filium, quasi per imaginem, adorare perseverat[e]. » Satis, opinor, intelligitur, quo sensu et imaginem Dei, et Deum esse Filium crediderit Eusebius. Imaginem quippe, non ὁμοούσιον, id

Quo sensu Filium esse imaginem Patris asserat Eusebius.

a Euseb. II *cont. Marc.* cap. VII. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο γίνωσκε, ὡς ὁ δύο θεοὺς, ὑποστάσεις πατρὸς, καὶ υἱοῦ λέγων, οὐκ ἀναγκάζεται δύο πατέρας εἰπεῖν, οὐδὲ δύο υἱοὺς, ἀλλὰ τὸν μὲν ἕνα πατέρα δώσει, τὸν δὲ ἕτερον υἱόν. κατὰ τὸν αὐτὸν οὖν τρόπον, οὐδὲ δύο θεοὺς ἀνάγκη δοῦναι τὸν τὰς δύο ὑποστάσεις τιθέντα· οὐδὲ γὰρ δύο ἰσονόμους αὐτὰς ὁριζόμεθα, οὐδὲ ἄμφω ἀνάρχους, καὶ ἀγεννήτους, ἀλλὰ μίαν μὲν, τὸν ἀγέννητον, καὶ ἄναρχον, θατέραν δὲ γεννητὴν, καὶ ἀρχὴν τὸν πατέρα κεκτημένην. διὸ καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς καὶ ἑαυτοῦ εἶναι θεὸν τὸν αὐτοῦ πατέρα διδάσκει.

b Ibid. Σέβει τε καὶ προσκυνεῖ, καὶ δοξάζει τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, θεὸν αὐτὸν καὶ ἑαυτοῦ ἐπιγραφόμενος, etc. Καὶ μὴ τὸ ἑαυτοῦ θέλημα ποιεῖν, ἀλλὰ τὸ τοῦ πατρὸς, etc. Ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστίν.

c Euseb. II *Eccles. theol.* cap. XXIII. Οὐ γὰρ δύο ἀγέννητα, οὐδὲ δύο ἄναρχα, ὡς πολλάκις ἡμῖν εἴρηται, οὐδὲ δύο οὐσίας ἐξ ἰσοτιμίας ἀντιπαρεξαγομένας ἀλλήλοις εἰσάγει, ἀλλὰ μίαν ἀρχὴν, καὶ θεὸν εἶναι, τὸν αὐτὸν πατέρα διδάσκουσα εἶναι τοῦ μονογενοῦς, καὶ ἀγαπητοῦ υἱοῦ.

d Ibid. Ἀλλ' οὐκ ἀποκνητέον καὶ αὐτὸν θεὸν ἀληθινὸν ὁμολογεῖν, ὡς ἐν εἰκόνι καὶ τοῦτο κεκτημένον.

e Ibid. Καὶ ὥσπερ βασιλέως κρατοῦντος ἑνὸς, εἰκόνος δὲ αὐτοῦ πανταχοῦ τῆς γῆς περιφερομένης, οὐκ ἂν τις σωφρονῶν δύο εἴποι τοὺς κρατοῦντας· ἀλλ' ἕνα τὸν καὶ

est unius et ejusdem cum archetypo essentiæ, substantiæve esse voluit, sed externa sola repræsentatione præditam; perinde atque hominis animam Deus « consubstantialem minime quidem condidit, sed similem, ac velut imaginem[a], » ait Æneas Gazæus. Eodem modo Deum esse Filium statuit, non οὐσιωδῶς, ita ut ipsius essentia, vel substantia, ut a paterna distinguitur (distingui enim, ut supra monuimus, existimat) sit Deus. Ita quippe duo essent Dii, uti duæ sunt οὐσίαι, quod negat Eusebius. Sed eatenus tantum, quia Deum verum refert, Dei quoque appellationem recipit; velut imago regis rex dicitur, et adoratur, non per sese; nec sic, tanquam regium, et adoratione dignum aliquid in illius substantia resideat; verum una et singularis regia majestas, quæ in rege solo proprie continetur, tam in ipso, quam in ejus imagine colitur. Hæc est intima et arcana mens Eusebiani dogmatis, Arianorumque adeo omnium, etiam minus rigidorum, et ex dimidio perfidorum, quos ὁμοιουσίους vocabant, qui ἀπαράλλακτον εἰκόνα, *invariatam imaginem*, et κατὰ πάντα ὅμοιον, *per omnia similem* Patri Filium asserebant. Imo vero σοφίαν ἰσοκλεῆ, *æquali gloria præditam sapientiam* hunc appellat Eusebius I *Historiæ* cap. II, quod σχετικῶς, et ἀναφορικῶς, et ut captus est imaginis meræ, minimeque consubstantialis, intellexisse putandus est.

Substantiæ.

VIII. Quæ cum ita sint, frustra Socrates *Hist.* lib. II cap. XX ab Arianismi suspicione hominem purgare nititur, iis potissimum verbis illius fretus, quæ in I *de Eccles. theol.* c. IX posuit, ubi « Filium Dei creaturam non esse cæterarum similem asserit, neque de nihilo productum, » et hujus generis reliqua, quæ captiose ab illo scripta, neque catholicorum ex mente concepta hactenus ostendimus. Addit ad ejusdem rei fidem, et Eusebii patrocinium, Socrates argumentum ejusmodi, quod contrarium ejus, quod vult, maxime persuadeat. Non esse dicit verisimile, Ariana perfidia imbutum illum fuisse, qui tam studiose Origenem complexus et affectatus fuerit; cujus in libris id ubique legitur, Filium ex Patre genitum fuisse. At hoc ipso suspectior redditur Eusebius. Nam de Origene constat ex Hieronymo, iisque, quæ superius cap. IV disputavimus, eum de Filio, ac Spiritu sancto impie, absurdeque sensisse. Tum quod Origenem recte existimasse de Filio probari ex eo putat, quod genitum a Patre esse profitetur, nescio, an diei quidquam possit obtusius. Etenim ne Arius quidem genitum negabat esse Filium quem et γέννημα vocabat; nec est ulla fidei professio ab Arianis edita (cujusmodi plures, quam tredecim citra annos viginti ab illis publicatas ex Athanasio, libro *de Synodis*, atque ipso Socrate, supra retulimus) in qua istud ipsum aperte non exprimant, Filium a Patre esse genitum; neque propterea catholici sunt habendi, quos τοῦ γεννῆσαι et γεννητοῦ ac γεννήματος vocabula perperam, et ad suum sensum interpretatos esse hactenus animadvertimus.

A Theodoreto male defensus.

IX. Atenim τὸ ὁμοούσιον, ac Nicænam omnem fidei professionem amplexus est Eusebius, deque ea re scripsit ad suos Cæsarienses, ut iidem auctores asserunt, Athanasius et Socrates, (hoc enim argumento præcipue nituntur Socrates, et Molinæus, ut Eusebii τὴν ὀρθοδοξίαν adstruant); verum imprimis ad illius fidei, nominisque subscriptionem invitum ac renitentem Eusebium metu imperatoris adductum esse liquet ex ejus temporis historia.

Consubstantiale.

Orthodoxiam.

Expenduntur alia quæ in favorem Eusebii adducuntur

Itaque minime sincera fuit illius professio, ut Athanasius indicat libro *de Decret. syn. Nic.* non longe ab initio; ubi, quod majoris admirationis esse dicit, Eusebium Cæsariensem refert, cum pridie catholico dogmati restitisset, postridie subscripsisse, et utcumque se per epistolam Ecclesiæ purgasse suæ. Denique post Nicænum concilium, et Constantini præsertim obitum, ad pristinam rediisse perfidiæ confessionem, non solum ea demonstrant, quæ in Tyria synodo contra Athanasium. et in Arii gratiam egit, quæ ab Athan. *Apol.* II, et Epiph. hær. LXIX memorantur; sed etiam libri contra Marcellum apertissime probant, in quibus tam multa virus Arianum redolent, quæ capite superiori descripsimus. Quinetiam lib. I ejus operis, cap. IV, Marcellum insimulat, quod ecclesiasticos Patres, ac veræ fidei doctores accuset; cujusmodi sunt Paulinus Tyri episcopus, quem virum Dei ter beatum nominat, ac summis effert laudibus; Origenes, Narcissus, Eusebius Nicomediensis, quem et impense collaudat, et μέγαν Εὐσέβιον appellat, et Asterius. Atqui omnes isti, præter Origenem, vehementes Arii fautores, et illius

Magnum Eusebium

διὰ τῆς εἰκόνος τιμώμενον κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὡς καὶ πολλάκις ἡμῖν εἴρηται, καὶ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἵνα παραλαμβάνουσα Θεὸν σέβειν, τὸν αὐτὸν καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ ὡς διὰ τῆς εἰκόνος μένει προσκυνοῦσα.

[a] ÆNEAS GAZ. *in Theophr.* Ἣν ὁμοούσιον μὲν οὐ πεποίηκεν, ὁμοίαν δὲ, καὶ οἷον εἰκόνα.

sectæ principes fuerunt; præsertim Nicomediensis ille perditus ac nefarius hæreticus, a quo Arianos Eusebianos esse dictos ex Athanasio aliisque constat. Origenes, ut ætate Arium antecessit, sic impietate par, imo impii dogmatis auctor illi fuit. Nam de Asterio quid dicam? quem σοφιστὴν πολυκέφαλον, *multicipitem sophistam* vocat Athan. lib. *de Syn.* et Christi in persecutione negatorem, ac postea blasphemum fuisse scribit; et hunc tamen commendat, et inter orthodoxos, et ecclesiasticos Patres numerat Eusebius.

X. Ac si quis epistolam Eusebii, quam ad Cæsarienses suos scripsit e Nicæna synodo, et illam, quam Socrates aliique commendant, catholici decreti confessionem acriter exploret, κρύψιν hominis, ac fucum intelliget. Tria sunt, quæ in illa professione laudantur, quasi Arianæ hæresi contraria; quod ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, *e Patris substantia* esse Filium asserit; quod ὁμοούσιον fatetur; quod genitum, non factum esse dicit. Hæc vero quo sensu interpretetur, operæ pretium sit cognoscere. Ex Patris esse substantia sic explicat, ut sit idem, « atque ex Patre esse Filium, non tamen velut partem illius substantiæ [a]; » quæ est frigida prorsus et sane falsa ratio. Nam et hominum in genere filius e substantia patris est, et ejus tamen est substantiæ portio. Sed nimirum ex Patris substantia esse, nihil est aliud, quam extrinsecus productum, et adventitium non esse, ac neque de nihilo, neque de prius existente materia factum. Rursus τὸ ὁμοούσιον ita declarat, ut eo vocabulo significetur, non ad modum corporum, aut similiter atque animalia, divisione substantiæ facta, vel abscissione mutationeve substantiæ Patris, et virtutis, originem processisse Filii. Item hoc indicare nomen istud, nullam cum genitis creaturis similitudinem habere Filium Dei, sed soli, a quo genitus est, Patri modis omnibus assimilari; ac non ex altera esse hypostasi, vel substantia. Verum angusta est, et maligna vocis hujus expositio. Non enim ὁμοούσιον id solum proprieque significat, sine ulla partitione, aut avulsione, ac mutatione propagatum esse, vel nullam habere cum creaturis similitudinem, sed unicam et eamdem, nec ulla re diversam utriusque esse substantiam; ita ut proprietatum, ac personarum sola, essentiæ substantiæve sit nulla distinctio. Non quod ait, ex altera substantia non esse Filium, sic intellexisse visus est, non ut eadem esset amborum, et individua substantia, sed ut a solo Patre per se, ac sine interjecto medio instrumentoque processerit; in quo Filium creatis ab rebus cæteris discerni putabat, quæ per Verbum, tanquam ὄργανον, effecta sunt.

Consubstantiale.

Consubstantiale.

Instrumentum.

Denique illa Symboli verba, *genitum, non factum*, ad hunc modum subdole accipit. Nam ideo se non pugnasse cum Patribus Nicænis de illis verbis ait, quoniam « vocabulum istud, *factum*, communem appellationem esse dicebant, creaturarum reliquarum, quæ per Filium factæ sunt; quarum nihil habere simile Filium. Ideo non esse ipsum opificium iis, quæ per ipsum facta sunt, simile [b]. » Quis non ex hac jejuna, imo ambigua, et callida interpretatione vocum istarum, veteratorem ac recoctum Arianum odoretur? Neque enim aliter Ursacius, et Valens, ac cæteri Arianarum partium antesignani in Ariminensi synodo perfidiam suam conceperunt.

XI. Merito igitur Hieronymus *contra Lucifer.* et in utraque *Apol. contra Ruf.* Eusebium Arianum, et Arianorum signiferum ac principem sic vocat, ut perpetuam hanc in eo infamiam fuisse significet. Præterea Photius cod. IX in Eusebianis scriptis multas esse contra Filium blasphemias ait, ut cum δεύτερον αἴτιον illum vocat, et ἀρχιστράτηγον, et alia quædam, quæ Arianam vesaniam redolent. In septima synodo, act. V, lecta est Eusebii ad Euphrationem epistola, Arianæ plena blasphemiæ; in qua et ante Filium exstitisse Patrem docuit, unde et hunc primum, et præstantiorem, et illum fuisse secundum asserit. Tum vero, solum Patrem Deum esse verum; Filium Deum esse, sed non verum. Quare pro hæretico et impio in illa synodo rejectus est. Quinetiam eadem in synodo recitata est confutatio decreti pseudosynodi VII contra sacras imagines, in qua Eusebius Arianæ patronus hæresis appellatur [1].

Merito damnatus.

Secundum principium. Summum ducem.

Tum vero postea eadem actione sexta

a EUSEB. in Epist. *ad Cæsar.* Ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸν υἱὸν, οὐ μὴν μέρος τῆς οὐσίας αὐτοῦ τυγχάνειν.

b EUSEB. Κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ καὶ τὸν γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, κατεδεξάμεθα, ἐπειδὴ τὸ ποιηθὲν κοινὸν ἔφασκον εἶναι πρόσρημα τῶν λοιπῶν κτισμάτων τῶν διὰ τοῦ υἱοῦ γενομένων, ὧν οὐδὲν ὅμοιον ἔχειν τὸν υἱὸν, διὸ δὴ μηδὲ εἶναι αὐτὸν ποίημα τοῖς δι' αὐτοῦ γενομένοις ὅμοιον.

1 Synod. VII, act. VI.

acrius incessitur ; et ex ejus epistolis, maxime ad Constantiam, aliisque scriptis testimonia producuntur aliquot, in quibus Ariana se infectum peste vehementius ostendit. Quippe Filium Dei « creaturam Dei perfectam, non ut unam de multis esse » declarat [a]. Item unigeniti Filii genitorem, Deum et Dominum, et Patrem ejus esse defendit [b] ; quemadmodum quilibet pater filii sui dominus est. Ac demum Patrem existentem, non existentem genuisse fatetur Filium [1]. Sed et ex epistola *ad Euphrationem* apertiores illius blasphemiæ citantur actione illa sexta ; quarum meminit et Athanasius libro *de Syn.* Denique Socrates falso, atque etiam imperite, catholicum Eusebium fuisse probat [2] ex eo, quod ἕνα θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν, hoc est *unum Deum in tribus hypostasibus* professus est. Quod esse commentitium, ex iis constat, quæ hactenus retuli. Melius Nicephorus Callixti de eodem Eusebio judicat, dum, Socratis commemorato illo loco, verbisque descriptis, « Hæc, inquit, et alia proferens Socrates, sinceritatem doctrinæ adscribere conatur Eusebio. Ego vero talem illum virum fuisse mallem ; at Ecclesia catholica non talem fuisse fortassis existimat, quam justius est sequi [c]. »

Conclusio ex dictis.

XII. Nicephorus alter patriarcha Constantinopolitanus in capitulis duodecim, capite secundo [3], Eusebium Pamphili vocat « Arianæ insaniæ principem, qui plura, et pejora, quam omnes Ariani, in Filium Dei, et Dominum nostrum Jesum Christum, et Deum contumeliose et impie protulit, et eum creatum ac factum esse male et impie docuit ; » quod ex epistola illius *ad Constantiam* probat. Tum ita pergit : « Qui autem impium ejus dogma amplexi sunt, et aiunt pœnituisse eum, et a synodo susceptum esse, sciant falsum esse. Siquidem post aliquot annos, cum nonnulli ex simplicioribus eum in Ecclesia commemorarent, coacta est synodus Alexandriæ, et istis quidem pœnas constituit, memoriam vero ejus ex Ecclesia deleverunt, et tanquam ab hac sancta synodo ejecto, nequaquam in Ecclesia memoria ejus habetur. » Quo in loco Nicephorus negare videtur, Eusebium in synodo Nicæna susceptum esse ; quod tamen verum est, ut in historia synodi illius supra demonstravimus. Sed ita Nicephorus interpretandus est, non ut a synodo susceptum, verum ut ex animo, hæresi posita, catholicum dogma esse complexum inficietur. Nam et septima synodus actione sexta, receptum esse ipsum in synodo Nicæna fatetur, sed labris tantummodo veram fidem professum judicat. Quare non minus infamis, et execrandus ab Ecclesia catholica est habitus, quam Eusebius alter Nicomediensis ; atque hos ambos Arianæ perfidiæ auctores, una cum aliis quibusdam, recenset Hilarius in libello secundo *ad Constantium*.

CAPUT XIII.

De Marcello Ancyrano, ecquid recte de Trinitate senserit. Excutiuntur illa, quæ ei Eusebius Cæsariensis objecit : tum Athanasii de eo judicia diversa. Item de Meletio, et Cyrillo Hierosolymitano.

Difficilis causa Marcelli Ancyrani.

I. Minus explicatu facilis est causa Marcelli Ancyrani episcopi, de quo plerique sanctissimi Patres vel contrarias invicem, vel ambiguas sententias dixere. Hic in Nicæna synodo, ac deinceps Arianis vehementer obstitit, unusque fuit e CCCXVIII Patribus, ut testis est Julius Papa in epistola synodica, quam pro eo scripsit ad Antiocheni conciliabuli episcopos, quam refert Athanasius *Apol.* II. Sed, cum adversus Asterium Cappadocem sophistam, qui in Arianorum gratiam de Christo quædam impie scripserat, librum edidisset, in eo visus est, Arianæ hæresis odio, catholicæ regulæ fines excedere, atque in Sabellii, et Samosateni perfidiam impingere ; quorum prior unicam personam divinitati tribuebat, Verbum autem hypostasi propria carere dicebat, adeo ut tum demum a Deo mitti, ac procedere putandum sit, cum identidem loquitur, aut molitur aliquid Deus ; quasi transitoriam, et καιρικὴν habeat ὕπαρξιν, non autem peculiarem, et diversam hypostasim. *Subsistentiam.*

a Ex Epist. *ad Alexandrum*. Κτίσμα τοῦ θεοῦ τέλειον, ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν τῶν κτισμάτων.

b Ex comment. in *Psal.* CIX, *Dixit Dominus*, etc. Νόμοις φύσεως παντὸς υἱοῦ πατὴρ, κύριος ἂν εἴη αὐτοῦ. διὸ καὶ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ θεοῦ ὁ γεννήσας αὐτὸν θεὸς εἴη ἂν αὐτοῦ καὶ θεὸς ὁμοῦ, καὶ κύριος, καὶ πατήρ.

c NICEPH. lib. IX, cap. XIII. Τοιαῦτα καὶ ἕτερα Σωκράτης παρατιθεὶς, διϊσχυρίζεται τἀσφαλὲς τοῦ δόγματος Εὐσεβίῳ περιτιθέναι. ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν μᾶλλον εἶναι τὸν ἄνδρα τοιοῦτον· ἡ δὲ καθόλου ἐκκλησία οὐ τοιοῦτον τάχα ὑπείληφεν, ἣ μᾶλλον ἕπεσθαι δίκαιον.

1 Ex epist. *ad Alexand.* — 2 Lib. I, cap. XXV. — 3 Tom. IV *Biblioth. Patrum*. col. 1122.

Paulus vero cum eodem modo de Trinitate sentiebat, tum de Christo explicatius asserebat, merum hunc hominem exstitisse, in quem se Dei Verbum insinuasset; hoc est divinitatis efficientia quædam, et temporaria illa divini Verbi a Deo Patre missio, atque progressio; non autem hypostasim eamdem esse utriusque naturæ. Hujus accusatus hæresis Marcellus, vivente adhuc Constantino, depositus est Constantinopoli ab Eusebio Nicomediensi, et aliis episcopis, qui e conciliabulo Tyrio illuc ab imperatore fuerant exciti, ut refert Socrates l. I, c. XXXVI. Sed, cum Romam ad Julium papam una cum Athanasio confugisset, ibique annum integrum cum mensibus sex frustra adversarios expectasset, quos ad causam dicendam Julius papa citarat, demum oblato ei libello, absolutus in Orientem rediit, atque in Sardicensi postea synodo sedi suæ restitutus est; quod ex synodica constat, quam Athanasius *Apol.* II et Theodoretus l. II, c. VIII *Hist.* referunt, docetque Socrates lib. II, c. XXIII. Verum rursus ab Arianis exclusus est, et in ejus locum suffectus est Basilius, qui et ante datus illi successor, eo restituto, cesserat.

II. Eumdem porro diu admodum vixisse ex eo conjectura fit, quod Nicænæ primum synodo episcopus interfuit, nec sane juvenis; quippe Eusebius Cæsariensis iis in libris, quos contra ipsum, postquam primo depositus est, scripsit, eum in episcopali functione jam senuisse testatur. Depositus est vero anno Christi CCCXXXVI, duodecimo post Nicænum concilium. At Eusebius anno CCCXL obiit, ut indicat Socrat. l. II, c. IV, vel potius sequenti post Antiochenam synodum, cui, Athanasio teste, interfuit. Sed et Athanasius in epistola *ad Solitarios*, senem fuisse, cum ab episcopatu ejectus est, asserit; quod circa annum CCCLX incidit. Atqui Epiphanius in illius hæresi asserit, Marcellum ante duos circiter annos, quam ipse scriberet, excessisse vita; scribebat autem circiter anno CCCLXXVI, ut ex hær. LXVI, num. 20 quæ est *Manichæorum*, colligitur. Ita post concilium Nicænum annis fere L vixerit Marcellus. Quare centesimum annum attigisse, aut etiam excessisse videtur. Nunc de ejus opinione dicendum.

Eusebius Cæs. adversus Marcellum scribit.

Edidit adversus hunc libros quinque Cæsariensis Eusebius, qui nuper hac in urbe prodierunt. Horum duo priores *contra Marcellum Ancyranum* inscripti sunt; cæteri tres *de Ecclesiastica theologia*, qui et a prioribus separatim videntur editi. Nam Socrates ex libro primo *de Eccles. theol.* c. IX non pauca descripsit, qui in libro primo *contra Marcellum* contineri ait ex eo opere, quo Asterium confutabat. In his libris Marcelli dogmata late refert Eusebius, ipsis etiam allatis Marcelli sententiis, ac verbis, quæ quidem persuadent, multa ipsum perperam, et adversus catholicæ fidei sensisse regulam; quæ profecto excusari nequeunt ea ratione, quam pro se Marcellus attulit, ac Sardicensibus Patribus probavit, qui sic in epistola synodica de Marcello judicant, eum ab Eusebio calumniose esse traductum, quasi Verbum a Beata Maria initium habuisse, et Christi regnum quandoque desiturum esse dixisset. Atqui inquirentis more potius, quam asseverantis, ac docentis, Marcellum aiunt in suo libro ista posuisse; Eusebianos autem malitiose pro veris ac germanis illius decretis objecisse. Verum, quantum ex ipsius Marcelli verbis, quæ Eusebius affert, conjectari possumus, apparet quædam illum serio, et ex animi sui sententia docuisse absurda prorsus et hæretica; etsi nonnulla reprehendendi studio arrodit Eusebius, quæ sincera, et catholica videantur, atque, ut uno verbo dicam, morosus in illa confutatione, et odiosus est Cæsariensis iste, et in tricis vellicandis æquo plus assiduus.

III. Accusationis Eusebianæ capita sunt potissimum quinque. Primum, et præcipuum est, a quo cætera proficiscuntur: Verbum Dei unam esse cum Patre personam, et ipsum ἐνδιάθετον λόγον, quo Pater λογικὸς appellatur, hoc est *formaliter*, ut scholæ loquuntur. Differre itaque λόγον a Patre ἐνεργείᾳ sola, quatenus Deus identidem hominibus loquens, vel cum illis agens aliquid, sermonem, aut verbum pro tempore suum emittit; quem προστακτικὸν, vel προφορικὸν λόγον, hoc est *imperativum* vel *prolatitium* nominant. Ex quo consequens erat, Patrem et Filium οὐσίᾳ καὶ ὑποστάσει ἓν εἶναι, *usia*, sive *essentia*, et *hypostasi unum esse*, ac solis discrepare nominibus; neque ὑφεστῶτα λόγον, id est *subsistens esse Verbum*, sed nostri simile; quod in lib. I cap. I disputat Eusebius, et lib. II cap. I; item lib. III qui est primus *de Eccles. theol.* c. XVI et XVII et lib. IV cap. II, XIV, XIX ubi ἓν πρόσωπον et μονάδα, et ὑπόστασιν μίαν, *unam personam, singularitatem*, et *hypostasim unicam* Deo tribuit. Vide et lib. V

Accusationes Eusebianæ ad quinque capita reductæ.

Insitum Verbum.... Rationalis. Efficientia.

cap. IV. Secundum, quod hujus consectarium est, sic assumptum hominem fuisse, ut ἐνεργείᾳ μόνῃ πλατύνεσθαι, *efficientia, et actione sola collatari* credendus sit Deus, sive Spiritus ille, ac πνεῦμα, quod esse tres simul personas aiebat, ut refert Euseb. l. II c. II et IV, in quo δραστικῇ μόνον ἐνεργείᾳ συνεῖναι τῇ σαρκί, *efficaci duntaxat operatione cum carne copulari* Dei Filium, Marcellus asserit. Non enim hypostasim personamve distinctam a paterna Verbum habere Dei, quæ cum hominis natura conjuncta sit, sed singularem, et simplicem esse, quæ operando aliquid extrinsecus, sola efficientia propagetur, qua se in naturam assumptam insinuavit.

Tertio, post resurrectionem, aiebat Verbi qualemcumque conjunctionem cum carne desituram; Verbum enim ad Patrem esse rediturum, destituta carne; unde perpetuum negabat fore Christi regnum. Ita Eusebius lib. I cap. I et lib. II c. I, II, III et IV et lib. II *de Eccles. theol.* cap. VIII.

Quarto, ante assumptum hominem, negabat, Verbum Dei fuisse Filium; sed tum esse factum Filium Dei, quando et caro factum est; quod in lib. I c. IV, et lib. XII cap. II et III, et lib. I *de Eccles. theol.* c. I refellit Eusebius.

Quinto, Verbum ipsum εἰκόνα θεοῦ, *imaginem Dei* non esse dicebat ex sese; sed hoc illi propter assumptam hominis naturam competere. Eusebius lib. I cap. IV, et lib. II cap. II et III, et lib. I *de Eccles. theol.* cap. I.

Hæc omnia Marcellum, non disputandi gratia, sed serio bonaque fide in libro suo posuisse probat Eusebius ex ipsius verbis; quæ apud illum legere, et expendere quisque potest.

De illius fide dubius hæret Epiphanius.

IV. Epiphanius hær. LXXII inter utrumque fluctuans de illius integritate dubitat, ac Sabellii, et Novati dogma (puto legendum Noeti; neque enim Novatiani tale qui secuti sunt), quosdam illi tribuere scribit; alios vero e contrario defendere. Tum ejus epistolam, sive professionem fidei oblatam Julio papæ describit, quæ est ita concepta, ut non aperte superiora illa, quæ ipsi erant objecta, diluat, sed in alterutram derivari partem interpretando possit. Ex eo ipso tamen, quod apologia opus illi fuerit, non penitus carere suspicione colligit; ac cum aliquando sanctum Athanasium, quid de Marcello sentiret, interrogasset, leviter cum arrisisse narrat, ac neque durius aliquid de eo pronuntiasse, et nutu tamen ipso significasse, non multum ab impietate illum abhorruisse, ut qui purgare se necesse habuerit. Addit Acacii contra eumdem objecta; in quibus ea refellit, quæ adversus Asterium scripserat; ipsiusque verba Marcelli commemorat. In his porro Verbum imaginem negat esse Dei. « Siquidem aliud est, inquiebat Marcellus, imago Dei, aliud Deus. Unde, si est imago Dei, non est Dominus, neque Deus, sed imago Domini, ac Dei. Sin revera Dominus est, ac revera Deus, non jam Dominus ac Deus imago Domini, ac Dei esse potest[a]. » Postremo aliam fidei formulam refert, quam Marcelli discipuli a magistro editam asserebant, quæ prorsus est catholica, et hæresim eam, cujus penes illum invidia resederat, nominatim jugulat.

Illum ubique defendit Athanasius.

V. Quod ad Athanasium spectat, is Marcellum fere ubique sublevat, atque ab Arianis immerito et per calumniam accusatum esse contendit; ut in *Apologia* prima, et in epistola *Ad solitariam vitam agentes*. Sed exstat oratio quædam Athanasii, cujus inscriptio est. *Quod unus sit Christus*, in qua Marcellum cum Paulo Samosateno conjungit, quod Christum merum esse dixerit hominem, ac servum, nec adoratione dignum. Verum oratio ista, quæ, ut ex ejus fine colligitur, homilia quædam est in Natalem Christi, meo judicio non est Athanasii. Nam et stylus ejus est Athanasii dissimillimus, multoque comptior, et ornatior; tum hypostases in Trinitate confitetur tres, quibus quartam a Paulo Samosateno, et Marcello adjunctam queritur, Christi videlicet hominis. At vero unam tantum hypostasim Trinitatis Athanasius agnoscit, ut libro quarto demonstravimus.

Locus ex Hilarii fragmentis difficillimus.

Sed nodus est explicatu difficillimus. Auctor enim est Hilarius in *Fragmentis*, Marcellum, qui « sententia synodi Sardicensis episcopatui erat redditus, » anno scilicet Christi CCCXLVII, ab Athanasio communione sua exclusum fuisse, quod eam doctrinam teneret, quam postea Photinus est secutus. Itaque « negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese Ecclesiæ Marcellus abstinuit. »

Sulpitius quoque Severus [1], qui ex Hilarii

a Marcellus apud Epiph. hær. LXXII, num. 6. Ἕτερον γὰρ θεοῦ εἰκὼν, καὶ ἕτερον θεός. ὥστε εἰ μὲν εἰκὼν, οὐ κύριος, οὐδὲ θεὸς ἀλλ' εἰκὼν κυρίου, καὶ θεοῦ. εἰ δε κύριος ὄντως; καὶ θεὸς ὄντως, οὐκέτι ὁ κύριος, καὶ θεὸς εἰκὼν κυρίου καὶ θεοῦ εἶναι δύναται.

1 Lib. II.

Fragmentis historiam illorum temporum excerpsit, scribit, aliquanto post Sardicensem synodum, hoc est ante Magnentii necem, et Paulini Treverensis, aliorumque in causa Athanasii relegationem, Marcellum parum sanæ fidei compertum ab Athanasio, a communione fuisse suspensum; hunc vero tanti viri judicio notatum sponte concessisse. Verum quinam ista cum illis consentiunt, quæ de Marcello testari diximus Athanasium? Hic enim tum in *Apologia* priore *ad Constantium*, inter alios sanctos et catholicos episcopos, quorum deplorat exilium, Marcellum recenset. Et in epistola *ad Solitarios* honorificentissimam de eo mentionem facit: « De Marcello vero, inquit, Galatiæ episcopo supervacuum fortasse fuerit mentionem facere. Norunt enim omnes, Eusebianos ab eo de impietate accusatos, vicissim illum accusasse, hominemque senem in exilium ejiciendum curasse. At is Romam profectus sese purgavit, et jussus ab illis, scripto fidem suam tradidit, quem et Sardicensis synodus probavit [a]. » Hæc longe post Sardicensem synodum scribebat Athanasius, ac decimo circiter anno, nempe post Liberii Romani pontificis reditum et lapsum, qui anno CCCLVII contigit. Hujus enim mentionem ibi facit; tum vero post illud tempus, quod Hilarius, et Severus indicant, in quo ab Athanasio narrant pro hæretico damnatum fuisse Marcellum. Quis igitur non itidem, atque ego, miretur, de Marcello quem sententia sua jam notasset, ac pro hæretico damnasset, talia scripsisse Athanasium ipsum, cumque catholicos inter, et injuste sede sua pulsos episcopos numerasse, cum ob hæresim utique ab Arianis esset ejectus? Sed neque sciscitanti de eo Epiphanio dubium, ac perplexum responsum dedisset, vel ne respondisset quidem, sed nutu solo, ac risu suspiciunculam de eo suam testatus esset. Quare digna est ea res, de qua amplius cogitent eruditi, et antiquitatis ecclesiasticæ periti *.

VI. Sane Marcellum pro certissimo hæretico habent illius sæculi scriptores doctissimi ac sanctissimi viri, ut Hilarius, qui in libro *ad Constantium*, illum inter hæreticos reponit, adjungitque Photino, qui fuit ejus discipulus. Quinetiam Hieronymus in libro *de Scriptoribus ecclesiasticis* scribit, Hilarium in septimo *contra Arianos* ejusdem illum hæresis infamia notasse; nempe, opinor, cum scribit sic: « Impie multos ad unius Dei professionem Galatia nutrivit. » Basilius vero in epistolis LII, LXXIV, et LXXVIII, Marcellum diserte hæreticum pronuntiat; quem ait Ario contrariam hæresim invexisse, ac putasse Verbum non habere propriam hypostasim, sed ad tempus prodire, ad Deumque regredi, quasi unica sit persona; simplexque Dei, quæ pro efficientiæ varietate velut extra se diffusa, modo Verbi, modo Spiritus sancti appellationem capiat. Et in epistola CCXCIII Marcellum ait ob prava dogmata discessisse ab Ecclesia; et Marcellianos ad eam revertentes temere admitti prohibet. Chrysostomus item homilia secunda in epistolam *ad Hebræos*, sæpius Marcellum cum Photino conjungit, ut et Marius Victorinus libro primo *contra Arium*, Theodoretus etiam in libro secundo *de Hæreticis fabulis*, capite penultimo, inter hæreticos duos medium collocat Sabellium, et Photinum. Ad extremum, si quis ea percurrat animo, quæ supra de antiquis nonnullis capite tertio commemoravimus, inveniet, Marcelli opinionem, quam ipsi Eusebius, aliique tribuunt, consentaneam quibusdam illorum fuisse, ut Athenagoræ, Tatiano, Theophilo, qui Verbum ipsum esse putarunt ἐνδιάθετον λόγον, quo Pater λογικὸς dicitur, et sapientiam, a qua sapiens est, ut loqui solent, *formaliter;* atque istum λόγον et σοφίαν, prout Patri visum est, mitti, et extensione quadam velut foras erumpere, itaque distingui **.

Variorum de Marcello judicia.

VII. Inter ambiguæ ὀρθοδοξίας præsules habitus est et Meletius, Berœensis primum, deinde Sebastenus, postremo Antiochenus

Orthodoxiæ.

a ATHAN. *ad Solit.* Καὶ περὶ Μαρκέλλου τοῦ τῆς Γαλατίας ἐπισκόπου περιττὸν ἴσως ἐστὶ λέγειν. πάντες γὰρ ἔγνωσαν ὡς πρότερον ἐγκαλούμενοι παρ' αὐτοῦ οἱ περὶ Εὐσέβιον ἀσεβείας, ἀντενεκάλεσαν αὐτῷ καὶ αὐτοὶ, καὶ πεποιήκασιν ἐξορισθῆναι τὸν γέροντα. καὶ αὐτὸς μὲν ἀνελθὼν εἰς τὴν Ῥώμην ἀπελογήσατο, καὶ ἀπαιτούμενος παρ' αὐτῶν δέδωκεν ἔγγραφον τὴν ἑαυτοῦ πίστιν, ἣν καὶ ἡ κατὰ Σαρδικὴν σύνοδος ἀπεδέξατο.

* Tillemontio quoque et benedictino Coutantio visa sunt isthæc conciliatu difficillima. Ille tamen componere dum studuit, temporum rationes turbavit, ut in eruditissimis *ad Sulpitium Severum* adnotationibus animadvertit nuperus editor clariss. P. Hieronymus de Prato tom. II, pag. 200, qui et aliam suggerit viam, qua aliqua demum ratione pugnantia adeo inter sese testimonia conciliari possint. F. A. Z.

** Visa igitur est ambigua Petavio Marcelli causa, pro qua tamen acerrime dimicarunt Natalis Alexander in *Hist. Eccles.* sæc. IV, dissert. XXX, et Bernardus Montfauconius in *Diatriba de causa Marcelli Ancyrani*, tom. II *Collectionis novæ Patrum et scriptorum Græcorum.* « Malim ego, ut cum Garnerio loquar, *Dissert. ad Marii Mercatoris opera*, tom. II, p. 312, hujusce hominis sortem miserabilem deflere cum Epiphanio, quam cum aliis in re tam difficili, tamque obscura sententiam ferre. » Z.

Meletii causa expenditur.

episcopus. Hunc enim Acacianæ partis fuisse, ab eoque propositæ in Seleuciensi synodo subscripsisse formulæ, testis est Socrates lib. II cap. XLIV, et Epiphanius hær. LXXIII, n. 23. Exstat inter Athanasii opera tractatus brevis cum hac epigraphe: *Confutatio hypocrisis Meletii, et Eusebii Samosateni hæreticorum, super homousio*[1]. In eo vero demonstratur, non esse satis ad catholicam professionem, fateri Filium Dei similem esse Patris, nisi et consubstantialis una dicatur. Ex quo. Meletium inter Semiarianos collocari constat. Verum perbrevis ista refutatio mihi non videtur esse magni illius Athanasii; quod ex stylo ipso, meo quidem judicio, conjici potest. Idem Athanasius orat. I *contra Arianos*, inter catholicos episcopos annumerat Meletium, quem cum Basilio conjungit, et ambos magnos nominat. Sed hæc inserta, et aliena esse non dubito. Nam Basilius nonnisi anno CCCXLIX episcopus est factus. At illa oratio sub annum CCCLVI scripta est, cum Georgius Alexandriam mittendus esset, ut ipse Athanasius indicat. At Hieronymus in *Chronico* ad annum CCCLIX Christi, «Meletius, ait, Sebastiæ Armeniorum episcopus ab Acacio, et Georgio Arianis episcopis Antiochiam transfertur; et post non grande temporis intervallum, cum presbyteros, qui ab Eudoxio antecessore suo depositi fuerant, suscepisset, exilii justissimam causam subita fidei demutatione delusit.» Cum enim Eudoxius ab Antiochena Ecclesia ad Constantinopolitanam transiisset, Ariani, præsertimque Acacius, Georgius, et Eudoxius ipse, quod refert Sozomenus[2], Meletium Sebastenum Antiochiæ præsulem constituerunt, quem esse suarum partium arbitrabantur. Sed spe sua frustratus est illos Meletius, qui Nicænam fidem publice profiteri cœpit. Idem refert Theodoretus[3]; qui Meletium valde prædicat, neque cum hæreticis eum aliquando consensisse significat.

VIII. Porro, Juliano mortuo, Semiariani sedibus exclusi suis, cum libellum Joviano supplicem obtulissent, ut, Anomœis ejectis, Ecclesias reciperent, neque, quod volebant, impetrassent, collatis cum Meletio capitibus, Antiochiæ synodum habuerunt, in qua Nicænam fidem, ac τὸ ὁμοούσιον rata esse decreverunt; quod decretum communi nomine imperatori ab illis est oblatum. Ita Socrates lib. II cap. XXV, et Sozom. lib. VI c. IV. De Meletio vero Socrates ait, eum paulo ante a Semiarianorum partibus recedentem, ad Homousianos accessisse.

De hac synodo loquens Hieronymus in *Chronico*, valde diversa prodit his verbis: « Synodus Antiochiæ a Meletio, et suis facta, in qua Homousio, Anomœoque damnatis, medium inter hæc Homœusion Macedonianum dogma vindicaverunt. » Si hæc ambo vera sunt, quæ et historici illi, et Hieronymus asserunt, haud semel eos convenisse, ac fidei formulam aliam atque aliam conscripsisse necesse est. Neque enim assentior eruditis viris, qui eatenus, rejecto homousio pariter, et anomœo, sancitum ab ipsis homœusion dici putant ab Hieronymo, quod in epistola synodica *ad Jovianum* data, cui Meletius, Acacius, aliique Semiariani subscripti leguntur apud Socratem, et Sozomenum, tametsi Nicæna fides τὸ ὁμοούσιον verbo tenus admitti videatur, nihilominus aliorsum, quam ab Nicænis Patribus constitutum erat, interpretando trahatur, nihil ut aliud sit, quam τὸ ὅμοιον κατ' οὐσίαν. Verum additur ibidem, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς ἐγεννήθη, *ex substantia Patris Filius est genitus*; quod amplius est, quam esse similem. Deinde τὸ ὁμοιούσιον minime rejicitur, quod ab illis factum narrat Hieronymus. Proinde diversa sit oportet fidei professio, cujus hic meminit, ab ea, quam historici illi descripserunt.

Simile secundum substantiam.

IX. Apud Epiphanium exstat Meletii tractatus, quem initio episcopatus sui Antiochiæ dixit, super illis Salomonis verb. *Proverb.* VIII: *Dominus creavit me*, etc. quorum in explicanda sententia controversiæ cardo vertebatur. Ibi nullam catholicæ fidei significationem edidit Meletius; sed Semiarianorum more institutoque disserit. Nihil enim amplius, quam similem esse Patri Filium, utpote illius imaginem, affirmat; creatum vero negat esse, sed γέννημα, et a Patre genitum appellat, per quem omnia condita sunt. De οὐσίᾳ, et ὁμοουσίῳ ne littera quidem meminit. Quod autem Epiphanio in illo tractatu displicet, *creandi* vocabulum quoquo modo ad divinitatem Filii transferri; id eo sensu, quem Meletius usurpat, non est valde reprehendendum. Id enim complures e primariis catholicarum partium doctoribus eadem notione sumpserunt, ut postea demonstrabimus.

Verum postea germanum fuisse catholicum, et Nicænæ professioni penitus addictum Meletium, in eaque fide diem obiisse constat ex Basilio, qui epistolas ad eum scripsit aliquot,

Meletius sub finem vitæ, ab omni labe immunis.

1 Athan. tom. I. — 2 Sozom. lib. IV, cap. XXVIII. — 3 Theod. lib. II, cap. XXXI.

quibus religionem illius, pietatemque collaudat; epist. LII, LIII et deinceps sequentibus. Atque idem in epistola CCCXXV *ad Epiphanium* scribens, qui, ut apparet, a Meletii communione ipsum ad Paulini partes transferre studebat, Meletium eadem ab catholicæ fidei integritate commendat, aitque inter alia, Constantii tempore primum illum catholicum dogma palam aperteque propugnasse, et egregium certamen obiisse. Athanasium vero, cum Alexandria venisset, cum illo communionem paratum fuisse conjungere, sed quorumdam pravis consiliis in aliud tempus dilatam fuisse. Idem postremo, quod sine ulla dubitatione constat, pace reddita, sedi restitutus suæ, Nicænam regulam constanter retinuit; ac demum Constantinopoli, dum œcumenica secunda synodus ageretur, ex hac vita discedens, episcoporum omnium officio, ac funebri etiam Gregorii Nysseni oratione celebrari meruit. Cujus anniversaria dies prid. idus Februarii colitur in Ecclesia *.

Eadem Cyrilli Hieros. quæ Meletii causa.

X. Par est, eademque Cyrilli fere, quæ Meletii causa. Nam et Arianorum vel communione, vel etiam errore contactus aliquando, postea resipuit. Hic est Hierosolymitanus ille præsul, cujus catecheticæ orationes exstant hodieque, quas in adolescentia scripsisse Cyrillum testatur Hieronymus in libro *de Scriptoribus ecclesiast.* Sed unus, an plures ejus nominis, Hierosolymis circa illud tempus præfuerint, haud levis est controversia. Hieronymus in *Chronico* unicum agnoscit; quamvis quatuor apud illum distingui, *Annales ecclesiastici* nobis olim, aliisque persuaserint. Sed revera unum tantummodo ponit, qui sæpe pulsus ab Ecclesia sua, ait idem in libro *de Scrip. eccles.*, hoc est ter omnino, ut in *Chronico* refert, quarto sedem illam obtinuit, mortuusque est octavo Theodosii imperatoris anno. Epiphanius hær. LXXVI num. 20, Cyrillos duos enumerat; priorem, qui Maximo successit; posteriorem qui Herennium excepit; post quem sedit Hilarius. Nicephorus in *Chronico* unum Cyrillum constituit, quo ab Arianis pulso, tres suffecti sunt episcopi, Arsenius, Heraclius, Hilarius, quibus Cyrillus denuo successit restitutus in secunda synodo sub Gratiano. Hæc ille. At Hieronymi *Chronicum*, post Maximum, Cyrillum ponit; tum Eutychium; deinde Cyrillum secundo; mox Irenæum; huic tertio Cyrillus; Cyrillo Hilarius; Hilario Cyrillus quarto subrogatus est. Equidem unum eumdemque Cyrillum fuisse, Hieronymo et Nicephoro prorsus assentior; quem ab Arianis ordinatum Hierosolymis episcopum, ex Epiphanio, Socrate aliisque scimus. Qui quidem referunt, illum Semiarianorum a partibus stetisse, velut Basilii Ancyrani, Aniani Antiocheni, Georgii Laodiceni, Eleusii Cyziceni, Silvani Tarsensis, et cæterorum; quibus Acacius, Meletius, Eutychius aliique repugnabant. Etenim Acacius Cæsareæ in Palæstina episcopus, Eusebii successor, propter veterem simultatem, æmulationemque sedium ambarum, nam Hierosolymitana, quamvis Cæsariensis ejus esset ex antiquo metropolis, cum hac tamen de principatu certabat, Cyrillum exagitare non destitit adeo, ut ipsum deponeret ob quædam illi objecta crimina; qua sententia mulctatus Cyrillus, Constantium imperatorem appellavit, novo et inaudito hactenus exemplo, ait Socrates l. II c. XL. Post in Seleuciensi concilio, ideò se ab aliis segregavit Acacius, quod Cyrillum, qui cum suis intererat, negaret, post depositionem sedere inter episcopos debere. Sed reluctantibus Semiarianis, Acaciani Constantinopolim advolarunt; ubi, tumultuaria coacta synodo, Cyrillum iterum deposuerunt; qui tamen restitutus est postea, et octavo Theodosii anno mortuus est in catholica communione; siquidem a Constantinopolitana œcumenica synodo collaudatus est in synodica illius, quæ exstat apud Theod. l. V, cap. IX.

XI. Idem porro Theodoretus lib. II c. XXVII, Cyrillum perpetuo catholici propugnatorem fuisse dogmatis asseverat, etiam cum primum Hierosolymitanus factus est, post sanctum Maximum, episcopus. Sed Hieronymus in *Chronico*, ad annum XI Constantii, testatur ipsum a Maximo presbyterum factum, post ejus obitum, ab Acacio episcopo Cæsariensi, ac cæteris Arianis ea lege episcopatum meruisse, ut ordinationem Maximi repudiaret; atque ita regradatum in diaconum, sacerdotii mercede pensatum fuisse. Sane, quantum meminisse possum, in catecheticis sermonibus, cum de Filio Dei, ejusque generatione, ac sanctissima Trinitate multum disputet, vix ὁμοουσίου meminit, sed similem tantum substantia prædicat, et in omnibus cum Semiarianorum opinione convenit. Quippe adolescens, ut ait Hieronymus, illos edidit. Semel

* Confer de Meletii orthodoxia disputantem Natalem Alexandrum in *Hist. Eccles.* sæc. IV, diss. XV, et XXXIV. F. A. Z.

vero, nisi fallor, homil. XVII Trinitati id nomen accommodat : « In Patrem, inquit, et Filium, et Spiritum sanctum consubstantialem credentes [a]. » At idem catechesi XI scribit, Filium Patris nutu ac voluntate omnia condidisse ; « ut nutus ille primariam Patris auctoritatem, ac potestatem reservet [b]. » Tum ista subjicit, Filio id concessum a Patre , « non quod imbecillior esset Pater, quam ut per se creata omnia fabricari posset ; sed quia regnare omnibus, quæ ipse condidisset, Filium voluit, ipsemet illi conditarum rerum principatum tribuens [c]. » Hæc non satis castigate scripta videntur. Sed sunt alia, in illa præsertim undecima catechesi , quæ cum istis compensari queant, non minus pie, quam erudite dicta de Filio Dei. Velut cum ait, « Patrem, utpote æternum, ex æterno genuisse Filium [d]. » Item verba illa, *Ego et Pater unum sumus*, « ad deitatis refert dignitatem, quia Deus Deum genuit [e]. » Damnat etiam hæc Arii, « Erat aliquando, quando non erat. » Tum Filium ait non esse δημιούργημα, id est *opus*, sed Filium φυσικῶς, id est *naturaliter genitum*. Necnon Deum aliter unigeniti Filii, ac nostrum, appellari Patrem; siquidem illius est κατὰ φύσιν, nostrum vero κατὰ θέσιν *.

Secundum naturam. Secundum adoptionem.

CAPUT XIV.

De his, qui Spiritum sanctum nominatim erroribus oppugnarunt suis. De Sadducæis, Tertulliano, Lactantio; ac de Tertulliani hæresi accurate agitur, quatenus Montani sectam amplexus est. De Simone item Mago; deque Origene, et libris Periarchon ; quorum historia diligenter exponitur, necnon Apologiæ sub nomine Pamphili editæ. De Dionysii Alexandrini errore circa Spiritum sanctum ; item Pierii, Eusebii, Arii. Cur, cum Ariani non minus impie de Spiritu sancto statuerent, soli Semiariani Pneumatomachi dicti sint. Epiphanii mirus de his locus, et fortasse corruptus. De synodis catholicis, quarum decreto Spiritus sancti divinitas est constituta, Alexandrina, Illyriciana, Romana sub Damaso ; tum Constantinopolitana. Plerosque catholicos Spiritum sanctum Deum aperte profiteri ausos non fuisse; ac ne Constantinopolitanam quidem œcumenicam diserte Deum appellasse.

I. Pleraque dogmatum illorum, quæ adversus sanctissimam Trinitatem, ac τὸ ὁμοούσιον illius, ex hæreticorum profanis disputationibus allata sunt hactenus, ad ipsam Filii Dei personam potissimum spectant; in quam præcipuus Trinitatis hostium impetus ac furor incubuit. Nunc ea videnda sunt nobis, quibus par et æqualis illi Spiritus sancti dignitas nominatim appetitur. Sed prius de auctoribus ipsis impii dogmatis oppugnandique Spiritus sancti, quæ ad historiam spectant, explicanda sunt.

Consubstantiale.

Omnium sub Christi tempora principes illius violandæ majestatis exstitere Sadducæi, de tribus una Judæorum sectis ; qui neque angelos, neque spiritum esse ullum asserebant. Lucas in *Actis Apostolorum : Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum ; Pharisæi autem utraque confitentur* [f]. Hic πνεῦμα generalem

Spiritum S. impugnant 1° Sadducæi

Spiritum.

a Cyr. Catech. XVII. Εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα ὁμοούσιον πιστεύοντες.

b Cyrill. Catech. XI. Ἵνα τὸ μὲν πνεῦμα τηρῇ τῷ πατρὶ τὴν αὐθεντικὴν ἐξουσίαν.

c Ib. Οὐχ ὅτι ὁ πατὴρ ἠτόνει πρὸς τὴν τῶν δημιουργημάτων αὐτουργίαν, ἀλλ' ὅτι βασιλεύειν τῶν ὑπ' αὐτοῦ πεποιημένων ἐβουλήθη, αὐτὸς αὐτῷ παρέχων τῶν κατασκευαζομένων τὴν ὑφήγησιν.

d Ibid. Ἀΐδιος ὢν ὁ πατὴρ, ἀϊδίως ἐγέννησε.

e Ibid. Ἕν, διὰ τὸ κατὰ τὴν θεότητα ἀξίωμα, ἐπειδὴ θεὸς θεὸν ἐγέννησε.

f *Act.* cap. XXIII, 8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μήτε ἄγγελον, μήτε πνεῦμα. Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα.

* Consule Toutteum benedictinum in dissertationibus, quas S. Cyrilli catechesibus præmisit.

esse vocem arbitror, quæ substantiam omnem significat corporis expertem, sive creata illa sit, sive increata; cujusmodi nullam Sadducæi esse credebant, qui et corporeum idcirco Deum faciebant; quod Theophylactus, et Œcumenius verisimile censent. Quare sub

Spiritus. Angelum. πνεύματος vocabulo, etiam ἄγγελον contineri arbitror. Unde Lucas τὰ ἀμφότερα *utraque* dixit, non *tria* ; quasi resurrectio in altera divisionis parte, in altera Angelus ac Spiritus collocentur. Chrysostomus Angelum ac Spiritum

Utraque. unum et idem esse suspicatur, vel certe ἀμφότερα etiam de tribus usurpari; quod et duo illi interpretes e Chrysostomo descripserunt.

Spiritum. Verum prius illud potius amplectimur, πνεῦμα de ipso dici genere spirituum; adeoque Deum ipsum, et, qui proprie Spiritus appellatur, tertiam exprimere personam. Nec aliter veteres illos interpretandos puto, qui ad istum *Actorum* locum alludentes, Sadducæos affirmant Spiritum sanctum abnegasse; ut Epiphanius, hær. XIV, quæ est *Sadducæorum*, et Gregorius Nazianzenus, orat. XXXVII *de Spiritu sancto;* Philastrius in *Dositheo.* Non

Spiritum. enim πνεῦμα simpliciter, et de solo increato ac sancto Spiritu apud Lucam acceperunt; sed ex eo, quod universe spiritum esse nullum assererent, negari ab iis Spiritum sanctum existimarunt. Sane Didymus libro primo *de Spiritu sancto*, Scripturarum consuetudinem esse docet, ut, cum de sancto Spiritu loquens,

Spiritus. πνεύματος utitur nomine, pene semper articulum præponat, dicatque τὸ πνεῦμα ; de creato vero spiritu dicat absolute infiniteque πνεῦμα ; aut si Dei Spiritum absque articulo πνεῦμα vocat, aliquid annectat, quo ejus discerni ab cæteris conditio ac dignitas possit. In illis porro Lucæ verbis, πνεῦμα sine articulo ponitur.

II. Post exortum Christianæ lucis, variæ in Spiritum sanctum hæreses exstiterunt. Ignatius martyr in epistola *ad Trallianos*[*], quæ una est e septem, quas illi Hieronymus adscribit[1], et citatur a Theodoreto in dialogo primo, quorumdam meminit hæreticorum, qui Spiritum sanctum funditus negabant. Alios item commemorat, qui eumdem aiebant esse *Patrem, et Filium, ac Spiritum sanctum*, cum nudum hominem affirmarent esse Christum; cujusmodi fuere Patripassiani, quorum supra mentionem fecimus; nec illi Spiritui sancto privatim infesti potius, quam totius Trinitatis hostes, nisi quod ita omnium personarum erant, ut essent singularum. His annumerandus est Valentinus, qui Trinitatem universam passam esse docuit, ut scribit Athanasius[2]; nominatim vero Spiritum sanctum, ut et Filium, ad Angelorum naturam redegit, quod idem alio loco testatur[3]. Sed et Urbici cujusdam Potentini mentio fit in libro quarto *Dialogorum*[4], qui sub nomine Athanasii Latine tantum exstant: « Qui hunc Spiritum sanctum Patrem aut Filium, aut certe facturam » esse diceret; sed fuit iste recentior. Huic hæresi affines erant et alii, qui cum Filio et Patre Spiritum sanctum confundere ausi sunt; inter quos Lactantium et Tertullianum recensent. De Lactantio Firmiano testatur hoc disertis verbis B. Hieronymus in *Commentariis in epistolam ad Galatas*[5] : « Multi, inquit, per imperitiam Scripturarum, quod et Firmianus in octavo *ad Demetrianum* epistolarum libro facit, asserunt Spiritum sanctum sæpe Patrem, sæpe Filium nominari. Et, cum perspicue in Trinitatem credamus, tertiam personam auferentes, non substantiam ejus volunt esse, sed nomen. » Certe in libro quarto *Institutionum*, capite octavo, Verbum Dei, sive Sermonem eumdem cum Spiritu facere videtur. Tum libro eodem, capite duodecimo. « Descendens, inquit, de cœlo sanctus ille Spiritus Dei, sanctam Virginem, cujus utero se insinuaret, elegit. Ac posset id quidem sic ab eo dictum intelligi, ut, de quo conceptus

Ignatius nonnullos qui S. Spiritum negabant commemorat.

Quibus Lactantius juxta Hieronymum annumerandus.

a IGNAT. Τὸ δὲ πνεῦμα οὐδὲ ὅτι ἐστιν ὁμολογοῦσιν. τινὲς δὲ αὐτῶν, τὸν μὲν υἱὸν, ψιλὸν ἄνθρωπον εἶναι λέγουσι· ταὐτὸν δὲ εἶναι πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον.

[*] Duplex est editio epistolarum S. Ignatii quæ ut genuinæ habentur. Prima septem epistolas refert sinceras et puras : secunda easdem, sed auctas interpolatas et corruptas exhibet. De secunda hac editione sic scribit D. le Nourry monachus Benedictinus e congregatione S. Mauri, in sua dissertatione ad epistolas Ignatianas: « Secunda epistolarum classis easdem, de quibus hactenus disseruimus, ipsius litteras, sed variis interpolationibus atque additamentis auctas, aliisque depravationibus fœde corruptas et adulteratas. » Hanc secundam editionem, quæ sola tunc exstabat, præ oculis habuit Petavius, unde quæ hic allegantur nullius sunt auctoritatis, utpote ex editione adulterata desumpta, et præsertim quia non leguntur in prima editione quæ sola fidem meretur. J. B. F.

1 Lib. *de Script. eccl.* cap. XXVI. — 2 Lib. *de Salut. adv. Christ.* — 3 Ath. Or. II. — 4 Tom. II Ath. — 5 Ad cap. IV vers. 6.

est Christus, cum significaret Spiritum, si diversam ab hoc incarnatam esse personam ostenderet. Sed non ostendit, ut appareat, vera esse, quæ de illius errore prodidit Hieronymus.

Non absque suspicione Tertullianus,

III. Tertullianum quoque ab hac sententia non abhorrere conjecturam capiunt aliqui ex locis quibusdam, ubi Christum appellat Spiritum. Ut in tertio *contra Marcionem*, capite XVI. « Quis enim loquebatur, nisi Spiritus creatoris, qui est Christus? » Et in *Apologetico*[1] « Spiritum de Spiritu, et de Deo Deum » exstitisse ait, loquens de Filio. Sed non satis idonea hæc sunt argumenta suspicionis illius. Nam et alioqui Spiritus appellatio communis est personis omnibus, ut inter alios observavit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XVII, ac de Christo nominatim et hic, et complures alii, Hieremiæ locum illum accipiunt: « *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est*[2]. » Verum ad hanc firmandam suspicionem, majus altero in loco momentum est, qui est in libro *De carne Christi*, capite XIX, ubi, quod Valentiniani in Joannis *Evangelio* interpolato a se legebant, *Ex Deo natus est*[3], pro *nati sunt* singulariter ad Christum pertinere ait. « Merito, inquit, quia Verbum Dei, et cum Verbo Dei Spiritus, et in Spiritu Dei virtus, et quidquid Dei est Christus. » Sed enim alioqui constat Tertullianum tres in Trinitate personas distincte constituisse, ut in libro *contra Praxeam*[4], ubi Spiritum sanctum discernit a Patre et Filio. Vetus auctor libri de montibus Sina et Sion, adversus Judæos, qui inter opera Cypriani legitur, minus excusari potest, cum sic scribit: « Quæ caro a Deo Patre Jesu vocitata est Spiritus sanctus, qui de cœlo descendit, Christus, id est unctus Dei vivi a Deo vocatus, est Spiritus carni mixtus, Jesus Christus. »

IV. Cæterum, ut ab hac falsa opinione de Spiritu sancto facile sit vindicare Tertullianum; in altera tamen tenetur, quæ sectæ illius, ad quam allisus miserrimum naufragium fecit, peculiaris fuit Cataphrygum, sive Montanistarum. Qui, ut plerique sentiunt, Montanum ipsum esse Paracletum asserebant a Christo promissum; ut autem aliis placet, in illo plenius locutum esse Paracletum. Quidam, ne hoc quidem in errore versatum esse Tertullianum existimant; sed in austeriore duntaxat statuenda disciplina ab Ecclesiæ catholicæ præscriptis aberrasse, cum nihil aliud oriens illa secta præ se ferret; cætera dogmata, quæ piacularia sunt, Montano ac Tertulliano posteriora, ab illius sectatoribus addita fuisse postea. Quæ res digna videtur, ut a nobis paulo hic accuratius expendatur.

Saltem qua Montanista.

Epiphanius quidem in hæresi *Cataphrygum*[5], quæ eadem est Montanistarum, refert illos de Patre, et Filio, ac Spiritu sancto consentire cum Ecclesia catholica, sed in eo aberrare, quod Montanum suum prophetam jactitant, cum Priscilla et Maximilla prophetissis. Quorum etiam vaticinia quædam commemorat, obscuris ac fanaticis sententiis expressa. Nuptias ab illis damnari secundas. Tum, quod capitalius est, Deum se Patrem affirmasse Montanum[6]. Præcipue vero hunc illius errorem arguit, quod propheticum Spiritum cum ecstasi, id est *amentia* conjunctum esse dicebat, ut, quæ ipse loqueretur, propheta nesciret; quod contra catholicos tuetur in quarto *contra Marcionem*, capite XXII Tertullianus, ac meminit Athanasius[7] oratione IV *contra Arianos*, Theodoretus, et Philastrius, itidem ut Epiphanius, recte de Trinitate Montanum existimasse produnt; quod et Augustinus tacendo confirmare videtur. At Theodoretus, et Nicephorus[8] narrant, etsi Montanus ipse de Trinitate dogma integrum servaverit, ejus tamen sectæ nonnullos istud immutasse, et ex tribus personis unam conflasse; quorum e numero fuisse postea Sabellium idem refert Nicephorus. Addunt illorum et alia multa nefaria et horrenda, quæ ab iis negari idem auctor perhibet, et ab Hieronymo iisdem tribuuntur.

V. Tertullianus vero in calce libri *de Præscriptionibus*[9], duas in partes scissam esse illam hæresim scribit. « Sunt enim, qui Kata Proclum dicuntur; sunt qui secundum Æschinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem et suam, et communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant, Spiritum sanctum fuisse, Paracletum non fuisse; et qua dicunt Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse, nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora. Privatam autem blasphemiam illi, qui sunt Kata Æschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant, Christum ipsum esse Filium, et Pa-

1 Cap. XXI. — 2 *Thren.* I, 20. — 3 *Joan.* I, 13. — 4 Cap. XXX et XXXI. — 5 Hær. XLVIII. — 6 Num. 11. — 7 Lib. III, *de Hær.* — 8 Lib. IV, cap. XXII. — 9 Cap. LII.

trem. » Non desunt tamen, qui appendicem hanc libri *de Præscriptionibus* negant esse Tertulliani; sed iidem vetustissimi auctoris esse non dubitant.

Tertulliani mens expenditur quatenus Montanista.

Ac Tertullianus quidem plerisque in locis Paracleti meminit, ac novæ prophetiæ, quam per Prophetidas Priscam, et Maximillam Paracletus locutus est. Ut in libro *de Virginibus velandis*, capite primo, et libro *de Resurrectione carnis*, capite undecimo et LXIII, et primo *contra Marcionem*, capite XXIX, libro *contra Praxeam*, capite primo, et in aliis libris. Ubi hoc unum significat, Paracletum Spiritum sanctum per Montanum, ac duas feminas, Priscam et Maximillam multa docuisse, quam « novam prophetiam vocat de Paracleto inundantem [1]. » Sed nusquam, quod sciam, Montanum ipsum Paracletum fuisse dicit, uti nec Epiphanius, nec Philastrius; asserunt tamen Augustinus et Hieronymus in libello *de Hæresibus*, et Theodoretus, ac Nicephorus [2]; Eusebius vero libro *Historiæ* quinto, capite XIV, Cataphrygas ait, sive Montani asseclas jactasse Montanum ipsum fuisse Paracletum, ejusque prophetissas Priscillam, quam Priscam Tertullianus vocat, et Maximillam. Quod equidem verosimilius arbitror, ut Montani sectatores auctorem suum ipsummet fuisse Paracletum in vulgus sparserint, cum initio Paracleti propheta duntaxat haberetur. Nam neque Apollinaris Hierapolita, neque Apollonius, neque Serapio Antiochenus, æquales illorum temporum, quorum fragmenta de libris *contra Cataphrygas* exstant apud eumdem Eusebium, de Montano aliquid ejusmodi scripserunt.

VI. Quibus e scriptoribus illud insuper constat, Montanum ejusque prophetissas statim pro insanis et fanaticis habuisse catholicos, et illorum nefanda, uti dogmata, ita facta detestatos esse, adeoque ante Tertulliani tempora, quem eruditi quidam existimant Montani tenuisse sectam, qualis exstitit, in ipso sui primordio christianis probabili, non qualis postea fuit, cum sequacium quorumdam fraudibus interpolata, ab Ecclesiis passim catholicis despui cœpit. Imo vero persuasit illis *Annalium* conditor [3], Montanum, et erroris ejus socios aliquando recta incessisse via « et divina gratia illustratos signa, et miracula edidisse. » Cujus rei cum auctorem laudet Eusebium, contrarium ex eo potius colligitur. Non enim Montanistas ipsos mira illa fecisse, ac prophetiæ dono præditos fuisse dicit; sed, cum in variis Ecclesiis, catholicis utique, ac veris, miracula fierent, ac tum falsis se prodigiis, et ementita specie pietatis venditarent Montani asseclæ, ortam de iis esse dubitationem. « Cum autem, ait Eusebius, Montanus, Alcibiades et Theodotus, circa Phrygiam, tum primum prophetiæ famam apud multos sibi comparassent; quippe complura alia mirifica et stupenda divini charismatis opera tum adhuc in diversis Ecclesiis edebantur; finem apud multos ea res faciebat, etiam illos prophetico spiritu præditos esse [a]. » Nam, quod Tertullianum negant idem secundum Phrygas desipuisse unquam, ipse illos Tertullianus arguit. Cataphrygum, opinor, errores ii fuere præcipui; quod Paracletum, cujus adventum Ecclesiæ Christus ostenderat, in Montano ejusque mulieribus Prisca et Maximilla demum locutum esse crederent; quod illius instinctu, et novæ prophetiæ auctoritate secundas condemnarent nuptias; quod prophetarum afflatum cum ecstasi et amentia conjunctum esse dicerent; ita ut, quæ loquerentur, prophetæ ipsi animo non perciperent; quod fugam in persecutione prohiberent, ut in calce libri I de hoc argumento scripti Tertullianus refert; quod denique, præter stata, et usu Ecclesiæ recepta jejunia, nova quædam indicerent. Hæc sola Cataphrygum decreta memorantur, ob quæ ab Ecclesia sunt ejecti. Atqui Tertullianus eadem illa propugnavit, proque iis adversus Ecclesiam catholicam pertinacissime contendit. Nihil est igitur, quod illum ab Montani et Cataphrygum secta, quatenus pro hæresi habita damnataque est, possit eximere.

VII. Ut autem minus id probamus, quod sive Montanum Paracletum haberi se voluisse, sive Tertullianum hoc de illo credidisse quidam asserunt; ita Simonem illum Magum idipsum de scorto suo Helena jactitasse assentimur Epiphanio; nec minus Irenæo [4], Augu-

[a] EUSEB. Τῶν δ' ἀμφὶ Μωντανὸν, καὶ Ἀλκιβιάδην, καὶ Θεόδοτον περὶ τὴν Φρυγίαν ἄρτι τότε πρῶτον τὴν περὶ τοῦ προφητεύειν ὑπόληψιν παρὰ πολλοῖς ἐκφερομένων· πλεῖσται γὰρ οὖν καὶ ἄλλαι παραδοξοποιΐαι τοῦ θείου χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρους ἐκκλησία ἐκτελούμεναι, πίστιν παρὰ πολλοῖς τοῦ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον, etc.

1 In fine lib. *de Resur. carn.* — 2 Lib. IV, cap. XXII. — 3 Baron. *An.* 173. — 4 Iren. lib. I, cap. XX.

stino, ac Theodoreto, de seipso idem illum affirmasse. Potest enim utrumque esse verum*. Atque, ut princeps ille hæreticorum omnium, et post Christi adventum exortarum hæreseon fuit; sic ab eo Sabellianam primum natam esse perfidiam Augustinus ac Theodoretus post Irenæum significant. Quippe se eumdem esse jactabat veneficus iste, qui « Judæis tanquam Filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater descenderit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit.» Ac tam iste, quam illi omnes, qui se Paracletos haberi, aut Paracleti instinctu actos videri cuperent, divinitati sancti Spiritus minime obtrectarunt, neque creaturam eum esse docuerunt; quin potius, ut tanto sibi majorem auctoritatem ac venerationem assumerent, credibile est, summa illi quæque et amplissima detulisse. Auctor libri *de Trinit.* qui inter opera Tertulliani legitur, Novatiani inscriptus nomine, cum neutrius sit, ut qui Sabellaniam hæresim duodecimo capite commemoret, quæ amborum ætate nondum invaluerat; ille igitur, capite XXIV Spiritum sanctum minorem Christo esse definit. Sed eo, velut recentiore, seposito.

Origenis de Spiritu sancto error notatur.

VIII. Primus, quod quidem constet, Origenes Spiritus sancti dignitatem aperte violare est ausus, atque illum multo Patre inferiorem esse docuit; cum et infra Filium ipsum stare illum diceret, cui secundas a Patre concederet. Tales enim personarum trium ὑποβαθμοὺς, gradatimque descendentem ordinem constituit Origenes, et Ario deinde Eusebioque persuasit. Testatur hoc Epiphanius, hær. LXIV, et in *Anacephalæosi*, ubi Origenem asserit Filium, et Spiritum sanctum creaturas facere. Neque porro Patrem a Filio videri, neque Filium a Spiritu sancto, uti neque hunc ab angelis. Sic autem de Patris substantia Filium esse docuisse, ut nihilominus creatus esset[1]. Hieronymus vero *ad Avitum*, ep. LIX illius in primo

De principiis.

περὶ ἀρχῶν sententiam exponit; quæ « tertium dignitate et honore post Patrem, et Filium asserit Spiritum sanctum. De quo cum ignorare se dicat, utrum factus sit, an infectus, in posterioribus, quid de eo sentiret, expressit, nihil absque solo Patre infectum esse confirmans. Filium quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit; et Spiritum sanctum inferiorem Filio in sanctis quibusque versari. Atque hoc ordine majorem Patris fortitudinem esse, quam Filii, et Spiritus sancti; et consequenter ipsius sancti Spiritus majorem esse virtutem cæteris, quæ sancta dicuntur. » Deinde sub finem epistolæ : « Et qui in alio loco Filium, et Spiritum sanctum non vult de Patris esse substantia, ne divinitatem in partes secare videatur, naturam omnipotentis Dei angelis hominibusque largitur. »

Ad hæc epistola LXI *ad Pammachium*, adversus errores Joannis Hierosolymitani, hæc de libris περὶ ἀρχῶν est dicere, (verba ponit Origenis: « sicut enim incongruum, quod possit Filius videre Patrem; ita inconveniens est opinari, quod Spiritus sanctus possit videre Filium. » Et paulo post Origenis errores Joanni objectos, nec ab eo purgatos referens, « Prima, inquit, illa blasphemia, quod nec Filius Patrem, nec Filium potest videre Spiritus sanctus, quibus a te telis confossa est? » Sic in epistola LV *ad Pammachium, et Oceanum*, detestandam illam vocat expositionem Origenis « in lectione Esaiæ, in qua duo Seraphim clamantia describunt illo interpretante Filium, et Spiritum sanctum. » Et in *Apol.* II *contra Ruff.* : « Probo ego inter multa Origenis mala hæc maxime hæretica: Dei Filium creaturam, Spiritum sanctum ministrum. » Quinetiam Origenes ipse tomo II *in Joannem*, Spiritum sanctum per Verbum esse factum asserit, eo quod universe scriptum sit, « Omnia per ipsum facta sunt. » Alioqui dicendus erit ingenitus, nisi factum esse putemus a Filio.

De principiis.

IX. Sed hæc, et hujus generis alia ab Arianis intexta fuisse Origenianis commentariis, aliqui suspicantur[2]; quod equidem non arbitror. Nam et de sanctissima Trinitate ac personarum trium æqualitate, non satis cum catholice statuisse ex his patet, quæ antea de ejus scriptis adduximus; et quod ad illum, de quo agitur modo, Spiritum sanctum attinet, gravem testem habemus sanctum Basilium lib. *de Spiritu sancto* cap. XXIX, qui formulam istam concipiendæ personæ tertiæ σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι Origenis auctoritate[b] eo libentius approbat, « quod is alioqui de Spiritu sancto

Cum sancto Spiritu.

* Hæc si conciliari posse, uti optime posse monet Petavius, animadvertisset Beausobrius, nec ille in historia Manichæismi tom. I, lib. I, cap. II, non redarguisset Epiphanium, quod Simonem Helenæ suæ Spiritus sancti nomen tribuisse scripsit, cum cæteri Patres Simonem semet eo nomine compellasse adfirment. Confer eruditissimum P. Travasam in *Historia critica Simonis Magi*, p. 75, seqq.
F. A. Z.

1 Epiph. Hær. LXIV. num. 4. — 2 Genebr. init. oper. Orig.

non sana ab omni parte dogmata tueatur[a]. »

Tum vero sancti Hieronymi, Epiphanii cæterorumque Patrum, qui Origenis libros diligenter legerant, et eum pessime de Trinitate sensisse prodiderunt, magni a me, pro eo ac debet, fit auctoritas. Quin ipse Didymus Alexandrinus summus Origenis admirator, in *Apologetico,* quem pro eo edidit, fassus est ita revera scripsisse Origenem; sed sensum verborum, quæ hæretica videbantur, aliter edisseruit cum ex adverso Eusebius in *Apologeticis* suis, tam verba ipsa, quam sensa, ad Arianorum, cui favebat, errorem ac sententiam accommodata defenderet, ut testatur Hieronymus, epist. LV, *ad Pamm.et Ocean. de erroribus Orig.* « Quis prudentior, ait, doctior, eloquentior Eusebio et Didymo assertoribus Origenis inveniri potest? quorum alter sex voluminibus τῆς ἀπολογίας ita eum, ut se, sensisse confirmat; alter sic ejus errores nititur excusare, ut tamen illius esse fateatur, non scriptum negans, sed sensum scribentis edisserens. » Etenim de Trinitate, ac nominatim de Spiritu sancto recte Didymus existimavit, ut ex ejus libris colligitur, quos Latine reddidit Hieronymus. Quare, quæ apud Origenem secus dicta reperiebat, ea ut Origenis esse germana non negabat, sic aliter, quam præ se ferebant, interpretari studebat. Eusebius vero impietatis Arianæ signifer, cum verba ipsa, tum sententias, suæ, hoc est Arianæ consentaneas perfidiæ, libenter amplexus est. Quæ res argumento sit, ista ipsa, quæ in Origenis scriptis offensionem habebant, ab illo esse profecta, ejusque germana, non aliena et ab hæreticis inserta; quod posteriores Origenistæ causari solebant, et inter hos Ruffinus, qui in calce *Apologetici* copiose illud asserit. Hieronymus vero in epist. LV, *ad Pammach. et Oceanum*, et in utroque *Apologetico*, quem contra Ruffinum edidit, hanc ejus tergiversationem plena gravitatis oratione confutat. Ac profecto si sic divinando fas sit Origenem excusare, « Hac defensionis perturbatione, ait in *Apolog.* II, nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius accusari poterunt; quia quidquid nos ab his impie dictum objecerimus, discipuli respondebunt, non a magistris suis ita esse editum, sed ab inimicis esse violatum.

Apologiæ.

X. Atque ut reliqua Origenis dogmata seponam interim, deque eo, quod agitur modo, Trinitatis mysterio disputem, non est dubium, quin nefaria de eo fuerit illius opinio, præsertimque de Spiritu sancto. Cujus ex eo fieri conjectura potest, quod illius studiosissimus Eusebius, Spiritum sanctum non esse Deum, sine fuco et ambage scripserit. « Paracletus autem Spiritus, ait, neque Deus est, neque Filius[b]. » Paulo vero antea docuerat illum a Filio esse factum, eodem, quo Origenes, usus argumento; quia *Joannis* primo scriptum est, « omnia per ipsum esse facta. » Deinde testis est Hieronymus in *Apologeticis* duobus *contra Ruffinum*, Eusebium in eo opere, quod pro Origene, suo, et Pamphili martyris nomine, conscripsit in sex distributum libros, quædam contra Filium, et Spiritum sanctum blasphema posuisse; quæ Ruffinus, in opusculum suum multa de iis libris transferens, quia sciebat Romanis auribus displicitura, sustulit. Quod ut plenius intelligatur, ac de Origenis et Eusebii sententia, deque Ruffini fraude, et ejusdem librorum Origenis depravatione constet, pauca de *Apologeticis* istis explicari necesse est.

Nefarie de Trinitate sensit Origenes.

XI. Eusebius Cæsareensis Pamphili martyris contubernalis, et in paucis familiaris, nec minus Origeni addictus, sex pro eo libros elucubravit suo, ac Pamphili martyris nomine, in quibus, quæ contra Origenem ejusque doctrinam objici solebant, conatus est diluere, ipsumque in omnibus probare esse catholicum. « Sex libros, ait Hieronymus, Eusebius Cæsariensis, Arianæ quondam signifer factionis, pro Origene scripsit, latissimum et elaboratum opus; et multis testimoniis approbavit, Origenem juxta se catholicum, hoc est juxta nos Arianum esse[1], » etc. Legendum puto, *juxta se Arianum.* Horum librorum meminit Photius num. 118, ac priores quinque scribit præ se ferre, ab Pamphilo, cum in vinculis esset, præsente, et allaborante Eusebio, elucubratos esse; sextum vero post Pamphili martyrium, ab Eusebio solo esse scriptum. Ex his libris postea quispiam separatim aliqua selegit, et, additis nonnullis, Apologiam confecit Origenis, quam Latino sermone interpretatus est Ruffinus, eaque inter Origenis opera exstat, libris περὶ ἀρχῶν subjecta. Hieronymus ep. LXV *ad Pammach. et Oceanum* docet, in hoc opus de sexto Eusebianorum illorum ad mille fere versus esse translatos, « Sexti, inquit, libri Eusebii super Origenis

Historia *Apologiæ* sub nomine Pamphili editæ.

De principiis.

a Basil. Ἄνδρα οὐδὲ πάνυ τι ὑγιεῖς περὶ τοῦ πνεύματος τὰς ὑπολήψεις ἐν ἅπασιν ἔχοντα.

b Euseb. V. *cont. Marcel.* cap. VI. Τὸ δὲ παράκλητον πνεῦμα οὔτε θεὸς, οὔτε υἱός.

1 Hieron. *Apol.* I *cont. Ruff.* col. 725.

defensione principium, usque ad mille ferme versus, liber iste, qui Pamphili dicitur, continet. Et in reliquis scriptor ejusdem operis profert testimonia, quibus nititur approbare Origenem fuisse catholicum. « At in *Apol.* I *cont. Ruff.* indicat, ex primo libro sex Eusebianorum sumptum esse *Apologeticum* illum inscriptum Pamphilo. Nam post illa, quæ paulo ante descripsimus, « Horum tu primum, ait, librum vertis sub nomine Martyris, » etc. In quo satis sibi non constat Hieronymus. Ac videtur posterius istud magis esse verum, ut de primo sit expressus *Apologeticus* ille singularis, Latinus a Ruffino factus. Hoc enim asseverantius ibidem confirmat Hieronymus, dum ita disputat : « Si iste Pamphili liber est, de sex libris, quis erit primus Eusebii? In ipso volumine, quod tu Pamphili simulas, sequentium librorum facta mentio est. In secundo quoque, et reliquis dicit Eusebius, quod in primo libro jam ante dixerat, et quod eadem repetere non debeat. » Præterea *Apologeticus* idem a Ruffino translatus, quem

De principiis. libris περὶ ἀρχῶν subjectum esse demonstravimus, initium operis potius, quam postremum ejus librum videtur exprimere. In eo porro nihil fere, præter Origenis loca, continetur, ex ejus translata libris, quibus suaderi possit, minime ipsum ab fide catholica dissidere; perpauca vero ex Pamphili persona identidem inseruntur. Igitur primi libri sex Eusebianorum principium aliquis excerpserat; et, quibusdam ei additis, separatum confecerat librum *Apologeticum*. Idem etiam, quæ in Eusebiano illo principio Arianam redolebant impietatem, exemerat. Cujus auctorem lucubrationis fuisse Didymum suspicatur Hier. epist. LXV. « Eusebius, inquit, et Pamphilus, tantam inter se habuere concordiam, ut unius animæ homines putes, et ab uno alter nomen acceperit. Quomodo igitur inter se dissentire potuerunt, ut Eusebius in toto opere suo Origenem Ariani probet dogmatis, et Pamphilus Nicænæ synodi, quæ fuit postea, defensorem? Ex quo ostenditur, vel Didymi, vel cujuslibet alterius esse opusculum, qui, sexti libri capite detruncato, cætera membra sociarit. » At idem in *Apologetico* I, mutationem illam quorumdam locorum Ruffino ipsi tribuit : « Paucisque testimoniis, inquit, de Filio Dei, et Spiritu sancto commutatis, quæ sciebas displicitura Romanis, cætera usque ad finem integra dimisisti ; hoc idem faciens in apologia quasi Pamphili, quod et in Origenis περὶ ἀρχῶν translatione fecisti. » Credibile est, quod hic narrat Hieronymus, Ruffinum ea detraxisse, quæ hæresim saperent, maxime omnium fere judicio damnatam Arianam Macedonianamque.

XII. Atqui non solus Ruffinus, quæ ex libris Eusebii transcripserat, ut novum *Apologeticum* sub nomine Pamphili cuderet, immutavit; sed etiam alii post Ruffinum Latinam ejus interpretationem castigasse videntur. Nam nonnulla in isto Pamphili *Apologetico* hæretica relicta, Hieronymus asseverat, quæ in vulgato minime reperiuntur. « Quamvis, ait, de Eusebii libro multa subtraxerit, et in bonam partem de Filio, et Spiritu sancto nisus sit commutare ; tamen multa in illo scandala reperiuntur, et apertissimæ blasphemiæ, quæ iste sua negare non poterit, catholica esse pronuntians. Dicit Eusebius, imo, ut tu vis, Pamphilus in isto volumine, Filii, et Patris ministrum spiritum sanctum non de eadem Patris Filiique substantia, » etc., quæ in eo *Apologetico,* qui exstat, non leguntur. Imo plane diversa, et omnino catholica illic est de Trinitate, deque personarum trium æqualitate professio. Spiritum vero sanctum nominatim Patri, et Filio æqualem esse dicit; creaturam esse disertissime negat. Nec minus ista sublata sunt, quæ in eodem *Apologetico* Latino Ruffinus ediderat, Origenis germana de dæmonum restitutione pristinum in statum, in quo angelis erunt, hominibusque pares ; « Et multa, inquit Hieronymus, alia tam impia, et nefaria, quæ etiam replicare sit criminis. » Nam quod ad istud Origenianum maxime pertinet dogma, *animas hominum lapsas esse de cœlo;* quod eodem in libro scripsisse Pamphilum docet Hieronymus, non id asseveranter ibi dicitur, sed in utramque partem argumenta promuntur sub *Apologetici* finem. Ex quibus evidens est, quod idem testatur Hieronymus, multa Ruffinum de Eusebii libro subtraxisse; sed de ipsa quoque Latina illius interpretatione haud pauca fuisse sublata, sive hoc Ruffinus ipse fecerit, Hieronymi et aliorum querelas non sustinens, sive posteriores aliqui catholici emendanda putaverint, quæ ab Ecclesia damnata esse cognorant. Sane pessimi consilii res ista fuit, quam in Origenis et Eusebii monumentis Ruffinus instituit, auctor valde futilis, ut supra demonstravi; nec illos porro laudare possum, si qui Latinum Eusebii *Apologeticum* post interpretem Ruffinum interpolare non sunt veriti.

Igitur in illo, qui hodie superest, *Apologetico* pseudo-Pamphili, revera Eusebii, non

solum de Filio, sed etiam de Spiritu sancto integra, et catholica sententia est; quam ab Eusebii mente, præsertim quod ad hunc attinet, alienissimam esse constat. Ea vero ex

Periarchon.

lib. I περὶ ἀρχῶν, cap. III, describitur, non Origenis germano, sed cujusmodi ab Ruffino est editus. Quocirca Spiritum sanctum Deum non esse, sed meram creaturam impius sensit Eusebius; idque ab Origene magistro suo didicit.

Alii Origeniani erroris contagione afflati. Dionysius Alexandrinus.

XIII. Origeniani contagione erroris afflatus videtur Dionysius Alexandrinus, vir alioqui sanctus non minus, quam eruditus, quem Basilius testis est de Spiritu sancto non sanam, et catholicam opinionem habuisse[1], in apologetica illa epistola, quam scripsit ad cognominem Dionysium Romanum Pontificem. « Hunc enim ab adorandæ deitatis consortio segregasse, et creatæ ac servili naturæ annumerasse fertur[a]. »

Pierius.

Pierius quoque presbyter Alexandrinus, et Pamphili martyris præceptor, cum de Patre, ac Filio nihil alienum a catholica regula doceret, in Spiritu sancto non perinde pietatem approbavit suam, quem utroque illo inferiorem esse gloria putavit, ut auctor est Photius[2]; ut non a vero alienum sit, idem et discipulo ejus Pamphilo persuasum fuisse, nondum ea re satis Ecclesiæ judicio constituta. Nam Pamphilus ipse nullam omnino ulla de re litteram fecit, ut ex Eusebii testimonio probat Hieronymus; etsi Ruffini fraude deceptus olim, cum librum *de Scriptoribus ecclesiaticis* ederet, putaverit *Apologeticum* Origenis, quem sub nomine Pamphili Ruffinus ediderat, revera opus esse martyris; quod in secundo contra Ruffinum *Apologetico* queritur Hieronymus.

Eusebius.

Eusebius certe Pamphili amicissimus, ejusque discipulus, creaturam esse Spiritum sanctum sine ulla cunctatione docuit, ut supra probavi. Quinetiam in libro quinto *de Demonstratione*, capite quarto[3], Christum ait non solum Davidis esse dominum, sed etiam Spiritus sancti, adeoque multo magis angelorum, et creatarum rerum omnium[b]. Quod eodem tempore Arius quoque Eusebii æqualis et familiaris defendit. Creatum enim dixit a Filio Spiritum sanctum, creaturæ esse creaturam, ut scribit Epiphanius in illius hæresi[4]; et Ambrosius libro *de Symbolo*, capite secundo, Augustinus in libro *de Hæresibus*, capite sexagesimo nono.

XIV. Quanquam hoc de Spiritu sancto palam, et conceptis verbis Arius initio docuisse non videtur, sed de solo Filio impium dogma vulgasse. Nam nec in illius epistolis ac libellis ulla fit mentio Spiritus sancti; nec in Alexandri de eo litteris, quibus hæresim omnem istorum, causamque, cur eos damnarit, explicat; ac denique, quod argumentum firmissimum est, Nicæna synodus de Spiritu sancto nihil præcipuum sanxit, nec ejus divinitati cavit, quemadmodum Filii. Cujus rei hæc a Patribus ratio redditur, quam postea commemorabimus, quod nihil tum necésse erat de Spiritus sancti divinitate definire aliquid, de qua nulla erat adhuc commota quæstio. Quocirca suspicor Arium principio de solius Filii divinitate contendisse, postea vero privatis in colloquiis ac disputationibus, cum ab catholicis urgeretur, et de Spiritu sancto identidem injecta esset mentio, etiam de hoc mentem aperuisse suam. Etenim quibus ille moveri se argumentis asserebat, ut creatum esse diceret Filium, ea multo de Spiritu sancto concludebant magis, cum nemo adeo desipuerit hæreticus, ut Filio anteponeret Spiritum. Verum catholici Patres in prius illud, et ab auctore ipso vehementius ac manifestius explicatum nefariæ dogma hæresis intenti, de solo Filio publicum et apertum certamen instituerunt; donec Arii discipuli contra Spiritus sancti divinitatem liberius, ac palam insanire cœperunt; quod primum Aetius, et ejus discipulus Eunomius, a quo Anomœi orti sunt, deinde Macedonius, et qui Pneumatomachi proprie appellabantur, aggressi sunt. Basilius certe in epistola LXXVIII scribit Nicænos Patres nihil expressius attigisse de Spiritu sancto, quod nondum ista commota fuisset quæstio; « Paulatim vero progressum habuisse mala impietatis semina, quæ antea ab auctore illius hæresis Ario jacta, ab iis deinde, qui ipsius propugnanda dogmata male susceperant, ad Ecclesiarum perniciem nutrita sunt [c].»

Probabile Arium Spiritum negasse æque ac Filium.

a Basil. Πρὸς δὲ τούτοις, περὶ τοῦ πνεύματος ἀφῆκε φωνὰς, ἥκιστα πρεπούσας τῷ πνεύματι, τῆς προσκυνουμένης αὐτὸ θεότητος ἐξορίζων, καὶ κάτω που τῇ κτιστῇ καὶ λειτουργῷ φύσει συναριθμῶν.

b Euseb. Μονονουχὶ ἑρμηνεύων τὴν λέξιν, ὡς οὐ μόνον τοῦ Δαβὶδ κύριον αὐτὸν ἀναγορεύουσαν, ἀλλὰ γὰρ καὶ τοῦ ἐν προφήτῃ πνεύματος, etc.

c Basil. Κατὰ μικρὸν δὲ προϊόντα τὰ πονηρὰ τῆς ἀσεβείας σπέρματα, ἃ πρότερον μὲν ὑπ' Ἀρείου τοῦ προστάτου τῆς αἱρέσεως κατεβλήθη, ὕστερον δὲ ὑπὸ τῶν τὰ

1 Basil. epist. XII. — 2 Phot. cod. 11. — 3 pag. 139 edit. Gr. — 4 Epiph. Hær. LXIX, n. 52 et 56.

XV. Supra, cum de Arianæ factionis divortio sermonem faceremus, duo illam in primaria capita scissam esse demonstravimus: alterum eorum, qui dissimilem Patris esse Filium dicerent, et factum a Patre creatumque defenderent; cujusmodi Aetiani et Eunomiani, atque etiam Eudoxiani ab Eudoxio Antiocheno Aetii fautore dici consueverant: alterum eorum, qui similem per omnia Patris Filium esse docerent; hoc est ὁμοιούσιον, non tamen creaturam, saltem diserte ac palam asseverabant; atque hos Semiarianos vulgo nuncuparunt. Ex horum genere fuisse diximus Eusebium Cæsariensem, ac cum alios complures, tum Macedonium Constantinopolitanum episcopum. Hunc vero primum, ait Socrates [1], auctorem fuisse vocis τοῦ ὁμοιουσίου libere ac propalam usurpandæ; etsi quidam Marathonium, Nicomediæ qui fuerat episcopus, architectum istius appellationis faciant, a quo etiam Marathonianorum nomen secta ista consecuta est. Utriusque communis in Spiritum sanctum perfidia fuit. Nam priores, qui creaturam vocare non dubitabant Filium, multo magis in idem nomen et rem nominis includebant Spiritum sanctum. « Quid enim mirum, ut Hilarii verbis utar, si de Spiritu sancto diversa nunc sentiant, qui in largitore ejus et creando, et demutando, et abolendo tam temerarii sunt auctores [2]?» Posteriores, ut in Filio paululum ab iis diversi, quem similem Patri per omnia profitebantur, ita Spiritum sanctum a communione divinitatis excludebant; ac nonnulli quidem creatum esse contendebant, alii paulo pudentiores, creaturæ nomen abjudicabant. Scribit enim Socrates, Eustathium Sebastenum, qui ad Macedonii, et Marathonii sectam adhæserat, Spiritum sanctum « neque Deum appellare voluisse, neque creaturam ausum esse dicere [a]; » cujusmodi erroris meminit Nazianz., orat. XXXVII, et Basilius, epistola CCLXV, et Cyrillus, dialogo septimo *de Trinitate*. Epiphanius vero, hær. LXXIV, auctor est quosdam ex illis sancti Spiritus oppugnatoribus de Filio recte ac catholice sensisse, qui quidem Spiritum sanctum Patri, et Filio, in pronuntianda Trinitate, annumerare nolebant; quod etiam testatur Athanasius in epistola *ad Serapionem*, qui ipsos refert creaturam appellasse Spiritum sanctum, et ab angelis solo distinxisse gradu.

Similis substantiæ.

XVI. Quocirca mirum est, quod apud Epiphanium in hæresi LXXIII, quæ est *Semiarianorum*, in synodica epistola legitur, quam ex Ancyrano conciliabulo, cui Basilius ejus urbis episcopus præsedit, iidem hæretici miserunt: Spiritum sanctum non esse creaturam. Sic enim scribunt: « Credidimus igitur in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non in creatorem, et creaturam. Aliud enim est creator, et creatura; aliud Pater, et Filius [b].» Cum hic asserant non se credere in creatorem et creaturam; et tamen in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum credere, manifestum est, e numero creatarum rerum eximi Spiritum sanctum. Verum magnopere suspicor, voces istas καὶ ἅγιον πνεῦμα temere a quopiam insertas fuisse, ac Semiarianos solius Patris ac Filii mentionem fecisse. Cujus rei ex sequentibus argumentum ducitur. Nam de Spiritu sancto deinceps tacent omnino, cum de Patre, ac Filio multa disputent, et in solis Patris ac Filii nominibus insistunt, ut ab iis creatoris, et creaturæ suspicionem arceant. Denique catholici plures, cum Deum esse, et æqualem Patri ac Filio Spiritum sanctum crederent, de solo nomine, ac loquendi formulis repugnabant; contra quos sanctus Basilius peculiari *de Spiritu sancto* libro disputat, et Gregorius Nazianz. orat. XLIV, *de Pentecoste*, nosque postmodum agemus.

Et sanctum Spiritum.

XVII. Cum autem de Spiritus sancti divinitate non minus Ariani et Arianorum perditissimi Anomœi impie statuerent, quam Semiariani, et Macedoniani, imo vero impudentius illi, quam isti, creaturam esse defenderent; nihilominus Pneumatomachorum vocabulum horum posteriorum peculiare usus effecit, ut ex Epiphanio, Theodoreto, Socrate aliisque constat. Cujus rei causam fuisse hanc interpretor, quod priores, cum de Filio, perinde ut de Spiritu sancto, nefarie sentirent ac loquerentur, non erat singularis eorum in sanctum Spiritum perfidia, ideoque ab eo fidei capite, quod potissimum impugnabant, hoc est ab impietate in Filium, sectæ nomen

Cur Semiariani præ Arianis et Macedonianis Pneumatomachi appellati.

ἐκείνου κακῶς διαδεξαμένων, ἐπὶ λύμῃ τῶν ἐκκλησιῶν ἐξετράφη.

a Socrat. lib. II, cap. XLV. Ἐγὼ, ἔφη, οὔτε Θεὸν ὀνομάζειν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, αἱροῦμαι, οὔτε κτίσμα καλεῖν τολμήσαιμι.

1 Socr. lib. II, cap. XLV. — 2 Lib.

b Epiph. Hær. LXXIII, num. 3. Ἐπιστεύσαμεν οὖν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὐκ εἰς κτίστην, καὶ κτίσμα. ἄλλο γάρ ἐστι κτίστης, καὶ κτίσμα, ἄλλο πατὴρ, καὶ ὁ υἱός.

illis est inditum. At posteriores, cum de Filii divinitate vel minus, quam isti, perdite, vel etiam recte aliqui judicarent, solius vero personam Spiritus sancti ad apertam blasphemiam sceleratæ professionis exciperent, ab ea, quam vel unicam, vel insigniter tuebantur, hæresi, nomen acceperunt.

Gregorius Nazianzenus orat. XXXVII, quæ est *de Spir. sancto,* mirificam earum opinionum varietatem affert, quæ de Spiritu sancto ætate sua prodierant. «Nam alii ἐνέργειαν meram, id est efficientiam esse dicebant; alii creaturam; alii Deum; alii, cuinam attribuendus generi esset, ignorabant, sacras, ut aiunt, Litteras veriti, quæ nihil super hac re expressum haberent. Itaque nec venerabantur ipsum, nec dehonestabant, medium quiddam obtinentes.» Subjicit his aliquorum sententiam, « qui tria quidem intelligi fatentur, sed ita disjungunt invicem, ut unum eorum et substantia, et potestate infinitum statuant, alterum potestate, non substantia, postremum utroque circumscriptum, alio modo illos imitati, qui opificem, et adjutorem, et ministrum nominant[a].» Basilius quoque cap. XX libri *de Spir. S.* illos refellit, et irridet, qui Spiritum sanctum neque servum aiebant esse, neque dominum, sed liberum. Apollinarem item Nazianzenus refert Spiritui sancto divinitatis nomen ita concessisse, ut rem nomini subjectam adimeret; quod videlicet gradum in Trinitate magni, majoris, et maximi constitueret, ut ante meminimus[1].

Synodus Alexandrina prima omnium Spiritum sanctum Deum habendum decrevit.

XVIII. Prima omnium synodus, Spiritum sanctum Deum habendum esse nominatim decrevit Alexandrina, præside Athanasio celebrata post Constantis obitum, ut ex illius synodica epistola constat, quæ est apud Athanasium, ad Antiochenos scripta, refertque Socrates libro tertio, capite septimo. Damnarunt enim anathemate illos omnes, qui Spiritum sanctum creaturam esse dicerent, ac sanctam Trinitatem pronuntiarunt unius esse deitatis, et Spiritum sanctum non creaturam esse, neque alienam a Patris et Filii substantia. Quod deinceps dogma clarius, ac disertius in Ecclesia vulgatum est, postquam Macedoniani, aliique Pneumatomachi aperte in illum insanire cœperunt.

Scribit Theodoretus[2], Valentinianum primum imperatorem, cum audisset quosdam in Asia, et Phrygia de religionis dogmate perversas opiniones serere, hoc est de Trinitate, ac nominatim de Spiritu sancto, ut ex epistola synodica constat, episcoporum concilium in Illyrico fieri jussisse; quod Nicænam professionem confirmavit, ac synodicas litteras ad Asianos misit, quas imperator scriptæ a se ad eosdem epistolæ subjecit. Ex quibus apparet præcipuum de divinitate Spiritus sancti, et ejus cum Patre, ac Filio consubstantiali natura, quæstionis errorisque caput exstitisse. Ideo consubstantialem esse sanctam Trinitatem, ac nominatim Spiritum sanctum a Patre Filioque divellendum non esse, Patres statuunt.

Hujus synodi tempus perperam Theodoretus reddidit, ex eoque *Tripartitæ* auctor Epiphanius[3]. Nam post Ambrosium ad Mediolanensem cathedram evectum posuit; qui anno Christi iniit CCCLXXIV, Romæ sedente Damaso cujus initium cadit in annum CCCLXVII. Melius Nicephorus Callixti, Illyricianam synodum sub Liberio Papa celebratam asserit[4].

Idem statuit synodus Illyriciana.

Litteræ imperatoriæ, quibus synodale fidei decretum, synodalesque subjectæ sunt litteræ, Valentiniani, Valentis, et Gratiani Augustorum habent nomina apud Theodoretum; apud Nicephorum Valentiniani, et Gratiani. Ita jam tum Augusta dignitate præditus erat Gratianus, quando et Liberius præerat, et Illyriciana synodus est habita. Quod ipsum necesse est cadere in annum Christi CCCLXVII. Hoc enim anno, ut refert Idatius in *Chronico*, Gratianus apud Ambianos in Galliis Augustus est renuntiatus a patre Valentiniano, die IX calend. Septemb. hoc est Augusti mensis die XXIV. Post dies autem sexdecim, sepultus est Liberius Papa, nempe 5 id. Sept. qui nonus est mensis dies, ut in libro Pontificali legitur. Quare hoc intervallo circiter data videtur Va-

a Greg. Naz. Orat. XXXVII. Τῶν δὲ καθ' ἡμᾶς σοφῶν, οἱ μὲν ἐνέργειαν τοῦτο ὑπέλαβον, οἱ δὲ κτίσμα· οἱ δὲ θεόν· οἱ δὲ οὐκ ἔγνωσαν ὁπότερν τούτων, αἰδοῖ τῆς γραφῆς, ὡς φασὶν ὧν (ὡς) οὐδέτερον σαφῶς δηλωσάσης. καὶ διὰ τοῦτο οὔτε σέβουσιν, οὔτε ἀτιμάζουσιν μέσως πως περὶ αὐτοῦ διακείμενοι.

Mox : Οἱ τρία μὲν εἶναι καθ' ἡμᾶς ὁμολογοῦσι τὰ νοούμενα, τοσοῦτον δὲ ἀλλήλων διέστησαν, ὡς τὸ μὲν καὶ οὐσίᾳ, καὶ δυνάμει ποιεῖν ἀόριστον· τὸ δὲ δυνάμει μὲν, οὐκ οὐσίᾳ δὲ, τὸ δὲ ἀμφοτέροις περιγραπτόν· ἄλλον τρόπον μιμούμενοι τοὺς δημιουργὸν, καὶ συνεργὸν, καὶ λειτουργὸν ὀνομάζοντας.

1 Nazianz. Orat. I. *ad Cledon.* in fine — 2 Lib. IV *Hist.* cap. VII et seq. — 3 *Histor. Tripar.* lib. VII cap. IX et — 4 Lib. XI, cap. XXX.

lentiniani, et Gratiani imperatorum epistola. Sozomenus Illyricianæ illius synodi non meminit[1]; sed Liberio Pontifice refert « controversiam incidisse, an etiam Spiritus sanctus Patri, et Filio consubstantialis esset habendus; deque ea re non minores altercationes ortas esse, quam de Deo Verbo antehac exstitissent, cum in hoc ipso consentiret inter se, qui dissimilem substantia, et qui similem volebant esse Filium. Nam utrique administrum, et tertium ordine, et honore atque substantia diversum affirmabant esse Spiritum; quicumque vero consubstantialem Patri opinabantur esse Filium, eadem et de Spiritu sentiebant[a].» Sed hæc postrema vera non esse postea monstrabimus. Nam quidam fuerunt, qui Filium consubstantialem putantes esse, idem de Spiritu judicium non fecerunt. Pergit vero Sozomenus, et « de ea quæstione Romanum Pontificem certiorem factum ait, cum Occidentalibus episcopis ad Orientales scripsisse, ut Trinitatem colerent ejusdem substantiæ ejusdemque gloriæ. Quo perfecto, tanquam re semel ab Romana Ecclesia dijudicata, singulos acquievisse atque hunc in modum controversiam istam terminatam esse[b].»

Necnon decreta Pontificum.

XIX. Brevi post tempore Damasus Papa ab episcopis Galliæ ac Venetiæ monitus de Auxentio Mediolanensi episcopo Ariano, hunc Ariminense fidei decretum præ se ferre ac tueri, nec assentiri Illyricianæ illi professioni de Spiritu sancto, Romæ concilium habuit, ex quo ad Illyricianos episcopos epistolam misit, qua et Ariminensem fidei damnavit formulam, una cum Auxentio, et Spiritum sanctum unius esse cum Patre ὑποστάσεως, id est *substantiæ* statuit. Quod ex Theodoreto[2], ac Nicephoro[3] didicimus.

Rursus idem Damasus in alia Romana synodo, quam contra Apollinarem habuit, plenius ac manifestius divinitatem sancti Spiritus, et æqualem cum personis reliquis dignitatem ac potestatem exposuit; de quo epistolam fecit ad Paulinum Antiochenum episcopum, quæ exstat apud Theodoretum[4].

Nonnulli tamen cæteroqui catholici per idem tempus, Spiritum sanctum palam aperteque Deum nominari non sinebant, et qui vocare sic auderent, eis tanquam catholicæ fidei inimicis obstrepebant. Alii, etsi Deum esse non dubitarent, pacis et concordiæ studio, ac ne malevolos istos offenderent, publice id minime profitebantur. Priorum istorum sæpe meminit Basilius; ut in libro *de Spiritu sancto*, cujus argumentum ex illa hominum factione præcipue sumptum est; et in epistola CXLI. Posterioris vero generis fuit aliquando Basilius ipse; quod luculento testimonio Gregorius Nazianzenus asserit in *oratione* illius *funebri*[5]; ubi quosdam refert insidiatos esse Basilio, ac publicos ejus sermones diligenter observasse, utrum Deum esse Spiritum sanctum nominatim diceret, ut ejiciendi illius e sede sua occasionem inde caperent. « Illi, inquit, nudam et apertam vocem de Spiritu sancto, quod Deus esset, arripere studebant (quod quidem, tametsi verum erat, impium tamen illis, atque improbo impietatis antistiti videbatur) ut eum quidem cum theologica lingua civitate pellerent, ipsi autem Ecclesiam occuparent[c]. »

Plures catholici aperte Spiritum Deum non profitebantur.

XX. Horum ut conatus eluderet Basilius, appellatione quidem Dei, cum de Spiritu sancto ageret, prudenter abstinuit; rem tamen ipsam disputando argumentandoque sic probavit, ut adversarios constringeret, et ad incitas redigeret, non sine præfatione veniæ, quam ab catholicis petiit, ut pacis, et otii studio interim liceret sibi Dei nomen supprimere, cum de re ipsa constaret. Quinetiam Gregorio Nazianzeno amicorum intimo eas partes mandavit, ut, quominus propter obscuritatem invidiæ patebat, Spiritus sancti

Quin et ipse Basilius.

a Sozom. Ἐν τούτῳ δὲ πάλιν ἤδη μὲν πρότερον ἀρξαμένη, νῦν δὲ πλεῖον ἐπιδοῦσα ζήτησις ἦν, εἰ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα πατρί τε καὶ υἱῷ ὁμοούσιον δοξάζειν προσῆκεν· ἐριστικαί τε καὶ περὶ τούτου πολλαὶ διαλέξεις οὐχ ἧττον ἢ πρότερον περὶ τοῦ θεοῦ λόγου συνέβησαν. κατὰ τοῦτο δὲ ἀλλήλοις συνεφέροντο οἵ τε ἀνόμοιον καὶ ὁμοιούσιον τὸν υἱὸν εἶναι λέγοντες. ἀμφότεροι δὲ διακονικὸν, καὶ τρίτον τῇ τάξει, καὶ τῇ τιμῇ, καὶ τῇ οὐσίᾳ ἀλλοῖον τὸ πνεῦμα ἰσχυρίζοντο, ὅσοι δὲ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ἐδόξαζον, τὰ αὐτὰ καὶ περὶ τοῦ πνεύματος ἐφρόνουν.

b Ibid. Ἀνακινουμένης δὲ τῆς τοιαύτης ζητήσεως, καὶ, ὡς εἰκὸς, τῆς φιλονεικίας ὁσημέραι πλέον ἐπιδιδούσης, μαθὼν ὁ Ῥώμης ἐπίσκοπος ἔγραψε ταῖς ἀνὰ τὴν ἕω ἐκκλησίαις, σὺν τοῖς ἀπὸ τῆς δύσεως ἱερεῦσι, τριάδα ὁμοούσιον, καὶ ὁμόδοξον πρεσβεύειν. τούτου δὲ γενομένου, ὡς ἐπὶ κεκριμένοις ἅπαξ παρὰ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας, ἡσυχίαν ἦγον ἕκαστοι, καὶ τέλος ἔχειν ἔδοξεν ἡ τοιαύτη ζήτησις.

c Nazianz. Οἳ μὲν ἐζήτουν λαβέσθαι γυμνῆς τῆς περὶ τοῦ πνεύματος φωνῆς, ὡς εἴη θεός· ὅπερ ὂν ἀληθὲς, ἀσεβὲς ἐκείνοις ὑπελαμβάνετο, καὶ τῷ κακῷ προστάτῃ τῆς ἀσεβείας· ἵνα τὸν μὲν τῆς πόλεως μετὰ τῆς θεολόγου γλώσσης ὑπερορίσωσιν, αὐτοὶ δὲ κατασχόντες τὴν ἐκκλησίαν, etc.

1 Lib. VI, cap. XXII. — 2 Lib. II *Hist.* cap. XXII. — 3 Lib. XI, cap. XXXI. — 4 Lib. I *Hist.* cap. X. — 5 Nazian. Orat. XX.

divinitatem palam profiteretur, ac publice, dum ipse tempora verens inimica pacis, et fidei catholicæ, rem, ut dixi, solam citra vocem usurparet. Hæc latissime in illa oratione prosequitur Gregorius. Enimvero diserte nonnunquam Deum esse Spiritum sanctum professus est Basilius; ut in epistola CXLI. « Confitendum, inquit, est Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum; quemadmodum divinæ Scripturæ, et qui sublimiora contemplati sunt docuerunt[a].» Tum postea non solum Deum illum nominat; sed eos etiam refellit, qui ab hoc vocabulo abstinendum putabant. Et in libro quinto *contra Eunomium* Deum esse colligit ex eo, quod et peccata condonat, et eamdem cum Patre ac Filio naturam habet atque efficientiam. Mitto innumerabilia loca, in quibus ea, quæ divinitatis unius propria sunt, Spiritui sancto dat; velut communiter adorari cum Patre, ac Filio; item non esse creaturam; quod in libro *de Spiritu sancto*, et in quinto *contra Eunomium*, et in epistolis LX, LXI, LXXVIII et CXLI demonstrat. Idem porro, ut a Pneumatomachorum secta quamplurimos ad Ecclesiam alliceret, ad Tarsenses presbyteros scribens[1], hortatur eos, ut qui ab illa hæresi transire ad catholicas partes voluerint, nihil ab iis amplius exigant, nisi ut creaturam esse negent Spiritum sanctum, etsi Deum aperte non nominent.

Constantin. conc. Spir. sanctum diserte Deum non appellat.

XXI. Minus hoc mirabimur, si meminerimus, ne ipsum quidem Constantinopolitanum concilium œcumenicum secundum, quod adversus Macedonianorum et Pneumatomachorum hæresim præcipue collectum est, Deum aperte in Symbolo suo nominasse Spiritum sanctum. Nam hoc unum de eo posuit, « *Et in Spiritum sanctum, Dominum, vivificantem, qui ex Patre procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur, et, conglorificatur.* » Atqui de Filio id, quod in Nicæno jam erat, usurpavit, « Deum de Deo. » Sed tantumdem videlicet putavit esse, « *Dominum* et *vivificum* appellare; tum « simul adorari cum Patre, et Filio » ipsum dicere, ac Deum expresse vocare [2]. In epistola vero synodica *ad Damasum*, Constantinopolitani isti Patres plura et disertiora loquuntur de divinitate Spiritus sancti, quam eamdem illi cum Patre ac Filio inesse statuunt, ut qui utrique consubstantialis et coæternus increatusque sit. Quibus consentanea sub idem tempus Romana decrevit synodus, præside Damaso[3]; cujus exstat fidei professio ad Paulinum Antiochenum edita, in qua Macedoniani damnantur, et Spiritus sancti divinitas plena professione sancitur.

Agemus de hac eadem divinitatis in Spiritu sancto professione, non satis apud antiquos explicata, rursus in libro tertio.

a BASIL. Δέον ὁμολογεῖν θεὸν τὸν πατέρα, θεὸν τὸν υἱὸν, θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς οἱ θεῖοι λόγοι, καὶ οἱ τούτων ὑψηλότερον νενοηκότες ἐδίδαξαν.

1 Epist CCIII. et CCCIV. — 2 Apud Theodoret. lib. IV, cap. IX. — 3 Ibid. cap. X.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE TRINITATE

LIBER SECUNDUS.

PROŒMIUM

Hæreticorum argumenta adversus catholicum de Trinitate dogma, et catholicorum ad ea responsa, eorumdemque pro vera fide argumenta complectens.

I. Exposita est superiore libro tam veterum quorumdam, alioqui catholicorum, quam hæreticorum, ac præsertim Arianorum minime catholica de Trinitate sententia. Eorum autem hæc fere dogmatis explicata ratio est ac summa : unicum simplicemque Deum esse, qui quidem vere sit appellatione ista dignus, hoc est singularem Dei esse personam; Filium vero secundi, et inferioris esse ordinis Deum, quem non æqualem et coæternum sibi, neque de essentia, vel substantia propria genuit Pater, sed solo voluntatis arbitrio produxit, antequam cœlum, ac terram creataque cætera de nihilo fabricaret, ut illud tanquam instrumentum haberet in promptu, quod ad molitionem reliquorum adhiberet. Proinde creaturam esse, sed creaturis excellentiorem cæteris, idque non tam naturæ conditione ac præstantia, quam voluntatis usu, ac virtute, dicebant, partim aperte, ac sine fuco, ut Arius ipse, et post Arium deterrimi omnium Anomœi, partim animo, ac sententia; quamvis præ se aliud sermone ferrent, ut quos Semiarianos propterea nominarunt, qui, ut summam rerum omnium, adeoque substantiæ cum Patre similitudinem tribuebant Filio, sic eamdem utriusque esse naturam, quod ὁμοούσιον exprimit, constanter negabant. Sunt enim certæ in divinis proprietates et characteres unicuique personæ congruentes, quibus invicem tres illæ discrepant.

II. Ex iis, quæ Patris propriæ sunt notæ, ἀγέννητον, et ἄναρχον esse, quod est *ingenitum*, et *principio carens*, eas isti non personæ alicujus, sed divinitatis ipsius, ac naturæ, substantiæque divinæ esse proprias volebant, ut, cum eas Filio non esse communicandas ultro faterere, quod erat consequens, inferrent, non eum vere proprieque esse Deum, sed Patre minorem, eique subjectum, ac natura substantiaque vel dissimilem, vel certe non æqualem. Hinc *bonum*, *sempiternum*, *perfectum*, *omnipotentem*, *verum Deum esse* Filium negabant, ut ait Ambrosius[1]; quippe quod unus in Scripturis bonus, verus, sempiternus, ac perfectus, et omnipotens Deus esse significetur, qui sit ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς, *eminens supra omnia Deus*, idemque Pater unigeniti Filii, atque Verbi. Sane in Aquileiensi concilio, in quo, præside sancto Ambrosio, convicti ac damnati sunt Palladius et Secundianus Ariani episcopi, hoc unum ad eos redarguendos institere catholici, ut *veri* ac *boni* confessionem de Filio ab illis extorquerent; quod tum sola Arii ageretur epistola, in qua boni ac veri proprietates uni adscribens Patri, abjudicare videbatur a Filio. Illud autem hæretici isti mira tergiversatione ac pertinacia detrectarunt, quod de *homousio*, quod etiam mirari subit, ne voce quidem ibi mentio fit. Atque hæc Arianorum de Filio, multoque magis de Spiritu sancto fuit opinio. Hunc enim vel illi ipsi, qui ex isto grege commodiores habiti sunt, inferiorem esse Filio putarunt, ac ne Dei quidem vocabulo dignati sunt, ut ex Eusebio Cæsariensi supra commemoravi. Quocirca omnes isti « gradibus meritorum Trinitatem variantes distrahunt, atque in pluralitatem deducunt, » ait Boetius lib. *de Trin.* Sabellianorum autem ut illi penitus opposita fuerit hæresis, non minus antecedenti disputatione cognitum est. Nunc adversus utramque secundus hic liber, nec non tertius, catholicas partes tuebitur ; ac primum argumenta refellet illa, quibus errori suo patrocinari sole-

1 Lib. I *de Fide*, cap. I.

bant, sive de Scripturæ prompta testimoniis, sine ratiocinando collecta; quæ sic a nobis explicanda sunt, ut antiquorum iis in refutandis rationes opinionesque varias singillatim referamus, ut, quid in unaquaque probabile, vel secus appareat, eruditus lector agnoscat. Ab hac contrariorum argumentorum eversione potius, quam veri probatione dogmatis, exordiri placuit; quoniam, ut recte Sœbadius Aginnensis ait, « Destruenda sunt aliena, ut nostris credatur; nostris autem, nisi ea fuerint destructa, ut solis credi debeat, nonnisi credendum video. » Atque ita faciendum esse, cum exemplo, tum sententia hac sua persuadet Aristoteles[1], quod et « contrariorum probationes, de contrariis dubitationes sint. Simul etiam magis erunt illa probabilia, quæ dicentur, si adversantium rationum momenta prius audierimus Ita enim minus indicta causa condemnasse videbimur [a]. »

Ab hæresi de trium inæqualitate personarum disputandi initium sumitur.

III. Quoniam autem vetustissima est illa de trium inæqualitate personarum, ac multiplici divinitatis gradu sententia, quam a Platonicis mutuati sunt antiquiores aliquot, qui Nicænam synodum antecesserunt; ideo nos ab illa hæresi disputandi sumemus exordium, quam ab Ario defensam et amplificatam fuisse libro superiore perspeximus.

Ac Sabellianorum quidem opinio nulla fere aut e sacris Libris, aut aliunde habet argumenta, quibus seipsam approbet, quæ sint ejus propria, ab iisque diversa, quibus Judæi, Muhammedani, ac similes pestes uti consueverunt, quibus in Deo singularitas ac solitudo placet, contra quos alias disputandi locus erit. Tum vero toto hoc in opere, quod de sanctissimæ Trinitatis mysterio agitur, cum et Filium Dei genitum a Patre, et personam ab eo esse diversam, et Spiritum sanctum ab utroque prodeuntem, alteram ac tertiam personam esse demonstrabimus, eadem opera Sabelliana ista perfidia convicta vi, ac luce veritatis sponte sua concidet. Quocirca hoc libro Arianos præsertim elegimus, in quibus oppugnandis, eorumque diluendis argumentis, quæ nonnullam habent speciem, cæterorum firmamenta labefactabimus : veterum exempla Patrum imitati, velut Athanasii, Basilii et Gregorii, « qui iisdem in disputationibus, quibus Arianam blasphemiam subvertebant, Sabellianam una complexi sunt, ac simili eam ruina prostraverunt, quod neque pluribus verbis opus haberet, ut quæ convinci facile posset, et ad paucos pervenisset, » ut ait Euthymius[2]. Quanquam, etsi solius Arianæ factionis argumenta ponemus, tamen, cum ad catholicum probandum dogma nostra nos vicissim afferemus, Sabellianos quoque nominatim appellabimus, et, quæ contra illos usui esse possint, lectorem admonebimus. Tertius porro liber, qui adversus Photinianæ ac Samosatenæ instauratores hæresis proprie comparatur, quatenus cum Trinitatis professione implicata est illa, Sabellianorum, quibuscum ex hac parte consentit, argumenta dissolvet. Atque in commemorandis Arianorum argumentis, ea primo loco procedent in medium, quæ ex Scripturæ testimoniis petuntur. Nec tamen omnia complectemur, quæ apud antiquos Patres confutata leguntur; sed præcipua quæque, ac tum frequentiore in usu disputationis versata, tum ad difficultatem insigniora cæteris.

Duplex hæreticorum calliditas cavenda.

IV. Sed antequam hoc facimus, in toto isto genere testimoniorum argumentationumque, non est omittenda duplex hæreticorum calliditas, et versutia, deque hac sanctorum querela Patrum, cujus non ignarum esse theologum oportet. Prima est, quod, cum sacrosanctæ Trinitatis fides duplici parte constet, ut et Deum esse credamus unum, hoc est substantia naturaque singularem, quod *Deuteronomii* VI, 4, Moses ita commendat, *Audi, Israel*, *Dominus Deus Israel, Deus unus est*, et personas numero tres, quæ obscurius in Testamento Veteri traditæ, in Novo disertius explicantur, ac de utroque certa sint ejusdem testimonia Scripturæ, quæcumque ad unius naturæ commendationem spectant, ea ad personarum confundendam multitudinem Sabelliani conferunt; quibus autem personarum in eadem natura numerus inducitur, iis ad opprimendam na-

a ARISTOTELES. Αἱ γὰρ τῶν ἐναντίων ἀποδείξεις, ἀπορίαι περὶ τῶν ἐναντίων εἰσίν. ἅμα δὲ καὶ μᾶλλον ἂν εἴη πιστὰ τὰ μέλλοντα λεχθήσεσθαι. προακηκοόσι τὰ τῶν ἀμφισβητούντων λόγων δικαιώματα. τὸ γὰρ ἐρήμην καταδικάζεσθαι δοκεῖν, ἧττον ἂν ἡμῖν ὑπάρχοι.

b EUTHYM. Οἱ ἄλλοι πατέρες, Ἀθανάσιος, καὶ Βασίλειος, καὶ Γρηγόριος, ἐν οἷς ἀνέτρεψαν τὴν Ἀρείου βλασφημίαν, συμπαρέλαβον καὶ τὴν Σαβελλίου, καὶ συνανέτρεψαν, ὅτι μηδὲ πολλῶν ἐδεῖτο λόγων εὐέλεγκτος οὖσα, καὶ εἰς ὀλίγους φθάσασα.

1 Lib I *de Cœlo*, cap. x. — 2 Panopl. par. I tit. X.

turæ unitatem abutuntur Ariani. Quamobrem inter utrosque media ambulans catholica fides,

> Procul a fumo, atque undis cohibere carinam
>
> Novit.
>
> Καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτὸς ἔνεργει
> Νῆα[1].

Tanquam inter gentilem et Judaicam superstitionem medium iter secans, ut jam diximus, et Isidorus Pelusiota gravis auctor his verbis ostendit, « Diversas, ait, naturas inducere, Græcorum, id est gentilium, proprium est; unam vero personam, sive hypostasim unam constituere, Judaicum; porro in sanctam Trinitatem collatas hypostases in unam substantiam colligere, hoc vero rectissimum est et verissimum dogma[a].» Vide Augustinum libro *Octoginta trium quæstionum*, quæstione LXIX.

V. Altera, cum duæ sint in Christo Domino naturæ, conditionibus distinctæ suis, ac proprietatibus, et de alterutra quædam in sacris Libris habeantur, quæ in alteram minime congruunt, hæc illi perverse ac præpostere sic usurpant, ut, quæ unius propria esse debent, ad alteram accommodent. Ad hunc modum, quæ ad humanam spectant imbecillitatem, divinæ Christi naturæ impingebant Ariani, ut infra paternam dignitatem Filium abjicerent; quæ vero de ejusdem divinitate commemorata sunt, ad humanam naturam trahebant Eutychiani, ut eam altius extollerent. Hinc est, quod Ariani, ut sepositis Eutychianis, de illis, quod modo agitur, primo loco disputem, ipsam, cujusque modi tandem admittebant in Christo Domino divinitatem, patiendi capacem facerent, quod apertius Eutychiani postea docuerunt. Hanc Arianorum improbitatem prudenter detegit vetus auctor Sœbadius, ut eum vocat Hieronymus in *Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum*, vel ut alii, Phœbadius Aginnensis, initio libri, quem *contra Arianos* scripsit; cujus verba prætermitti non debent: « O duces cæci! inquit, o sæculi ambitione decepti! non distinguentes Dominicæ substantiæ duplicem statum, in sua unumquemque proprietate distantem, et quidquid de homine dictum est, Deo applicatis; ut ipse Deus hominis imbecillitate societur, (*for.* saucietur.) Et idcirco duplicem hunc statum non conjunctum, sed confusum vultis videri; ut etiam unus vestrum, id est epistola Potamii, quæ ab Oriente et Occidente (*forte,* ad Orientem), transmissa est, qua adserit, carne et spiritu Christi coagulatis per sanguinem Mariæ, et in unum corpus redactis, passibilem Deum factum. Hoc ideo, ne quis illum ex eo crederet, quem impassibilem (esse) satis constat. » Ambrosius item libro tertio *de Fide*, capite V: « Verum Ariani, inquit, velut Judaici caupones, miscent aquam cum vino, quia divinam generationem humanamque confundunt, ad divinitatem referentes, quod de carne sit dictum. » Queritur et Hilarius, « dispensationem assumpti corporis rapi ad contumeliam divinitatis, et impietatis causas arripi de salutis nostræ sacramento[2]; » ac sub initium libri noni, fuse rem eamdem pertractat, et inter alia: « Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut, quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem, mentiantur; et quia unus atque idem est loquens omnia, quæ loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendant. » Itaque sanctus Augustinus hanc regulam commendat « intelligendarum Scripturarum de Filio Dei, ut distinguamus, quid in eis sonet secundum formam Dei, in qua æqualis est Patri, et quid secundum formam servi, quam accepit, in qua minor est Patre.» Eadem cautio et[7] apud Athanasium diligenter adhibetur; nec non apud[3] Cyrillum[5], Ambrosium[6], Fulgentium[7], Nazianzenum[8], aliosque complures. Quam « regulam si in Scripturis acceperimus, ait[9] Augustinus, omnia nobis lux ipsa monstrabit.» Sed jam Scripturæ loca ista proferamus, et, ut Nazianzenus loquitur, «offensionem illam, quæ in Scripturis inest, repurgemus[b]. »

a ISIDORUS PELUS. lib. II, epist. CXLIII. Τὸ μὲν γὰρ διαφόρους φύσεις ὑποτίθεσθαι, ἑλληνικόν· τὸ δὲ ἓν πρόσωπον, ἤγουν μίαν ὑπόστασιν, Ἰουδαϊκόν. τὸ δὲ πλατύνοντα εἰς τὴν ἁγίαν τριάδα τὰς ὑποστάσεις, εἰς μίαν οὐσίαν συνάγειν, ὀρθότατόν ἐστι, καὶ ἀληθέστατον δόγμα.

b NAZ. Orat. XXXV. Ἀνακαθαίρειν τὸ ἐν τοῖς γράμμασιν πρόσκομμα.

1 Homer. apud Arist. II *Eth.* cap. IX ex *Odyss.* M. — 2 Lib. XI; vide et lib. IX. — 3 Lib. I *de Trin.* cap. XI et ser. XL *de Temp.* cap. VIII et tract. XVIII *in Joan.* et lib. LXXXIII *Qu.* q. LXIX. — 4 Athan. orat. II et orat. IV. — 5 Cyr. lib. X *Thes.* et lib. XX, et *Dial.* I ac III et IV et V et VI, et alibi passim. — 6 Lib. II *de Fide,* cap. IV. — 7 Lib. I *ad Trasim.* cap. VII, et lib. III, cap IX — 8 Orat. XXXV. — 9 Loco cit. ser. VIII *de Temp.*

CAPUT I.

Quibus Scripturæ testimoniis Arius hæresim suam munire conatus sit; ac primum locus ille Proverb. VIII, 22. Dominus creavit me, etc. *proponitur; et cum variæ de eo veterum opiniones, tum vera illius sententia declaratur. De vera significatione verbi* κτίζειν.

I. Memorabilis ante alios *Proverbiorum* ille locus, et in usu frequens apud illos exstitit, quo se divina Sapientia creatam a Deo esse testatur octavo capite. Græce enim ita legitur : *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*[a]. Vel, ut plerique veterum interpretati sunt, *Dominus condidit me*. Ita Tertullianus, *cont. Hermog.* c. XVIII; Cyprianus l. II *de Testim. cont. Jud.* c. I; Lactantius, lib. IV cap. VI et alii complures, quos apparet, in Græco scriptum habuisse verbum ἔκτισε. Id enim *creare*, vel *condere* significat; quæ lectio antiquissima est, et Arianæ hæresis ortum multis annis antecessit. Hanc enim præter illos Athenagoras etiam in *Apologetico* sequitur, et Ignatius ep. IV *ad Tarsenses*, Clemens Alexand. in *Protrept.* Irenæus, lib. IV cap. XXXVII. Nostri vero, partim contra illam de falsitate præscripserunt ; quippe aliter ex Hebræo transferri, Κύριος ἐκτήσατό με, *Dominus possedit me*, ut in *Vulgata* hodie scriptum legitur; partim admissa lectione ista, aliorsum traxere sententiam, ac vel ad assumptam hominis naturam, atque carnem pertinere dixerunt, vel in *creandi*, aut *condendi* notione aliud, quam Ariani putabant, intelligi debere *.

Antiqua lectio *Dominus creavit me.*

De Hebraica lectione primus excepit Eusebius

II. De Hebraica lectione vel primus, vel inter primos excepit non bonus auctor alioquin Eusebius lib. III *de Eccl. theol.* cap. II, in quo fuse de toto illo cap. disputat, admonetque neminem aliorum interpretum ἔκτισε, hoc est *condidit*, aut *creavit* adhibuisse, sed omnes constanter, ἐκτήσατο, *possedit me*. « Multum autem interest, ait, inter *creare*, et *possidere* ; quod *creatio*, ex communiori notione, transitum significet ab eo quod non est, ad id, quod est; *possessio* vero rei jam existentis proprietatem in eo, qui possidet[b]. » Quibus simile est illud Hieronymi epist. CXXXIX, in qua eumdem locum pertractans perinde ex Hebræo castigat : « Inter *possessionem* autem, et *creationem* multa diversitas est, inquit. *Possessio* significat, quod semper Filius in Patre, et Pater in Filio fuerit. *Creatio* autem ejus, qui prius non erat, conditionis exordium. » Hinc apud elegantissimum scriptorem Seleuciensem Basilium[1], de Adamo in hortos amœnissimos translato ita scriptum legitur : « Et factus est homo possessor eorum, quorum non fuerat creator[c]. » Sic in comment. ad caput *Isaie* XXVI, 13, Hieronymus communem illam lectionem, in qua *creandi* vox est, reprehendit. Basilius quoque lib. II *contra Eunomium*, et Gregorius Nyssenus[2] lib. I *contra* eumdem *Eunomium* utriusque editionis, asserunt in aliis codicibus, aut interpretibus scriptum exstare ἐκτήσατο non ἔκτισε. Sed inter alios commemorandus est Epiphanius hæresi LXIX, n. 25 et sequente, ubi de Hebraico vocabulo accurate disputat, et illius significationem ait esse duplicem, nempe ἐκτήσατό με vel ἐνόσσευσέ με, *possedit me*, vel *quasi pullum exclusit me ;* quod posterius anteponit alteri. Hoc modo non קנני, ut vulgo in Hebræis exstat, sed קנני, legit Epiphanius ; קנן *nidificare* significat, non pullos *edere*, vel *excludere ;* quod est inauditum, ac prorsus alienum.

Vera illius vocis, *creavit me*, sententia declaratur.

III. Verum plerique Patrum in vulgata illa lectione LXX interpretum acquiescunt, quæ est ἔκτισε, quam illi ipsi, qui alteram præferunt, commodum ad sensum referunt, Eusebius, Epiphanius, Gregorius, et cæteri. Quorum nonnullis de divina Christi natura, sive increata sapientia, locum illum interpretari non placet, sed de assumpta carne, sive incarnata sapientia ; quam in opinionem majori ex parte conspiravit antiquitas. Hancimprimis asseverant Athanasius[3] Epiphanius[4], Basilius[5],

a Prov. VIII, 22. Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ.

b EUSEB. III *de Eccles. theol.* cap. XI. Πλείστη δ' ἂν γένοιτο τοῦ ἔκτισε, καὶ τοῦ, ἐκτήσατο, διαφορὰ, τῷ, τὴν μὲν κτίσιν, κατὰ τὴν κοινοτέραν διάνοιαν, τὴν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι πάροδον σημαίνειν· τὴν δὲ κτίσιν τοῦ προϋπάρχοντος ἰδιάζουσαν οἰκειότητα πρὸς τὸν κτώμενον.

c BASIL SELEUC. Καὶ γίνεται κτήτωρ ὁ ἄνθρωπος, ὧν οὐκ ἐγένετο κτίστης.

* Plures *Condidit*, vel *Creavit* legentes hoc loco Patres collegit in Vet. Ital. Sabatier, quos etiam indicat Cl. P. Vezzosius in notis ad primum Operum Card. Thomasii volumen p.154, et seqq.

1 Orat. I *de Adamo*. — 2 Nyss. lib. I *contra Eun.* et in edit. Cret. — 3 Orat. I, II, III et in *Expos. fidei* et lib. *de Decr. Nic* — 4 *Hær.* LXIX, n. 10. — 5 *Epist.* CXLI et lib. IV *contra Euno.*

Gregorii ambo, Nazianzenus[1] et Nyssenus[2], Cyrillus[3], Cæsarius[4], Hilarius[5], Ambrosius, Augustinus[6], Hieronymus, Idatius Clarus libro *contra Varimadum*, Fulgentius[7], et plerique alii, quas percensere longum sit.

Quocirca sanctus Athanasius orat. III, horum verborum sententiam sic enarrat, quasi diceret, « Pater corpus meum elaboravit, et in homines me creavit, propter hominum salutem[a].» Atque, ut Joannis illud, *Verbum caro factum est*, audientes, non sic accipimus, totum ut in carnem Verbum transiisse dicatur, sed ut carnem induerit, et homo factum sit; sic, dum ita scriptum legimus, inquit, « *Dominus creavit me*, non sic existimare debemus, totum Verbum natura suapte creaturam esse, sed creatum induisse corpus, ac propter nos illum a Deo creatum fuisse. » Ac post alia multa id observat, eodem in illo loco *Proverbiorum* scripsisse Salomonem, *Ante omnes vero colles genuit me;* neque dixisse, « genuit me initium viarum suarum, » sed absolute, *genuit me;* at vero creandi verbo adjecisse, *initium viarum suarum*, ut ostenderet, non simpliciter absoluteque creatum intelligi, sed alicujus obeundæ rei gratia, et, ut dici solet, *secundum quid*[8], quomodo dixit Apostolus, *Qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens*[9]. In eum ergo finem creatus, id est homo factus dicitur, ut principium vel initium esset humano generi salutis, ac spei. Itaque, cum Deus Pater tam unigeniti Filii sui, quam creaturarum omnium creator ac Pater appelletur, diversa tamen utrobique ratione dicitur. Nam Filii sui primum nominatur Pater, ac genuisse illum dicitur; deinde creasse, ut creator indidem vocetur. Creaturarum vero prius creator, deinde Pater nuncupatur; quia non illas proprie gignit, sed metaphorice, dum Spiritum suum in eas transfundit. *Voluntarie enim nos genuit verbo veritatis*[10]. Addit ei rei probandæ Nazianzenus argumentum ex eo, quod ad *creandi* verbum causæ aliquid adjectum fuerit. Non enim absolute creasse dicitur, sed « principium viarum suarum ad opera ipsius. » At *gignendi* vocabulum nullam causam habet adjunctam, sed absolute ponitur. Quod et in quarto dialogo, de creandi vocabulo Cyrillus observat.

IV. Marcellus Ancyranus episcopus, is, quem Sabellianæ suspectum hæresis fuisse superiore libro meminimus, haud aliter eumdem locum intelligebat, nimirum verbum ἔκτισε pertinere aiebat ad carnem; deinde reliqua, quæ ibidem commemorantur, allegorice sumebat; velut principium viarum appellari sapientiam dicebat assumpta carne, quod auctor fuerit novæ illius viæ, quam per apostolos christianis tradidit : abyssos quoque significare sanctorum corda : fontes duodecim apostolos, et ejusdemmodi cætera. Quod Eusebius lib. III *de Eccles. theol.* c. II et III refellit, et interpretationi isti ex eo maxime facit invidiam, quod, cum ibi scriptum præterea sit, *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* : Item *Annuntiabo, quæ a sæculo sunt :* tum, *Ante omnes colles genuit me*, etc., nec possint hæc carni Dominicæ tribui, ne illa quidem priora ad eam accommodari debeant. Ob id Marcellum vehementius exagitat et irridet Eusebius; sed, ut est captus fere Scriptoris istius, languida, parumque firma et solida est illa confutatio. Etenim Ambrosius libr. I *de Fide,* cap. VII, et lib. III capit. IV, nec non Gregorius Nyssenus I et II *contra Eunom.* eadem prorsus allegoria, ac Marcellus, illum locum interpretati sunt. Ambrosius vero etiam Eusebiana objecta dissolvit. Nam quod legitur, « ante sæcula fundatam esse sapientiam,» eamque, ut censet, assumpta carne vestitam, hoc ille de prædestinatione usurpari putat; quemadmodum Apostolus II *Tim.* I *prædestinatum* ait Christum *ante tempora sæcularia.* Libro vero III, capit. IV, multo etiam probabilius ita respondet, geminam in Christo significari naturam; « ut scires, non duos Christos, sed unum esse, quod et ante sæcula generatus sit ex Patre, et ultimis temporibus creatus ex Virgine. » Cyrillus item lib. XV *Thes.* priorem Ambrosii responsionem amplectitur, latiusque disputat : nec non Cæsarius dial. I ad interrog. XXXV.

a ATHAN. Ἴσον τῷ εἰπεῖν, ὁ πατὴρ σῶμά μοι κατειργάσατο, καὶ εἰς ἀνθρώπους με ἔκτισεν, ὑπὲρ τῆς τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας.

1 Orat. XXXIX. — 2 Lib. I et II *cont. Eunom.* — 3 Lib. XV *Thes.* et lib. XXII et dial. IV inter. IX. — 4 Lib. XII. — 5 Lib. I *de Fide*, cap. VII et lib. III, cap. IV et ser. V, *ad Psal.* CXVIII. — 6 Lib. *de Fide et symb.* cap. IV et ser. LVIII *de Verbis Domini secund. Joan.* — 7 In IV *Mich.* — 8 Lib. *contra Fastid.*, et lib. *contra Object. Arian.* — 9 *Colos.* I, 18. — 10 *Jac.* I, 18.

Nonnulli *creandi* Verbum ad divinam generationem referunt.

V. Nonnulli tamen *creandi* verbum ipsum divinam ad generationem accommodandum putarunt; ut Origenes tomo I *in Joannem.* Meletius apud Epiphanium hær. LXXIII, num. 31 duobus illis verbis, *creavit*, et *genuit*, totidem significari credit, quæ in æterna productione spectantur: nam creandi voce demonstrari τὸ ἐνυπόστατον, καὶ μόνιμον, *subsistens*, ac *manens* et stabile esse Verbum, non ut verba nostra, quæ per aerem dissipata pereunt, et affluunt, neque solida sunt. Gignendi porro vocabulum « prærogativam unigeniti, ac peculiarem dignitatem exprimit[a]; » nimirum ita subsistens esse Verbum illud, ut non extrinsecus, aut ex nihilo productum sit, sed de ipsa substantia processerit, ac vere Dei Filius exstiterit. Facit ad hanc *creandi* notionem, quod ea vox interdum generationem significat, ut apud Minucium Felicem: « An ideo cessavit, inquit, ista generatio, quoniam nulla hujusmodi fabulis præbetur assensio? Cæterum, si dii creare possent, plures totis hominibus Deos haberemus. » Sic Virgilius passim, ut in decimo *Æneidos* :

« Et face prægnans
Cisseis regina Parin creat. »

Et, « Silvicolæ Fauno Dryope, quem nympha
[crearat. »

Et in primo *Georgicon*,

« Tum partu terra nefando
Cæumque, Japetumque creat. »

Tum *creatrix* pro matre[1], non uno in loco. Ideo Fulgentius, in libro *de Fide ad Petrum*, capite secundo, Deum ait creatorem omnium « creasse Virginem, creandum ex Virgine. » Atque in hunc modum Sœbadius Aginnensis *Proverbiorum* locum illum intellexit, in quo condita Sapientia dicitur. Augustinus vero, « Quanquam in Latinæ, inquit, linguæ consuetudine dicatur aliquando creare, pro eo, quod est gignere: sed Græca discernit. Hoc enim dicimus creaturam, quod illi κτίσμα, vel κτίσιν vocant. Et, cum sine ambiguitate loqui volumus, non dicimus creare, sed condere[2]. » Idem etiam alibi de Adamo loquens, « Creavit infirmos, id est infirmos genuit infirmus[3]. » Et serm. LV *de Diversis*, « Creatus est Christus de ea, quam creavit. »

De quibus vox *creare* usurpetur.

VI. Est eadem de re memorabilis Hieronymi locus in commentariis ad caput quartum epistolæ *ad Ephesios*, ad ista verba, *Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est;* ubi hæc adnotat: « Quod autem ait, qui secundum Deum creatus est, non idipsum sonat in latino sermone, quod Græco. Creatio quippe apud nos generatio, vel nativitas dicitur; apud Græcos vero sub nomine creationis, verbum facturæ et conditionis accipitur. Et quod apud nos conditio, hoc apud Græcos creatio sonat. Unde et hæresis nativitatem Christi calumnians, Salomonis usurpat exemplum : *Dominus creavit me initium viarum suarum.* Considerandum igitur, quia creatio atque conditio nunquam, nisi in magnis operibus, nominentur, verbi causa, mundus creatus est, urbs condita est: domus vero, quamvis magna sit, ædificata potius dicitur, quam condita, vel creata. In magnis enim operibus atque facturis, verbum creationis assumitur. » Sane Hilarius in tertio libro procreatum a Patre Filium non dubitavit dicere : « Sed incomprehensibiliter, inquit, inenarrabiliter ante omne tempus et sæcula unigenitum ex his, quæ ingenita in se erant, procreavit. » Quod et Petrus Abælardus observat in primo *Introductionis theologicæ*, capite XVII. Et tamen Hilarius in sexto, contra hæreticos acerrime contendit, « qui nativitatem Filii ad creationis voluntatem usurpabant, ut non ex Deo natus sit, sed volente eo, qui creavit, ex voluntate substiterit. »

At idem[4], in libro *de Synodis* eamdem Sapientiam, qui est Dei Filius, et natam, sive genitam, et creatam dici asserit, ut, utroque conjuncto vocabulo, divinæ illius originis conditio monstretur. « Sapientia, inquit, quæ se dixit creatam, eadem in consequenti se dixit et genitam, creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ extra humani partus speciem et consuetudinem sine imminutione aliqua ac demutatione sui, creavit ex se ipsa, quod genuit. Creantis enim opus non habet passionem aut permistionis, aut partus. » Et subinde : « Sed quia Dei Filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est; idcirco ait, creatam se esse sapientia, omnes in generatione sua corporales passiones excludens. At vero, ut ostenderet, non creationis in se, sed

a MELETIUS. Τὸ ἐξαίρετον τοῦ μονογενοῦς, καὶ ἰδιάζον πατριστᾷ.

1 *Æn.* VI et VIII. — 2 Lib. *de Fide et symb.* cap. IV. — 3 Serm. XIII *de Verb. Apost.* cap. II. — 4 *Ad Athan.* V.

nativitatis naturam esse, subjecit et genitam, ut, cum creatam se, et genitam confitetur, absolutam nativitatis suæ intelligentiam præstaret : dum et indemutabilem Patris naturam in creatione significat, et legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ suæ ostendit esse substantiam. Atque ita perfectæ nativitatis intelligentiam creationis et generationis attulit sermo : cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est. » Quocirca creandi notio ad id spectat, ut sine passione ac mutatione productus a Patre eredatur Filius, ne, cum genitum audis, tale aliquid de ejus nativitate cogites, cujusmodi in hominum ortu ac generatione accidit. Ita mutuam sibi duo illa vocabula operam præbent creandi atque gignendi : seque invicem declarant et emendant : quod quidem Basilius in quarto libro *contra Eunomium* amplectitur. Duo igitur in hac creandi voce observanda veniunt : alterum, non semper significare productionem e nihilo, ut ideo ad creatarum rerum effectionem e nihilo proprie pertineat. Ideo LXX Interpretes in illo *Proverbiorum* loco, in quo Sapientia creari dicitur, usi sunt vocabulo ἔκτισε. At in primo capite *Geneseos* non ἔκτισε, sed ἐποίησε posuerunt ; quoniam illic non satis constabat, creata, an increata Sapientia describatur ; hic autem manifestum est, nonnisi creatis de rebus loqui Scripturam. Alterum est, *creandi* vocabulum, communiore sermonis usu, ab eo, quod est *gignere* non eo discrepare, quod *creare* sit ex nulla antecedente materia producere, gignere ex aliqua materia ; sed potius, quod gignere sit ex propria substantia producere, creare extrinsecus, et non ex substantia sua. Ideo hominem eumdem parentes gignere dicuntur, non creare, si propria, et communi consuetudine sermonis utimur ; Deus vero non gignere, sed creare. Hinc Augustinus : « Quo ergo eget abs te, qui erat ante te, et tam potens erat, ut, cum tu nihil esses, faceret te ? Numquid quomodo parentes faciunt filios ? Per quamdam concupiscentiam earnalem generant potius, quam ereant. Istis enim generantibus, Deus creat. Nam, si tu ita creas, dic, quid tua mulier paritura est [1], » etc.

VII. Pulcherrima est de hac re Semiarianorum disputatio in epistola synodica Ancyrani conciliabuli, cui Basilius ejus urbis episcopus præfuit, apud Epiphanium. Ibi enim creationis vocem ad hoc assumptam volunt, et Patris ac Filii generationisque vocabulis adjunctam, ut quod implicatum cum istis connexumque est, removeat et abstergat ; videlicet affectiones illas, et profluvia, partiumque sectiones, quæ in aliis generationibus occurrunt. Vicissim autem ab creandi notione separari, quæ cum ea intelliguntur, et sunt manca minusque perfecta, jubent ; ut, quod extrinsecus producuntur, et cum materia permista sunt, quæ creari dicimus. « Etenim, si a creatura, inquit, certas conditiones exemeris, velut quod extra creatorem, quod cum materia concreta sit, aliaque id genus, quæ corporeæ creaturæ appellatio continet ; sola deinceps supererit a passione remota, perfectaque creaturæ, et ejusmodi, qualem creator procreare voluerit, notio. Si igitur a creatore, et creatura segregatis reliquis, unicam illam notionem deligamus, qua a passionis experte, perfectoque, et stabili creatore, et ejusmodi denique, qualem creaturam esse voluit, derivatam eam intelligimus, consentaneum est, ut ex Patris Filiique vocibus, quoniam in Patrem ac Filium credere præcipue didicimus, unam quamdam notitiam pie ac religiose capere nos oporteat [a], » etc. in quibus a Patris nomine separandam esse docet partis sectionem, ac profusionem ; ab Filio vero incrementa virium, et ætatis, ac reliqua, quæ naturam corporis sequuntur. Quæ omnia latius in synodica illa declarantur. Atque illud præterea tradunt [3], ibidem ideo in *Proverbiis* creatam se dicere Sapientiam, « ne istiusmodi verbum, quod prolatione constat, verum solide subsistens, ac passionis expers, et a Patre procedens Verbum Deum animo cogitemus [b]. »

Pulcherrima Semiarianorum disputatio.

a Epiph. Ἀφαιρουμένου γὰρ ἀπὸ τοῦ κτίσματος τοῦ τε ἔξωθεν ὑφεστῶτος, καὶ τοῦ ὑλικοῦ, καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα περὶ σωματικοῦ κτίσματος τὸ ὄνομα περιέχει, μόνη ἀπὸ τοῦ κτίσματος μένει ἡ ἀπαθὴς φημὶ τοῦ κτίσματος, καὶ τελεία τοῦ κτιζομένου, καὶ οἷον ἐβούλετο ὁ κτίζων κτίζεσθαι τὸ κτιζόμενον, ἔννοια. εἰ οὖν ἀπὸ τοῦ κτίστου, καὶ τοῦ κτίσματος τὰ ἄλλα πάλιν ἐκβάλλοντες, τὴν ἐξ ἀπαθοῦς τοῦ κτίζοντος, καὶ τελείου τε, καὶ παγίου, καὶ οἷον ἐβούλετο εἶναι τὸ κτίσμα, μόνην λαμβανομένην ἔννοιαν· ἀκόλουθόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ ὀνομάτων, ἐπειδὴ μάλιστα εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν πιστεύειν ἐδιδάχθημεν, μίαν οὖν τινα εὐσεβῶς λαμβάνειν ἡμᾶς ἔννοιαν δεῖ.

b Epiph. idem, num. 8. Τῆς γὰρ σοφίας εἰπούσης, ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, τὸ ἐν ἀρχῇ ἐξέθετο, εἰπὼν ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, ἀντὶ δὲ τοῦ ἔκτισέ με, καὶ θεὸς ἦν, ἵνα μὴ ἐν προφορᾷ, ἀλλὰ τὸν ἐν ὑποστάσει παγίᾳ, ἀπαθῆ ἐκ πατρὸς θεὸν λόγον νοήσαμεν.

1 Ab *Psal.* LXX. D. I. — 2 Hær. LXXIII n. 3. — 3 Num. 8.

Ita et Meletius Antiochenus episcopus locum illum et creandi vocabulum interpretatur in homilia illa, quam primam dixit[1], cum in Antiochena cathedra primum sedit, nimirum ut Sabellii ac Marcelli Ancyrani error opprimeretur; qui Filium Dei nudam esse putabant ἐνέργειαν, et actionem Dei, non autem solidam, ac per se cohærentem, et a Patre distinctam hypostasim, ut adversus eumdem Marcellum pluribus disserit Eusebius[2]; hoc est, « ne verbum ipsum non substantiam veritatis, sed prolatitium loquentis Dei putares esse sermonem, » ut loquitur Maximus Taurinensis[3].

Quorumdam diversa nec spernenda sententia.

VIII. Quidam *creandi* notionem applicant, non ad carnem, humanæque naturæ sumptionem; sed ad increatam ipsam ac divinam sapientiam, quatenus ad usum captumque descendit hominum, ac cæterorum creatorum, in quibus molitur aliquid. Athanasius orat. III *contra Arianos* æternam ait Sapientiam sui effigiem et imaginem creatis indidisse rebus: nimirum creatam sapientiam, quæ in hac universitate, partiumque hujus ordine, situ, varietate concentuque cernitur, cujus quod est proprium, a Deo procreari, id in sese archetypum ipsum, sempiterna videlicet, atque increata sapientia transtulit. « Dominus, inquit, creavit me in opera. Mea est enim imago, quæ in creatis rebus apparet; ac sic ego me ad opificium accommodavi. Neque vero mirari convenit, quod de imagine sua, tanquam de seipso loquatur Filius; quandoquidem istud ipsum appellare non veretur Deum. Et, cum Saulus persequeretur Ecclesiam, in qua typus erat illius, et imago, tanquam ipse persecutionem pateretur, dixit; *Saule, quid me persequeris*[a]*?* » In his Athanasii verbis mendosam esse vulgatam lectionem asseveramus*, ὅπου γε τὸ αὐτὸ λέγειν οὐκ ὀκνητέον, quæ nullam, aut ineptam habet sententiam. Nos diducta voce legimus ὀκνεῖ θεὸν, ex quo pulcherrimus sensus efficitur: cum Deus in sacris Litteris homines ipsos, maxime qui ob quamdam excellentiam potestatis ac dignitatis, ad ipsum propius accedunt, appellet deos: « Ego enim, inquit, dixi, dii estis: » non est mirum, illud æternæ et increatæ sapientiæ vestigium, quod conditis rebus est impressum, pro archetypa et increata sapientia nonnunquam usurpari.

Augustinus libro VII *de Trinit.*, capit. III, in hoc genus interpretationis congruit. Ibi enim, postquam docuit, Patri et Filio communem esse sapientiam, perinde ut essentiam, imo ambos unam esse sapientiam, quærit, « cur in Scripturis nunquam fere de Sapientia quicquam dicitur, nisi ut ostendatur a Deo genita, vel creata; genita scilicet, per quam facta sunt omnia; creata vero, vel facta, sicut in hominibus, cum ad eam, quæ non creata, vel facta, sed genita est, convertuntur et illustrantur. » Ac subinde respondet, Sapientiam illam, quæ est Filius Dei, ac Verbum Patris, factam dici, vel creatam: sive quia carnem assumpsit: « sive quia temporaliter nos ad illum convertimur. » Unde « factum nobis dicitur sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio. » Hoc modo creatam se esse divina, et æterna Sapientia profitebitur, quia nobis communicatur, et creatam in nobis sapientiam efficit.

IX. Alii verbum κτίζειν, *creare*, aliter explicant, ut non productionem vel e nihilo, vel eam, quæ generatio sit intelligamus; sed ut sit idem, ac *constituere, ordinare*. Hoc sensu interpretatur Eusebius[b], lib. III *de Eccles. theol.* cap. II ubi ἔκτισεν usurpari ait pro κατέταξεν, ἢ κατέστησεν εἰς τὸ ἄρχειν, *ad imperandum constituit, ac disposuit*. Ita enim verba illa

a ATHAN. Orat. III *cont. Ar.* Κύριος ἔκτισέ με εἰς ἔργα. ἐμοῦ γάρ ἐστι τύπος ὁ ἐν αὐτοῖς. κἀγὼ οὕτως συγκατέβην τῇ δεμιουργίᾳ· οὐ δεῖ δὲ πάλιν ξενίζεσθαι εἰ τὸν ἐν ἡμῖν τύπον ὄντα ὡς περὶ ἑαυτοῦ ἐστι λέγων ὁ υἱὸς, ὅπου γε τὸ αὐτὸ λέγειν οὐκ ὀκνητέον. (Cor. οὐκ ὀκνεῖ θεὸν) καὶ Σαύλου τότε (for. ποτὲ) διώκοντος τὴν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ τύπος ἦν αὐτοῦ καὶ εἰκὼν, ὡς αὐτὸς διωκόμενος ἔλεγε· Σαῦλε, τί με διώκεις?

b Quem locum Socrates refert lib. II, cap. XX.

* Textus Athanasii hic allegatus non in orat. III *adversus Arianos*, sed in 2ª n. 79 et 80 legitur. Non admittenda auctoris nostri conjectura et textus correctio, utpote nullo codice manuscripto editove comprobata. Nec satis apparet qua ratione hæc phrasis ὅπου γε τὸ αὐτὸ λέγειν οὐκ ὀκνητέον *nullam aut ineptam habeat sententiam.* Textus Athanasiani versionem subjicimus ex editione Benedictinorum. « *Dominus creavit me in opera.* Mea enim figura in illis est, et ego sic me ad res efficiendas accommodavi. Nec vero mirum videatur si Filius de sua quæ in nobis est figura, tanquam de seipso loquatur, cum (idem enim repetere nihil est reformidandum) Paulo Ecclesiam, in qua ejus figura et imago erat, persequente, quasi ipse esset quem ille persequeretur, dixerit : *Saule, quid me persequeris?* »

J. B. F.

1 Exstat apud Epiphan. hær. LXXIII; locus autem est in n. 131. — 2 Lib. IV *contra Mar.* cap. IV et XIX. — 3 Hom. *De sancto Eusebio Vercel.*

declarat, ὁ Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, quasi diceret εἰς ἀρχὴν, *Dominus constituit me, ut præessem viis ejus.* Sic in I *Petri* I, 13 : *Subjecti estote omni creaturæ*, id est « omnibus principibus et magistratibus a Deo constitutis. » Et Amos IV, 13, κτίζων πνεῦμα, *creans spiritum*, hoc est καταπέμπων, *ventum immittens.* Eodem sensu accepit et Athanasius lib. *de Decretis synodi Nicænæ.*

Fuere, qui sapientiam illo loco putarunt, non increatam significari, sed creatam, sive οἷον ἐπιστήμην, καὶ τεχνικὸν λόγον, καθ' ὃν τὰ πάντα συνέστη, *velut scientiam artificemque rationem, secundum quam omnia condita sunt*, quam per prosopopœiam loquentem inducit; cujusmodi figura plerumque rebus animæ, ac sensus expertibus sermonem affingit : velut, *mare hoc dicit*, vel *abyssus*, etc. Hanc nonnullorum opinionem commemorat Greg. Nazianz. orat. XXXVI quæ est II *de Filio.*

X. Hæc antiquorum de celebri illo *Proverbiorum* loco sententia fuit. De quo extra istam controversiam, sic judicandum existimo, non librariorum culpa, ut quidam arbitrantur, irrepsisse in editionem Græcam LXX Interpretum verbum ἔκτισε, quasi illi ipsi ἐκτήσατο scripserint : sed eos ἔκτισε vertisse. Quod ut minus admiremur, facit paraphrastes Chaldæus, qui verbum קנני per בראני *creavit me*, reddidit. Est autem קנא *possidere*, et *acquirere*, id nimirum, quod antea non habebatur. Sic *Gen.* IV, I. *Possedi hominem per Deum.* Atque ita mundum hunc, et creatas a se res possedisse Deus dicitur, ac velut acquisivisse, et ad suum peculium adjunxisse ; quod creandi vocabulum indicat. Eodem quoque modo ac sensu Deus sapientiam possedisse, id est acquisivisse et comparasse sibi dicitur : hoc est apud se, et in animo suo condidisse. Etenim artifex, paulo antequam opus suum moliatur, ejus rationem ac descriptionem in mente designat; eaque delineatio formam tantummodo continet intelligibilem rei futuræ, et a materia corporeisque qualitatibus abstractam. Non enim lapides, aut ligna cæteraque, quibus ædificium constat, in illa idea necessario cogitat architectus : sed rationem duntaxat, ac διασκευὴν, proportionem videlicet omnium invicem partium, ac mutuum responsum; quæ forma, ut dixi, spiritualis et intelligibilis est, ac primarium artis ipsius, ac σοφίας effectum. Sic igitur Deus, antequam mundum fabricaret, ejus apud se speciem informasse dicitur, ad idque sapientiam, quasi artem et peritiam advocasse, ac velut in consilium adhibuisse. Ea sapientia non est divina illa præcise, qua Deus sapiens est; non illa ex æterno genita, et producta, quæ λόγος, *Verbum*, ac *Filius* nominatur, sed confusa notione, nescio quam designandi et constituendi operis intelligentiam, ac scientiam exprimit, cujusmodi Deus cum intelligentibus creaturis communem habet. Hanc per prosopopœiam poeticam, virginis instar, ac reginæ a Deo ante omnia genitæ ac procreatæ, et ea productione acquisitæ ac possessæ, Salomon exhibet. Testis est [1] Augustinus ejusmodi doctissimorum hominum fuisse sententiam : « Multi quidem, inquit, doctissimi viri hoc ex persona illius sapientiæ dictum asserunt, quam Salomon ad judicandum regendumque populum acceperat.

Creavit... Possedit... Creavit...

Sapientiæ.

De creata sapientia melius ille textus intelligitur.

XI. Quocirca magis est, ut creatam sapientiam cum nonnullis Patrum istic intelligas, hoc est prudentiam et scientiam quæ futura disponit, quæque in omni hominum vita dominatur, quam æternam et increatam; nisi quatenus hæc ad externorum molitionem operum ac gubernationem demittitur. Neque vero in externis tantum opificiis, hoc est creatis rebus, ac mundi partibus ordinandis, eleganterque disponendis sapientia ista cernitur sed etiam in moderandis ejus naturæ, quæ ratione prædita est, ac lege cuique præscribenda faciendorum ac fugiendorum, in quo virtus usum ac locum obtinet. Tametsi, ut paulo ante docui, absolute ac simpliciter, neque ut creata, sed ut omnium creandorum ratio est ac dispositio, illo in loco Sapientia describitur. Atque hæc poetica et allegorica personæ fictio sic habere putanda est, ut si quis diceret, Deum, priusquam hominem procrearet, legem ac regulam honestatis, sive justitiam illam, quæ omnia in se virtutum officia complectitur, quasi puellam condidisse, eamque constituto a se homini moderatricem ac velut nutriculam adhibuisse, ut ejus in omnibus ductu ac disciplina regeretur. Qui hanc adumbraret effigiem legis, aut justitiæ, vel virtutis, neque Verbum is æternum, ac Dei Filium necessario proponeret, neque vero certam aliquam de creatarum numero substantiam, sed abstractam ab utraque conditione, ac sorte, et confusam, ac

1 August. serm. LVIII *de Verb. Dom. sec. Joan.*

fictam rei per se non existentis imaginem *.

Hinc est, quod in illo explicando *Proverbiorum* loco SS. Patres animadverti jubent, cum *Proverbiorum* iste liber appelletur, quæ ibidem usurpantur, pleraque non proprio, et obvio sensu, sed translato, ac figurato accipi debere. Ita Athanasius[1], Epiphanius[2], Basilius[3], Gregorius Nyssenus[4], Cyrillus[5], Greg. Naz. oratione II *de Filio*, et complures alii.

XII. Ad extremum Gelasius Cyzicenus in libro secundo *de Actis concilii Nicæni*, Eusebium Cæsariensem de loco illius sententia fuse disputantem introducit adversus philosophum Ariani propugnatorem dogmatis, atque illum interpretantem de creata, et hominibus a Deo communicata sapientia, hoc est *sapientia illa, quæ ratiocinandi vim habet*, et est homini divinitus attributa [a]. Tum alia multa de Filio Dei contra philosophum dicta eidem affingit Eusebio, multum ab ea quam ille habuit, et suis omnibus libris mandavit, opinione diversa; ut cum asseri ab illo dicit, Filium esse[6] « lumen æternum de æterno lumine, increatum ab increato [b]. » Item, illa verba, « *Faciamus hominem*, etc., demonstrare, consubstantialem, et honore parem et æqualem esse sanctissimam Trinitatem [c]. » Quæ quam absurde affingantur Eusebio, satis ex primo libro hujus operis agnoscitur. Sed Gelasii istius Acta Nicæna scatent ineptiis ejusmodi, ex ejus, quod magnum profecto non habuit, ingenio confictis. Nec illud prætermitti debet, Athanasium in quadam oratione, quæ est *de Incarnatione*, sive de humana natura suscepta, locum illum *Proverbiorum*, » *Dominus creavit me*, ex persona Ecclesiæ dictum arbitrari, quæ in Christo conditur. Non « enim factor omnium creatura, vel opus est; sed opus in factore renovatur, secundum id, quod a Paulo dictum est: *Ipsius sumus factura creati in Christo Jesu* [d]. » Sed expositio ista minus habet probabilitatis.

Vera significatio verbi κτίζειν expenditur.

XIII. Postremo, ne quid in præteritis relinquatur, quod ad celeberrimi illius loci illustrandam sententiam spectat, animadverti hoc volumus, verbum κτίζειν apud Græcos magis id significare, quod ex antecedente velut materia fit, quam quod ex nihilo producitur. Ita enim κτίζειν πόλιν est *urbem condere*, sive a fundamentis ibi, ubi ante non erat, eam statuere, sive incolis frequentare; cujus significationis exemplis referti sunt Græcorum libri. Latinum autem *creare*, quem usum habeat, præter illos, quos supra percensui, erudite declarat Augustinus, in libro *contra Adversarium legis et prophetarum*, capite XXXIII ubi illa Esaiæ verba explicat : *Ego sum Deus faciens bona*, *et creans mala* [7]. Notat vero hæc verba « creari, et fieri, si ex consuetudine consideremus locutionis humanæ, non solum filios, quos de seipso quisque generat, verum etiam magistratus dici, atque urbes, et quæcumque alia, quæ non exeunt de gignente, sed forinsecus sunt. Si autem quomodo Scripturæ sanctæ, quibus iste insidiatur, loqui soleant, perscrutemur, aut hoc esse facere, quod creare, a quo tamen distinguitur gignere, aut id fieri, quod, si non fieret, omnino non esset; creari autem, ex eo, quod erat, condi aliquid, vel constitui, sicut

a EUSEB. Τὴν λογιστικὴν σοφίαν τὴν κτιστὴν ἐνέθηκεν. Et, τῆς λογικῆς σοφίας, τῆς ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου εὐτρεπισθείσης, τῷ ἀνθρώπῳ.

b EUSEB. ibid, Φῶς ἀΐδιον ἐκ φωτὸς ἀϊδίου, et ἄκτιστον ἐξ ἀκτίστου.

c Ibid. Οὐκ εἶπε ποίησον, ἢ ποιήσατε, ἀλλὰ ποιήσωμεν, δεικνὺς τὸ ὁμοούσιον, καὶ ὁμότιμον ἐπὶ τῆς μακαρίας ἐκείνης, καὶ ἀφράστου τριάδος.

d ATHAN. Οὕτως οὖν καὶ ὅτε λέγει, Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, περὶ τῆς ἐκκλησίας λέγει τῆς ἐν αὐτῷ κτιζομένης. οὐ γὰρ ὁ ποιητὴς τῶν ἁπάντων κτίσμα καὶ ποίημά ἐστιν, ἀλλὰ τὸ ποίημα ἐν τῷ ποιητῇ ἀνανεοῦται, κατὰ τὸ λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Παύλου· αὐτοῦ ἐσμεν ποίημα κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

* Dolet supra citatus Vezzosius p. 155 a communi Patrum doctrina discessisse hic Petavium, « Consilio fortasse non probando, postquam Sociniani cum Fausto duce infelici *defens. animadvers. adversus Gabrielem Eutropium* cap. VII, « ab illa, obtentu licet diverso, quemadmodum notum est, recesserunt. Quod tamen dum dicimus, absit verbo invidia; doctissimi enim viri aurea scripta suspicimus, quorum unica pagella studiosos magis erudiri profitebatur Ven. noster Thomasius, quam si spissa multorum volumina diurna, ac etiam nocturna manu versarentur. » Hactenus vir modestissimus, quem equidem magni facio. Sed cum etiam a Natali Alexandro *in Hist. eccles.* sæc. IV, disser. XLII, imo et a nonnullis veteribus Patribus Petavianam hanc explicationem adprobari videam, Arianis præterea admodum incommodare, sinamus unumquemque abundare in sensu suo. Socinianos porro aliis Scripturarum testimoniis, quæ nec numero pauca sunt, nec ulli obnoxia difficultati, revincemus. F. A. Z.

1 Orat. III. — 2 Hær. LXIX. — 3 Lib. IV *contra Euno.* — 4 Libr. I *contra Euno.* edit. Gret. — 5 Lib. XV *Thes.* — 6 Cap. XVIII. — 7 *Esa.* XLV, 7.

diximus creari magistratus atque urbes. Nam et illi ex iis, qui jam homines erant, constituuntur in honoribus, cum magistratus creantur; et ligna et lapides, quibus construuntur urbes, utique jam erant, sed nondum in illam rerum faciem, quam videmus in urbibus, quodam ordine et compositione venerant Quod cum sit, creari urbes dicuntur. Quod enim Græci appellant κτίζειν, hoc nostri aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere interpretantur, quod sæpissime idem significat in illis litteris, quod est facere. »

Quapropter Ariani tam Græci generis, quam Latini, qui aut κτίζειν, aut *creare* ad Filii productionem accommodabant, eumque κτίσμα, et *creaturam* esse, vel palam, vel tecte et latenter asserebant, magis in eam vocabulorum istorum notionem intenti erant, qua id exprimunt, quod non ex ipsa oritur substantia producentis, sed extra ipsum fit, tametsi non ex nihilo, id est nulla ex materia constituitur, quam in alteram illam, quæ posteriorum, maximeque theologorum usu iisdem est subjecta vocibus, ut de ea re dicantur, quæ ex nihilo plane fit, quam solam hodie fere scholæ omnes persequuntur. Verum Ariani veteres, ut dixi, et, qui eos insectati sunt, antiquiores itidem theologi eum sibi quæstionis et controversiæ proposuerunt statum, an Filius opus esset, sive opificium Dei summi, ac Patris; opus, inquam, aliquod externum, et extra Deum editum; quamvis alterum etiam illud genus dubitationis una complexi sint, utrum ex nihilo sit factus, hoc est *de non exstantibus*, ut Arius loquebatur. Sed, primariam illam τοῦ κρινομένου fuisse partem, quam dixi, animadvertet, qui antiquorum contra Arianos scripta cum judicio attenteque legerit.

De quo controvertitur.

CAPUT II.

De loco illo Joannis, Pater major me est, *quem ex Patribus quidam de Christo, qua Dei Filius est, alii, qua homo est, intellexerunt: utraque sententia declaratur. Quo sensu verum sit, quod plerique veterum asserunt, nonnisi inter ea, quæ sunt naturæ ejusdem, comparationem fieri. Pleraque alia Patrum dogmata illustrantur.*

I. Post illum e *Proverbiis* locum, nullus Arianorum usu contritior, ac famosior est, quam qui Joannis ex *Evangelio*[1] petitur; in quo Patre minorem se esse Christus plane ac citra ambages ullas profitetur. *Si diligeretis me,* inquit, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Ex quo confectam sibi rem putabant; ut, quoniam idem seipso majus minusve dici non potest, non eamdem utriusque credi substantiam, vel essentiam oporteat. « Quæ eamdem substantiam nacta sunt, aiunt illi apud Cyrillum[2], et ejusdem sunt naturæ, non habent inter se naturaliter majus, aut minus. Non enim major est homo homine secundum substantiæ rationem; ut nec equus equo. Quare, cum Filius Patrem majorem se esse dicat, consubstantiale vero consubstantiali majus esse ratione substantiæ nequeat, non est ei consubstantialis[a].» De quo quidem Joannis loco obiter illud observandum est, nonnullos Patrum sic postrema illius legere, ὁ ἀποστείλας με πατὴρ μείζων μου ἐστί, vel ὁ πέμψας με πτατήρ; quorum prius apud Epiphanium[3], posterius apud Athanasium[4] occurrit et Cyrillum[5].

Famosus Joannis locus: Pater major me est.

II. Duplex adversus hanc hæreticorum calumniam a catholicis opposita est loci illius explicatio. Nam alii Christum de seipso, qua Dei Filius est, loqui fatentes, gradum illum majoris, ac minoris aliorsum trahunt; alii ad assumptam hominis naturam referunt.

Priore modo qui primus contra Arium insurrexit, eumque damnavit, Alexander Alexandriæ præsul intellexit in epistola, quam ad cognominem scripsit Byzantii episcopum,

Alii de Christo quatenus Deus, illa interpretantur.

---

a Eunom. apud Cyril. Τὰ τὴν αὐτὴν οὐσίαν λαχόντα, φησὶν, ὁμοφυῆ τε ὄντα οὐκ ἔχουσι καθ' ἑαυτῶν φυσικῶς τὸ μεῖζον, ἀλλ' οὔτε τὸ ἔλαττον. οὐ γὰρ μείζων ἄνθρωπος ἀνθρώπου κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, ἀλλ' οὐδὲ ἵππος ἵππου τυχόν. εἰ τοίνυν ἑαυτοῦ μείζονά φησιν υἱὸ ὸς εἶναι τὸν πατέρα, ὁμοούσιον δὲ ὁμοουσίου οὐκ ἂν εἴη μεῖζον κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, οὐκ ἄρα ὁμοούσιος αὐτῷ ἐστιν.

1 *Joan.* xiv, 28. — 2 Lib. XI *Th.* — 3 Hær. lxix n. 53. — 4 Lib. *de Hum. nat. susc.* — 5 Lib. XI *Th.*

quæ apud Theodoretum [1] legitur. Ibi Patrem dici majorem ait, quatenus ingenitus est, ac sola ingeniti ratione inferiorem eo esse Filium. « Filium, inquit, similem Patri esse didicimus, solo ingenito inferiorem illo [a]. » Mox ad eam sententiam accommodat illa Christi verba, *Pater major me est*. Paulo vero post istud ipsam esse ἀγέννητον propriam Patris dignitatem vocat; quia scilicet causam, sive principium non habet; unde Chistus (ait) dixit, *Pater major me est*. Verba illius hæc sunt : « Igitur ingenito Patri propriam dignitatem reservare oportet, asserentes neminem ipsi causam esse, uti sit [b]. » Mox vero, « Ingenitum autem Patri, velut singularem proprietatem fuisse, gloriose prædicantes; cum et Salvator ipse dixerit, Pater major me est [c]. »

Ingenitum.

Sardicense concilium in epistola synodica, quam integram descripsit Theodoretus [2], « Nemo negat Patrem Filio majorem esse, non ob aliam hypostasim, nec ob aliam differentiam; sed quia nomen Patris ipsum majus est nomine Filii [d]. » Apud Athanasium in *Apologia* secunda eadem illa quidem descripta est epistola, sed omissa est dogmatica pars illius, ac sola ea posita, quæ historiam spectant.

Athanasius item in libro secundo *contra Arianos*, vel potius primo, ut Græci numerant, majorem a Filio dici Patrem ait, « quod ab eo sit genitus. » Et in libro *contra Apollinarem*, apud Joannem Cyparissiotum [3], « Nulla alia re majorem seipso Patrem dicit, nisi quatenus Filius, et Patrem honorans [e]. »

III. Basilius M. in primo *contra Eunomium* « secundum rationem causæ, vel principii, vocabulum majoris ait usurpari [f], » et majorem dici Patrem, ὡς αἴτιον, καὶ ἀρχὴν, « tanquam causam et principium. » Ac deinde, « Pater, inquit, major me est, quatenus videlicet est Pater. Porro vox ista *Pater*, quid aliud significat, nisi quod causa sit et principium ejus, qui a se genitus est? Prorsus autem substantia major substantia, vel minor, secundum sapientiam vestram non dicitur [g]. »

Idem in libro tertio : « Ut enim Filius ordine quidem secundus est a Patre, quoniam est ab illo; et dignitate, quoniam principium et causa ut sit ipse, Pater est [h]. »

Et in libro quarto, Eunomianum illud argumentum quod ex illis verbis petitur, dissolvens, respondet majorem non esse Patrem magnitudine, tempore, dignitate, vel potentia; sed honorem, quem Filius Patri tribuit, ea voce significari, non inferiorem aliquem gradum. Ex quo liquet de divina ipsa Filii persona id intellexisse Basilium.

Gregorius Nazianzenus [i] oratione quinta et tricesima quæ est prima *de Filio*, perinde censet τῷ αἰτίῳ, *ratione causæ*, *et principii* majorem esse Patrem. Unde instantibus Arianis, natura sequi majorem esse Patrem, quoniam natura Pater est αἴτιον, negat quod inde conclusum est Gregorius. Non enim tametsi quatenus est causa, major est, natura dicendus est major. Quippe non esse verum absolute, quæcumque de aliquo prædicantur, eadem et de illius subjecto prædicari. Atque hæc est, inquit, fallacia κατὰ τὸ πῆ, καὶ ἁπλῶς, *ab eo*, *quod est quadamtenus*, *ad id quod absolute dicitur*. Quasi dicat, proprietatem illam τοῦ αἰτίου inesse naturæ, tanquam subjecto, neque, si priori majoris illa conditio tribuitur, etiam in posterius necesse esse cadere. Ita oratione sequenti, « Majoris, ait, ratio ad causam pertinet, æqualis ad naturam [k]; » ac subinde refellit eos, qui majorem

Causæ.

a Alexand. Υἱὸν τε ἐμφερῆ τῷ πατρὶ μεμαθήκαμεν μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λειπόμενον ἐκείνου.

b Ibid. Οὐκ οὖν τῷ μὲν ἀγεννήτῳ πατρὶ οἰκεῖον ἀξίωμα φυλακτέον, μηδένα τοῦ εἶναι αὐτῷ τὸν αἴτιον λέγοντας.

c Mox : Τὸ δὲ ἀγέννητον τῷ πατρὶ μόνον ἰδίωμα παρεῖναι δοξάζοντες· ἅτε δὴ καὶ αὐτοῦ φάσκοντος τοῦ σωτῆρος, ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί.

d Sardic. conc. Οὐδέ τις ἀρνεῖταί ποτε τὸν πατέρα τοῦ υἱοῦ μείζονα, οὐ δι' ἄλλην ὑπόστασιν, οὐ δι' ἄλλην διαφοράν· ἀλλ' ὅτι αὐτὸ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς μεῖζόν ἐστι τοῦ υἱοῦ.

e Athan. Μείζων εἶπεν, οὐ μεγέθει τινὶ, οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατέρος γέννησιν.

f Basil. Κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον τὸ μεῖζον λεγεσθαι.

g Basil. ibid. Ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστὶ, καθὸ πατὴρ δηλονότι. τὸ δὲ πατὴρ τί ἄλλο σημαίνει, ἢ οὐχὶ τὸ αἰτία εἶναι, καὶ ἀρχὴ τοῦ ἐξ αὐτοῦ γενηθέντος; ὅλως δὲ οὐσία οὐσίας καὶ κατὰ τὴν ὑμετέραν σοφίαν, μείζων καὶ ἐλάττων οὐ λέγεται.

h Idem, lib. III. Ὡς γὰρ ὁ υἱὸς τάξει μὲν δεύτερος τοῦ πατρὸς ὅτι ἀπ' ἐκείνου, καὶ ἀξιώματι ὅτι ἀρχὴ, καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτοῦ ὁ πατήρ.

i Nazianz. Ἐὰν δὲ λεγόντων ἡμῶν, ὅτι τῷ αἰτίῳ μείζων ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ, προσλαβόντες τὴν, τὸ δὲ αἴτιον φύσει, πρότασιν, ἔπειτα τὸ μεῖζον τῇ φύσει, συνάγωσιν, οὐκ οἶδα πότερον ἑαυτοὺς παραλογίζονται, ἢ τοὺς πρὸς οὓς ὁ λόγος.

k Idem, orat. xxxvi. Τὸ μεῖζον μέν ἐστι τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον τῆς φύσεως.

1 Lib. I *Hist.* cap. iv. — 2 Lib. II, cap. viii, fol. 300 ed. Gr. — 3 Dec. IX, cap. iii.

dici Filio ob humanam susceptam naturam volunt. Non enim id esse magnum, vel admirandum, homine esse majorem Deum[a]. At Augustinus, qui majorem, propter assumptum hominem, dici vult Patrem; illud ipsum, quod Gregorius opponit, sibi a Maximiano Ariano propositum dissolvit, respondetque, « Natura humana, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, solum majorem esse Deum[1]. » Tum, « Natura vero hominis, quæ mente rationali et intellectuali creaturas cæteras antecedit, Deus solus est major; cui utique injuria facta non est, ubi scriptum est, *Major est Deus corde nostro*[2]. »

IV. Rursus Gregorii Nazianzeni insignis est ad eamdem sententiam locus in Oratione quadragesima, ubi, « quod major dicitur Pater, non ad naturam referri ait, sed ad causam. Neque enim quidquam eorum, quæ eamdem habent substantiam, substantia majus, aut minus est[b]. » Quem locum enarrans Nicetas, « Quoniam enim Filius, inquit, a Patre causam habet, hac ratione Pater major est, utpote causa. Nullo autem modo essentia unius essentia alterius major aut minor est[3].»

Tum in carmine *de Spiritu sancto*,

« Quod si qua de Filio audimus, bonove
Spiritu in divinis verbis, aut deiferis
Scriptoribus, quemadmodum a Deo Patre
secundo loco sint;
Sic intelligere volo te rationibus sapientiæ
profundæ,
Quod ad principii expertem radicem refe-
ratur, non divinitatem
Dividat. »

Nazianz.

Εἴ τινα δ' ἢ περὶ παιδὸς ἀκούομεν, ἢ ἀγαθοῖο
Πνεύματος ἐν θείοισι λόγοις, καὶ θειοφόροισιν
Ἀνδράσι, ὥς ῥα θεοῖο τὰ δεύτερα πατρὸς ἔχουσιν,
Ὧδε νοεῖν κέλομαί σε λόγοις σοφίης βαθυκόλπου.
Ὡς εἰς ῥίζαν ἄναρχον ἀνέρχεται, οὐ θεότητα
Τέμνει, etc.

Epiphanius in hæresi *Arianorum*[4], non minus de divina Verbi generatione illa verba explicat, ut et in *Ancorato*[5].

Chrysostomus[6] homilia quinta et septuagesima *in Joannem*, « Si quis, inquit, dixerit, majorem esse Patrem, qua causa est Filii, neque in eo contradicemus[c]. » Sic Isidorus Pelusiota, » Quod et majus, ait, consistit, qua ratione genitor est; et æquale, quatenus Deus est, et consubstantialis[d], » Et[7] Cæsarius Patrem, qua Pater est, esse majorem asserit.

Cyrillus Alexandrinus[8] *in Thesauris*, Joannis locum illum copiose pertractat, ac majorem, quatenus causa est, appellari Patrem affirmat his verbis: « Cum igitur secundum substantiæ rationem æqualis sit Patri Filius, et per omnia similis, majorem ipsum dicit, tanquam principio carentem, cum habeat ipse principium, eo ipso duntaxat, quod ex Patre est, tametsi existentiæ ratione cum eo convenit[e]. » Et paulo post, « Dicitur major, tanquam principium coæterni geniminis[f]. » Item postea, « Cum enim æqualis sit Patri Filius, minorem se esse dicit, secundum quamdam dispensationem, ut ostensum est[g]. » Hic Latinus interpres adverbium οἰκονομικῶς Latine sic reddidit, *secundum incarnationem*. Et quidem ἡ οἰκονομία, maxime addito nomine ἔνσαρκος, *incarnationem* significat, tamen οἰκονομικῶς absolute ibi positum, nec ullo addito alio, quemdam sermonis usum et accommodationem exprimit, quem Christus tunc adhibuit. Nam et proxime ante, majorem eo ipso Patrem esse, quod Pater est, Cyrillus diserte docuerat. At supra, cum οἰκονομικῶς id dictum a Christo scripsisset, statim incarnationis meminit.

a Naz. Orat. xxxvi. Τὸ γὰρ δὴ λέγειν, ὅτι τοῦ κατὰ τὸν ἄνθρωπον νοουμένου μείζων, ἀληθὲς μὲν, οὐ μέγα δέ. τί γὰρ αυμαστὸν, εἰ μείζων ἀνθρώπου θέος;

b Nazianz. Οὐ γὰρ κατὰ τὴν φύσιν τὸ μεῖζον, τὴν αἰτίαν δέ· οὐδὲν γὰρ τῶν ὁμοουσίων τῇ οὐσίᾳ μεῖζον ἢ ἔλαττον.

c Chrys. Εἰ δὲ λέγοι τις μείζονα εἶναι τὸν πατέρα, καθὸ αἴτιος τοῦ υἱοῦ, οὐδὲ τοῦτο ἀντεροῦμεν.

d Isid. Pel. lib. III. epist. cccxxxiv. Ὅτι, καὶ τὸ μεῖζον ἵσταται, ᾗ γεννήτωρ· καὶ τὸ ἴσον, καθ' ὃ θεὸς, καὶ ὁμοούσιος.

e Cyril. Ἴσος τοιγαροῦν κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον ὑπάρχων ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, καὶ ὅμοιος κατὰ πάντα, μείζονα αὐτόν φησιν, ὡς ἄναρχον, ἔχων ἀρχὴν κατὰ μόνον τὸ ἐκ οὗ, εἰ καὶ σύνδρομον αὐτῷ τὴν ὕπαρξιν ἔχει.

f Idem. Λέγεται δὲ μείζων, ὡς ἀρχὴ τοῦ συναϊδίου γεννήματος.

g Idem. E. Ἴσος γὰρ ὑπάρχων ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, τὸ ἔλαττον ἐφ' ἑαυτοῦ τίθησιν οἰκονομικῶς ὡς δέδεικται.

4 Lib. III *cont. Max.* cap. xxv. — 2 I *Joan.* III, 20. — 3 Num. 49. — 4 Hær. lxix, num. 53. — 5 Num. 17. — 6 Ad cap. xiv. *Joan.* 29. — 7 Dial. I inter. 18. — 8 Lib. XI.

V. Cæterum in eodem loco Cyrillus Eunomii argumentum, ex illis petitum Christi verbis, in auctoris caput retorquet, atque ex eo, quod Pater, et Filius inter se comparantur, ejusdem ambos naturæ esse ac substantiæ demonstrat, non vero dissimiles natura. Siquidem ea tantummodo inter se comparantur, ut majus altero dicatur alterum, quæ sunt ejusdem naturæ, ita ut comparatio fiat, non secundum essentiam, sed secundum affectionem aliquam, aut accidens; ut cum homo homine major minorve dicitur ob staturam corporis, vel robur, cum una sit in omnibus natura, vel essentia. At in Deo nullum inest accidens, nulla prorsus affectio. Igitur nulla re Pater Filium superat; nec major alia de causa dicitur, nisi quia principium est illius. Ita in Græco Cyrilli. Sed Latinæ priores editiones addunt, « vel propter dispensationem incarnationis. » Hac Cyrilli ratione complures alii Patres utuntur ut Basilius epistola CXLI. « Quoniam, inquit, comparationes proprie fieri scio inter ea, quæ sunt ejusdem naturæ. Nam Angelum dicimus Angelo esse majorem, et hominem homine justiorem, et volucrem volucri perniciorem [a];» quod et in libro quarto *adversus Eunomium* posuit, et Cyrillus idem in dialogo quinto [1]. Tum Isidorus Pelusiota [2], qui ex eo ipso, quod hæretici majorem Filio Patrem esse contendunt, ostendit non esse creaturam Filium; quia comparatio nulla inter Deum et creaturam institui potest, qualis est ista majoris ac minoris. Et alibi perinde ac Cyrillus, atque iisdem pene verbis declarat, ea solum, quæ ejusdem sunt naturæ, conferri invicem. Neque enim hominem dici majorem bove, vel equum camelo, vel asinum pisce. At vero Athanasius Oratione secunda, vocem κρείττων de iis, quæ diversæ sunt essentiæ, usurpari probat e Scripturis; atque adeo Filium non ejusdem cum Angelis esse naturæ, quoniam ab Apostolo κρείττων τῶν ἀγγέλων, *præstantior angelis dicitur* [3]. Sic et Cyrillus Alexandrinus in *Thesauris* [4].

Inter quæ comparatio possit institui.

VI. Sed illa veterum argumentatio ex majoris minorisque appellatione sumpta, nisi dextre capiatur, vix est ut probari possit. Nam vulgare illud est, usuque contritum, ut ea, quæ diversæ sunt naturæ, conferantur inter se, et unum altero majus, aut minus, aut æquale; simile item, et dissimile, aut qualitate aliqua magis aut minus affectum dicatur. Augustinus quoque libro XVI *contra Faustum*, cap. XV. « Non ea tantum, ait, quæ unius ejusdemque naturæ sunt, dicuntur inter se esse similia, sicut gemini homines, vel filii parentibus, etc.; verumtamen naturæ disparis sunt et dicuntur multa similia, ut olivæ oleaster, et far tritico. » Certe nivem calce candidiorem nemo dicere dubitet; aut aquam terra frigidiorem; item hominem cane majorem. Nec aliud fere comparationum genus, quam ex diversis natura rebus a poetis assumitur; quarum innumera sunt exempla. Quid igitur veteribus illis faciemus? Est apud R. Mosem in primo *More Nebochim*, capite secundo et quinquagesimo, pulcherrimus, et ad rem nostram aptus imprimis locus. Comparationem ait inter ea sola fieri, quæ sub eadem sunt proxima specie; non autem inter illa, quæ sub eodem genere continentur, maxime remoto, aut etiam sub generibus diversis, « Idcirco, inquit, non dicitur, hic rubor fortior est, aut debilior, quam ista viriditas, vel ipsi æqualis, licet sub eodem genere comprehendantur, colore scilicet. Si autem duæ res sint sub duobus generibus summis, tum extra omnem controversiam, etiam in notitia communi et naturali; non possunt inter se comparari. » Itaque nulla comparatio est inter centum cubitos, et inter calorem piperis. Hæc R. Moses, ex quibus regula ista conformari sic potest, ut, cum inter ea comparatio nulla esse dicitur, quæ specie vel genere diversa sunt, non subjectæ formis et affectionibus substantiæ, sed ipsæ affectiones intelligantur. Etenim homo, vel equus, et nix neque sub eadem specie, neque sub eodem genere proximo sunt; et invicem tamen conferuntur. Sic *niveum Pallanta* [5]; et equos *candore nivali* dixit poeta [6]. Et alibi de equis,

« Qui candore nives anteirent, cursibus au-
[ras [7]; »

ut ante hunc Homerus,

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὅμοιοι.

a Basil. Τὰς γὰρ συγκρίσεις οἶδα κυρίως ἐπὶ τῶν τῆς αὐτῆς φύσεως γινομένας. ἄγγελον γὰρ ἀγγέλου λέγομεν μείζονα, καὶ ἄνθρωπον ἀνθρώπου δικαιότερον, καὶ πτηνὸν πτηνοῦ ταχύτερον.

b Rabbi Moses. כי היחם אמנם ימצא לעולם בין שני דברים שתחת מין אחר קרוב בהכרה.

1 Lib. III, ep. CCCXLI. — 2 Lib. I, ep. CCCXLII. — 3 *Hebr.* I. — 4 Cyr. lib. XX *Thes.* — 5 *Æn* XI. — 6 Id. III. — 7 Id. II.

Sed nimirum, quoniam in utrisque color est idem, ejus ratione comparantur inter se. Quæ comparatio similitudinis appellari potest. Est autem etiam alia, quam *proportionis* vocare licet, quæ est inter formas specie atque etiam genere diversas, secundum quam colorum distinctorum unus altero vegetior, aut remissior dicitur; quemadmodum et qualitatum cæterarum. Sic enim philosophi corpora simplicia, id est elementa, duplici constare qualitate putant, quarum una est vehementior, altera remissior. Nisi quis ad eamdem speciem quantitatis, quæ perfectionem qualitatis certa graduum modulatione metitur, comparationem istam malit referre : « Est enim omne corpus corpori comparabile secundum quantitatem [a], » ait Aristoteles. Cæterum inter ea, quorum formæ tantum æquivoce conveniunt, ut ibidem R. Moses asserit, nulla propria fit comparatio. Atque hoc modo Deum inter et creata omnia, siquidem illum, ut in se est, consideremus, nulla potest esse comparatio. Quanquam, uti cognitioni nostræ subjicitur, quæ est imperfectissima, cum creatis rebus utcumque confertur. Sed ea comparatio minime propria est; quia non secundum id instituitur, quod proprium est Dei, sed quod a nobis adumbratione quadam veritatis intelligitur.

VII. Quocirca Patres illi, qui nullam inter ἑτεροφυῆ, hoc est *natura disparata*, comparationem esse volunt majoris, aut minoris, primum de forma ipsa, secundum quam comparatio fit, explicandi sunt; quæ si nullo modo communis sit pluribus, (ut ea sunt, quæ in Deum competunt, si, ut insunt, perfecteque noscantur) omnem penitus comparationem respuunt. Deinde, cum in creatarum rerum natura, et essentia diversi considerentur gradus, alii aliis superiores, et subjecti, quos in eadem categoriæ serie gradatim ad summum usque surgentia genera ac species efficiunt; inde fit, ut quemadmodum diversæ specie, aut etiam genere res in uno aliquo gradu conveniunt invicem; ita formas et qualitates habeant similes, aut easdem etiam specie, quæ communi aliquo ex gradu generis oriuntur. Sic enim homo cum brutis animantibus communes habet externorum facultates sensuum, visum, auditum, tactum, et cæteros, corpore item prædita omnia, secundum id; quod in corporati genere conveniunt, complures habent proprietates qualitatesque communes, ac specie prorsus easdem, quatenus eadem in omnibus prima corpora, hoc est elementa cernuntur. In iis igitur formis et proprietatibus, vel inter genere diversa comparationem licet facere. Quis enim reprehendere audeat dicentem, lepore esse celeriorem aquilam, aut Achillem testudine? In quo etiam cautio adhibenda est illa, quam Cyrillus indicat, qui in *Thesauri* undecimo libro Anomœos redarguit, majoris minorisque comparationem ad similitudinis ac dissimilitudinis habitudinem trahentes. Quos quidem imperite facere docet, et secus, quam ipsorum Deus Aristoteles tradidit; dum majus et minus ad eamdem categoriam referunt, in qua simile ac dissimile continetur. Atqui genere ista differunt; et majus minusque quantitati, simile ac dissimile qualitati tribuitur. Igitur in proprietatibus istis, quas dixi, diversis specie ac genere, sed in uno aliquo convenientibus naturis esse communes, considerandum est, ad quantitatem, an ad qualitatem illæ pertineant. Nam si quantitatis insit aliquid, majoris ac minoris fiet inter illa comparatio; si ad qualitatem spectant, similis ac dissimilis, aut ejusmodi; secundum quam magis usurpatur, ac minus. Etenim, quæ magis, ac minus non recipiunt, nulla potest dissimilitudinis, aut majoris ac minoris perfectionis inter illa fieri contentio. Ut homo homine nemo perfectius rationis est capax, aut sensus. Quo argumento recte Cyrillus aliique Patres, Anomœos, ac pestes cæteras convincunt, ac probant non esse Filium οὐσίᾳ minorem Patre; quoniam substantia magis, aut minus non admittit. Quod si οὐσίᾳ minor non est; ne alia quidem ulla re esse potest, cum nullum insit accidens Deo. *Substantia.*

VIII. Sed ad percensendos prioris auctores sententiæ revertamur. Ex iis Joannes Damascenus[2] majorem Filio Patrem esse censet κατὰ τὸ αἴτιον, ita scribens : « Quod si dicimus, Patrem esse principium Filii, eoque majorem; non priorem illum esse Filio significamus, tempore, vel natura, nam per ipsum fecit sæcula, aut alio quopiam, præterquam ratione causæ; nimirum, quia Filius a Patre genitus est, non Pater a Filio; et quia Pater naturaliter est causa Filii [b]. »

Alii ejusdem sententiæ patroni percensentur.

Ratione causæ.

a Arist. Εἰ δὲ γὰρ ἅπαν σῶμα σώματι συμϐλητὸν κατὰ τὸ ποσόν.

b Damasc. Εἰ δὲ λέγομεν τὸν πατέρα ἀρχὴν εἶναι τοῦ υἱοῦ, καὶ μείζονα, οὐ προτερεύειν αὐτὸν τοῦ υἱοῦ

1 Lib. III *de Cœlo* cap. v tex. xlvii. — 2 Lib. I, cap. vi.

Ex Latinis complures eadem illa Joannis verba, quibus majorem se esse Patrem Christus fatetur, de ipso, qua Pater est, diserte explicant. Sed plerosque ideo commemorare nolo; quoniam sic illi interpretari videri possunt, quod alioqui non satis de Filio accurate locuti sunt; ut libro superiore probavimus. Inter quos Novatianus[1], minorem Filium esse dicit, « dum in illo esse se scit habens originem, quia nascitur. » Hilarius in nono libro, etsi de humana suscepta natura locum illum exponere videtur, tamen etiam de divinitate hoc, quod se Patrem majorem esse dixit, accepit : « Aut numquid Pater major non est? inquit, major utique Pater est, dum Pater est; sed Filius, dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem constituit majorem; minorem vero Filium esse, nativitatis natura non patitur. » Et paulo ante : « Major itaque Pater Filio est, et plane major, cui tantum donat esse, quantus ipse est; qui innascibilitatis esse imaginem, sacramento nativitatis impertit; quem ex se in sua forma generat; quem rursum de forma servi in forma Dei renovat, » etc. Quare ad utramque naturam dictum illud retulit, ut et paulo post : « Nam et Pater, dum et Pater est, ait, et glorificat nunc Filium hominis, major est. » Sic libro undecimo : « In eo, quod in sese sunt, Dei ex Deo divinitatem cognosce. In eo vero, quod Pater major est, confessionem paternæ auctoritatis intellige. » Sed et in tertio libro, « Et quis non Patrem, inquit, potiorem confitebitur, ut ingenitum a genito, ut Patrem a Filio, ut eum, qui miserit, ab eo, qui missus sit, ut volentem ab ipso, qui obediat? Et ipse nobis erit testis : Pater major me est. »

IX. Marius Victorinus Afer, libro primo *contra Arium*, « Major, inquit, Pater, quod ipse dedit ipsi omnia; et causa est ipsi Filio, ut sit, ut isto modo sit. Ad hoc autem major, quod actio inactuosa. eatior Benim, quod sine molestia, et impassibilis, et fons omnium, quæ sunt, requiescens, a se perfecta, et nullius egens. Filius autem ut esset accepit, et in id, quod est, ageret, ab actione procedens, in perfectionem veniens, motu efficitur plenitudo. Sed quoniam in ipso, et in ipsum, et per ipsum gignuntur omnia, plenitudo, et semper receptaculum est, qua ratione, et impassibilis, et passibilis. Ergo et æqualis, et inæqualis. Major est igitur Pater. » Quæ verba, ut et cætera auctoris illius, obscurissima sunt. Hoc tamen significare videtur, Patrem eo sensu dici majorem, quod origo sit, ac fons, habens a se divinitatem, non ab alio, quadam velut motione et actione transfusam; quemadmodum Filius non a se, nec citra motum, hoc est productionem illam obtinet; quam velut passionem aliquam esse Victorinus existimat, nempe passivam, ut ita dixerim, generationem. Sed hæc minus ad catholicam regulam expensa, ut et alia pleraque, scriptor ille ferreus. Sœbadius Aginnensis, libro *contra Arianos*. « Pater, inquit, major me est. Merito major, quia solus hic auctor sine auctore est. »

Auctor item quæstionum[2] utriusque Testamenti, qui in calce tomi quarti operum Augustini positus est, « Nihil plane differt, inquit, in substantia, quia verus Filius est; differt tamen causalitatis gradu; quia omnis potentia a Patre in Filio est, et in substantia minor non est Filius, auctoritate tamen major est Pater. »

Augustinus ipse, tametsi sæpius, propter humanam naturam a Filio susceptam, majorem eo dici Patrem doceat; alicubi tamen tam hac de causa, quam ob æternam generationem, usurpari idipsum asserit, ut in libro *de Fide et Symbolo*[3]; ubi et illum Joannis locum, et alios similes, « partim propter administrationem suscepti hominis dicit ait; partim propter ea, quia Filius Patri debet, quod est; hoc etiam utique debens Patri, quod eidem Patri æqualis, aut par est; Pater autem nulli debet, quidquid est. » Et in libro tertio *contra Maximinum*[4], utroque sensu minorem dici Filium ostendit; « vel ex forma servi, in qua vere minor est Patre; vel ut « demonstraretur alter esse ex altero. »

Faustinus, qui et Gregorius Bæticus a nonnullis appellatur, in libro *de Trinitate et Fide*, majorem dici Patrem vult, primum ob assumptam hominis naturam a Filio, deinde ob solum sacramentum generationis. « Et hunc enim pium sensum nonnulli catholici prosecuti sunt, dicentes, Patrem et Filium ejusdem substantiæ : et ideo secundum substantiam alterum altero non esse majorem. » Addit postremo; « Et ideo non dixit, Deus major me est, sed Pater major me est. »

χρόνῳ, ἢ φύσει ὑποφαίνομεν. δι' αὐτοῦ γὰρ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν. οὐδὲ ἕτερόν τι, εἰ μὴ κατὰ τὸ αἴτιον. τουτέστιν ὅτι ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἐγεννήθη, καὶ οὐχ ὁ πατὴρ ἐκ τοῦ υἱοῦ. καὶ ὅτι ὁ πατὴρ αἴτιός ἐστι τοῦ υἱοῦ φυσικῶς.

1 Lib. *de Trin.* cap. XXXI. — 2 Quæst. CXXII, sub. fin. — 3 Cap. IX. — 4 Cap. XIV.

X. Hactenus antiqui illi, quibus majorem Filio Patrem appellari visum est, propterea quod Filius a Patre genitus est. Ideo nescio quam in Patre prærogativam constituunt, quod ab eo, ceu fonte, originem habeat Filius, non autem e contrario ab hoc ille proficiscatur; unde origine prior esse dicitur pater. Sed nullam idcirco potiorem in eo naturæ conditionem statuunt; quam eamdem utique, et simplicem in ambobus agnoscunt. Quidam etiam eo solo majorem asserunt, quod appellatio ipsa Patris majus aliquid præferat, quam illa Filii, ut Sardicense concilium loquitur; quod non sic intelligendum est, quasi nomine tenus majorem Filio Patrem Scriptura dicat, nec isti voci majoris cujusdam notio ulla subjecta sit; sed ut major sit idem, quod prior origine, et alterum ex se producens, non ab eo productus; vel, ut Gregorius Nazianzenus [1] loquitur, quod a Patre accepit omnia, « non tanquam adventitia, sed ut a principio cum eo simul existentia, ac naturæ ratione, non gratiæ [a]. »

Alii eadem verba de Christo quatenus homine intelligunt.

XI. Posterior est illorum interpretatio, qui majorem Filio Patrem ideo nominari sentiunt, quia Filius homine suscepto *minoratus est*, non *a Deo* solum, sed etiam *ab Angelis*, ut Apostolus ait. Sic Athanasius [2] in libro *De humana natura suscepta*, paulo post initium, et in fine. Nam disputationis illius in Nicæno concilio cum Ario habitæ, piget mentionem facere. Falso enim illi tribuitur. Atque in illa quidem perinde ad humanam naturam illa verba referuntur. Basilius item in epist. CXLI. Gregorius Nyssenus, in libro *de Abraham* apud [1] Joannem Cyparissiotum, Amphilochius apud Theodoretum *Dialogo contra hæreticos* tertio, et apud Gelasium in libro *De duabus naturis;* Cyrillus [3] libro decimo *in Joannem*, ubi late istud explicat, et argumentatione probat, de Christo, qua est Deus, intelligi non posse; de quo postea. Tum in libro undecimo *Thesaurorum*. Sic Hilarius in nono libro, et Sœbadius, ac Faustinus, quos supra commemoravi, tam de Deo, quam de homine Christo verba illa sumpserunt. Ambrosius vero de humana natura sæpius; ut in tertio libro *de Fide*, cap. IV, et in secundo *Commentariorum ad Lucæ* caput tertium. Et Augustinus passim; ut in tertio *contra Maximinum* [4], et primo *de Trinitate* [5], et tractatu decimo octavo *in Joannem*, et in epist. CLXXIV, et libro *contra Sermonem Arianorum*. Leo papa, sermone tertio *de Pentecoste*, et in epistola *ad Flavianum;* Idatius Clarus, cap. IV, *cantra Varimadum* : Faustus in libro *de Ratione Fidei*, et in epistola *ad Gregorium Diaconum :* Agnellus *ad Arminium*; Joannes Papa epistola secunda *ad Valerium:* Victor in *Professione fidei, ad Hunericum :* Fulgentius [7] libro *de Fide ad Petrum;* Isidorus [8] libro *de Differentiis;* Alcuinus libro tertio *de Trinitate*, capite septimo; Rhabanus Maurus libro primo *de Universo,* cap. secundo; et, quod caput est, plerique Occidentis episcopi, tum ii, qui in Parisiensi synodo Hilarii tempore convenerunt [9], quorum exstat epistola; tum qui cum Ambrosio concilio Aquileiensi interfuerunt, et Palladium, ac Secundinum Arianos episcopos condemnarunt. Theophylactus item in commentariis ad illum Joannis locum bifariam exponit.

Bezæ et Calvini audacia.

XII. Hanc pro utraque sententia copiam auctorum attuli, ut ex ea Calvini, Bezæ, ac similium audacia constet; quibus « nec recta, nec consentanea (verba sunt Calvini) Patrum solutio » videtur. Atqui quam isti mediam afferre se putant, ea in secundam recidit, ut quivis intelligit. Sic enim interpretantur, ut neque de Christo, qua homo est, neque qua Filius, intelligi verba ista debeant, sed status præsentis vilitatem cum paterna et cœlesti gloria conferri. « Quasi diceret, ait Calvinus, Cupitis me retinere in mundo; atqui præstat in cœlum ascendere, hoc est ad Patrem, cujus conditio, (verba sunt Bezæ), infinite ab hac mea vilitate differt. » Itaque « saltem mea causa non debetis meo a vobis discessu turbari, cum hac mea ad Patrem illum meum profectione ad ipsius gloriam transiens nihil sim amissurus; sed in gloriam illam paternam evehendus, ac tanto etiam vobis conservandis potentior futurus. » Sed ista, qualiscumque tandem est, loci illius enarratio, nihil ab secunda veterum opinione discrepat, quæ ad hominem Christum verba ista refert. Hujus enim naturæ propria est vilitas illa, inferiorque conditio, quacum meliorem feliciorem-que commutaturum se esse Christus affirmat. Sed de hac illorum sententia plus satis, neque enim longiores hic esse nos oportet. Utram vero sequemur, οἰκονομικῶς, ut loquitur Cyril-

a Nazianz. Οὐχ ὡς ἐπίκτητα, ἀλλ' ὡς ἀπ' ἀρχῆς συνυπάρχοντα, καὶ λόγῳ φύσεως, ἀλλ' οὐ χάριτος.

1 Or. XXXVI. — 2 *Heb.* I. — 3 Dec. IX, cap. III. — 4 Cap. XIV. — 5 Cap. VII, IX et XI. — 6 Cap. IV. — 7 Cap. XVI. — 8 Num. 14. — 9 Epist. syn. Paris. T. I, *contra Gal.*

lus, dictum illud a Christo, et quidem consentanee, sic apparet. Est enim consequens, primum, si Pater, qua Pater est, et principium, major sit Filio, gaudere Filii discipulos, et amicos, quod ipse redeat ad Patrem. Gaudere, inquam, illos attinet, quod Filius, quantum par est, Patri defert, et, functione peracta, ad quam obeundam missus ab eo fuerat, ad eumdem revertitur. Hæc ex priorum opinione Patrum consequentia potuit esse sermonis. Deinde, quia Pater in mera divinitatis gloria et splendore permansit, neque se ad humanæ conditionem vilitatis abjecit, recte sequitur, gaudendum esse discipulis eo ipso, quod ad Patrem Christus redeat; nimirum quoniam, posito mortali statu, vitaque tot ærumnis et calamitatibus, ac morti denique subjecta, paternam aspiret ad gloriam. Quemadmodum, si a paternis ædibus peregre profectus in longinquam regionem locupletissimi cujusdam Filius, in squalore, ac sordibus obsolescat, et ad patrem ideo redire gestiat, gaudere propterea debent, qui illum amant, quod ad Patrem revertatur; quoniam ad ditiorem, et fortunatiorem, hoc est majorem ac potentiorem redeat, cujus opibus, et splendore præsentem abstergat egestatem et ignominiam. Hæc posterior ratio multo mihi priori videtur aptior, et a calumniis Arianorum expeditior. Quæ autem ab duobus illis hæreticis objecta sunt, nihil nos movent. Sunt enim levissima.

XIII. Nec minus ei, quod a Cyrillo est objectum, satisfaciet nostra illa ratio. Hic enim libro decimo *in Joannem*[1], quam alibi secutus erat verborum illorum Christi sententiam, ut de eo, quatenus Deus est a Patre genitus, intelligantur, refellit, et oppugnat. Proponit enim sibi Ariani cujusdam argumentum adversus catholicos asserentis, ideo non posse verba ista pertinere ad humanam naturam, quoniam, « quæ natura diversa sunt, invicem non comparantur. Nemo enim dixerit unquam, hominem pecude sapientiorem esse, nec equum testudine velocius currere; sed hominem homine doctiorem esse, equum equo celerius ferri. Cum igitur sola illa, quæ ejusdem sunt generis, mutuam inter se comparationem admittant, necesse est illos fateri, Patrem ipsa Unigeniti divinitate esse majorem[a]. » Hæc Arianus ille. Sed nihil hæc Cyrillum morantur, quin Christum, ratione assumpti hominis dicat cum Patre conferri. Nam, cur de se ipso, qua Deus est, ista loqueretur, causam non fuisse; neque ad consolandos discipulos vim ullam habituram divinitatis mentionem suæ. Quæ Cyrilli argumentatio facile ex iis, quæ sunt a nobis paulo ante dicta, dissolvitur. Secundum hæc, hæretici argumentum in ipsummet retorquet, ac suo illum telo cruentat, dum ex eo, quod ille contendit, non comparari inter se, quæ sunt ἑτερογενῆ, id est *genere diversa,* sive natura dissimilia, concludit Filium ejusdem esse cum Patre, quocum confertur, naturæ atque substantiæ. Nam neque homines ipsi, qui inter se comparantur sic, ut unus altero major esse dicatur, in natura et substantia comparantur; sed in qualitate aliqua, quæ sit in ambobus dissimilis, cum sit natura par utriusque. At in Deo nihil præter οὐσίαν est adventitium, in quo fieri comparatio possit. *Substantiam.*

XIV. De qua re fuse idem et alibi Cyrillus disputat, ut in dialogo quinto; ubi et exemplo Abraami, Isaacique demonstrat, non sequi inde, quod Filius Patre sit minor, eique subjectus, non ejusdem esse cum illo substantiæ, præsertim cum Christus ipse, qua homo, matri, ac patri, suo Josepho *subditus* fuisse dicatur[2]; quibus secundum eamdem naturam, qua subjiciebatur, erat ὁμούσιος. Sic et alio in *Consubstantialis.* loco[3] Arianos eosdem ipso suo argumento jugulat, quod nihil necesse sit, diversæ esse naturæ, quorum majus unum altero dicitur, quemadmodum lignum ligno majus est. « Quare cum et in iis, quæ consubstantialia sunt, locum habeat majoris, et minoris illa comparatio; frustra vos in Patre, ac Filio demonstrari putatis argumento illo, diversam in ambobus esse substantiam[b]. » Cui et Basilius consonat in libro quarto *adversus Eunomium.* « Non enim, inquit, quod majus dicitur, sta-

a Hæretici verba apud Cyril. Μηδὲ κἂν τοῦτο συναιδεῖν δυνηθέντες, ὡς τὰ ἑτερογενῆ οὐδαμῶς συγκρίνεσθαι δύναται. οὐδεὶς γὰρ ἂν εἴποι ποτὲ ἄνθρωπος σοφώτερός ἐστι κτήνους· οὔτε μὴν ἵππος ὀξυτέρως τρέχει χελώνης. ἀλλ' ἄνθρωπον ἀνθρώπου ἐλλογιμώτερον· ἵππον δὲ ἵππου ὀξύτερον φέρεσθαι. μόνων τοίνυν τῶν ὁμογενῶν τὴν πρὸς ἄλληλα σύγκρισιν ἐπιδεχομένων, ἀνάγκη αὐτοῖς ὁμολογῆσαι, ὅτι ὁ πατὴρ μείζων αὐτῆς τῆς τοῦ μονογενοῦς θεότητος ὑπάρχει.

b CYRIL. Ἐμβαίνοντος τοίνυν καὶ ἐπὶ τῶν ὁμοουσίων τοῦ τε μείζονος, καὶ τοῦ ἐλάττονος, περιττῶς ὑμεῖς ἐπὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ ταύτην ἀπόδειξιν ποιεῖσθε τοῦ ἑτεροουσίου.

1 Cap. I. — 2 *Luc.* II. — 3 Lib. II *Thes.*

tim consequens est diversæ esse substantiæ [a]. Nam et homo homine, et equus equo major dicitur. » Quoniam, ut recte Hilarius in undecimo libro[1], « Deum nasci non est aliud, quam in ea natura esse, qua Deus est; quia nasci, cum causam nativitatis ostendat, non disproficit tamen in genere auctoris existere. Quod autem non disproficit in genere, debet quidem auctori causam nativitatis suæ, naturam tamen ex se non amisit auctoris; quia nativitas Dei neque aliunde, neque aliud est.» Ibi *generis* nomen eodem sensu, quo Cyrillus, accepit, cum ὁμογενὲς, et ἑτερογενὲς usurpat. Est autem illa Cyrilli, Basilii aliorumque ratio, nam et complures ea sunt usi, ut suis locis ostendimus, ad retundendos Arianos aptissima, si ita conformetur, non esse consequens saltem, ut, si Pater Filio, qua genitus est hic ab illo, major sit, continuo non sit ὁμοούσιος. Minus autem ponderis habebit, si universe concludat, comparationem inter ea sola fieri, quæ sunt ὁμοούσια; de quo supra latius egimus. Vide Cyrillum eumdem libro IV *Commentariorum in Joannem*.

Ejusdem generis diversi generis.

Observatio ad priorem sententiam intelligendam perutilis.

XV. Cæterum etiam atque etiam observandum est, quod et contra Arianos plurimum valet, et ad illorum Theologorum, qui Christum, qua genitus est a Patre, dici eo minorem sentiunt, intelligendam sententiam, et ab calumnia liberandam pertinet, Patrem ita dici majorem Filio, qua Filius est, vel qua genitus est, ut non major eodem dicatur, qua Deus est, vel secundum naturam et essentiam. In quo hæretici illius, quem contra Cyrillus in decimo commentario *ad Joannem* disputat, fucus et calumnia detegitur, qui *Patrem divinitate Filii majorem esse* docuit. Sed fallitur. Non enim major minorve persona una altera dicitur in eo, in quo unum sunt numero, sed in eo, quo invicem differunt. Siquidem ejusmodi comparatio, quæ inæqualitatem præ se fert, diversitatem requirit, ut ea docent exempla, quibus Cyrillus et Basilius usi sunt, hominis cum homine, vel equi cum equo comparati; qui inæquales in eo dicuntur invicem, non in quo specie sunt unum, quæ magis, ac minus excludit, sed in quo differunt. Porro Filius eamdem numero cum Patre divinitatem habet, sed proprietate differt. Proinde *Filietas* ipsa *Paternitate* quodammodo minor est; vel Filius, qua Filius, Patre, ut Pater est, minor dicitur, quoniam origine est posterior; non autem ut Deus, hoc est ratione divinitatis, nisi quatenus proprietate hæc afficitur.

Patris inter se et secum conciliantur.

Hoc si ante oculos habemus, facile veteres illos Patres in concordiam vocabimus, qui vel secum ipsi, vel cum aliis conflictari videntur. Quippe partim aiunt, inter ea sola, quæ sunt ὁμοούσια, comparationem institui majoris et minoris. partim negant τῶν ὁμουσίων dici unum majus alio. Quæ sunt ambo verissima, si ita, ut Cyrillus[2] supra a nobis citato loco hæc accepit, interpretari velimus, ut κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, pares sint, et æquales; major vero sit Filio Pater, quia hic illius est causa, vel principium, hoc est propter personæ proprietatem.

Ejusdem substantiæ. Eorum quæ sunt ejusdem substantiæ.

Secundum substantiæ rationem.

XVI. Non minus et contrarietas in speciem altera dictorum explicari potest, dum alii ἀξίωμα, id est *dignitatem* in una persona majorem, quam in alia videntur agnoscere; alii, aut iidem etiam alibi, nullum dignitatis ullius discrimen admittunt. Nam Alexander primo a nobis loco capitis initio positus, οἰκεῖον ἀξίωμα, *propriam dignitatem* Patri vindicat, secundum quam major est Filio. Et Basilius in tertio *adversus Eunomium*[3], Spiritum sanctum tertium esse dicit ἀξιώματι, et ὑποβεβηκέναι τὸν υἱὸν τῇ τε τάξει, καὶ τῷ ἀξιώματι, *subjectum esse Filio ordine et dignitate*. Et idem nihilominus in quarto *adversus* eumdem *Eunomium*, in illis Joannis verbis, τὸ μεῖζον neque magnitudinis ratione, neque temporis, neque dignitatis, neque virtutis, ac ne causæ quidem, principive dici existimat. Nimirum ἀξίωμα qui majus in Patre constituunt, non φυσικὸν, sed personale intelligunt. Unde et Basilius sic ἀξιώματι tertium fatetur esse Spir. sanc. ut neget esse

Dignitate.

Majus.

Dignitatem... naturalem

Dignitate.

a Basil. Ἔπειτα τὸ μεῖζον οὐ πάντως καὶ ἑτεροούσιον. ἄνθρωπος γὰρ ἀνθρώπου μείζων λέγεται, καὶ ἵππος ἵππου. ὥστε εἰ καὶ ὁ πατὴρ μείζων λέγεται, οὐκ εὐθὺς καὶ οὐσίας ἑτέρας.

b Basil. IV *cont. Eunom.* Ἀλλὰ μεγέθει μὲν ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ οὐκ ἂν λεχθείη μείζων. ἀσώματος γάρ. ἀλλ' οὐδὲ χρόνῳ. ὁ γὰρ υἱὸς αὐτῶν δημιουργός· ἀλλ' οὐδὲ ἀξιώματι· οὐ γὰρ ἐγένετο ὃ οὐκ ἦν ποτε. οὔτε μὴν δυνάμει· πάντα γὰρ ὅσα ὁ πατὴρ ποιεῖ, καὶ ὁ υἱὸς ὡσαύτως ποιεῖ. οὔτε ὡς αἴτιος· ἐπεὶ ὁμοίως καὶ αὐτοῦ καὶ ἡμῶν μείζων, εἴ γε αὐτοῦ, καὶ ἡμῶν αἴτιος. τιμὴν τοίνυν μᾶλλον τὸ ῥηθὲν ἡμῖν πρὸς πατέρα, οὐκ ἐλάττωσιν τοῦ εἰπόντος δείκνυσιν.

* Jam monuimus quartum et quintum adversus Eunomium dubiæ esse auctoritatis. J. B. F.

1 Sub init. — 2 Lib. XI. — 3 Sub init.

φύσει, id est *natura* tertium. Denique honoris id esse potius adversus Patrem indicium existimat, quam ut eo sit habendus inferior Filius. Quæ cum addit Basilius, ad eorum videtur accedere sententiam, qui de Christo, qua est homo, verba illa intelligenda censent. Cyrillus in dialogo quinto Deum ostendit « nulla re præstare Deo; neque alterum altero deteriorem posse esse, quantum ad divinam naturam attinet; quemadmodum neque homo ab homine distat secundum humanitatis rationem [a]. » Idem et in libro decimo commentatiorum in *Joannem* affirmat. Et in calce dialogi primi, docet « Patris vocabulum non esse ἀξιώματος, id est *dignitatis, et excellentiæ nomen* [b], » de genere illo dignitatis loquens, quod divinitati per se convenit. Quippe « communia ambobus esse ornamenta gloriæ, et excellentiæ [c].»

XVII. Sed illud Basilii in quarto *contra Eunomium* non incuriose prætereundum est, quod majorem esse Patrem negat Filio, etiam κατὰ τὸ αἴτιον, cum hoc tamen et ipse libro primo diserte asserat, et alii complures, quos hoc capite percensuimus. Nimirum quartus ille liber, et quintus *adversus Eunomium*, tumultuariam locorum argumentorumque silvam, et materiam nondum absoluti operis continent. Quo minus admirandum est, quædam ibi esse aliter, atque in cæteris meditatis elaboratisque scriptis ab eodem auctore prodita. Potest tamen et τὸ αἴτιον sic ab illo acceptum videri, ut temporis, vel naturæ antecessionem significet; quemadmodum in rebus creatis causa omnis effecto suo prior est. Pater autem sola origine præcedit, ut Novatianus[1] ait; atque hoc sensu major dicitur. Neque propterea Athanasii Symbolo repugnant, qui utrumvis statuunt, in quo ita ponitur, « nihil in hac Trinitate prius, aut posterius, nihil majus, aut minus » inesse. Constat enim ex iis, quæ hucusque diximus, tam origine priorem, quam majorem ratione principii Patrem appellari posse, sine ullo æqualitatis dispendio[2]. Ut enim recte Cyrillus docet in *Epitome dialogorum*, « In sancta Trinitate Patris et Filii nomina, nec non Spiritus sancti nullam prærogativam significant; sed potius, quid sit unusquisque demonstrant. » Qui locus adversus Calvini irreligiosam vocem observandus est, qui « Dei nomen καθ' ὑπεροχὴν Patri proprie adscribi » dicit[3].

Ratione causæ.

Causa.

Per excellentiam.

Dissolvuntur quæ adversus secundam interpretationem objici solent

XVIII. Postremo, quod ad posteriorem verborum Joannis interpretationem spectat, quæ Christum, qua homo est, inferiorem esse Patre vult, potest id, quod adversus illam tum ab aliis, tum ab hæretico illo apud Cyrillum opponitur, facile dissolvi. Objiciunt, nullam, nisi inter ὁμογενῆ, sive *naturæ ejusdem*, et ὁμοούσια, comparationem fieri. Quare, cum Deus, et homo diversæ sint naturæ, perperam dici hæc invicem conferri. Sed nos istis sic occurrimus, etiam Christum Patri ὁμοούσιον esse. Est enim Christi persona utique divina, et Deus. Deus autem Deo est ὁμοούσιος. Licet autem ea comparare, quæ sunt ὁμοούσια, secundum formas et qualitates aliquas, quæ natura penitus discrepant. Ut si Aristotelem Apelle præstantiorem dixerim, quod ille Philosophiæ, iste picturæ scientia præditus fuerit; aut si Helena, quam sola pulchritudo commendat, majorem præstantioremve dicam esse Penelopen, quia castissima fuit. Ad eumdem modum, refragante nemine, fas erit, Filium, cæteroqui Patri ὁμοούσιον, assumpta servili forma, eodem inferiorem esse Patre dicere. Cui sententiæ favet Ambrosius[4], ubi Deum Deo minorem esse, non divinitate, sed humana natura significat. « Nam quomodo, inquit, potest minor esse Deus, cum Deus perfectus et plenus sit? Sed minor in natura hominis. » Sed de illo Joannis loco hactenus; in quo expendendo si quis longiores nos fuisse queritur, velim cogitet, arcem hanc prope unicam ac firmissimam Arianæ fuisse perfidiæ, neque telum ullum vel ab istis majore spe victoriæ conatuque contortum, vel ab nostris vehementius ac studiosius propulsari solitum. Nos prolixiorem unius alteriusve Scripturæ testimonii tractationem, sequentium explicandorum brevitate compensabimus.

Ejusdem substantiæ.

Consubstantialem.

a CYRIL. Ἀλλ' οὐδ' ἂν θεὸς ὑπεράλλοιτο θεὸν, ἤγουν ἐν χείροσιν ἄτερος ἀτέρου νοοῖτό ποτε, κατὰ τὸ εἶναι θεὸς, ἐπεὶ μηδ' ἄνθρωπος ἀνθρώπου, κατά γε τὸ εἶναι τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ, διαφέροι ἄν.

b CYRIL. Dial I. Ὡς οὐκ ἀξιώματος ἔσται σημαντικὸν τῷ πατρὶ τὸ τῆς πατρότητος ὄνομα.

c Idem. D. Ὅτι κοινὰ μὲν ἀμφοῖν τὰ πλεονεκτήματα τά τε εἰς δόξαν καὶ ὑπεροχήν.

d CYRILL. Ἐπὶ δέ γε τῆς ἁγίας τριάδος, τὸ πατὴρ, καὶ τὸ υἱὸς, καὶ μὴν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα οὐχ ὑπεροχῆς τινος ποιεῖται δήλωσιν. μᾶλλον δὲ τὸ τί τῶν ὠνομασμένων ἕκαστόν ἐστι, διαδείκνυται.

1 Cap. XXXI lib. *de Trinit.* — 2 Cyr. in *Epiph. Dial.* Tom. V, part. I. — 3 Calv. *ad Proth.* 20 Valent. — 4 Lib. II *de Fide* c. IV.

CAPUT III.

De quibusdam aliis Scripturæ locis, quibus abusi sunt Ariani ; velut in quibus factus dicitur Christus : tum ignorasse diem judicii ; de quo variæ Patrum sententiæ declarantur. Item de eo quod Christus ait, non esse suum dare regnum ; quod pro nobis interpellat ; quod subjectus sit Patri ; quod ejus caput sit Deus ; quæ omnia Scripturæ loca declarantur.

I. Ex iis Litterarum sacrarum testimoniis, quæ ad labefactandam catholicam fidem assumebant hæretici, quædam de humana illius natura prorsus intelligenda sunt ; alia minus ad hanc opportune referuntur, sed de divina ipsa debent accipi ; neutra, si recte capiantur, ad hæresis præsidium valent : quod in sequentibus declarabitur.

Expenduntur Scripturæ loca in quibus Christus dicitur factus.

Primum iis utebantur Ariani locis, in quibus factus a Deo Patre dicitur Christus, et Dominus. Velut *Actorum* secundo : *Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis*[1]. Et *ad Hebræos* Paulus : *Considerate Apostolum, et pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Tum Joannes Baptista apud cognominem evangelistam[2] : *Post me venit vir, qui ante me factus est ; quia prior me erat*[3].

His ita respondent Patres, ut hæc loca, et in his verbum faciendi partim divinæ Verbi substantiæ, partim humanæ tribuant. Sed non eodem sensu omnes interpretantur.

Athanasius oratione tertia[4] dupliciter exponit. Primum, consuetudinem ait esse Scripturæ, verbo uti *faciendi*, pro eo, quod est gignere, ut apud Isaiam[5], *Jam ex hodierno die liberos faciam* [a]. Secundo respondet, omnia ista loca ad humanam spectare formam ; idque ex sequentibus ostendit : *Hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Quippe, ut ait Ambrosius, « non divinitas ipsi crucifixa, sed caro est. Hoc utique fieri potuit, quod potuit crucifigi[6]. »

II. Basilius libro secundo *contra Eunomium* ita declarat « hunc Jesum, qui crucifixus est, hoc est humanam in Christo naturam, factum esse Christum, et Dominum, » quia principatus illi rerum omnium attributus est. « Non enim, ait, de substantia ipsa Dei Verbi, quod in principio erat apud Deum, sed de eo, qui exinanivit semetipsum in servi forma, et factus est conformis corpori humilitatis nostræ ; et crucifixus est ex infirmitate, perspicue disputat [b]. » Addit vocem ipsam κύριος non esse οὐσίας ὄνομα, sed ἐξουσίας. « Unde qui dicit, Dominum ipsum, et Christum Deus fecit, rerum omnium principatum, et dominatum dicit a Patre Filio commissum, non quomodo esse cœperit, narrat [c]. »

Dominus... substantiæ nomen sed potestatis.

At Eunomius, qui *faciendi* vocabulum de ipsa divina Christi substantia intelligendum esse pugnabat, Basilium redarguebat, quod ex ejus verbis consequens esset, *hominem in hominem exinanitum esse ;* adeoque prius hominem, et hominibus conformem fuisse, quam formam hominis assumeret. Nam ut *facti* vox non ad divinam naturam, sed humanam referatur, hoc significet necesse est, servilem hominis usurpare conditionem. Proinde sensus hic absonus et inconditus existet ex illis verbis : homo iste, qui est Jesus crucifixus, homo et servus est factus. Atqui idem se exinanisse, ac formam induisse servi dicitur, *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Hoc vero nemini accommodari potest mortalium, sed ipsimet Verbi substantiæ. Hæc Eunomius apud Gregorium Nyssenum libro quarto contra eumdem hæreticum ; quo in libro, et sequenti copiose de isto *Actorum* loco disserit, ubi similiter, ac Basilius, existimat, factum dici Jesum Dominum, et Christum, quatenus dextra Dei exaltatus dicitur eodem *Actorum*

a Isa. Ἀπὸ γὰρ τῆς τήμερον παιδία ποιήσω.

b Basil. II *contra Eunom.* Οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς οὐσίας αὐτῆς τοῦ Θεοῦ λόγου τοῦ ἐν ἀρχῇ ὄντος πρὸς τὸν θεὸν, ἀλλὰ περὶ τοῦ κενώσαντος ἑαυτὸν τῇ τοῦ δούλου μορφῇ, καὶ γενομένου συμμόρφου τῷ σώματι τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν καὶ σταυρωθέντος ἐξ ἀσθενείας σαφῶς διαλέγεται.

c Mox : Ὥστε ὁ εἰπὼν, κύριον αὐτὸν, καὶ Χριστὸν ὁ θεὸς ἐποίησε, τὴν κατὰ πάντων ἀρχὴν, καὶ δεσποτείαν λέγει τὴν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐπιτραπεῖσαν αὐτῷ, οὐ τὴν εἰς τὸ εἶναι πάροδον αὐτοῦ διηγεῖται.

1 Vers. 36. — 2 Cap. III, 1. — 3 *Joan.* I, 30. — 4 Sub. init. — 5 Cap. XXXVIII. — 6 Lib. I *de Fide* cap. VII.

capite. Ideo ποίησιν appellat Scriptura, « non illam Dei sæculis anteriorem omnibus existentiam ; sed humilis in sublime translationem, quæ per Dei est facta dexteram[a]. » Sed in libro V ad eamdem sententiam nonnulla proponit, quæ æquum, ac benignum lectorem potius, quam severum requirant. « Caro, inquit, quæ Deum in scipsa monstravit, postquam ingens mortis sacramentum per seipsam implevit, transmutatur in sublime ac divinum, per temperationem Christus, et Dominus facta, in illud translata et commutata, quod erat is, qui seipsum in illa carne manifestum reddidit[b]. » His verbis ostendit, carnem Christi, post obitam mortem, et resurrectionem, ad Christi et Domini dignitatem esse provectam, quasi id hactenus non fuisset, ac tum δι' ἀνακράσεως, *per temperationem, et commistionem* in Deum esse conversam; quæ non sine periculo dicta videntur. Sed hic locus alibi erit expendendus. Nunc illud ex Basilii, et Gregorii Nysseni mente conficitur, Jesum factum esse Christum et Dominum, quando post resurrectionem, summa illi rerum omnium potestas est data.

III. Cyrillus [1] duobus modis interpretatur. Aut enim de templo, hoc est assumpta hominis natura, verbum illud *fecit* intelligi putat, aut de ipso Filio Dei ; quod posterius magis approbasse videtur. Nam de eo solo capite toto disseruit, prætermisso priore. Igitur Filius Dei *factus* esse dicitur « Christus, et Dominus, quoniam homo factus, et Jesus, et servus vocatus est; » ut illud *fieri* sit idem, quod in alterum transire. Rursus alio sensu *faciendi* vocabulum usurpari censet, pro eo, quod est *declarari*, vel *ostendi*. Quippe miraculis et prodigiis ostendit Deus hunc Jesum, qui crucifixus est, Christum et Dominum esse.

Incarnationem. Epiphanius in hæresi sexagesima nona [2], tum eodem modo verbum faciendi ad ἐνανθρώπησιν et carnem refert ; tum similiter, atque illi, argumentum capit ex eo, quod scriptum est: *Hic Jesus, quem vos crucifixistis.* Non enim divinitas ipsa, sed homo suffixus est. Itaque totum hoc, quod ibidem dicitur, in Incarnatione perfectum esse significat. Quod etiam libro contra Varimadum Idatius docet, et, ut opinor, Ambrosius I *de Fide*, capite VII etsi tam hic, quam Idatius, infinite asserunt, non Deum factum dici, sed carnem. Faustinus vero libro *de Trin. et fide*, manifeste factum ait esse Christum, et Dominum Jesum, qui est secundum carnem. Atque hæc vera mihi et unica loci illius videtur esse sententia ; ut eo solo, quod ad divinæ substantiæ consortium hominis est assumpta natura, Christus et Dominus factus iste dicatur. Quippe *faciendi* voce cum utitur Apostolus, non regradationem a sublimiori potiorique statu et conditione, atque ad inferiorem descensum indicat, sed e contrario provectionem et ascensum ad altiorem gradum. Vult enim Judæorum animis majorem quamdam de eo homine, qui extrinsecus apparebat, existimationem objicere ; ne qualem eum de externa specie judicabant, hoc est vilem et calamitosum, talem esse tantummodo putarent, sed eumdem agnoscerent Christum et Dominum a Deo esse factum, quatenus in eamdem cum divino Verbo, ac Dei Filio, personam convenit. Sic Augustinus : « Ille factor factus ; ille creator creatus. Sed in quo factus, et creatus ? In forma servi, accipiendo formam servi, non amittendo formam Dei [3]. »

IV. Jam quod adversus Basilium opponebat Eunomius, si idem factus est Christus, et Dominus, qui exinanitus dicitur, sequi hominem ex homine esse factum, id nullo negotio dissolvitur. Nam *exinanitio* ipsa tam Deo ac Verbo, quam homini tribuitur, sed diversa ratione. Huic enim per se et proprie, ut philosophi loquuntur, *formaliter* congruit. Exhausit enim natura hominis in Christo quidquid erat vilitatis et cruciatus. Ac divinæ substantiæ non proprie, nec sic, ut imbecillum, et vile in se aliquid admitteret, sed ob proprietatum, et ἰδιωμάτων communionem, propter quam tribuuntur ambobus, quæ alterutri proprie competunt : ut ait Gregorius Nyssenus[c]. Quocirca Basilius, cum dixit, eumdem illum asseri ab Apostolo Christum, et *Idiomatum.*

a GREGOR. NYSS. IV *contra Eunom.* D. Οὐκοῦν οὐ τὴν προαιώνιον ὕπαρξιν τοῦ κυρίου διὰ τοῦ ἐποίησε ῥήματος παρίστησιν ὁ Ἀπόστολος, ἀλλὰ τὴν τοῦ ταπεινοῦ πρὸς τὸ ὑψηλὸν μεταποίησιν, διὰ τῆς δεξιᾶς τοῦ θεοῦ γεγενημένην.

b Ibid. lib. V. Ἡ δὲ σὰρξ ἡ τὸν θεὸν ἐν ἑαυτῇ δείξασα μετὰ τὸ πληρῶσαι δι' ἑαυτῆς τὸ μέγα τοῦ θανάτου μυστήριον, μεταποιεῖται πρὸς τὸ ὑψηλόν τε, καὶ θεῖον, δι' ἀνακράσεως Χριστὸς γενομένη καὶ κύριος, εἰς ἐκεῖνο μεταθεῖσα, καὶ ἀλλαγεῖσα, ὅπερ ἦν ὁ ἐν ἐκείνῃ τῇ σαρκὶ ἑαυτὸν φανερώσας.

c GREG. NYSSEN. IV *contra Eunom.* D. Ὡς διὰ τὴν συνάφειάν τε καὶ συμφυΐαν κοινὰ γίνεσθαι τὰς ἑκατέρας.

1 Lib. XXI *Thes.* — 2 Num. 42. — 3 August. serm. XXXVI *de Diver.* cap. VII.

Dominum esse factum, qui se ipsum exinanivit, et crucifixus est; id priori si intelligatur modo, atque hic ipse significetur, qui per se proprieque est exinanitus, non erit consequens, si præcise, et *formaliter,* ac de natura ipsa loquimur, *eumdem se exinanisse, qui in forma Dei fuit.* Siquidem Deus ipse Filius proprie ac per se in forma Dei fuit; exinanitus est autem non per se, sed in assumpto homine.

Reliqua testimonia duo capitis *ad Hebræos* III et *Joan.* I tum eodem fere modo intelligi possunt, tum faciliorem habent explicationem. Etenim prius « fidelem esse Christum ait ei, qui fecit illum, » hoc est Pontificem et Apostolum, quod secundum assumptam hominis naturam illi convenit, ut Athanasius, Epiphanius, aliique vulgo sentiunt. Posterius ex *Joan.* I, 30, *Ante me factus est*, *quia prior me erat*, sic ab Epiphanio declaratur, hær. LXIX n. 40, ut sit, « ante me extitit, ἔμπροσθέν μου γέγονεν; quia in principio erat Verbum. » At Augustinus, tract. III *in Joan.* Chrysost. hom. XII, Ambros. III *de Fide*, capite V, aliique magis audiendi sunt, qui *ante me factus est*, idem esse volunt, ac mihi est antepositus. Cui et Cyrillus primo *in Joannem* assentitur, commodissimeque sic exponit : Qui nunc obscurus latet, meque gloria et nominis existimatione posterior est, et quodammodo a tergo sequitur, mihi prælatus est, quia *illum oportet crescere, me autem minui.*

Textus Matthæi perdifficilis: *De die autem illa nemo scit neque Filius.*

V. Alter locus est *Matthæi* XXIV, 36 : *De die autem illa, et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.* » *Marcus* vero c. XIII, 32 addit, *neque Filius. De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Ex eo probabant Ariani, inferioris ac dissimilis conditionis esse Filium. « Non enim potest æqualis esse, qui novit, ei, qui ignorat, » ait Hieronymus.

Nonnulli corruptum textum opinantur.

Credidit Ambrosius libro V *de Fide* capite VII falsatos fuisse Evangelii codices ab Arianis; quoniam ab veteribus abest illud, *neque Filius.* Hieronymus quoque in Comment. ad illa verba *Matthæi*, « In quibusdam Latinis codicibus, ait, additum est, *neque Filius*, cum in Græcis, et maxime Adamantii et Pierii exemplaribus hoc non habeatur adscriptum. » Existimo loqui ambos de solo Matthæi Evangelio, non de Marci. Nam in illo nequaquam hodie legitur, *neque Filius;* quod tamen in nonnullis exemplaribus exstitisse videtur. Quippe Chrysostomus in Comment. *in Matth.* ita legit. Et Hilarius ut puto. Nam ad illum Matthæi locum hæc adnotat: « De fine autem temporum curam sollicitudinis nostræ ademit, diem illum dicens nemini esse cognitum, et non solum angelis, sed etiam sibi ignorandum[1]. » Basilius vero epistola CCCXCI indicat, in Matthæi Evangelio nihil tale fuisse. Tres porro, quatuorve dissolvendæ quæstionis illius rationes apud antiquos Patres invenio. Nam aliqui Filium, qua homo est, sive secundum carnem, ignorasse judicii diem existimant. Ita sanctus Athanasius, orat. IV, ubi fuse super hoc testimonio disputat. Censet igitur Christum, « quatenus homo erat, vel propter carnem, » ignorasse. Itaque « non illud detrimentum est Verbi, sed humanæ propria naturæ est ignoratio[a]. » Et paulo post: « Manifestum est, et finis universitatis horam, ut Verbum est, eum cognoscere; ut autem homo est, ignorare[a]. Est enim proprium hominis ignorare, et ista præsertim. Verum id Salvatoris nostri benignitati peculiare est. Nam postquam homo factus est, non eum puduit propter carnem ignorantem dicere : *Non novi*; ut ostenderet se, ut Deum scientem, nescire carnaliter. Quapropter minime dixit, neque Filius Dei; ut ne divinitas ipsa nescire videatur, sed simpliciter, *neque Filius* ut ex hominibus nato Filio ignoratio tribuatur[b]. » Postea multo id etiam prodit apertius his verbis :« Propter vos enim (Christum inducit ita loquentem) et ego talis factus, quales vos estis, dixi, *neque Filius*[c] : » Item : « Ut enim homo factus cum hominibus esurit, et sitit, et patitur; ita cum hominibus, tanquam

Plures Christum ut hominem ignorasse censent.

a ATHAN. orat. IV. Οὐδὲ γὰρ τοῦτο ἐλάττωμά ἐστι τοῦ λόγου, ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπίνης ἐστὶ φύσεως ἴδιον καὶ τὸ ἀγνοεῖν.

b Ibid. Δῆλόν ἐστιν ὅτι καὶ τὴν τοῦ παντὸς τέλους ὥραν, ὡς μὲν λόγος, γινώσκει, ὡς δὲ ἄνθρωπος, ἀγνοεῖ. ἀνθρώπου γὰρ ἴδιον τὸ ἀγνοεῖν, καὶ μάλιστα ταῦτα. ἀλλὰ καὶ τοῦτο τῆς φιλανθρωπίας ἴδιον τοῦ σωτῆρος. ἐπειδὴ γὰρ γέγονεν ἄνθρωπος, οὐκ ἐπησχύνετο διὰ τὴν σάρκα τὴν ἀγνοοῦσαν εἰπεῖν, οὐκ οἶδα. ἵνα δείξῃ, ὅτι εἰδὼς ὡς θεὸς, ἀγνοεῖ σαρκικῶς. οὐκ εἴρηκε γ' οὖν, οὐδὲ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἵνα μὴ ἡ θεότης ἀγνοοῦσα φαίνηται· ἀλλ' ἁπλῶς, οὐδὲ ὁ υἱὸς, ἵνα τοῦ ἐξ ἀνθρώπων γενομένου υἱοῦ ἡ ἄγνοια ᾖ.

c Ibid. Δι' ὑμᾶς γὰρ κἀγὼ γενόμενος ὡς ὑμεῖς, εἶπον, οὐδὲ ὁ υἱός.

1 Hilar. can. XVI *in Matth.*

homo nescit, divinitus autem existens in Patre, utpote Verbum, et Sapientia, novit, et nihil ignorat [a].»

Hinc apparet in ea fuisse sententia Athanasium, ut Christum existimaret, secundum humanam naturam, et intellectum humanum, nescisse judicii diem, neque sic interpretari posse, quomodo putavit Maldonatus ad illum *Matthæi* locum, Christum ab eo dici, quatenus hominem, ignorasse judicii diem, non quod humano intellectu nesciret, sed quod non sciret, quia homo est, verum quia homo Deus; nam si homo tantum fuisset, quantumvis perfectus, non scivisset illum. Atqui perspicue assumptam ab illo hanc ignorantiam asserit, perinde ac cæteras humanæ infirmitatis affectiones, veluti sitim, famem, perpessionesque corporis reliquas, quæ in humanitate ipsa revera inerant. Idem scribit et in epistola *ad Serapionem*, quæ est *de Spiritu sancto*.

VI. Eustathius Antiochenus, in sexto *contra Arianos* libro apud Facundum, disertis verbis affirmat Christum, qua filius hominis est, diem illum ignorasse. Verba ejus, quia insigne aliquid habent, adscribam. « Dicamus, inquit, cujus rei gratia Filius hominis diem proprii adventus ignorat. Neque enim dubium est, quia et hoc causa utilitatis hominum providens adinvenit omnium creator, et generis opifex Deus. Sicut enim hominem causa salutis hominum Verbo coaptavit, et Deo; sic et insignem judicii diem causa divini beneficii homini competenter abscondit, ne forte ineffabilia mysteria similis generis hominibus homo indicans, et diem secundi adventus ostenderet [1]. »Credidit Facundus Eustathium, eo quod ita scribit, *diem proprii adventus ignorat*, nec saltem dixit, *ignoravit*, significare Christum non ante resurrectionem tantum, sed etiam post resurrectionem ignorare diem judicii, « quando neque in ejus fidelibus ulla ignoratio remanebit. » Sed nihil est necesse. Nam Eustathius *ignorat* dixit in præsenti tempore, ut sit idem, atque ignorare se dicit, vel tunc, cum ita loquebatur, ignorabat. Quomodo et illa verba posse accipi Facundus minime diffitetur; nec reprehendit, si quis ante resurrectionem suam Christum ignorasse, post resurrectionem scisse velit; qui illud tantum improbat, quod prima specie verba ista demonstrant, etiamnum ignorare post resurrectionem.

Gregorius quoque Nazianzenus [2] ex duabus, tribusve loci illius sententiis primam hanc recenset, « Nosse illum diem, qua Deus est; ignorare vero, qua est homo [b]. » Sed mox alteram addit novam, neque verbis ipsis consentaneam, dicere Christum, de die illa *neque Filium scire*, ut subaudiatur ἐομὴ ὡς ὁ πατὴρ, hoc est eatenus scire Filium, quia scit Pater, a quo accepit omnia. Atqui violenta hæc est interpretatio, neque probari meo judicio potest. Basilius epistola trecentesima nonagesima prima *ad Amphilochium*, qui de eo loco percontatus fuerat, respondet Christum, qua Deus, ac Dei Filius erat, non ignorasse diem, sed quatenus homo erat, nihil obstare, quin ignorantiam illam in se susceperit, quemadmodum et corporis necessitates cæteras: ut cum Samaritanæ dixit : *Da mihi bibere* [3]. Idem sentit et auctor homiliæ CXVII quæ Chrysostomo inscribitur, in tomo quinto operum illius editionis Græcæ.

Cyrillus item in *Thesauris* [4], in Christo homine ignorantiam illam fuisse fatetur; et in libro sexto *Dialogorum*, ubi hoc asseverantius, quam quivis alius, exponit, et libro *contra Anthropomorphitas* [5]; ac contra Theodoretum scribens, *ad Anathematismum* quartum; et in libro *ad Reginas*. Sic etiam Theodoretus in confutatione illius anathematismi.

VII. Hilarius in libro nono: « Non ergo, quia nescire se diem, inquit, et momentum Filius dicit, nescire credendus est; sicuti cum secundum hominem aut flet, aut dormit, aut tristis est, Deus obnoxius esse aut lacrymis, aut somno, aut timori est confitendus. Sed salva Unigeniti in se veritate, secundum carnis infirmitatem, fletum, somnum, inediam, sitim, lassitudinem, metum pati necesse est; et secundum hominis naturam, diei, atque horæ professus est inscitiam. » Sed cum idem Hilarius affectiones illas carnis, et perpessiones non reipsa vereque expertum esse hominem in Christo alibi sentiat, ut suo loco dicemus; dubitari potest, an non et ignorationem illam haud in se vere habuisse judi-

a Athan. orat. iv. Ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος γενόμενος μετὰ ἀνθρώπων πεινᾷ, καὶ διψᾷ, καὶ πάσχει, οὕτω μετὰ μὲν ἀνθρώπων, ὡς ἄνθρωπος οὐκ οἶδε, θεϊκῶς δὲ ὢν ἐν τῷ πατρὶ, ὡς λόγος, καὶ σοφία, οἶδε, καὶ οὐδέν ἐστιν ὃ ἀγνοεῖ.

b Greg. Nazianz. Ἢ πᾶσιν εὔδηλον, ὅτι γινώσκει μὲν ὡς θεὸς, ἀγνοεῖν δέ φησιν ὡς ἄνθρωπος.

1 Lib. XI. — 2 Orat. xxxvi. — 3 *Joan.* iv, 7. — 4 Lib. XXII. — 5 Cap. xiv.

caverit. Sane libro illo nono, in quo locum illum *Matthæi*, ac *Marci* pluribus explicat, de sola fere agit Filii divinitate, quam non ignorasse diem istum asserit, sed ideo nescire, quia tacuit. « Filius itaque diem idcirco, quia tacet, nescit; et Patrem solum idcirco scire ait, quia solus uni sibi non tacet, » ait inter cætera sub libri finem. Et initio libri noni, « Hanc dicit nescitæ diei professionem, non ignorationis esse infirmitatem, sed tacendi dispensationem. » Itaque non idem semper Hilarii de loco illo fuisse judicium videtur; quemadmodum et Ambrosii. Qui in libro *de Fide* secundo, capite quarto, revera homini Christo diei illius inscitiam adscribit: « Pro me, inquit, filius ancillæ; pro me diem judicii ignorans: pro me nesciens diem, et horam. » Et in libro quinto, capite septimo, « Medium utique nomen est Filii. Nam et Filius hominis dicitur: ut secundum imprudentiæ assumptionem nostræ, diem futuri judicii nescisse videatur. » Et in secundo *de Spiritu sancto*, capite duodecimo idem docet: tametsi, qua Deus est, non eum latere diem hunc demonstrat, ut et septimo in capite libri secundi *de Fide*. At hoc ipso in capite septimo contrariam profitetur opinionem, ne ut hominem quidem ignorasse, sed videri ignorasse voluisse, ac sibi nota dissimulasse: veluti Pater, cum in parabola dicit apud Lucam, *Forsitan, cum hunc viderint, verebuntur*[1], de Filio loquens. Mox aliorum minus se timidorum sententiam exponit: qui, itidem, ut « profecisse ætate, et sapientia, et gratia apud Deum et homines » dicitur, non secundum divinitatem, sed quatenus homo est: eodem modo et ignorasse censeant, « secundum nostræ conditionis assumptionem. » Quod ab illis dictum nec refellit, nec approbat.

Alii non ignorasse sed ignorantiam simulasse

VIII. Altera est loci illius explicatio, Christum neque ut Deum, neque ut hominem reipsa diem nescire judicii, sed dissimulatione uti, et quasi fingere se nescire: quod non uno modo interpretantur. Nam alii ad Deum hanc simulationem referunt: alii ad hominem: nec eodem omnes sensu. Atque hoc universe vocant οἰκονομίας χάριν σχηματίζεσθαι, ut Cyrillus loquitur in secundo ac vicesimo *Thesaurorum*: ubi interpres Latinus perperam de incarnatione dici credidit, ut et alio in loco, quem superiori capite commemoravi. Nam οἰκονομία non incarnationem ibi significat, sed quam *dispensationem* Latini Patres nominant, id est commodi alicujus procurationem; uti apud Basilium epistola CXLI verbum οἰκονομεῖ, et apud Cæsarium, οἰκονομικῶς, cum de eodem agit loco et argumento, cujus postea meminerimus. Itaque aliud in verbis, aliud in sententia verborum esse sentiunt. Quidam etiam ut Deum id usurpare Christum volunt, non quod nesciret, sed ut ad Patrem, tanquam auctorem, omnia referret, ac se monstraret, non a seipso habere, sed ab alio, quod sciret. Ita Gregorius Nazianzenus loco illo sextæ et tricesimæ orationis, quem citavimus; nec non Basilius[2].

Dispensationis gratia dissimulare

Alii simpliciter Patrem id scire dixisse, ut discipulos absterreret ab inquisitione rei tantæ, ac tam arcanæ. Ita Chrysostomus in illum ipsum *Matthæi* locum, et Basilius, epistola CXLI qui hanc appellat *simulatam ignorantiam*. Nimirum, ut ait Petrus Damiani[a], « hoc procul dubio intelligendum est, quod discipulis hoc tantummodo nesciat, qui sibi nihil prorsus ignorat[3]. » Et ut Basilius in quarto *contra Eunomium* ait, ideo nescit, quod efferre noluerit. A quo non abhorret illud[4] Augustini scire idem esse in illo loco, ut et alibi passim, ac *scire alios facere*; e contrario nescire nos dicere, quod occultare volumus. Quod et Beda in Commentario *ad Matthæum* amplectitur, et Alcuinus libro secundo *de Trinitate*, cap. XII[5]. Theophylactus vero similitudine quadam, qualis ea simulatio fuerit, ostendit, « Ut, cum parentes in manibus quippiam habentes, petentibus hoc filiolis nolunt concedere, et occultantes aiunt: Non habemus, quod petitis; atque ita parvuli ejulare desinunt[b]. » Adjunge locum illum Augustini, qui est initio concionis I de I parte *Psalmi* XXXVI.

Aliorum sententiæ.

IX. At Epiphanius, Hæresi nona et sexagesima[6], et in *Ancorato*[7], scientiam et cognitionem diei illius pro usu et executione judicii vult accipi; quia nondum judiciariam potestatem exercet, quam quidem Pater ipse quodammodo jam exercuit, dum omne judi-

a BASIL. Ἑκατέρους τοίνυν διὰ τῆς προσποιητικῆς ἀγνοίας οἰκονομεῖ.

b THEOPHYL. Κωλύει αὐτοὺς ζητεῖν, ὥσπερ καὶ πατέρες πολλάκις κατέχοντές τι ἐν ταῖς χερσὶν, εἶτα ζητούμενοι τοῦτο ὑπὸ τῶν παίδων, καὶ μὴ θέλοντες δοῦναι, κρύπτουσιν αὐτὸ λέγοντες, οὐκ ἔχομεν ὃ ζητεῖτε. καὶ οὕτω παύονται τὰ παιδία κλαυθμυριζόμενα.

1 Cap. XX, 13, *Luc.* II. — 2 Epist. CCCXCI. — 3 Opusc. VI, cap. I, III. — 4 Lib. I *de Trinit.* cap. XII et *in Psal.* VI. — 5 In *Matt.* XXIV et *Marc.* III. — 6 Num. 43. — 7 Num. 19 et seq.

cium transtulit in Filium. Hunc Epiphanii ex *Ancorato* locum refert Hugo Etherianus [1], et Cæsarius[2] etiam amplectitur. Mihi vero minime omnium ista probabilis, et accommodata videtur interpretatio. Quanquam ad eam Bernardus quoque videtur accedere in tractatu *de Gradibus humilitatis*, in gradu primo. « Nam etsi, inquit, suæ divinitatis intuitu æque omnia, præterita scilicet, præsentia, atque futura perlustrando, diem quoque illum palam habebat, non tamen ullis carnis suæ sensibus experiendo agnoverat. Alioquin jam spiritu oris sui antichristum interfecerat, » etc. Omnium vero minimam probabilitatem habet interpretatio illa, quam affert Gregorius Turonensis[3] : « Filium ibi christianum populum nuncupatum, de quo a Deo prædicitur. *Ego ero illis in patrem; et ipsi erunt mihi in filios*[4]. Si enim hæc de unigenito Filio prædixisset, nunquam ei angelos præposuisset. Sic enim ait, *Neque angeli cælorum, neque Filius;* ostendens, non de Unigenito, sed de adoptivo populo hæc dixisse, » Quæ argumentatio ejusmodi est, ut ne refutatione quidem egeat.

Irenæus libro secundo, capite XLIX ambigue loquitur, ut nescias inscitiam illius diei Christo, saltem qua est homo, tribuat, an non, ac possit ad utramque deflecti sententiam. Scribit Sozomenus[5], inter Eunomii sectatores dissidium ex eo conflatum fuisse, quod alii Filium Dei, etiam secundum potiorem substantiam, diem illum ignorare vellent; alii, cum a Patre impetrarit omnia, etiam illum impertitum ei fuisse. Hujus partis antesignanum fuisse Eutychium, cui et Eunomius assenserit. Quod valde mirum est, eum, qui ex inscitia diei illius minorem ac dissimilem Patri probare vellet Filium, huic illam utcumque tribuere. Neque enim, puto, hæreticus iste νοηματικῶς, ut loquitur Epiphanius[6], hoc est abstrusiore quadam intelligentia, et figurate usurpatum illud aiebat a Christo, quemadmodum catholicos sensisse hactenus vidimus; ut exempli gratia, sic intelligeret, solum id Patrem nosse, quia per se, et a nullo accepta scientia cognoscit; Filium autem, etsi revera sciat, quia hoc habet aliunde, nescire se dicere. Nam si ita crederet, non valde catholicis argumentatione sua molestus esset. Sed fieri potest, ut Filium Dei, non ex æterno, neque una cum natura, et per generationem illam accepisse scientiam, putaverit Eunomius, sed in tempore, ac velut precario, et gratuita largitione, ex quo dissimilis eum substantiæ esse concluderet. Cæterum aliquanto post Eunomium intervallo, Eutychianorum factio quædam exstitit, quæ ab eo, quod Christum, ut homo est, ignorasse diem judicii diceret, Agnoctarum nomen invenit, ut refert Leontius [a] in libro *de Sectis;* cujus sectæ antesignanus fuit quidam Themistius. Igitur pro hæreticis tum habiti sunt, qui Christo non magis indignam asserebant esse hanc inscitiam, quam laborem et lassitudinem; quod adeo multos antiquorum existimasse scripsisseque vidimus. Nisi quod hæretici isti etiamnum nescire crederent, ut ex Leontii verbis colligitur, catholici et ignorasse, dum inter homines viveret, et modo scire diem illud assererent.

X. Ad extremum, ut de loco illo quid sentiam paucis explicem, puto voculas istas *neque Filius*, de Verbo Dei, sive Filio interpretandas esse, quatenus a Patre missus humanam induit formam, et homo inter homines versans, administer fuit paternorum consiliorum, atque arcanorum interpres. Ita enim officium illud habuit, ut hominibus, quæ sibi erant a Patre mandata loqueretur. Quare cum ut homo a Patre omnia didicisset, neque quicquam ignoraret; non tamen omnia, quæ sciebat, loquendi potestatem habuit, sed quædam prohibitus est dicere, quod testatur ipsemet *Joan.* XII, 49 : *Quia ego ex meipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar*, etc. *Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Quocirca secreta illa, et in arcano Patris consilio posita nescire se profitetur homo Christus, sive Filius, ut homo est, quia nescit ea, quatenus legatus Patris, et interpres. Ut si cui forte, qui aliquid sciat, aut videt, quod efferre periculosum sit, ac vetitum, dicat alius. Hoc, si tu sapies, quisquis te rogabit, nullus videris. Sic apud Terentium in *Heautontimorumeno*[7] « Tu nescis id, quod scis, Drome, si sapias: » quod idem valet, ac si ita præciperet : perinde te geras, et loquare, ac si non videris, et nescias *. Auctoris sententia.

Quod autem allatum a Maldonato nostro

a LEONT. *Act.* V. Ἄλλοι δὲ ἔλεγον ἀγνοεῖν αὐτὸν, ὥσπερ καὶ πονέσαι λέγομεν αὐτόν.

* Mire torsit interpretes perquam difficilis ille textus, quem nisi tremebundus evolvebat ipse Bossuetius. Anteponenda Petavii explanatio, cui adstipulatur prædictus illustrissimus præsul, licet ex omni parte non satisfaciat. Hæc enim habet

1 Lib. III, *con. Græc.* cap. XV. — 2 Dial. I resp. XX et XXI. — 3 Lib. I *Hist. Franc.* cap. I. — 4 II *Reg.* VII, 14. — 5 Lib. VII, cap. XVII. — 6 *Ancor.* n. 19. — 7 Act. IV, sc. III.

posset objici, non videri ob id nescire diem illum dicere Christum, quia non revelaverit; quoniam isto modo etiam Pater ignoraret, quia nobis non revelavit; id contra nos nihil facit. Non enim Patris officium fuit, enuntiare aliquid hominibus, ac legatione fungi, ut quædam exciperet, quæ nescire diceretur. Imo solus ea nosse dicitur, quæ sibi uni reservavit, ut *Actor*. I, 7. Christus ipse loquitur : *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Ea mihi simplicissima, et aptissima videtur loci illius interpretatio. Quam vero Maldonatus idem optimam judicat, mihi non probat. Ait enim Filium, etiam ut Deum, ignorare se dicere, « Non quod ignoret, sed quod non ipsius sit officium scire, » sicut *Matth*. XX, 23 respondit Zebedæi filiis, *Sedere autem ad dexteram, et sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*, non quod non etiam ab ipso paratum esset, sed quod regnum parare, id est prædestinare, non ipsius, sed Patris officium sit. Atqui scire diem illum, non minus officium fuit Filii, ut Deus est, quam Patris; imo proprium id quodammodo illius fuit, ut sunt omnia, quæ ad scientiam ac sapientiam spectant, cum sit æterna Patris sapientia. Addo amplius, etiam ut hominem ex officio habuisse, ut illum diem nosset; quippe constitutus a Patre judex vivorum et mortuorum : *Neque enim Pater judicat quemquam*, ait ipse, *sed omne judicium dedit Filio*[1]. Verum ut *Apostolus*, *et Pontifex confessionis nostræ. qui fidelis est ei, qui fecit illum*, » quædam ignoravit, quia vetitus est eloqui[2].

XI. Hinc evidens est, nullum ex illo Evangelii loco de substantiæ inæqualitate, vel dissimilitudine peti posse a perfidis Arianis argumentum. Contra quos multis insuper rationibus utuntur veteres illi, quos testes citavi, et alii complures, ut Filium Dei certo diem illum cognovisse confirment; sive quia omnia per ipsum facta sunt, etiam quæ futura sunt, in quibus est et iste ipse dies; sive quia Patris est scientia, atque cognitio et veritas, tum etiam Verbum, in quo, et per quod dicta sunt omnia; sive denique, quoniam qui, quod majus est, novit, videlicet Patrem ipsum, ac divinitatem, non potest, quod tanto est minus, ignorare. Quanquam hæc postrema ratio, si universe ac simpliciter adhibeatur, multis modis elevari potest. Siquidem et apostoli, qui Patrem norant, ac Filium, diem illum tamen nescierunt; et, qui Dei aspectu fruuntur in cœlo, beati, tum eumdem diem, tum plerasque, imo infinitas creaturas ignorant. Sed ea est intelligenda cognitio, quæ substantialis, divina, infinitaque sit, quam nulla neque magna, neque parva res potest effugere.

Addunt et eidem probandæ rei illud etiam, quod Spiritus sanctus diem istum scit, ut qui omnia novit, quæ sunt Dei, et profunda scrutatur[3]. Non est autem Spiritu sancto minor, inscientiorve Filius; a quo, quidquid habet, accepit ille. Ita Cyrillus in dialogo sexto ratiocinatur; et alibi, Spiritum sanctum id cognoscere probat, ut et Ambrosius[5]. Non potest igitur latere Filium extrema judicii dies.

XII. Quod illum vero locum attinet, ubi Christus suum negat esse, confessus honorem illum, quem apostoli duo petebant, iis tribuere, quo testimonio usos esse constat Arianos, nihil hoc est. Non enim potestatis id esse suæ negat, sed æquitatis, hoc jure propinquitatis, aut per gratiam indulgere, quod labore, ac meritis comparandum sit, et in medio ponendum, quodque iis ipse cum Patre destinaverit, qui pro meritorum conditione dignos se mercede tanta præstiterint. Ita Basilius[6], Epiphanius[7], Cyrillus[8], Cæsarius[9]. Hieronymus secundo *contra Jovinianum*: « Frustra a me petitis, quod in vobis situm est, inquit, quod Pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. » Paulo vero antea dixerat; « Paratæ sunt in cœlo diversæ et plurimæ mansiones plurimis diversisque virtutibus; quas non personæ accipiunt, sed opera. » Chrysostomus item pluribus, homilia *in Matthæum* quinta et sexagesima.

Augustinus[10] vero de humana id natura sua Christum dixisse putat: « Non est humanæ, inquit, potestatis hoc dare; ut intelligatur hoc

in meditatione LXXXVIII in Evangelia, rejecta prius, tanquam blasphema, opinione illorum qui veram ultimi adventus ignorantiam in Christo admittebant. « Quod in hoc loco *nescit* Dei Filius, hoc est quod scire ad nos nihil attinet : Filius tanquam doctor noster, paternæque voluntatis ad homines interpres, *nescit*, quia hoc in suo mandato non includitur, nec in his quæ pro nobis ipse vidit. »
J. B. F.

1 *Joan*. v, 22 — 2 *Heb*. III, 1. — 3 I *Cor*. II, 1, 10 et 11; *Joan*. XVI, 14. — 4 Lib. XXII *Thes*. — 5 Lib. V *de Fide* c. VII. — 6 Lib. IV *contra Eunom*. — 7 Hær. LXIX, n. 58. — 8 Lib. XXVI *Thes*. — 9 Dial. III, qu. CXXXI. — 10 Lib. I *de Trinit*. cap. XII.

dare, per quod et Deus æqualis est Patri. » Plura de hoc loco Ambrosius lib V *de Fide*, capite II et VII.

Alia explanantur Scripturæ loca quibus abusi sunt Ariani.

XIII. Præterea iis Ariani Scripturæ sententiis usi sunt, quibus Filius Dei non eo solum tempore, quo inter homines degebat, sed in cœlo pro nobis interpellare dicitur : « *Semper vivens*, ait Apostolus, *ad interpellandum pro nobis*[1]. Et alibi : *Qui et est ad dexteram Dei; qui etiam interpellat pro nobis*[2]. Sed hoc argumento nihil efficiunt Ariani. Perspicuum est enim, non ad divinam naturam Filii, sed ad humanam, hanc qualemcumque interpellationem referri. Quonam vero modo Christus in cœlo pro nobis interpellet, alias explicabitur.

XIV. Rursus Apostoli verbis pugnabant iis, quæ in prima *ad Corinthios* sunt, et ad negotium magis pertinere videntur. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia; ut sit Deus omnia in omnibus*[3]. Hanc enim subjectionem divinæ Christi substantiæ propriam esse dicebant, « quasi ulla Dei secundum divinitatem, et majestatem suam possit esse subjectio, » ait Ambrosius[4]. Hunc locum præ se ferebant, ac sæpius intentabant hæretici. Ideo Cyrillus ἀειθρύλλητον πρόβλημα vocat, id est *rationem adversus catholicos assidue ab hæreticis objectam.*

Sed est perlevis de hoc loco controversia. Sive enim de divina Christi natura, ut paucis placuit, sive de humana, quod multo plures sequuntur, accipias, nihil contra nos inde conficitur. De Christo, qua Deus est, intellexit Eusebius Cæsariensis[5], non probo, neque catholico sensu. Neque mirum est, si quis cæteram improbi veteratoris perfidiam æstimet, quam superiore libro convictam tenemus. Commodius eadem de divinitate interpretantur alii, ut Hilarius[6]; qui non aliam subjectionem Filii, quam ad auctorem, et principium comparatæ sobolis, agnoscit. Necnon Cyrillus in *Thesauris*[7]; qui hanc subjectionem non inferioris, aut inæqualis esse dicit, sed ejusmodi, qualis ea fuit, quæ in primo Geneseos indicatur, cum Pater Filio dixit, *Faciamus hominem*, atque alia id genus, *quæ non ad æqualitatem substantiæ*, sed ad proprietatem pertinent personarum, ait Augustinus[8]. Sic igitur in beato illo statu post resurrectionem subjectus dicetur Patri Filius, quia per hunc Pater sanctis vitam, immortalitatem, gaudium, ac reliqua omnia communicabit[9].

XV. Huc illud spectat, quod tam idem Cyrillus, quam Augustinus de illo ipso testimonio Pauli contra hæreticos opponunt; minime ex eo consequi, dissimilem aut inæqualem esse Filium Patri, quod ei sit subjectus. « Hoc est omnino intolerabile, clamat Augustinus contra Maximinum scribens, quia de obsequio Filii diversam vultis probare substantiam Patris et Filii, etc. Obsequitur homo Patri, de quo natus est homo; tamen obsequendo esse non desinit homo[10]. » Cui consentanea leges apud Cyrillum[11]. Qui quidem alio in loco[12] in eosdem hæreticos argumentum hoc retorquet, et, quanta ex eorum ratiocinatione consequantur absurda, sic colligit. Nam si ad Patrem subjectio illa Filii pertinet, non modo mutabilis erit, quod fortasse non diffiterentur hæretici; sed etiam meliori jure conditioneque hactenus fuerit, dum nondum subjicitur, quam in felici illam post resurrectionem statu, quod absurdissimum est, ut et istud, quod indidem sequitur, nondum Patri subjectum esse Filium[13].

Sed est anteponenda altera loci illius explanatio, quæ de homine Christo potius intelligendum docet, cui multo plures assentiuntur, ut Athanasius libro *de Humana suscepta natura*, Hilarius[14], Augustinus[15], Gregorius Nazianzenus[16], Chrysostomus[17], Theodoretus[18], Idatius contra Varimadum; plenissime autem Ambrosius in V *de Fide*, capite sexto. Vide et librum secundum, capite IV. Quamobrem inquantum, ait Augustinus, « Deus est, cum illo nos subjectos habet; inquantum sacerdos, nobiscum illi subjectus est[19]. De statu igitur Ecclesiæ regnique Christi post resurrectionem futuro loquitur; atque, ut inter alios loco citato recte explicat Athanasius, ait illo tempore, quo omnes electi Christo subjecti erunt, Christum ipsum, tanquam caput, una cum membris suis fore subjectum. Nunc

a Cyrili. Ὅμοιον γὰρ ὡς εἰ ἔλεγεν, μηδεὶς οἴεσθω κατὰ τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα ἑτέρως ἡμᾶς μετόχους ἔσεσθαι τοῦ πατρὸς, εἰ μὴ πάλιν δι' υἱοῦ. Vide et dial. V. sub finem.

1 *Hebr.* VII, 25. — 2 *Rom.* VIII, 34. — 3 Cap. XV, 28. — 4 Epist. *ad Gratian.* ex conc. Aquil. — 5 Lib. III, *de Eccles. theol.* cap. XIV et seq. maxime XIX. — 6 L. XI *de Trinit.* — 7 L. XXIX. — 8 L. LXXXIII *Qu.* qu. LXIX, tom. IV. Vide et lib. *con. Priscil. ad Oros.* cap. VII. — 9 Loco cit. et lib. IV *in Joan.* — 10 Lib. III, cap. XVIII. — 11 *Thes.* — 12 Dial. V, et dial. VI. — 13 Cyril. XXIX *Thes.* — 14 Lib. XI. — 15 Lib. I *de Trinit.* cap. X et l. LXXXIII *Qu.* qu. LXIX. — 16 Orat. XXXVI. — 17 Hom. XXXIX *in Matth.* — 18 In Comm. ad I *Cor.* XV. — 19 Lib. I *de Trinit.* cap. I.

enim, quia membra illius omnia nondum subjiciuntur, nec ipse penitus est subjectus, quatenus scilicet cum membris istis conjungitur, quæ nondum subjiciuntur. Nec ab ea sententia multum abludit Nazianz. orat. XXXVI cum dicit, id quod nostrum est, in Christum transferri ab Apostolo. Ut cum in Psalm. XXI ita loquitur : *Deus*, *Deus meus*, *quare me dereliquisti?* Non enim derelictus est ipse, sed nos derelicti sumus. Eodem modo subjicietur Patri Christus, quia corpus ejus integrum, ac regnum subjicietur; regnum, inquam, τὸ κατ' οἰκείωσιν, non τὸ κατὰ δημιουργίαν, quod illi propter sanctitatis similitudinem peculiare est, et quasi germanum, non, quod solo creationis ad eum jure pertinet. Quin et [1] Cyrillus itidem, ut Athanasius, exponit : « Tunc, quia omnes erunt subjecti, ipse quoque pro omnibus Patri subjicietur, et Dominus ac Pontifex omnium factus, omnibus per seipsum participationem Patris largietur [a]. » Sic etiam Theodoretus in comment. ad illa Pauli verba. Augustinus vero lib. I *de Trinit.* cap. VIII acute mihi causam explicasse videtur, propter quam Apostolus nominatim de Filii subjectione loco illo meminerit; videlicet, « ne quis putaret, habitum Christi, qui ex humana creatura susceptus est, conversum iri postea in ipsam divinitatem. » Ut igitur Christum hominem etiam post resurrectionem fore non dubitemus, ac ne in eum errorem, qui Marcelli fuisse dicitur, incurramus, ideo subjectum et illum Patri nobiscum fore significavit. Quemadmodum autem ex illis verbis concludi nequeat, Patre Filium esse minorem; aut non sempiternum futurum Christi regnum, quod Marcellus putabat; copiose eruditeque demonstrant veteres illi, quos paulo ante commemoravi, ut et illud, quod ex iisdem verbis adstruebant hæretici, Christi regnum aliquando desiturum, de quo legendus Augustinus in libro *Octoginta trium quæstionum*, quæstione sexagesima nona, ubi et particulam *donec*, qua iidem abutebantur, explicat, quemadmodum et Gregorius Nazianzenus oratione secunda *de Filio*. De qua re, suo loco dicetur. Vide et Petrum Damiani opusc. XXXVI capite I.

XVI. Accedat his testimoniis et illud Pauli I *Cor.* II, 3, qui *caput Christi Deum* esse definit, sicut *caput mulieris est vir*. Sed hic locus haud obscure Christum, qua est homo, respicere videtur, ut Ambrosius interpretatur lib. IV *de Fide*, cap. II. At Basilius IV *contra Eunom.* qui de Christi divinitate accipit, ita respondet, ut neget eodem modo ac sensu dici caput Christi Deum, quo Christus caput viri dicitur. Deus enim Christi caput est, quatenus ejus est Pater. Christus viri caput est, quatenus effector est nostri. Cyrillus Dialogo tertio, caput Christi Deum Patrem interpretatur, ob substantiæ communionem. Utroque modo Chrysostomus exponit; ac posteriori sensu, Deum caput esse Christi κατὰ τὸ αἴτιον, *ut ejus principium est*, asserit.

CAPUT IV.

De aliis quibusdam Scripturæ testimoniis, quibus usi sunt Ariani; quæ ambiguitate majori ad alterutram in Christo naturam referuntur. Velut quod primogenitus dicitur omnis creaturæ; quod nihil a se potest facere; quod a Patre discit; quod Pater solus bonus, verus, etc. vocatur.

Expenditur Script. locus ubi Christus vocatur *primogenitus omnis creaturæ*.

I. Sunt et alia Scripturæ loca, quæ minus aperte alterutram naturam in Christo significant, quæ Arianis in promptu fuerunt; e quibus procedat ille primus in medium, qui est in epist. *ad Col.* capit. I : *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra*, etc. Quæ verba divinam potius, quam humanam spectare naturam, contextus ipse sermonis videtur ostendere. Siquidem *primogenitus* idem *omnis creaturæ* nominatur, in quo sunt omnia condita; et *qui est imago Dei invisibilis*. Sunt tamen diversa de eo veterum judicia.

Origenes libro secundo *contra Celsum* ad divinam naturam pertinere putat. Siquidem alias voces usurpari asserit ejus proprias, qui est *primogenitus omnis creaturæ;* cujusmodi est illa: *Ego sum via, veritas, et vita,* et cæteræ similes; alias homini assumpto congruentes; ut, *Nunc vero quæritis me interficere.* Ac paulo post, « primogenitus, ait, omnis

a CYRIL. Τότε δὴ τότε, ὡς πάντων ὑποτεταγμένων, ὑπὲρ πάντων ὑποταγθήσεται, θεὸς, καὶ κύριος, καὶ ἀρχιερεὺς πάντων εὑρισκόμενος, καὶ δι' ἑαυτοῦ τοῖς πᾶσι διδοὺς τὸ μετέχειν δύνασθαι τοῦ ἐν αὐτῷ πατρός.

1 Lib. XXIX *Thes.*

creaturæ assumpsit corpus, et animam humanam [a]. » Basilius etiam in quarto *adversus Eunomium,* de Verbo ipso, Deique Filio usurpatum asserit; non ut Ariani credebant, quod ante omnem creaturam procreatus sit; alioqui πρωτόκτιστος, non πρωτότοκος appellandus fuit.

Primo-creatus non primo-genitus.

Deinde, cum « primogenitus mortuorum idem nominetur, hæc ipsa vox significare debebit, illum prius mortuis cæteris vita esse functum. Verum, quia primogenitus mortuorum ideo vocatur, quod causa sit resurrectionis ex mortuis; eodem sensu primogenitus creaturæ nominabitur, quod causa sit educendæ ex non exstantibus ad hoc, ut exstet, creaturæ [b]. »

Cyrillus quoque in *Thesauris* [1] *primogenitum* asserit vocari, « non quia creatas res antecedit, sed quod primus Filii appellationem cum illis communicaverit, ejusque causa fuerit [c], » Quippe « Scriptura demonstrare illud voluit, ut paulo post ait, nos omnes in Filio, et per Filium ad eamdem vocatos esse formam, Dei filios per gratiam effectos. Atque ipse principium est datæ nobis gratiæ; et ex immensa sua benignitate similis sibi facit eos, qui per ipsum facti sunt [d]. »

Primus.

Tum ex eo, quod πρόῶτος dicatur, non ex eo sequi disputat, ejusdem cum iis, quæ postea fuere, esse naturæ; cum et Pater ipse apud Isaiam, primum se esse dixerit : *Ego sum primus* [2].

Tertullianus accedit in libro *contra Praxeam* : « Primogenitus, ait, ut ante omnia genitus; et unigenitus, ut solus ex Deo genitus [3]. » Et alibi, « primogenitum conditionis eo nuncupari ait, quia per ipsum omnia facta sunt [4]. » Et « ipse est ante omnia, » ut Apostolus ibidem ait [5]. Sic etiam Novatianus [6] et Ambrosius [7]; qui argute paucis ita colligit: « Legimus primogenitum Filium; legimus unigenitum; primogenitum, quia nemo ante ipsum; unigenitum, quia nemo post ipsum. »

II. Alii de humana Christi natura dictum interpretantur; *Primogenitus omnis creaturæ.* Ut inter alios ille ipse Cyrillus eodem in *Thesaurorum* libro [8], ubi duas illas voces expendit, μονογενὴς, et πρωτοτοκος; ac priorem eatenus Christo tribui, « qua Verbum est a Patre procedens, nullos secundum naturam fratres habens, neque cum altero quopiam numeratus. Unus est enim, et solus Dei Filius. Primogenitus vero non simpliciter absoluteque dicitur; sed additur, *in multis fratribus.* Quandonam ergo frater noster factus est, nisi quando carnem nostram induit [e]? »

Unigenitus et Primogenitus.

Et in dialogo quarto idipsum fuse disputat ex comparatione nominum eorumdem μονογενὴς, et πρωτότοκος, quæ de eadem usurpari natura non posse credit; sed hanc posteriorem necessario ad humanam referri. In quo Athanasium auctorem sequitur; qui in oratione tertia *contra Arianos* late id ostendit, et in *Expositione fidei.* Tum idem Cyrillus dialogo sexto; et in *epistola Paschali* octava. Verum non assentior illis, quatenus de divina substantia generationeque negant, nomen illud *primogeniti* posse dici. Quanquam video, in eadem esse sententia Gregorium Nyssenum, qui in libro *de Perfectione christiani* sic scribit: « Eumdem non posse unigenitum, et primogenitum credi. Nam nec unigenitus habere fratres intelligitur; neque primogenitus sine fratribus, unigenitus est omnino, vel dicitur. Quocirca congruere invicem et conciliari nequeunt in eodem homine ambæ istæ notiones. Adeo ut fieri nullo modo possit, ut idem duobus istis et unigeniti, et primogeniti nominibus appelletur [f]. » Deinde sic colligit : Cum in

a Orig. II *contra Cels.* Ὁ πάσης κτίσεως πρωτότοκος ἀνειληφὼς σῶμα, καὶ ψυχὴν ἀνθρωπίνην.

b Basil. Εἰ ἐπειδὴ πρωτότοκος τῆς κτίσεως εἴρηται, πρωτόκτιστός ἐστι, καὶ πρωτότοκος εἰρημένος τῶν νεκρῶν, προτελευτήσας ἂν εἴη τῶν νεκρῶν. εἰ δὲ πρωτότοκος νεκρῶν εἴρηται, διὰ τὸ αἴτιος εἶναι τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως· οὕτω καὶ πρωτότοκος κτίσεως, διὰ τὸ αἴτιος εἶναι τοῦ ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγεῖν τὴν κτίσιν.

c Cyr. *Thes.* Οὐχ ὡς πρῶτος ἐκείνων ὑπάρξας, ἀλλ’ ὡς πρῶτος τῆς υἱοῦ προσηγορίας γενόμενος αὐτοῖς αἴτιος.

d Ibid. Οὐκοῦν οὐ πάντως ἔσται συγγενὴς ὧν καὶ πρωτότοκος εἶναι λέγεται. καλεῖται δὲ τοῦτο, δεικνυούσης ἡμῖν τῆς θείας γραφῆς, ὅτι πάντες ἐν υἱῷ, καὶ δι’ υἱοῦ πρὸς τὸ ἴσον αὐτῷ σχῆμα καλούμεθα, υἱοὶ θεοῦ κατὰ χάριν ἀναδεικνύμενοι. καὶ αὐτός ἐστιν ἀρχὴ τῆς δοθείσης ἡμῖν χάριτος, ἐξομοιῶν ἑαυτῷ διὰ φιλανθρωπίαν τοὺς δι’ αὐτοῦ γενομένους.

e Cyril. Μονογενὴς μὲν οὖν, καθὸ λόγος ἐστὶν ἐκ πατρὸς ἀδελφοὺς κατὰ φύσιν οὐκ ἔχων, οὐδὲ ἑτέρῳ τινὶ συνταττόμενος· εἷς γὰρ καὶ μόνος ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. πρωτότοκος δὲ οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ ἀπολελυμένως, ἀλλ’ ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς καθὰ γέγραπται. πότε οὖν ἄρα γέγονεν ἡμῶν ἀδελφὸς εἰ μὴ ὅτε τὴν ἡμῶν περιεβάλετο σάρκα.

f Nyss. Ὅτι οὐκ ἔστι τὸν αὐτὸν καὶ μονογενῆ, καὶ πρωτότοκον πιστεύεσθαι. οὔτε γὰρ μονογενὴς μετὰ ἀδελφῶν νοεῖται, οὔτε χωρὶς ἀδελφῶν ὁ πρωτότοκος, μονογενὴς πάντως οὔτε ἐστὶν, οὔτε λέγεται· οὐκοῦν ἀσύμβατά ἐστι, καὶ ἀκοινώνητα ταῦτα πρὸς ἄλληλα ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ τὰ νοήματα. ὡς ἀδύνατον εἶναι, τὰ δύο τὸν αὐτὸν ὀνομάζεσθαι, καὶ μονογενῆ, καὶ πρωτότοκον.

1 Lib. XXV. — 2 *Isa.* xliv. — 3 Cap. vii. — 4 Lib. III *contra Marc.* cap. xix. — 5 *Col.* 1, 17. — 6 Lib. *de Trinit.* cap. xvi. — 7 Lib. I *de Fide* cap. vi. — 8 Lib. XXV *Thes.*

sacris Libris utrumque Christo tributum sit nomen, non in eamdem naturam competere, sed *unigenitum* dici propter Verbum, quod sæcula antecedit omnia; *primogenitum* vero *omnis creaturæ*, prout *caro factum est* idem Verbum. Ita enim et *primogenitum* dici *ex mortuis*, quia *primitiæ dormientium* factus est; et, cum a Joanne baptizatus est in Jordanis flumine, in illas ipsas naturæ nostræ primitias sancti Spiritus attraxit gratiam, ut ad similem nobis generationem præiret, qua per aquam et Spiritum filii lucis efficimur, qui natura eramus iræ filii. Sic etiam *primogenitum omnis creaturæ* nominari, quoniam, et per iteratam illam in baptismo generationem, et resurrectionem a mortuis, novæ creaturæ princeps auctorque factus est; ut creatura hoc loco novam in Christo creaturam significet.

III. Idem apertius copiosiusque declarat libro primo et tertio *con. Eunom.* ubi quater ab Apostolo primogenitum vocari Christum observat. Primum *ad Colos.* I : *Primogenitus omnis creaturæ.* Secundo *Rom.* VIII : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Tertio I *Cor.* XV : *Primogenitus ex mortuis.* Quarto denique *Hebr.* I, simpliciter, et nullo adjuncto alio : *Cum autem inducit primogenitum in orbem terrarum*, etc. Quibus in locis, eodem sensu primogenitum usurpari vocabulum ait, quatenus, cum in Jordane baptizatus est, nobis ad cœlestem illam generationem præivit, quæ per aquam fit et Spiritum; quando per suum ipse baptismum sanctum Spiritum in aquam elicuit. Et, ut in libro III loquitur, « novum regenerationis nostræ natalem sua, in aqua Jordanis, generatione antecessit; cujus partui columbæ volatus obstetricatus est[a]. » Sic etiam Augustinus in libro *de Expositione propositionum* ex epistola *ad Romanos.* Adjunge ad Gregorii Nysseni interpretationem, similem Chrysostomi, homilia III in epistolam *ad Colossenses.* Fulgentius item libro III *contra Arianos*, Pauli verba illa ad humanam naturam spectare censet, ut et Chrysostomus. Et Toletanum concilium II in *Professione fidei,* « Hic enim, qui ante sæcula unigenitus est vocatus, ait, temporaliter primogenitus factus est : unigenitus propter divinitatis substantiam; primogenitus propter assumptam carnis naturam. »

IV. Mihi tamen potius de Christo, quatenus Deus est, intelligendus videtur Apostolus, quod et sequentia persuadent, ut recte contra Marcellum instat Eusebius. Prorsus ut Novatianus lib. *de Trinitate* cap. XVI declaravit. « Quod si, ait, et primogenitus omnis creaturæ ab Apostolo dictus sit Christus; quomodo omnis creaturæ primogenitus esse potuit, nisi quoniam secundum divinitatem ante omnem creaturam ex Patre Deo sermo processit? » Proinde geniti notio in nomine *primogenitus*, ambigue et ὁμωνύμως accipit, qua generationi et creationi communis est; quasi diceret Paulus, *Qui ante omnem creaturam productus est,* quemadmodum *existentiæ* nomen Deo, et creatis rebus ὁμωνύμως tribuitur, cum dicimus Deum exstitisse, antequam existerent creaturæ, nec ideo consequens est, eodem modo Deum et illas existere; ita generatio vel τόκος sic utrisque Verbo, et creaturis accommodatur, ut tamen in ambobus ejusdem vocabuli significatio diversa sit. Ex quo manifestum est, nihil in illo loco momenti Arianos habuisse.

Ambigue.

V. Rursus *Joannis* V, 19 : *Non potest*, ait Christus, *Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, et Filius similiter facit.* Hoc Ariani potissimum uti testimonio solebat, non modo « ut infirmum docerent esse Filium, qui a se nihil faceret, quasi secundum divinitatem quoque subditus, et paterno subjectus imperio, » ait Ambrosius[1], sed etiam ut non ejusdem cum Patre esse substantiæ monstrarent, cum utriusque diversa sit actio.

Item locus : *Non potest a se facere quicquam*, etc.

Hic Joannis locus bifariam explicari potest. Plerique ad divinam Christi naturam potius, quam humanam spectare volunt. Sic Athanasius oratione quarta *contra Arianos;* Didymus in secundo libro *de Spiritu sancto,* Basilius[2], Gregorius Nazianzenus[3]; Cyrillus[4], Isidorus Pelusiota[5], Hilarius libro septimo; Ambrosius loco jam citato, et libro secundo *in Hexaemeron*, capite quinto, Augustinus tractatu *in Joannem* decimo octavo, et sequentibus, tum in secundo *de Trinitate,* capite primo, et in libro decimo quinto, capite quarto decimo; et libro *contra Sermonem Arian.* capite XV,

a Nyss. lib. III. Ὁ τοῦ καινοῦ τῆς παλιγγενησίας τόκου προγενηθεὶς ἐν τῷ ὕδατι· οὗ τὰς ὠδίνας ἡ πτῆσις τῆς περιστερᾶς ἐμαιεύσατο.

1 *In Psal.* CXVIII. Oct. 20, 4. Vide et lib. IV *de Fide* cap. III. — 2 Ep. CXLI et lib. *de Sanctis* cap. VIII. — 3 Orat. XXXVI. — 4 Dial. I et VII *in Joan.* cap. IX. — 5 Lib. III ep. CCCXXXV.

Idatius libro *contra Varimadum*[1]. Quibus adjungendi sunt Chrysostomus[2], et Cyrillus[3], quos nonnulli ad contrariam sententiam trahunt. Sed sine dubio de divina Christi natura locum istum accipiunt; ex quo illius æqualitatem et substantiæ unitatem colligunt. Quanquam subinde ad humanam conditionem eadem verba Cyrillus accommodat. Adjunge Cyrilli Alexandrini locum libro quinto *in Joannem*, ubi illud Joannis fuse declarat.

VI. Igitur complures secundum divinitatem Christi pronuntiant, cujus rationes varias interpretationesque adferunt. Basilius illinc effici putat, Filium non esse creaturam. Nam, quæ ratione est prædita, alicujus faciendi potestatem habet. At Filius nihil a seipso potest facere. Debet igitur ὁμοούσιος esse, nec a Patre substantia differre : « Nihil a se facit Filius, ait Ambrosius, quia per unitatem operationis nec Filius sine Patre facit, nec sine Filio Pater. » Quod ad eumdem explicat modum auctor *Breviarii fidei*, inter opuscula dogmatica editus. Gregorius Nazianzenus, « Quoniam, inquit, rerum earumdem formas velut in ipso imprimit Pater; exequitur autem Verbum non serviliter, nec imperite, sed scienter, et, ut aptius loquar, paterne[a].»

Quibus in verbis vox ἐνσημαίνεσθαι, non est simpliciter *designare*, ut vertit Interpres, sed in alio velut imprimere. Unde constet, Patrem indicare Filio, vel eum docere, quid faciendum sit, et quasi monstrando præire, nihil aliud esse, nisi eidem una cum natura, et essentia, rerum faciendarum intelligentiam, et earum formas, atque ideas communicare gignendo. Basilius[4] quoque similiter, ac Gregorius, exponit, quod jubere Pater, atque imperare Filio dicitur, non esse Domini vocem servo aliquid imperantis; «sed, ut Deo dignum est, voluntatis trajectionem, velut formæ cujusdam expressionem in speculo, a Patre in Filium sine tempore dimanantem[b]. Sic auctor *Breviarii* paulo ante laudatus : « Nec enim sic docuit, quasi indoctum genuerit; sed hoc est eum genuisse, quod est doctum, et scientem genuisse. »

VII. Quamobrem *visio* Filii, vel *auditio*, est generatione ipsa divina communicata substantia. « Nam non alia visio ejus, et alia substantia, » ait Augustinus[5]. Qui et in secundo libro *de Trinitate* hanc in istis et similibus loquendi formis posuit regulam, ut « non inæqualitas, sed nativitas Filii ostendi credatur. Et ita videt Filius Patrem, ut quo eum videt, hoc ipso sit Filius. Non enim aliud illi est esse de Patre, id est nasci de Patre, quam videre Patrem, aut aliud videre operantem, quam pariter operari; sed ideo non a se, quia non est a se.» Quod similiter Fulgentius de Filio, ac Spiritu sancto tradidit in libro septimo *contra Fabianum*[6]; ubi, « Hoc esse dicit, Spiritui sancto audire, quod est de natura Patris Filiique procedere; » cui consonat et Ambrosius[7] de Filio loquens, ubi audire Filius Patrem, et vicissim Filium Pater dicitur, « per unitatem naturæ, voluntatis, atque substantiæ; tum quod « Imago est invisibilis Dei Filius, omnia Patris, quasi imago exprimit, etc. Vidit ergo facientem Patrem, et vidit per secretum invisibilis naturæ. » Quæ ratio non est ab illa superiore diversa, quam ex eodem Ambrosio ante retulimus, quæ ex operationis unitate ducitur. « Quod enim unum est, ait alio in loco[8], per substantiæ proprietatem non potest separari, et ideo non potest Filius facere, nisi quod audierit a Patre, quia in æternum est permanens Dei verbum, nec unquam Pater a Filii operatione dividitur ; et quod operatur Filius, scit Patrem velle; et quod vult Pater, Filium novit operari. » Sic etiam Cyrillus dialogo sexto *de Trinitate*, dictum illud a Christo Domino, *Non potest Filius a se facere quidquam,* ad actionis, et voluntatis unitatem refert. Qui et illud observat, non dixisse Christum, « Non potest Filius a seipso facere quidquam nisi virtutem accipiat a Patre. » Velut etiam in libro secundo Commentariorum *in Joannem*[9]. Et Didymus in citato loco, nec non Isidorus Pelusiota[10], qui longam de hoc loco disputationem instituit.

VIII. Cæterum idem Cyrillus[11] in *Thesauris* similem Joannis locum ab Arianis objectum explicans, in quo Pater Filio vitam dedisse

a Greg. Naz. Orat. xxxvi. Ὅτι τῶν αὐτῶν πραγμάτων τοὺς τόπους ἐνσημαίνεται μὲν ὁ πατὴρ, ἐπιτελεῖ δὲ ὁ λόγος, οὐ δουλικῶς, οὔτ' ἀμαθῶς, ἀλλ' ἐπιστημονικῶς, καὶ, οἰκειότερον εἰπεῖν, πατρικῶς.

b Basil. Ἀλλὰ θεοπρεπῶς νοοῦμεν θελήματος διάδοσιν, οἷόν τινος μορφῆς ἔμφασιν ἐν κατόπτρῳ ἐκ πατρὸς εἰς υἱὸν ἀχρόνως διϊκνουμένην.

1 Cap. xv. — 2 Hom. xxxviii *in Joan.* — 3 Lib. II *in Joan.* cap. v. — 4 Lib. *de Spir. sanct.* cap. viii. — 5 Tractatu xx *in Joan.* — 6 In *Excerptis* Theodulphi *de Spirit. sancto.* — 7 Lib. II *Hexaem.*, cap. v. — 8 Lib. II *de Spir.* cap. xii. — 9 Cap. ix. — 10 Lib. III, ep. cccxxxv. — 11 Lib. XIV.

Item locus Joannis ubi Pater dicitur vitam dedisse Filio

dicitur, recte quidem docet, non inde posse concludi minorem esse Filium; sed rationem reddit, quæ minus fortasse theologis probetur. « Non enim, inquit, in eo, quod accipit, esse suum habet; sed prius existens, atque subsistens, aliquid accipit[a]. » Itane Filius ante subsistere, vel ratione ipsa, et mentis consideratione fingi potest, quam a Patre aliquid accipiat? Aut « jam existenti ac subsistenti dat aliquid Filio Pater[b]? » quod subinde asserit. Non est ita. Sed de attributis, ut vocat, cæteris, quæ nos pro modulo intelligentiæ nostræ, velut essentiæ superfusa cogitamus, potest Cyrilli iste locus accipi, uti prius substantiam a Patre generatione ipsa Filius habeat, tum reliqua ejus ornamenta capiat. Sed de substantia ipsa, aut etiam vita, de qua sermo illic est, istud usurpari qui potest? Sane non uno loco Cyrillus idem, recte se, atque ex communi Patrum theologorumque sensu, ejusmodi intelligere Scripturæ sententias fidem facit. Ut cum in libro secundo Commentariorum *in Joannem*, « Dare ita Filio Patrem, ait, omnia, quæ sua sunt, ut homo ex se progenito filio dare intelligitur, quæ sunt humanæ naturæ propria; vel quemadmodum ignis calori, qui ex se secundum actionem prodiit, quod naturæ suæ proprium est, dare dicitur[c]. »

Tum capite sexto libri ejusdem, quod Christus dicit, « Patrem sibi monstrare quædam, non hoc facere ipsum ait, tanquam in tabella descripta præbentem, vel ignarum docentem. Nam ut Deus novit omnia. Sed quod totum se in Filii sui natura depinxit, et quæcumque ei proprie insunt, in seipso demonstrat, ut ex iis, quæ est, et videtur, quinam, et qualis natura sit, genitor agnoscat[d]. » Ad hæc in libro quinto, similiter doceri a Patre Filium interpretatur, a Patre esse genitum, et communicatam ab eo voluntatem agendique vim accepisse, a qua desciscere, aut secus facere nequeat: perinde atque homo, præter illa, quæ in ejus natura sunt, nihil potest facere.

Quamobrem nihil ad ista, quæ Ariani passim objiciebant, in quibus Filio dari aliquid a Patre tradive dicitur, præsentius afferri potest, siquidem de divina Christi natura capiantur, quam quod Athanasius habet oratione quarta, ut ex illis non sit consequens, ea Filium aliquando non habuisse et accepisse postea. « Nam, si quæ Patris sunt, ea sunt Filii, inquit, Pater vero illa semper habet; nimirum, quæ habet Filius, hæc, cum sint Patris, semper in ipso sunt. Non igitur propterea ista dicebat, quod aliquando illa non habuerit, sed quia Filius, cum ex æterno habeat, quæ habet, habet a Patre[e]. » Ita porro locutum ait esse Filium, ut Sabellianis confundendarum invicem personarum occasionem adimeret. His simillima contra Maximinum Augustinus[1] opponit. Ambrosius[2] vero sic breviter, et acute, « Dedit, inquit, jure generationis, non munere largitatis. » Et in secundo libro, capite quarto, « Dedit generando, non largiendo. »

IX. Verum, tametsi de Christo, qua Deus est, recte Joannis ille locus enarrari possit, ad eum sensum, quem ex antiquis theologis confecimus; mihi tamen paulo videtur aptius, si ad humanam ipsam naturam Christi ejusdem accommodetur. Quod imprimis suadet loquendi ratio ipsa: *Nisi quod viderit Patrem facientem:* » Item, « *Omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*; *et majora his demonstrabit ei opera*, quæ ad hominem proprie referri videntur. Nihil enim demonstraturus novi Pater erat Christo, nisi quatenus homo is erat. Tum quod sequitur, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Judicandi potestas et functio a Deo Patre non in Verbum ipsum, sive Christum, ut Deus est, transcripta dici commode potest, sed in hominem. Proinde, cum ejusdem na-

a Cyril. Οὐ γὰρ ἐν τῷ δέχεσθαι τὸ εἶναι ἔχει, ἀλλὰ ὢν, ὑπάρχων πρότερον, δέχεταί τι.

b Ibid. Τῷ γὰρ ὄντι, καὶ ὑφεστῶτι δώσει τι, οὐ τῷ μὴ ὄντι, καὶ μήπω γενομένῳ.

c Cyril. lib. II *in Joan.* cap. iv. Δίδωσι δὲ οὕτως ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ πάντα τὰ ἑαυτοῦ, ὡσπερανεὶ καὶ ἀνθρώπους τῷ ἐξ αὐτοῦ φύντι παιδὶ διδόναι νοοῖτο τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἴδια. ἢ ὡσπερανεὶ καὶ τὸ πῦρ τῇ ἐξ αὐτοῦ κατ' ἐνέργειαν προϊούσῃ θερμότητι διδόναι λέγοιτο τῆς ἰδίας φύσεως τὸ ἰδίωμα.

d Ibid. cap. vi. Δεικνύει δὲ πάλιν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ ἃ αὐτὸς ποιεῖ, οὐ καθάπερ ἐν πίνακι διαγεγραμμένα παρατιθεὶς, ἢ ὡς ἀγνοοῦντα διδάσκων. πάντα γὰρ οἶδεν ὡς θεός· ἀλλ' ὅλον ἑαυτὸν ἐν τῇ τοῦ γεννήματος φύσει ζωγραφῶν, καὶ τὰ ἰδίως αὐτῷ προσπεφυκότα δεικνύων ἐν ἑαυτῷ· ἵνα ἐξ ὧν αὐτὸς ὑπάρχει, καὶ φαίνεται, ποταπός τε, καὶ τίς κατὰ φύσιν ἐστὶν εἰδείη τὸν γεννήτορα.

e Athan. Εἰ γὰρ τὰ τοῦ πατρὸς τοῦ υἱοῦ ἐστιν, ἀεὶ δὲ ταῦτα ἔχει ὁ πατὴρ, δηλονότι ἃ ἔχει ὁ υἱὸς, ταῦτα ὄντα τοῦ πατρὸς, ἀεί ἐστιν ἐν αὐτῷ. οὐ διὰ τὸ μὴ ἐσχηκέναι οὖν ποτε, ταῦτα ἔλεγεν, ἀλλ' ὅτι ἔχων ἀϊδίως ὁ υἱὸς ἃ ἔχει, παρὰ τοῦ πατρὸς ἔχει.

1 Aug. lib. III *con. Max.* cap. xiv. — 2 Lib. IV *de Fide* cap. v.

turæ ratione judiciaria illa potestas Christo permissa dicatur commate XXII, « quæ facientem vidit Patrem; cuique demonstrasse Pater quæ fecit, et majora porro demonstraturus » dicitur in antecedentibus; apparet humanam utrobique significari.

Quocirca hic mihi totius loci sensus occurrit, si ad hominem Christum accommodari placet. Judæis Christi opera calumniantibus, præsertim quod per sabbatum sanitatem ægro illi ad piscinam sedenti restituisset; ita se ille defendit, ut dicat, eadem illa opera, quæ isti reprehenderent, a Patre fieri; quoniam nihil agebat omnino Christus homo, nisi quod a Patre sibi præscriptum esset, adeoque decretum, imo vero jam quodammodo factum destinatione illa paternæ præscientiæ, mandatique paterni. Ad ea itaque facienda moveri se a Patre, qui in Christo, ac per Christum illa moliretur. Ita *Joan.* VIII, 29: *Sicut docuit me Pater, hæc loquor, et non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Et *Joan.* VI, 38. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quæ omnia, et his similia in humanam naturam congruunt. Utram autem ambarum interpretationum sequemur, apparet ex illis verbis, non posse Arianorum affirmari perfidiam; neque inde colligi, diversam et inæqualem, quod ad divinitatem spectat, Patris et Filii potestatem esse, vel naturæ dignitatem. In qua præ cæteris detestanda est Eusebii Cæsariensis opinio, qui lib. III *de Eccles. theol.* c. III, putat, Patrem prius in mente sua designasse futuri operis rationem, tanquam ideam, in quam Filius, velut archetypum, intuens, mundum fabricavit; cum scilicet occultas in se rerum imagines Filio monstrasset Pater; quarum imitatione ille universa molitus est. Quod, cum de Christo, qua Deus est, dicat, et sentiat, impie irreligioseque facit. De humana vero conditione, si sic intelligeret, non esset arguendus. Quemadmodum Cyrillus[1] hoc, quod vitam se accepisse Christus a Patre dicit, interdum de eo, ut homo est, exposuit.

X. Opponebant et illa Scripturæ verba, quibus soli Patri quædam divinitatis propria ita tribuuntur, ut ab eorum excludi communione videatur Filius; cujusmodi sunt, illum esse bonum, verum, solum Deum, immortalem, etc. Quo illud imprimis *Matthæi* XIX, 17, spectat, quod adolescenti, a quo *Magister bonus* appellatus erat, respondit Christus: *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus;* vel ut in Græco *Matthæi*, et apud *Marcum* expressius legitur, cap. X, 17. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.* De *vero* autem Joannis locum objiciebant capite XVII. 3. *Ut cognoscant te solum Deum verum.* Item I *Tim.* VI, 17. *Qui solus habet immortalitatem.* His atque aliis similibus instructi testimoniis Ariani contendebant, Filium Dei bonum ac verum non esse, neque immortalem, natura scilicet, ut ex Cyrilli *Thesauro* colligitur[1]. Ibi enim, quod de bono ex Arianorum opinione tradit Cyrillus, naturaliter bonum non esse, de reliquis eodem sensu debet intelligi. Non enim qualemcumque bonitatem detrahebant Filio, sed primigeniam et naturaliter insitam; vel, ut loqui Patres solent, αὐτοαγαθότητα, sive *ipsam bonitatem.* Habere quippe Filium inferioris multo conditionis bonitatem, a Patre acceptam et creatam. Quod ab Origene hausisse videntur Ariani. Hic enim libro I περὶ ἀρχῶν scripserat, Hieronymo[3] teste, « Filium non esse bonum, sed auram quamdam et imaginem bonitatis, ut non dicatur absolute bonus; sed cum additamento, *pastor bonus*, et cætera. » Atque hoc a Platonicis philosophis sine dubio expresserat Origenes; qui ex omnibus Dei appellationibus, maxime propriam esse dicebant illam *boni*, ut apud Cyrillum Porphyrius docet, lib. IV *Philosophicæ historiæ.* « Illud enim ostendit simplicem ipsius naturam, adeoque seipsa contentam; ut quæ nullo indigeat, non partibus, non substantia, non facultatibus, non actibus, sed sit horum omnium causa. Bonum autem demonstrat, ab ipso esse, quidquid bonum est; aliis pro virili proprietatem illius, si ita dicendum est, imitantibus, ac per eam salutem adipiscentibus[a]. » Quinetiam is, qui vulgo Mercurius Trismegistus inscribitur, in *Pœman.* capite secundo numero octavo, nulli alteri, nisi Deo, communicari

Expenduntur Scrip. loca ubi divinitas ita tribuitur Patri, ut a Filio excludi videatur.

Periarchon.

a CYRIL. I *contra Jul.* Τὸ μὲν γὰρ ἐμφαίνει τὴν περὶ αὐτὸν ἁπλότητα, διὰ τοῦτο αὐτάρκειαν. χρῄζει γὰρ οὐδενὸς, οὐ μερῶν, οὐκ οὐσίας, οὐ δυνάμεων, οὐκ ἐνεργειῶν, ἀλλ' ἔστι πάντων τούτων αἴτιος· τἀγαθὸν δὲ παρίστησιν, ὅτι ἀπ' αὐτοῦ πᾶν ὅ, τι περ ἀγαθόν ἐστιν, ἀπομιμουμένων, κατὰ τὸ δυνατὸν, τῶν ἄλλων τὴν ἐκείνου, εἰ χρὴ φάναι, ἰδιότητα, καὶ δι' αὐτῆς σωζομένων.

1 Cyril. lib. *Thes.* XIV. — 2 Cyril. lib. IX. — 3 Hier. ep. LIX, *ad Avitum.*

Bonum. dicit τἀγαθόν. « Una quippe est natura Dei bonum [a]; » cujus causam subjicit: « Bonus est enim, qui omnia dat, et nihil accipit[b]. » Et capite VI, num. 2, « in solo ingenito bonum ait inesse, » ἐν μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ. Ad hæc scimus, hæreticos illos, qui principia duo, totidemque deos asserebant, Veteris alterum Testamenti, alterum Novi, posterioris notam et characterem esse bonitatem dixisse; prioris, justitiam. Itaque Deum Patrem Christi Domini proprie esse *bonum*, quod ex illis Matthæi Marcique locis affirmabant, de quibus modo disputamus. Tales erant Marcionitæ aliique similes, ut ex Tertulliano, Irenæo, Epiphanio aliisque constat. Meminit et Origenes libro II *Periarchon*, cap. V. Qui in Commentariis *ad Joannem*, nescio quid nugatur illorum simile, dum Patri bonitatem, Filio justitiam attribuit, quod Pater neminem judicat, Filius autem ab eo omne judicium acceperit. Sane in concilio Aquileiensi, in quo, præside sancto Ambrosio, Palladius et Secundianus Ariani episcopi convicti damnatique sunt, nihil aliud aut Ambrosius adversus eos institit, aut illi defugerunt, quam *boni* ac *veri* Dei appellationem in Christo: cum utramque, ut et alias ejusdem modi, obnixe ac pertinaciter de eo confiteri detrectarent. Porro, quod ex Origenis commentario in *Evangelium Joannis* de bono Patre, Filio justo commemoravi, id ab illo scriptum esse testis est Hieronymus epistola CLI, quæstione VII.

XI. Quod de Arianis dixi, minime eos bonitatem ademisse Filio, neque non bonum illum, aut malum esse credidisse; sed hoc unum asseverasse, participem eum esse bonitatis eo modo, quo creatæ res aliæ, non *Ipsum-bonum.* ipsum esse bonitatis fontem, et αὐτοάγαθον, id observatione dignum est, propter quosdam veteres, qui, non satis animadversa re, vehementius in hæreticos illos invecti sunt, tanquam malum esse Dei Filium, ex eorum oratione consequens foret. Sic Epiphanius [1] rei indignitatem queritur, quod, cum tot humanum in genus bona congesserit Dei Filius, ab hæreticis tamen istis bonitas ei denegetur. Gregorius item Nyssenus initio decimi libri *adversus Eunomium*, acriter eodem argumento pugnat, ac Manichæi blasphemiam impingit Eunomio, quod Patri soli convenire bonitatem asserens, Filium in malorum ordine reponat. Ut enim sanitati contrarius est morbus, sic bonitati adversa est malitia. « Quare si Patri soli convenire putat bonitatem, inquit, ab ea intercludit, quidquid in rebus præter Patrem intelligitur; adeo ut cum omnibus etiam unigenitus Deus a bono rejiciatur. Etenim, quemadmodum qui solum hominem ridendi capacem esse dixerit, cæterorum animantium nullum ejus particeps esse proprietatis una significat; sic qui in Patre solo inesse dicit bonitatem, a boni proprietate universa segregat[c]. »

Idem habet et Basilius in quarto *contra Eunomium;* Gregorius Nazianzenus oratione XXXVI, Idatius libro *contra Varimadum;* Ambrosius libro primo *de Fide*, capite primo, et sequentibus, et libro secundo, capite primo; Hilarius in quarto libro *de Trinitate*. Sic auctor *Breviarii fidei* adversus Arianos, quod ab iisdem jactari solebat, solum Patrem immortalem et invisibilem esse, ita refellit, quasi mortalem et visibilem Filium absolute profiterentur, ut et Augustinus libro secundo *contra Maximinum*.

XII. Atqui non simpliciter bonum esse Filium Arius negavit, aut Eunomius, uti neque creatas res alias esse bonas. Imo Patrem ipsum apud eumdem Gregorium Nyssenum Eunomius aiebat, ideo solum appellatione ista dignum esse, « quia tam suæ, quam universæ bonitatis auctor est[d]. » Itaque Christus cum bonum esse dixit neminem, præter solum Deum, non utique mala esse cætera judicavit, adeoque naturam ipsam hominum, ut recte adnotat Chrysostomus [2], et Theophylactus; sed catenus, si cum Dei bonitate comparentur. Eodem modo et de eo quod est τὸ ὄν sentiendum est; quod hæretici isti *Ens.* peculiare Patri sic esse volebant, uti Filio

a Mer. Trism. Μία γὰρ φύσις τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθόν.

b Ib. Ὁ γὰρ ἀγαθὸς ἅπαντά ἐστι διδοὺς, καὶ μηδὲν λαμβάνων.

c Nyss. lib. X initio. Εἰ μόνῳ τῷ πατρὶ προσήκειν λέγει τὴν ἀγαθότητα, ἀποκλείει ταύτης πᾶν ὅ, τι πέρ ἐν τοῖς οὖσι παρὰ τὸν πατέρα νοούμενον. ὥστε τοῖς πᾶσι καὶ τὸν μονογενῆ θεὸν τοῦ ἀγαθοῦ συναπείργεσθαι. ὡς γὰρ ὁ μόνον γελαστικὸν εἶναι λέγων τὸν ἄνθρωπον, τὸ, μηδὲν τῶν λοιπῶν ζώων τῆς ἰδιότητος ταύτης μετέχειν συνεδείξατο· οὕτως ὁ ἐν μόνῳ τῷ πατρὶ τὸ ἀγαθὸν εἶναι ἀποφαινόμενος, χωρίζει τὰ πάντα τῆς κατὰ τὸ ἀγαθὸν ἰδιότητος.

d Nyssen. ibid. Ὁ γὰρ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ πρόσρησιν μόνῳ προσήκειν διδάξας ἐκείνῳ τῷ καὶ τῆς σφετέρας, καὶ πάσης ἀγαθότητος αἰτίῳ.

1 Hær. LXIX, Num. 57. — 2 Hom. LXIX *in Matth*

detraherent. Et Eunomius apud Gregorium Nyssenum[1] aiebat, Filium non sibi οἰκειοῦσθαι τὸ ὄν, id est *proprium sibi non facere*, quoniam ad solum Patrem pertinere volebant istud, *Ego sum qui sum*[2]. Contra quem disserens Gregorius, hominem exagitat ex eo, quod sit absurdum, eumdem dici a Patre esse, et tamen alienum ἀπὸ τῆς ἀξίας τοῦ εἶναι, *a dignitate existendi*. Siquidem οἰκειοῦσθαι oppositum habet τὸ ἀλλοτριοῦσθαι. Unde si non οἰκειοῦται ἑαυτῷ τὸ ὄν, ἀλλοτρίωται τοῦ ὄντος. At non absolute negabat Eunomius, τὸ ὄν convenire Filio, sed primigenium illud duntaxat ὄν, cujus particeps erat tam Filius, quam creatæ res omnes. Itaque minus accurata est illa *contra Eunomium* argumentatio, tam nono isto libro, quam decimo, ubi idem repetitur.

Si non proprium sibi habet ens abalienatur ab ente.

XIII. Jam vero Matthæi, ac Marci locum illum, qui est de bono Deo, sic plerique Patrum explicant, ut juvenem illum, qui Christum compellavit, dicant non satis de eo magnifice sensisse, sed ipsum putasse hominem esse cæterorum similem, nisi quod virtute ac bonitate quadam inter eos excelleret; Christum vero, ut fidem illius attolleret, ei sic occurrisse: *Quid me dicis bonum?* quasi diceret: Si me putas hominem, noli me appellare bonum, ut loquitur Athanasius libro *de Humana suscepta natura;* nec non Gregorius Nazianzenus[3], et Nyssenus libro *contra Eunomium* decimo, qui ait juvenem de Christo, tanquam communi aliquo magistro, mortis evitandæ rationem scire voluisse. Ita et Chrysostomus interrogatum ab illo Christum ait, quasi unum quempiam ex legis magistris. Quod et Hilarius docet in libro nono, et Ambrosius in secundo *de Fide*, Basilius item et Cyrillus[4], Augustinus *in Psalmum* CII, et CXVII et lib. *contra Sermonem Arianorum*, Gaudentius tractatu septimo *de Exodo*, Prosper *in Psalmum* CXXXIV, Facundus Hermianensis libro sexto; qui omnes in illud consentiunt, quod Tertullianus in secundo *adversus Marcionem* ita tradidit: « Bonus natura Deus solus; qui enim, quod est, sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura. » Et Augustinus epistola quarta et quinquagesima: « Deus ergo singulariter bonus est, et hoc amittere non potest. Nullius enim boni participatione bonus est, quoniam bonum, quo bonus est, ipse sibi est; homo autem, cum bonus est, ab illo bonus est, quod a seipso esse non potest. »

Quocirca de solo genere bonitatis illo, quod divinitatis proprium est, hoc est οὐσιῶδες et naturale, dissentiebant Ariani, ac detrahebant Filio. Ideo Cyrillus[5] in libro *Thesaurorum* tricesimo secundo, nominatim contendit Filium secundum essentiam bonum esse, adeoque Trinitatem omnem; ut et Dionysius[6] in libro *de Divinis nominibus*. Et Athanasius, imo vero alius quispiam, in dialogo primo *de Trinitate*, solum Deum bonum appellari ait, « quoniam non est bonus participatione bonitatis, sed est ipsamet bonitas; homo vero bonitatis participatione bonus est[a]. » Hieronymus[2] in caput tertium epistolæ *ad Ephesios*, bonum ideo propria ratione dici Deum asserit, quod et a nullo bonitatem accipit, et eam omnibus impertitur.

XIV. Est idem judicium etiam de vero, sapiente, immortali, ac cæteris, ut animadvertit Augustinus[7]. Nam « solus Deus sapiens ab Apostolo dicitur, quia solus secundum substantiam suam sapiens est; non secundum accedentem, vel accidentem participationem sapientiæ, sicut est rationalis quæcumque creatura. » Neque vero particula ista, solus, Filium excludit, tametsi solus Pater aut verus, aut immortalis esse dicatur, ut est apud Cyrillum[8]. Quippe ad falsos duntaxat segregandos deos, in Scripturis adhibentur istæ voces, ut admonet[b] Basilius epistola CXLI et in quarto *adversus Eunomium*, et Athanasius oratione quarta. De quo et Augustinus in primo *de Trinitate*, capite sexto, et libro tertio *contra Maximinum*, capite XV et Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus[9], aliique complures. Nonnulli vero illa verba, *et quem misisti*, superioribus annectunt: *et te, et quem misisti Jesum Christum;* ut uterque verus pronuntietur Deus. Ita Augustinus in sexto *de Trinitate*[10], et ante hunc Novatianus *de Trinitate*[11]. Sed præstat vocabulum *solum* priore sensu capere, ut removeantur ii, qui veri dii non sunt, ac proinde nec dii. Nam, ut Chry-

a ATHAN. Ὅτι ὁ θεὸς οὐ κατὰ μετοχὴν ἀγαθότητός ἐστιν ἀγαθὸς, ἀλλ' αὐτός ἐστιν ἀγαθότης. ὁ δὲ ἄνθρωπος μετοχῇ ἀγαθότητός ἐστιν ἀγαθός.

b BASIL. Ep. CXLI. Τὸ γὰρ εἷς καὶ μόνος ἐπὶ τοῦ θεοῦ ἐν τῇ γραφῇ. οὐ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ υἱοῦ, ἢ τοῦ ἁγίου πνεύματος λέγεται, ἀλλὰ πρὸς τοὺς μὴ ὄντας θεοὺς, ὀνομαζομένους δὲ ψευδῶς.

1 Lib. IX. — 2 *Exod.* II. — 3 Orat. XXXVI. — 4 Basil. lib. IV *contra Euno.* — 5 Lib. X *Thes.* — 6 Cap. II. — 7 Lib. II *con. Maxim.* cap. XIII. — 8 Cyril. lib. XIV *Thes.* et lib. XXVII. — 9 Orat. XXXVI. — 10 Cap. IX. — 11 Cap. XXIV.

sostomus ad illum Joannis locum argumentatur, sicut, qui verus homo non est, is ne homo quidem est; ita, si Filius verus non est Deus, ne Deus quidem nominandus est: quod tamen posterius tribuebant Ariani, priore detracto. Quemadmodum et Origenes «Filium, quantum ad Patrem, non esse veritatem asserit, quantum ad nos, esse imaginariam veritatem.» Ita enim scriptum ab illo fuisse in primo περὶ ἀρχῶν [1], testis est Hieronymus; quod hodie non comparet, postquam Ruffinus libros illos interpolavit. *Periarchon.*

CAPUT V.

Arianorum et Sabellianorum argumenta præcipua, quibus catholicam de Trinitate oppugnabant fidem. Generationi divinæ nullam subesse corporum propriam labem. Nec ideo initium cepisse Filium, quod genitus sit, quod ex æterno sit, nec unquam desitura ista generatio. Utrum volens, an nolens Pater genuerit Filium. Refellitur Arianorum commentum aientium, Filium a Patre ad res creandas cæteras tanquam instrumentum esse productum.

I. Post Scripturæ testimonia, quibus Arianæ fautores hæresis catholicum dogma conabantur evertere, nonnulla eorumdem proferam argumenta, ad quæ reliqua veluti capita referuntur. Ea vero potissimum ex generationis vi ac proprietate ducuntur, quam divinæ illi productioni, qua Verbum a Patre processit, congruere posse non putant. Hoc enim fallit eos, et ad ejusmodi rationes impellit argumentandi, quod, quæ divinitati tribuuntur a nobis humanis explicata similitudinibus, ac vocabulis, iisdem, quibus insunt nobis, irretita conditionibus, ac modis transferri in Deum existimant. Ideo cum et generationem, et substantiæ naturæque communicationem, et ex natura, proprietateque constantem personam, atque hypostasim accommodari summæ illi majestati audiunt; ejusdemmodi, qualia cernuntur iis in rebus, quarum habent usum, esse hæc interpretantur; atque ita sentire nefas prædicant. Quam illorum calumniam plerique omnes Patres, qui eorum argumenta dissolvunt, palam summo studio fecerunt; ut imprimis Athanas. lib. *de Decret. syn. Nic.* et oratione secunda, Basil. lib. II *con. Eun.*; Cyrillus lib. VI *Thes.* [2], et Epiphanius hær. LXXVI, Nazianzenus orat. XXXV; Nyssenus lib. III et VIII *con. Eunom.* Cæsarius dial. I, interr. XXXVII; Hilarius libro tertio *de Trinitate,* et in I *ad Constant.*, ac cæteri denique. Quocirca una hæc adversus illorum petitiones idonea esse potest exceptio, si de Deo aliter hæc intelligenda, quæ ex creatis rebus assumuntur, quam de creatis ipsis, unde sunt petita, doceamus. Sed, ut sit uberior nostra disputatio, et eorum, quibus catholica pulsatur fides, argumentorum imbecillitas magis appareat, quædam ex iis in medium adducam, singillatimque diluam. Quorum primum sit illud. At Augustinus « Arianos ait confiteri generationem, sed negare æqualitatem [3]. » Quod de generatione improprie dicta necesse est accipi.

II. Objiciebant enim Ariani, generandi notionem adjunctum habere πάθος, et affectionem indignam Deo. Si enim e substantia sua et hypostasi Filium genuit, necesse est collationem, et contractionem, imminutionem, sectionem, et hujus generis alia contigisse Deo. Sic apud Epiphanium hær. LXIX, n. 16 et 36, Ariani disputant, et apud Greg. Nyssen. lib. III *contra Eunom.* et Gregor. Nazianz. orat. XXIX et XXXV, et Cyrillum in *Thesauris* passim [4], et in dialogo secundo et quarto; Augustinum tertio *con. Maximinum*, cap. XIV. Proinde genitum a Patre Filium asseverabant, non ea generatione, quæ proprie ita dicitur, quæque ex substantia est, sed quæ ex gignentis voluntate fit; ut non vera sit et propria, sed a creatione vel effectione nihil discrepet, ac nulla per eam intercedat substantiæ et naturæ, ut ita dixerim, trajectio; sed prorsus externum, et a producente alienum aliquid existat. Itaque apud Nyssenum Eunomius asserit, « genitam esse a Patre Filii substantiam, non extensione productam, non augendo perfectam, non mutatione formatam, sed sola voluntate gignentis ut esset sortitam [a]. » *Removenda a generatione divina omnia incommoda generationis humanæ.*

a Nyss. III *contra Eunom.* Γεγεννῆσθαι παρὰ τοῦ πατρὸς τοῦ υἱοῦ τὴν οὐσίαν οὐ κατὰ ἔκτασιν προβληθεῖσαν, οὐ κατὰ αὔξησιν τελειωθεῖσαν, οὐ κατὰ ἀλλοίωσιν μορφωθεῖσαν, μόνῃ δὲ τῇ βουλήσει τοῦ γεννήματος τὸ εἶναι λαχοῦσαν.

1 Cap. II. — 2 Cyr. lib. VI *Thes.*, et lib. XIX; tum lib. IV. — 3 Tract. XXXVII *in Joan.* — 4 Ut in lib. IV, VI, XIX, XXI et dial. II.

Huic argumento facile Patres occurrunt eo, quem superius ostendi, modo; non idem de divina et spirituali generatione sentiendum esse, quod in creata et corporea cernitur. Quinetiam in auctores suos illud ipsum retorquent. Etenim non minus creatio, et effectio, cujusmodi opificum est, imperfecti aliquid habet admistum, quam generatio. Cum igitur creasse Deum, et opera sua molitum esse sine ulla fatigatione, et affectione, ac sine materia aliqua antecedente statuant, quæ sunt creatorum artificum propria; cur non generationem aliquam eidem tribuant, qua sic ex natura et substantia producatur aliquid, ut non eadem, qua infima, et caduca, lege gignantur? Ad hæc Nyssenus ex ipso partu sacrosanctæ Virginis refellit Eunomium; qui generationem et nativitatem ex illa Dei hominis sine corruptione ac turpi affectione factam esse non negabat. Unde consequens sit, multo magis id divinæ Verbi generationi esse tribuendum.

Non initium habet Filius eo quod sit genitus.

III. Secundo ita pugnabant Ariani : cum genuisse Filium Pater dicitur, eo ipso gignendi aliquod initium fuisse monstratur. Porro vel gignendi finem fecit, vel non fecit. Si prius fatemur, ergo initium habuit. Si posterius, erit imperfecta generatio; et hoc ipsum, quod producitur, nondum erit absolutum. Est enim generatio velut progressio quædam ad aliquid producendum; quod ubi perfectum exstitit, generatio ipsa desinit, quemadmodum progressio omnis tum finem accipit, cum, quo illa tendebat, eo perventum fuerit. Hæc objectio apud Nazianz. orat. XXXV, Nyssenum libro VIII et Basilium lib. IV *con. Eunom.*, Hilar. libro VII, Cyril. libro V *Thes.* proponitur. Respondet imprimis Gregor. Nazianz. orat. XXXV quod ad significationem attinet præteriti temporis in verbo *genuit*, posse nos ita rem exprimere, *a principio genitus erat*, ἦν ἀπ' ἀρχῆς γεγεννημένος, non *genitus est*. Quippe Scripturis sacris usitatam esse temporum ejusmodi commutationem. Quæ responsio ad hoc tantummodo spectat, ut nullum propterea concludatur initium fuisse gignendi. Quod ad alterum vero attinet, utrum generatio finem acceperit, non recta Nazianzenus occurrit; sed ἐνστάσει utrumque

Præscriptione.

solvit, docetque neque, quidquid cœpit, desinere, nec, quod desinit aliquando, cœpisse. Nam anima, inquit, hominis, et angelus, cum fine careant, initium tamen habuerunt. Quod ipsum et Basilius habet in quarto libro[1]. Atqui non valde Arianos hæc argumentatio commoveat. Etenim satis hoc illis erit, ex sese ac natura conditioneque sua, desinere posse quæcumque initium habuerunt, tametsi Deus illa sempiterna velit esse, ac perpetuo conservet; uti minores illos in *Timæo* Platonis deos, natura mortales, summus ille sempiternos esse jubet. Tum vero extra controversiam est, quidquid initio caret, finem nec habiturum esse, nec habere omnino posse; quia « quidquid æternum est, semper est, » ut scribit August. in *Psalm.* II.

Quamobrem ex Nysseno, Cyrillo, Hilario et Augustino in *Psalm.* II et XLIV, asserendum est, dissimilem esse generationis illius æternæ rationem, atque ejus est, quæ in creatarum rerum productione cernitur. Verbum enim suum ex æterno genuit, et in æternum gignet Pater. « Nam, quod incipit, ac desinit, ait Nyssenus, in quadam intervalli extensione spectatur. Porro omnis extensio temporis mensura continetur. Ubi autem non est tempus, quo et finem et initium designamus pariendi, vanum sit, finem et principium in ea generatione, quæ dimensione caret, intelligere[a]. »

IV. Sic Athanasius orat. V *cont. Arianos*, absurdum esse disputat, locutum esse Deum, ut postea taceret, aut genuisse, ut postea gignere desierit. Proinde « dicere Dei, ait Aug. in *Psalm.* XLIV sine initio est, et sine fine, et tamen unum verbum dicit. » Atque ut ad *Psalm.* II disserit, « in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit; nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantum; quia quidquid æternum est, semper est. » Quare, cum ex æterno Verbum suum genuerit Pater, necesse est semper ut gignat, neque finem unquam gignendi faciat. Quam rem præclare, et erudite sanctus Cyrillus explicat lib. V *Thesauri*, qui ea re falli dicit hæreticos, quod talem sibi Filii generationem opinione finxerint, qua ab eo, quod non est, ad id, quod est, progressum faciat. Ita porro

a Greg. Nyss. VIII *contra Eunom.* Τὸ γὰρ ἀρχόμενον, καὶ παυόμενον ἐν παρατάσει τινὶ θεωρεῖται πάντως. πᾶσα δὲ παράτασις χρόνῳ διαμετρεῖται. χρόνου δὲ μὴ ὄντος, ᾧ καὶ τέλος τοῦ τόκου, καὶ ἀρχὴν σημειούμεθα, μάταιον ἂν εἴη τέλος, καὶ ἀρχὴν ἐπὶ τῆς ἀδιαστάτου γεννήσεως ἐννοεῖν.

1 Basil. IV *con. Eun.*

se habere generationem, quomodo id, quod generatione producitur. « Homo enim quoniam ex non esse incipit, necessario etiam generatio ejus incœpit [a]. » Et paulo post Eunomianæ illi quæstioni respondens, an Pater generare desierit : « Quoniam, inquit, super omne tempus, et omne principium, et omne spatium substantia Dei est, generatio quoque Dei super omnia illa est; nec privabitur natura divina potestate generandi, quoniam absque tempore generat. Alius enim divinæ generationis modus est, quam humanæ. Simul enim esse Deum, et generare ipsum intelligitur, quamvis mente generatio post intelligatur. Erat igitur in ipso genitus Filius. Nec præcedit generatio ejus esse ipsius, sed semper simul et est, et generatur [b]. » Quod ipsum plenius subinde declarat, et similitudine ignis explicat; qui ex seipso calorem et lucem generat, ac producit, « nec e non calido calidus factus est; nec cessabit unquam generare et producere, quod secundum naturam in eo inest [c]. »

V. Sed totum hunc locum, et hanc Arianorum subdolam et captiosam argumentationem egregie ac subtiliter in duodecimo *de Trinitate* libro explicat Hilarius; ac pluribus illorum calumniam refellit. Primum igitur discrimen humanæ generationis et divinæ ita declarat : « Et nativitates quidem humanæ habent in tempore non fuisse, primum quidem, quia omnes ex his omnibus, qui ante non fuerint, nascantur. Nam tametsi unicuique nascentium ex eo sit origo, qui fuerit, tamen ipse ille, ex quo nascitur, non fuit, antequam natus est. Dehinc ipse, qui natus est, postquam non fuit, natus est, tempore ipso ante manente, quam nascitur. » Quare duobus ex capitibus habet humana generatio et nativitas, ut, quod nascitur, ante non fuerit; nimirum *per tempus* et *per causam*, ut mox ipse declarat. « Per tempus quidem, quia, quæ nunc cœperint, ante non fuerint. » Nam post tempus cœperunt; eo quod tempus creatas res omnes antecedat. « Per causam vero, quia his non ex causis constet esse, quod maneant. » Hoc est, « quia causam sui de antea non exstantibus sumunt; » quæ non possunt iis, ut maneant, et sint æterna, tribuere. Causam porro appellat Hilarius nativitatis, et existendi tale principium, quod generatione, et non ex nihilo originem dat alicui, ut a creatore differat; quod his verbis ostendit : « Revolve enim omnes originum causas, et intelligentiam in anteriora converte; invenies, nihil cœpisse per causam; dum omnia per virtutem Dei ad id, quod sunt, creantur, non etiam nascuntur ex aliquo. » Nam, etsi homines ab hominibus gignantur, tamen in tota propagationis serie, quod primum est, id non nativitate, sive per causam generationis, sed creatione originem accepit. « Ipso illo primo humani generis parente Adam ex terra, quæ ex nihilo est, et post tempus, id est post cœlum, et terram, diem, solem, lunam, et astra formato, qui et originem non habuerit nascendi, et cœperit, cum non fuisset. »

At unigenitus Deus neque tempus habet anterius, ut aliquando non fuisse dicatur; quia ipsum aliquando temporis est; per illum vero omnia fabricata sunt tempora, neque ex causa habet, ut non esset, antequam nasceretur, quia ex eo, qui semper est, natus est, non ex eo, qui non fuit : « Ergo, cui neque in tempore est, ut aliquando non fuerit, neque in Patre, id est auctore, est, ut subsistat ex nullis, non reliquit id de se occasionis, ut aut ex nihilo natus sit, aut non fuerit, antequam nasceretur. » Vis itaque tota argumentationis Hilarii in eo vertitur, quod, cum Dei Filius ab eo, qui nunquam non fuit, et est æternus, generatione, non creatione, originem ceperit, nunquam non fuerit. Qua in ratione una illud comprehendi debet, ex æterni Dei substantia genitum esse Filium. Alioqui haud recte colligeret, si solam efficientem causam intelligi vellet. Siquidem creatæ res omnes ab eo, qui semper est, productæ sunt; sed quia ex nihilo, hoc est nulla ante existente re, factæ sunt, ideo aliquando non fuerunt.

VI. Atenim, instabant Ariani, si semper

a CYRIL. V *Thes.* Ἄνθρωπος μὲν γὰρ ἐπειδὴ τοῦ μὴ εἶναι ἤρξατο, ἀναγκαίως καὶ τοῦ τίκτειν ἄρχεται.

b Ibid. Εἰ παντὸς ἀνωτέρα χρόνου καὶ ἀρχῆς, ἢ διαστήματος ἡ οὐσία τοῦ θεοῦ, ἀνωτέρα τούτων ἔσται καὶ ἡ γέννησις, καὶ οὐ πάντως ἀποστερήσει τὴν θείαν φύσιν τοῦ δύνασθαι γεννᾷν, τὸ μὴ ἐν χρόνῳ τοῦτο ποιεῖν. ἕτερος γὰρ παρὰ τὸν ἀνθρώπινον ὁ τρόπος τῆς θείας γεννήσεως, ὁμοῦ γὰρ τῷ εἶναι τὸν θεὸν, καὶ τὸ γεννᾷν αὐτῷ συνεπινοεῖται, καὶ ἦν ἐν αὐτῷ γεννητῶς ὁ υἱὸς, οὐ προτρέχουσαν ἔχων τὴν γέννησιν τῆς ὑπάρξεως, ἀλλ' ἅμα καὶ ὢν ἀεὶ γεννητῶς.

c Mox : Καὶ γοῦν γεννᾷ μὲν ἐξ ἑαυτοῦ τὸ πῦρ τήν τε κατὰ φύσιν αὐτῷ προσοῦσαν θερμότητα, καὶ τὸν φωτισμόν. οὔτε δὲ ἐκ τοῦ μὴ εἶναι θερμὸν εἰς τοῦτο προῆλθεν, οὔτε πεπαύσεται γεννῶν τὸ κατὰ φύσιν αὐτῷ προσόν. ἀλλ' ἅμα γέγονε πῦρ, καὶ ἦν αὐτῷ τὰ αὐτοῦ.

Filius fuit, nasci non potuit. Hoc enim communis sensus docere videtur, id, quod semper fuit, natum non esse. Quippe nihil aliud est nasci, quam esse, quod non fuit. Quare, si natus est, cœpit; et, cum cœpit, non fuit. Quo pertinet trita illa Arianorum cavillatio, cujus Athanasius[1], et Cyrillus[2] meminerunt. Nam mulierculas interrogabant, an Filium antequam peperissent, habuissent; negantibus vero statim subjiciebant, ita neque Deum, antequam Filium genuisset, Patrem fuisse. Cui ita respondet Hilarius, et semper fuisse Filium, et semper natum fuisse. « Ubi enim, ait, Pater auctor est, ibi et nativitas est; at vero, ubi auctor æternus est, ibi et nativitas æterna est. Quia, sicut nativitas ab auctore est, ita et ab æterno auctore æterna nativitas est. » Porro illud *cœpisse*, eam vim habet, ut non fuerit aliquando, quod cœpit; quod in divinam nativitatem non convenit. « Nam aliud est ex eo nasci, qui non fuit; aliud ex eo nasci, qui semper est. »

Filius semper genitus et existens.

Igitur et « semper gignit Pater, et semper nascitur Filius, » ait Augustinus[3]. Basilius vero in secundo libro *adversus Eunomium*, late de hoc hæreticorum argumento disputat; quod sic ille proponebat : « Aut jam existentem Pater genuit Filium, aut non existentem; si non existentem, nemo me temeritatis accuset. Si jam existentem, non absurditatem solum et blasphemiam, sed etiam stoliditatem omnem hic sermo superat. Qui enim est, generatione non indiget[a]. »

VII. At Basilius, ex omni æternitate simul et genitum fuisse, et exstitisse respondet, neque prius exstitisse, quam gigneretur, neque non exstitisse, priusquam gigneretur; quia, uti nunquam non genitus est, ita nunquam non exstitit[b]. Quod ex duobus Scripturæ locis concludi ait; altero *Joannis* : *In principio erat Verbum,* ubi verbum *erat,* sempiternam illius existentiam indicat; altero e *Psalm.* CIX : *Ex utero ante luciferum genui te;* quo generationis æternitas ostenditur. Simili ratiocinatione utitur et in quarto *adversus Eunomium* eumdem. Legendus et Greg. Nyssen. in primo libro editionis secundæ *contra Eunomium.* Neque Theodoretum Abucaram præterire hoc loco possum, qui subtilem hanc hæreticorum versutiam plana et acuta responsione dissolvit ; atque inter alia sic scribit : « Quoniam gigni Filium, nihil aliud significat, nisi existentiam habere a Patre; habet autem semper existentiam a Patre; ergo semper gignitur. Oportebat enim eum, qui proprie sit Filius, semper existentiam habere a Patre ; non sicut nos, qui principium tantum habemus. Etenim generandi vox homonyma est. Nam in nobis via quædam est ad existentiam; in Filio Dei, ipsam existentiam significat, non viam ad existentiam. Modo autem solo differunt. Esse enim ipsum per se acceptum, existentia est; ut autem ex patre intelligitur, generari dicitur. Quare, cum duo significata in eo, quod est generari, demonstrata sint; in primo quidem absurdum est semper generari, in secundo vero minime. Nam generari, finem quidem habet existentiam; quod si finem proprium non accipit, imperfectum est. In Filio autem Dei non ita res habet. Non enim hoc, quod est generari Filium Dei, finem habet ipsam existentiam; sed est finis, et perfectum est[c]. »

Quid sit *generari in Deo.*

VIII. Quocirca generari in Deo, non est via quædam, sive motio ad rei existentiam ut in creatis rebus usuvenit, sed idem est atque ipse terminus, resque genita. Ex quo Arianorum calumniam discuti, mox idem Theodorus colligit, ita sciscitantium, « utrum Pater existentem Filium genuerit, an non existen-

a Eunom. apud Basil. lib. II. Ἤτοι γὰρ ὄντα, φησὶν, ἐγέννησεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν, ἢ οὐκ ὄντα. ἀλλ' εἰ μὲν οὐκ ὄντα, μηδείς μοι, φησὶ, τόλμαν ἐγκαλείτω. εἰ δὲ ὄντα, οὐκ ἀτοπίας μόνον, ἀλλὰ πάσης εὐηθείας ὑπερβολὴν ὁ λόγος ἔχει. τῷ γὰρ ὄντι οὐ δεῖ γεννήσεως.

b Basil. Ἀλλ' εἰ ἦν, φησὶν, οὐ γεγέννηται. ἀποκρινώμεθα τοίνυν, ὅτι ἐπειδὴ γεγέννηται, ἦν, οὐκ ἀγέννητον ἔχων τὸ εἶναι, ὢν δὲ ἀεὶ, καὶ συνὼν τῷ πατρὶ, ἐξ οὗ καὶ τὴν αἰτίαν τῆς ὑπάρξεως ἔχει.

c Theod. Abuc. Opusc. XXVI. Ἔτι δὲ, ἐπεὶ τὸ γεννᾶσθαι τὸν υἱὸν οὐκ ἄλλο σημαίνει, ἢ τὸ ἔχειν τὴν ὕπαρξιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀεὶ δὲ πατρόθεν ἔχει τὴν ὕπαρξιν, ἀεὶ ἄρα γεννᾶται. ἔδει γὰρ τὸν κυρίως υἱὸν ἀεὶ ἔχειν τὴν ὕπαρξιν ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ οὐχ ὡς ἡμεῖς, οἳ τὴν ἀρχὴν μόνον. τὸ γὰρ γεννᾶσθαι ὁμώνυμον. ἐπὶ μὲν γὰρ ἡμῶν ὁδός ἐστιν εἰς ὕπαρξιν· ἐπὶ δὲ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, αὐτὴν τὴν ὕπαρξιν σημαίνει, καὶ οὐχὶ ὁδὸν εἰς ὕπαρξιν. μόνῳ δὲ τῷ τρόπῳ διαφέρουσι. τὸ γὰρ εἶναι αὐτὸ καθ' αὑτὸ μὲν λαμβανόμενον, ὕπαρξίς ἐστιν· ὡς δὲ ἐκ τοῦ πατρὸς νοούμενον, γεννᾶσθαι λέγεται. ὥστε ἐπεὶ δύο σημαινόμενα ἐδείχθη τοῦ γεννᾶσθαι, κατὰ μὲν τὸ πρῶτον, ἄτοπόν ἐστι τὸ γεννᾶσθαι ἀεὶ, κατὰ δὲ τὸ δεύτερον, οὐδαμῶς· τοῦ γὰρ γεννᾶσθαι τὸ μὲν τέλος ἔχει τὴν ὕπαρξιν, ὅπερ εἰ οὐ λαμβάνει τὸ ἴδιον τέλος, ἀτελές ἐστιν. ἐπὶ δὲ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, οὐχ οὕτως ἔχει. οὐ γὰρ ἔχει τὸ τέλος τὴν ὕπαρξιν τὸ τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ γεννᾶσθαι· ἀλλ' ἔστι τέλος, καὶ τέλειόν ἐστι.

1 Athan. orat. XX. — 2 *Thes.* lib. IV. — 3 August. ep. CLXXIV.

tem. » Hanc enim percontationem eamdem cum hac esse dicit, « utrum Pater principium fuerit existentis, an non existentis Filii, » quandoquidem gigni Filium nihil est aliud, quam Patrem ejus esse principium. Cum igitur Pater principium sit semper existendi Filio; quemadmodum semper Filius existit, ita semper existentis Filii principium est Pater. Hoc autem nihil aliud est, quam gignere, quod non est, ex non existente ad existentiam producere, sed esse principium. Hæc Theodorus. Ex quo et illud etiam solvitur, quod apud Cyrillum [1] objicit Eunomius, si e substantia Patris processit Filius, sequi ipsum in Patre prius exstitisse. Verum minime hoc est consequens. Nam existere in Filio Dei idem est, ac gigni; quare non prius exstitit, quam est genitus. Sic etiam Hilarius in duodecimo libro fuse demonstrat, neutrum esse verum, quod opponebant hæretici, vel non fuisse Filium antequam nasceretur, vel fuisse antequam nasceretur. Etenim, qui semper natus est, non fuit, antequam nasceretur. Nascendo itaque semper fuit. Tum illud *ante,* temporis antegressionem significat, quam æternitas excludit. Denique disputationem hanc sic concludit Hilarius : « Finis igitur et fidei, et sermonis, et sensus est, Dominum Jesum et natum esse, et semper esse; quia, si quid de Filio mens retroacta scrutabitur, nihil aliud scrutantis sensui, quam natum esse, et semper esse, semper occurret. Ut igitur Deo Patri proprium est, sine nativitate, ita et Filio debitum est, per nativitatem semper esse. » Observavit tamen Ambrosius [2], generationem Filii exeundi verbo declarari, cum dicit ipse, *Exivi a Patre* [3], ut non videatur generatione ista « cœpisse ex tempore, qui ex Patre nascendo prodiit. » Quod enim exit, id esse non incipit, sed jam existit. Atque idem in quarto *de Fide*, cap. IV, Arianorum cavillationem istam sophisticam eludit simili, ac cæteri, responso; nempe Filium et ab æterno exstitisse, et fuisse ab æterno genitum. Gregorius Nazianz. orat. XXXV quæ est prima de Filio, postremum hoc Arianorum argumentum hunc in modum concipit : Aut ex non exstantibus, sive ex nihilo productus est Filius, aut ex aliquo; quod idem valet, ac vel jam erat, cum productus est, vel non erat. Si ex nihilo, non est æternus. Si ex aliquo, erat, antequam gigneretur. Cui sic ille respondet; ambo ista negat ex æquo, ac neque de nihilo, neque de jam exstantibus productum esse dicit. Tum variis exemplis confirmat, in ejusmodi complexis neutram partem interdum esse veram. Velut si quis ita ratiocinetur : Tempus aut in tempore factum est, aut non in tempore. Si prius, erat, antequam fieret. Sin posterius malis, ergo tempus expers erit temporis. Negandum enim est utrumque, ut et in eo, de quo agitur.

Verum commodius ita respondebimus : non de nihilo productum esse Filium, sed ex aliquo, hoc est e substantia Patris, non tamen prius existente; nec ex eo consequi, Filium vel totum, vel aliqua sui prius exstitisse parte, quam a Patre gigneretur; quoniam ab omni æternitate genitus est, ideoque semper erat, sed generatione ac productione sic, ut reipsa neque productio exstantiam illius antecesserit, neque productionem exstantia, quamvis pro captu rationis humanæ, prius a nobis intelligatur, produci Filium, quam existere; quæ *rationis antecessio*, *vel originis* appellari potest, si cui *prioritatem* cum scholis usurpare religio est.

Nonnulli Patrum, ut Basilius lib. IV *cont. Eunom.* hoc in hæreticos argumentum ita convertunt. Aut Pater jam Pater existens, Filium genuit; aut nondum Pater. Si prius, existentem genuit existens. Si posterius, adventitium aliquid erit, esse Patrem. Sed hæc ἔνστασις eo minus contra Eunomianos virium habet, quod illi posteriorem complexionis partem ultro concederent. Existimabant enim, priorem natura, et æternitate esse Dei substantiam, cui notio Patris accederet; sicut ex æterno Deus est δημιουργὸς, et creator in tempore, ut ex eodem Basilio cognoscitur.

IX. Alia fuit in gignendi vocabulo, et notione Arianorum cavillatio, qua plurimum uti consueverant. Si enim, aiebant, Pater Filium genuit, aut volens genuit, aut nolens. Si nolens, vis illi facta sit, oportet. Sin volens genuit, voluntatis erit Filius, et inter Patrem gignentem media voluntas intervenit. Ita apud Athanasium oratione IV, Epiphanium hæresi LXXVI, Nazianz. orat. XXXV, Cyrillum libro septimo *Thesauri*, et libro II dial. *de Trin.*, August. libro XV de *Trin.* cap. XX. Cui sophisticæ calumniæ partim similes ἐνστάσεις opponebant catholici; partim recta conabantur occurrere. Ἐνστάσεις complures Nazianz. objicit; velut, aut volens creatas res produxit Deus, aut nolens. Si posterius dixeris, vim est

Utrum Pater volens an nolens Filium genuit.

Præscriptiones.

1 Lib. VI *Thes.* — 2 Ambr. lib. I *de Fide*, cap. VII. — 3 *Joan.* XVI.

passus. Si prius, voluntatis erunt creaturæ, non Dei. Item, aut volens te pater tuus genuit, aut nolens, etc., cujusmodi argumentationes contra illud valent, quod Eunomiani dicebant, non Patris, sed θελήσεως, *voluntatis* esse Filium; quoniam inter utrumque media θέλησις intercessit. Sed acutius mox idem Nazianzenus interrogat : Pater volens, an nolens Deus sit; quod et Augustinus laudat citato loco, et Ambrosius affert libr. IV *de Fide*, capite IV, et Cyrillus septimo *Thes* : « Dicite nobis, utrum bonus, misericors, sanctus, volens Pater sit, an præter voluntatem? Nam, si volens hujusmodi Deus est, voluntas autem præcedit semper omnia, quæ voluntate eliguntur; erat quoque tempus, quando hæc Deus non erat, sed de istis deliberabat. Quod si præter voluntatem bonus et misericors est; necessitate quadam id est[a].» Eadem et in dial. II *de Trin.* repetit.

Recta porro duplici ratione satisfaciunt. Nam partim voluntate genitum esse Filium fatentur, sed hanc ipsam voluntatem negant generatione esse priorem, sed simul utramque, ut Epiphanius docet hær. LXXVI *in Confut.* c. XIV Aetii, aut certe ipsammet voluntatem generationem esse, quod dubitando Gregorius Nazian. ait. Hoc vero minus est probabile, uti suo loco, cum de Filii persona scilicet agetur, pluribus explicabimus. Partim neque voluntate genitum esse Filium asserunt, neque tamen ab invito ac nolente; quod Cyrillus in septimo *Thesauri* egregie defendit. Nam Filium affirmat naturaliter, et ex Patris natura produci. « In naturalibus autem nulla præcedit voluntas, quæ locum in iis solummodo habet, quæ sunt extra deliberantis substantiam[b]. » Mox : « Gignitur autem secundum naturam : qui ex homine nascitur puer, nulla præcedente voluntate[c]. » Postea vero, « Non ergo voluntate, ut creaturæ, factus est; sed erat tanquam consilium Patris in ipso, ipsum existens generantis substantiæ proprium[d]. » Tum : « Non ergo voluntate natus est, sed ipse voluntas Patris est[e]. » Denique, « Sicut bonus, inquit, et omnipotens est : quæ quamvis non habeat præcedente voluntate et electione, non tamen invitus hæc habet, vult enim id esse, quod est. Sic licet non ex voluntate genuerit Filium, non tamen invitus habet eum[f], » etc. Igitur inter id, quod voluntate, et ingratiis fit, interjectum est tertium, quod est, naturaliter existere; quod idem asserit sic « Nam, quæ ex natura prodeunt, neque velle, neque nolle admittunt. In rebus vero, quæ extra nos, et in nostra potestate sunt, aut volumus, aut nolumus[g]. »

Sic Joannes Damascenus lib. I capite VIII ad eumdem Arianorum cavillum ait, τὴν γέννησιν εἶναι τῆς οὐσίας, at κτίσιν et ποίησιν τῆς βουλήσεως, *generationem esse substantiæ*, *creationem*, et *effectionem voluntatis*. Proinde generationem φύσεως ἔργον appellat; creationem vero θελήσεως ἔργον. Hæc secunda dissolvendi Eunomianorum argumenti ratio facillima est et optima; neque volentem, neque nolentem Patrem genuisse Filium, si nolens pro invito ac repugnante sumatur. Sin nolens idem sit, ac non volens, ut non per actionem ullam voluntatis genitus esse dicatur; tunc erit vera disjunctio, et non volentem genuisse fatebimur. Quod uno verbo dialectici sic exprimunt. Volens, et nolens, vel non volens, aut κατ' ἀντίφασιν usurpantur, quod *contradictorie* vulgo nominant; aut κατὰ τὴν ἐναντιότητα, *contrarie*. Si prius, id, quod dixi tenendum est, non volentem produxisse Patrem. Si posterius, neutrum erit admittendum. Nam neque volens, neque nolens genuit. Sed ea res plenius in quinto libro, capite duodecimo disceptabitur. *Naturæ opus. Voluntatis opus.*

XI. Ad hæc solebant Ariani ex iis, quæ personæ Patris et appellatione, et proprietate

a CYRIL. VII *Thes.* Εἴπατε ἡμῖν, ἀγαθὸς, καὶ οἰκτίρμων, ἐλεήμων τε, καὶ ἅγιος ἐκ βουλήσεώς ἐστιν ὁ θεὸς, ἢ παρὰ βούλησιν; εἰ μὲν οὖν ἐκ βουλήσεως, ἡ δὲ βούλησις προτρέχει πάντως ἐκείνων, περὶ ὧν καὶ γίνεται, ἦν ἄρα χρόνος, ὅτε οὐκ ἦν ταῦτα θεὸς, ἔτι τὴν περὶ αὐτῶν σκέψιν ποιούμενος. εἰ δὲ ἀβούλητος ἀγαθός ἐστι, καὶ ἐλεήμων, παρὰ γνώμην ἄρα τοῦτό ἐστι, καὶ ἐξ ἀνάγκης, καὶ τίς ἐστιν ὁ τὴν ἀνάγκην ἐπιθεὶς αὐτῷ καθ' ὑμῶν; (cor. καθ' ὑμᾶς).

b CYRILL. 'Επὶ τῶν κατὰ φύσιν οὐ προηγεῖται βούλησις· χωρεῖ δὲ μόνον ἐπὶ τῶν ἔξωθεν τῆς οὐσίας ὄντων τοῦ βουλομένου.

c Mox : Τίκτεται δὲ κατὰ φύσιν τὸ ἐξ ἀνθρώπου παιδίον, οὐδεμιᾶς ἡγησαμένης βουλήσεως.

d Idem. Οὐκ ἄρα βουλήσει γέγονεν, ὥσπερ τὰ ποιήματα. ἀλλ' ἦν ὡς βουλὴ τοῦ πατρὸς ἐν αὐτῷ αὐτὸ τῆς οὐσίας ὑπάρχων τοῦ γεννήσαντος ἴδιον.

e Mox : Οὐκ ἄρα βουλήσει γέγονεν, ἀλλ' αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς βούλησις.

f Ibid. Τὸ εἶναι ἀγαθός τε καὶ ἐλεήμων, ἔχει μὲν, οὐκ ἐκ βουλήσεως δὲ, οὔτε μὴν ἀβουλήτως ταῦτά ἐστι. θέλει γὰρ εἶναι τοῦτο ὅπερ ἐστὶν ἀεὶ, καὶ ἔσται οὕτω. καὶ εἰ μὴ ἐκ βουλήσεως ἐγέννησε τὸν υἱὸν, ἀλλ' οὐκ ἀβουλήτως αὐτὸν ἔχει.

g Τὰ γὰρ ἐκ φύσεως προϊόντα, οὔτε βούλησιν, οὔτε ἀβουλησίαν ἐπιδέχεται· ἐπὶ δὲ τῶν ἔξωθεν, καὶ ὧν ἐσμὲν ἐν ἐξουσίᾳ, βούλησις, καὶ ἀβουλησία κρατεῖ.

peculiariter attribuuntur, naturæ dissimilitudinem et inæqualitatem adstruere. Sic enim apud Gregorium Nazianz. orat XXXV disputabat Eunomius : Patris vox vel est *naturæ*, sive *substantiæ nomen*, vel *actionis*[a]. Si substantiæ, consequens est, ἑτεροούσιον, *alterius substantiæ* esse Filium, quoniam unica est, simplexque Dei natura, et substantia, quam Pater occupavit. Sin est actionis nomen; ποίημα, id est *effectum*, non γέννημα, *genitum quid* asseremus esse Filium. Respondet Gregorius neutrum esse Patris vocabulum. Neque enim οὐσίας est, neque ἐνεργείας, sed σχέσεως, hoc est *rationem*, sive *relationem* significat, et « quomodo vicissim Pater ad Filium, et Filius ad Patrem comparetur[b]. » Secundo ita respondet : tametsi utrumque concedatur, nihil id catholicæ obesse causæ. Sive enim οὐσίαν vox Patris indicat, Filium una significabit, sine quo Pater intelligi non potest. Sive ἐνεργείας est nomen, id est actionis, hac ipsa dicemus Patrem egisse, ut substantialis ipsi Filius esset.

Substantiæ. Actionis.

Posterior hæc responsio magis ad convincendos et retundendos adversarios pertinet, quam ut ex animi sui sententia Gregorius ita censuerit. Non enim οὐσίαν proprie, et, ut loqui mos est, *formaliter* vocabulum Patris significat, si οὐσία pro *essentia*, vel *substantia* sumatur, quæ absolutam, et ἄσχετον habet in Deo notionem; sed illam tamen κατὰ τὸ ὑποκείμενον, et, ut aiunt, *materialiter*, sive *assignificando* demonstrat. Nam hominem aliquem exprimit, qui de substantia sua filium genuit, ad quem comparatur, eaque comparatio, sive σχέσις, peculiaris est vocabuli *Patris* notio. Sic ἐνέργεια, vel *actio* non est proprie sempiterna Verbi productio, sed generatio dicenda.

XII. Præterea apud eumdem Gregorium, Eunomii hæc est argumentatio : « Pater, qua causa Filii est, major est ipso. Est autem causa natura. Proinde natura major est Filio. » Jam illud superius exposuimus, Græcos theologos Patrem appellare αἴτιον, *causam* Filii, quod Latini *principium* vocant, eosdemque fateri, majorem illum esse Filio, quatenus ejus est causa.

Dupliciter porro Gregorius occurrit. Primum negat id, quod in conclusione colligitur. Nam, etsi natura sit causa Filii, et major, quatenus est causa; non ideo natura major est Filio. Quippe non omnia, quæ de re quapiam affirmantur, de subjecto ejus etiam dicuntur. Quod ita declarat Elias interpres : Ea sola, quæ sic alteri subjiciuntur, quomodo generi species, hoc habere, ut, quæ superiori tribuuntur, inferiori, ac subjecto congruant; tum vero illa duntaxat inferiori competunt, quæ de superiore οὐσιωδῶς affirmantur; at neque *natura*, tanquam species, est subjecta *causæ*, neque *majoris* notio *substantiam* indicat. Ita quidem exponenda est Gregorii ratiocinatio, quæ mihi profecto non satisfacit. Nam si causam esse Patri naturaliter convenit, et quicquid causa est, sive principium, eo, cujus est causa, majus est; consequens erit, Patrem naturaliter majorem esse Filio. Nec illud obstat, quod *natura*, non tanquam species generi, *causæ* subjicitur. Nam neque *hominis* natura, tanquam species generi, sic *intelligenti*, aut *ridenti*, aut alteri cuipiam proprietati subjicitur; et nihilominus, quidquid naturaliter *intelligenti* convenit, aut *ridenti*, id etiam necessario tribuitur homini. Velut si ita quispiam concludat : Natura homo est *intelligens;* quod autem *intelligens* est, natura utitur ratione; igitur homo ratione utitur; haud absurde colligat.

Substantialiter.

Altera Gregorii responsio : captiosam esse dicit Eunomii rationem; et ad illud pertinere fallaciæ genus, quod est παρὰ τὸ πῇ, καὶ ἁπλῶς, *ab eo, quod quadamtenus dicitur ad id, quod simpliciter affirmatur.* » Ut si dixerim : Cadaver hominis est homo mortuus; igitur est homo. Sed nec ista præscriptio dubitationem omnem eximere videtur.

XIII. Quare nihil præsentius habebis, quam ut primum illud, quod est φύσει, *natura*, distinguas. Si enim ita sumitur, quasi Pater natura, id est essentia, ac secundum essentiam sit Pater, falso id usurpatur. «Nam quæcumque id singulis separatim dici convenit, nec tamen in omnibus dici queunt, non substantialiter prædicantur, sed alio modo. Nam qui Pater est, hoc vocabulum non transmittit ad Filium, neque ad Spiritum sanctum. Quo fit, ut non sit substantiale nomen hoc inditum, » ait Boetius opusc. : *Utrum Pater, et Filius, ac Spiritus sanctus de divinitate substantialiter prædicentur.* Sin ita potius accipias, ut φύσει oppositum sit ei, quod est κατὰ συμβεβηκὸς, *ex accidenti*, hoc sensu natura Pater esse utcumque dici potest; hoc est non ex accidenti, quasi naturæ ejusmodi aliquid

Naturæ.

a Nazianz. Οὐσίας ἢ ἐνεργείας ὄνομα.

b Greg. Naz. orat. XXV. Ὅτι οὔτε οὐσίας ὄνομα ὁ πατὴρ, οὔτε ἐνεργείας· σχέσεως δὲ καὶ τοῦ πῶς ἔχει πρὸς τὸν υἱὸν ὁ πατὴρ, ἢ ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα.

accidat. Non enim naturæ divinæ *ex accidenti* convenit esse Patrem, aut Filium, sed per se; non tamen secundum substantiam, aut essentiam. Quæ res postea fusius explicabitur.

Deinde notio ipsa *majoris* animadvertenda est; quæ in hac enuntiatione, « Pater, qua causa Filii, major est ipso, » eo sensu capienda est, quem supra cap. II ex veterum theologorum sententia definivimus, videlicet non majorem aliquam dignitatem et excellentiam in Patre significare, cum divinarum personarum inter se comparatio sit, sed originis antegressionem; quoniam prior est origine Pater Filio, et ab illo iste, ceu principio procedit. Quo constituto, jam sublata est omnis illa subdolæ argumentationis invidia. Nam eodem modo natura dici majorem Patrem Filio patiemur, quo ejus est causa natura, siquidem major nihil sit aliud, nisi prior origine.

Refellitur argumentum Arianorum ex nominum varietate petitum.

XIV. Levius hoc erat, quod ex nominum varietate substantiæ diversitatem adstruebant Ariani. Sic enim apud Basilium l. II *con. Eunom.* et Gregorium Nyssenum l. VI contra eumdem objiciebat Eunomius, et ante hunc Aetius, ut testis est Basil. l. *de Spiritu sancto* c. I : « Quorum diversa sunt nomina, eorum naturas, et οὐσίας esse diversas[a], » vel, ut Basilius exprimit, « Ea, quæ natura dissimilia sunt, dissimiliter proferri; et vice versa, quæ dissimiliter proferuntur, dissimilia esse natura[b].» Siquidem nomina significandis rerum naturis imposita sunt. Quoniam igitur *Patris* et *Filii, Ingeniti* et *Geniti* vocabula diversa sunt, sequitur, iis respondentes οὐσίας esse diversas. Respondet Basilius, nomina rebus indita, non οὐσίας, et naturas significare, sed proprietates. « Nam Petri, inquit, et Pauli, et omnium omnino hominum diversæ sunt appellationes; una vero omnium est essentia. Unde et appellationes non naturarum significatrices sunt, sed proprietatum, quæ sunt notæ singulorum[c]. » Nam, audito Petri nomine, statim ea, quæ peculiari huic homini conveniunt, nobis occurrunt : Filius Jonæ, Bethsaida oriundus, Andreæ frater, e piscatu vocatus ad apostolicum ordinem. Gregorius vero Nyssenus acute in hæreticos retorquet argumentum. Si enim, quorum diversæ sunt naturæ, eorum diversæ sunt appellationes, quæ naturas significent; quorum una est, et communis appellatio , eorum una quoque natura sit oportet, quæ appellatione ista continetur. At vero Patri, et Filio multa sunt in Scripturis nomina communia ; velut est *Spiritus* vox, *Domini*, et aliæ complures. Igitur una utriusque erit essentia. Nos Basilii rationem ita conformandam putamus : Eorum nominum, quæ de sanctissima Trinitate dicuntur, quædam personis tribus esse communia, eaque partim ad naturam ipsam significandam, partim ad ea, quæ dicuntur attributa, pertinere; ut sunt *Deus, Dominus, bonus,* etc.; alia singularum esse propria, ut sunt Pater, Filius, Spiritus sanctus, aut quæ ab theologis *notionalia* vocantur. Ex his priora tribus ex æquo personis accommodari; posteriora suæ cujusque esse propria. In utriusque porro generis significatione nominum οὐσία continetur, sed non eodem in omnibus modo. Nam in primo genere, quæ naturæ significandæ sunt imposita, ea directe, ac præcipue τῆς οὐσίας σημαντικὰ sunt; reliqua vero τὴν οὐσίαν, id est *essentiam* assignificant, ac velut ex obliquo demonstrant. Nam, qui *bonum*, aut *justum* nominat, is substantiam aliquam indicat, quam illæ qualitates afficiant; quod dialectici *connotative*, ac *materialiter* significare dicunt, directe autem, ac *formaliter* qualitates exprimit. Sic in posteriori genere, *Patris* aut *Filii* vox *usian* oblique significat, quia *paternitas* non alteri, quam substantiæ congruit; proprie vero, ac directe σχέσιν *relationem*, quæ et ipsa οὐσιῶδες est aliquid, hoc est *substantiale*, quatenus ab accidente differt *usia*. Jam quorum diversa sunt nomina, quæ essentiam, naturamve directe significant , eorum est essentia diversa ; quæ autem naturam ex obliquo declarant, proprie vero formam aliquam et affectionem, non est eorum natura diversa.

Substantias. *Essentiam significantia.* Quandonam diversa nomina diversam naturam significent.

XV. Redeo ad Arianos, quorum illud insuper apud Cyrillum argumentum fuit : « Si perfectus est in sua magnitudine Pater, nec ejus naturæ quidquam ad hoc deest, supervacaneum est ei Filium adjungere, tanquam complementum quoddam divinitatis[d]. » Res-

a Greg. Nyss. VI *contra Eunom.* Ὧν τὰ ὀνόματά ἐστι διάφορα, τούτων παρηλλάχθαι καὶ τὰς οὐσίας.

b Basil. *de Sp. sancto*, cap. II. Τὰ ἀνόμοια κατὰ τὴν φύσιν ἀνομοίως προφέρεσθαι· καὶ ἀνάπαλιν· τὰ ἀνομοίως προφερόμενα, ἀνόμοια εἶναι κατὰ τὴν φύσιν.

c Basil. ibid. Πέτρου γὰρ, καὶ Παύλου, καὶ ἁπαξαπλῶς ἀνθρώπων πάντων προσηγορίαι μὲν διάφοροι, οὐσία δὲ πάντων μία. ὅθεν καὶ αἱ προσηγορίαι οὐχὶ τῶν οὐσιῶν εἰσι σημαντικαὶ, ἀλλὰ τῶν ἰδιοτήτων, αἳ τὸν καθ' ἕνα χαρακτηρίζουσι.

d Eunom. apud Cyrill. lib. V *Thes.* Εἰ τέλειος, φησὶν, ἐστὶν ὁ πατὴρ ἐν τῇ οἰκείᾳ μεγαλειότητι, καὶ οὐδὲν ἐλλείπει πρὸς τοῦτο τῇ αὐτοῦ φύσει, περιττῶς ὡς πλήρωμα τῆς θεότητος αὐτοῦ ὁ υἱὸς ἐπεισφέρεται.

pondet Cyrillus, « Patrem esse ipsum quidem perfectum, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater. Nam si Deo ademeris Patrem esse, fecunditatem e divina natura sustuleris ita, ut perfectus nequaquam sit, cum generandi facultate careat. Documentum itaque perfectionis est fecunditas, et signum, quod Patrem ostendit esse fecundum, Filius, qui ex ipso ab æterno processit[a]. » Quocirca perfectus sine Filio Deus esse Pater non potest; quia perfectionis ac roboris signum est generatio, ut alio etiam in loco dicemus. Tum vero, quia nec intelligere, aut sapere sine Verbo, expressaque sapientia potest, in quo divinitatis maxime est sita perfectio.

Ad hæc ita disputabat Eunomius[1]: Si ex omni æternitate cum Patre Filius exstitit, non jam Filius, sed frater erit. Verum istud nihil est. Nam, ut occurrit Cyrillus, « Si coæternum tantummodo, ac non etiam Filium diceremus, locus isti suspicioni esset aliquis. Sed, cum eumdem et æternum, et Filium esse profiteamur, quinam Filius potest ejus, a quo genitus est, frater existimari[b]? » Paulo vero post veram causam subjicit, quæ dubitationem præcidit omnem: « Non enim, inquit, ex quodam communi, ac prius existente principio orti sunt Pater, ac Filius, ut eos fratres esse credamus; sed Pater principium est Filii, et gignit Filium[c]. » Itaque tametsi prior non sit Pater Filio, non ejus tamen est frater; quia fratris in eo sita ratio est, ut ex eodem communique cum altero principio nascatur.

Illud est in speciem difficilius, quod idem ille apud Cyrillum[2] objicit. Si Filius Dei verbum est, quo loquitur Pater; quonam alio verbo eumdem alloquetur Filium? Non alio, quam ipsomet, quod generat, Verbo, respondet Augustinus[3]. « Incorporaliter, inquit, Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium. Nec eum sic docuit, quasi indoctum genuerit, sed hoc est, eum docuisse, quod est scientem genuisse, » etc. Et « quemadmodum illi gignendo dedit ut esset, sic gignendo dedit ut nosset: quia simplici, ut dictum est, naturæ veritatis esse, et nosse non est aliud, atque aliud, sed hoc ipsum. »

XVI. Commemorandum et illud est Arianæ robur ac firmamentum hæresis, etsi est leve, nec magno negotio subvertitur; quod tum impii isti passim, ac magno conatu struere, tum [a] sancti Patres haud minori contentione dissipare student[4]. Deum aiebant, cum creatas res constituere vellet, videretque, non eas posse meram vim suam, et a seipso prodeuntem efficientiam sustinere, unum quemdam per se procreasse solum, velut instrumentum, quod ad res fabricandas cæteras adhiberet, eumque Filium ac Verbum nominasse. Hoc Eusebius (Nicomediensem, opinor, intelligit), hoc Arius, hoc Asterius sophista verbis ac scriptis professi sunt, ait Athanasius[d]. Quibus et Cæsariensem alterum adjungimus Eusebium, qui id in quarto libro *de Demonstratione evangelica*[5] prodidit, ut libro superiore demonstravimus[6].

Refellitur Arianorum commentum, scilicet: Filium ad cæteras res creandas tanquam instrumentum esse productum.

Quod tam insulsum, quam nefarium commentum late Athanasius ac Cyrillus oppugnant, ac multis modis refellunt. Primum, quod ad opera omnia molienda sola Deo voluntas sufficiat, nec ullis adminiculis, et instrumentis egeat[7]. Ac cum illius cura et providentia ad omnia vel minima infimaque pertineat, nam et passeres, et lilia cæteraque comprehendit, frustra illi vicarium, tanquam ejus labori parcentes, subjiciunt hæretici. Deinde[8] si idcirco interventore, ac molitore proximo ad res creatas fabricandas opus fuit

a Eunom. apud Cyrill. lib. V *Thes.* Τέλειος μὲν ὁ πατὴρ ἐν τῇ ἑαυτοῦ μεγαλειότητι, etc. Τέλειος δὲ οὐχ ὅτι μόνον ἐστὶ θεὸς, ἀλλ' ὅτι καὶ πατήρ. εἰ γὰρ ἀφέλοις τοῦ θεοῦ τὸ εἶναι πατέρα, ἀναιρήσεις τῆς θείας φύσεως τὸ καρπογόνον, ἵνα μηκέτι τὸ τέλειον ἔχοι, λείποντος αὐτῇ τοῦ γεννᾷν. γνώρισμα τοίνυν τῆς τελειότητος ἡ καρπογονία, καὶ σφραγὶς τῷ πατρὶ τοῦ εἶναι τέλειον, ὁ ἐξ αὐτοῦ προελθὼν ἀχρόνως υἱός.

b Cyril. Συναΐδιον εἶναι λέγοντες, καὶ υἱὸν εἶναι φαμέν. εἰ μὲν οὖν ἦν ἁπλῶς συναΐδιος, καὶ οὐχ υἱὸς, χώραν εἶχεν ὑμῶν ἡ ὑπόνοια. ἐπεὶ δὲ πρὸς τῷ ἀϊδίῳ καὶ υἱὸν ὁμολογοῦμεν, πῶς ὁ υἱὸς ἀδελφός ἐστι τοῦ γεννήσαντος;

c Ibid. Οὐκ ἔκ τινος ἀρχῆς προϋπαρχούσης ἐγεννήθησαν ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, ἵνα καὶ ἀδελφοὶ νομισθῶσιν. ἀλλ' ὁ πατὴρ ἀρχὴ τοῦ υἱοῦ, καὶ τίκτει τὸν υἱόν.

d Athan. Φασὶ δὲ ὅμως περὶ τούτου· ὡς ἄρα θέλων ὁ τῶν ὅλων θεὸς, τὴν γενητὴν κτίσαι φύσιν, ἐπειδὴ ἑώρα μὴ δυναμένην αὐτὴν μετασχεῖν τῆς τοῦ θεοῦ ἀκράτου, καὶ παρ' αὐτοῦ δημιουργίας, ποιεῖ, καὶ κτίζει πρῶτος μόνος μόνον ἕνα, καὶ καλεῖ τοῦτον υἱὸν, καὶ λόγον, ἵνα τούτου μέσου γινομένου, οὕτω λοιπὸν τὰ πάντα δι' αὐτοῦ γενέσθαι δυνηθῇ.

1 Apud Cyr. lib. IV *Thes.* — 2 Lib. XIX *Thes.* — 3 Tract. xl *in Joan.* — 4 Athan. orat. iii; Cyr. lib. XV *Thes.* et lib. XXV, et dial. IV; Basil. II *con. Eun.* — 5 Cap. v. — 6 Cap. xi. — 7 Ita Ath. orat. iii; Cyr. lib. XV *Thes.* et lib. XVI; Ath. orat. v. — 8 Athan. ib.; Cyr. lib. XXV.

quod ab ipso summo Deo proficiscentem meram vim et affectionem capere creatura nulla potuit; ne Filius quidem ipse, quem ab eodem procreatum asserebant, sine interjecto aliquo vel produci, vel vim illam sustinere potuit. Sic interventoris illius procreatio novum interventorem postulabit, et hujus etiam, alterum; et ita progressa in infinitum humana ratio nullo termino consistet.

Præterea[1], si in eum finem procreatus est Filius, ut cætera moliretur; nostra ille causa productus est a Patre, ac magis propter nos conditus est, quam nos propter ipsum. Honestiore itaque loco et conditione nos erimus, quam ille; et filii vocabulum justius nobis, quam illi concedendum erit. « Ariani, inquit Athanasius[2], plus nobis, quam Filio tribuunt. Non enim, aiunt, nos propter illum, sed ille propter nos factus est; siquidem ideo conditus est, ut nos per eum procrearet Deus[a]. » Sic etiam Gregorius Nazianzenus oratione XIII tam Filium, quam Spiritum sanctum, ex hæreticorum illa sententia, viliores inferioresque esse creatis omnibus rebus ostendit[3]. Et in carmine secundo *Arcanorum*,

Εἴ μιν ἔτευξεν ἔπειτα θεὸς μέγας ὄργανον ἐσθλόν.
Ὡς χαλκεὺς ῥαιστῆρα πονησάμενος δι' ἅμαξαν.
Ὥς κεν ἐμ' ἀρχεγόνοιο θεὸς χειρὶ κτεατίσσῃ.
Ὧδ' ἂν καὶ Χριστοῖο πέλοι κτίσις οὐρανίοιο
Πολλὸν ἀρειοτέρη, κείνης λόγος εἴπερ ἕκητι,
Οὐ κείνη Χριστοῖο.

« Si illum fabricatus est Deus magnus, tan-
[quam instrumentum bonum,
Sicut faber ærarius malleum molitus propter
[plaustrum.
Ut me auctoris generis Deus manu possideat,
Hoc modo Christo fuerit creatura cœlesti
Longe melior, si Verbum illius gratia,
Non illa Christi sit. »

Contra insanam hanc vocem latissime disserentem leges Cyrillum, dialogo quarto *de Trinitate*, et sexto, nec non libro primo *in Joannem* capite quinto; et Severianum Gabalitanum oratione tertia *de Mundi opificio*. Qui sic Arianorum opinionem exponit istam, tanquam a Patre solum procreatum dixerint Filium, cætera vero deinceps a solo Filio; quod et veteres aliqui christiani ante Ariana tempora senserunt, et Platonicorum dogmati consentaneum est.

Postremo illud etiam et Ariani veteres opponebant, et Photiniani nuperi hodieque proferunt, neque parem esse Filii ac Patris est, potentiam, cum hic Filium, ille neminem genuerit; et non eamdem utriusque videri esse naturam, quoniam non idem in uno possit, quod præstat in altero. Latius hoc argumentum refellit Ambrosius[4]; et ait generationem « non ex sublimitate esse potentiæ, sed ex proprietate naturæ; » hoc est proprium quiddam personæ esse, sive naturæ divinæ, qua in Patre subsistit : « Cur, inquiunt, Filius Pater non est ? Quia et Pater Filius non est. Cur non iste generavit? Quia nec ille generatus est, etc. Adeo generatio in paterna proprietate, non in jure est potestatis. » Quod autem majus argumento illi robur addere videtur, id in secundo libro *de Deo*, *Deique proprietatibus*, expositum est, capite XI, ubi declaratum id est, quatenus personales istæ proprietates naturales et substantivæ dici debeant. Postremum Arianorum argumentum.

CAPUT VI.

Quæ contra Spiritus sancti divinitatem et ὁμοτιμίαν *ab hæreticis olim objecta sunt, expenduntur ac refelluntur. De particulis* ἐν, σὺν, διὰ, ἐξ, *quibus in hoc mysterio usi sunt Patres.*

I. Pauca sunt, nec ea sane valida, quæ de Scripturis ad oppugnandam Spiritus sancti majestatem argumenta prompserunt hæretici veteres. Minus enim istorum calumniis opportuna fuit illius persona, quam Filii, quod hic hominis assumpta specie, velut capite minutus, ad egestatem nostram imbecillitatemque descenderit. Quam ad ejus συγκατάβασιν, et οἰκονομίαν, ac susceptæ naturæ vilitatem exprimendam, multa sunt a prophetis et novæ legis usurpata scriptoribus; in quibus fucum utcumque facere isti consueverant, dum hæc ad potiorem substantiam, ab ignobili et infima transferrent. Quæ res in Spiritu sancto locum non habet. Itaque minus in illis explicandis laborandum nobis erit, quæ *Condescensionem et dispensationem.*

a 'Athan. 'Αρειανοὶ μὲν οὖν πλέον ἡμῖν, ἢ τῷ υἱῷ χαρίζονται. οὐ γὰρ ἡμεῖς δι' ἐκεῖνον, φασὶν, ἀλλ' ἐκεῖνος δι' ἡμᾶς γέγονεν, εἴ γε διὰ τοῦτο ἐκτίσθη, καὶ ὑπέστη, ἵνα ἡμᾶς δι' αὐτοῦ κτίσῃ ὁ θεός.

1 Athan. or. V; Cyr. lib. XXV. — 2 Lib. *de Decr. Nic.* — 3 Vide et orat. XXXII. — 4 Ambr. lib. IV *de Fide*, cap. IV.

Pneumatomachi contra ipsum garriebant.

Pneumatomachorum argumenta e Scriptura petita dissolvuntur.

Horum primum sit illud, quod ex nonnullarum vocum dissimilitudine ducitur, argumentum, quibuscum personæ tres sacris in Libris exprimuntur interdum invicemque junguntur. Sic enim disputabat Aetius sophisticæ illius cavillationis auctor apud Basilium libro *de Spiritu sancto*, cap. II. « Quæ natura dissimilia sunt, ea dissimiliter proferri solent; et vicissim, quæ dissimili pronuntiantur modo, ea dissimilia sunt natura [a].» Atqui Scriptura, cum de divinis personis loquitur, aliter Spiritum sanctum, quam reliquas significat. Ita I *Cor.* VIII, 6 : *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Addit Basilius, quod apud Paulum non legitur, « et unus Spiritus sanctus, in quo omnia [b]. » Est autem dissimilis formula δι' οὗ ab ea, ἐξ οὗ. Igitur dissimilis est Patris Filius. Ita Deo, ac Patri, velut præcipuum, attribuitur τὸ ἐξ οὗ, *ex quo*, Filio vero, ac Deo, τὸ δι' οὗ, Spiritui sancto, τὸ ἐν ᾧ; quæ tria promiscue usurpari nolebant. Hanc verborum contentionem et λεπτολογίαν, non solum hæretici, et impii Pneumatomachi, sed etiam catholici quidam adhibebant. Quam præter Basilium commemorant ac dissolvunt Naz. orat. XXXVII, Athan. lib. *de Com. essent.*, Ambrosius lib. II *de Spiritu sancto* cap. X, Fulgentius lib. *con. Sermo. Fastid.* Paschasius diac. lib. II *de Spiritu sancto* cap. IV. Qui id observant, nullo plerumque discrimine sacris in Libris eas particulas assumi. Ut enim copiose inter alios cap. IV Basilius animadvertit, τὸ ἐξ οὗ, quod ab Apostolo, citato loco, de Patre dicitur, non semper efficientem significat causam, sed interdum materiam. Velut *Gen.* VI : *Facies arcam* ἐκ ξύλων ἀσήπτων, *ex lignis incorruptis;* et *Exod.* XXXVII, 17 : *Facies candelabrum* ἐκ χρυσίου καθαροῦ, *ex auro puro.* Ac licet ad designandam personarum trium differentiam, tribus illis diversis formulis usus sit Apostolus; non raro tamen earum confundit usum, et quam de una persona pronuntiarat, ad alias accommodat. Etenim *Roman.* XI, 36 : *Quoniam ex ipso,* inquit, *et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Ubi de Filio proprie sermonem esse contendit cap. V Basilius. Quod si de Patre intelligenda esse pugnet quispiam, nihilo id, quod volumus, minus efficietur, in unam personam tria simul ista competere.

Per quem... ex quo.

Per quem... in quo

Ex quo.

Fulgentius *contra Serm. Fastidiosi,* confutat eos, qui minorem Filio Spiritum esse sanctum inde colligebant, quoniam ille in Spiritu sancto facere aliquid dicitur; ut *Matth.* XII: *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia,* quasi præpositio *in* instrumentum, et administrum significet. Contra quos locum illum ex capite tertio I *Joannis* opponit : *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta.* Tum acute ita concludit : « Hic eligat, utrum in Deo Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum intelligi velit. Nam si Pater accipitur; ergo minor erit Pater, in quo fieri dicitur. Si Filius, ergo minor Filius. Si Spiritus sanctus; ergo Deus est. » Sic *Joan.* III : *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* Et *ad Hebræos* IX, 14: *Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Proinde omnes istæ formulæ, *ex ipso, per ipsum,* et *in ipso,* uni eidemque sine delectu tribuuntur; quod Paschasius animadvertit.

II. Par in vocula σὺν, *cum,* φιλονεικία importunorum hominum exarsit. Non enim ferebant, Spiritum sanctum cum Patre Filioque communi prædicatione gloriaque affici, uti diceretur *Gloria Patri, et Filio cum Spiritu sancto,* sed tantummodo *in Spiritu sancto.* Non enim, aiebant illi, ullo in Scripturæ loco prior illa reperitur loquendi ratio. Quocirca Spiritum sanctum οὐ συναριθμεῖσθαι, ἀλλ' ὑπαριθμεῖσθαι volebant τῷ πατρί; non *connumerari,* sed *subnumerari;* quod sic apud Basilium, cap. XVII, libri *de Spiritu sancto* explicant. « Nos enim, inquiunt, asserimus, connumerationem iis convenire, qui honore sunt æquales, iis vero, qui inferioris sunt conditionis, subnumerationem [c]. » Itaque Spiritum sanctum gradu ac dignitate putabant inferiorem esse Patre ac Filio. Sed inanem, et supervacaneam hanc esse μικρολογίαν, egregie Basilius ostendit; maxime adversus eos, qui Filium alioqui Patri ὁμοούσιον esse profitebantur. Non enim causari quippiam illos posse, cur potius Spiritus sanctus ὑπαριθμεῖσθαι, non συναριθμεῖσθαι debeat, quam Filius; quando-

Pervicacia.

Pervicacia eorumdem in vocula σὺν cum.

Argutiolam.

Consubstantialem.

Subnumerari.

Connumerari.

[a] Basil. cap. II lib. *de Spir. s.* Τὰ ἀνόμοια κατὰ τὴν φύσιν ἀνομοίως προφέρεσθαι· καὶ ἀνάπαλιν, τὰ ἀνομοίως πρπφερόμενα, ἀνόμοια εἶναι κατὰ τὴν φύσιν.

[b] I *Cor.* VIII. Εἷς θεὸς, ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν. καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ. Addit Basil. Καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα.

[c] Basil. lib. *de Spir. sancto.* cap. XVII. Ἡμεῖς τοῖς μὲν ὁμοτίμοις φαμὲν τὴν συναρίθμησιν πρέπειν, τοῖς δὲ πρὸς τὸ χεῖρον παρηλλαγμένοις τὴν ὑπαρίθμησιν.

quidem ambo pariter cum Patre copulantur in legitima baptismi formula, quam Christus ipse tradidit. Deinde, cum iidem illi pronuntiari sinant *in Spiritu sancto*, non minus *cum Spiritu sancto* licebit usurpare. Quippe præpositio ἐν idem persæpe valet, ac σύν. Ut *Ps.* CIV, 37 : *Et eduxit eos cum argento et auro ;* καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐν ἀργυρίῳ καὶ χρυσῷ. Ibi ἐν idem est, ac σύν. Ad hæc perinde sit dicere, « Paulus, et Silvanus, et Timotheus, ac Paulus, et Silvanus cum Timotheo. » Atqui non raro conjunctio καὶ, *et*, cum de sancto Spiritu sermo est, adhibetur, ut II *Cor.* XIII, 13 : *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communio Spiritus sancti.* Cæterum particula σὺν, tametsi ad hoc negotium expressa sacris in Libris non fuerit, multum tamen ad ejus auctoritatem valet ἄγραφος, id est *non scripta*, sed usu corroborata traditio ; de qua pulchre idem Basilius cap. XXVII disputat. Quamvis autem particula καὶ tantumdem valeat ac σὺν, nihilominus hanc etiam posteriorem assumpsisse veteres, quod præter hoc, quod habet cum priori καὶ commune, ut personarum discrimen contra Sabellium demonstret : declarat insuper τὴν ἀΐδιον κοινωνίαν καὶ συνάφειαν, *sempiternam communionem et conjunctionem.* « Nam qui dicit cum Patre esse Filium, una et personarum proprietatem et inseparabile consortium exprimit[a], » ait Basil. cap. XXV. At particula ἐν magis σχέσιν, *comparationem* et *habitudinem* ad ea significat, in quibus inest et operatur, vel ad nos proprie spectat et refertur ; σὺν autem communionem indicat cum Deo, ut idem cap. XXVII Basilius observat. Vide Ambrosium loco jam citato [1].

In... cum. *In... cum.* *Cum.* *Et... cum.*

Eorumdem ratiocinationes enervatæ.

III. Secundo ita disputasse Pneumatomachos refert Gregor. Nazianz[2]. Si Spiritus sanctus Deus est, aut est ἀγέννητος, id est, *ingenitus*, aut γεννητὸς, *genitus*. Si est ingenitus, duo erunt expertes principii ; si autem genitus vel ex Patre, vel ex Filio ; si ex Patre, duo Filii et fratres erunt ; sin ex Filio, erit nepos Patris.

Respondet Gregorius, neque ingenitum neque genitum esse Spiritum sanctum, sed medio quodam produci modo, hoc est procedere, et esse ἐκπορευτόν ; quod et Paschasius diaconus in primo *de Spiritu sancto,* capite octavo prodidit, et concilium Toletanum XI, in *Fidei professione :* « Hic etiam Spiritus sanctus, inquit, nec ingenitus, nec genitus creditur ; ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut si genitum, duos Filios prædicare monstremur. » Sed illud argumentum plenius dissolvetur libro quinto, cum de vocabulis istis ἀγέννητος, et γεννητὸς agetur.

Procedens.

Atenim, objiciebant illi, non potest ab aliquo procedere substantia similis alter, nisi Filius. Non enim creatis in rebus simile aliquid experimur, quod in Deum transferamus. Primum, occurrit Gregorius, non est necesse omnium, quæ in Deo reperiuntur, in creatis rebus adumbrari similitudinem. Deinde vero non deest in hominum genere medii illius status exemplum. Quippe ex eodem Adamo Sethus atque Eva propagati sunt ; quorum ille Filius Adami dicitur, ista non dicitur, sed τμῆμα, *segmentum.* Non absimile argumentum proponit, et eodem fere modo Didymus solvit in calce libri III.

Pneumatomachi idem adversus Spiritum sanct. objiciebant, quod nuperi hæretici adversus cultum sanctorum.

IV. Tertio non esse Deum inde confici volebant, quod nusquam in sacris Libris adorari dicitur ; neque quisquam id egisse, aut ei supplicasse legitur, ac denique nullum exstat illius rei præceptum, neque porro Deus uspiam iisdem in Scripturis nominatur. Hæc hæreticorum argumentatio, ejusque dissolvendæ modus, quem sancti Patres adhibuerunt, animadversionem meretur. Eadem quippe ratione tam hujus ætatis hæretici pleraque fidei catholicæ decreta labefactare student, quam tueri ac propugnare nostri, qua et Pneumatomachi cultum sancti Spiritus oppugnare, et antiqui affirmare consueverant. Velut cum de sanctorum cultu, et invocatione, vel allegando pro mortuis oratione contenditur, nihil hæretici frequentius objicere solent, quam nullum in sacris Libris exstare utriusque mandatum, exemplumque nullum. Catholici ex adverso, tametsi Scripturæ quoque testimonio niti se doceant, maximum tamen in veteri Ecclesiæ ritu, et ἀγράφῳ παραδόσει, hoc est *non scriptis expressa traditione* præsidium collocant. Ad hunc modum Gregorius Nazianzenus[3] hæreticorum superiorem illam calumniam elidit. Nam et pleraque catholicæ professionis dogmata non scriptis expresse tradita esse, sed ex iis colligi demonstrat ; cujusmodi sancti Spiritus est divinitas, quæ principio minus explicate ad fidelium intelligentiam deducta, post ascensum Christi manifestius cœpit aperiri. Ita Gregorius eodem

a Basil. *de Spir. sanc.* cap. XXV. Ὁ γὰρ εἰπὼν σὺν τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν εἶναι, ὁμοῦ τήν τε τῶν ὑποστάσεων ἰδιότητα, καὶ τὸ ἀχώριστον τῆς κοινωνίας ἔδειξεν.

1 Amb. lib. II *de Spiritu sancto* cap. X. — 2 Orat. XXXVII. — 3 Ibid.

genere defensionis utitur, quo usum esse Basilium, supra vidimus, cum de sancti Spiritus æqualitate et ὁμοτιμίᾳ controversia moveretur. Nos de hac re iterum agemus postea, cum Spiritus sancti personæ suum inter divinas locum argumentis ac Scripturarum testimoniis adstruemus.

Ejusdem generis et illud argumentum erat, quod ex Nicænæ synodi silentio Pneumatomachi ducebant. Nihil enim in ea decretum est de divinitate sancti Spiritus. Sed hujus est causa perfacilis, ut Basilius[1], et Epiphanius exponunt. Nulla quippe tunc de ea re nominatim quæstio commota fuerat. Ideo nihil necesse fuit præcipuum aliquid de illa statuere. « Quippe de his, quæ singulis temporibus occurrunt, cavere synodi ac decernere solent [a], » ait Epiphanius.

V. Quinta hæc Pneumatomachorum argumentatio sit, quod postulare pro nobis, ὑπερεντυγχάνειν, *interpellare*, ac *supplicare*[2] Spiritus legitur. Basilius cap. XIX libri *de Sp. sancto*

Instantia. ἐνστάσει petitionem hanc eludit, quod similiter et Filius sedere ad Patris dexteram scribitur, ut pro nobis interpellet, *Rom.* VIII, 34. Verum haud satis firma videtur hæc defensio, cui ab hæreticis facile posset occurri : non eamdem Filii causam esse, quæ sit sancti Spiritus; quoniam humanam naturam ille sumpsit, cui hæc adscribi possit interpellandi functio; at Spiritus sanctus nihil, præter divinam, habet, quam proinde necesse sit, eas sibi partes deposcere. Igitur quidam, Spiritus nomine, non tertiam ac divinam personam intelligunt, sed spiritum orationis. Ita Ambros. lib. III *de Spir. sancto* cap. XII, necnon Chrysost. (Œcum) Theophyl. in illum locum. Iidemque, cum bis in eodem illo versu nomen Spiritus occurrat, *Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam, quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* priori loco positum, Spiritum esse sanctum existimant; posteriore vero, orationis affectum. Quod minus arbitror esse probabile. Nam αὐτὸ τὸ πνεῦμα est *ipse Spiritus,* de quo proxime ante locutus erat. Quare melius, ni fallor, Augustinus variis in locis[3], utrobique Spiritum sanctum interpretans, nihil esse aliud interpellare pro nobis ait, quam interpellare nos facere; quatenus « nobis interpellandi et gemendi inspirat affectum. Sicut illud in *Evangelio Matth.* X: *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, ait epistola CV.

VI. Sexto, divinitatem sancti Spiritus Joannis hoc testimonio labefactare nisi sunt hæretici, ex *Evang.* cap. I: *Omnia per ipsum facta sunt*, ut testis est Ambrosius I *de Sp. sancto*, cap. II; Epiphan. *in Ancor.* num. 75.; Naz. orat. XXXVII; Didym. lib. I *de Sp. sancto*, aliique Patres. Qui quidem bifariam de illo loco sentiunt. Sunt enim, qui ab hæreticis prava interpunctione corruptum esse statuant; ac, cum ita legendum sit, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est;* deinde *In ipso vita erat*, etc. Pneumatomachos distinxisse post, *nihil;* deinde legisse, *Quod factum est, in ipso vita erat.* Hoc affirmat Epiphanius loco cit., et Chrysost. hom. V *in Joan.*, Theophylactus, Augustinus sermone XII *de Diversis*, capite sexto, Severianus Gabalitanus sub finem orat. VI *de Cosmopœia*, sequiturque Gelasius Cyzicenus lib. II. *Act. conc. Nic.*, ubi Hosium disputantem introducit. Alii tamen post *nihil* distinguunt; ut solet Augustinus; velut tract. I in *Joan.* et V *de Gen. ad lit.* cap. XV et seq. et ante Augustinum Euseb. lib. III *con. Marcel.* cap. XIV. Marius Victor. lib. I *de Trinit.*, nec aliter sensisse videtur Didymus. Ambrosius lib. III *de Fide*, cap. III adversus Filii divinitatem illum locum objici ab Arianis ait; eumque duplici illo modo, et interpunctione conceptum explicat. At in *Psalm.* XXXVI Alexandrinos et Ægyptios refert, ad vocem usque *factum est*, continuare sententiam. Ipse utramvis approbat et exponit. Nazianzenus vero priorem citato loco sequitur; ut et Paulus Emissenus homilia secunda *de Incarnatione*, quæ inter *Acta concilii Ephesini* legitur. At Gregorius Nyssenus libro primo *contra Eunomium,* editionis Gretseri pag. 84 post ista, *quod factum est in ipso*, distinctionem opponit. Vide Eusebium Emissenum[4], ut vulgo inscribitur, in homilia quadam *de Nativitate.*

Argumentum expenditur e verbis Joannis petitum.

Existimo varietatem illam interpunctionis ex librariorum aut interpretum diversa sententia profectam esse, non ex fraude ulla Pneumatomachorum vel aliorum hæretico-

a EPIPH. Hær. LXXIV, num. 14. Πρὸς γὰρ τὸ ὑποπίπτον ἐν καιρῷ, καὶ καιρῷ αἱ σύνοδοι τὴν ἀσφάλειαν ποιοῦνται.

1 Epist. LXXVIII. — 2 *Rom.* VIII, 26. — 3 Epist. CV et CXXI cap. XV; tract. VI *in Epist. Joan.*; lib. IV *de Orig. anim.* cap. IX; tract. *contra Serm, Arian.* cap. XXV. — 4 Tom. I *Biblioth. Hom.*

rum; porro anteponendam eam esse lectionem, quæ post *factum est*, distinctionem adhibet; quam vetustissimus auctor Irenæus approbat lib. III, cap. XI. Atque hoc modo cavillatio omnis cessat hæreticorum. Nam, ne quis ex eo, quod dixerat, *omnia per Verbum esse facta*, putaret etiam Spiritum sanctum esse factum, subjecit Joannes, *quod factum est;* ut, quidquid factum est, per Verbum factum esse monstraret. Quanquam, ut posteriorem lectionem sequi malimus, perspicuum est, non sic præcise verba illa, *Omnia per ipsum facta sunt*, intelligi debere, nihil ut penitus excludatur eorum, quæ utcumque sunt. Alioqui ne ipse quidem excipiendus est Pater, quin a Verbo sit factus; quod adversus hæreticos complures opponunt veterum. Sed vox *omnia* creatas tantummodo res et a divinitate alienas complectitur. Atque, ut recte Didymus lib. I *de Spir. sancto* colligit, Spiritus sanctus « non unum est ex omnibus, sed aliud extra omnia per substantiam. »

CAPUT VII.

Personarum in eadem natura differentia, primum ex Veteri Testamento contra Judæos et Sabellianos adstruitur. Trinitatis notitiam paulatim, et per incrementa processisse. De vocabulo Elohim. Explicatur locus ille Geneseos, Faciamus hominem, *etc., de quo variæ opiniones explicantur, partim probabiles, partim absurdæ, et inter has, Tertulliani. Expenduntur et alia loca; eorumque vis aut imbecillitas ad institutum probandum exponitur.*

Dei notitia pro captu temporum accrevit.

1. Uti sol exortu suo lucem terris afferens, non eo ipso, quo oritur, puncto plenum ac perfectum efficit diem, sed quibusdam illuminandi gradibus et incrementis attollitur; sic Dei divinarumque rerum cognitio, non se tota repente humanis permisit ingeniis, sed paulatim pro captu temporum explicata, novis accessionibus pervenit ad summum. Testantur hoc passim veteres Patres, cum de Trinitate disputant, causamque reddunt, cur in priore Testamento non tam aperta sit illius mysterii facta mentio. Idque inter alios luculenter explicat oratione XXXVII Nazianzenus Gregorius : « Sic enim, inquit, se res habet : Vetus Testamentum Patrem aperte prædicabat; Filium obscurius. Novum autem nobis Filium perspicue ostendit; et Spiritus divinitatem subobscure quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur; seseque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat, Patris divinitate nondum confessa, Filium aperte prædicari; nec Filii divinitate nondum admissa, Spiritum sanctum, velut graviorem quamdam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri; ne alioqui, velut cibis ultra vires gravati, ac solis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quoque, quibus præditi eramus, virtutibus periclitaremur [a]. » Itaque pedetentim, et pro modulo virium, quæ se ad divinarum rerum capiendam scientiam in dies corroborabant, Trinitatis est impertita cognitio; quas κατὰ μέρος προσθήκας et ἀναβάσεις, *particulares accessiones, et ascensus;* tum φωτισμοὺς κατὰ μέρους ἡμῖν ἐλλάμποντας, *illuminationes paulatim nobis affulgentes* appellat idem.

Cur in vetere testamento parce commendata Trinitas.

Proinde « apud Mosem singularis divinitas præcipue prædicata legitur; apud prophetas personarum binarius diligentius commendatur; Trinitas denique in Evangelio ac nova lege demonstratur[b], » ut scribit Epiphan. Hæc Epiphanii verba Joannes Damascenus in *Eclogis* cap. I ex Amphilochio citat. Vide et August. in *Quæst. ex Novo Testam.* cap. LXXXVI et seq. « Gradatim enim, et per incrementa fragilitas humana nutriri debuit, » ait Novatianus; quippe « periculosa sunt, quæ magna sunt, si repentina sunt. Nam etiam lux solis subita post tenebras, splendore nimio insuetis oculis non ostendet diem, sed potius faciet cæcitatem[1]. » Cujus instituti ratio hæc ab Isidoro Pelusiota[2] redditur; « quod, cum Judæis

a NAZIANZ. Orat. XXXVII. Ἔχει γὰρ οὕτως ἐκήρυσσε φανερῶς ἡ παλαιὰ τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν ἀμυδρότερον. ἐφανέρωσεν ἡ καινὴ τὸν υἱὸν, ὑπέδειξε τοῦ πνεύματος τὴν θεότητα. ἐμπολιτεύεται νῦν τὸ πνεῦμα, σαφέστερον ἡμῖν παρέχον τὴν ἑαυτοῦ δήλωσιν. οὐ γὰρ ἦν ἀσφαλὲς, μήπω τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος ὁμολογηθείσης τὸν υἱὸν ἐκδήλως κηρύττεσθαι· μηδὲ τῆς τοῦ υἱοῦ παραδεχθείσης τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἵν' εἴπω τι καὶ τολμηρότερον, ἐπιφορτίζεσθαι· μὴ, καθάπερ τροφῇ τῇ ὑπὲρ δύναμιν βαρηθέντες, καὶ ἡλιακῷ φωτὶ σαθροτέραν ἔτι προσβαλόντες τὴν ὄψιν, καὶ εἰς τὸ κατὰ δύναμιν κινδυνεύσωσι.

b EPIPH. Hær. LXXIV, num. 10, et *in Ancor.* Θεότης δὲ μία ἐν Μωϋσῇ μάλιστα καταγγέλλεται. δυὰς δὲ ἐν προφήταις σφόδρα κηρύσσεται, τριὰς δὲ ἐν Εὐαγγελίοις φανεροῦται.

1 Lib. *de Trinit.* cap. XXVI. — 2 Isid. lib. X ep. CXLIII.

in deorum multitudinem propensis leges ederet Moses, non putavit illis discrimen personarum esse tradendum, ne differentem etiam naturam in hypostasibus inesse putantes, in idololatriam laberentur; sed monarchiæ ab initio dogma discentes, paulatim hypostaseon doctrinam perciperent[a]. » Atque ita Chrysostomus oratione quinta *de Incomprehensibili;* nec non Gregorius Nyssenus, qui copiosa elegantique oratione hunc locum illustravit, in libro *de Imagine Dei*, et similitudine; nec non Basilius Seleuciensis in oratione *de Mose*[2] sub finem. Legendus et Rupertus in quarto *de Glorificatione Trinitatis*, capite vicesimo secundo ; et Petrus Abælardus [1] in primo *Introductionis theologicæ.*

II. In Vetere itaque Testamento parcius obscuriusque cum personarum est commendata trinitas, tum Verbi ipsius, ac Filii divinitas, multoque magis Spiritus sanctus in Novo liquidior et expressior, quam antea, horum omnium celebrata mentio est. Quam ad humanam se imbecillitatem accommodantis Dei cautionem et prudentiam, catholica imitata est Ecclesia; quæ et ipsa certis gradibus ad plenam dogmatum professionem paulatimque pervenit. Nam, ut reliqua interim missa faciam, de Spiritus sancti divinitate, primis fere quatuor sæculis, haud satis conceptis, definitisque verbis sententiam tulit. Sane Gregorius Nazianzenus orat. XX [2] quæ est funebris in laudem sancti Basilii, hujus ipsius consilium excusat, quod, cum de sancti Spiritus divinitate præclare sentiret, palam tamen, et diserte Deum appellare noluerit, tuendæ studio pacis; quod catholicos alioqui complures offendi sciret illius professione vocabuli. Id vero post œcumenicam secundam synodum Constantinopoli habitam anno CCCLXXXI, libere deinceps, et manifeste ab catholicis usurpatum fuit. Neque vero Vetere in Testamento tam infrequens, et abstrusa fuit trium personarum ac singularum divinitatis mentio, ut non utrumque significari, docti præsertim, ac politi homines intelligerent. Quam rem, ut et prius illud de personarum notitia paulatim communicata, politissimis versibus Gregorius Nazianzenus complexus est, quos hic melius sit describere.

῞Οστις δ' ἐν σελίδεσσι θεοπνεύστοιο νόμοιο
Πνεύματος οὐρανίοιο λαβεῖν ποθέει θεότητα,
Πολλὰς μὲν, πυκινάς τε τρίβους εἰς ἓν συνιούσας
῎Οψεται, ἣν ἐθέλῃσι, καὶ εἴ τι πνεύματος ἁγνοῦ
Εἴρυσεν ᾗ κραδίῃ, καί οἱ νόος ὀξὺ δέδορκεν.
Εἰ δὲ γυμνὴν ποθέει φωνὴν θεότητος ἐραννῆς,
῎Ιστω μὴ πινυτὸν ποθέων λόγον· οὐ γὰρ ἐῴκει,
Μή πω τῆς Χριστοῖο βροτῶν πλεόνεσσι φανείσης,
῎Αχθος ἄγειν κραδίῃσιν ἀφαυροτάτῃσιν ἄπιστον.
Οὐδὲ γὰρ ἀρχομένοισι, τελειοτέροιο λόγοιο
Καιρός. τίς δ' ἀμυδροῖσιν ἐπ' ὄμμασιν ἢ πυρὸς αὐγὰς
Δεῖξεν ὅλας, ἢ φωτὸς ἀπληστοτέροιο κόρεσσεν;
Λώϊον ἣν κατὰ μικρὸν ἄγῃς πυριθαλπέας αὐγάς.

« Qui autem in paginis divinæ legis
Spiritus cœlestis percipere cupit divinitatem,
Multas quidem et crebras semitas in unum [coeuntes
Cernet, si lubet, et si quid Spiritus sancti
Traxit corde suo, et ipsi mens acute intuetur.
Quod si nudam optat vocem divinitatis ama- [bilis,
Sciat, se non prudentem desiderare rationem.
[Non enim consentaneum erat,
Cum nondum Christi ipsa divinitas mortalium [plerisque innotuisset,
Onus inducere cordibus imbecillissimis incre- [dibile.
Non enim inchoantibus perfectior doctrina
Tempestiva est. Ecquis vero hebetibus adhuc [oculis vel ignis splendorem
Ostendit totum, vel luce immoderatiore sa- [tiavit?
Consultius est, si paulatim inferas igneos [splendores[3].»

Eamdem similitudinem lucis et imbecillium oculorum adhibet, qui hoc ipsum tradit de Judæorum infantia, et in multorum numinum cultum proclivitate, Basilius Seleuciensis oratione *de Mose.*

III. Quænam porro testimonia illa sint, ex quibus vel solide, vel minus exacte utrumvis probare theologi antiquiores conati sunt, hoc et sequentibus capitibus explicabitur. Atque ea percurremus primum, quibus con-

a Isid. Pelus. ῞Οτι Ἰουδαίοις τοῖς εἰς πολυθείαν ῥέπουσι νομοθετῶν, οὐκ ἐδοκίμασε διαφορὰν προσώπων εἰσαγαγεῖν, ἵνα καὶ μὴ διάφορον φύσιν ἐν ταῖς ὑποστάσεσιν εἶναι δογματίσαντες, εἰς εἰδωλολατρείαν ἐκκυλισθῶσιν, ἀλλὰ τὸ τῆς μοναρχίας ἐξ ἀρχῆς μαθόντες μάθημα, κατὰ μικρὸν τὸ τῶν ὑποστάσεων ἀναδιδαχθῶσι δόγμα.

1 Cap. XII et seq. — 2 Orat. XX et ep. XXVI. — 3 Nazianzenus Carm. III *Arcan.*

tra Sabellianam Judaicamque perfidiam, plures esse divinitatis personas efficitur, tum de singularum propriis agemus. Prius autem iis auctoritatibus utemur, quæ ex Testamento Vetere colliguntur; deinde ex Novo præcipuas afferemus. Ex Vetere Testamento quidam, ad personarum plurium approbationem, vocabulum *Elohim* attulerunt, quod numero multitudinis editum, unicum ac singularem Deum significat, ut statim initio *Genesis* : *In principio creavit Deus,* cum tamen alias *Deos* exprimat in plurali numero. Non enim vacare mysterio censent, quod cum illa ipsa vox singularem habeat, אלה qui sit *Deus*, nihilominus Scriptura sancta pluralem potius usurpet, cum de vero ac singulari Deo loquitur, eique plurali nomini singularem annectat in verbo *creavit.* Ita præ cæteris Abælardus in libro primo *Introductionis theol.* capite XII. Sed nihil in ista voce inesse mysterii, multo est probabilius. Nam pluralis numerus, ex usu Hebraicæ linguæ, pro singulari illic adhibetur, ut Aben Hezra docet in commentariis ad c. I *Genesis.* Quippe morem illi esse, ut inferiores honoris causa pluralem efferant numerum, cum honoratiores appellant, aut de iis loquuntur. Sic enim בעלים, et אדונים vocant, cum de uno sermonem faciunt, ut *Gen.* XXIV, 9, et XXIX, 2; XL, 1, et alibi sæpe. Ita in lingua Ismaelitica, id est Arabica, ait idem, solent reges plurali de se numero loqui; quemadmodum et in idiotismo nostro usuvenit. Sed hanc quæstionem plenius disputavit Abulensis adversus Lyranum in tract. *de Trinit.* Vide et Sixtum Senensem lib. V *Bibliothecæ*, annotatione prima. Sed hanc pluralis usurpati numeri rationem, quam ex Aben Hezra commemoravimus, nimis dilutam et insulsam esse viri quidam eruditi [1] disputant.

An in verbo *Elohim* adumbrata Trinitas.

IV. Illo itaque prætermisso loco, primus a nobis adducetur ex primo capite *Geneseos* celebris, et multorum usu contritus; ubi Deus hominem conditurus, sic loquitur : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*[2]. His enim verbis exprimitur plurium inter se consultatio ac deliberatio, nec aliorum, quam qui opus ipsum, de quo deliberatum erat, postea fabricati sunt; hoc est divinarum personarum.

In his verbis *Faciamus hom.* pluralitas personarum expressa.

Ad hunc modum Græci Latinique complures argumentati sunt, quos subinde nominatim appellabimus. E quibus multi Judæorum, hæreticorumque cavillationes redarguunt, qui aliorsum verba illa trahere conati sunt. Etenim Judæi, quod Basilius homilia nona *in Hexaemeron,* ac Theodoretus [3] referunt, Deum secum ipsum loqui dixerunt; idque Hebræos quosdam sensisse adnotat in commentariis Aben Hezra; quos etiam refellit. Alii vero, etiam Judæi, ut præter Basilium [1], Ambrosius[4], et Chrysostomus[5] narrant, Deum angelos alloqui putarunt; quibus subscribunt duo illi Hebræorum interpretum coryphæi Aben Hezra, et R. Selomoh, et Judæorum omnium doctissimus R. Moses Maiemonides in secundo libro *More Nebochim*, capite sexto; qui Deum asserunt, quoties majus aliquod opus molitur, deliberare cum familia sua, id est angelis, quemadmodum in Scriptura plus semel exprimitur, ut cum de Achabi regis internecione consilium habuit cum exercitu cœlesti[6]. Utriusque meminit Justinus in dialogo *cum Tryphone.*

At Marcellus Ancyranus apud Eusebium [7], priorem Judæorum rationem amplectitur, ac sic, tanquam artifex aliquis statuam fabricaturus, ita seipsum excitet, *Age statuam affingamus,* Dominum his se verbis hortatum ait fuisse, *Faciamus hominem*, etc. Posterior Philoni Judæo placuit libro *de Mundi opificio*, et libro *de Fugitivis;* quam et Saturniliani tenuerunt apud Epiphanium[8], et Theodoretum[9], qui mundum, et hominem ipsum ab angelis esse conditum asseverarunt.

V. Sed inscita est et inepta utraque tergiversatio : prima quidem, quod, ut Basilius disputat, nemo artifex, si sit solus, secum ita loqui consuevit: *Faciamus statuam*, quasi sibi imperet ipsi, vel semetipsum instiget. Et tamen tolerabilior hæc est, quam secunda, quæ est absurda penitus. Nam nec Deus servos ac ministros suos in fabricandi operis consortium vocasse putandus est, sed inter æquales, et ὁμοτίμους sermo iste transigitur. Atqui angeli, etiam ordinis supremi, ministri sunt et famuli, nec arcani consilii participes, ut Basilius, Ambrosius disserunt, et Chrysostomus[10] homilia quadam in illa ipsa *Geneseos* verba, *Faciamus hominem*, etc. Ac pulchre Ambrosius in libro sexto *Hexaem.* capite VII: « Sed et Judæi conticescant, et Ariani cum suis paribus obmutescant, qui, dum unum a consortio divinæ operationis excludunt, plures inserunt; et prærogativam, quam Filio ne-

1 Ut Lud. cap. VIII et seq. Diatr. *de Voce Elohim.* — 2 Gen. I, 26. — 3 Quæst. XIX *in Gen.* — 4 Lib. VI *in Hexaem* cap. VII. — 5 Hom. VIII *in Gen.* — 6 Lib. III Reg. cap. XXII, 19. — 7 Eus. lib. IV *con. Marc.* cap. XV. — 8 Epiph. Hær. XXIII. — 9 Lib. *de Hær.* — 10 Tom. V Sedit. av. hom. II.

gant, servulis donant. » Deinde, quod iidem aliique complures adnotant [1], quæ ibidem sequuntur verba *ad imaginem et similitudinem nostram*, interpretamentum illud respuunt. Non enim una Dei est et angelorum imago et similitudo. Atque hæc de angelis ad hominis opificium adhibitis falsa persuasio ex Platonicis commentis emanavit. Nam in *Timæo*, similiter ad rerum procreatiònem, præsertim hominum, minores esse adhibitos deos scripsit Plato.

Complures hæc verba, *Faciamus hominem* etc. Patris esse Filium alloquentis existimant.

VI. Cæterum ut inter catholicos constat, non unum ac singularem aliquem, hoc est solitariam esse personam, quæ opus illud effecerit, ac vocibus istis *Faciamus*, et *nostram* expressa sit; sic non uno prorsus modo hæc intelligunt. Complures Dei Patris eam esse vocem existimant Filium alloquentis, qui et *magni consilii angelus* [2], et Patris consiliarius sit, ut Tertullianus libro *de Carne Christi*, capite v, ut Theophilus Antiochenus in secundo *ad Autolycum;* et Antiochenæ synodi Patres in epistola *ad Paulum Samosatenum*, ut Basilius [3] in novo libro *ad Hexaemeron*, et capite sextodecimo libri *de Spiritu sancto*, Epiphanius [4] initio *Panarii*, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi decima, Cyrillus Alexandrinus locis paulo ante citatis, Athanasius libro *contra Gentes*, Chrysostomus homilia *in Genesim* octava, et aliis in locis; Athanasius oratione, seu libro quarto *contra Arianos;* Novatianus libro *de Trinitate* cap. XXI, Hilarius IV et V; Ambrosius loco jam citato [5], Augustinus primo *de Trinitate*, capite septimo, et homilia decima tertia *de Nativitate*; Petrus Chrysologus sermone CXXXI. Epiphanius certe communem hunc esse fidelium omnium sensum, et apprime veritati consentaneum affirmat [6]. Imo, ut subinde ait, etiam cum Filio advocari Spiritum sanctum. Quæ est altera veterum opinio, Patrem ambas reliquas alloqui personas. Ita Theophilus libro secundo *ad Autolycum*, Basilius libro quinto *contra Eunomium;* et auctor [7] homiliæ *De sancta et consubstantiali Trinitate*, quæ inter opera Chrysostomi exstat; tum Cyrillus Alexandrinus libro primo *Thesauri;* Theodoretus, quæstione XIX *in Genesim;* et Faustinus. Nonnunquam toti Trinitati vocem illam attribuunt; ut Cyrillus libro primo *adversus Julianum*, et Fulgentius libro *de Fide ad Petrum*, capite primo; aut certam personam minime distinguunt, cujus præcipue illa esse videatur; ut Isidorus Pelusiota libro tertio, epistola CXII, et Theodoretus libro secundo *contra Græcos*. Quod autem in Scriptura sacra quidam a Deo cum angelis conventus habiti referuntur, ut illa de Achabo consultatio, longe aliam esse rationem, res ipsa declarat, et sancti Patres observant. Nam ubi angelos, aut creaturas alias appellat, convocatque Deus, nominatim illi designantur, ut de eorum conditione ac statu nulla possit esse dubitatio. At in isto *Genesis* loco, nullius, præterquam Dei, in illo colloquio fit mentio. Sirmiensis synodus, quæ contra Photinum habita est, in fidei formula decrevit sub anathematis pœna in eos, qui secus sentirent, Patrem, cum ita locutus est, *Faciamus hominem*, non semetipsum compellasse, sed Filium, quo testimonio plerique utuntur theologi. Sed hoc decretum auctoritatis est nullius, utpote ab hæreticis profectum.

Quorum aliqui Patris Filio *præcipientis* esse volunt.

VII. Jam qui Patrem illo uti sermone ad Filium asserunt, eorum aliqui mandare, et imperare Patrem aiunt Filio, ut universa moliatur; ipsum vero paternis jussis paruisse. Cujusmodi loquendi ac sentiendi forma, prout est ejus existimatio, qui illam adhibet, ita catholica, vel impia censeri potest. Etenim Eusebius Cæsariensis, quem Arianum fuisse libro superiore demonstravi, sic illud usurpavit, ut ex eo argumentaretur, non esse Patri æqualem Filium, nec eadem essentia, vel honore præditum, sed administrum et famulum, vel, ut ipse loquitur, « Instrumentum animatum, ac vivens, vel divinum potius et vivificum substantiæ omnis, et naturæ [a]. » Itaque verba ista, *Faciamus hominem*, etc. præpotentis ac summi Dei διάταξιν, παρακελευσίν, et ἐντολὴν, id est *edictum*, et *mandatum* vocat [8], quo fieri omnia præcepit; tum Patrem alibi ait Filio νεύματι προστάττοντα, *nutu imperantem*, Filium vero ταῖς πατρικαῖς ἐπιτάξεσιν ὑπουργοῦντα,

a Euseb. lib. IV *de Demonstr.* cap. IV. Ὄργανον ἔμψυχον καὶ ζῶν, μᾶλλον δὲ ἔνθεον, καὶ ζωοποιὸν πάσης οὐσίας καὶ φύσεως.

1 Ut Epiph. hæresi XLIII, num. 5; ut Chrysost. hom. VII *con. Anom.*; Cyril lib. I *in Joan.*, cap. II, et dial. IV et I *Thes.* et lib. I, IV et VII *con. Jul.*; Hilar. lib. IV Theodor. quæst. XIX, Aug. XVI *de Civit.* cap. VI, Chrysolog. ser. CXXXI, Prudentus *in Apotheo.* — 2 *Isa.* IX ex LXX. — 3 Basil. hom. IX. — 4 Hær. IX, hær. XLVI, nu. 5, hær. LV, num. 8. — 5 Ambr. lib. VI in *Hexae.* cap. VII, et lib. *de Dig. hom.* cap. I et II *de Fide*, cap. IV. — 6 Epiph. hær. XXIII, num. 5. — 7 Athan. lib. *de Synod.* — 8 Eus. lib. VII *de Præp.* et alibi. Vide supra lib. I, cap. X late.

paternis mandatis servientem. Sic Sirmiensis illa synodus Arianorum, de qua proxime dixi; et Origenes in sexto *contra Celsum;* auctor libri *de Trinitate,* qui Novatiano tribui solet, capite XXV; Cyrillus Hierosolymitanus catechesi undecima, et alii, quos libro illo superiore in medium produximus, tanquam haud satis exacte ex catholicæ fidei formula locutos. Sunt autem aliqui, qui eodem genere sermonis nulla penitus offensione sunt usi, ut Patris mandatum ac præceptum sapere illa verba putarent. Ita enim Irenæus [1], « Verbum ait infectum et æternum esse, eique præcepisse Deum creare omnia. » Et alibi, hominem esse procreatum « Patre volente, ac jubente; Filio vero exequente, et efficiente [a]. » Basilius[2] quoque et προστάσσοντα, id est *imperantem Dominum*, et δημιουργοῦντα λόγον, id est *Verbum efficiens* appellat. Et Cyrillus in libro XXIX *Thesauri*. Athanasius etiam in libro *de Decretis Nicænæ synodi* hæc de *Psalmo* secundo ac tricesimo, *Ipse mandavit, et creata sunt*, exponit sic, ut Patrem Filio mandasse velit; Marius item Victor l. I. *de Rerum creatione*,

« Quæ mandante Deo cum plenus mente [parentis
Filius omnipotens faceret. »

Tum auctor[3] libri *de Incarnatione*, qui tomo quarto exstat operum Augustini, Filium dicit « in omni conditione Patri ministrasse; » quia *per ipsum omnia facta sunt*[4]. Eodemque spectant et illa Prosperi in commentario *ad Psalmum* CXLVIII. « *Ipse mandavit, et creata sunt:* Quod enim Deus dicit, Verbo dicit; et Verbum, per quod facta sunt omnia, mandatum dicentis exequitur. » Hilarius quoque libro quinto, « Filium ait in creando mundo obedientem dictis Dei Deum, et in figurando homine, communis secum, et Dei imaginis Dominum creatorem fuisse. »

Non pauci verbum *præcipiendi* respuunt.

VIII. Non pauci tamen vocabula ista *præcipiendi*, vel *jubendi* respuunt; quia « servus est, cui jubetur, » ait Gregorius Thaumaturgus in *Expositione fidei*, quæ κατὰ μέρος dicitur, quæ tamen alterius est, quam Gregorii. Ac quod ad ista pertinet, *Faciamus hominem*, etc. non est, quod jubentis non esse monstremus. Nam non Filio potius, aut Spiritui sancto, quam sibimetipsi præcipientis, atque hortantis vim Patris habere videntur. De illis vero, quæ mandati formulam continent, *Fiat lux*, et similibus; negat Augustinus[5] iis jussisse aliquid Filio Patrem : « Quibus enim verbis, inquit, juberet Filio Pater, ut faceret, cum ipse sit principale Verbum Patris, per quod facta sunt omnia? Deinde quia non convenit, ut Filius, quasi jussus, fecisse intelligatur. » Nam de Spiritu sancto nullam prorsus ait mentionem fieri. Et in libro *contra Sermonem Arianorum*[6], «Jussum vero, ait, obaudisse Filium, antequam acciperet carnem, unde isti existiment, nescio. An accipere carnem jussus est, ut hoc videatur fecisse jussus, quod fecit missus? » Mox prius illud objicit, « Pater unico Verbo, quo alio jusserit Verbo? » Qui Augustini locus, quatenus de incarnatione agit Verbi, obiter notandus est propter nonnullos, qui « Patrem Filio ut incarnaretur, præcepisse » dicunt; ut Goffridus[7] Vindocinencis abbas. Negat et Idatius libro tertio *contra Varimadum*, Filium jussione Patris fecisse, quæ facta sunt, cum pro potestate creaverit. Et Gregorius Nyssenus[8] dictum hoc ab Eunomio acerrime confutat, Patrem Filio commisisse rerum omnium procreationem. Necnon illi omnes, qui Verbum Dei vim ipsam esse Dei, qua sunt omnia condita, docentes explicant, quemadmodum præcepisse Filio Pater utrumque intelligi debeat. Inter quos primus commemorandus est Athanasius, qui luculenter exponit, quo sensu Pater dixisse aliquid Filio, ac Verbo suo legatur. « Dixit enim, ait[9], non ut, quemadmodum in humanis, minister aliquis audiat, et loquentis percepta voluntate, factum eat operis quippiam. Nam hoc rerum creatarum proprium est, cujusmodi in Verbo cogitare, vel dicere, sit absurdum. Est enim Verbum Dei artifex, effectorque rerum et ipsum Patris est consilium. Ideo non dicit Scriptura, audisse et audito respondisse, quinam et cujusmodi, quæ erant facienda, vellet fieri; sed hoc unum *Dixit Deus, fiat;* statimque subjecit *et factum est ita*[b], » etc. Ibi Verbum ait vim esse

Per partes.

a IREN. lib. IV. cap. LXXV. Τοῦ μὲν πατρὸς εὐδοκοῦντος, καὶ κελεύοντος, τοῦ δὲ υἱοῦ πράσσοντος, καὶ δημιουργοῦντος.

b ATHAN. Εἶπε δὲ, οὐχ ἵνα ὡς ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων, ὑπουργόν τις ἀκούσῃ καὶ μαθὼν τὸ βούλημα τοῦ λέγοντος, ἀπελθὼν ἐργάσηται. τοῦτο γὰρ τῶν μὲν κτισμάτων ἴδιον·

1 Iren. lib. III, cap. VIII; lib. IV, cap. LXXV. — 2 Basil. lib. *de Spiritu Sancto* cap. XVI. — 3 Lib. I, cap. II. — 4 *Joan.* I. — 5 Lib. II *de Gen. ad lit.* cap. VI. — 6 Cap. XXXVIII. — 7 Serm. III *in Nativ. Dom.* — 8 Lib. X. — 9 Orat III.

ipsam agendi, et id, per quod dicendo efficit Pater, quidquid facere voluerit. « Nihil dixit Deus, ait Augustinus[1], quod non dixit in Filio. Dicendo enim Filio, quod facturus erat Pater per Filium, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia. » Et in libro *contra Sermonem Arianorum*[2], « jussionem Patris, ut fierent omnia, non esse nisi Verbum ait, per quod facta sunt omnia. » Vide et caput decimum quartum libri tertii *contra Maximinum*, in quo simili ratione declarat, quemadmodum Filius, ut Deus, præceptum accipiat a Patre. « In Verbo enim unico Dei, inquit, omnia præcepta sunt, quæ ille gignens dedit nascenti, non cum genuisset addidit indigenti. » Cyrillus item libro primo commentariorum *in Joannem*[3] illa ipsa verba *Geneseos* explanans, *Faciamus hominem*, recte admonet, « nihil in iis humile de Filio, tanquam ministro, continere. Non enim dixit, Fac hominem, Verbo suo imperans Deus, et Pater, sed tanquam conjunctum natura, et indivulse existens in ipso, operis particeps, et de homine fabricando deliberationis adhibet, non ita, ut eam, quæ est in Filio, cognitionem anteveniat, dum aliquid intelligit, sed tanquam mens indivulse, et ex æterno impresso et insito Verbo patefacta [a]. » Ejusmodi sunt, quæ ex Basilio aliisque capite quarto supra commemoravimus. Quibus et illud Gilberti Porretani in libro commentariorum *in Psalmos* accedat modo. Qui ad *Psalmi* CIX verba ista, *Dixit Dominus*, etc., ita scribit, « Dixit re, id est effectu, vel dixit re, id est generatione. »

Vis illorum Geneseos verborum ad solitarii numinis cultores confutandos

IX. Habet igitur *Geneseos* ille locus magnam omnino vim ad Judæos, Muhammedanos, Sabellianos, cæterosque solitarii cultores numinis, cumque his Arianos refutandos. Quem illius usum præ cæteris Faustinus illustrat, cujus verba libet hic describere: « Non est, inquit, unius personæ dicere, *Faciamus ad imaginem et similitudinem nostram*. Sed neque diversæ deitatis. Nam pluralitas horum verborum, id est *faciamus*, et *nostram*, Patris et Filii personas significat. Quod autem singulariter imaginem dicit, una deitas, una virtus utriusque personæ manifestatur. Si creatura est Christus quomodo in opere Deo consors adhibetur? Ad ipsum enim dicitur, *Faciamus*. Si non est verus Filius, quomodo illi cum Patre imago est? Adoptivus Filius non habet imaginem adoptantis. » Et subinde, paucis interjectis: « Sed quod facit ad causam, vindico, dicens: hoc in loco nulla discretio est imaginis, ubi Patris, et Filii una imago perhibetur. Non enim dixit, *Faciamus ad imagines nostras*, sed *ad imaginem nostram*. Et ne forte stupida mente, o quisquis ille es hæreticus, usurpares, etiam de una persona dici potuisse, *Faciamus;* ut scilicet apud se cogitantis adfectio sit, non designatio personarum, subsequitur, *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum*. Quæ coram in luce posita sunt si quis non videt, cæcus est. Deus, inquit, fecit: ad imaginem Dei fecit. Nonne apertissimum est, quod jam tunc Spiritus sanctus per Mosem evangelica sacramenta tractabat, dicens Deum, et Deum, non tamen duos deos; quia una imago est Patris et Spiritus sancti? Quam prospecte omnia edita sunt! Deum, et Deum sacra Scriptura pronuntiat, ut Sabellium excluderet defendentem Patris et Filii unam esse personam; et ne duos deos introduceret, inter verba, quibus pluralis significatio personarum est, unam imaginem inseruit testimonio. Hoc ita esse invenies intendens dicenti, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. Quid agis impietas Ariana? Si creatura Christus est, quomodo creaturæ et creatori una imago est? Sed ne iterum Arius, sub occasione personarum, diversitates induceret naturarum, diversitas naturæ non admittit unius formæ communionem. » Quæ omnia brevi et contorta sententia sic Hilarius complectitur[4], ejusmodi illa esse verba docens, « Ut nec solitudinis intelligentiam significatio efficientis admittat; nec divinitatis diversitatem ad eamdem imaginem, et similitudinem constituta patiatur operatio. » Vide et Fulgentium in libro *de*

ἐπὶ δὲ τοῦ λόγου τοῦτο νοεῖν, ἢ λέγειν ἀπρεπές. ἔστι γὰρ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ δημιουργὸς καὶ ποιητικός· καὶ αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς βουλή. διὰ τοῦτο γοῦν οὐκ εἶπεν ἡ θεία γραφὴ, ὅτι ἤκουσε, καὶ ἀπεκρίνατο ὁ ἀκούων, πῶς, ἢ ποῖα βούλεται τὰ γινόμενα γενέσθαι· ἀλλὰ μόνον εἶπεν ὁ θεός· γενηθήτω· καὶ ἐπήγαγε, καὶ ἐγένετο οὕτως.

a Cyril. Ἔξεστι γὰρ ἐν τούτῳ δὴ μάλιστα καταθεᾶσθαι σαφῶς οὐδὲν ἐν υἱῷ ταπεινὸν, ὡς ἐν ὑπουργῷ, κατὰ τὸν ἐκείνων λόγον. οὐ γὰρ ποίησον ἄνθρωπον, ἐπιτάττει τῷ λόγῳ ὁ θεὸς, καὶ πατὴρ, ἀλλ' ὡς συνόντα κατὰ φύσιν, καὶ ἀδιαστάτως ἐνυπάρχοντα συνεργάτην ὥσπερ ἐποιεῖτο, καὶ τῆς ἐπ' ἀνθρώπῳ βουλήσεως κοινωνεῖν, οὐ προλαμβάνων μὲν τὴν ἐν τῷ υἱῷ γνῶσιν ἐν τῷ τι νοεῖν ὡς δὲ νοὺς ἀδιαστάτως τε, καὶ ἀχρόνως τῷ ἐγκεχαραγμένῳ καὶ ἐνυπάρχοντι λόγῳ φανερούμενος.

1 Tract. XXI *in Joan.* — 2 Cap. I. — 3 Cap. V. — 4 Hilar. lib. IV.

Fide ad Petrum, capite primo, et Cæsarium dialogo tertio, Paschasium diaconum libro primo *de Spiritu sancto*, capite quinto. Neque vero flocci facienda Tertulliani est opinio asserentis Patrem « Christum Sermonem suum intuentem hominem futurum, dixisse, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* » ut in libro quinto *contra Marcionem* scribit, octavo capite; et in libro *de Resurrectione carnis;* « Sic enim, ait, præfatio Patris ad Filium, *Faciamus hominem,* etc. *Et fecit hominem Deus*, id utique, quod finxit, *ad imaginem Dei fecit illum*, scilicet Christi. » Quæ interpretatio ridicula est, ac seipsam evertit. Quinam enim Deus Pater, qui nullum utique corpus habuit, imaginem appellare suam potuit, si ob id imago fuit homo, quod corporatum Dei Filium referret?

Idem ex locis ubi Deus de se numero plurali loquitur colligunt Patres.

X. Secundo iis omnibus locis idem colligunt Patres, in quibus Deus plurali de se numero loquitur; ut *Geneseos* tertio, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Quæ Judæi perinde, ut illa superiora, vel ad angelos dicta, vel plurali numero de uno, et singulari usurpata esse contendunt. Aben Hezra Deum angelos alloqui putat. At R. Selomoh ad solum Deum refert, et sic declarat: « Ecce iste singularis est in inferioribus; sicut ego in superioribus sum singularis. In quonam vero prærogativa ista sita est? In scientia boni et mali; cujusmodi non inest bestiis et feris. » Non potest autem ad angelos sermo iste dirigi, propter easdem causas, quas in superiore attulimus loco; maxime quod non eadem et uniusmodi similitudo potest esse, qua cum Deo et angelis homo conferatur. Necesse est enim æquales, et eadem natura præditos esse, de quibus ita dicitur, *Quasi unus ex nobis,* Sed neque de seipso unus aliquis, et singulari constans persona Deus hæc pronuntiare potuit. Siquidem hæc loquendi ratio, *unus ex nobis*, necessario plures indicat. Igitur plures in Deo, ac distinctæ sunt personæ: quemadmodum ex isto loco colligit Augustinus lib. XI *de Gen. ad lit.* capite XXXIX, et Basil. V *contra Eunom.*; Cyrill. III *contra Julianum.* Sunt qui ad ejus generis testimonia illud adscribendum putent, quod est *Gen,* XI, 7, ubi de turri ab Adami excitata posteris Deus ita loquens inducitur: « *Venite descendamus, et confundamus ibi linguam eorum.* Ita Basil. V *contra Eunom.*; Nyssen. lib. *de Testim. contra Jud. de Trinitate*; Cyrillus dialog. III *de Trinit.*; Theodoret. orat. II *ad Græc.*, et auctor homiliæ *de Trinitate*, quæ Chrysostomo tribuitur. Quos illud movet, quod non dixerit, *Ite, et descendite*, aut alia quadam usus sit imperandi formula; sed *Venite, descendamus*, etc, quibus verbis ἰσοτιμία quædam exprimitur. Verum Augustinus sextodécimo XVI *de Civitate Dei*, capite sexto minus hanc interpretationem approbat; quod nihil prohibeat de sanctis angelis intelligi, quibuscum Deus ab ea, quæ jubet, exequenda quodammodo descendit; cui Gregorius Magnus adstipulatur libro II *Moralium* ad illa primi *Job. Unde venis?* etc., ac Judæi itidem opinantur; ut Philo lib. *de Confus. ling.* Rabbi Selomoh, et Aben Hezra; et ante hos duos Rabbi Moses libro II *More Nebochim*, cap. sexto.

Æqualitas.

XI. Ego vero, uti minus aliquanto, quam priorem illum ex primo *Genesis*, expressum esse locum istum fateor, hoc est ad convincendos Judæos Sabellianosve minus habere virium; sic ad angelos pertinere non arbitror, quin potius eodem modo, quo alterum illum, personarum in Deo multitudinem et æqualitatem demonstrare. Quippe nulla neque præcessit, neque sequitur angelorum mentio, ad quos dirigi sermo iste credatur. Solet autem Scriptura, quoties colloquium ejusmodi et concilium describitur, in quo Deus cum familia sua deliberare quapiam de re dicitur, (ut rabbini loquuntur) angelos ac ministros, et satellites designare, ut in III *Reg.* cap. XXII, cum de Achabo rege circumscribendo consultatio fit: *Vidi,* inquit, *Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assistentem*, etc. Et *Isa.* VI, ubi de mittendo propheta deliberatur, seraphim adstitisse leguntur. Nec non *Job*, capite primo angeli in illo colloquio, in quo de Jobo actum est, nominatim exprimuntur. At in *Gen.* XI ne littera quidem de angelis facta, solius descendentis Domini Scriptura meminit. Quare non dubium est, quin, cum ita loquitur, *Venite, descendamus*, perinde sit accipiendum, ac superiora illa, *Faciamus hominem*, etc. Minus evidens est, quod ex *Isaiæ* cap. VI quidam argumentantur ex eo, quod Deus dixerit: *Quem mittam, et quis ibit nobis?* eamdem personarum varietatem ostendi; ut inter alios Hieronymus. Nam et angelos assistentes ibi Scriptura commemorat; unde pluralis numerus ad totum id concilium referri potest.

XII. Tertio, personarum in divinitate diversitas ex cap. XVIII *Genes.* et Abrahami col-

Idem ex Abrahami colloquio.

loquio ab nonnullis Patribus approbatur. Tres enim ibi conspecti dicuntur, quos angelos fuisse non est dubium, ait Augustinus[1]. Sed iidem augustiorem quamdam majestatem repræsentabant cum specie ipsa tum loquendi ratione, ut merito sic illos, tanquam Deum, veneratus sit et compellarit Abrahamus. At illi identidem ita loquuntur, quasi non tres, sed unus essent, uti com. 10: *Et dixit: Revertens veniam ad te*, etc., et com. 13: *Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara?* etc., et deinceps sæpius. Tum Abrahamus ipsi non semel singulari numero eos appellat. Ex quo personarum trium, et unius in Deo essentiæ significationem Patres aliqui colligunt, ut August. libro II *de Trinit.*; cap. XI et XII et Hilarius libro IV *de Trinit.*; Cyrillus lib. I *cont. Jul.* et libro primo de *Adoratione in Spiritu*, ac alii complures. Verum tametsi Trinitatis indicium trium ille numerus utcumque præbuerit, nec de eo catholici valde repugnent; non possunt tamen idonee satis ex eo Judæi, vel Sabelliani revinci. Dici quippe potest hoc ab illis, quod Philo Judæus libro *de Sacrificiis Abel et Cain* refert, necnon R. Chiiah apud R. Mosen, II *More Neboch.* capite XLII Dei stipatores angelos. Quod ex narratione ipsa, verbisque Mosis suadere poterunt. Etenim primo dicitur apparuisse Dominus יהוה. Deinde tres conspecti leguntur, quibuscum ita colloquitur Abrahamus, ut unum tamen ex iis insignem appellare videatur; et is vicissim sermocinari. Demum in fine capitis, abiisse narratur Dominus יהוה, hoc est princeps ille, cæterisque præstantior, moxque, eo digresso, « Venerunt, inquit, duo angeli Sodomam, » etc. Porro Hilarius imprimis lib. VI, et alii quidam Patres in tota illa *Geneseos* historia, quoties angelus quispiam mittitur, Filium significari putant; de qua re dicemus suo loco.

XIII. Quarto, ex *Genes.* XIX contra Judæos et Sabellianos, Trinitatem bene multi Patres asseverant. Siquidem vers. 24: *Igitur,* ait, *Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo.* Quibus verbis Filium Dei significari volunt, qui a Patre pluerit; atque hoc sensu Sirmiensis illa synodus Arianorum non solum interpretata est, sed aliter etiam exponentibus anathema dixit, anathematismo XVI apud Athanas. libro *de Synodis.*

Verum synodus ista nullam prorsus auctoritatem meretur: quamvis in eo, quod Photinum merito condemnavit, ab catholicis plerisque recepta, vel etiam laudata sit, ut ab Hilario lib. *de Synodis.* Nihilominus constat bene multos antiquorum Patrum de Filii divinitate, et a Patre distincta ejus hypostasi, argumentum ex illo *Genesis* loco sumpsisse quod Justinus in dial. *cum Tryph.*, Irenæus lib. III; cap. XI Tertull. *contra Prax.* cap. XIII et XVI; Prudentius *Apotheosi*, cæterique pene omnes instituunt[2]. Atqui horum ratio ut apud catholicos, propter illorum auctoritatem valere debet, sic ab Judæis ex linguæ suæ proprietate solet eludi; in qua sæpius nomen proprium repeti solet, et pronominis usurpari loco. Ut *Genes.* IV Lamech uxores suas alloquens, *Audite me*, inquit, *uxores Lamech,* pro *uxores meæ*: et alibi passim, ubi Pererius adnotavit, quod idem et Chrysostomus demonstrat[3].

XIV. Quinto, ad idem demonstrandum complura Scripturæ veteris testimonia faciunt, et a Patribus adducuntur; in quibus vel personarum trium exprimuntur vocabula, vel eadem divinitati tributa ter, nec sine mysterio repetuntur. Sic *Psalmo* XXXII, 6, *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Hic enim Dominus, et Verbum, et Spiritus totidem personas significat: quemadmodum communi Græcorum ac Latinorum omnium consensu Patrum receptum est. Sic *Isaiæ* VI: *Seraphim clamabant alter ad alterum, et dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum;* quibus aperte ac distincte divinarum personarum ternarius ostenditur, ut Fulgentius observat in libro *de Fide ad Petrum.* « Et ut ostenderet, ait Ambrosius lib. II *de Fide*, cap. IV, Trinitatis unam esse deitatem, cum tertio dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus Sabaoth. » Sed hæc, et id genus alia christianos facile persuadent, quos ne aliter quidem fas sit interpretari; ad Judæorum autem, et similium hæreticorum convincendam pervicaciam, haud satis valida sunt, et ἀναντίῤῥητα.

Alia Scripturæ loca minoris momenti.

Citra contradictionem.

XV. Adversus Sabellianos autem et Marcellianos et eos omnes hæreticos, qui Evangelio utcumque fidem adhibentes, personas in Deo plures abnegant, utilissimus est locus ille de *Psalmo* CIX, ex quo Christus *Matth.* XXII, 43, et

1 Lib. XVI *de Civit.* cap. XXIX. — 2 Adde his Cyr. cat. X; August. orat. *de* V *Hær.*, cap. IV; Cyril. lib. I *in Joan.* cap. II et VIII *contra Jul.*; Basil. V *contra Eun.*; Epiph. hær. IX. — 3 Hom. XLIII *in Gen.*

Lucæ XX, 42, contra Judæos argumentatus est. Etenim Christum ipsum, qui carne præditus advenit in mundum, Deum fuisse adeo non negabat Sabellius, aut Marcellus, ut etiam eamdem ac Patris fuisse personam illius affirmarent. Atqui psalmus iste, cum de eodem illo Christo sit intelligendus, manifeste distinctas amborum esse personas significat; quippe cum Dominum Domino dixisse referat, hoc est Filio Patrem, ut ad dexteram suam sederet. Ejusmodi autem unius ad seipsum, nisi nugacissimus et ineptissimus sermo esse non potest. Judæi porro recentiores, quamvis insulse, tamen utcumque psalmi illius sensum ad alia omnia derivant; quos nihil hic attinet refellere. Antiquiores certe, et æquales Christi, generis istius, de Christo eum accepisse, prudens inde quisque colligit; quod nisi publice recepta hæc opinio foret, non pro confessa eam Christus usurpasset, nec argumentum ex illa sumpsisset.

Utilissimus Psal. locus.

Sic in *Psalmo* II perspicuum Filii est a Patre discrimen, ut in illis verbis com. 7 : *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hunc vero psalmum de Christo Dei Filio capiendum esse, nemini christiano fas est ambigere : ut ex *Actor.* IV, 25, et capite XIII, 33, epist. *ad Hebr.* capite I et V, *Apocal.* II et XIX constat. Quinetiam veteres Hebræi de Christo itidem intellexerunt, quod testantur Aben Hezra, et R. Selom. in comment., eumque sensum multo esse faciliorem et aptiorem asserunt. Sed posterior iste in odium christianorum, quos Minæos, id est hæreticos appellat, ad Davidem potius accommodandum esse statuit : לתשובת המינים : *ut hæreticis respondeatur.* Ita in editione Veneta. Nam in recentiore Basileensi verba ista truncata sunt. Par, eademque de *Psalmo* XLIV duci potest argumentatio; quem psalmum de Christo interpretantur non Christiani modo, sed etiam Hebræi. At in eo ipso Christus Dei Filius a Patre discernitur, ut in com. 7 : quem locum Paulus *ad Hebr.* I, 8, ad Christum refert: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi*, etc. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*, etc. Denique quot Veteris Testamenti loca sunt, in quibus de Christo, sine ulla christianorum controversia, mentio fit totidem fere contra Sabellianos, et unius in Deo personæ defensores comparata sunt præsidia, in quibus ne percensendis quidem, nedum explicandis, longiores esse nos oportet. Quæ autem de Novo Testamento peti argumenta possunt, quibus personarum diversitas ostenditur, quoniam adversus Arianos non minus faciunt, ut personarum earumdem demonstretur æqualitas, et naturæ substantiæque communio ; ea nos sequenti capite contra ambos illos hæreticos ex æquo proferemus.

CAPUT VIII.

Personarum in Deo distinctio, et eadem omnium natura ac divinitas, præsertim Filii cum Patre, ex præcipuis Novi Testamenti locis approbatur. Explicatur Joannis initium : In principio erat Verbum : *Item illud :* Ego et Pater unum sumus : *deque eo cavillationes hæreticorum discussæ. Alia Scripturæ illustrata testimonia.*

I. Si quis omnia Novi Testamenti loca, quæ ad personarum diversitatem, aut earumdem, ac præsertim Filii, æqualitatem affirmandam pertinent, percensere velit, pene integrum ipsum transcribat necesse est; adeo nulla fere pagina est, ex qua non illius rei significatio vel argumentum aliquod existat. Quare ne in hoc genere infinita sit ac supervacua disputatio nostra, modus adhibendus est seligendis auctoritatibus, quibus expressius ac firmius cæteris Sabellianus error, et Arianus eliditur. Ac primum illud procedet in medium Joannis evangelistæ testimonium, a quo ille Christi sacram historiam est exorsus. *In principio*, inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* ; *et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt ; et sine ipso factum est nihil, quod factum est*, etc. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre , plenum gratiæ et veritatis.* Quibus verbis omnem, quæ adversus Trinitatem utcumque pugnat, profligavit hæresim Sabellianorum, Arianorum, Eunomianorum ac cæterorum denique, ut recte animadvertit Ambrosius lib. I *de Fide ad Grat.* c. V. « Erat, inquit, apud Deum. Erat, erat, erat, erat, ecce quater erat. Ubi impius invenit, quod non erat? Alibi quoque Joannes in epistola sua dicit: *Quod erat in principio.* Indefinite tenditur erat. Quidquid excogitaveris, erat Filius. Omnes autem hæreses hoc capite brevi noster piscator exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur. Ergo Arius conticescat. Quod autem erat apud Deum, non commistione

confunditur; sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. *Et Deus erat Verbum.* Non ergo in prolatione sermonis hoc verbum est; sed in illa cœlestis designatione virtutis, ut confutetur Photinus. Quod vero erat in principio apud Deum, sempiternæ divinitatis in Patre et Filio inseparabilis unitas edocetur, ut erubescat Eudoxius, et Eunomius. Postremo, cum omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor Novi utique Testamenti, et Veteris designatur, ut Manichæus locum tentationis habere non possit. Ita piscator bonus intra unum omnes rete conclusit, ut faceret inhabiles fraudi, quanquam essent inutiles captioni. »

Eadem fere scribit in libro *de Filii divinitate*[1], et in libro *de Incarnatione*, capite tertio, et Basilius homilia XVI in *Joannis* initium, et Cyrillus *in Joannem* primo libro, capite secundo; ubi Evangelium hoc cum rastris comparat, quo, ut olitor spinas ex horto suo, malasque stirpes, sic ille pravas hæreticorum opiniones radicitus evellit. Vide et Proclum oratione XV in illud *Joannis* initium.

II. Igitur Sabelliana primum hæresis illo ipso Evangelii principio retunditur, cum tam diserte Filii a Patre persona distinguitur. Non enim una simplexque designatur, quia nemo apud se esse dicitur, neque sui Filius, et quidem unigenitus, ut Cyrillus loco citato disputat[a]. Tum si Verbum illud Dei in corde Patris esset, nec ab eo hypostasi diversum, non diceretur Deus apud Deum esse. Nam verbum, sive sermo hominis non dicitur esse homo apud hominem, cum neque vivat, neque subsistat, sed sit viventis, et subsistentis animi motus; ut Athanasius libro *contra Sabellianos* concludit[b], et Basilius in oratione adversus eosdem.

Arium vero, et Eunomium imprimis ista convincunt, *In principio erat Verbum.* Siquidem *in principio* idem valet, atque *ante omnia* quæcumque vel exstitere postea, Vel fingi animo, et cogitando concipi possunt, adeo ut *principii* notio non sit τοῦ πρός τι, neque cum aliquo, cujus sit initium, comparetur, quemadmodum cum principium viæ vel sapientiæ, vel ejusmodi alterius aliquid dicitur, sed « nulli prorsus alligatur, nulli servit, cum nullo conjunctim intelligitur, verum libera est, et soluta omni ad alterum comparatione, et respectu, » ait Basilius[c]. Qui et alio in loco, nempe in secundo libro Ἀντιῤῥητικῶν *contra Eunomium*, ut ab Euthymio citatur in *Panoplia*, « notionem illam principii absolutam, et habitudinis expertem supremam naturam significare » dicit, non ut in in illis verbis exprimitur, « principium sapientiæ, vel principium bonæ viæ, vel, *In principio fecit Deus*[d]. » Cui suffragatur et Chrysostomus homilia quarta *in Joannem.* « *In principio erat*, inquit[2]. Ante omnia intelligibilia, et ante sæcula ipsum intellige. » Quippe « principio, ut ait Cyrillus, nihil antiquius, si principii definitionem in se retineat. Nam principii principium nusquam fuerit[e].»

Expenditur textus: In principio erat Verbum.

Relativa.

Quid principii nomine veniat.

III. Quocirca minus illa congruit nonnullorum Patrum interpretatio, qui principii nomine significari Patrem existimant, ut Athanasius libro quinto *adversus Arianos* sub initium; Gregorius Nyssenus libro tertio *contra Eunomium;* Cyrillus libro *Thesauri* XXXII et primo *in Joannem*, capite primo; Anastasius Sinaita.

Longe est aptius, quod eo vocabulo declarari diximus, et Fulgentius scribit in secundo libro *ad Trasimundum.* « Et quoniam, inquit, semper cogitando principium, nullus invenit terminum; propterea illud est dicendum vere principium, quod est essentialiter sempiternum. » Hilarius quoque in secundo *de Trini-*

a Cyr. I *in Joan.* cap. II. Πῶς γὰρ ὅλως τὸ ἓν ἀριθμῷ αὐτὸ πρὸς ἑαυτὸ, ἤτοι παρ' ἑαυτῷ νοοῖτο ὑπάρχειν;

b Athan. *contra Sabell.* Εἰ γὰρ ἐν καρδίᾳ λόγον ὁ θεὸς ἔχει μὴ γεγεννημένον ἐξ αὐτοῦ κατὰ ἀλήθειαν ὡς θεὸν ἐκ θεοῦ, πῶς ἂν πρὸς τὸν θεὸν ὁ λόγος; καὶ πῶς ἂν εἴη θεός; οὐ γὰρ ὁ λόγος τοῦ ἀνθρώπου ἄνθρωπός ἐστι πρὸς ἄνθρωπον· ἐπεὶ μήτε ζῶν ἐστι, μήτε ὑφεστὼς, ἀλλὰ ζώσης καρδίας, καὶ ὑφεστώσης κίνημα μόνον.

c Basil. Hom. XV in init. *Joan.* Οὐδενὶ γὰρ προσδέδεται, οὐδενὶ δουλεύει, μετ' οὐδενὸς θεωρεῖται· ἀλλ' ἐλευθέρα ἐστὶν, ἀδέσποτος, λελυμένη τῆς πρὸς ἕτεοον σχέσεως.

d Basil. II *contra Eunom.* Εἰ μὲν γὰρ ἡ ἀρχὴ τῶν πρὸς ἕτερον λεγομένων ἦν, ὡς τὸ ἀρχὴ σοφίας, καὶ ἀρχὴ ὁδοῦ ἀγαθῆς, καὶ ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς, ἦν ἂν τυχὸν τοῦ ἐκ τοιαύτης ἀρχῆς ὑφεστῶτος δι' ἐνθυμήσεως ὑπερθεῖναι τὴν γένησιν. ἐπειδὴ δὲ τὸ σημαινόμενον τουτὶ τῆς ἀρχῆς ἀπολελυμένον, καὶ ἄσχετον τὴν ἀνωτάτω φύσιν δηλοῖ, πῶς οὐ καταγέλαστος ὁ τὰ ἐξωτέρω ταύτης ἐπινοῶν, ἢ ἐπιχειρῶν αὐτὴν τοῖς λογισμοῖς ὑπερβάλλειν;

e Cyril. I *in Joan.* Τῆς ἀρχῆς οὐδέν ἐστι τὸ πρεσβύτατον, εἴπερ ἔχοι σωζόμενον ἐφ' ἑαυτῇ τῆς ἀρχῆς ὅρον. ἀρχὴ γὰρ ἀρχῆς οὐκ ἂν εἴη ποτέ.

1 Cap. II. — 2 Par. I, tit. XI.

tate : « Quid est istud, *in principio erat?* Transeuntur tempora, transcenduntur sæcula, tolluntur ætates. Pone aliquid, quod voles, tua principium opinione ; non tenes tempore, erat enim unde tractatur. Respice ergo ad mundum, et intellige, quid de eo scriptum sit : *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Fit ergo in principio, quod creatur, et ætatem continet, quod in principio continetur, ut fieret. Meus autem piscator illitteratus, indoctus, liber est a tempore, solutus a sæculis, vicit omne principium. Erat enim, quod est, neque in tempore aliquo concluditur, ut cœperit, quod erat potius in principio, quam fiebat. »

Ac nonnullis videtur *principii* vocabulum eodem hic usurpari modo, quo initio *Geneseos;* ad quod etiam Joannem allusisse volunt. Ibi enim, *in principio* valere *in prima conditione rerum*, et *in ipsa mundi origine*. Ita hoc loco Joannem significare, illa ipsa in mundi origine non esse factum Verbum, sed jam tum exstitisse. Sic Maldonatus noster, ut et Beza. Quæ sententia, ut minime respuenda est, sic adversus Arianos minus habet virium. Nam ultro illi concederent, in prima mundi creatione jam tum Verbum exstitisse : quippe quod ante creata cætera productum a Deo censent ; velut eorum procreandorum administrum, uti libro superiore demonstravimus. Neque satis ex eo firma sumi probatio posset æternitatis Verbi contra eosdem illos hæreticos. Quocirca *in principio* apud Mosem idem est, atque ante omnia externa, et aspectabilia, et cum primum Deus ad externarum rerum molitionem animum adjecit. Ut si de architecto loquar, qui domum aliquam fabricarit ; ac dicam, initio, vel in principio fundamenta jecit ; his sensus erit, nihil illum prius, quam fundamenta posuisse, sive ab fundamentis opus suum inchoasse. Apud Joannem vero *principium* latius absolutiusque sumitur ; et ad infinitam ante omnia retro sæcula æternitatem extenditur ; nec sola illa, quæ sub aspectum sensumque cadunt, antecedit, sed omnia prorsus, quæ utcumque fingi cogitando possunt.

Expenditur vox *Erat.*

IV. In quo verbi substantivi, *erat*, infinitam notionem constanter theologi veteres expendunt, ut Ambrosius lib. *de Symbolo*, cap. IV, August. in tract. I *in Joan.* et serm. XXIV *de Diversis*, capite secundo, et homilia XLIII de L capite III; Fulgentius lib. I ad *Trasimundum* cap. VI; Idatius Clarus libro *contra Varimadum*; Athanasius omnibus fere in libris, quos contra Arianos scripsit ; Basilius homilia XV *in principium Joannis*, et libro *de Spiritu sancto*, capite VI; Chrysostomus homilia tertia *in Joannem*; Gregor. Nazianz. oratione XLIX. Gregor. Nyssenus libro tertio *contra Eunomium;* Cyrillus a libro I *in Joannem*, et *in Thesauris*[1] non uno loco, atque in dialogo tertio ; et complures alii, qui tum illud observant, non scripsisse Joannem, *In principio factum est Verbum*, sed *erat;* tum verbum ipsum *erat* infinite tendi, ut Ambrosius loquitur ; ac τὸ ἀΐδιον significare, et idcirco non convenire in res creatas[2]. « Verbum erat, ait Cyrillus[3], infinite pronuntiatum, quonam in loco nos sistet, cum prosequentem mentem natura sua semper antevertat, et quam illius desitionem esse putaveris, hanc ulterioris cursus faciat initium[a]? »

Æternum.

Reliqua ejusdem Joannis non minus expressa, *Et Deus erat Verbam;* item, *Omnia per ipsum facta sunt.* Quorum vim cum alii omnes, quos supra laudavi, tum acute ac luculenter imprimis Augustinus explicat in primo *de Trinitate*[4], sic scribens : « In eo autem declaratur non tantum Deum esse, sed etiam ejusdem cum Patre substantiæ ; quia cum dixisset, *Et Deus erat Verbum*, *hoc erat*, inquit, *in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Neque enim dicit omnia, nisi quæ facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido apparet, ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia, quæ Deus non est, creatura est ; et quæ creatura non est, Deus est. Et, si non est Filius ejusdem substantiæ, cujus est Pater ; ergo facta substantia est. Si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt. Unius igitur ejusdemque cum Patre substantiæ est, et ideo non tantum Deus, sed et verus Deus. »

V. Sic et tractatu primo *in Joannem*, ubi ex eo quod per Verbum facta sunt omnia, probat

a Cyril. lib. I *in Joan.* cap. I. Τὸ γὰρ ἦν ἀδιορίστως ἐκφωνηθὲν, εἰς ποῖον ἡμῖν καταλήξει τόπον, ἀεὶ προελαύνειν τοῦ διώκοντος νοῦ πεφυκὸς, καὶ ἣν οἴηταί τις ἔχειν αὐτοῦ τὴν κατάπαυσιν, ταύτην τοῦ ἐπέκεινα δρόμου ποιούμενον ἀρχήν ;

1 Lib. IV et lib. XXXII. — 2 Ut Aug. serm. XXIV *de Diver.* et Cyr. in *Exp. fidei.* — 3 Cyril. lib. IV *in Joan.* — 4 Cap. VI.

non ipsummet esse factum, ne aliud Verbum intelligatur, per quod illud sit factum. Athanasius item libro primo et secundo *contra Arianos* iisdem eos verbis redarguit, necnon similibus Apostoli in prima *ad Corinthios*, cap. octavo, com. 6 : *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Ex quibus ita concludit Athanasius[1] : « Si omnia per ipsum, non cum omnibus ipse numerabitur. Nam qui eum, per quem omnia, unum esse omnium audebit dicere, is omnino etiam de Deo, ex quo omnia, idem cogitabit[a]. » Quem locum imitatus est Cyrillus in quarto *Thesaurorum*[2]. Vide et Ambrosium libro IV *de Fide* capite VI. Possem et reliquas capitis illius evangelici partes singillatim exequi, ac tam Arianos, quam Sabellianos arguere. Sed longum est. Non tamen omiserim, cum utrosque, tum hos ipsos præsertim verbis istis revinci, *Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Non enim Deus Verbum apud Deum Patrem esse potest, nisi tam Deus sit unus cum illo, quam ab eodem persona distinctus, ut plerique illi Patres, quos citavi, demonstrant. Tum illa præterea : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Etenim distingui personas amborum indicant, quia nemo unigenitus a Patre dicitur, nisi ab eo diversus ; et creatura censeri non potest, qui Filius sit Dei, et quidem unigenitus.

Quanta istius textus vis adversus hæreses.

Postremo quanta sit totius illius loci vis adversus hæresim utramque, paucis, sed accurate colligit Isidorus Pelusiota epistola CXLI libri quarti : « Ex Filii, inquit, appellatione, consubstantiale ; ex Verbi vocabulo, passionis expers ; ex eo, quod in principio erat, coæternum ; ex eo, quod apud Patrem erat, cognationem ejus cum Patre ; ex eo, quod Deus est, illius majestatem intelligentes, et ex unoquoque nomine quidquid indecorum inest segregantes ; velut a Filio, junioris significationem, a Verbo, minime subsistentis, Deum æternum, consubstantialem, citra passionem, et tempus progressum noverimus, et adoremus[b]. »

Secundum argumentum ex illis verbis : *Ego et Pater unum sumus* petitum.

VI. Secundum ex *Joannis* capite X, 30 Filii divinitatis et æqualitatis argumentum petitur. Ibi enim de se ac Patre suo loquens, *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus.* In quo Sabellii juxta atque Arii damnavit insaniam ; quod recte declarat Ambrosius libro III de *Spiritu sancto* cap. XVIII. « Cum enim dicit, *Ego et Pater*, revelatur æqualitas ; cum dicit, *Unum sumus*, unitas declaratur. Æqualitas confusionem excludit ; unitas separationem ; æqualitas Patrem Filiumque distinguit ; unitas Patrem Filiumque non separat. Ergo cum dicit : *Ego et Pater*, Sabellianum repellit, quia alium se, alium Patrem dixit ; repelllit Photinianum, quia se cum Deo Patre junxit. Illos superioribus repellit, quia dixit, *Ego, et Pater;* inferioribus Arianos, quia dicit, *Unum sumus;* tamen et in superioribus, et in inferioribus hæreticam jugulat sævitatem : Sabellianorum, quia *unum* dixit *sumus* , non unus sumus; Arianorum, quia *ego*, *et Pater*, non Pater, et ego dixit. » Idipsum et alii Patres observant, ut Athanasius IV et V *cont. Arian.*, Epiphanius hær. LXII, num. 4; Hilarius lib. VIII, Gregorius Nyssenus libro primo *contra Eunomium ;* Lucifer Calaritanus libro *De non conveniendo cum hæreticis*, Aug. tract. XXXV *in Joan.* « Non dixit, *Pater ego sum*, aut, *ego et Pater unum est*, sed cum dixit, *Ego et Pater unum sumus*; utrumque audi, et *unum*, et *sumus*, et a Charybdi, et a Scylla liberaberis. In duobus istis verbis, quod dixit *unum*, liberat te ab Ario; quod dixit *sumus*, liberat te a Sabellio. Si *unum*, non ergo diversum. Si *sumus*, ergo et Pater, et Filius. *Sumus* enim non diceret de uno, sed *unum* non diceret de diversis. Sic in tract. XXXVII, LXXI et LXXVIII; Cyrillus libro VII *in Joann.*, et libro primo *Thesauri* sub initium. Gregorius Bæticus, vel potius Faustinus libro *de Trin. et Fide.* Contra Sabellianos vero nominatim affert Novatian. cap. XXII *de Trinitate.*

VII. Hujus loci argumentique vim eludebant Ariani, aliter Joannem interpretando. Aiebant enim, *unum* illud non ad naturam, sed ad consensionem voluntatum, et concordiam referri, quemadmodum *Joan.* XVII orat

a ATHAN. lib. II. Εἰ δὲ τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, αὐτὸς οὐκ ἂν εἴη συναριθμούμενος τοῖς πᾶσιν· ὁ γὰρ τολμῶν τὸν δι' οὗ τὰ πάντα λέγειν ἕνα εἶναι τῶν πάντων, πάντως δήπου καὶ περὶ θεοῦ ἐξ οὗ τὰ πάντα τὸ αὐτὸ λογίζεται.

b ISID. PELUS. Ἐκ μὲν τοῦ υἱοῦ τὸ ὁμοούσιον· ἐκ δὲ τοῦ λόγου τὸ ἀπαθές· ἐκ δὲ τοῦ ἐν ἀρχῇ εἶναι τὸ συναΐδιον· ἐκ δὲ τοῦ πρὸς τὸν πατέρα οἰκειότητα· διὰ δὲ τοῦ θεὸν εἶναι, τὴν ἀξίαν αὐτοῦ καταμαθόντες. καὶ ἐξ ἑκάστου ὀνόματος τὸ ἐφορμοῦ ἀπρεπὲς ἀποπεμψάμενοι, οἷον ἀπὸ μὲν τοῦ υἱοῦ, τὸ νεώτερον· ἀπὸ δὲ τοῦ λογου τὸ ἀνυπόστατον, θεὸν ἀΐδιον, ὁμοούσιον ἀπαθῶς, καὶ ἀχρόνως προελθόντα, εἰδείημέν τε καὶ προσκυνήσαιμεν.

1 Athan. lib. II. — 2 Vide lib. V, et lib. I *in Joan.*

idem Christus, de discipulis suis loquens, *ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Sic enim verba illa capite v explicari oportere, quomodo ista capite XVII censet Eusebius Cæsar. lib. V *contra Marcel.* cap. XXIX, sed et Novat. *de Trinit.* cap. XXII « vocem *unum* ad concordiam, et eamdem sententiam, et ad ipsam charitatis societatem pertinere ait, ut merito unum sit Pater, et Filius per concordiam, et per amorem, et per dilectionem. » Opponebant et illud, quod est *Actorum* IV, 32: *Multitudo credentium erat anima una, et cor unum;* et I *Cor.* III, 8: *Qui plantat, et qui rigat, unum sunt.* Et cap. VI, 17, ejusdem epistolæ, *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.*

Probatur *unum* ad naturam non ad consensionem voluntatum referri.

VIII. Contra hanc Arianorum, et eorum signiferi Eusebii tergiversationem multa veteres disputant, et imprimis Athanasius libro IV et V *adversus Arianos*; qui hoc animadvertit[1], in illo *Joannis* loco, scriptum esse, *Ut sint unum, sicut nos unum sumus*; » ubi particula *sicut* imitationem, ac similitudinem declarat, non eumdem utrobique modum conjunctionis. Deinde versu antecedente legi: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint,* ac voces istas *in nobis,* significare vi ac virtute nostra, vel ad exemplar similitudinemque nostram. Quem locum imitatus est Cyrillus in duodecimo *Thesauri.* Sane illud observatione dignum est, quod ibidem Cyrillus innuit, non dixisse Christum, *ut sint unum nobiscum,* sed *ut omnes unum sint,* nimirum inter se, et in nobis. Quod ego de charitate arbitror dictum, qua inter se unum illos esse cupit, ut vinculum sit mutuæ inter ipsos concordiæ, Pater et Filius, et ut minime naturalis, et ex carne ac sanguine orta, conflataque videatur ista conjunctio. Sic enim particula ista solet accipi, cum dicitur *in Domino, in Christo,* hoc est ut spiritualis et cœlestis, naturaque potior intelligatur aliqua ratio. Cyrillus vero dialogo primo de iis agens verbis, *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus,* hoc ipsum retorquet in adversariorum caput. Nam et nos naturæ invicem unitate sociamur, et cum Deo non solum voluntatis nexu, et concordia quadam animorum, sed etiam substantiali vinculo nectimur, eo quod tum eodem Christi, ac Dei corpore pascimur, et concorporales, ut cum Apostolo dicamus, efficimur; tum uno sancto Spiritu ad unitatem obsignamur[a]. » Quocirca « in Christo, et Spiritu sancto omnes unum sumus et corpore, et spiritu[b]. »

Simillima est Hilarii ratiocinatio in libro octavo *de Trinit.* Ibi enim contra hæreticos locis illis abutentes primum asserit, ne nos quidem unum sola voluntatum consensione fieri. Siquidem per fidem, id est per unius fidei naturam, unum omnes esse. Unde naturalem unitatem fideles inter censet existere, quia per naturam fidei unum sunt. Deinde quia regenerati sunt in unius vitæ atque æternitatis naturam. Ac demum arctiorem quamdam, quam est illa voluntatis solius, ac naturalem unitatem esse demonstrat eo ipso, quod vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus. « Si vere igitur, ait, carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in ea est, et ille in nobis; quando voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis. »

IX. Sed quoniam, quantacumque est illa inter se fidelium unitas, tropica est, nec unum omnes natura facit, et substantia; ideo subinde respondet, diversam excellentioremque Patris et Filii unitatem esse. « Nec enim per Sacramentum dispensationis unum sunt, sed per naturæ nativitatem; dum nihil in eo ex se Deus eum gignendo degenerat. » Dissimilem autem et potiorem esse, quam sit in nobis, unitatem Patris et Filii, ex aliorum comparatione locorum approbat. Ut cum *Joannis* XIV, 9 dicit, *Qui videt me, videt et Patrem meum*; et, *Ego in Patre, et Pater in me est.* Quibus, et similibus Scripturæ locis efficitur, longe esse præstantiorem inter Filium ac Patrem, quam concordiæ voluntatisque nexum, quo nulla possit res creata pertingere.

a CYRIL. dial. I. Πρῶτον μὲν εἰς ταυτότητα τὴν πρὸς ἀλλήλους οἱ τελοῦντες ἐν ἀνθρώποις θεσμῷ φυσικῷ διεσφίγμεθα. συνενούμεθα δὲ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον. διατετμημένοι γὰρ ὥσπερ εἰς ὑπόστασιν ἰδικὴν, τὴν καθ' ἕκαστον λέγω, καθ' ἣν ὁ μὲν τίς ἐστι Πέτρος, ἢ Ιωάννης, ὁ δὲ Θωμᾶς, ἢ Ματθαῖος, σίσσωμοι γεγόναμεν ἐν Χριστῷ, τὴν μίαν σάρκα τρεφόμενοι, καὶ ἑνὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι πρὸς ἑνότητα κατεσφραγισμένοι.

b Ibid. Ἄθρει γὰρ, ὅπως ἕν τε τῷ Χριστῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι οἱ πάντες ἕν σμεν καὶ ἐκατὰ τὸ σῶμα, καὶ κατὰ τὸ πνεῦμα.

1 Or. IV.

Nam quod ad illa verba pertinet, *Qui adhæret Deo, unus Spiritus est*[1], aut ista, *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una*[2], quædam scitu digna leges apud Augustinum in tertio *contra Maximinum,* c. XX. « Quando, inquit, de rebus duabus, aut pluribus dicitur, unus est, vel una est, et additur quid unus, vel quid una, et de his, quæ diversæ, et de his, quæ sunt unius substantiæ dici potest. Diversæ sunt enim substantiæ spiritus hominis, et spiritus Domini : et tamen dictum est, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Unius autem substantiæ sunt animæ hominum, et corda hominum, de quibus dictum est : *Erat illis anima una, et cor unum.* Ubi autem dicitur de duobus, aut pluribus, *unum sunt,* nec additur, quid unum sint, non diversæ intelliguntur, sed unius esse substantiæ : sicut dictum est, *Qui plantat, et qui rigat, unum sunt;* Et : *Ego et Pater unum sumus.*

X. Sed ut priorem illum ex *Joannis* X locum exquisitius pertractemus, si quis totam ipsam sermonis seriem, et quæ paulum antecedunt, quorum demonstrandorum gratia usurpantur, inspiciat; intelliget, non solam voluntatum agi conspirationem, et unitatem inter Patrem et Filium, cujusmodi sanctorum inter se, ac cum Deo esse dicitur, sed naturalem et proprie dictam. Etenim illa verba, *Ego et Pater unum sumus,* ad hoc probandum Christus intulit : *Oves suas in æternum minime esse perituras; nec eas quemquam de manu sua esse rapturum.* Quippe *Pater*, inquit, *qui mihi oves illas dedit, major omnibus est*[a], ut Græca lectio continet. Vel, *Pater meus, quod dedit mihi, majus est omnibus*; quod Latini codices præferunt, hoc est natura et potentia, quam ab illo communicatam accepi. Addit : *Et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.* Tam de sua, quam de Patris manu rapi non posse confirmat; quia ipse et Pater unum sunt. Si sola consensione unum essent ambo, nihil concluderet, neque tam magnifice de se loqui posset. Quare unum se esse cum Patre vi saltem ac δυνάμει, profiteri debet, ut interpretatur Chrysostomus; nam de vi et potestate sermo erat. Sed ex ea tamen, etiam de substantiæ unitate concluditur. «Si enim eadem et una est virtus amborum, eadem quoque est substantia[b],» ait ille. Cui et Cyrillus suffragatur[3] : et hoc addit amplius manum Patris, sive brachium ipsum esse Christum. Itaque perinde esse, dicere de manu mea, vel de me, ac de manu Patris mei.

Porro non de sola voluntatum conjunctione Christum loqui, non modo ex verbis ipsis argumentari licet, « quia non dixit, *Ego et Pater unum volumus, sed unum sumus,* » ut ait Victor episcopus in *Confessione fidei ad Hunericum*[4]; verum ex eo quoque quod alioqui creatura quævis, velut homines justi, vel angeli idem de se prædicare possent; ut recte colligit Athanasius[5] et Cyrillus dialogo primo *de Trinitate,* necnon Augustinus libro *contra Sermonem Arianorum,* capite nono.

XI. Deinde vel ex ipsis Judæis Arianorum convincitur insania, ut etiam Ambrosius ostendit II *de Fide,* c. IV. Nam illi statim, ut ista dicentem audiere Christum, *Ego et Pater unum sumus,* lapidibus illum obruere conati sunt; cujus rei causam sciscitanti responderunt, *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia, homo cum sis, facis teipsum Deum.* Intellexerunt enim, quod erat dictum, *Ego et Pater unum sumus,* naturæ communionem, et unitatem, non voluntatis solius exprimere, ut Athanasius non uno loco, et complures alii Patres observant. Ac si Deus, et æqualis Patri non foret Christus, facile hanc a se calumniam injuriamque sola inficiatione depulisset; negans, se eo sensu unum esse cum Deo, quo illi putabant, sed eodem potius modo, quo prophetæ aliique sancti viri. At non eam excusationem adhibuit, sed hoc ipsum, quod de se Judæi animo conceperant, et cujus eum causa lapidare volebant, magnis illis, et inusitatis operibus approbare dicit. *Quem Pater*, inquit, *sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite : ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Quocirca, *Ego et Pater unum sumus*, tantumdem valet, interpretante ipso Domino, atque illud, *Filius*

Quo sensu *unum* intellexerint Judæi.

a JOAN. X. 29. Ὁ πατήρ μου, ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί.

b CHRYS. Hom. LXI. *in Joan.* Ἐγὼ γὰρ καὶ ὁ πατὴρ ἕν σμεν ἐκατὰ τὴν δύναμιν ἐνταῦθα λέγων. καὶ γὰρ περὶ ταύτης ἦν ὁ λόγος ἅπας αὐτῷ. εἰ δὲ ἡ δύναμις ἡ αὐτὴ, εὔδηλον ὅτι καὶ οὐσία.

1 I *Cor.* VI, 17. — 2 *Act.* IV, 32. — 3 In *Frag.* lib. VII et VIII *in Joan.* — 4 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 5 Lib. IV *con. Arian.*

Dei sum. Quod si et unum se esse cum Deo, et ejus Filium, non alio modo voluisset intelligi, quam quo Abraham, Moses, aut alius quilibet e sanctis cum Deo conjuncti erant, et filii Dei appellari meruerant; istud ipsum clarius non modo potuisset, sed etiam debuisset exponere, ne falsæ de se opinionis justam illis occasionem dedisse videretur; quemadmodum Paulus, et Barnabas se pro diis habentibus, et divinum honorem tribuere sibi volentibus resistunt, ac se hominum cæterorum similes, non autem deos esse demonstrant, *Act*. XIV. « Nam utique religiosus Filius, et qui non voluntatem suam, sed ejus, a quo venerat, quæreret, honorem hujus in se nominis recusasset, ne, quod ipse unum Deum prædicaverat, solveretur, ait Hilarius. Similia quædam leges apud Chrysostomum, homilia XXXIX *in Joan*, et Cyrillum dialogo secundo *de Trinit*., ac *Thesauri* lib. XXXII. Verum Christus id pugnat, ut quod illi detestabantur, et horrendam blasphemiam nominabant, nimirum se esse Deum, et Dei Filium, unumque cum Patre; hoc ipsum ex operibus ipsis verum esse credant. In quo a minori ad majus argumentatur. Nam, si dii vocantur, ad quos Dei sermo factus est, uti *Ps*. LXXXI : *Ego dixi*: *Dii estis*, *et filii Excelsi omnes*, quanto magis ille Deus censendus est, «quem Pater sanctificavit, et misit in mundum?» Vide Novat. *de Tr*. c. XXIII.

XII. Tertio, capite *Joannis* decimo, com. 38, *Pater*, inquit, *in me est*, *et ego in Patre*, quod et capite XIV, 10 repetit: *Non creditis*, *quia ego in Patre*, *et Pater in me est?* Quæ verba luculenter Athanasius libro IV *cont. Arian*., et Cyrillus[1] iisdem fere, quibus ille, verbis ac sententiis enarrant. Hinc vero Sabellius et Arius ex æquo confutantur, ut iidem docent. Nam et diversam utrinsque personam esse, et æquales nihilominus ambos esse demonstrat. Cum enim dixisset, *Ego et Pater unum sumus*, ne quis Patrem Filium, et Filium Patrem esse putaret, ac nomina tantum duo, non item personas duas crederet, plenius hoc mysterium verbis illis aperuit: *Ego in Patre*, *et Pater in me est;* quod de una, singularique persona nonnisi insulse, absurdeque dicatur. Ita Sabellianus error obteritur. At rursus majorem aliquam et sanctiorem inter duos illos esse conjunctionem, quam voluntatis concordiæque, declarat idem locus. Quippe, ut Cyrillus[1] disputat, angeli, ac cœlestes omnes Spiritus idem volunt, quod Deus; neque tamen de se quispiam usurpare istud audet: *Ego et Pater unum sumus*, et, *Ego in Patre*, *et Pater in me est*. Sed neque sanctorum aliquis, uti patriarcharum, prophetarum, apostolorum, quamvis concors illorum esset cum Dei voluntate, consentiensque animus. Quod ipsum, præter Athanasium, iisdem, quibus Cyrillus, momentis ponderat Augustinus tract. XLVIII *in Joan*. Necesse est ergo, cum natura unum illum esse cum Patre, tum eidem æqualem; alioqui longe de se demissius loqui debuisset. Vide rursus Cyrillum lib. I *in Joannem*, capite tertio, sub finem; et in fragmentis lib. septimi, octavi.

XIII. Quarto, *Joannis* c. XIV, 9, Christus de se sic loquitur: *Qui videt me*, *videt et Patrem*. Ex his enim verbis colligitur, Filium omni ex parte similem et æqualem esse Deo Patri; neque quidquam in Patre esse, quod non ipse habeat, ut eo conspecto Pater ipse videatur. Hæc enim ideo dixit, « Quod tam similes sint Pater, et Filius, ait August. tract. LXX *in Joannem*, ut qui unum noverit, ambos noverit. Solemus enim de similibus duobus ita loqui eis, qui unum illorum vident, et qualis sit alius, volunt nosse, ut dicamus: Vidistis illum, illum vidistis. » Quocirca ut in creatarum rerum similitudinibus non potest vere illud usurpari; qui hoc videt, videt et alterum, cui simile istud est, nisi perfecte similia sint, adeo ut ex eo ipso, in quo similes dicuntur, nihil in uno sit, quod non insit alteri. Si enim in colore, lineamentis, proportione, cæterisque diversum sit aliquid in imagine, atque in prototypo cernitur, falso ita dicetur: Qui unum videt, videt et alterum. Sic in Deo, cujus sine ulla compositione partium natura simplicissima est, multo id minus pronuntiare licet. Qui videt unam personam, videt et alteram, nisi ita sibi invicem similes sint, ut neque natura discrepent, neque perfectionis uni insit quidpiam, quod in altera desideretur. Sane « qui creaturam videt, ait Chrysostomus[2], « non ideo videt Dei substantiam. » Itaque « si diversæ esset substantiæ, nunquam illud diceret. » Tum « nemo quid sit aurum nesciens, potest auri in argento videre substantiam. Non enim alia per aliam natura videtur[a]. » Sed hoc argumenti genus

Expenduntur hæc verba *Qui videt me videt et Patrem*.

a Chrys. Ὁ δὲ τὴν κτίσιν ἰδὼν, οὐχὶ καὶ τοῦ θεοῦ τὴν οὐσίαν εἶδεν· etc. Εἰ δὲ ἑτέρας οὐσίας ἦν, οὐκ ἂν τοῦτο εἶπεν· ἵνα δὲ καὶ παχυτέρου ἅψομαι λόγου, οὐδεὶς χρυσὸν ἀγνοῶν, ἐν ἀργύρῳ τοῦ χρυσίου τὴν οὐσίαν ἰδεῖν δύναται. οὐ γὰρ ἄλλη δι' ἄλλης φαίνεται φύσις

1 Cyr. lib. XII *Thes*. — 2 Chrys. hom. LXXIV *in Joan*.

paulo post uberius explicabimus. Nunc illud observare sufficiet, quod Athan. orat. IV et Cyrill. et August. serm. II *de Verbis Domini* admonent, et nos paulo ante simili in loco retulimus; quamvis Dei in angelis, et hominibus, præsertim piis et sanctis, imago similitudoque sit, nullum tamen de se ita locutum aliquando, vel de ipso dixisse alterum : *Qui videt me, videt et Patrem meum,* aut, *Qui hunc videt, videt et Deum.* Atque hoc erit argumentatio nostra firmior, si, quæ capite illo *Joannis* referuntur, attentius intueri velimus. Cum enim Christus dixisset : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodo cognoscetis eum , et vidistis eum.* Philippus cognoscendi ac videndi Patris desiderio tactus, *Domine,* inquit, *ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* At Christus subinde illum increpat et castigat, quod cum videndo Filium, videret et Patrem, hujus tamen videndi copiam sibi fieri, adhuc peteret. Quæ reprehensio prorsus esset iniqua, si Christus nihil supra creaturæ conditionem haberet. Quippe nihil esse creatum potest adeo sublime atque perfectum , quod non infinite distet a creatore, infinitisque careat ornamentis, et perfectionis generibus, quæ in illo videri cognoscique possint. Unde non absurda illius est, sed æquissima postulatio, qui, creatura conspecta, ejus videre cupiat auctorem; cujusmodi Mosis votum fuisse *Exodi* XXXIII, 13, Scriptura docet. Cum ergo Christus Philippi desiderium ideo supervacaneum esse dicat, quod qui unum videt, alterum videat; consequens est, nihil prorsus in uno perfectionis esse, quod desit alteri. Nam si quid deesset, id et infinite excellens foret, et justum in nobis videndi sui excitaret amorem. Porro Sabellianus error iisdem illis ex verbis accuratissime convincitur. « Nam, nisi duo essent Pater et Filius, ait Aug. tract. LXX *in Joan.*, non dictum esset, *Si cognovissetis me, et Patrem meum cognovissetis ;* quoniam ego , per quem venitur ad Patrem , perducam vos ad eum, ut ipsum etiam cognoscatis. » Ac, cum ita loquitur : *Qui videt me,* propriam hypostasim significat ; in iis vero, *videt et Patrem,* distinctam a sua Patris personam indicat, ut Basilius disputat orat. *con. Sabellianos et Arianos.* Vide et Faustinum lib. *con. Arianos.*

Expenditur narratio Joannis.

XVI. Quinto, ex tota illa narratione, quam c. V Joannes exponit, Filii divinitas, et æqualitas ostenditur. Cum enim dixisset Christus, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor,* subjicit Joan.: *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere ; quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Quem locum egregie illustrat August. tract. XVII. « Omnes, inquit, dicimus Deo, *Pater noster, qui es in cœlis.* Legimus et Judæos dixisse, cum tu sis Pater noster. Ergo non hinc irascebantur, quia Patrem suum dicebat Deum, sed quod longe alio modo, quam homines. Ecce intelligunt Judæi, quod non intelligunt Ariani. » Hilarius vero l. VII hæc ipsa verba, *Propter hoc magis quærebant eum Judæi interficere,* etc., et non Judæorum sermonem , « sed expositionem potius Evangelistæ continere dicit, causam demonstrantis, cur Dominum interficere Judæi vellent. » Ex quo idem naturalem et veram Filii de Patre nativitatem colligit; tum Sabellianos Arianosque refutari demonstrat. « Quis porro dubitabit, quin indifferentem naturam nativitas consequatur? Hinc est enim sola illa, quæ vere possit esse, æqualitas, quia naturæ æqualitatem sola possit præstare nativitas. Æqualitas vero nunquam ibi esse creditur, ubi unio est, (ita personæ singularitatem vocat) nec tamen illic reperietur, ubi differat. Ita similitudinis æqualitas nec solitudinem habet, nec diversitatem; quia omnis æqualitas nec diversa, nec sola sit. » Fulgentius item *Respons. contra Arian.* existimat, Evangelistæ hæc verba, *Sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo,* non ex Judæorum malevolentia, sed ex apostolica auctoritate proficisci, ut et Victor episcopus in *Profess. fidei ad Hunericum ;* et Maxentius dial. II. Quinetiam toto ex contextu capitis illius, ut dixi, idem apertius efficitur. Nam si Filius Patri inæqualis, ac tanto minor esset, quanto Deo creatura est inferior ; illam certe de seipso conceptam a Judæis opinionem evellere, quibuscumque modis poterat, ipse debebat. Atqui tantum abest, id ut faceret, ut, ejusdemmodi repetitis verbis , ex quibus nata erat illa persuasio, et aliis etiam magnificentioribus adjectis, firmare illam instituerit, qualia ista sunt: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium , non honorificat Patrem, qui misit illum,* etc., in quibus de plenissima sua potestate mentionem facit, ut perinde ac Pater, mortuos ad vitam revocare possit. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Item : *Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat.* Quæ cum audirent Judæi, quid aliud suspicari poterant, nisi

ipsum se Patri prorsus æqualem facere, nec divinitate summaque potentia minorem haberi velle ? Hoc vero detestandum erat blasphemiæ genus, sive ipsum de se prædicare, si id revera non esset; sive aliis sibi persuadentibus ac pronuntiantibus, aucupari gloriolam istam, nec eam opinionem evellere, imo confirmare majorem in modum, et adstruere. Instat hoc argumento Cyrillus lib. XXXII *Thesauri*, et dialogo secundo *de Trinitate*, eidemque non leve pondus addit, quod Hilarius attulit in lib. VI Christum ipsum ubique, et in omni fere sermone de se alioqui demisse humillimeque loqui solitum, tamen gloriosa illa de se et magnifica profiteri. « Humilitatis igitur professio frequens non habet hoc insolentiæ vitium, ut sibi aliena vindicet, et non sua defendat, et proprie Deo coæquanda præsumat. » Et lib. IX: « Quanta potuit, Dominus, inquit, verborum simplicitate evangelicam fidem locutus est, et in tantum ad intelligentiam nostram sermones aptavit, in quantum naturæ nostræ ferret infirmitas, non tamen ut quidquam minus dignum naturæ suæ majestate loqueretur.

Sextum arg. ex verbis Christi: *Quæcumque habet Pater.*

XV. Sextum ex illis Christi verbis argumentum ducitur, quæ sunt *Joannis* XVI, 15 : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, et cap. XVIII 10 : *Et mea omnia tua sunt*, *et tua mea sunt*. Quam sententiam Augustinus[1] « rectissimam regulam » vocat ad hæreticos convincendos : « ut ubicumque aliquid tribuunt Patri, quod Filio denegant, ipsam fidelissimam testem contra errores eorum, vel contra mendacia producamus. » Et capite XIV ejusdem libri tertii *contra Maximinum*, « Nihil Patre minus habet ille, qui dicit, *Omnia, quæ habet Pater*, *mea sunt*. Æqualis est igitur. » Cyrillus item libro nono *Thesauri*, ex illo loco concludit, proprietates Patris omnes inesse Filio. Vide et caput tertium libri primi *in Joannem* ejusdem Cyrilli.

CAPUT IX.

Eadem Filii æqualitas, et cum personarum differentia, naturæ unitas adstruitur ex aliis Novi Testamenti locis, quæ sparsim leguntur, tum argumentis, quæ ex illis ipsis locis efficiuntur.

I. Nonnulla sunt per omnem fere Novi Testamenti contextum sparsa testimonia; quæ, ut majorem, præsertim adversus Arianos, vim ac pondus habeant, ratiocinatione sunt juvanda. Ex his

Probatur Christi æqualitas ex eo quod dicitur *Deus*, *Dominus* etc.

Primum illud esto locorum genus, in quo Christus Deus, ac Dominus vel diserte nominatur, vel non obscure significatur. Ac sunt illa quidem innumerabilia ; quorum magnam copiam Cyrillus toto lib. XXXII *Thesauri* complexus est. Nos perpaucis erimus contenti; et iis utemur, quæ minus sunt hæreticorum calumniis opportuna. Quorum id imprimis expressum videtur, quod est *Joannis* I: *Et Deus erat Verbum*. Nam et Deum aperte prædicat illum, quem a Patre toto illo capite discernit, quemque apud Deum fuisse dicit. Et ipsa vox *erat* haud definiti temporis notione ex æterno productum fuisse demonstrat, ut inter alios Cyrillus declarat. Item capite XX ejusdem Evangelii, Thomas apostolus, qui de Christi resurrectione dubitarat, eo ex contactu cicatricum agnito, *dicit ei*, *Dominus meus, et Deus meus*. Hæc vocabula, *dicit ei*, indicant, Thomam ad Christum direxisse sermonem, et eum vocasse Dominum ac Deum suum, ut in vocandi casu usurpata ista sint, quasi dixisset, *Domine mi*. Atqui Christus discipulum ita loquentem minime castigat, ut Athan. orat. III *contra Arianos* disputat; et Hilarius lib. VII, Cyrillus lib. XII *in Joan*. IX, et loco cit. *Thesauri*. Imo tanquam, quod dictum erat, approbans, et ipsum tardius, quam decebat, ita credidisse docet ; et beatos fore, qui itidem, ut ille, non eo viso, crederent, ostendit. Ac Cyrillus in commentario ad *Joannem* observat, Thomam exclamasse ὁ κύριός μου cum articulo; ut non quilibet e dominorum multitudine, sed insignis et excellens, hoc est Deus, intelligatur.

II. Ad hæc Joannes idem I cap. III, 16, *In hoc cognovimus*, ait, *charitatem Dei*, *quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. Hic Deus appellatur ille ipse, qui pro nobis mortuus est. Et cap. V, 20: *Et scimus*, *quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus ; hic est verus Deus, et vita æterna*. Quem locum Cyrillus dialogi quarti initio commemorat.

Præterea *Act*. XX, 28: *Attendite vobis, et universo gregi*, *in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Vides, ut Deum appellat eum, qui sanguine suo redemit Ecclesiam.

Tum *Roman*. IX, 5: *Quorum patres*, *et ex*

[1] Lib. III *contra Max*. cap. IX.

quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula; καὶ ἐξῶ ν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἔπι πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Quæ est germana sinceraque loci hujus lectio, quam vetustissimorum codicum consensus affirmat, ut adversus Erasmum Beza contendit, necnon antiquorum Patrum auctoritas, ut Irenæi, l. III, c. XVIII, Tertulliani l. *con. Praxeam*, c. XIII et XV; Novatiani *de Trinit.* cap. XIII et XXX; Cypriani lib. II *de Testim. con. Jud.*, etsi secus pronuntiavit Erasmus mendoso Cypriani codice deceptus; Athanasii orat. II *con. Arian.* et orat. V et in libro *de Communi essentia;* Gregorii Nysseni lib. X *cont. Eunom.* Marii Victorini lib. I *contra Arium;* Hilarii lib. IV et VIII; Ambrosii lib. I de *Spiritu sancto*, c. III et lib. IV *de Fide* c. VI; Augustini lib. II *de Trin.* c. XIII, et lib. I *cont. Faust.* c. III et VI; Cyrilli l. I *Thesauri*, Idatii *cont. Varimadum* lib. I; Cassiani initio lib. III *de Incarn.*; Gregorii M. homilia VIII *in Ezech.*; Isidori Hispalensis libro *de Different.* num. 2 et aliorum ferme omnium Patrum, qui Erasmum temeritatis inconsultæ reum peragunt, dum ita pronuntiare non est veritus, « Qui contendunt, ex hoc loco evidenter evinci, Christum aperte dici Deum, aut videri aliis Scripturæ testimoniis parum fidere, aut nihil ingenii tribuere Arianis ; aut parum attente contemplari sermonem Apostoli. » Falso id quidem, et impudenter ; in quo etiam a Beza reprehensus est. Est igitur Christus non solum Deus, sed etiam ὁ ἐπὶ πάντων θεὸς, *super omnes*, vel *omnia Deus;* quod esse Patris proprium Ariana pugnabat improbitas.

III. Super hæc I *Cor.* II, 8: *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum crucifixissent gloriæ.* Quo in loco vis est cogitanda vocabuli *gloriæ* δόξης, quam Hebræi כבוד nominant : quæ vox *majestatem* significat adeo, ut pro Deo ipso summo, et quem יהוה nuncupant, a Judæis usurpetur. Christus itaque Dominus majestatis et gloriæ, hoc est *summus Deus* dicitur. Vide Cyrillum libro XXXII *Thesauri.*

Sic *ad Titum* II, 13 : *Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi ; qui dedit semetipsum pro nobis*, etc. Utitur Athan. lib. *de Com. essen. Pat. et Fil.*, et Cyr. loco cit. et est egregius hic locus contra perfidos Arianos, qui Christum utcumque Deum confitentes, magnum eumdem esse negabant.

Item *ad Hebræos* cap. I Christum demonstrat Apostolus angelis longe præstare, quod Filius sit, ac Deus, ad idque Davidis testimonium assumit e *Psalm.* XLIV *Ad Filium autem*, ait Apostolus, *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi*, etc. Hoc argumentum fuse pertractat Hilarius lib. IV *de Trinitate*, et Cyrillus lib. XXXIII *Thesauri.*

Capite quoque tertio, Mosi Christum anteponens, illum tanquam famulum, atque etiam domum esse dicit, hunc velut fabricatorem domus, et Deum. *Amplioris enim gloriæ iste præ Mose dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus est.* Observavit Cyrillus, lib. XXXII *Thesauri*, et libro *ad Reginas*, qui est in Ephesino concilio. Præclarum est et Evangelistarum omnium, ac Joannis Baptistæ pariter atque Isaiæ testimonium, in quo Christus Dominus ac Deus appellatur. Nam Joannes Baptista[1], sciscitantibus Judæis, quisnam esset, eum se esse respondit, quem Isaias prædixerat venturum ideo, ut parare viam Domini ac Dei mortalibus præciperet : *Vox clamantis in deserto ; Parate viam Domini ; rectas facite in solitudine semitas Dei nostri,* ait Isaias[2], quo vaticinio uno ore prædicant Evangelistæ quatuor[3], Joannem Baptistam significari. Quibus septimus testis Zacharias Baptistæ pater accedit, qui Filium alloquens, *Præibis*, inquit, *ante faciem Domini parare vias ejus.* Ad hæc primæ *ad Timotheum* tertio, *Magnum est pietatis sacramentum*, Græce additur θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, *Deus manifestatus est in carne;* etsi Latine vox *Deus* non compareat, quæ in Græcis omnibus legitur.

Denique Paulus prioris *ad Corinthios* capite octavo : *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Utitur Athanasius passim, ut in libro *de Decretis Nicœnæ Synodi;* et Cyrillus in *Thesauris*[4] ; ac cæteri frequenter. Sed de hoc Apostoli loco vide omnino Chrysostomum homilia V *contra Anomœos de Incomprehensibili ;* ubi vocabulum *Domini* nihilo inferius ostendit esse, quam *Dei*, idque sæpius in Scripturis usurpari de summa illa majestate. Stulte igitur et impudenter impius apostata

1 *Joan.* I, 23. — 2 Cap. LX. — 3 *Matth.* III, 3; *Mar.* I, 4; *Luc.* III, 3; *Joan.* I, 23. — 4 Lib. IX.

apud Cyrillum[1] mentitur, præter Joannem evangelistam, neque Paulum, neque cæteros Jesum Christum nominare Deum. Quod quam falsum sit, et Cyrillus pluribus ibidem explicat, et quæ attulimus loca, demonstrant.

IV. Atenim Deum esse Christum diserte profitebantur Ariani; idque in omnibus fidei formulis exprimebant, sed ea mente et interpretatione, ut unum esse dicerent summum Deum, quem τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν vocabant, eumdemque solum verum, bonum, æternum, immortalem, invisibilem cæteraque id genus, quæ interdum in sacris Litteris Patri, velut propria, tribui videntur. Unde absolute solus Pater ab illis Deus agnoscebatur, Filius vero *Æquivoce.* nonnisi ὁμωνύμως, et secundo velut dignitatis gradu. Quod ante Arianos Origenem imprimis existimasse libro superiore docuimus. Sane iste tomo II *in Joannem*, sub initium, vocem θεὸς, cum articulum habet adjunctum, ut dicatur ὁ θεὸς, Patri convenire ait, qui sit αὐτόθεος, ac *verus Deus;* cum autem sine articulo ponitur, Filio congruere; quod discrimen a Joanne servatum putat. Nam cum Patrem significat in exordio sui Evangelii, articulum adhibet; ut cum dicit, *Verbum erat apud Deum* : et, *Hoc erat in principio apud Deum.* De Filio vero loquens articulum omittit, *et Deus erat Verbum,* καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Hinc et Ariani libenter ac sæpe, *unum esse Deum* jactitabant, ut refert Sœbadius Aginnensis; ac cum Platocinis certos divinitatis gradus adstruebant, vel potius unum et solum vere proprieque Deum esse *Per analogiam.* Patrem volebant; Filium vero ἀναλόγως, et infinitis partibus inferiori jure, et eatenus solum, quod imago Dei esset, quemadmodum, etsi plures sint imperatores imagines, unus tamen vere, proprieque dicitur imperator. Ita rem explicat Eusebius libro III *con. Marcel.* cap. XX et seq., nec aliter Arius ipse Ariique discipuli, ut libro priore demonstravimus. Atque, ut picta vel cælata hominis imago, etsi homo dicitur, quia figuram ejus refert, verus tamen homo non vocatur; sic isti Deum esse Christum asserebant quidem, sed verum negabant. Quod his verbis refellit Ambrosius[2]: « Deinde dicis interdum Deum Christum. Sed ita dic Deum, ut Deum verum, ut plenitudinem ei paternæ divinitatis assignes, etc. Non enim perfunctorie nuncupandus Deus, sed ita ut eamdem divinitatem prædices in Filio, quam habet Pater. »

V. Verum tantam illorum impietatem merito catholici Patres execrati sunt; ut quæ christianæ caput fidei ac religionis everteret. Nam si diversa est Filii a Patre natura, amborumque dispar majestas, et potentia; non unus erit christianorum Deus, sed duo, quorum alter major erit, alter minor, ut Augustinus argumentatur tract. XVIII *in Joan.* et alii passim adversus Arianos antiqui Patres. Porro qui *Deum* dicit, id si nomen proprie ac non ficte velit usurpare, necesse est ut quæ divinitatis propria sunt, ei tribuat, bonitatem, veritatem, immensitatem, et imprimis æternitatem; de qua recte Cicero I de *Nat. Deor.* « Sed nos Deum, nisi sempiternum intelligere qui possumus? » Tertull. lib. *cont. Hermog.* c. IV. « Quis enim alius Dei census, quam æternitas? quis alius æternitatis census, quam semper fuisse, et futurum esse; a prærogativa nullius initii, et nullius finis? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cujus est proprium. » Tum c. VII ea subjicit, quæ Arianorum errorem jugulant: « Neque enim proximi erimus opinionibus nationum, quæ, si quando coguntur Deum confiteri, tamen et alios infra idipsum volunt. Divinitas autem gradum non habet, utpote unica. » Nec vere minus Irenæus lib. IV, c. V.: « Qui super se, inquit, habet aliquem superiorem, et sub alterius potestate est, hic neque Deus, neque magnus rex dici potest. » De quo videnda, quæ in secundo libro *de Divinis attributis*, capite nono dicta sunt. Quamobrem, si Dei Filius Deus et est, et in sacris Litteris passim appellatur, nulla prorsus ab illo divinitatis abesse notio debet; sed quidquid ei vocabulo consentaneum est, cum eoque complexum, id totum illi vindicandum est, aut ipsum certe nomen auferendum. « Quid calumniæ est, ait Hilarius lib. VII, cur non sit, quod nuncupatur? aut numquid nomen non naturæ significatio est? » Gregorius quoque Nyssenus lib. VI *adversus Eunomium* graviter imprimis et erudite, « Si extremæ stoliditatis est, ait, hunc equum, illum hominem dicere, si ambo vere sint homines; ejusdem plane stupiditatis est, cum tam Pater Deus, quam Filius Deus esse credatur, hunc creatum, illum increatum affirmare; quandoquidem nec illic humanitas, neque hic divinitas, ad id, quod dissimilis natura est, ac

1 Lib. X *con. Jul.* — 2 Lib. III *de Fide* cap. VII.

generis, detorqueri vocabulum patitur. Quod enim est rationis expers ad hominem, hoc ad divinitatem est creatio[a]. »

Christus ab Arianis vocatur Deus, sed nomine tenus.

VI. Restat igitur, ut nomine tenus ab Arianis Deus appellatus sit Filius, detracta re, quæ subjecta nomini est, ut idem illis paulo post objicit; nec non Gregorius alter Nazianzenus[b], oratione XXXV, qui Arianos ait rationibus ac testimoniis convictos, Deum quidem fateri Filium, sed æquivoce et appellatione tenus. Cyrillus etiam Alexandrinus[c], dialogo IV *de Trinit.*, ita Deum vocari ab illis asserit, ut reipsa velut in medio divinæ et creatæ substantiæ collocetur. Quod est, *Deum minorem* dici, ut Arianis exprobrat Augustinus tractatu XVIII *in Joannem*, « Sequere, inquit, et hoc fortius tene, quia Deus erat Verbum. Et hoc, inquit, teneo; sed ille Deus major, ille minor. Jam nescio quid paganum redolet; cum christiano me loqui arbitrabar. » Et Basilius Seleuciensis, orat. XXIV : « Magnus, inquit, Deus, et parvus apud illos invenitur[d]. »

Sed est absurdum, Dei nomen attribuere Filio, rem nominis, hoc est Dei conditionem, ac proprietatem adimere. « Nam si vere credunt, ait Cyrillus in libro *contra Anthropomorphitas*[1], Deum esse, et ex Deo Patre secundum naturam ortum esse Filium, cur non illi, quæ divinæ naturæ consentanea sunt, accommodant? Quod si nomen ipsi quidem affingunt Dei, divinitatis autem insignibus illum spoliant, nesciunt se ad creaturarum sortem earum conditorem demittere, et in eorum, quæ facta sunt, conditione collocari a se creatorem universorum ac Dominum[e]. »

Est autem inter divinitatis ornamenta, et insignia unum illud ac præcipuum, nihil ut Deo sit majus ac præstantius, quod *summum magnum* Tertullianus vocat[2] : « Quia Deus, inquit, non erit dicendus, quia nec credendus, nisi summum magnum. Cum ergo summum magnum cogatur agnoscere, quem Deum non negat, (dici hæc contra Arianos putemus), non potest admitti, ut summo magno aliquam adscribat diminutionem, qua subjiciatur alii summo magno. Desinit enim, si subjiciatur. »

VII. Enimvero nomen ipsum Dei sic Filio Scripturæ sacræ vindicant, ut eadem firmitate et adjunctorum prærogativa dignitateque de ipso, ac de Patre dicatur. In quo stulta est hæreticorum φιλονεικία, qui Filium Dei esse Deum fatentes, verumtamen ac bonum, omnipotentem, immortalem, et id genus alia vocari nolebant. Quæ idcirco singillatim in eum competere, antiqui Patres Scripturarum testimoniis probabant.

Pervicacia.

Primum enim verum esse Deum Joannes testatur in *Canonica* prima; cujus verba supra retulimus. *Hic est verus Deus ;* quo testimonio nituntur Athanasius, oratione I, IV et V, *adversus Arianos*, et in libro *De communi essentia*, Ambrosius, lib. I *de Fide*, cap. VII; Augustinus, primo *de Trinit.* cap. VII ; Cyrillus libro *Thesauri* XXXII, et dialogo sexto *de Trinit.*, et libro X *in Joannem*. Hilarii verba de hac re non sunt omittenda : « Quæro, inquit, quid significationis habeat Deus, et non Deus verus. Non enim verbi hujus apprehendo rationem, si dicatur mihi : Ignis est, sed non est verus ignis; aut aqua est, sed non est vera aqua; et quæro, in quo ejusdem generis veritas a generis ejusdem veritate dissentiat. Quod enim ignis est, non potest esse, ne verus sit; nec natura manens, eo potest carere, quod vera est. Perime aquæ, quod est, et per

a Greg. Nyss. III *contra Eunom.* Εἰ γὰρ τῆς ἐσχάτης ἐστὶν ἠλιθιότητος τὸν μὲν ἵππον, τὸν δὲ ἄνθρωπον λέγειν, εἴπερ ἄνθρωποι κατ' ἀλήθειαν εἶεν ἀμφότεροι· τῆς ἴσης πάντως παραπληξίας ἐστὶ, θεοῦ μὲν τοῦ πατρὸς, θεοῦ δὲ τοῦ υἱοῦ εἶναι πεπιστευμένου, τὸν μὲν κτιστὸν, τὸν δὲ ἄκτιστον λέγειν, ὡς ἐκεῖ τῆς ἀνθρωπότητος, οὕτως καὶ ἐνταῦθα τῆς θεότητος οὐκ ἐπιδεχομένης τὴν πρὸς τὸ ἑτερογενὲς παρατροπὴν τοῦ ὀνόματος. ὃ γάρ ἐστι τὸ ἄλογον πρὸς τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο καὶ ἡ κτίσις πρὸς τὴν θεότητα.

b Nazianz. Οἱ δὲ ὥσπερ δεδοικότες μὴ πάντα κινεῖν κατὰ τῆς ἀληθείας θεὸν μὲν εἶναι τὸν υἱὸν ὁμολογοῦσιν, ὅταν βιασθῶσι τῷ λόγῳ, καὶ ταῖς μαρτυρίαις, ὁμώνυμον δὲ, καὶ μόνης κοινωνοῦντα τῆς κλήσεως.

c Cyril. Dial. IV. Τῆς μὲν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς οὐσίας ὑποβιβάζουσι, καθάπερ ἐν μεταιχμίῳ τιθέντες φύσεως ἀγενήτου καὶ γενητῆς.

d Basil. Seleuc. Μέγας θεὸς, καὶ μικρὸς παρ' ἐκείνοις εὑρίσκεται.

e Cyril. Εἰ μὲν γὰρ ἀληθῶς πεπιστεύκασιν ὅτι καὶ θεὸς καὶ ἐκ θεοῦ πατρὸς κατὰ φύσιν πέφυκεν ὁ υἱὸς, τί μὴ νέμουσιν αὐτῷ τὰ τῇ θείᾳ φύσει πρέποντα ; εἰ δὲ ὄνομα μὲν αὐτῷ τὸ τοῦ θεοῦ περιπλάττουσι, τῶν ἀξιωμάτων δὲ ἀποστεροῦσι τῆς θεότητος, ἠγνοήκασι ὅτι καταφέρουσιν ἐν κτίσμασι τὸν ποιητὴν, καὶ ἐν τῇ μοίρᾳ τῶν γεγονότων τάττουσι τὸν τῶν ὅλων γενεσιουργὸν καὶ κύριον.

1 Cap. XIX. — 2 Lib. II *con. Marc.* cap. VI.

id poteris abolere, ne vera sit; cæterum, si aqua maneat, etiam in eo necesse est persistat, ut vera sit. Potest ita demum natura perire, si non sit; verum non potest non vera esse, si maneat. Aut Deus verus est Filius Dei, ut Deus sit; aut, si non est verus Deus, non potest id etiam esse, quod Deus est; quia, si natura non sit, non naturæ competit nomen; si autem naturæ in eo nomen est, non potest ab eo veritas abesse naturæ. »

Æqualitas, Filii cum Patre probatur: ex eo quod dicitur *Omnipotens.*

Omnipotens idem I capite *Apocal.* vers. 8, dicitur, ut notat Augustinus, lib. II *de Symb. ad Catech.*, et Ambrosius, lib. II *de Fide*, cap. tertio, et Athanasius oratione secunda: *Ego sum* A *et* Ω, *principium et finis, dicit Dominus Deus; qui est, et qui erat, et qui venturus est, Omnipotens.* Et in IV capite, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.* Quem locum Ruffinus [1] expendens, « Omnipotens ergo, ait, dicitur, qui venturus est; et quis est alius, qui venturus est, nisi Christus Filius Dei? » Immortalem porro esse demonstrat Augustinus, lib. I *de Trin.*, cap. VI ex eo, quod Joan. epist. primæ com. 20 scripserit: *Hic est verus Deus, et vita æterna.* Tum ei, quod ex I *Tim.* VI, 16, passim opponebant hæretici, *Qui solus habet immortalitatem*, ita respondet, non hoc « tantummodo de Patre dixisse apostolum Paulum, sed de uno, et solo Deo, quod est ipsa Trinitas. Neque enim ipsa vita æterna mortalis est secundum aliquam mutabilitatem. « Addit, etsi id de Patre dictum esset, nec sic « inde separatum Filium oportere intelligi; » quemadmodum, cum Filius sapientiæ voce loquens, ait *Ecclesiastici* XXIV, 8: *Gyrum cœli circumivi sola*, separavit a se Patrem. Vide eumdem Augustinum, libro II *contra Maximinum*, cap. IV. Magnus vero Deus nominatur Christus, *ad Tit.* II, 23, ut supra posui.

Item *Æternus.*

VIII. Æternum autem esse, hoc est ex omni retro æternitate fuisse declarat imprimis initium illud *Evangelii* Joannis, *In principio erat Verbum*, ut antea disseruimus. Deinde alter ille locus ex ejusdem apostoli *Canonica*, ubi *vita æterna dicitur.* Tum *Apocal.* I, 8. *Ego sum* A *et* Ω, *principium et finis*, etc., quem locum integrum supra descripsimus; quæ totidem verba de Patre paulo ante com. 4 pronuntiarat. His vero amborum æternitas ostenditur, ut ait Cyrillus [2] post Athanasium. Etenim *qui est, et qui erat, et qui venturus est*, perfectam et nullis circumscriptam terminis æternitatem significant; quod et in voce יהוה et in אהיה cernitur; qua posteriore seipsum Deus appellavit *Exodi* III, 14. Idipsum et Ambrosius in *Actis concilii Aquileiensis contra Palladium* colligit ex epist. *ad Rom.* c. I, 20, ubi *sempiterna Dei virtus et divinitas* nominatur. Atqui Christus *Dei virtus est, et Dei sapientia*, I *Cor.* I, 24. Sic etiam Athan. argumentatur, orat. II *con. Arian.*, ubi superioribus quoque illis testimoniis contra eos utitur. Sed minus est ex illo epistolæ *ad Romanos* loco firma collectio. Siquidem *sempiterna Dei virtus* nihilo magis ad propriam ac singularem unius personæ notionem restringenda videtur, quam ipsum *divinitatis* vocabulum, quod communem personis omnibus essentiam demonstrat. Itaque melius id e superioribus testimoniis efficitur; sed et alia: quæ deinceps proponenda sunt, argumenta eamdem æternitatem adstruent, quam Dei Filio impie ac stolide Ariani detrahebant, ut αἰώνιον, id est *æternum* eum appellari minime paterentur, qui Constantium imperatorem eadem hac appellatione donabant, ut merito iis exprobrat Athanasius lib. *de Synodis.*

Solvuntur. objecta Arianorum.

IX. Rursus in eo minorem esse Patre Filium, ac dissimilem putabant Ariani, quod Pater ἀόρατος, *minime aspectabilis* esset, Filius aspectabilis, ut testatur Ambr. lib. I. *de Spir. sancto*, cap. IV; Aug. tract. III *in Joan.*, et lib. VIII *de Gen. ad lit.*, cap. XXVII, ac Sœbadius lib. *cont. Arianos.* Existimabant autem, « substantiam Filii Dei, nullo assumpto corpore, per seipsam esse visibilem, et ideo, antequam ex Virgine corpus acciperet, ipsum visum esse Patribus opinantur, tanquam de solo Patre dictum sit: *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest;* quia Filius visus sit ante acceptam servi formam, etiam per substantiam suam, » ait Aug. VIII *de Gen. ad lit.* Atqui non magis aspectabilem esse Filium, quam Patrem, imo utrumque eodem modo aspici, evidens est ex Christi verbis *Joan.* XIV, 9. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem.* Non enim de corporis sui specie intelligendus est, cum ita loquitur, nec de oculorum sensibus, quibus illa species objicitur; sed de cordis oculis, et mentis aspectu. Quippe proxime ante dixerat: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* Hoc ipsum ergo, quod nondum illi cognorant, qui videt, Patrem quoque videre demonstrat, nempe divinam

1 Lib. *de Symb.* — 2 Lib. IV *Thes.*; Ath. Orat. II.

substantiam, de qua *Matth.* XI. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Perinde itaque Pater aspectabilis est, ac Filius, et ambobus ex æquo convenit, ut *invisibiles* dicantur. Nam quod Filium Dei antiquis visum esse patribus, Patrem autem visum non esse, quidam opinati sunt, ex quo Arianorum illa manavit ratio; cujusmodi sit illud, alio loco uberius exponetur. Interim ex Sœbadio id habendum est in promptu, quod *Exodi* XXXIII scriptum est Mosem a Deo, quem *facie ad faciem* viderat, postulasse nihilominus, uti sibi faciem suam ostenderet; hoc vero negasse illi Deum. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet.* Atqui angelum istum, qui vice Dei fungebatur, et cum Mose colloquebatur, Verbum Dei, ac Filium fuisse non solum Ariani persuasum habuerunt, sed id etiam antiqui fere omnes Patres arbitrati sunt. Ex quo consequens est nequaquam substantiam ipsam Filii a Mose vel prophetis reliquis esse conspectam; adeoque Filium dici non posse divinitate ac substantia visibilem potius, quam Patrem. Sed est quiddam in illa Arianorum opinione argumentationeque, quod plerosque latet : de quo alibi opportunius agetur.

X. Sequitur aliud, quod Deo patri veluti proprium attribui, negari autem Filio, et in eo minorem hunc esse sentiebant hæretici; quod nimirum appelletur ille ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς, vel ὁ Θεὸς τῶν ὅλων, hoc est *moderator ac præses omnium Deus, et universorum Deus.* Hanc vero summæ majestatis indicem appellationem ad solum plerumque Patrem significandum, ejusque personam ac proprietatem veteres accommodant *. Itaque sanctus Ignatius epist. IV et V, hæreticos illos notat, qui Filium aiebant esse τὸν ἐπὶ πάντων Θεόν, qualis Noetus fuit apud Epiphan. hær. LVII. Sed et Irenæus lib. III, cap. VIII; Origenes VI *cont. Cels.*; Basilius epist. XLIII aliique Patrem, ut a Filio distinguitur, ea appellatione designant. Basil. quoque II *cont. Eun.* non semel τῶν ὅλων Θεὸν vocat. Athan. porro insigniter id Patris proprium esse demonstrat his verbis : « Atque ita unus Deus in Ecclesia prædicatur, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus; super omnia quidem ut Pater, ut principium et fons; per omnia vero, per Verbum; in omnibus autem, in Spiritu sancto[a].» Verum Filio Dei eadem hæc nomenclatura conceditur IX *ad Rom.*, ut superius animadvertimus, et adversus Arianos objicit Athan. initio V orat. nec non Greg. Nyss. lib. X *cont. Eunomium,* et Cyrillus Alexandrinus. Quocirca nonnunquam ὁ ἐπὶ πάντων, vel ἐπὶ πᾶσι Θεὸς, proprie, et, ut ita dicam, *notionaliter* usurpatur de eo, qui naturæ totius, et essentiæ fons, et origo est, ac principium; interdum superiorem quamdam dignitatem, et imperium in subjectas res, inferioresque demonstrat, ac res creatas tantummodo respicit. Priore sensu Patris personam; posteriore divinitatem ipsam, adeoque Filium, et Spiritum sanctum non minus, quam Patrem significat.

XI. Plurimum[2] quoque ad perfectæ communionem divinitatis, et æqualitatem probandam, valet argumentum illud, quod ex baptismi forma ducitur; in qua Patri Filius et Spiritus sanctus adjungitur. Cujus argumenti vim expendemus postea, cum de Spiritu sancto dicetur, nec non illud a[3] Cyrillo propositum, quod Dei Filius in nobis velut in domo ac templo habitat. Ut in capite tertio epistolæ *ad Ephesios* scriptum est, *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Quod de solo Deo usurpari, non de creaturis convenit, ut illic docebitur. Quapropter ex illis omnibus Dei ac Patris æterni propriis dotibus, quas in Filio totidem inesse Scripturæ prædicant, ut sunt verus Deus, magnus, æternus, immortalis, omnipotens, et cætera, Filium esse patri ὁμοούσιον, et æqualem theologi conficiunt; eoque pertinere volunt, quod ex Joannis *Evangelio* supra retuli[4], *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt.* Cujus vim argumentationis, ac pondus præclare Cyrillus in nono *Thesauri* libro explicat. « Quæcumque, ait, ab naturali invicem communione et identitate aliena sunt, hæc omnino proprietatum differentia quædam ab naturali

a ATHAN. ad Serap. *de Sp. S.* Καὶ οὕτως εἷς Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ κηρύττεται. ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν· ἐπὶ πάντων μὲν ὡς πατὴρ, ὡς ἀρχὴ καὶ πηγή· διὰ πάντων δὲ διὰ τοῦ λόγου· ἐν πᾶσι δὲ, ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ.

* Intelligendus Ignatius interpolatus, nam in *genuino* hæc non comparent quæ sane Arianismum redolent. Sed Petavius non viderat editionem e Medicæo codice cum hæc scriberet. T. A L.

1 Cyril. *Thes.* lib. XVII. — 2 Vide Ruper. lib. IV *de Glorif. Trinit.* cap. XXII. — 3 Lib. XXXII *Thes.* — 4 *Joan.* XVI, 13.

inter se habitudine disjungit. Exempli gratia sint homo et equus. Homo, si cum equo conferatur, diversas habet proprietates; et vicissim equus, si cum homine comparetur, non eadem habet propria. Quocirca, si naturale quoddam discrimen separat Filium, et alienum a Patris substantia demonstrat, quinam ea, qu sunt Patris propria, gerere videtur? quinam porro Pater, si ab Filio natura est alienus, proprietates illius gerit[a]? » Igitur, « qui paternæ substantiæ propria habet omnia, necessario ejusdem est cum illo substantiæ. » Quod nisi ita res haberet, duo essent æquales, et potestate, ac dignitate pares invicem dii : « Deus vero, si perfectus est, ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia, » ait Lactantius[1]. Quamobrem et esse duo, Patrem et Filium, et in ambobus individuam divinitatis inesse monadem, ut scribit Athanasius[b], jure ex illis omnibus argumentando concluditur.

CAPUT X.

Eadem personarum varietas, et naturæ ac divinitatis æqualitas, ac τὸ ὁμοούσιον *ostenditur ex ipso usu nominum* Patris *et* Filii, *tum* unigeniti, *ac* gignendi, *qua passim in sacris Libris exprimuntur, et hæreticorum calumniæ refelluntur.*

I. Proxima Dei vocabulo, et ad id, quod volumus, probandum aptissima sunt *Filii* ac *Patris* nomina; tum *unigeniti*, et *generationis*, et si qua sunt ejusmodi; quibus non creatum factumve, sed eo productum modo, quo Filii propagantur a Patribus, Dei esse Filium Scriptura persuadet. Nam nec idem ac singularis sui esse parens, aut se ipse gignere, vel a se gigni dicitur; nec si natura diversum sit ac dissimile, quod producitur, Filii appellationem meretur. Quocirca duæ ex adverso tam invicem, quam catholicæ contrariæ professioni hæreses hinc potissimum evertuntur, Sabellii et Arii. Etenim duos imprimis oportet esse; quoniam, « si idem est Pater et Filius, frustra est nominum illa distinctio, » ait Cyrillus Alexandrinus[2]. «Nam, si omnino non genuit, quorsum vocatur pater? Quinam porro Filius est, si non est a patre genitus[c]? » Et Hilarius initio libri duodecimi, « Non per se est, inquit, qui per nativitatem est; neque non natus est, qui Filius est; neque qui Filius est, aliter potest, quam nascendo esse quod Filius est. » Arianam vero perfidiam non minus retundit utraque hæc appellatio, quatenus naturæ ac substantiæ communionem, et in ea æqualitatem sine ulla dissimilitudine commonstrat. Nam nomen ipsum Filii, ut recte scriptum est a Gregorio Nysseno[3], «non simpliciter esse ab aliquo significat; sed proprie naturalem propinquitatem notione sua exprimit[d]. » Et Athanasius libro *de Decretis Nicænæ synodi*, « Quod naturaliter, inquit, ab aliquo gignitur, nec asciscitur aliunde, id pro Filio agnoscit natura, eaque nomini huic potestas subjicitur[e]. »

II. Itaque Filii nomen ὁμοούσιον indicat esse Patri Verbum, hoc est natura eadem et divinitate præditum, adeoque sempiternum et æquale, non autem creatum, vel factum. Non enim alia est hominibus insita notio, ac Patris, et Filii subjecta vocibus; ut qui præjudicatam ex illa hæresi opinionem non afferat, ne aliter quidem, quam ut dixi, de vocabulis istis cogitare queat, ut præclare contra Arianos disputat Athanasius. « Quis enim, inquit, audiens, nominari Filium, non statim de eo cogitat, eum esse proprium quiddam paternæ substantiæ? Quis in prima Christianismi sui

Consubstantialem.

Filii nomen consubstantiale indicat.

a Cyril. lib. IX *Thes.* Ὅσα τῆς πρὸς ἄλληλα φυσικῆς κοινωνίας τε καὶ ταυτότητος ἀπεσχοίνισται, ταῦτα δὴ πάντως καὶ ξενισμός τις ἰδιοτήτων τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως φυσικῶς ἀποτέμνει. οἷον φέρε εἰπεῖν, ἄνθρωπος ἔστω καὶ ἵππος τὰ σημαινόμενα. ἀνθρώπῳ μὲν γὰρ ὡς πρὸς τὸν ἵππον ξένα τὰ ἴδια· ἵππῳ δὲ πάλιν ὡς πρὸς ἄνθρωπον οὐ ταῦτα τὰ ἰδίως προσόντα. εἰ τοίνυν φυσική τις διάστασις εἴργει τὸν υἱὸν, καὶ ἀλλότριον τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ὄντα δεικνύει, πῶς τὰ τοῦ πατρὸς ἴδια φαίνεται φορῶν; πῶς δὴ ὁ πατὴρ, εἴπερ ἐστὶν ἀλλότριος κατὰ φύσιν τοῦ υἱοῦ, τὰ αὐτοῦ ἴδια φορεῖ;

Mox : Ὁ δὲ τῆς πατρικῆς οὐσίας ἔχων τὰ ἴδια, εἴη πάντως ἂν καὶ ὁμοούσιος.

b Athan. Orat. v. Ὥστε δύο μὲν εἶναι, πατέρα, καὶ υἱὸν, μονάδα δὲ θεότητος ἀδιαίρετον.

c Cyril. Εἰ αὐτός ἐστιν ὁ υἱὸς, καὶ πατὴρ, ποῖον ἔχει λόγον ἡ τῶν ὀνομάτων διαστολή; εἰ μὴ γὰρ ὅλως ἐγέννησεν, ἵνα τί καλεῖται πατήρ; πῶς δὲ ὅλως υἱὸς, εἰ μὴ ἐγεννήθη παρὰ πατρός;

d Greg. Nyss. Ἡ τοῦ υἱοῦ προσηγορία οὐχ ἁπλῶς τὸ ἔκ τινὸς εἶναι σημαίνει· ἀλλ' ἰδίως τὴν κατὰ φύσιν οἰκείωσιν διὰ τοῦ σημαινομένου παρίστησιν.

e Athan. Τὸ γὰρ ἔκ τινὸς φύσει γεννώμενον, καὶ μὴ ἔξωθεν ἐπικτώμενον, υἱὸν οἶδεν ἡ φύσις, καὶ τοῦτο τοῦ ὀνόματός ἐστι τὸ σημαινόμενον.

1 Lib. I, cap. III. — 2 Cyril. lib. I *in Joan.* cap. II. Vide Euseb. lib. *de Eccles. theol. cont. Marcel.* cap. V. — 3 Lib. II *cont. Eun.*

institutione audiens, quemadmodum Deus habet Filium, ac proprio Verbo omnia fecit, non ita mente, ut nos modo sentimus, accepit? Quis, cum primum est exorta scelerata Arianorum hæresis, non statim ut quæ ab illis dicuntur, audiit, obstupefactus est, tanquam ipsis aliena loquentibus, ac præter satum ab initio verbum superferentibus? Etenim hoc in unaquaque anima satum est ab initio, et sempiternum, Deum Filium habere Verbum, sapientiam, virtutem ; et hæc illius imaginem et splendorem esse. Oritur vero statim ex iis dictis æternum quiddam, et existens a Patre, simileque substantiæ generantis; ac nulla in istis inest opificii vel creaturæ notio[a]. »

Sane Pater ille communi hominum sensu nominatur, qui ex sua substantia Filium gignit : Filius, qui ex Patris substantia, eique consubstantialis nascitur, « Nomen Filii, ait Cyrillus[1], substantialiter a Patre genitum esse significat[b]. » Quod et passim contra hæreticos inculcat. Itaque divinitas in Filio insit oportet, ac Deus sit ex Deo. Si enim « divinitas in Filio, non eadem ipsa illa, quæ Dei est, ait Hilarius in libro *contra Auxent.*[2], ut in confessione fidei Deus unus sit, cur Deum Filium, cur ante tempora et sæcula confitentur? » etc. Et Ambrosius[3], « Cujus erit pater secundum hos impios si ab eo Filii natura separetur? et rursus Filius cujus erit Filius, si non origo sua referatur ad Patrem, ut sit ille, qui genuit, et ille, qui ex eo generatus est? » Tum alibi[4] : « Pater et Filius, generantis et nati nomina sunt, quæ non videntur separare, sed jungere. Non enim pietas naturæ detrimentum est. »

III. Egregie[5] auctor libri *de Trinitate*, qui Novatiano tribuitur : « Ut enim præscripsit ipsa natura hominem credendum esse, qui ex homine sit, ita eadem natura præscribit et Deum credendum esse, qui ex Deo sit ; ne si non et Deus fuerit, cum ex Deo sit, jam nec homo sit, licet ex homine fuerit, et in alterutro utrumque periclitetur, dum alterutrum altero fidem perdidisse convincitur. » Quam utramque naturam et proprietatem ex distinctis ambarum functionibus deinceps adstruit, ut et Cyrillus in *Thesauri* lib. XXIII: « Quid potuit ex Deo nasci, nisi verus Deus? » ait Paulinus Aquileiensis[6] : « Satis equidem manifestum est, inquit Bernardus[7], ex hoc ipso, satis evidens, et indubitabile, quoniam Dei Filium necesse est Deum esse. Nam et Filios hominum homines, et ipsorum quoque animalium fetus ex eodem cum eis genere esse nemo est qui dubitet. » Quo argumento multum Patres utuntur , ut Cyrillus libro secundo *in Joannem*, capite octavo. « Deus, inquit, ex Deo gignetur, quemadmodum homo ex homine ; nec aberrabit Dei, ac Patris antecellens omnibus natura, ut congruentem sibi non pariat fructum[c]. » Et in *Thesauris*[8] : « Quomodo inexplicabilis natura divinitatis abhorrens aliquid et alienum a se generabit, cum ne creata quidem substantia ejusmodi quippiam ferre sustineat? Homo enim ex homine, et bos ex bove nascitur. Quare necesse est Deum ex Deo natum esse fateri Filium, ne creaturis suis deterior esse videatur Pater[d]. » Hinc quod iidem illi veteres Arianis opponunt, maxime vero Epiphanius in *Ancorato* qui minorem[9], inferioremque substantia, vel dote aliqua Filium asserunt, tantumdem Patri detrahunt : « Quoniam, quæ filiis imponitur ignominia, ea in patres redundat[e]. » Neque vero filios parentibus inferiores esse, aut deteriore aliqua substantia præditos dici patimur. Ideo, « qui verum et

a ATHAN. lib. III *contra Arian.* Τίς γὰρ ἀκούων υἱὸν, οὐκ ἐνθυμεῖται τὸ ἴδιον τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας; τίς ἀκούσας ὅτε κατηχεῖτο κατὰ τὴν ἀρχὴν ὅτι θεὸς υἱὸν ἔχει, καὶ τῷ ἰδίῳ λόγῳ τὰ πάντα πεποίηκεν, οὐχ οὕτως ἐδέξατο κατὰ τὴν διάνοιαν ὡς νῦν ἡμεῖς φρονοῦμεν; τίς ὅτε γέγονεν ἡ μιαρὰ τῶν Ἀρειανῶν αἵρεσις, οὐκ εὐθὺς ἀκούσας ἃ λέγουσιν ἐξενίσθη, ὡς ἀλλότρια λεγόντων αὐτῶν, καὶ παρ' αὐτὸν ἐξ ἀρχῆς σπαρέντα λόγον ἐπισπειρόντων; τὸ μὲν γὰρ σπειρόμενόν ἐστιν ἐξ ἀρχῆς ἑκάστῃ ψυχῇ, καὶ ἀΐδιον, ὅτι ὁ θεὸς υἱὸν τὸν λόγον, τὴν σοφίαν, τὴν δύναμιν ἔχει· καὶ ταῦτά ἐστιν αὐτοῦ εἰκὼν καὶ ἀπαύγασμα· φύεται δὲ εὐθὺς ἐκ τῶν ῥηθέντων τὸ ἀεὶ, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς, τὸ ὅμοιον τῆς οὐσίας τοῦ γεννήσαντος, καὶ οὐδεμία περὶ ποιήματος ἢ κτίσματος ἔννοια.

b CYRIL. Dial. V. Τὸ δὲ υἱὸς ὄνομα τὸ οὐσιωδῶς ἐκ πατρὸς γεγεννῆσθαι δηλοῖ.

c CYRIL. Θεὸς γὰρ ἐκ Θεοῦ τεχθήσεται, καθάπερ οὖν ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου τυχὸν, καὶ οὐ διαχεύσεται τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡ τὰ πάντα ὑπερκειμένη φύσις, τὸν αὐτῇ μὴ πρέποντα τεκοῦσα καρπόν.

d Id. *in Thes.* Πῶς δὲ ὅλως ἡ τῆς θεότητος ἄῤῥητος φύσις ἔκφυλόν τι, καὶ ἀλλογενὲς ὡς πρὸς ἑαυτὴν ἀποτέξεται, οὐδὲ τῆς γενητῆς οὐσίας ἀνεχομένης τοῦτο παθεῖν; ἄνθρωπος γὰρ ἐξ ἀνθρώπου, καὶ βοῦς ἐκ βοός. οὐκοῦν ἀνάγκη θεὸν ἐκ θεοῦ πεφυκέναι τὸν υἱὸν ὁμολογεῖν, ἵνα μὴ φαίνηται τῶν ἑαυτοῦ κτισμάτων ἐλάττων ὁ πατήρ.

e EPIPH. *Ancor.* Ἡ γὰρ εἰς τοὺς υἱοὺς ἀτιμία εἰς τοὺς πατέρας ἀναλογεῖται.

1 Cyril. Dial. XI, dial. II, dial. III, lib. X *in Joan.* Lib. X *Thes.* — 2 Lib. *in Symb. Apost.* c. II. — 3 Lib. *de Fide*, c. IV. — 4 Cap. II. — 5 P. 229. — 6 Lib. I *contra Felicem.* — 7 Serm. III *in Epiph. Dom.* — 8 Lib. XXXII *Thes.* — 9 Num. 2.

germanum Patris Filium a Patre gloria deficere putat, Patrem ipsum mag s dehonestat, nedum afficit honore[a].»

Eleganter hunc locum contra hæreticos istos urget Augustinus[1] libro *contra Sermonem Arianorum*: « Si quis, inquit, istorum Filium suum, non cujus ipse esset, sed diversæ, diceret, esse naturæ, exhæredari se ab eo mallet Filius, quam hoc putari. Quanta itaque impietate isti cæcantur, qui, cum confiteantur unigenitum Dei Filium, nolunt ejusdem naturæ, cujus Pater est, confiteri, sed diversæ, atque imparis; et multis modis rebusque dissimilis, tanquam non de Deo natus, sed ab illo de nihilo sit creatus. » Vide ejusdem Augustini caput sextum libri secundi *contra Maximinum*; ubi talem ex brutis animantibus sui similia gignentibus depromptam rationem vindicat ab stulta Maximini reprehensione.

IV. In quo non impietatem solum Ariani suam, sed stuporem etiam, ac rerum inscitiam prodebant; qui, quem Dei Filium tot Scripturarum testimoniis convicti cogebantur agnoscere, verum insuper Filium appellare non dubitabant, cum idem fateri de Deo cunctarentur. Etenim in Aquileiensi concilio[2], cui ex Gratiani imperatoris rescripto præfuit Ambrosius, Siagrio et Eucherio coss., qui est annus Christi CCCLXXXI, Palladius, et Secundinus Ariani episcopi Christum verum Dei Filium unigenitum ultro confitentur; verum autem Deum constanter negant. Quinetiam Maximinus apud Augustinum[3], verum itidem Filium asserebat. Atqui non magis subdola, quam imperita erat ista professio, secumque ipsa confligebat; cum, quod voce tenus sempiterno Dei verbo tribuebant, reipsa detraherent. « Nec attenditis, inquit Augustinus, quid mali dicatis, ut, cum homines, et canes, et cætera hujusmodi habeant filios veros, quos, illis gignentibus, creat veritas, non sit verus Dei Filius ipsa veritas. Aut si, sancta Scriptura cogente, permittitis, ut verus Filius sit, rogamus, permittite, ut degener non sit.

Hunc fucum Arianæ pravitatis passim antiqui Patres detegunt, et elidunt; quos amplis et magnificis titulis verbo tenus ornare Dei Filium asserunt, quem reipsa, et consequente sententia in ordinem redigunt, et a supremo gradu divinitatis ac necessitudinis cum Patre, dejiciunt ad tropicos et laxos communium usus appellationum, propriis ac naturalibus relictis. «Talem, inquit[c] Cyrillus, conformant isti Filium, honore quidem, et illustri condecoratum gloria, et ut Deum decet, sed minime verum; at nominibus adulterinis et congruentibus Deo voculis ad Dei speciem effictum[b].» Et Chrysostomus homilia XXXIII, *in Acta*, de Arianis loquens[c], « Filium, inquit, nos dicimus, et vere, quod dicimus, defendimus; illi vero sic dicunt, ut non reipsa confiteantur[c]. »

V. Gregorius item Nazianzenus oratione quinta et tricesima, eo redigi hæreticorum istorum professionem demonstrat, uti Christum nonnisi ὁμωνύμως Deum appellari sentiant; perinde ut canis piscis, aut cœlestis eo vocabulo censentur, quod terrestri animali proprie convenit. Quod idem in Filii nomine illis accidit. Tametsi enim dicto tenus, non modo Filium Dei, sed verum etiam Filium vocarent Christum; reipsa tamen, et ex cætero dogmate convincebantur, Filii vocem non propria, et naturali, ac stricta notione, sed laxiori sumere, quatenus ad ea, quæ facta sunt, vel creata transfertur. Ut cum Israelitæ Filii Dei nominantur, *Exodi* IX, 22, *Filius meus primogenitus Israel;* et *Psalm.* LXXXI, 6, *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes*; Isaiæ I, 2, *Filios enutrivi, et exaltavi.* Aut quemadmodum sancti, ac justi homines, vel beati in cœlo angeli hominesve eodem afficiuntur nomine. In[1] prima Joannis Canonica[4], *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus;* et, *Charissimi, nunc filii Dei sumus;* Tum in capite primo *Evangelii* sui *potestatem* hominibus a Christo *datam* ait, *filios Dei fieri;* Jobi vero primo[5] Angeli *filii Dei* vocantur. Et *Luc.* XX, 36, beati *æquales angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* Ex quibus intelligitur, eamdem *Filii*

Æquivoce.

Quo sensu Christus ab Arianis Dei Filius nuncupatus.

a Ibid. Ὁ τοίνυν τὸν ἀληθῶς ὄντα τοῦ πατρὸς υἱὸν ἀποδέοντα τῆς τοῦ πατρὸς δόξης ὑπολαμβάνων, μᾶλλον ἀτιμάζει ἀντὶ τιμῆς, ἀγνοίᾳ φερόμενος.

b CYRIL. Dial. II. Τοιοῦτον δὲ κἀκεῖνοι διαπλάττουσι τὸν υἱὸν, τιμῇ μὲν καὶ δόξῃ λαμπρᾷ κατηγλαϊσμένον, καὶ θεοπρεπῶς, πλὴν οὐκ ἀληθῆ, νόθοις δὲ ὥσπερ ὄνομασι, καὶ θεοπρεπέσι φωναῖς εἰδοποιηθέντα θεόν.

c CHRYS. Hom. XXXIII. *in Acta.* Υἱὸν λέγομεν ἡμεῖς, καὶ ἐπαληθεύομεν ὃ λέγομεν· ἐκεῖνοι δὲ λέγουσι μὲν, οὐχ ὁμολογοῦσι δέ.

1 Cap. XXXVI. — 2 Tom. V *Operum Ambr.* — 3 Vide Aug. lib. II *con. Max.* cap. VI, et lib. III, cap. XV. — 4 I *Joan.* III, 1. — 5 *Job.* I, 6.

Dei appellationem, quando creaturis communicatur, diversos habere gradus, neque omnibus æquali jure tribui, quorum infimum est illud, quod ex creatione ducitur, et ad bonos malosque pertinet; medium est, quod justis solis congruit; supremum vero, quod in solos æternæ compotes felicitatis competit. Qui, etsi præstantiori conditione, quam reliqui omnes, appellentur Filii; non tamen extra creaturarum ordinem efferunt sese, neque vere ac proprie, naturave Filii esse Dei judicantur. Sic igitur Verbum Dei, quantumvis eximia, et excellentiore, quam quisquam alius, sorte, Dei Filius ab Arianis vocetur, quandiu ejusdem cum Patre substantiæ, hoc est verus ac naturalis Deus non erit, neque verus Dei Filius habebitur; uti postea pluribus exponam. Nunc enim declarandum illud est, Christum Dominum sic in sacris Litteris nominari prædicarique Dei Filium, ut hunc titulum peculiari, ac propria notione, non infinita illa communique cum angelis et hominibus, imo cum creatis quibuslibet rebus obtinere debeat. Quod ex eo primum certissime constare dixi, quod solus ex omnibus *verus Dei Filius* dicitur. Joan. enim apostolus in prima *Canonica*, capite v, 20: *Scimus*, inquit, *quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.* Ita Vulgata nostra et vetus editio, cui suffragatur [1] Basilius libro IV *contra Eunom* [a], necnon Cyrillus dialogo tertio *de Trinit.* Hilarius libro sexto, Faustinus, Augustinus aliquot in locis[1]. In Græcis tamen hodiernis paulo aliter conceptus est locus, *Et sumus in vero illo, in Filio ejus.* Quæ lectio eodem cum priore recidit. Nam illa verba, *in Filio ejus*, ad *verum* referuntur, idque declarant. Adde sine ulla controversia *verum* istic appellari Deum; ex quo necessario sequitur, non eodem sensu Filium vocari, quo homines filii Dei nominantur; quemadmodum iidem dii nuncupantur interdum, sed non veri, ac proprii. Porro, ut recte Faustinus [2] ait, « Tunc et verus Deus est. si sit et verus Filius. »

Enucleatur vox *proprii* ab Apostolo usurpata.

VI. Non minor vis est in voce *proprii*, quam Apostolus usurpat in epistola *ad Romanos* [3]; *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Nam proprius Dei Filius dici non potest, uti nec hominis, qui non ex illius sit substantia, ejusdemque naturæ. « Ut enim proprium est hominis, et cujuslibet aliorum animalium, ait Cyrillus, quod ex ipso, et secundum naturam genitum est; sic propriam Dei, quod ex ipsius substantia est, intelligi appellarique debet [b]. »

Hilarius in sexto libro *de Trinitate*, Apostolici illius vim dicti ac vocabuli declarat : « Numquidnam etiam nunc, inquit, adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen ? Apostolus enim volens charitatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio Filio suo docuit. Nec utique pro adoptantis adoptato, neque pro creatis creaturæ, sed pro alienis suo, pro connuncupandis proprio. Quære virtutem dicti, ut magnitudinem charitatis intelligas. Quid sit proprium, expende, ne ignores veritatem. » Et paulo post : « Naturæ veritatem significanter expressit, ut, qui superius filios plures per spiritum adoptionis demonstrasset, nunc unigenitum Deum filium proprietatis ostenderet. » Vide et Ambrosium lib. I *de Fide*, capite vii, qui in libro *de Divinitate Filii*, capite secundo, brevi et contorta sententia Arianam perfidiam elidit : « Si natus est, unius substantia est. Si factus est, verus Filius non est. Si verus Filius non est, nec verus Deus est. »

Hilarii argumentatio.

VII. Subjicit eodem in sexto libro sanctus Hilarius bene longam de ea re disputationem, in qua verum esse Dei Filium approbat. Velut ex Patris testimonio, quod iterato de cœlo personuit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* [4]. Quod de nullo alio dictum legitur. « Anne tibi in eo, quod dicitur, hic est, ait Hilarius, non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios; sed hic Filius meus est? Donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi Filius est. » Faustinus vero in Christi transfiguratione prudenter illud observat, inter adoptivos filios

a Basil. ita legit : Ἵνα γινώσκωμεν τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. In vulgatis Græcis, καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ.

b Cyrillus ad monachos *in Actis Ephes. Syn.* Ὥσπερ γὰρ ἴδιον ἀνθρώπου, καὶ ἑκάστου τῶν ἑτέρων ζώων τὸ ἐξ αὐτοῦ καὶ κατὰ φύσιν γεγεννημένον, οὕτως ἴδιον θεοῦ τὸ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ νοοῖτο ἂν εἶναι, καὶ λέγοιτο.

1 Lib. 1 *cont. Max.* et lib. II, cap. v, et vi, lib. III, cap. xiv. — 2 Tom. IV *Bibl. PP.* — 3 Cap. viii, 32 — 4 *Matth.* iii, 17. *Marci* i, 2; *Luc.* iii, 22, et *Matt.* xvii, 5, etc.

duos, Mosem, et Eliam, constitisse Christum, et tamen de solo ipso dixisse Patrem: *Hic est Filius meus dilectus;* nimirum « ut proprietas veræ nativitatis in Christo solo Filio crederetur? » Cyrillus autem in oratione prima *de Transfiguratione*, tum, cum illa vox est audita, Mosem et Eliam abfuisse, ac solum remansisse Christum, notat, ne de alio dici putaretur, *Hic est Filius meus dilectus.* Tum ex iis, quæ de se Christus affirmat *Matth.* XI, 27: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare;* in quibus amborum exæquata potestas est, et secretum cognitionis æquale, idipsum probat Hilarius. Ad hæc *Joan.* VIII, 19 : *Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.* Et com. 27, Joannes ita loquitur: *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.* Si creata esset persona illa, quæ loquitur, non utique ignorari posset. « Ignorari enim, unde sit, non potest, quidquid subsistit ex nihilo. » Quod si communi illa creationis vel sanctitatis notione Filium se esse significare vellet, nihil magnum de se prædicaret; neque vel Judæi nescire istud poterant, vel, ut scirent, adeo commoverentur, ut hoc præcipue crimine illum extremo supplicio damnarent, ac coram præside id potissimum allegarent[1], *Quia Filium Dei se fecit.* Latebat igitur eximium ac singulare aliquid in illa professione Filii, quod humanam ac creatam conditionem excederet. Ejusmodi est illa Christi vox *Joan.* IX, 36: *Tu credis in Filium Dei;* et Marthæ *Joan.* XI, 17: *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Et I *Joan.* IV, 15: *Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.* Tum illa Petri, *Matth.* XVI, 16: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* ad quæ mox Christus: *Beatus es Simon Bariona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Quem locum Faustinus illustrat his verbis: « Magnum revera confessæ fidei sacramentum est in Petri conscientia, ut cum labiis dicit: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* in corde tamen habeat, quod non sit verus Filius Dei vivi. Ego homo sum; verba audio, verba intelligo, interpretationem tacitam cordis audire non possum. Christum Filium dixit Dei vivi; nisi et adoptivum adjecerit, ego aliud nihil intelligo, quam quod et audio. » Ac subinde, « Videamus, si digne Petrus beatitudinis præconium consequitur, credens in corde, quod non sit verus Dei Filius, sed adoptivus. Si digna hæc Patris revelatio est, et non potius carnis et sanguinis, plurimi certe adoptione sunt Filii Dei, etc. Cum ergo nec blasphemis, nec turpibus adoptionis gratia denegetur, si corrigant se; hoc pro magno sacramento Pater Petro revelavit, quod scilicet Filius quidem Dei vivi est, sed adoptione potius, et non nativitate, et tantum nomine, non etiam et nominis veritate. »

VIII. Sed est insignis ante alios Joannis hic locus, qui in fine capitis XIX cum dixisset, multa alia Christum fecisse miracula, *quæ non sunt scripta in libro hoc*, adjecit: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Quod pulchre declarat Hilarius libro VI : « Scribendi igitur Evangelii non aliam prætulit causam, quam ut omnes crederent, Jesum esse Christum Filium Dei. Si sufficit ad salutem Christum credere, cur adjecit Filium Dei? Si vero Christum credere ea demum fides est, non Christum tantummodo, sed Christum Filium Dei credidisse; non est nomen Filii in Christo unigenito Deo ex adoptionis consuetudine, quod proprium est ad salutem. Si ergo salus in confessione nominis est, quæro, cur in nomine veritas non sit; quod si in nomine veritas est, qua auctoritate creatio esse dicitur, cum non creationis confessio salutem sit præstitura, sed Filii? » Faustinus vero; « Si vere adoptione esset Filius Dei, et non natura; si sola nuncupatione, et non etiam, quod in nuncupationis intelligentia est, nusquam magis hoc ipsum explanasset, quam in ultimo scriptionis, ne fides in ambiguo derelicta vitam æternam perderet per credulitatis incertum. » Simile est, quod Joannis I *Can.* IV, 5 legitur: *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei?*

Insignis locus Joannis.

Idem efficit et locus alter eodem ex *Evangelio*, capite VIII, 36, in quo Christus seipsum, nullo adjecto alio, Filium vocat: «*Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*, ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ. Ibi ὁ υἱὸς cum articulo unicum et singularem ostendit aliquem, quemadmodum Augustinus docet *Enarrat. in Psal.* IX : « Nam et ipse Dominus, cum sine additamento ponit Filium, seipsum unigenitum vult intelligi, ubi ait, *si Filius* Dei *vos libera-*

1 *Joan.* XIX, 7.

verit, tunc *vere liberi eritis*. Non enim dixit, *Filius Dei;* sed tantum dicendo *Filius*, dat intelligi, cujus sit Filius. Quam locutionem non recipit nisi excellentia ejus, de quo ita loquimur, ut, etiamsi eum non nominemus, possit intelligi. Ita enim dicimus: Pluit, serenat, tonat, et si qua sunt alia, neque addimus, quis id faciat, quia omnibus mentibus sese offert excellentia facientis, nec verba desiderantur. » Sic Joannes ipse Baptista de Christo loquens, *Pater*, inquit, *diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam* [1].

Generandi proprietas in Patre, consubstantialem denotat Filium.

Consubstantialem.

IX. Sic *generandi* proprietas, quæ cum vero Dei Filio conjuncta est, et ad ejus productionem significandam etiam ab Arianis adhiberi solebat; eumdem ὁμοούσιον esse, ac divinitatis proprias omnes in illo notas esse demonstrat. Etenim ex priore libro satis intellectum est, totam illam Arianorum colluviem in eo convenisse, uti Christum et esse Filium Dei, et a Patre ante sæcula genitum assererent. Est autem generationis ista conditio, ut, quod ea producitur, non diversam a producente naturam habeat, sed eamdem, ob quam ei simile sit, et æquale; nihil ut in generantis essentia sit, quod non transfundatur in genitum. « Fieri quippe non potest, ait Epiphanius [2], ut qui gignit, dissimilem inæqualemque gignat sibi [a]. « Nam neque γέννημα quercus vinum dicitur, quod scribit Gregorius Nyssenus; et genimina viperarum, ut alicubi dicit Evangelium, serpentes sunt, non oves. Quare Filii, et γεννήματος appellatio cum eo, quod diversi generis est, affinitatem non habet [b].

Genimen.

Geniminis.

Itaque Cyrillus Arianos Filium a Patre esse genitum putantes, in decimo libro *Thesaurorum* suapte confessione arguit. « Nam qui tandem genitori consubstantialis non erit, si revera genimen est, ac velut naturalis quidam fructus genitoris [c]? » Et ut [2] in tertio dialogo *de Trinitate* scribit, « ex ipsa gignentis substantia oritur id, quod vere gignitur [d]. » Nisi autem vere genuerit, nemo proprie dicendus est Pater, ut idem in epistola docet *ad Monachos*, quæ est *in Actis Ephesinis*. Et Basilius Eunomianos irridet, qui « omnem vim Evangeliorum delentes, et Patrem eum, qui non genuerit, et eum, qui non sit genitus, Filium prædicent [e]. » Porro si genitus est Filius, non potest non eadem constare natura. Etenim « intelligentiæ istud humanæ sensus excludit, ait [3] Hilarius, ut aliquid a natura originis suæ nascendo diversum sit.

Dei vere proprieque nominari Christum *unigeniti* vox demonstrat Filium.

X. Præterea Filium Dei vere proprieque nominari neque creaturam esse persuadet *unigeniti* vox, quæ ad *Filii* nomen non semel adjungitur. *Joannis* tertio, versu 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* » Et versu 18 : *Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Capite quoque primo *Evangelii*, versu 18 : *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipsi enarravit;* et epistolæ primæ capite quarto : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Quo in nomine duo illa, quæ ad rem maxime faciunt, Dei Filii propria monstrantur, ut et genitus a Patre sit, non creatus ac factus; et unicus idem ac singularis censeatur, non adoptivus, aut communi cum aliis Filii voce et appellatione contentus. Quapropter recte Augustinus, etiam verum esse Filium ex eo colligit, quod sit unigenitus. « Etenim, si natus est, ait in primo *contra Maximinnm*, Filius est; si Filius est, verus filius est, quia unigenitus est. Nam et nos dicti sumus filii. Sed numquid unigeniti sumus tot filii? » Quippe, ut Alexander episcopus Alexandrinus [4] in Epistola encyclica scribit, « qui tantem unigenitus est, qui cum omnibus secundum illos numeratur [f]? »

Basilius item in oratione *de Fide*, « Ut ergo Filius est naturaliter, quæ Patris sunt pos-

a Epiph. *Hær.* LXXVI. Ἀδύνατον τὸν γεννῶντα ἀνόμοιον, καὶ ἄνισον γεννᾷν ἑαυτοῦ.

b Nyssen. lib. II *contra Eunom.* Καὶ γέννημα δρυὸς οἶνος οὐ λέγεται· καὶ γεννήματα τῶν ἐχιδνῶν, καθώς φησί που τὸ Εὐαγγέλιον, ὄφεις εἰσὶ, καὶ οὐ πρόβατα. δῆλον ὅτι καὶ ἐπὶ τοῦ μονογενοῦς ἤτε τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ γεννήματος προσηγορία οὐκ ἂν πρὸς τὸ ἑτερογενὲς ἔχοι τὴν οἰκειότητα.

c Cyril. Καὶ πῶς οὐκ ἔσται τῷ τεκόντι πάντως ὁμοούσιος, εἴ γε ὄντως ἐστὶ γέννημα καρπὸς ὥσπερ τις φυσικὸς τοῦ γεννήσαντος ὑπάρχων;

d Idem. Dial. III. Ἐξ αὐτῆς γὰρ ἔσται τῆς οὐσίας τοῦ τεκόντος τὸ ἀληθῶς γεννώμενον.

e Basil. II *contra Eunom.* Πᾶσαν ὁμοῦ τῶν εὐαγγελίων παραγράφει τὴν δύναμιν, πατέρα μὴ γεννήσαντα, καὶ υἱὸν μὴ γεννηθέντα κηρύσσων.

f Alexand. Ἢ πῶς μονογενὴς ὁ τοῖς πᾶσι κατ' ἐκείνους συναριθμούμενος;

1 *Joan.* III, 35. — 2 Vide et lib. X *in Joan.* — 3 Lib. VII. — 4 Lib. II *contr. Maxim.* nu. 6.

sidet; ut autem unigenitus, omnia in seipso comprehendit, nihil cum altero dividens[a]. » Hujus vim vocabuli Cyrillus Alexandrinus, libro primo *in Joannem* expendit, ex eoque Filium Dei; qui *et unigenitus, et in sinu Patris* esse dicitur, ab communi secretum conditione esse probat, creatarum rerum omnium, et « eorum maxime, qui adoptivi sunt dii ac filii. Non enim inter multos fratres recensitus intelligitur, qui sit unigenitus, sed tanquam solus ex Patre[b]. » Faustinus item, « Hoc nomen non habet socios; et licet dicantur alii Filii, adoptione tamen, non natura sunt Filii. » Et Gregorius Nyssenus[1]; « Igitur, si unigeniti, ait, notio aliquid ostendit, quod cum cæteris, quæ fiunt, misceri communicarique renuit, nihil eorum, quæ in inferiori generatione cernuntur, in Filii ex patre productione patiemur intelligi. Atqui proprium illud est omnium, quæ generatione subsistunt, ut ne sint, antequam gignantur. Quare alienum id erit ab Unigeniti proprietate, in quo nihil ex communis formæ generationis modo subesse vagum et errabundum, Unigeniti testatur appellatio[c]. « Si enim Deus omnium Pater est secundum creaturam, quomodo hujus Unigeniti Pater, si non alio modo, et ex substantia, non ex nihilo? » ait Marius Victorinus[2]. Quinetiam Chrysostomus libro quarto *de Incomprehensibili contra Anomœos*, egregie hunc locum urget, asserens, *unigeniti* vocabulum, quod Joannes *Filii* nomini præposuit, dicens. « Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, eo valere, ut communem *Filii* appellationem, et ad creatas quoque res transeuntem coerceat ac restringat. « Nam vox ista *Filius* inest et hominibus, inest et Christo; sed nobis abusione quadam, Christo vero proprie. At vox *unigeniti* ipsius est solum, neque aliorum ulli, ne abusione quidem, convenit. Ut igitur ex appellatione illa, quæ nulli inest, alteram, quæ inest in multis esse propriam existimes, ideo prius dixit *unigenitus*, deinde *Filius*[d]. » Addit et eodem spectare, quod addidit Joannes, *qui est in sinu Patris*, ut peculiare aliquid ex eo cognoscas habere Dei Filium, ac creatarum dissimile. « Naturæ fides, inquit Hilarius[4], « non satis explicata videbatur ex nomine Filii, nisi proprietatis extrinsecus virtus per exceptionis significantiam adderetur. Præter enim Filium, et Unigenitum nihil cognominans, suspicionem penitus adoptionis exemit, cum veritatem nominis unigeniti natura præstarit. »

Arianorum exploduntur calumniæ.

XI. Hujusmodi vocabuli notionem hæresi suæ cumprimis adversantem Ariani sentientes, rectam et simplicem illius notionem distorquere conati sunt, ut ex Basilio[5] et Cyrillo[6] constat. Eunomius enim μονογενῆ vocari Filium aiebat, non quod unus ac solus a Patre sit genitus, sed quod μόνος παρὰ μόνου, *solus a solo* procreatus sit, cum sint reliqua per ipsum, velut instrumentum, a summo Deo fabricata. Item quod excellenti quadam ratione productus a Deo sit, quacum cæterarum rerum creatio nulla ex parte comparatur, ut propterea generatio dici meruerit; et Filius is, qui eo genere productionis exstitit.

Unigenitum

Sed absurdam hanc et ineptam calumniam variis modis refellunt veteres. Primum quod, si gignere idem sit, quod creare, μονόκτιστον illum dici oportuerit, id est *unicreatum*, ait Basilius. Deinde stultum est communes et usu tritas nominum significationes in hunc modum extorquere. Ac nullus deinceps inter homines *unigenitus* appellari poterit, neque Sara mater *unigeniti* filii Isaaci vocabitur, quia nec iste, nec ullus alius ab uno solo, sed omnes ab utroque parente gignuntur. Tum, ut Cyrillus addit, filii, qui μονογενεῖς dicuntur,

a BASIL. Ὡς μὲν οὖν υἱὸς, φυσικῶς κέκτηται τὰ τοῦ πατρὸς· ὡς δὲ μονογενὴς, ὅλα ἔχει ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν, οὐδενὸς καταμεριζομένου πρὸς ἕτερον.

b CYR. I *in Joan.* Εἰ γὰρ ὄντως Θεός ἐστι μονογενὴς, πῶς οὐκ ἔστι κατὰ φύσιν ἕτερος, ὡς πρὸς ἐκείνους, οἵ περ εἰσὶ κατὰ θέσιν Θεοὶ καὶ υἱοί; νοηθήσεται γὰρ οὐκ ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς ὁ μονογενὴς, ἀλλ' ὡς μόνος ὢν ἐκ πατρός.

c GREG. NYSS. Οὐκοῦν εἰ τὸ ἄμικτόν τε καὶ ἀκοινώνητον πρὸς τὰ λοιπὰ τῶν γινομένων ἐνδείκνυται τὸ τοῦ μονογενοῦς σημαινόμενον οὐδὲν τῶν περὶ τὴν κάτω γέννησιν δρωμένων, καὶ ἐπὶ τῆς ἐκ τοῦ πατρὸς ὑποστάσεως τοῦ υἱοῦ νοεῖσθαι καταδεξόμεθα, ἀλλὰ μὴν ἴδιον πάντων τῶν διὰ γεννήσεως ὑπεστηκότων τὸ μὴ εἶναι πρὸ τῆς γεννήσεως. ἀλλότριον ἄρα τοῦτο τῆς τοῦ μονογενοῦς ἰδιότητος, ᾧ μηδὲν τοῦ τρόπου τῆς κοινῆς γεννήσεως εἴδους τὸ πεπλανημένον προσεῖναι ἡ τοῦ μονογενοῦς ἐπωνυμία μαρτύρεται.

d CHRYSOST. Τὸ υἱὸς ὄνομα πρόσεστι καὶ ἀνθρώποις, πρόσεστι καὶ τῷ Χριστῷ, ἀλλ' ἡμῖν καταχρηστικῶς, ἐκείνῳ δὲ κυρίως. τὸ δὲ, μονογενὴς, αὐτοῦ μόνον ἐστὶ, καὶ οὐδενὶ τῶν ἄλλων, οὐδὲ καταχρηστικῶς πρόσεστιν. ἵνα οὖν ἀπὸ τῆς προσηγορίας τῆς οὐδενὶ προσούσης, ἀλλ' ἢ αὐτῷ μόνῳ, καὶ τὴν ἄλλην τοῖς πολλοῖς προσοῦσαν αὐτοῦ κυρίαν εἶναι νομίσῃς, διὰ τοῦτο πρότερον εἶπε, μονογενὴς, καὶ τότε, υἱός.

1 Nyss. lib. VII *con. Eun.* — 2 Lib. II *contra Arium.* — 3 Vide et lib. VI. — 4 Lib. VI. — 5 Lib. VI *contra Eunom.* — 6 Lib. XXV *Thes.*

non facti sunt, sed geniti, velut unica Jephthe filia θυγάτριον μονογενὲς appellatur. Jam quod Eunomius idem τὸ μονογενὲς interpretabatur ἀσύγκριτον, id est *incomparabile*, Basilius ita quidem accipit, quasi absolute putaverit eamdem esse utriusque nominis potestatem ; ex quo illum sic redarguit, consequens esse, ut et Pater μονογενὴς nominetur, quippe qui sit incomparabilis[a]; quem et Cyrillus[1] imitatus est. Verum non simpliciter μονογενῆ significare credidit idem, atque incomparabilem, sed ea solum ratione, quod eximio, neque conferendo cum cæteris modo propagatus fuerit; tanquam *unice genitum*, hoc est singulari productione editum interpretatus sit τὸν μονογενῆ. Quare firmius est argumentum alterum, quo iidem, Basilius et Cyrillus cavillationem istam refellunt. Nam si μονογενὴς, inquiunt, ob eam causam appellatur Filius Dei, quod non simili, ac creatæ res cæteræ, affectione prodierit, « quælibet alia creatura dissimilis alterius unigenita censebitur ; atque ita plures erunt unigeniti[b]. » Ita cœlum, ut Cyrillus objicit, *unigenitum* dicetur, quia singularem habet speciem, et reliquis antecellit omnibus. Quinetiam primus hominum parens Adamus *unigenitus* appellabitur ; est enim singulari procreatus modo. Unigeniti quoque singuli homines eodem jure nominari poterunt, quorum animæ singillatim, et a solo Deo, sine instrumento ullo et adminiculo emittuntur in lucem.

Filia unigenita.

XII. Præterea[d] Cyrillus ex alio Christi nomine, tum falsam *unigeniti* significationem redarguit, tum veram ac propriam affirmat, nimirum quod πρωτότοκος dicitur, id est *primogenitus*. Etenim « si μονογενὴς propterea vocatur, quia solum ipsum condidit Pater, non poterit appellari primogenitus, qui nec ipse genitus sit, nec alios ex eodem Patre satos habeat fratres. Sin est ut revera primogenitus sit, principatum tenens in omnibus, non idcirco unigenitus vocabitur, quod solus productus sit, sed quod a bono Patre bonus fructus genitus fuerit. » Sane qui et *primogenitus*, et *unigenitus* appellatur Dei Filius, sive propter humanam naturam prior, propter divinam posterior illi vox conveniat, ut quidam ex antiquis existimant ; sive ob divinam utraque in eumdem cadat appellatio, quod nos supra secuti sumus ; necesse est, peculiari quodam illum jure nominari Filium, quo cæterorum nemo pertingat. Hoc nisi esset, non *unigenitus* vocaretur, sed *primogenitus* duntaxat ; siquidem creatus et ipse a Deo foret, uti reliqua omnia, quantumvis licet excellenti vel natura, vel naturæ ornamento reliquis anteiret omnibus. Nam et angeli, et qui inter hos principatum tenent seraphimi, nihilominus, quam formicæ, procreati a Deo dicuntur ; neque productionis genere ipso singularem ullam prærogativam habent, ob quam vel geniti potius, quam illæ, vel etiam unigeniti nominentur. « Nec enim ea genuit de seipso, ut hoc essent, quod ipse est, ait Augustinus ; sed ea fecit de nihilo, ut non essent æqualia, nec ei, a quo facta sunt, nec Filio ejus, per quem facta sunt. » Nam, ut Cyrillus[2] in quarto *de Trinitate* dialogo scribit, « nomen unigeniti ex aliquo natura genitum, non ex arte elaboratum significaverit ; aut certe prodeant in medium responsuri, ubinam dictionem illam legerint de ulla re usurpatum, quæ arte et scientia fabricata sit. De quo plenius idem in secundo dialogo disputavit ; ubi falsam redarguit hæreticorum opinionem aientium gignere in Deo nihil aliud esse, quam creare, vel facere, et γέννημα idem, quod κτίσμα, vel ποίημα. De quo et in libro vicesimo *Thesaurorum*, et alibi disserit. Sic Eunomius apud Gregorium Nyss.[3] Filium Dei simul esse γέννημα, et ποίημα statuebat ; et Faustinus in Patre Arianos ait intelligere creatorem.

Refelluntur Ariani gignere idem esse ac creare contendentes.

Genimen creatum opus.

XIII. Contra quos, præter Cyrillum, alii etiam veteres præfracte negant, vel κτίζειν, id est *creare*, pro eo, quod est *gignere*, vel γεννᾶν id est *gignere*, pro eo quod est κτίζειν, vel ποιεῖν, *creare*, ac *facere*, sumi posse. « Nemo,

a Basil. lib. IV *cont. Eunom.* Εἰ μὴ γεννήσεως τὸ μονογενὲς, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀσύγκριτον, μονογενὴς καὶ ὁ πατήρ· ἀσύγκριτος γάρ.

b Basil. ibid. Καὶ πᾶν δὲ κτίσμα μὴ ὅμοιον ἄλλῳ μονογενές. πολλοὶ ἄρα μονογενεῖς, καὶ οὐχ εἷς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.

c Cyril. loc. cit. Εἰ διὰ τοῦτο μονογενὴς, ὅτι μόνον αὐτὸν ὁ πατὴρ ὑπεστήσατο, οὐκέτ' ἂν εἴη πρωτότοκος οὔτε αὐτὸς γεννηθεὶς, καὶ τῶν ἄλλων ἀδελφῶν οὐκ ὄντων ἐκ πατρός. εἰ δὲ ἀληθῶς ἐστι πρωτότοκος ἐν πᾶσι πρωτεύων, οὐχ ὡς μόνος ἄρα ὑποστὰς μονογενὴς, μόνος δὲ ὡς ἐκ πατρὸς ἀγαθοῦ καρπὸς ἀποκυηθεὶς ἀγαθός.

d Cyril. Dial. IV. Τὸ γάρ τοι μονογενὴς, τὸ ἐκ τινὸς φύσει γεγεννημένον, οὐχὶ τὸ ἐκ τινὸς τέχνης ἐξειργασμένον παραδηλώσειεν ἄν. ἤγουν ἡκόντων εἰς μέσον ἐρομένοις ἀποκρινόμενοι, ποῦ τὴν λέξιν ἀνεγνώκασιν ἐφ' ὁτῳοῦν τῶν ἐκ τέχνης τε καὶ ἐπιστήμης κειμένην.

1 Lib. XXV *Thes.* — 2 Lib. I *de Gen. cont. Man.* cap. II, tom. I. — 3 Lib. III, *cont. Eun.*

inquit Athanasius, quæ gignit, creare se dicit; neque ex sc natas creaturas vocat[a].» Quibus et similia disputat in libro *de Synodis*. Basilius quoque IV *contra Eunomium* inter τὸ ποιούμειον, *quod fit*, et γεννώμενον, *quod gignitur*, hoc interesse ait, quod « genitum ex ipsa gignentis substantia sit; factum vero non sit ex facientis substantia. Non est igitur idem gignere, quod facere[b].» Assentitur et Epiph. in *Ancor*. num. 43. Tametsi vera est illorum ratio si proprius singulorum vocabulorum usus adhibeatur, ac nativa significatio, ut vel Eusebius ipse Cæsariensis agnoscit libro primo *de Eccles. dogm. contra Marc.* cap. x, non est tamen absolute universeque negandum, γεννᾷν pro eo, quod est ποιεῖν, accipi. Sic enim Aristoteles οἱ γεννῶντες τὸν κόσμον dixit, *mundum gignentes*, hoc est *genitum asseverantes;* ubi gignere idem valet, ac creare, vel faciendo producere. Et in libro *de Universitate* Cicero mundum *unigenam* procreatum ait. E contrario vero creare pro gignere accipi, supra capite primo libri hujus ostendi. Sed tam multa sunt sacris expressa Litteris, quæ ad illam, ut ita loquar, *genituram* Filii declarandam illustrandamque pertinent, ut appareat, non ambigua illa, et infinita significatione dici, genitum esse, sed peculiari, et quæ ejusdem naturæ communionem adferat, qualia sunt, quæ hucusque commemoravi; tum illa præsertim, quæ ab Gregor. Nysseno, Athanasio aliisque disputantur. E quibus Nyssenus Eunomium, qui gigni Filium Dei idem esse putabat ac creari, sic refutat: Non minori jure cœlum, atque terram, et elementa omnia, animalia quoque, ut agnum, canem, ranam, Dei Filios ac deos appellari posse, si ideo, quia creatum est a Deo Verbum, et Dei Filius nominatur, et Deus. Vide et Cyrillum dialogo II. Non est ergo gignere in Deo idem, quod creare; siquidem ex eo, quod gignitur aliquid a Deo, Filii ac Dei appellatio consequitur; non ex eo, quod utcumque creatione producitur.

Gignere. Creare.

XIV. Quod si id Arianus objiciat, eas tantummodo creaturas, quæ rationis intelligentiæque sunt participes, deos, ac Dei filios eo ipso, quod creantur, in Scriptura vocari, ut angelos, ut homines; ita erit instandum: plus igitur aliquid in *gignendi* inesse vocabulo, quam in *creandi*, vel *faciendi*. At hoc in Verbi Dei productione quale tandem erit? Opinor, quod ratione, cognitione, sapientia, bonitate, similitudinem Dei referat; unde et *Imago* dicitur quod est Filiorum proprium. Verum huic intercedit Athanasius; et distinctam ab reliquis, quibus Filii nomen tropice tribuitur et excellentem istius vocabuli proprietatem Dei Filio vindicat in hunc modum. Etenim angeli ipsi cœlestesque spiritus, tum prophetæ, apostoli, martyres, et innumerabiles sancti omnia consecuti sunt[c]; « neque tamen eorum quisquam Dei sapientia, vel unigenitus Filius, vel imago Dei nominatur; neque ita locutus est. *Ego et Pater unum sumus*, aut, *Ego in Patre et Pater in me est*[c].» Sed et Paulus ad Hebræos scribens, ea de Filio tradit, quæ longe ab communi conditione sejunctum illum esse declarant. Velut cum primo capite *Deum* ait *novissime locutum esse nobis in Filio, postquam patribus per prophetas locutus est*. Hunc deinde *splendorem gloriæ, et figuram substantiæ ejus* appellat; *portantem omnia verbo virtutis suæ, sedentem ad dexteram majestatis in excelsis*. Item, *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu; ego hodie genui te?* etc. Præterea jussisse Patrem angelis dicit, ut *illum omnes adorarent*. Hos enim servos et ministros esse, illum *Filium* ac *Deum;* cui quod angelorum nulli unquam dixit, ita est locutus, *Sede a dextris meis*, etc. Ex quibus omnibus efficitur, Filium Dei non tropice et communi cum creaturis lege, sed proprie ac naturaliter intelligi. Alioqui nihil obstaret, quin angeli, et filii, et dii vocarentur: «Nam, quæ speciei ejusdem sunt[2], ut docet Cyrillus lib. *Thes.* XX quamvis quibusdam aliis rationibus inter se differant, ejusdem tamen naturæ sunt, et eamdem possunt consequi dignitatem, etc. Nihil ergo prohibebit, angelos quoque una sedere cum Patre, et simul adorari cum Patre, etiam si nondum res ipsa facta sit.[d]»

Plus inest in vocabulo gignendi quam in creandi.

a Athan. Orat. cxi. Οὐδεὶς γὰρ ἅπερ κτίζει, λέγει γεννᾷν, οὐδὲ τὰ ἴδια γεννήματα καλεῖ κτίσματα.

b Basil. lib. IV *contra Eunom.* Τὸ ποιούμενον οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ ποιοῦντός ἐστι. τὸ δὲ γεννώμενον ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας τοῦ γεννῶντος. οὐ ταὐτὸν ἄρα τὸ ποιεῖν τῷ γεννᾷν.

c Athan. Orat. iv *contra Arian.* Καὶ ὅμως οὐδεὶς τούτων οὔτε σοφία, οὔτε μονογενὴς υἱὸς, οὔτε εἰκών ἐστιν· οὔτε τις τούτων ἀπετόλμησεν εἰπεῖν· ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· ἤ, ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί.

d Cyril. XX *Thes.* Τὰ γὰρ ἀλλήλοις ὁμοειδῆ, κἂν ἔχῃ τινὰ πρὸς ἄλληλα τὴν διαφορὰν, ἀλλὰ τῆς αὐτῆς ἔχεται φύσεως· οὕτω γὰρ ἂν εἴη καὶ ὁμοειδῆ, etc. Οὐδὲν

1 Greg. Nyssen. lib. VI.

Plura idem adjungit ad hoc argumentum, et omnino digna, quæ legantur; et Athanasius oratione præsertim II *adversus Arianos*.

Angeli vel homines nunquam proprie *Filii Dei* vocantur.

XV. Denique, quantum inter homines, angelosve, aut creatas res cæteras, ac Dei Filium intersit, ex eo licet existimare, quod, etsi nonnunquam angelis, vel hominibus filiorum nomen attribuitur; tamen haud proprie, ac naturaliter dici filios, nec ejusdem cum Deo esse naturæ ac substantiæ, aliis ex locis intelligitur, quæ vel creatos ac factos illos esse perspicue declarant, vel adoptione duntaxat, aut eo denique sensu, ac modo Filios, qui sit ab naturæ communione sejunctus. De Verbo autem, ac Dei Filio ea professionis constantia est, nusquam ut factum, creatum, adoptivum Filium esse, Scriptura significet; sed honorifica quæque, et creato altiora fastigio, ac solius propria divinitatis assignet. Etenim angelos a Deo, et quidem Verbo ipso conditos esse constat inde, quod Joan. I *omnia per ipsum facta esse* dicuntur, *et sine ipso nihil esse factum*. Item *Coloss.* I, 16: *Quoniam in ipso condita sunt universa* (ἐκτίσθη, creata sunt) *in cœlis et in terra, visibilia, et invisibilia; sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* Deinde *Hebr.* I, 2, per Filium facta dicuntur esse sæcula, *per quem fecit et sæcula*. δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε· quibus verbis rerum omnium universitas exprimitur, ac tamen, quæ subjacent tempori, quam quæ ævi mensura continentur, cœlestes spiritus, et quicquid infra Deum existit; atque hos ipsos angelos λειτουργοὺς et *ministros* esse, cum alibi passim, tum in illo *ad Hebr.* capite significat. Quinetiam *Apocal.* XXII, 9, angelus adorari se ab Joanne vetat, quod conservus esset ipsius; et versu. 16. « *Ego*, inquit, *Jesus misi angelum meum:* » ac non raro *angelos suos* appellat. Quare multum abest, ut Dei natura, proprietas et conditio angelis arrogetur in sacris Libris, etsi filiorum iis nomen imputetur; præsertim cum plerique illorum, et quidem præcipui, vitio suo depravati, dignitate ista, et filiorum appellatione ceciderint. Hominum porro creatio diserte I c. *Geneseos* exponitur; tum eorum [1] adoptio, et hujus generis alia, quæ propriam filiorum notionem abesse demonstrant. Atqui nihil horum de Filio Dei, qua Deus est, Scriptura memorat; nusquam a Deo creatum aut factum, uti diximus, aut adoptatum esse docuit.

Summa eorum quæ hactenus disputata sunt.

XVI. Ut igitur, quæ de hoc loco, qui latissime patet, ex antiquorum theologorum decretis hactenus explicata sunt, paucis colligamus, Verbum Dei vere ac natura Deus est, et in omnibus æqualis genitori suo, quia verus, ac proprie dictus Filius est, et a Deo Patre genitus, et quidem unigenitus. Etenim, ut recte Gregorius Nyssenus adversus Eunom. disputat, « quis esse potest fide dignior testis, quam ipsius vox Domini, qui per totum Evangelium Patrem, non suum creatorem, sed Patrem nominat; neque opus Dei, sed Filium Dei seipsum appellat? Quemadmodum enim communionem, quam habet cum humana natura, significans Filium hominis id, quod apparebat, nominavit, uti carnis suæ cum ea, unde est assumptus, cognationem ostenderet; ita veram et germanam suam ad universorum Deum habitudinem Filii vocabulo demonstrat, naturæ cognationem Filii voce declarans [a]. » Porro Filius omnis « ex Patris natura, et substantia procedit [2], » ut Cyrillus primo *in Joannem* commentariorum libro demonstrat; « Hoc enim vera filiatio significat [b]. » Itaque vel remoto omni fuco negent audacter hæretici, Verbum Dei Filium esse, ut mox instat Cyrillus, ac Patrem etiam Patrem appellare desinant; aut, si totius Scripturæ voce, ac testimonio, sanctorumque omnium auctoritate convicti, Filium nominant, ac Deum; ne Patre minorem esse substantiam, cogitent. « Nam et homo hominis dicitur, et est filius; sed non erit idcirco patre minor quatenus

ἄρα κωλύσει καὶ ἀγγέλους δύνασθαι συγκαθεσθῆναι τῷ θεῷ, εἰ καὶ μή τις αὐτῶν ἠξιώθη τοῦ πράγματος.

a Gregor. Nyssen. lib. I *contra Eunom.* Καὶ τίς ἂν εὑρεθείη μάρτυς ἀληθέστερος τῆς τοῦ κυρίου φωνῆς διὰ παντὸς τοῦ Εὐαγγελίου πατέρα, καὶ οὐχὶ κτίστην ἑαυτοῦ τὸν ἀληθινὸν ἀποκαλοῦντος πατέρα καὶ οὐχὶ ἔργον θεοῦ, ἀλλ' υἱὸν θεοῦ ἑαυτὸν ὀνομάζοντος; ὥσπερ γὰρ τὴν κατὰ σάρκα πρὸς τὸ ἀνθρώπινον κοινωνίαν σημαίνων, υἱὸν ἀνθρώπου τὸ φαινόμενον προσηγόρευε, δεικνὺς τὴν κατὰ φύσιν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ πρὸς τὴν ἐξ ἧς ἐλήφθη συγγένειαν· οὕτω καὶ τὴν πρὸς τὸν τῶν ὅλων θεὸν ἀληθῆ καὶ γνησίαν σχέσιν τῇ προσηγορίᾳ τοῦ υἱοῦ διασημαίνει, τὸ κατὰ τὴν φύσιν οἰκεῖον διὰ τῆς τοῦ υἱοῦ φωνῆς ἐνδεικνύμενος.

b Cyril. I *in Joan.* Εἰ μὲν υἱός ἐστι κατὰ ἀλήθειαν ὁ ἐκ θεοῦ πατρὸς ἀναλάμψας θεὸς λόγος, ἀνάγκη πᾶσα καὶ οὐχ ἑκόντας τοὺς δι' ἐναντίας ὁμολογεῖν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτὸν ὑπάρχειν τῆς τοῦ πατρός. τοῦτο γὰρ ἡ κατὰ ἀλήθειαν υἱότης σημαίνει.

1 *Rom.* VIII, 15, 25, et IX, 4; *Gal.* IV, 5; *Eph.* I, 5. — 2 Cap. III.

est homo. Homo enim homine, qua homo est, non est major, aut minor; sed neque forsitan angelus angelo qua est angelus, neque res ulla comparata cum altera, quæ sit ejusdem naturæ et ejusdem essentiæ rationem sortita. Itaque, si reverà est Filius, necesse est dicere ipsum esse ex Patris substantia, omnes ejus proprietates in seipso naturaliter habentem. Ac si natura Deus est Pater, Deus erit utique natura Verbum ex ipsa genitum. Quinam ergo minor erit Deus Deo, ea nempe ratione, qua uterque Deus est[a]? » Æqualem ergo necesse est in omnibus Patri esse Filium, neque porro creaturam. Nam « si fecit eum ex nihilo, ait Faustinus, creatura est, et non Filius; et quid est, quod Filium dicis, quem creaturam esse confirmas, cum dicis eum ex nihilo factum esse? Non ergo potes et Filium eum dicere, et creaturam. Filius enim ex nativitate consistit, creatura vero ex factura. Quid tibi contraria profiteris? Unum elige de duobus; dic aut Filium vere Filium, aut creaturam vere creaturam. Si ita Filium dicis, ut vere Filium dicas, negasti eum esse creaturam: et quomodo de nihilo eum factum esse dicis, quem vere Filium confiteris? Si autem dicis eum vere esse creaturam, cur eum Filium nominas, cum eo istius nominis abneges veritatem? » Basilius itidem[d] in sermone XV *de Fide*, « Ex ipsa Filii, inquit, appellatione discimus, natura ipsum illi esse conjunctum, non imperio creatum, sed ex substantia emicantem, sine ullo intervallo ac tempore cum Patre sociatum, æqualem bonitate, æqualem virtute, gloriæ participem[b]. »

XVII. Prorsus itaque Filium negat, qui creaturam esse dicit; nec minus Patrem tollit e medio, qui creatorem negat, atque in illam[1] Joannis sententiam incurrit. *Hic est antichristus, qui negat Patrem, et Filium*. Et, *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, et Patrem habet*. Etenim, ut adversus Arianas blasphemias gravi oratione[2] Hilarius insistit, « Non est humanus hic error; neque in negando Dei Filio vitium est ignorantiæ, ubi ignorari non licet, quod negatur. Creatura ex nihilo subsistens, Dei Filius dicitur. Hoc si nec Pater locutus est, nec Filius testatus est, nec Apostolus prædicavit; tamen audere eloqui, hoc est Christum non ignorare tantummodo, sed odisse. Cum enim Pater de Filio suo dicat: *Hic est*, et Filius de se dicat; *Qui tecum loquitur, ipse est*; et Petrus confiteatur, *Tu es*, et Joannes testetur: *Hic verus est*: et Paulus non desistat prædicare de proprio; non intelligo aliud, quam negandi esse odium, ubi imperitiæ error non excusatur in crimine. » Tum subjicit eumdem hæc per Arianos loqui, qui per Antichristum olim dicturus est. « Nam cum quibus creatura est Christus, necesse est ut cum his antichristus ipse sit Christus, quia et Filii proprietatem creatura non habeat, et Dei se ille Filium mentiatur, et per hoc a quibus hic Dei Filius jam negatur, ab his tunc Christus ille credatur. »

Denique talem vim inesse appellationi isti Filii, quam Christus sibi sumebat, ut non creatura, sed Deus verus et æqualis Deo Patri censeretur, Judæi ipsi cognoverunt; qui, ut narrat Joannes[3] cum Deum Patrem suum Christus nominaret, *quærebant eum interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Quæ verba non ex Judæorum sermone, sed ex suopte sensu perscripta esse ab Evangelista credit Ambrosius[4]. « Denique Filium non esse eo minorem, inquit, quia Filius est, Evangelista testatur, et æqualem esse, quia Filius est ipse, significat dicens: *Propterea enim eum volebant occidere Judæi, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem proprium dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Non Judæi hoc dicunt, sed Evangelista testatur; quod æqualem se faciebat Deo, proprium se Dei Filium dicens, » etc., quibus consentanea sunt, quæ ex Hilarii libro septimo *de Trinitate* supra nono capite retulimus.

a Cyril. ibid. Καὶ τοι καί ἄνθρωπος ἀνθρώπου χρηματίζει τε, καί ἐστιν υἱός· ἀλλ' οὐκ ἐλάττων ἔσται τοῦ πατρὸς κατά γε τὸ εἶναι ἄνθρωπος. ἄνθρωπος γὰρ ἀνθρώπου, καθὸ ἄνθρωπος, οὐκ ἂν εἴη μείζων, ἢ ἐλάττων, ἀλλ' οὐδὲ ἄγγελος ἀγγέλου τυχὸν καθὸ ἄγγελος, ἢ ἕτερόν τι τῶν ὄντων πρὸς πᾶν ὁτιοῦν ὁμοφυὲς, καὶ τὸν τῆς αὐτῆς οὐσίας λόγον ἀποκεκληρωμένων. οὐκοῦν εἰ κατὰ ἀλήθειάν ἐστιν υἱὸς, ἀνάγκη λέγειν, ὡς ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς πάντα τὰ ἐκείνης ἴδια φέρων ἐν ἑαυτῷ φυσικῶς· καὶ εἰ φύσει θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς δηλονότι κατὰ φύσιν καὶ ὁ λόγος ὁ ἐξ αὐτῆς γεννηθείς. πῶς οὖν ἐλάττων ἔσται θεὸς θεοῦ κατ' αὐτὸ δὴ τοῦτο τὸ εἶναι θεός;

b Basil. Ἐξ αὐτῆς τοίνυν τῆς υἱοῦ προσηγορίας διδασκόμεθα, ὅτι τῆς φύσεώς ἐστι κοινωνὸς, οὐ προστάγματι κτισθεὶς, ἀλλ' ἐκ τῆς οὐσίας ἐκλάμψας ἀδιαστάτως, ἀχρόνως τῷ πατρὶ συνημμένος, ἴσος ἐν ἀγαθότητι, ἴσος ἐν δυνάμει, κοινωνὸς τῆς δόξης.

1 *Joan.* I. ep. II. — 2 Lib. VI. — 3 *Joan.* V, 18. — 4 Ambr. lib. I *de Fide*, cap. IV.

CAPUT XI.

Demonstratur Filii æqualitas, et vera divinitas ex imaginis, et similitudinis vocabulis, quæ in Scripturis illi tribuuntur; una cum Verbi notione, et Arianorum ludificationibus exclusis, vera imaginis ratio traditur.

I. Post Filii et Unigeniti nomen, proxime collocanda, et opponenda est hæreticis imaginis appellatio; quæ in sacris Litteris, non solum accommodatur Dei Filio, sed etiam propria, et singulari ratione, non infinita illa, communique conceditur. Nam Paulus eum nominat *imaginem Dei invisibilis*[a]. Et alio loco, *Qui cum sit*, inquit, *splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ*[b]. Quibus verbis allusisse creditur ad illum Sapientiæ locum : *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*[c]. Porro imago, inquit Ambrosius[1], « docet non esse dissimilem; character, expressum esse significat; splendor signat æternum. » Siquidem « imago formam necesse est ejus reddat, cujus imago est, » ut scribit[2] Hilarius.

Plures imaginis species.

Sed imaginis vox multipliciter usurpatur; quod Cyrillus Alexand. notavit lib. II, *in Joannem*[d]; ac primo quidem, et præcipua significatio in naturalem cadit imaginem, quæ generatione fit, et in proprietatum nulla re discrepante similitudine, vel potius *identitate* consistit; ut est in Abele, qui ex Adamo oriundus est, et in Isaaco, qui ex Abrahamo. Altera species imaginis solam formæ, sive characteris similitudinem habet, et illius accuratam expressionem; cujusmodi est regis imago coloribus in ligno depicta, vel quovis alio modo ab artificibus elaborata. Rursus alia est imago, quæ ad morum, ac vitæ institutorumque, seu bonorum, seu malorum imitationem refertur. Sic enim, qui Pauli virtutes, aut Caini vitia sequitur, utriusvis imaginem habere dicitur. Quartum genus imaginis in ejusdem dignitatis, honoris et potestatis, aut etiam voluntatis communione situm est. Postremum in affectionis ejusdem, qualitatis, aut quantitatis, figuræ, ac proportionis similitudine versatur. Hæc Cyrillus : qui, quod verum est, deinceps late disputat, non alia ratione, quam quæ primo loco posita est, Filium Patris imaginem nominari, id quod Filii, ac geniti vocabula ipsa demonstrant. Nam Filius imago est genita, totum id, quod in Patre est, in se continens, hoc est eamdem habens naturam, atque substantiam, et quidquid cum ea necessario conjunctum est.

II. Etenim similitudinis, et imaginis ratio, universe hoc postulat, ut quod est in exemplari, quod quidem imitando exprimi dicitur, in effigie ipsa reperiatur. Itaque mutæ et carentes anima vivorum imagines, idipsum, in quo similitudinis earum posita vis est, quam proxime referunt, colores, lineamenta, partium habitudines, externam denique membrorum, ac præsertim oris conformationem, ac speciem; intimam vero naturam, ac substantiam, sive essentiam non continent. Non enim naturæ ipsius imagines sunt, sed externæ tantummodo figuræ; quam eo magis reddunt, quo sunt exquisitius ac perfectius elaboratæ; velut eæ sunt, quæ in speculo repræsentantur, quæ non oris corporisque formam duntaxat et magnitudinem, sed motum etiam, atque gestum sese intuentis ostendunt. Hanc speculi similitudinem, quasi omnium aptissimam, ad divinæ imaginis in Verbo genus explicandum, non Origenes[3] modo, sed etiam Gregorius Nyssenus[4] assumpsit; quod ea declarare maxime videtur, quemadmodum eadem, quæ in Patre inest, voluntas, idemque, ut ita dicam, motus insit in Filio. Sed est alia perfectior imaginis species, vivæ scilicet ac spirantis; cujusmodi sunt, quæ in animantium, ac præsertim hominum genere, fieri generatione dicuntur. Quæ quidem, præter figuram, et lineamenta, ac motum ipsum, naturam insuper, et essentiam prorsus eamdem reddunt, quæ in eo est, cujus appellantur imagines; eique non

Speculi imago aptissima.

Perfectior imaginis vivæ species

a Col. I, 15. Εἰκόνα τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου.

b Hebr. I, 3. Ὅς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ.

c Sapient. VII, 26. Ἀπαύγασμα γάρ ἐστι φωτὸς ἀϊδίου, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ.

d CYRIL. lib. II *in Joan.* Οὐκοῦν μία μὲν ἤδη, καὶ πρώτη τῆς κατὰ φύσιν ταυτότητος ἐν ἀπαραλλάκτοις ἰδιώμασιν ἡ εἰκὼν, ὡς ἐξ Ἀδὰμ, ἢ Ἀβὲλ, ἢ Ἰσαὰκ ἐξ Ἀβραάμ.

1 Ambr. I *de Fide*, cap. IV. — 2 Hilar. lib. VIII *de Trinit.* — 3 Lib. I *Periar.* cap. II. — 4 Lib. XII *contra Eunom.*

similes modo, sed natura etiam dicuntur æquales. Hanc imaginum differentiam explicat Hilarius sub finem libri septimi, ac Filium Dei viventis esse viventem docet imaginem, et in nullo natura esse diversum. Quemadmodum nihil in Adamo, ut eo utar exemplo, fuit hominis proprium, ejusque naturæ insitum, quod non in Setho illius filio perinde fuerit, nec minus, quam in patre, excellens atque perfectum. Non enim hominis essentia præstantior in illo, quam in hoc, exstitit; neque alter altero minor majorve dici propter illud potuit, in quo unius cum altero similitudo et imago consistit. Quamobrem Dei Filius, qui *imago Dei invisibilis*, et *imago substantiæ ejus*, *ac gloriæ fulgor splendorque* dicitur, et *verus* præterea, *propriusque Dei Filius*, illa in sese habere debet omnia generatione transfusa, neque minus, quam sunt in Patre, perfecta; ut et Deus ipse sit, et, quæ cum Dei natura conjuncta sunt, ex æquo possideat. Declarat hoc eximie Gregorius Nazianzenus; et ex rerum spiritualium natura et conditione vehementius affirmat : « Imago est, inquit de Filio loquens, ut ejusdem cum Patre substantiæ, et quia ex illo est, non autem ex hoc Pater. Nam hæc est imaginis natura, ut exemplar suum imitando referat, et id, cujus imago dicitur. Quanquam hic imago exemplar suum expressius refert. Illic enim rei vivæ, ac motu præditæ, mortua, et motus expers est imago; hic autem vivi exemplaris viva quoque est effigies, multoque minus a Patre differens, quam Seth ab Adamo, et a generante id omne, quod gignitur. Hujusmodi enim simplicium rerum est natura, ut non partim inter se similes sint, partim dissimiles sed totæ totas referant, eædemque sint potius, quam similes [a]. » Itaque quidquid Patri secundum naturam et essentiam convenit, id in viva veraque inest illius imagine. Pater, inquit Cyrillus, « Deus est secundum naturam, omnipotens, creator, dominus, rex, incorruptibilis, immortalis, vita, existendi initium non habens; sed neque ex nihilo ad hoc, ut esset, eductus. Hæc omnia sine ullo discrimine Filius est [b]. »

Demonstratur Christi æqualitas cum Patre ex eo quod est ejus imago.

III. Hunc eumdem locum magna et orationis copia, et gravitate tractat Hilarius sub initium undecimi libri *de Trinitate*, ac Filium ostendit « Deum esse viventis Dei vivam imaginem; quæ, nisi perfectam paternæ beatitudinis habeat formam, et absolutam naturæ totius referat speciem, non est in imaginis veritate. Si autem innascibilis Dei unigenitus Deus imago est, perfectæ, atque absolutæ in eo naturæ veritas inest, per quam efficitur esse eum imaginem veritatis. Potens est Pater; sed si infirmus est Filius, imago jam non est potentis. Bonus est Pater; sed si in diversi generis divinitate Filius est, boni imaginem mali natura non reddit, etc. Verus Deus est Pater; si Filius in Dei falsitate est, jam non est veri imago, qui falsus est. Non ex parte imaginem, neque ex portione formam eum Dei Apostolus prædicat; sed imaginem esse eum Dei invisibilis, et formam eum esse Dei invisibilis loquitur. » Quod Hilarii argumentum invictum ac certissimum est, si genus imaginis attenditur, secundum eam formulam, quam paulo ante præscripsimus. Agitur enim imaginis ea ratio, quæ vera generatione edita, vero ac proprio Filio verum ad parentem convenit. Cujusmodi imago non qualemcumque similitudinem requirit, sed eam, quæ cum naturæ veritate et identitate conjungitur. In quo vivarum, et expertium vitæ animæque imaginum discrimen est positum; cujus itidem supra memini, et nunc ejusdem verbis Hilarii libet hoc illustrius reddere : « Intellectus, inquit lib. VII, Deus Filius id præstat, ut intellectus et Pater sit; dum ita imago est, ut non differat genere, sed significet auctorem. Imagines autem cæteræ ex diversis metallis, aut fucis, aut generibus, reddunt eorum species, quorum sunt imagines institutæ. Sed numquid, ut imagines veræ sint, exæquari possunt inanima viventibus, et vel picta, vel sculpta, vel fusa? Filius autem Patri non secundum hæc imago est, qui viventis vivens imago est, et ex eo natus non habet naturæ diversitatem, et in nullo diversus tenet naturæ ejus, in qua non diversus est, potestatem. Quod ergo imago est,

a Greg. Nazianz. Orat. xxxvi. Εἰκὼν δὲ, ὡς ὁμοούσιον, καὶ ὅτι τοῦτο ἐκεῖθεν. ἀλλ' οὐκ ἐκ τούτου πατήρ. αὕτη γὰρ εἰκόνος φύσις, μίμημα εἶναι τοῦ ἀρχετύπου, καὶ οὗ λέγεται. πλὴν ὅτι καὶ πλέον ἐνταῦθα. ἐκεῖ μὲν γὰρ ἀκίνητος κινουμένου, ἐνταῦθα δὲ ζῶντος καὶ ζῶσα, καὶ πλέον ἔχουσα τὸ ἀπαράλλακτον, ἢ τοῦ Ἀδὰμ ὁ Σὴθ, καὶ τοῦ γεννῶντος παντὸς τὸ γεννώμενον. τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν ἁπλῶν φύσις, μὴ τῷ μὲν ἐοικέναι, τῷ δὲ ἀπεοικέναι, ἀλλ' ὅλον ὅλου τύπον εἶναι, καὶ ταυτὸν μᾶλλον, ἢ ἀφομοίωμα.

b Cyril. XXXII *Thes.* Ὁ πατὴρ θεὸς κατὰ φύσιν, παντοκράτωρ, δημιουργὸς, κύριος, βασιλεὺς, ἄφθαρτος, ἀθάνατος, ζωὴ, ἀρχὴν τοῦ εἶναι μὴ ἔχων ἀλλ' οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρενεχθείς. ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ἀπαραλλάκτως.

eo proficit, ut Deum Patrem unigeniti Dei significet nativitas. »

Cyrillus quoque dialogo quinto *de Trinitate*, « imagines illas, quæ non ad solam figuram externamque speciem conformatæ sunt, sed substantialem similitudinem sortitæ, ejusdem ait esse naturæ, ac perfectam in omnibus similitudinem retinere[a]; » quales sunt parentum imagines filii, atque adeo Dei Patris Filius ille, quem Apostolus[1] χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως appellat, hoc est *substantiæ characterem;* qui propterea de seipso dixit, *Ego in Patre, et Pater in me est;* et, *Qui videt me, videt et Patrem*[2].»

IV. Qui posterior locus ad id, quod modo tractamus, illustrandum, haud mediocrem habet usum, et naturæ tali in imagine identitatem adstruit, si quæ alio in libro idem disputat Cyrillus[3], adjungere velimus. « Perspicuum enim est, inquit, et in confesso apud omnes, neminem in alia natura aliam intueri posse; neque quisquam dicere queat, se, cum equum viderit, hominum quempiam vidisse. Nam in iis, quæ naturæ sunt ejusdem, similia monstrantur, non in iis, quæ invicem propria essentiæ ratione distant[b]. » Ita etiam Chrysostomus[4] ad eadem illa Christi verba, quibus Philippo Patrem videre cupienti, seipsum proponit intuendum, ex iis effici concludit, ejusdem cum Patre illum esse naturæ atque substantiæ. Nam « nemo, ait, aurum ignorans, in argento naturam potest auri cernere. Non enim alia natura per aliam apparet[c]. » Vide similem locum ejusdem Chrysostomi homilia tertia in epist. *ad Colossenses* sub initium. Itaque cum nulla res creata perfecte Deo sit similis, ut qui illam videat, Deum se videre confidat; non est Filius Dei in creaturarum ordine collocandus, ut alibi Cyrillus[5] argumentatur. Huc illa referenda sunt auctoris ejus verba, qui disputationem scripsit Athanasii cum Ario, inter illius opera editam; qui ad illa Christi, *Qui videt me, videt et Patrem meum*[6], hæc adnotat. « Nam si diversus est substantia Filius a Patre, quinam videri potest Pater in Filio? Si enim statua hominis lignea in lapidea cognosci non potest, quæ non est ex ejus substantia; ac si lapis in ligno nequit agnosci, neque lignum in lapide ratione substantiæ, consequens est, cognosci regem universorum Deum in consubstantiali suo Filio. Etenim, quæ speciei sunt ejusdem, eo ipso, quo sunt consubstantialia, dum videntur, eorum etiam, quæ non videntur, notitiam exhibent[d]. »

Basilius item in II lib. *cont. Eunom.* : « Non enim, inquit, ex domo architecti substantia comprehendi potest; verum ex fetu facile est gignentis intelligere naturam. Quare si opus est Unigenitus, naturam Patris neutiquam nobis exhibet. Si per seipsum notum nobis Patrem efficit, non est opus, sed verus Filius, et imago Dei, et substantiæ character[e].»

V. Athanasius præterea in oratione secunda sic scribit : « Quomodo factor, et creator seipsum videre possit in creata factaque substantia? Nam talem esse oportet imaginem, cujusmodi est ejus Pater. Age itaque videamus ea, quæ sunt Patris, ut et imaginem dignoscamus, an illius sit. Æternus est Pater,

a Cyril. Ἐν δὲ τοῖς οὖσιν ὅσα μὴ μόνον εἰς σχῆμα, καὶ εἶδος μεμόρφωται τὸ τινὸς, οὐσιώδη δὲ μᾶλλον διεκληρώσατο τὴν ἐμφέρειαν, ὁμοφυῆ δήπου πάντως εἶεν ἂν, καὶ τῆς κατὰ πᾶν ὁτιοῦν ὁμοιότητος ἀνενδεῶς ἐξημμένα.

b Cyril. Εὔδηλον γὰρ δήπουθέν ἐστι καὶ πᾶσιν ὁμολογούμενον, ὡς οὐδεὶς ἐν ἑτέρᾳ φύσει τὴν ἑτέραν ὄψεται· οὐδ' ἄν τις ἔχοι λέγειν ἵππον ἑωρακὼς, ὅτι δή τινα τῶν ἀνθρώπων τεθέαται. ἐν γὰρ τοῖς ὁμοφυέσιν ἡ τῶν ὁμοίων ἀπόδειξις, οὐκ ἐν τοῖς ἀλλήλων διεστηκόσι, κατὰ τὸν τοῦ πῶς εἶναι λόγον.

c Chrys. Οὐδεὶς χρυσὸν ἀγνοῶν ἐν ἀργύρῳ τοῦ χρυσίου τὴν οὐσίαν ἰδεῖν δύναται. οὐ γὰρ ἄλλη δι' ἄλλης φαίνεται φύσις.

d Disput. Athan. cum Ario. Εἰ γὰρ ἄλλος τυγχάνει τῇ οὐσίᾳ ὁ υἱὸς παρὰ τὸν πατέρα, πῶς δύναται θεωρεῖσθαι ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ; εἰ μὲν γὰρ οὐ δύναται ἄγαλμα ἀνδροείκελον κατεσκευασμένον ἐκ ξύλων γνωρισθῆναι ἐν λιθίνῳ, ἐν τῷ οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ ὄντι· εἰ δὲ ἀδύνατον λίθον ἐν ξύλῳ γνωρισθῆναι, καὶ ξύλον ἐν λίθῳ κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον· λείπεται λοιπὸν γνωρίζεσθαι τὸν παμβασιλέα θεὸν ἐν τῷ ὁμοουσίῳ αὐτοῦ υἱῷ. τὰ γὰρ ὁμοειδῆ, ᾧ εἰσιν ὁμοούσια ὁρώμενα, παριστάνουσι τὴν γνῶσιν καὶ τῶν μὴ ὁρωμένων.

e Basil. lib. II *contra Eunom.* Οὐ γὰρ ἐκ τῆς οἰκίας, τὴν οὐσίαν τοῦ οἰκοδόμου καταλαβεῖν δυνατόν. ἐκ μέν τοι τοῦ γεννήματος νοῆσαι ῥᾴδιον τοῦ γεγεννηκότος τὴν φύσιν. ὥστε εἰ μὲν δημιούργημα ὁ μονογενὴς, οὐ παρίστησιν ἡμῖν τοῦ πατρὸς τὴν οὐσίαν. εἰ δὲ γνωρίζει ἡμῖν δι' ἑαυτοῦ τὸν πατέρα, οὐχὶ δημιούργημα, ἀλλὰ υἱὸς ἀληθινὸς, καὶ εἰκὼν τοῦ θεοῦ, καὶ ὑποστάσεως χαρακτήρ.

1 *Hebr.* I. — 2 *Joan.* XIV. — 3 Lib. X. *Thes.* — 4 Homil. LXXIV *in Joan.* — 5 Lib. XVII *Thes.* et lib. IX *in Joan.* — 6 *Joan.* XIV, 9.

immortalis, potens, lumen, rex, omnipotens, Deus, Dominus, creator et factor. Hæc esse oportet in imagine, ut revera, qui Filium videt, videat et Patrem [a].» Tum in sequentibus Arianos ostendit nudum sine re Patris ac Filii nomen divinis personis concedere. Quod et Hilarius lib. *de Synodis* objicit his verbis : « Confusis permixtisque verbis veritatem frequentissime hæretici eludunt, et incautorum aures communium vocabulorum sono capiunt, Patrem, et Filium solis nominibus, non etiam per veritatem naturalis et genuinæ essentiæ prædicantes; quia omnium creationum sciant dici Deum Patrem, et sanctos quosque nuncupari meminerint Dei Filios, quo exemplo Patrem et Filium secundum communia universitatis nomina confitentur, ut Pater, et Filius dicantur potius, quam sint. Dicuntur enim, non etiam sunt; si in his differentiis essentiæ discreta natura est, cum non possit paterni nominis veritas, nisi ex naturæ suæ progenie acquiri. Pater itaque non potest alienæ a se ac dissimilis substantiæ Pater dici, quia nativitas perfecta non habet dissidentem originalis substantiæ diversitatem. » Propterea solus ille Filius, qui naturaliter a Patre genitus, naturalis ejus imago est, et naturæ essentiæque similitudinem habet, *in forma Dei*, esse dicitur, quod idem est atque in essentia. « Nam forma Dei idem omnino est cum essentia, ut ait Nyssenus. Atque ut idem Dei Filius in forma servi factus, in essentia substantiave formatus est servi, non nudam simplicemque formam, et figuram assumens, atque ab essentia separatam; sed essentia simul cum forma significatur. Ita prorsus qui dicit ipsum in Dei esse forma, essentiam per formam significavit [b]. » Hæc Nysseni argumentatio prorsus erudita est, et ad rem probandam multum habet ponderis. Etenim Apostolus eodem loco Christum dicit *in forma Dei fuisse*, et *formam accepisse servi* [1]. Porro formam induens servi, non adumbratam, et apparentem tantummodo figuram servi et hominis accepit, sed sic ejus, a quo genitus est, hominis imago fuit, ut veram et æqualem, imo eamdem cum genitrice sua hominis haberet substantiam et naturam. Eodem itaque modo, cum Dei formam a Patre vera in se generatione transfusam habere dicitur, propter quam μονογενὴς unigenitus appellatur, consequens est ejusdem illum naturæ, quæ est in Patre, esse participem, nec eo inferiorem ulla re, sed æqualem; hoc est perinde omnipotentem, sapientem, bonum, immortalem, sempiternum, et si quid aliud est, quod cum Dei notione conjungitur; quoniam quidquid in Deo est, quod ejus naturæ proprium, ac velut insitum humana cogitatione describitur, idem est cum natura ejus et essentia, nec aliud denique, quam Deus est.

VI. Porro eadem illa Gregorii Nysseni ratiocinatio præclare ab non bonis auctoribus tractatur Semiarianis iis, qui Basilio Ancyrano præside apud Ancyram in Galatia convenerunt, quorum tamen decreta commendavit Hilarius. Illi igitur apud Epiphanium similem esse natura et essentia Deo Patri Filium sic approbant. « Absurdum est enim, illum ab naturali statu ad eum, qui præter naturam est, esse perductum, hoc est Filium hominis ex Deo factum, iis, quorum naturalis est iste, naturalibus, inquam, hominibus in eo quod præter naturam suam habebat, similem fuisse; in eo vero, quod ipsi naturale est, naturalis illum Patris non esse similem, cum originem Deus a Deo traxerit [c]. » Tum ex eadem secta Germinius in epistola quadam *adversus Arianos*, « Quis non intelligat, inquit, quia, quemadmodum secundum servi formam vera fuit caro nostra in Christo, ita et in Dei forma vera sit divinitas Patris in Filio [2] ?» Egregie id quidem episcopi illi. Nam valde est abhorrens, Filium Dei, qua ab homine genitus est, hominis esse natura similem in omnibus; quatenus vero a Deo natus est, quod illi

a Athan. orat. ii. Πῶς δὲ καὶ ἑαυτὸν ἴδοι ἂν ὁ ποιητὴς καὶ κτίστης ἐν κτιστῇ οὐσίᾳ; τοιαύτην γὰρ εἶναι δεῖ τὴν εἰκόνα, ὡς ἐστὶν ὁ ταύτης πατήρ. φέρε τοίνυν ἴδωμεν τὰ τοῦ πατρὸς, ἵνα καὶ τὴν εἰκόνα ἐπιγνῶμεν εἰ αὐτοῦ ἐστιν. ἀΐδιός ἐστιν ὁ πατὴρ, ἀθάνατος, δυνατὸς, φῶς, βασιλεὺς, παντοκράτωρ, θεὸς, κύριος, κτίστης, καὶ ποιητής. ταῦτα εἶναι δεῖ ἐν τῇ εἰκόνι, ἵνα ἀληθῶς ὁ τὸν υἱὸν ἑωρακὼς ἴδῃ τὸν πατέρα.

b Nyssen. lib. III *contra Eunom*. Ἡ δὲ μορφὴ τοῦ θεοῦ ταὐτὸν τῇ οὐσίᾳ πάντως ἐστίν· ὡς γὰρ ἐν τῇ μορφῇ τοῦ δούλου γενόμενος, τῇ οὐσίᾳ τοῦ δούλου ἐνεμορφώθη, οὐ ψιλὴν ἀναλαβὼν ἐφ' ἑαυτοῦ τὴν μορφὴν, οὐδὲ τῆς οὐσίας διεζευγμένην, ἀλλ' ἡ οὐσία τῇ μορφῇ συσσημαίνεται. οὕτω πάντως καὶ ὁ εἰπὼν αὐτὸν ἐν μορφῇ θεοῦ εἶναι, τὴν οὐσίαν διὰ τῆς μορφῆς ἐνεδείξατο.

c Epiph. *Hær*. lxxiii, num. 9. Τῶν γὰρ ἀτόπων ἐστὶν, ἀπὸ μὲν τοῦ κατὰ φύσιν ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς τὸ παρὰ φύσιν, τουτέστιν ἀπὸ θεοῦ γενόμενον υἱὸν ἀνθρώπου, ὅμοιον γίνεσθαι τοῖς κατὰ φύσιν, τούτεστι τοῖς φυσικοῖς ἀνθρώποις ἐν τῷ ἑαυτοῦ παρὰ φύσιν, ἐν δὲ τῷ κατὰ φύσιν ἑαυτοῦ μὴ εἶναι ὅμοιον ἑαυτὸν κατὰ φύσιν πατρὶ ἐκ θεοῦ θεὸν γεννηθέντα.

1 *Phil*. ii. — 2 Tom. I, Conc. ex *Frag*. Hilarii.

antiquius ac præstantius est, non esse Dei natura similem, ac Deum. Vide et num. 17 ac 18 Epiphanii, in quibus idem argumentum pertexitur. Victorinus [1] quoque adversus Arium scribens, simili ratione est usus contra Marcellum atque Photinum. Et ante hos omnes Tertullianus in lib. V *cont. Marcionem*, cap. XX : « Æque non erit Deus Christus vere, inquit, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus. Utrobique enim veritas necesse habebit excludi, si effigies et similitudo, et figura phantasmati vindicabitur. » Et Hilarius in lib. I *ad Constantium*, « Non est, ait, æqualitas Dei in forma Dei esse, si non æqualitas hominis est, esse in forma servi. Quod si in forma servi homo Christus est, quid aliud in forma Dei, quam Christus Deus est? »

Quapropter expressa et naturalis imago, similitudoque Dei, quam Deus ex se format, et quæ ideo *in forma esse Dei*, ac *gloria* [2] dicitur, non potest esse non Deus. « Nisi forte quis existat tam stultus et vecors, ut putet, quod aliud ex se Deus in Deum, quam Deum formet; et qui in forma Dei sit, aliud aliquid totus ipse, quam Deus sit [3], » ut cum Hilario loquar. Sane non potest imago naturalis ac genita esse Dei, qui non sit Deus, nec infiniti, omnipotentis, sempiterni, invisibilis, qui non et ipse sit infinitus, omnipotens, sempiternus, invisibilis; quod nisi esset, falso de se diceret: *Qui videt me, videt et Patrem* [4]; cum hoc, quod in Patre cernitur, ista omnia sint, ac cætera, quæ *attributa* vocantur. Sensit hoc Augustinus in libro *contra Sermonem Arianorum*, capite XXVI, ubi hæreticos istos arguit asseverantes, « totius bonitatis, et sapientiæ, et virtutis Patris vivam et veram, propriam et condignam imaginem esse Filium. » Atqui « Apostolus Paulus, ait, non virtutis Dei, et sapientiæ imaginem, sed eum ipsum esse dicit Dei virtutem, et Dei sapientiam. Eo ipso igitur, quod imago Patris est Filius, virtus ejus et sapientia est. Imago autem plena, atque perfecta, id est non ab illo ex nihilo facta, sed de illo genita, nihil minus habet, quam ille, cujus imago est. Patris quippe imago summa, id est ita similis, ut in ea dissimile aliquid non sit, Filius est unius. »

VII. Quod si quis ad Filii, geniti et imaginis notionem illam etiam velit adjungere, quæ divinæ huic generationi præcipue convenit; nimirum, fetum esse mentis, intelligentiæque quod producitur, ac Verbum mentis; tum id, quod dixi, de perfecta similitudine et æqualitate multo magis agnoscet. Etenim expressa illa similitudo cognitæ rei, quæ verbum mentis, sive interior sermo dicitur, talis esse debet, ut quidquid est in re cognita, quod contemplando percipitur, totum id contineat ac referat; ex quo sequitur, Deum Patrem, qui se penitus perfecteque comprehendit, totum id, quod in natura inest et essentia sua, Verbo illo mentis exprimere; idque cum illa prorsus exæquari *objectiva*, ut vocant, æqualitate ac similitudine, cujusmodi in omni cognitione mentis, ac verbo etiam creato ac finito cernitur. Jam vero cum divinitatis hoc proprium sit, ut « consubstantiale illi sit, quidquid ejus est, » quod ex Augustino paulo ante docuimus; habet hoc præterea divinum Verbum, ut Patri consubstantiale sit, hoc est, ut non solum substantia sit, neque accidentis more divinam naturam afficiat, et ad eam adhærescat, sed etiam ejusdem ut cum illo sit substantiæ. Idem ergo cum Patre natura est, et essentia, cæterisque, quæ ex natura profluere ac proficisci falso in Deo fingit humana cognitio, cum sint ipsa Dei natura, imo ipsemet Deus; nec alia re differt a Patre, nisi quia genitus est, ac Filius. Ex quo et illud apparet, quod supra commemoravimus, cum imaginis et similitudinis illa notione æqualitatem et unitatem esse conjunctam, ut tam Ariana, quam Sabelliana hæresis obmutescat utriusque professione fracta atque convicta. « Non enim est æqualitas in dissimilibus, ait Hilarius, nec similitudo est intra unum [5]; » quod subinde his verbis acute, eruditeque declarat : « Si ergo naturam neque aliam, neque dissimilem ei, quem impassibiliter generabat, dedit, non potest aliam dedisse, nisi propriam. Ita similitudo proprietas est; proprietas æqualitas est, et æqualitas nihil differt. Quæ autem nihil differunt, unum sunt, non unione personæ, sed æqualitate naturæ. »

VIII. Atque hoc ipsum, quod ex Verbi cognitionisque divinæ proprietate argumentum duximus, sic ab Augustino [6] comprehenditur : « Proinde tanquam seipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso. Ibi summe illud agnos-

1 Lib. I, tom. IV *Biblioth. Patrum*, col. 19 et seq. — 2 *Philip.* II. — 3 Hil. lib. VIII *de Trin.* — 4 *Joan* XIV, 9. — 5 Lib. VIII. — 6 XV *de Trin.*, cap. XIV.

citur, est, est, non, non. Et ideo Verbum hoc vere veritas est, quoniam quidquid in ea scientia, de qua genitum est, et in ipso est. » Quamobrem etsi a Richardo Victorino vere scriptum est in tertio *de Trinitate*, capite septimo, « similitudinem posse haberi sine æqualitate, æqualitatem vero nunquam sine mutua similitudine, quod et Augustinus pluribus docet, ut suo loco referam; tamen similitudinis et imaginis ratio illa, quæ generatione derivatur in Filium, ab eo consubstantiale et æquale non excludit, sed potius sequitur, et cum utroque necessario conjungitur. Quæ res effecit olim, ut a Semiarianorum professione quidam Patres haud multum abhorruerint;

Consubstantiale.

qui tametsi τὸ ὁμοούσιον rejicerent, sive quod in sacris Litteris nequaquam existeret, sive quod personarum discrimen videretur auferre, ac pro eo τὸ ὁμοιούσιον, id est *substantia simile* substituerent: ita tamen hoc interpretabantur, ut perparum, aut nihil ab eo catholico *consubstantialis* dogmate differrent. Exstat apud Epiphanium [1] Ancyrani concilii decretum, quod a Basilio ejusdem urbis episcopo Constantio imperatore celebratum est adversus Anomœos; in quo similem esse per omnia Filium Patri statuitur, non solum voluntate et actione, sed etiam natura, substantia, et existentia, quatenus lumen est de lumine, vita de vita, Deus ex Deo, verus ex vero. Addunt et anathematismos complures, quibus eadem doctrina sancitur. Quos sanctus Hilarius libro *de Synodis* ad populares suos mittens explicat et illustrat. Sed et sanctus Vigilius eosdem anathematismos intelligens, « duodecim sententiarum definitiones » appellat, quæ adversus Osii, Valentis, Ursacii et Germinii Sirmiensem formulam editæ, sunt ab universis orientalibus episcopis. Totidem enim anathematismos Ancyranæ illius synodi aut nactus est, aut secrevit Hilarius, cum sunt apud Epiphanium circiter undeviginti. Sed etsi ab hæreticis, ac Semiarianis profecti sint, non tamen hæreticam damnatamque continebant sententiam; et eo tantum ab catholica professione distabant, quod *consubstantialis*, ut dixi, vocem respuerent; cæterum reipsa propemodum idem cum eo, quod illo vocabulo significatur, intelligi volebant. Exempli causa anathematismo tertio apud Hilarium, qui apud Epiphanium septimus est, ita decernitur : « Et si quis audiens unigenitum Filium invisibilis Dei, similem non dixerit essentia Filium, qui est imago Dei invisibilis, cujus imago, et juxta essentiam intelligitur, quasi non vere dicens Filium, anathema sit. » Ergo et vere Filium fatentur, et essentia similem : tametsi ὁμοούσιον esse negent in postremo anathematismo, qui apud Hilarium non legitur; quod scilicet eam vocem idem pene esse putabant, quod ταυτοούσιον, « ut per hanc unius essentiæ nuncupationem, solitarium atque unicum sibi esse Patrem et Filium, » significari crederent, ut scribit Hilarius.

Substantiæ identitatem.

Sed si vere Filius est, et a Patre genitus, ac natura essentiaque similis, id est vera et naturalis ejus imago; procul dubio æqualis ei est, et nulla divinitatis conditione minor. Propterea Basilius hæc verba, *similis secundum essentiam*, si iis adjungantur, *sine ullo discrimine*, eamdem habere vim, ac *consubstantiale* censet [a]. Quare ὅμοιος ἀπαραλλάκτως κατ' οὐσίαν duo significat: nimirum substantiæ, sive essentiæ similitudinem æqualitatemque, tum personarum differentiam; quam posteriorem confundi appellatione ista τοῦ ὁμοουσίου Semiariani querebantur.

Consubstantialis.

Qua de causa in Sirmiensi fidei formula [2], quam Valens, Ursacius et Germinius coram imperatore Constantio protulerunt; et in ea, quæ Seleuciæ in Isauria ab ejusdem generis Arianis est edita, ambo illa vocabula ὁμοούσιον, et ὁμοιούσιον obliterata sunt.

Homousion et Homœousion.

Arianorum ludificationes excluduntur.

IX. Neque vero ignorandum illud est, nonnullos ex isto grege, cum de Patris substantia genitum negarent esse Filium, ac natura et essentia inferiorem esse sentirent; et nihilominus similem esse, et imaginem illius cogerentur agnoscere, in ea imaginis interpretandæ ratione callide ac veteratorie lusisse. Quippe imaginem Dei sic esse Filium fatebantur, ut non eadem, quæ est in Patre, divinitas esset in Filio; sed ut eam ille similitudine quadam referret ; atque exstrinsece tantum et σχετικῶς, vel, ut nostri loquuntur, *objective* Deus esset;

Relative.

quemadmodum figura regis coloribus adumbrata, vel metallis expressa nuncupari rex solet, cum interim solo in homine, quem muta effigies imitatur, pro-

a Basil. epist. xli. Ἐγὼ δὲ, εἰ χρὴ τοὐμὸν ἴδιον εἰπεῖν, τὸ ὅμοιον κατ' οὐσίαν, εἰ μὲν προσκείμενον ἔχῃ τὸ ἀπαραλλάκτως, δέχομαι τὴν φωνὴν, ὡς ταὐτὸν τῷ ὁμοουσίῳ φέρουσαν, κατὰ τὴν ὑγιῆ δηλονότι τοῦ ὁμοουσίου διάνοιαν.

1 Epiph. hær. lxxiii, n. 2 et seq. Vide num. 22. — 2 Exstat apud Athan. *de Synod.*, et Hilar. lib. *de Synod.*

prie ipsa regis insit dignitas et appellatio. Hinc illud explicabant, quod habet catholica fides : unum, et solum esse Deum, quamvis et Pater Deus sit, et Filius ; nempe quoniam hic illius est imago, neque Deus alio jure ac titulo dicatur, nisi quia Dei similitudinem gerit, quamvis natura, substantia, dignitate, sapientia, potestate cæterisque omnibus impar sit, et infinito intervallo distet. Talem Eusebii Cæsariensis opinionem fuisse communem ei cum Arianis plerisque, manifestum est ex iis, quæ libro superiore super ea re scripsimus. Quibus disertissimum adjungemus ejusdem locum ex quinto libro *de Demonstratione evangelica*, ubi Filium ait « ab omnium artificiosissimo et omnia sciente pictore, ac vivifico Patre ad exactam similitudinem elaboratum esse, ideoque merito Deum ab sacris Litteris prædicari[a]. » Hæc Eusebii profana vox cæteris consentanea, quæ in primo libro ex eodem attulimus, ab Athanasio confutatur in libello quodam, quo Meletii, Eusebii ac Pauli Samosateni cavillationes refellit; si is tamen Athanasii liber est, quod non putamus, ut alibi diximus. At catholici Patres isto ipso regis, et imaginis exemplo idem aliquando probare studuerunt, unicum esse christianorum Deum, et quidquid est in Patre, id in Filio reperiri. Sed hoc alia mente, ac proposito fecerunt, atque ita prorsus, uti supra declaratum est, ut non solum similem, sed æqualem etiam Patri esse Filium ostenderent, nec ulla re discrepantem inferioremque substantia. Hoc inter alios exponit Athanasius, latissimeque disserit libro *contra Arianos* quarto; ubi in Filio sic, tanquam in imagine, conspici Patrem, ejusque divinitatem ait, ut qui Filium videt, videat et Patrem, et uterque sit unum, et in Patre sit Filius, atque in Filio Pater, et in forma Dei sit Filius æqualisque Deo. Ad id vero exemplum adhibet imaginis regis, quæ proportione idem est cum rege, atque alterum in altero cernitur. « Sic igitur, quoniam Filius imago Patris est, necessario cogitandum est, divinitatem et proprietatem Patris ipsam essentiam Filii constituere. Et hoc est, quod ait, *Qui cum in forma Dei esset;* tum illud, *Pater in me.* Neque vero ex parte divinitatis forma intelligi debet, sed plenitudo paternæ divinitatis est essentia Filii, ac totus Deus est Filius[b]. » Cujus rei causam affert istam, « quod ipsum esse Filii proprius sit fetus paternæ substantiæ. »

X. Huic apprime consentaneus est Basilii locus in libro de Spiritu sancto[1], ubi, cum quæsisset, quomodo unus sit Deus, cum Pater Deus sit, Deus item sit et Filius, respondet id eo fieri, quia Filius est imago Patris; porro rex appellari solet etiam regis effigies, neque propterea duo sunt reges; tum addit : « Quod igitur hic imitatione est imago, idipsum illic naturaliter est Filius [c]. »

Et in homilia *contra Sabellianos* unum esse Deum probat, « Quoniam unum est archetypum, imago una ; propterea quod genitus ex Patre Filius, et naturaliter in se Patrem exprimens, quatenus imago est, habet ut nulla re ab illo discrepet ; quatenus vero est progenies, consubstantiale conservat [d]. » Adjungit regis, et imaginis similitudinem, qui ambo duo non dicuntur reges, sed unus; atque « eodem modo imaginis, inquit, ratio, si, ut Deo congruit, accipiatur, divinitatis nobis unitatem commendat. » Prudenter hoc Basilius, quod et alii Patres adnotarunt, qui similitudine illa regiæ imaginis utuntur, θεοπρεπῶς accipiendam esse rationem imaginis. Nam multum interest primum inter factam imaginem et genitam ; tum inter illam, quæ creaturæ, et quæ Deo convenit. Quæ facta est imago, et arte constat, ea non archetypi naturam ac substantiam ipsam, sed figuram externamque speciem adumbrat ; quæ autem generatione producitur, naturæ habet non *Ut Deum decet.*

a EUSEB. Ὑπό τε τοῦ πάντων τεχνικωτάτου, καὶ πανεπιστήμονος ζωγράφου τε καὶ ζωοποιοῦ πατρὸς εἰς τὸ ἔτι ἀκριβὲς τῆς ὁμοιώσεως ἀπειργασμένον θεὸν εἰκότως οἱ θεῖοι ἀναγορεύουσι λόγοι.

b ATHAN. Ἐπεὶ τοίνυν δὲ ὁ υἱὸς εἰκών ἐστι τοῦ πατρὸς, ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ νοεῖν, ὅτι ἡ θεότης καὶ ἡ ἰδιότης τοῦ πατρὸς, τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ ἐστι. καὶ τοῦτό ἐστιν ὁ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, καὶ, ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί. οὐκ ἐκ μέρους δὲ ἡ τῆς θεότητος μορφὴ, ἀλλὰ τὸ πλήρωμα τῆς τοῦ πατρὸς θεότητός ἐστι τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ· καὶ ὅλος θεός ἐστιν ὁ υἱός.

MOX : Ἀλλ' ὅτι αὐτὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ ἴδιον τῆς πατρικῆς οὐσίας ἐστὶ τὸ γέννημα.

c BASIL. Ὃ οὖν ἐστιν ἐνταῦθα μιμητικῶς ἡ εἰκὼν, τοῦτο ἐκεῖ φυσικῶς ὁ υἱός.

d BASIL. Ὅπου γὰρ μία μὲν ἡ ἀρχὴ, ἓν δὲ τὸ ἐξ αὐτῆς, καὶ ἓν μὲν τὸ ἀρχέτυπον, μία δὲ ἡ εἰκὼν, ὁ τῆς ἑνότητος λόγος οὐ διαφθείρεται. διότι γεννητὸς ὑπάρχων ἐκ τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, καὶ φυσικῆς ἐκτυπῶν ἐν ἑαυτῷ τὸν πατέρα, ὡς μὲν εἰκὼν τὸ ἀπαράλλακτον ἔχει, ὡς δὲ γέννημα τὸ ὁμοούσιον διασώζει.

MOX : Καὶ οὕτως ὁ τῆς εἰκόνος λόγος θεοπρεπῶς παραδεχθεὶς τὴν ἑνότητα ἡμῖν παρίστησι τῆς θεότητος.

1 Cap. XVIII.

similitudinem solum, sed, ut sic loquar, identitatem. Huc illa spectant, quæ in *Excerptis*[1] sententiarum de imaginibus leguntur : « In ea imagine, quæ ad imitationem facta est, secundum speciem, sive formam est similitudo. In naturali vero, secundum substantiam, sive divinitatem, est identitas[a]. » Ac paulo post : « Cujuscumque imitando exprimitur imago, non ejus natura, sed hypostasis figuratur ; et propterea idem cum archetypo imago est illius, non natura, sed hypostasi, sive imitatione hypostasis[b]. » Rursus imago rei creatæ generatione edita, non eamdem numero, sed specie naturam exprimit ; at Dei imago genita ipsissimam, quæ est in Patre, et eamdem numero naturam habet in sese ; id quod alibi declarabitur.

XI. Ut ad hæreticos imaginis cavillatores disputatio redeat, præter molliores, ut ita dixerim, Arianos illos, qui similem substantia Filium esse Patris aiebant, extiterunt alii, qui negabant esse ullam in Filio paternæ similitudinem substantiæ, sed tantummodo voluntatis, vel doctrinæ, vel etiam virtutis, et efficientiæ. Contra quos Athanasius, Hilarius, Cyrillus aliique contendunt. Sed et dimidiati illi Ariani in Ancyrano conciliabulo apud Hilarium[2] et Epiphanium[3]. Athanasius quidem opinionem illorum confutat aientium, eo dici similem, « Quoniam quæ vult Pater, vult et Filius, neque vel cogitationibus ejus, vel judiciis repugnat, sed in omnibus cum eo consentit ; et eadem dogmata, consentaneumque ac cohærentem cum Patris doctrina sermonem et rationem exhibet, atque idcirco ipse, et Pater unum sunt[c]. » Verum id ex eo reprehendit, quod eodem modo angeli, prophetæ, apostoli, imago ac similitudo Dei, unumque cum Deo, et hujus unigenitus, ac Verbum et Sapientia appellari deberent. Hilarius[4] vero Ancyranæ synodi sententiam approbans, quæ anathema dicebat iis, qui, essentiæ sublata similitudine, solam efficientiæ, sive ἐνεργείας agnoscebant, quod idem est, ac virtutis, absurde illos sentire demonstrat : « Non intelligentes, nonnisi ex naturæ similitudine similitudinem esse virtutis. Neque enim aliquando inferior natura superioris a se potiorisque naturæ virtutem consequetur. Aut quid hæc asserentes, de omnipotente Deo profitebantur, si virtuti suæ virtus naturæ inferioris exæquatur ? Non enim potest negari, quin Filius idem possit, cum dixerit, *Quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter.* Sed similitudini virtutis naturæ similitudo succedit, cum dicit : *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, ita et Filio dedit vitam habere in semetipso.* In vita naturæ, et essentiæ significatio est, quæ, sicut habetur, ita data esse docetur ad habendum. » Vide Cyrillum dialogo V *de Trinitate*, et libro quinto *in Joannem*, capite secundo sub finem. At vero contrarium e diametro in errorem delatus Ancyranus episcopus Marcellus, Filium negabat imaginem esse Dei, quod aliud sit imago Domini ac Dei, aliud Dominus, ac Deus ; contra quem et Eusebius Cæsariensis in opere adversus hunc edito, et Eusebii discipulus Acacius apud Epiphanium disputat in *Marcellianorum* hæresi, quæ est LXXII.

CAPUT XII.

Afferuntur alia e Scripturis argumenta, quibus Filii divinitas, et cum personæ diversitate, naturæ ac substantiæ unitas cum Patre defenditur.

I. Præclarum quoque, et invictum adversus Arianos iis ex Scripturæ locis argumentum ducitur, quæ Filium Dei creaturam non esse persuadent ; in quo scimus, hæreticos istos a se invicem fuisse divisos, ut nonnulli *creatum* esse profiteri minime auderent, sed ante tempora omnia genitum a Patre, neque tamen coæternum ideo esse defenderent ; qua in opinione Pneumatomachorum aliqui fuerunt, ut ex Epiphanio[5] superiore libro demonstravimus ; alii porro vel creatum esse, simpliciter ac sine fuco dicerent, ut Arius primum, deinde Anomœi et Eunomiani ; vel callida excep-

a Sentent. *de Imagin.* Ἐπὶ μὲν τῆς μιμητικῆς εἰκόνος, κατὰ τὴν ἰδέαν, ἤτοι μορφὴν, ἡ ὁμοίωσις· ἐπὶ δὲ τῆς φυσικῆς, κατὰ τὴν οὐσίαν, ἤτοι θεότητα ἡ ταὐτότης.

b Mox : Παντὸς μιμητικῶς εἰκονιζομένου οὐχ ἡ φύσις, ἀλλ' ἡ ὑπόστασις εἰκονίζεται, καὶ διὰ τοῦτο ταὐτὸν τῷ ἀρχετύπῳ ἡ εἰκὼν αὐτοῦ οὐ τῇ φύσει, ἀλλὰ τῇ ὑποστάσει, ἤγουν τῇ μιμήσει τῆς ὑποστάσεως.

c ATHAN. orat. IV *contra Arian.* Φασὶ γὰρ ἐπεὶ ἃ θέλει ὁ πατὴρ, ταῦτα θέλει καὶ ὁ υἱὸς, καὶ οὔτε τοῖς νοήμασιν, οὔτε τοῖς κρίμασιν ἀντίκειται. ἀλλ' ἐν πᾶσίν ἐστι σύμφωνος αὐτῷ, τὴν ταὐτότητα τῶν δογμάτων, καὶ τὸν ἀκόλουθον, καὶ συνηρτημένον τῇ τοῦ πατρὸς διδασκαλίᾳ ἀποδιδοὺς λόγον, διὰ τοῦτο αὐτὸς καὶ ὁ πατὴρ ἕν εἰσιν.

1 Tom. I *Biblioth. Patrum* Græco-Lat. p. 725.—2 Lib. *de Syn.* Anath. VI. — 3 Hær. LXIII, n. 11. — 4 Lib. *de Syn.*—5 Hær. VII.

tione ludificantes, non omnino creaturam negarent esse, sed *creaturam, cujusmodi sunt cæteræ;* ut, qui parum eos cognitos haberent, putarent bona fide ab creatarum rerum conditione secernere Filium Dei; prudentiores velle id unum intelligerent, excellentioris cujusdam ordinis ac sortis esse, quam sint reliquæ creaturæ, sed esse tamen creaturam. Quam illorum dissimulationem Ariminensibus Patribus, ac pene toti orbi terrarum fraudi fuisse, queritur Hieronymus [1].

Hanc ipsam supra creaturas cæteras divini Verbi Filiique præstantiam sic interpretati illi sunt, primum uti tempore anteriorem omni facerent ipsum, tempus illud intelligentes, quod ita proprie nominatum ex cœlestis orbis conversione nascitur, ut scribit Epiphanius. In quo nihil ei magnum, præter cœlestes spiritus, atque eximium dabant; quos plerique veterum ante mundum, ac cœlum a Deo procreatos esse docuerunt. Tum eo anteponebant aliis, quod primus a Deo solo, nullius interventu alterius, tanquam instrumenti, et adminiculi, conditus fuerit; ipse autem ad molienda reliqua, velut primarium instrumentum, usum sui operamque præbuerit, ita cum Arianos complures, tum Eusebium Cæsariensem præcipue sensisse, superiore libro patefecimus. Sed et Gregorius Nyssenus [2] idem ab Eunomio, et Theognoto quodam Ariano usurpatum esse refert.

II. Verum non esse creatum Dei Filium, neque creaturam appellari quoquo modo posse, imprimis illud ostendit, quod vere, proprieque sit Deus, uti capite x declaravimus. Nam creaturæ nullo interjecto Deus opponitur, ut « omnis substantia, quæ Deus non est, creatura sit, et quæ creatura non est, Deus sit, » ut ait Augustinus [3]. Nazianzenus quoque, « Si Deus est, non est creatura. Creatura enim nobiscum est, qui dii non sumus. Si autem creatura est, non est Deus. Cœpit enim in tempore; quod autem cœpit, aliquando non erat. Quod vero ejusmodi est, ut non esse eo sit antiquius, hoc proprie non est; quod autem proprie non est, quinam Deus esse possit [a]? » Idem præterea orat. XXIV demonstrat, nihil inter naturalem dominatum et servitutem, hoc est divinam et creatam conditionem, velut medium, intercedere; sed quidquid ejusmodi est, ut naturali servitute censeatur, id esse creaturam, tametsi aliæ antecellant.

Et Cyrillus libro primo *in Joannem*, « Deum, inquit, videmus, et creaturam, ac præter hæc aliud nihil. Quod enim Deus non est secundum naturam, utique factum istud est, et quidquid ab facti conditione est exemptum, intra divinitatis terminos consistit [b]. » Neque vero minus istic, aut majus locum habet, ut his versibus canit Prosper [4]:

« Quodque Deo minus est, non est Deus; a [Patre natum
Verbum, et qui amborum Spiritus est, Deus [est.
Una eademque trium quoniam est essentia, [quæ se
Nunquam vel major, vel minor esse potest.»

Quocirca necesse est Deum negari, quem creaturam esse censeas. Et Ariani, qui Dei vocabulum Filio concedebant, cum acriori, ac subtiliori inquisitione premerentur, Deum ὁμωνύμως duntaxat, non vere, ac proprie intelligi a se fatebantur. *Æquivoce.* Ridicula vero fuit hæc illorum defensio, creaturam esse, sed non quales essent creaturæ cæteræ. Etenim si vox ista, *quales*, propriam cujusque naturam et qualitatem significat, frivola est exceptio. « Quæ enim creatura sicut alia creatura est? ut ait Ambrosius [5]: « Homo non ut angelus; terra non sicut cœlum; sol non ut aqua; lumen non ut tenebræ. Nihil ergo præferendo donavit. Sed ad simplices decipiendos misero colore fraudem suæ impietatis obduxit. » Athanasius quoque orat. III. Quænam altera creatura talis est, qualis altera est facta, ut hoc de Filio, tanquam eximium asseratis [c]?» etc. Tum: « Neque lumen est sicut nox, neque sol ut luna, neque rationis expertia sunt, ut rationis homo particeps; neque angeli, ut

a NAZIANZ. orat. XXXII. Εἰ μὲν θεὸς, οὐ κτίσμα. μεθ' ἡμῶν γὰρ τὸ κτίσμα τῶν οὐ θεῶν. εἰ κτίσμα δὲ, οὐ θεός· ἤρξατο γὰρ χρονικῶς. ὁ δὲ ἤρξατο, ἦν ὅτε οὐκ ἦν. οὗ δὲ πρεσβύτερον τὸ, οὐκ ἦν, τοῦτο οὐ κυρίως ὄν· τὸ δὲ μὴ κυρίως ὂν, πῶς θεός;

b CYRIL. I *in Joan.* cap. VI. Θεὸν ὁρῶμεν, καὶ κτίσιν, καὶ ἕτερον ἐπὶ τούτοις οὐδέν. ὃ γὰρ ἂν ἐκπίπτει τοῦ εἶναι θεὸς κατὰ φύσιν, τοῦτο πάντως ἐστὶ γενητόν καὶ ὅπερ ἂν τὸν τοῦ πεποιῆσθαι διαφεύγει λόγον, εἴσω πάντως ἐστὶ τῶν τῆς θεότητος ὅρων.

c ATHAN. orat. III. Ποῖον γὰρ καὶ ἕτερον τῶν κτισμάτων τοιοῦτόν ἐστιν, οἷον γέγονε καὶ τὸ ἕτερον, ἵνα τοῦτο περὶ υἱοῦ, ὡς ἐξαίρετόν τι, λέγετε;

1 Dial. *cont. Lucif.* — 2 III *cont. Eun.*; Naz. or. XLIX. — 3 *De Trin.* VI. — 4 Epigr. LV. — 5 Amb. I *de Fide* cap. IX.

throni ; nec hi ut potestates. Sed omnia quidem creaturæ sunt; unumquodque vero eorum, quæ facta sunt, secundum genus suum, suapte substantia, ut est factum, existit, et manet [a]. » Videndus et Gregorius Nyssenus loco proxime citato.

Ex notione creaturæ probatur Christum esse increatum.

III. Sin est, ut subjectam nomini creaturæ notionem intelligant, quæ in eo sita est, ut cum ante non esset, ex nihilo producta esse cœperit; tum vero nihil ab creaturis aliis princeps illa creatura discrepat : « Quippe creaturarum, et operum proprium istud est, inquit Athanasius, ut non sint, antequam fiant, deque non exstantibus in rerum natura subsistant; tametsi gloria et splendore cæteris antecellant [b]. »

Itaque non minori jure nos quoque Dei filii , quam Verbum ipsum, appellabimur, quamvis tempore ac dignitate posteriores. « Siquidem plus et minus non diversam naturam esse demonstrat [c], » ut idem Athanasius disputat. Erudite ad eamdem sententiam Epiphanius [1] adversus Anomœos contendit, si alienus a Patris substantia esset Filius, et non proprie genitus, sed creatus, hoc est non γεννητικῶς, sed κτιστικῶς ab eo productus, « non jam unum dici posse genitum, cætera vero creata, sed aut omnia cum ipso genita dici debere, aut ipsum cum omnibus creatum similiter appellari; atque ita nihil eximium penes illum fore, cum hac ex parte, quod ex nihilo productus foret, unus ille cum cæteris adæquaretur omnibus adeo, ut non modo angeli cum factore creatoreque suo unigenito, sed et homines et pecudes exæquentur [d]. » Deinde creaturam non esse persuadet, quod creator est ipse rerum omnium. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est* [2]. Ex quo sic Athanasius [3], Gregorius Nyssenus [4], Ambrosius [5], Augustinus [6], Cyrillus [7] argumentantur, ab iis, quæ facta creataque sunt, excipi Filium, aut ipsum certe a se esse factum : quod dictu sit absurdum.

Eadem argumentatione valide contra Arianos instat Chrysostomus homilia quarta *in Joannem*, cujus verba ex Evangelii initio ponderat. « Cum enim dixisset, inquit, *et Deus erat Verbum*, ne quis putaret, minorem esse divinitatem Filii, subinde certa germanæ ipsius divinitatis indicia ponit, dum et æternitatis iterum meminit. *Hoc* enim *erat*, inquit, *in principio apud Deum;* et procreandi vim adjicit : *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est;* quod quidem et ipsius Pater per prophetas, ubique substantiæ suæ argumentum et indicium esse dicit : ac prophetæ demonstrationis hoc genus assidue commemorant, neque id simpliciter, sed adversus opinionem de idolis pugnantes. *Dii enim*, ait, *qui cœlum et terram non fecerunt*, *pereant*. Et rursus : *Ego manu mea extendi cœlum*, atque hoc divinitatis signum esse demonstrans, ubique commemorat [e]. » Tum, quod ita scripsit Joannes, *per ipsum*, non *ab ipso* facta esse omnia, nihil hoc esse probat homilia sequente [8]. Etenim nonnunquam etiam, cum de Patre sermo est, adhiberi docet particulam δι' οὗ, ut cum Paulus ita scribit : « *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii sui* [9]. » Et alibi, « *Per voluntatem ipsius* [10]. » Nam ideo *per ipsum* dixisse Joannem asserit, ut ne a seipso Verbum existere, sed a Patre, tanquam principio, monstraret.

Per quem.

a Athan. orat. iii. Καὶ οὔτε τὸ φῶς ὡς νὺξ, οὔτε ὁ ἥλιος ὡς ἡ σελήνη· οὔτε τὰ ἄλογα, ὡς ὁ λογικὸς ἄνθρωπός ἐστι· οὔτε οἱ ἄγγελοι, ὡς οἱ θρόνοι· οὔτε οὗτοι ὡς αἱ ἐξουσίαι· ἀλλὰ πάντα μέν ἐστι κτίσματα, ἕκαστον δὲ τῶν γενομένων κατὰ γένος, τῇ ἰδίᾳ οὐσίᾳ, ὡς γέγονεν, ἐστί τε καὶ μένει.

b Ibid. Ἴδιον γὰρ τῶν κτισμάτων καὶ ποιημάτων τὸ μὴ εἶναι πρὶν γενέσθαι, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ὑφίστασθαι, κἂν τῇ δόξῃ τῶν ἄλλων ὑπερέχῃ.

c Athan. lib. *de Decr. Syn.* Τὸ γὰρ πλέον, καὶ ἔλαττον οὐ τὴν φύσιν ἄλλην δείκνυσι.

d Epiphan. Καὶ οὐκέτι ἐνεδέχετο τὸν ἕνα λέγεσθαι γέννημα, τὰ δὲ ἄλλα, κτίσματα· ἀλλ' ἢ τὰ πάντα σὺν αὐτῷ γεννήματα λέγεσθαι, ἢ αὐτὸν σὺν πᾶσι κτίσμα ὁμοίως καλεῖσθαι· καὶ οὐδὲν ἦν ἐξαίρετον, ἐξισουμένου τοῦ ἑνὸς τοῖς πᾶσι κατὰ τὸ μέρος τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, οὐ μόνον, εἴποιμι, ἀγγέλους τῷ αὐτῶν δὲ ποιητῇ, καὶ κτίστῃ μονογενεῖ, ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπους καὶ κτήνη.

e Chrysostomus. Προειπὼν γὰρ καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, ἵνα μὴ νομίσῃ τις ἐλάττονα εἶναι τὴν θεότητα τοῦ υἱοῦ, εὐθέως αὐτοῦ καὶ γνωριστικὰ τῆς γνησίας τίθησι θεότητος, τό τε ἀΐδιον ἀναλαβὼν (οὗτος γὰρ ἦν, φησὶν, ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν) καὶ τὸ δημιουργικὸν προστιθείς· πάντα γὰρ δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲν, ὃ γέγονε· ὃ μάλιστα καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ διὰ τῶν προφητῶν ἁπανταχοῦ τῆς οὐσίας τῆς αὐτοῦ γνωριστικὸν εἶναί φησι· καὶ συνεχῶς τοῦτο τῆς ἀποδείξεως τὸ εἶδος περιστρέφουσι, καὶ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς τὴν τῶν εἰδώλων ἀγωνιζόμενοι δόξαν· θεοὶ γὰρ, φησὶν, οἳ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν οὐκ ἐποίησαν ἀπολέσθωσαν· καὶ πάλιν, ἐγὼ τῇ χειρί μου ἐξέτεινα τὸν οὐρανόν· καὶ δεικνὺς θεότητος εἶναι δηλωτικὸν πανταχοῦ τίθησιν.

1 Hær lxxvi, confut. xxiii. — 2 *Joan*, i. — 3 Ath. *ad Afric.* — 4 Lib. I, *con. Eun.* — 5 Lib. I *de Fide*. cap. vi. — 6 Lib. I *de Trin.* cap. vi. — 7 *Thes.* lib. XVI, ed. Savil. — 8 Hom. v. — 9 I *Cor.* i, 9. — 10 *Rom.* ii, 30.

IV. Quapropter non debet inter creaturas, hoc est inter omnia illa, quæ facta dicuntur, includi omnium artifex Verbum. Siquidem « humanæ intelligentiæ sensus hoc respuit, » ait Hilarius[1], « ut creator creatura sit : quia creatio per creatorem est. » Cyrillus[2] quoque, « Divina, inquit, et dominatrix natura eo maxime dignoscitur, quod faciendi et creandi vim habet : serva autem et creata natura, eo quod facta sit, et ad ortum perducta. Quoniam ergo omnium opifex est Filius : neque unus erit ex omnibus, neque inter facta censebitur is, qui ex eo, quod potest creare, diversæ ab creatura naturæ esse monstratur, ac supra servilem modum assurgere, adeoque intra dominatricis substantiæ terminos existere[a]. »

Idem et Athanasius explicat, docetque, creaturam omnino nullam creare posse[3]; alioqui non per solum Verbum creata essent omnia, sed per superiores creaturas inferiores omnes, velut per angelos tota ipsa rerum universitas; quæ fuit Basilidis, Marcionis, Valentini, et aliorum hæresis. Nec est prætermittenda subtilis ejusdem Athanasii ratio, qui ex illis Apostoli verbis, *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos per illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*[4] colligit, Christum minime inter illa, quæ creata dicuntur, omnia numerari. « Nam si quis, ait, illum audeat, per quem omnia, profiteri unum esse omnium; prorsus hic de Deo, ex quo omnia, idem existimabit. Quod si id tanquam absonum devitat quispiam, et Deum, quasi alium, ab omnibus separat; consentaneum est, ut et unigena Filius Patris substantiæ proprius, alius ab omnibus esse dicatur. Jam si inter omnia non est ipse recensendus, nefas est de ipso dicere, fuit aliquando, cum non erat, et non erat, antequam gigneretur[b]. »

V. Communis[5] est et illa sanctorum Patrum argumentatio, qua verum, et æqualem Patri Deum esse probant Filium, quod summo illo genere adorationis, quam λατρείαν vocant, afficiatur; id vero creatæ nulli rei concessum sit. Etenim adorari Dei Filium testatur Apostolus *Hebr.* I, 6 : *Rursum autem, cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, et adorent eum omnes angeli Dei.* Est autem ejusmodi hæc adoratio, quæ nec angelis, nec ulli alteri creaturæ tribui possit; ut ex Apostoli oratione liquet, qui hoc ipso demonstrat, Filium infinito intervallo præstare angelis omnibus. Augustinus[6] vero ex iis Joannis verbis idem colligit : *Omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*[7]; quod honoris, dignitatisque consortium ex aliis itidem locis adstruitur, in quibus cum Patre, velut æqualis, conjungitur, ut in baptismi formula aliisque generis ejusdem; de quibus postea dicendi locus erit. Quin et δουλείας vocabulo nonnunquam summa hæc solique Deo competens veneratio et cultus adorationis exprimitur; ut cum Paulus *ad Gal.* I, 8, ita scribit : *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis*, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. Et I *Thessal.* I, 9 : *Quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero*, δουλεύειν θεῷ ζῶντι, καὶ ἀληθινῷ. At vero cultus iste, et adoratio, ne ulli prorsus creaturæ, sed uni tantummodo vindicetur Deo, sacræ Litteræ persæpe prohibent. *Deut.* VI, 13, et X, 20 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi servies.* Addunt Græci *soli*, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, quod et Christus usurpavit, cum tentanti Satanæ respondit : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*[8]. Tum. *Rom.* I, 25, gentiles damnantur philosophi, *qui servierunt potius creaturæ, quam creatori.* Ex quibus ita concludit Augustinus : « Cum igitur

Æqualis Patri Filius, quia cultu latriæ colitur.

Latriam.

Duliæ.

a Cyril. Ἐν μὲν οὖν τῷ δύνασθαι ποιεῖν τε, καὶ κτίζειν ἡ θεία καὶ δεσπόζουσα φύσις διαγινώσκεται· ἐν δὲ τῷ πεποιῆσθαι, καὶ παρῆχθαι πρὸς γένεσιν, ἡ δούλη, καὶ γενητή. ἐπειδὴ δὲ πάντων δημιουργός ἐστιν ὁ υἱός, οὔτε εἷς ἔσται τῶν πάντων, οὔτε ἐν τοῖς πεποιημένοις τατάξεται, ὁ διὰ τοῦ δύνασθαι κτίζειν ἑτεροφυὴς ὡς πρὸς τὴν κτίσιν ἀναδεικνύμενος, καὶ τὸ δουλικὸν ἀναβεβηκὼς μέτρον· ὥστε καὶ ἐντὸς ὅρων τῆς δεσποζούσης οὐσίας ὑπάρχων.

b Athan. orat. II *contra Arian.* Ὁ γὰρ τολμῶν τὸν δι' οὗ τὰ πάντα, λέγειν ἕνα εἶναι τῶν πάντων, πάντως δήπου καὶ περὶ θεοῦ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, τὸ αὐτὸ λογίσεται. εἰ δὲ τοῦτο ὡς ἄτοπον φεύγει τις, καὶ διΐστησιν ὡς ἄλλον ἀπὸ τῶν πάντων θεὸν, ἀκόλουθον ἂν εἴη καὶ τὸν μονογενῆ υἱὸν ἴδιον ὄντα τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἄλλον λέγειν εἶναι τῶν πάντων. μὴ ὄντος δὲ αὐτοῦ τῶν πάντων, οὐ θέμις ἐπ' αὐτοῦ λέγειν τὸ, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ, οὐκ ἦν πρὶν γεννηθῆναι.

1 Lib. XII. — 2 Lib. XXXII. *Thesaur.* — 3 Orat. III. — 4 I *Cor.* VIII, 6. — 5 Athan. orat. III *contra Arian.* et epist. *ad Adelph.*; Epiph. hær LXIV. n. 8, et hær. LXIX. n. 31 et 36, et hær. LXXVI, et in *Ancor.*; Greg. Nazianz. orat. XXX, et orat. XL. Nyssen. lib. I *contra Eun.* et lib. IV et XII. Chrys. orat. *de Trin.*; Cyril. lib. II *in Joan.* et lib. X et lib. XV. *Thes.*, et lib. XXXII, et alibi passim. Ambros. I *de Fide*, cap. VII et lib. *de Divin. Fil.* cap. II. August. *contra Serm. Arian.* cap. XXIX, et epist. LXVI. Basil. hom XXVII *contra Sabell.* — 6 Aug. *con. Ser. Arian.* cap. VI. — 7 *Joan.* V, 23. — 8 *Matth.* IV, 10, et *Luc.* IV, 8.

et Patri, et Filio, et Spiritui sancto ista, quæ latria vocatur, servitute serviamus, audiamusque legem Dei præcipientem, ut nulli alteri, sed soli Domino Deo nostro hanc exhibeamus; procul dubio unus et solus Dominus Deus noster est ipsa Trinitas, cui uni et soli talem servitutem pietatis jure debemus. » Athanasius vero contra Arianos disputans probat non idcirco Filium Dei adorari, quod creatis omnibus antecellat, etsi creatura ipse sit. « Nam si velut gloria sublimior adoraretur, par erat, ut inferiorum quilibet superiorem adoraret. At id secus se habet. Creaturam quippe creatura non adorat; sed servus dominum, et creatura Deum [a]. » Sic Petrus Cornelium adorare se volentem prohibet dicens, *Surge, et ego ipse homo sum* [1]; et angelus Joannem similia tentantem compescuit: *Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum* [2]. Ambrosius porro, et Nyssenus[3] ex Paulo idipsum efficiunt, qui, cum *servire creaturæ* [4] vetet, *servum* se nihilominus *Christi* profiteatur: *Paulus*, inquit, *servus Jesu Christi* [5].

VI. Hinc permulti veterum Patrum Arianos idololatras vocare consueverunt, quod eum, quem creaturam fatebantur, adorare tamen sese dicerent; ac nihil eos differre ab gentilibus asserunt, ut inter cæteros Athanasius [6], Basilius [6], Gregorius Nyssenus [7]; cujus locus mihi quidem contra Arianam perfidiam luculentissimus videtur, ob idque describendus. « Jubet, inquit, Deus per Prophetam, nullum recentem Deum arbitrari Deum, neque adorare Deum alienum. Atqui perspicuum est id recens appellari, quod non est ex æterno; et e contrario rursus æternum dicitur, quod non est recens. Qui igitur non ex æterno unigenitum Deum ex Patre esse credit, recentem eum esse non negat. Quod enim æternum non est, recens omnino est; quidquid autem recens est, Deus non est, quemadmodum Scriptura dicit, *Non erit in te Deus alienus*. Itaque qui dicit aliquando illum non fuisse, hic ejus divinitatem negat. »

Ac Cyrillus quidem [9] in dialogo quarto de *Trinitate* tale esse dogma istud hæreticorum ostendit, qui Filium neque verum esse Deum, et tamen adorandum venerandumque dicebant, uti gentiles, qui ad christianam fidem conversi sunt, nihilo meliorem in statum, quam in quo dudum erant, translati fuerint. Nam et creaturas adorare, iisque servire, et plures confiteri deos nihilominus pergunt, si Arianos audiunt. Ac gentiles quidem « ita creaturæ potius, quam creatori serviebant, et his, qui non sunt dii, ut primum deitatis locum attribuerent » uni alicui, et summo « fabricatori hujus universitatis Deo [10] » ait Irenæus. Eodem ergo modo et Ariani Deum habebant, adorabantque Filium; sed supra hunc alium supremum locabant. Quos quidem acri oratione merito sic Faustinus objurgat: « Respice ad apostolum Paulum, considera, quæ opprobria, quas obscenitates de iis referat, qui, ut ipse ait, commutaverunt veritatem Dei in mendacio, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius, quam creatori. Tu, si sic credis, et si colis, et servis unigenito Filio Dei, ut dicas illum esse creaturam, illa te mala, miser, expectant, quibus illi puniuntur, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacio, » etc.

Postremo non minus gravis, quam vera est illa Basilii [11] ejusdem hæresis notatio: « Cum multa sint, quibus christianismus ab gentili errore et Judaica inscitia discernitur; nullum credo ad id potius esse dogma in salutari nostro Evangelio, quam fidem in Patrem et Filium. Nam creatorem et opificem Deum etiam ii fatentur, qui quocumque a nobis errore separantur. At vero qui Patrem falso appellatum, et Filium voce tenus prædicat, nec interesse putat, Patrem, ac creatorem, et Filium, ac facturam dixerit, ubi illum reponemus? aut cui parti annumerabimus, Ju-

a Athan, orat. III *contra Arian*. Εἰ γὰρ ὡς τῇ δόξῃ ὑπερέχων προσεκυνεῖτο, ἔδει καὶ ἕκαστον τῶν ὑποβεβηκότων τὸν ὑπερέχοντα προσκυνεῖν. ἀλλ' οὐκ ἔστιν οὕτως· κτίσματι γὰρ κτίσμα οὐ προσκυνεῖ, ἀλλὰ δοῦλος δεσπότην, καὶ κτίσμα θεόν.

b Gregor. Nyssen. Κελεύει ὁ θεὸς διὰ τοῦ προφήτου, μηδένα πρόσφατον θεὸν θεὸν εἶναι νομίζειν, μηδὲ προσκυνεῖν ἀλλοτρίῳ θεῷ. οὐκοῦν δῆλόν ἐστιν, ὅτι πρόσφατον λέγεται, ὃ μὴ ἐξ ἀϊδίου ἐστί. καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου πάλιν ἀΐδιον λέγεται, ὃ μὴ πρόσφατόν ἐστι. ὁ τοίνυν μὴ ἐξ ἀϊδίου τὸν μονογενῆ θεὸν ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι πιστεύων, πρόσφατον αὐτὸν εἶναι οὐκ ἀρνεῖται· τὸ γὰρ μὴ ἀΐδιον, πρόσφατον πάντως· πᾶν δὲ τὸ πρόσφατον, θεὸς οὐκ ἔστιν, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή· ὅτι οὐκ ἔσται ἐν σοὶ θεὸς πρόσφατος. ἄρα ὁ λέγων, ὅτι ποτὲ οὐκ ἦν, οὗτος ἀρνεῖται αὐτοῦ τὴν θεότητα.

1 *Act.* x, 26. — 2 *Apoc.* xxii, 9. — 3 Ambr. I *de Fide* c. vii. Nyssen. I *contra Eunom.* — 4 *Rom.* i. — 5 *Rom.* i. — 6 Athan. orat. i *contra Arian*, et orat. iv. — 7 Hom. xxvii *contra Sabell.* et *Arian.* — 8 Lib. *de Fide ad Simpl.* ii. — 9 Et dial. V. — 10 Lib. II, c. ix. — 11 Lib. II *con. Eunom.*

dæorum, an gentilium? Non enim christianis seipsum adscribet, qui vim pietatis, ac velut characterem cultus nostri, et religionis ejurat[a]. » Vide Gregor. Nazianz. orat. XL.

VII. Contra hæc a catholicis objecta de λατρείᾳ, et cultu, quem Dei Filio Scripturæ tribuunt, ita parati erant adversarii, ut eo solo sic illum coli adorarique dicerent, quod imago sit veri summique Dei. Sic enim aiebant: Uti regis effigies regis appellari nomine consuevit, neque duo propterea sunt reges, sed unus, qui et in se ipso vere, et in effigie σχετικῶς, minusque proprie spectatur; ita et veneratio, supremusque ille cultus uni proprie, ac solide Patri debetur; Filio non per se, sed quatenus in eo Pater, tanquam in imagine, continetur ac cernitur. Quam similitudinem alia tamen, quam hæretici illi, mente explicat Athanasius libro quarto *contra Arianos;* ubi unica adoratione regem, et ejus effigiem coli, ac mutuo in sese videri ait, et honore affici[b]. Dicebat hoc ipsum et Eusebius, sed subdole, et Arianum sub hac specie virus occultans, ut in priore libro, et hujus capite superiori docuimus. Verum non est difficile frigidæ istius cavillationis inanitatem arguere, itidem ut Athanasius, Cyrillus aliique faciunt. Nam si divino cultu ac veneratione Dei Filium ideo prosequimur, quod imago sit veri Dei, non per se, ac vere Deus, et, ut illi loquuntur, ἰδιοσύστατος, id est *propria constans subsistensque persona;* licebit etiam creatis rebus cæteris eumdem honorem habere, imprimis homini, qui et imago ipse Dei est, et Deum in se σχετικῶς continet. Atqui detestandum illud genus superstitionis idololatriæque sit, si quis ἀνθρωπολάτρην sese profiteatur, hoc est hominem pro Deo colat adoretque, et ejusdemmodi, atque Christo, venerationem adhibeat. Quod non esset, si creatura Christus foret, non Deus, ejusdemque naturæ consors, ac divinitatis. Etenim quantumvis creatis rebus reliquis antecelleret, si creatura tamen esset, idem cum illis honoris genus obtineret, non eximium illud, ac soli Deo concessum; quemadmodum, etsi angeli aliis alii gradu ac dignitate superiores sint, homines vero, cæteraque corpore constantia longo intervallo post se relinquant, adeoque dispari et inæquali cultu censeantur, nequaquam tamen creaturarum sortem, et conditionem iste cultus excedit; neque ad supremam unique tributam divinitati λατρείαν pertingit. Hæc fere Patres.

Relative.

Relative.

Latriam.

VIII. Rursus Filium æqualem esse Patri, ac Deum, non creaturam, omnia illa Scripturæ testimonia persuadent, quæ ipsum cum Patre, velut collegam, et eorumdem participem honorum operumque componunt. E quibus illustre est, et eximium illud, quo baptismi forma præscribitur: *Euntes,* inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*[1]. Nam nisi Filius, et Spiritus sanctus Patri æquales essent, et ejusdem cum eo naturæ ac divinitatis, neque baptismus in eorum nomine ac professione daretur, neque trium unum ac singulare nomen esset. « In nomine, inquit, non nominibus (verba sunt Pelagii[2] primi in epistola *ad Childebertum regem*), ut et unum Deum per indistinctum divinæ essentiæ nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret; quia, dum tribus unum Deitatis nomen est, æqualitas ostenditur personarum; et rursus æqualitas personarum nihil extraneum, nihil accedens in eis permittit intelligi. » Una itaque trium divinitas, cui singulare hoc nomen attribuitur, et personarum proprietas, quam tria vocabula demonstrant; et indivisa honoris ac majestatis æqualitas, in quam tres illæ personæ conveniunt, verbis explicatur istis, iisque Sabellii Ariique perfidia convincitur. « Quis non ex ipsa cogetur veritate, ait Didymus[3], suscipere indifferentiam sanctæ Trinitatis, dum una sit fides in Patre, et Filio,

E baptismi forma concluditur æqualitas personarum

a Basil. Ἐγὼ δὲ πολλῶν ὄντων, ἃ τὸν χριστιανισμὸν ἀπὸ τῆς Ἑλληνικῆς πλάνης, καὶ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀγνωσίας διίστησιν, οὐδὲν ἡγοῦμαι κυριώτερον δόγμα τῆς εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν πίστεως τῷ Εὐαγγελίῳ τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἐνυπάρχειν. ἐπεὶ τό γε κτιστὴν εἶναι, καὶ δημιουργὸν τὸν θεὸν, καὶ οἱ κατ' ὁποιανδήποτε πλάνην ἀπεσχισμένοι συντίθενται. ὁ δὲ πατέρα ψευδώνυμον, καὶ υἱὸν μέχρι προσηγορίας ψιλῆς καταγγέλλων, καὶ οὐδὲν ἡγούμενος διαφέρειν ἢ πατέρα ὁμολογεῖν, ἢ κτιστὴν, καὶ ἤτοι υἱὸν λέγειν, ἢ ποίημα, ποῦ τετάξεται παρ' ἡμῶν, ἢ τῆς ποίας εἶναι μερίδος συναριθμηθήσεται, τῶν Ἰουδαίων, ἢ τῶν Ἑλλήνων; οὐ γὰρ δὴ χριστιανοῖς ἑαυτὸν εἰσποιήσει, ὁ τὴν δύναμιν τῆς εὐσεβείας, καὶ τὸν οἱονεὶ χαρακτῆρα τῆς λατρείας ἡμῶν ἀρνούμενος.

b Athan. Ἐκ δὲ τοῦ μὴ διαλλάττειν τὴν ὁμοιότητα, τῷ θέλοντι μετὰ τὴν εἰκόνα θεωρῆσαι τὸν βασιλέα εἴποι ἂν ἡ εἰκών· ἐγὼ καὶ ὁ βασιλεὺς ἕν ἐσμεν. ἐγὼ γὰρ ἐν ἐκείνῳ εἰμὶ, κἀκεῖνος ἐν ἐμοί· καὶ ὃ ὁρᾷς ἐν ἐμοὶ, τοῦτο ἐν ἐκείνῳ βλέπεις. καὶ ὃ ἑώρακας ἐν ἐκείνῳ, τοῦτο βλέπεις ἐν ἐμοί· ὁ γοῦν προσκυνῶν τὴν εἰκόνα, ἐν αὐτῇ προσκυνεῖ τὸν βασιλέα. ἡ γὰρ ἐκείνου μορφὴ καὶ τὸ εἶδός ἐστιν ἡ εἰκών.

1 *Matth.* XXVIII, 19. — 2 Tom. I *Con. Gall.* — 3 Libr. II *de Spir. sancto.*

et Spiritu sancto, et lavacrum detur, atque firmetur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti? » Ut enim recte Basilius *adversus Eunom.* contendit, « nequaquam in opificem et opificium credidimus; sed in Patrem et Filium per gratiam, quæ in baptismo est, obsignati sumus [a]. » Quippe, ut Faustinus [1] disputat, « Nunquam præciperet Dominus, ut in creaturæ nomine aliquis baptizaretur. Multum enim divinæ potentiæ derogaretur, si cum confessione divini numinis par quoque creaturæ confessio poneretur. » Indidem etiam auctor *Expositionis fidei*, quæ Justino martyri inscribi solet, argumentatur; et Cyrillus libro *Thesaurorum* sexto decimo, et alii complures.

IX. Sed copiosissime Athanasius libro tertio *contra Arianos;* ubi longius dicendo provectus, negat hæreticos istos verum administrare baptismum, etsi legitimam adhibeant verborum formulam, eo quod iisdem vocabulis disparem, et a catholica abhorrentem regula sententiam subjiciant, ac neque verum Patrem, neque verum intelligant Filium : « Non enim in Patrem, et Filium conferunt, inquit, Ariani, sed in creatorem et creaturam, et in facturam factoremque. Ut autem diversa est a Filio creatura; sic a rei veritate distat is, qui ab illis putatur tribui baptismus; tametsi nomen Patris, ac Filii, propter Scripturæ auctoritatem usurpare se simulent [b]. » Auctor libri *de Professione regulæ catholicæ ad Theophilum,* aliter baptismi formulam commutasse dicit hæreticos, ut illam singularitatem nominis tollerent : « Cur tu, inquit, hoc nomine deitatis sublato, Patris, et Filii, et sancti Spiritus, baptizas dicendo, Baptizo te in Patre, et in Filio, et sancto Spiritu, et non in uno nomine ? » Verum hæc de baptismo Arianorum controversia proprium locum expectat. Nunc illud ex eo sumimus, tantam esse formulæ istius vim, ac majestatem, et vero sacramenti dignitatem, et efficientiam, ut ad Dei consortium creata res nulla, Deoque vero inferior adscisci debuerit. « Inæqualium enim societas, ut ait Ambrosius [2], melioris offensa est, et injuria ejus, qui vere Deus est, si ei non verus alius comparatur. » « Quæ autem communio, inquit Athanasius [3], aut quæ similitudo creatori cum creatura? Itaque nihil restat, nisi ut cum Filio numeretis simul, et conjungatis creaturas illas, quæ per ipsum factæ sunt [c]. » Atqui « Trinitas revera Trinitas est, ut ait Gregorius Nazianzenus [4] : Trinitas autem non rerum inæqualium enumeratio. Alioqui quid prohibet etiam denarium, aut centenarium, aut decies mille nominare, ex totidem coalescentem [d] ? » Tum Gregorius alter Thaumaturgus in *Expositione fidei*, quæ κατὰ μέρος dicitur, (tametsi ψευδεπίγραφος est, neque Gregorii illius est) « Trinitati nullum opus creatum adnumerari dicit, » cujus in nomine baptismus tribuitur. Sane impium esset baptizare quempiam in nomine Patris, vel Dei, et angelorum, aut cujuscumque alterius, quantumlibet præstantis creaturæ. Hinc Paulus Corinthios increpans, *Numquid Paulus,* inquit, *crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis* [5] ? Proinde cum baptismus in Jesu Christi nomine tributus sit [6], vel solius, ut quidam arbitrantur, vel cum reliquis conjuncti, quod plerisque placet, Deum illum, ac Deo Patri æqualem oportet esse.

Per partes. spuria.

Latius hoc argumentum Athanasius [7] persequitur: et non tantum in baptismi formula, sed etiam aliis in rebus administrandis, communem Filio cum Patre functionem et auctoritatem assignare Scripturas ait [e]. Sic *ad Thessalonicenses* scribens Apostolus, *Ipse autem*, inquit, *Deus, et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos* [8]. Non dixit *dirigant*, sed *dirigat*, ut ostenderet unicam esse gratiam, quam per Filium

a BASIL. II *contra Eunom.* Οὐ γὰρ εἰς δημιουργὸν καὶ ποίημα ἐπιστεύσαμεν, ἀλλ' εἰς πατέρα καὶ υἱὸν διὰ τῆς ἐν τῷ βαπτίσματι χάριτος ἐσφραγίσθημεν.

b ATHAN. Οὐ γὰρ εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν διδόασιν οἱ Ἀρειανοὶ, ἀλλ' εἰς κτίστην, καὶ κτίσμα, καὶ εἰς ποίημα, καὶ ποιητήν· ὥσπερ δὲ ἄλλο ἐστὶ, κτίσμα παρὰ τὸν υἱόν· οὕτως ἄλλο εἴη τῆς ἀληθείας τὸ παρ' αὐτῶν νομιζόμενον δίδοσθαι, κἂν τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ διὰ τὸ γεγραμμένον ὀνομάζειν προσποιῶνται.

c ATHAN. Ποία γὰρ κοινωνία, ἢ ποία ὁμοιότης τῷ κτίσματι πρὸς τὸν κτίσαντα; ἐπεὶ ὥρα ὑμᾶς καὶ τῷ υἱῷ συναριθμεῖν, καὶ συνάπτειν τὰ δι' αὐτοῦ γενόμενα κτίσματα.

d NAZIANZ. Τριὰς καὶ ὡς ἀληθῶς τριὰς ὦ ἀδελφοί. τριὰς δὲ οὐ πραγμάτων ἀνίσων ἀπαρίθμησις. ἢ τί κωλύει καὶ δεκάδα, καὶ ἑκατοντάδα, καὶ μυριάδα ὀνομάζειν μετὰ τοσούτων συντιθεμένην;

e ATHAN. Οὐ γὰρ εἶπε, κατευθύνειν, ὡς παρὰ δύο διδομένης, παρὰ τούτου, καὶ τούτου διπλῆς χάριτος, ἀλλὰ κατευθύναι, ἵνα δείξῃ ὅτι ὁ πατὴρ διὰ υἱοῦ δίδωσι ταύτην.

1 In calce libri *con. Arian.* — 2 Libro I *de Fide*, c. I. — 3 Epist. *ad Serap.* — 4 Orat. XIII. — 5 I *Cor.* I, 13. — 6 *Act.* VIII, 16, et X. 48. — 7 Orat IV. — 8 I *Thes.* III, 11.

largitur Pater, ut idem observat. « Nemo autem, addit ibidem, precaretur accipere a Deo, et ab angelis, aut ab ullis rebus creatis, neque quispiam ita dixerit, Det tibi Deus, et angelus : sed a Patre, et Filio, propter unitatem uniformemque largitionem [a]. »

X. Contra hanc catholicorum rationem adversarii id opponebant, quod et Athanasius eodem loco proponit sibi, interdum angelos in sacris Libris cum Deo copulari, ut in libro *Genesis*, Jacob nepotibus suis Josephi filiis bene precans, *Deus*, inquit, *qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem : angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis* [1]. Respondet Athanasius, angelum in isto loco non creatum esse aliquem ministrum, sed ipsummet Dei Filium, qui angelus nonnunquam vocatur, ac mitti a Patre identidem solebat, ut alibi [2] latius exponam. Cyrillus quoque in duodecimo *Thesaurorum* in eadem est sententia. Sed hæc illorum interpretatio minus fortasse probabitur. Quare satius est, et angelum istic verum ac tutelarem Jacobi intelligi, et negari interim, eamdem rationem utriusque esse loci. Nam in priore, qui baptismi formulam habet, singulare est quiddam, quod creaturam a consortio summæ majestatis excludit; quod in unum idemque nomen personæ tres includuntur. Non enim *in nominibus* baptizari jussit, sed *in nomine* *, ut advertit Ambrosius [3]. Et Faustinus in loco paulo ante citato : « Et bene, quod unum nomen posuit, dicens, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis, et perfectæ Trinitatis. » Præclare Faustinus *nominis* vim intellexit, dum *auctoritatem* esse dixit. Sic enim Latini passim, ut in XI *Æneidos;*

— « et magnum Reginæ nomen obumbrat »

Nec aliter ea vox usurpatur in plerisque Scripturæ locis, ceu cum Christus ita loquitur : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis :* et alibi passim, ubi *auctoritas* significatur et *potestas*, quomodo [1] juriconsulti *auctorem* eum vocant, *a quo jus in nos transit* [5]. Ex quo liquido apparet creaturam non esse Filium, itidemque Spiritum sanctum, cum una auctoritas Dei, et creaturæ esse nequeat. Gregor. Nazianz. [6] communem *nominis* appellationem de *divinitate* accipit, ex eoque contendit ita, ut nos facimus, creaturam nullam cum Deo componi. « Hoc, inquit, nobis magnum illud mysterium vult : hoc nostra in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et commune nomen fides, et regeneratio, atheismi negatio, et confessio deitatis. Hoc enim commune istud nomen est [b]. » Quinetiam Constantinopolitani primi concilii Patres in synodica epistola *ad Occidentales* [7] idem significant, dum asserunt, « Fidem nostram baptismo consentaneam docere nos credere in nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti; nempe ut divinitas, et virtus, et substantia una Patris, et Filii, et Spiritus sancti credatur [c]. »

XI. Poterunt et illum *Evangelii Lucæ* locum adversarii nobis opponere, in quo Patris, et Filii, atque angelorum communis majestas ponitur: *Nam, qui me erubuerit*, inquit, *et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet*, *cum venerit in majestate sua*, *et Patris*, *et sanctorum angelorum* [8]. Græce est, ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, id est *in gloria sua;* pro quo interpres noster *majestatem* posuit, ut et sanctus Ambrosius [9], qui hunc locum declarat : « Quid est, *Et sanctorum angelorum*, ait, nisi quod honorantur et servi dignitate Domini sui ? Dignitatem ergo suam ad Filium, et Patrem retulit, non ut angeli habeant cum

Ex Lucæ IX 26, eruitur Christi cum Patre æqualitas.

a Athan. orat. IV. Οὐκ ἂν γοῦν εὔξαιτό τις λαβεῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τῶν ἀγγέλων, ἢ παρά τινος τῶν ἄλλων κτισμάτων· οὐδ' ἂν εἴποι τις· δῴη σοι ὁ θεὸς καὶ ἄγγελος· ἀλλὰ παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, διὰ τὴν ἑνότητα, καὶ τὴν ἑνοειδῆ δόσιν.

b Nazianz. Τοῦτο ἡμῖν τὸ μέγα μυστήριον βούλεται· τοῦτο ἡ εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, καὶ τὸ κοινὸν ὄνομα, πίστις, καὶ ἀναγέννησις, ἄρνησις ἀθείας, καὶ ὁμολογία θεότητος. τοῦτο γὰρ τὸ κοινὸν ὄνομα.

c Synod. Constant. Καὶ ἀκόλουθον τῷ βαπτίσματι, καὶ διδάσκουσαν ἡμᾶς πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· δηλαδὴ θεότητός τε καὶ δυνάμεως, καὶ οὐσίας μιᾶς τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος πιστευομένης.

* Observandum in loco Evangelistæ esse non ἐν ὀνόματι quod significare posset *auctoritate*, sed εἰς ὄνομα, *in nomen*, hoc est Hebraice לשם *leschem*, quod perinde est ac, ut de nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti postea vocitentur, sui eorum discipuli dicantur.

T. AL.

1 *Gen.* LXIII, XV, 16. — 2 Lib. VI *de Trinit.* — 3 Lib. *de Spir. sanc.* c. XIV. — 4 *Joan.* V 43. — 5 Leg. CXXXIII, *D. de Diver reg.* — 6 Orat. XIII. — 7 Apud Theod. lib. V *Hist.* c. IX. — 8 *Luc.* IX, 26. — 9 Libr. III *de Fide*, c. VII.

Patre et Filio æquale consortium, sed ut præeminentem gloriam Dei cernant. Neque enim suam majestatem angeli habent, sicut lectum est de Filio : *Cum sederit in sede majestatis suæ ;* sed assistunt, ut Patris et Filii gloriam videant, quibus aut possunt, aut merentur aspectibus. » Habent igitur et angeli gloriam suam, quorum satellitio stipatus, ornatusque Christus ad judicandum veniet. Sed non par est illa gloriæ, ac majestati Filii, quæ est eadem et Patris. Siquidem et *suam* illam vocat *Matthæi* XXV, 31, et *Patris, Marci* VIII, 38. At utrobique in ejus communionem angelos non adhibet, sed ministrorum apparitorumque vicem obituros, satis indicat, dum, ut animadvertit Ambrosius, Matthæus scribit, *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo.* Marcus vero, *Cum venerit in gloria Patris sui, cum angelis sanctis.* Ergo « illi in obsequio, hic in gloria. Illi in comitatu, hic in suggestu. Illi stant, hic sedet, Ut verbo tamen usus utamur humani, hic judicat, hi ministrant, » ait Ambrosius. Ut omittam in plerisque aliis Scripturæ locis tum servilem angelorum conditionem perspicue significari, ut ab Apostolo in epistola *ad Hebræos ;* tum eorumdem procreationem, eamque per Filium et a Filio factam, velut in epistola *ad Colossenses*, capite I, 16. Nihil autem tale de Filio commemoratum est usquam, uti postea dicetur.

XII. Sic alia sunt in Scripturis loca, quibus ex honoris consortio, naturæ ac divinitatis æqualitas approbatur ; e quibus unum Athanasius[1] adducit, quem pene in omnibus epistolis Paulus repetere consuevit : *Gratia vobis, et Pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo ;* item illud : *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*[2]. Ad hæc II *Thessal.* II, 16 : *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus, et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni sermone et opere bono.*

Quo in genere præstantissimum id est, quod permulta, quæ solius Dei propria esse constat, utrique communiter accommodantur; cujusmodi est, quod in Filium perinde, ut in Patrem, creditur, ac speratur ; quod ex æquo ille diligitur ; quod in illius cognitione sempiterna vita ponitur.

De fide ac credulitate multa in sacris litteris et crebro et insigniter expressa sunt. Velut ista Joannis : *Qui credit in eum, non judicatur ; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*[3]. Et, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam ; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*[4]. Et, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*[5]. Tum Christus ipse sanatum ab se cæcum interrogans, *Tu credis in Filium Dei*[6]? Illo vero sciscitante, quis iste Dei Filius esset, ac se esse confitente Christo, *Credo*, inquit, *Domine; et procidens adoravit eum*, quod illius factum Christus approbavit. Et illud : *Ego sum resurrectio, et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet ; et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum*[7]. Tum illud : *Creditis in Deum, et in me credite*[8]. Hoc vero, ait Augustinus, « consequens non esset, si Christus non esset Deus. » Præsertim si, quod idem non semel August.[9] observat, « credere in aliquem aliud sit, ac credere alicui. Nam de apostolis, inquit, possumus dicere, Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum; credimus Petro, sed non credimus in Petrum. » Deinde, « Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire et ejus membris incorporari. » Quibus et Paschasius[10] congruit in præfat. libri *de Spiritu sancto*[11]. Et Gregorius Nazianzenus, dum indidem Spiritus sancti divinitatem asseverat : « Si creatura est, quomodo in ipsum credimus? inquit. Neque enim idem est, credere in aliquid, et credere de ipso. Illud enim divinitati convenit, hoc cuilibet rei[a]. » Tum Cyrillus ex eo, quod gentiles ab cultu simulacrorum ad Christi fidem adducti dicuntur, Deum hunc esse confirmat[b]. Etenim cre-

Item ex eo quod sit objectum fidei nostræ

a NAZIANZ. Ἀλλ' εἰ μὲν κτίσμα, πῶς εἰς αὐτὸ πιστεύομεν; ἢ ἐν αὐτῷ τελειούμεθα; οὐ γὰρ ταὐτόν ἐστι πιστεύειν εἴς τι, καὶ περὶ αὐτοῦ πιστεύειν. τὸ μὲν γάρ ἐστι θεότητος, τὸ δὲ, παντὸς πράγματος.

b CYRIL. Dial. IV. Θεῖος μὲν γάρ που, καὶ ἱερὸς ἔφη λόγος, θεὸν ζῶντα, καὶ ἀληθινὸν ἐπεγνωκέναι τὰ ἔθνη, σεσαγηνευμένα διὰ τῆς πίστεως εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ θεοῦ.

Ibid. Οἱ δὲ δὴ τὴν πίστιν ἀκλινῆ τε καὶ ἀνυπαίτιον, καὶ μώμου παντὸς ἐλευθέραν διασώσασθαι προτεθυμημένοι, πιστεύσειαν ἂν εἴς γε θεὸν ὁμοῦ καὶ κτίσιν.

1 Athan. orat. IV, *contra Arian.* — 2 *Joan.* V, 23. — 3 *Joan.* III, 18. — 4 *Joan.* III, 36. — 5 Id. c. VI, 30. — 6 Id. c. XI, 36. — 7 *Joan.* XI, 25. — 8 Id. c. XIV, 1. — 9 Tract. XXIX, *in Joan.*, et in *Psal.* LXXVII. Vide Mag. sen. in III, disp. XXIV. — 10 Tom. XI *Bibliot. Patrum.* — 11 Orat. XXXVII.

dere fideles in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Quod si Filius creatura sit, credere illos consequens est in Deum, et creaturam; quod dictu nefarium sit. Nam « credere in creaturam, ait Faustinus, divinitatis offensio est. »

Necnon spei

XIII. De spe autem testis est Paulus pluribus in locis. Ut in priore *ad Timotheum*: *Paulus apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Domini Jesu Christi, spei nostræ*; ut idem *Deus Salvator* et *Jesus Christus* intelligatur, qui spes nostra sit. Quem ad locum Chrysostomus, aliique Græci interpretes adnotant, Christi divinitatem æqualitatemque cum Patre ex eo monstrari. Item *ad Corinthios* scribens, *Si in hac vita*, inquit, *tantum in Christo sperantes sumus*, *miserabiliores sumus omnibus hominibus*[1]. Cyrillus etiam Alexandrinus idem ex epistolæ *ad Titum* verbis istis asserit[2]: *Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*[3]. Igitur, « Si Christus, ait Cyrillus, est omnium spes, et magnus Deus, et Salvator, quomodo non vehementer impii et dementes sunt, qui Filium dicunt esse creaturam[a]? »

Novatianus quoque in libro *de Trinitate*[4] ex illis verbis, *Et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in æternum*[5], utrumque in una *credendi* voce copulando, fidem in Christum, et spem, Deum esse confirmat eumdem Christum, « In quem qui credit, et maledictionis periculum deponit, et ad fructum justitiæ accedit. » Alludit autem ad id, quod apud Hieremiam legitur, *Maledictus homo, qui confidit in homine*[6].

Ac charitatis.

XIV. Jam, quod ad charitatem attinet, ea sic in Scripturis Christo Domino tribuenda præcipitur, quomodo in creaturam conferre sit nefas. Ut cum in calce primæ *ad Corinthios* ita Paulus exclamat: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran atha.* Quem enim *Dominum nostrum* appellat, hunc utique Deum agnoscit, cum *Dominus* idem, ac *Deus* valeat, neque creaturam ullam *Dominum nostrum* appellare liceat. Tum ibidem sequitur: *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum*; quod nonnisi de vero Deo, ac Domino religiosum sit petere. Rursus apud *Joannem* Christus ipse talem sui dilectionem ab discipulis exigit, quæ in solum Deum congruat. Nam inter alia sic loquitur. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*[7]. Venire in hominum animos, et in iis manere solus utique Deus potest; quod tum, cum de Spiritu sancto agemus, proprie disputabitur. Ac pluralis ipse numerus personarum contra Sabellianos discrimen indicat, ut Nazianzenus observat[8]. Sic *ad Ephesios* scribens Apostolus, « *Christum* ait *habitare per fidem in cordibus nostris*[9].

Denique in illius perinde ut in Patris cognitione felicitas hominis, et æterna vita constituitur. *Hæc est autem*, ait, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*[10]. Alibi quoque *verbum vitæ, et æterna vita* dicitur: *Et vita manifestata est; et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis*[11]. Item, *Hic est verus Deus, et vita æterna*[12]. Quem locum prudenter expendit Faustinus, ex eoque convincit Arianos in hunc modum: « Vita enim æterna non habet initium, neque finem. Ergo Deus verus est Christus, non habens initium, neque finem, existens ipse vita æterna, quæ est sine initio et fine. » Plura de iis, quæ communiter personis tribus in Scriptura tribuuntur, colligit Idacius in calce libri *contra Varimadum*, et Cyrillus lib. I *in Joan.* capite III.

XV. Pertinent eodem omnia illa, quæ de se Christus in eum modum profitetur, ut sibi jus et auctoritatem tribuat humana creataque potiorem; sic ut αὐθεντικῶς loqui videatur, non more servi alterius ex nutu, ac voluntate pendentis. *Joannis* v, 20: *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat.* Non dixit, *quos jubetur*, ut observat Epiphanius[13], sed *quos vult*. Item *Joan.* x, 17, de anima, vitaque sua, et obeunda morte agens, *Nemo*, inquit, *tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso; et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Cui similia passim[14] Apostolus usurpat; velut illa sunt: *Sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Et eodem capite[15], *Sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum*

Cum auctoritate.

a Cyril. Εἰ πάντων ἐλπίς ἐστιν ὁ Χριστός· ἔστι δὲ καὶ θεὸς μέγας, καὶ σωτὴρ, πῶς οὐ λίαν εἰσὶ δυσσεβεῖς καὶ παράφρονες οἱ ποίημα λέγοντες τὸν υἱόν;

1 I *Cor.* xv, 19. — 2 Lib. XXXII *Thes.* — 3 Cap. II. — 4 Cap. XXIV. — 5 *Joan.* VI. — 6 Hier. XVII, 5. — 7 *Joan.* XIV, 23. — 8 Orat. XXIV. — 9 *Eph.* III, 17. — 10 *Joan.* XVII, 13. — 11 I *Joan.* I, 2. — 12 I *Joan.* V, 20. — 13 Epiph. hær. LXIX, n. 77. — 14 *Ephes.* V, 2. — 15 Ibid. vers. 25.

tradidit pro ea, etc., *ut exhiberet ipse sibi gloriosiam Ecclesiam*, etc., quibus Christi potestas et auctoritas exprimitur. Nam nisi Deus esset, non sibi, sed Deo illam exhiberet. Ad hæc *Joannis* XIV, 13 : *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Tum capite XV, 26, missurum se dicit Spiritum sanctum, ut et capite XVI, 7 : *Si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Quinetiam Filio Patris cognitio ejusmodi conceditur , qualem creatura nulla capere possit. Hinc Christus ipse de se prædicat, *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*[1]. Quibus in verbis non quævis cognitio significatur, sed talis, ut eam solus ex sese Deus habeat, et in alios pro sua voluntate transfundat. Ita *Joannis* I, 18 : *Deum nemo vidit unquam . Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

XVI. In hoc genere non minus expressa sunt, quæ Christus in præstandis beneficiis, velut animorum corporumque curationibus, aut aliis tribuendis, dixit, ut sibi jus ac potestatem primariam eorum omnium vindicaret. Ut cum elephantiaco sanitatem his verbis postulanti, *Si vis, potes me mundare*, plane αὐθεντικῶς respondit. *Volo, mundare*[2]. Item cæcis opem ejus implorantibus, *Creditis*, inquit, *quia hoc possum facere vobis*[3]? Tum paralytico, *Fili*, inquit, *dimittuntur tibi peccata tua*[4]; ad quæ mussitantibus scribis, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* cum illorum tacitas cogitationes agnosceret, nihilominus in eo perseveravit, quod cœperat, ac se tanta, tamque Dei propria præditum esse potestate reipsa monstravit ; tantum abest, ut susceptam divinitatis de se opinionem ex illorum mentibus conaretur evellere ; quod erat profecto faciendum, si non eum se esse sciret, agnoscique vellet, cujus quod erat proprium usurpabat. « Nam utique religiosus Filius, et qui non voluntatem suam, sed ejus, qui se miserat, faceret, et qui non honorem suum, sed ejus, a quo venerat, quæreret, honorem hujus in se nominis recusasset, ne quod ipse unum Deum prædicaverat, solveretur, » ut ait Hilarius in septimo libro ; cujus ratio, si cum judicio ac prudenter æstimetur, invicta est, et demonstrationis vim habet, cujusmodi in iis, quæ ad usum vitæ moresque pertinent, informari potest. Etenim qui Deum unicum esse tanto cum studio prædicabat, qui paterni honoris amplificandi incredibili amore tenebatur ; qui demisse de se loqui, ac se abjicere, quoad licebat, institueret, non se utique vel Deum verum, Deique Filium appellari, existimarique pateretur, nisi revera Deus esset ; vel non eam de se suspicionem, quoquo modo posset, eriperet ; vel tam intolerandæ ambitionis invidiam non apud malevolos, et infensissimos obtrectatores studeret abstergere. Sic apud Lucam prostitutæ illi feminæ, ac resipiscenti cum diceret, *Remittuntur tibi peccata tua*[5], mussitantibus inter se Judæis, *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* nihilo secius eam de se opinionem affirmare non destitit. Jam « si nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus (ea videlicet auctoritate, quam Christi verba præferebant) remittebat autem Dominus, et curabat homines, manifestum est, quoniam ipse erat Verbum Dei, Filius hominis factus[6], » ait Irenæus, nec non Cyrillus Alexandrinus libro *Thesauri* XXXII. Quo in libro multa e sacris Litteris id genus argumenta coacervat. Ut inter alia, quod apostolis amplissimam *potestatem dedit spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem*[7], imo etiam ut mortuos suscitarent[8]. Quinetiam in dialogo sexto idem pertractans, plenam illam et absolutam in Christo potestatem ex eo multum illustrat, et ad divinitatis indicium trahit, quod cum summam in admirabilibus hisce factis et sanationibus auctoritatem præ se ferret ipso loquendi modo, et id in eum ageret finem, ut quod de se homines sentiebant, ac voce publicoque præconio testabantur, ejus fidem firmiorem faceret, non similiter atque apostoli postea, minuere hanc de se opinionem studuerit. « Non enim sustinuisset hanc de se existimationem, si non is esset, qui existimatur ; aut ipse erit auctor erroris, et prævaricator veritatis adversus Dei optimi titulum[9], » ut Tertulliani verbis utar. Ceu cum Petrus claudum a se verbo sanatum mirantibus turbis sic est locutus : *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare*[10]? etc. Tum in quinto libro in *Joannem*, quod de se Christus prædicat , *Ego sum lux mundi*[11], ex hoc Cyrillus divinitatis illius ducit argumentum[12]. « Cui enim conveniat dicere, *Ego sum lux mundi*, nisi ei uni

1 *Matth.* XI, 27. — 2 *Matth.* VIII, 3, — 3 *Matth.* IX, 28. — 4 *Marc.* II, 5. — 5 *Luc.* VII, 48. — 6 Lib. V, c. XVII. — 7 *Matth.* X, 1. — 8 Ibid. vers. 8. — 9 Lib. IV *contra Mar.* c. XLIII. — 10 *Act.* III, 12. — 11 Cap. II. — 12 *Joan.* VIII, 12.

tantum, qui natura sua Deus est. Quis unquam sanctorum prophetarum in talem vocem prorumpere ausus est? Quis sanctorum angelorum talia verba fecerit, ex omni evoluta sacra Scriptura nobis probent. » Vide ejusdem dialogum secundum *de Trinitate*.

Christus in nova ferenda lege summam potestatem præ se fert.

XVII. Illud item Chrysostomus[1] ad probandam Christi divinam majestatem multum valere putat, quod in nova lege post veterem et Mosaicam ferenda summam potestatem præ se fert, dum ita loquitur : *Audistis, quia dictum est antiquis*, etc. *Ego autem dico vobis*[2], etc. Non, ut solebant antiqui, *Hæc dicit Dominus*. Quod et Cyrillus in *Thesauri* XXXII libro adhibet, et observat Tertullianus libro de *Carne Christi*, capite XIV. « Nisi quod a Christo, inquit, nunquam est dictum, *Et ait mihi angelus*, *qui in me loquebatur*[3]. Sed nec quotidianum illud omnium prophetarum : *Hæc dicit Dominus*. Ipse enim erat Dominus coram, ex sua auctoritate pronuntians, *Ego autem dico vobis*[4]. Quid ultra? adhuc Esaiam exclamantem audi, *Non angelus*, *neque legatus, sed ipse Dominus salvos eos fecit*[5]. »

Plura ejusdemmodi colliguntur ab auctore homiliæ postremæ tomi sexti operum Chrysostomi[6], quæ *contra hæreticos* inscribitur. Qualia sunt ista, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*[7]. Tum, *Ego tibi dabo claves regni cælorum*[8]. Necnon illud, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*[9]. Quibus verbis corpus se suum post triduum a morte suscitaturum esse docuit. Quod ipsum non dixisse gloriosius, et ad divinitatis fidem amplius, quam fecisse postea fuit.

Jam et illa quoque divinæ sunt indicia potestatis, non solum revocare mortuos ad vitam, sed id facturum se polliceri iis, qui in se crediderint; ut *Joannis* VI, 40 : *Hæc est enim voluntas Patris mei*, *qui misit me*, *ut omnis*, *qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Nisi creatura majus quiddam et præstantius esset, qui sic loquitur, ita potius diceret, Et ut *resuscitet ipsum* (Pater) *in novissimo die ;* neque sibi tantum potestatis arrogaret; quod et Cyrillus[10] observavit.

Nomina quæ Scripturæ tribuunt Christo persuadent ipsum esse Deum.

XVIII. Præterea Deum esse Christum Dei Filium, non autem creatis rebus annumerandum, persuadent omnia illa nomina, quæ in sacris Litteris passim illi tribuuntur. Hæc enim ampla sunt et magnifica, et ejusmodi, quæ tum illi cum Patre communia sunt, tum nulli creaturæ fas est imponere. Ea sunt a plerisque collecta Patribus, ut Athanasio præsertim in libro *de Synodis*, Gregorio Nazianzeno[11], Gregorio Nysseno[12], Cyrillo[13], et aliis. Præcipua vero sunt ista : Dei Verbum, Dei Filius, et quidem unigenitus, Dei virtus et sapientia, via, veritas, *lux, quæ illuminat omnem hominem,* vita, sive æterna vita, justitia, sanctificatio, resurrectio, *splendor gloriæ*, et *character substantiæ* Patris, Dominus, Deus, Dominus majestatis, rex, omnipotens, et alia quædam numero copiosa, dignitate singularia, quæ in eum solum, qui vere Deus sit, congruunt. Ex iis vero maximi momenti sunt ea præsertim, quæ *abstracta* vocantur, ut sunt lux, veritas, sapientia, justitia, virtus, cætera denique id genus, quæ nulli prorsus creatæ rei, sed Deo soli idcirco convenire dicuntur, quod certarum veluti formarum et proprietatum infinitam perfectionem significant, et cujusmodi cadere in creaturam nequeat; tum easdem illas proprietates non adventitias, et accidentes esse, sed naturales, et οὐσιώδεις indicant. Nam homines, et angeli, quantumvis excellenti sapientia, bonitate, justitia præditi sint, nonnisi boni, justi ac sapientes vocantur, nunquam autem bonitas ipsa, justitia, vel sapientia. Quod quidem Cyrillus Alexandrinus inter alios observavit in quarto libro[14] *in Joannem*, hoc usus exemplo : Uti qui grammaticam, aut geometriam perfectissime didicit, non ideo grammatica nominatur, aut geometria, sed grammaticus, et geometra. Non enim natura illas artes obtinet, sed labore ac disciplina paratas ; ut ex iis, et ejus, qui eas possidet, substantia quædam existat complexio et compositio, quam nullius effugere potest rei creatæ con-

a Cyril. Τίνι γὰρ ἂν καὶ πρέποι τὸ λέγειν, ἐγώ εἰμι τὸ τοῦ κόσμου φῶς, εἰ μὴ ἑνὶ, καὶ μόνῳ τῷ κατὰ φύσιν θεῷ ; τίς τῶν ἁγίων προφητῶν τοιαύτην εἰπεῖν ἀπετόλμησε φωνήν ; ποῖος ἡμῖν τῶν ἀγγέλων τοιοῦτον ἔῤῥηξε λόγον, ὅλην ἡμῖν τὴν θεόπνευστον περινοστοῦσι γραφὴν, καὶ τῶν ἱερῶν, καὶ θείων περιεργαζομένοις λόγον, αὐτὸ δὴ τοῦτο δεικνύτωσαν.

1 Hom. XVI *in Matth.* — 2 *Matth.* V. — 3 *Zach.* I. — 4 *Matth.* V, 22. — 5 *Isa.* LXIII. — 6 Tom VI, ed. Savil. — 7 *Matth.* XXVIII, vers. ult. — 8 *Matth.* XVI. — 9 *Joan.* II, 19. — 10 Lib. IV *in Joan.* — 11 Orat. XXXV. — 12 Lib. I *cont. Eun.*, ed. Grets. — 13 Libro XII *Thes.*, et lib. I *in Joan.* c. III. — 14 Cap. III.

ditio. Etenim solius hoc Dei proprium est, non formam habere, qua hoc vel illo affectus modo dicatur, sed ipsum esse formam, eamque simplicem et nullis inclusam perfectionis terminis; quod *abstractorum*, ut vocant, nominum ratio ipsa demonstrare creditur.

Est hoc etiam divinitati peculiare, quod Filio ac Spiritui sancto, præter Patrem, solis attribuitur, ut in ratione præditis, tanquam domiciliis ac templis habitare dicatur. Sic enim Christus apud Joannem, *Evangelii* capite XIV, 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Apostolus item *Christum* ait *habitare per fidem in cordibus nostris* [1]; et id genus pleraque. Quod argumentum plenius expendit auctor *Expositionis fidei*, quæ Justino tribuitur; et nos rursum de illo postea, cum Spiritus sancti divinitatem approbabimus.

Quæ hactenus sunt disputata ad quinque capita revocantur.

XIX. Jam vero, quæ ad demonstrandam divinam Filii majestatem proprie spectant, suntque fuse hactenus a nobis exposita, ad quinque capita revocat Hilarius in libro septimo, dum Christum Deum esse his modis ait agnoscere nos, nomine, nativitate, natura, potestate, professione. Nomine esse Deus intelligitur; quia non modo sic eum Scripturæ nominant, sed eo præterea contextu orationis, qui vere, ac proprie dici illum significet, ut superius ostendimus. Nativitate, quia cum et *genitus* dicitur, et *unigenitus*, « intelligentiæ istud humanæ sensus excludit, ut aliquid a natura originis suæ nascendo diversum sit, etc., cum nativitas nonnisi ex proprietate naturæ sit; et jam nativitas non erit, si proprietas naturæ in nativitate non fuerit. » Natura, quia « nativitas naturæ habet æqualitatem. » Quidquid enim generando producitur, id in natura cum generante convenit. Potestate, quia eadem cum Patre opera Filius facit. Professione denique, quia unum se esse cum Patre, ejusque Filium et confessus est ipse, et fatentibus aliis assensus est.

Postremo quemadmodum superioribus omnibus testimoniis argumentisque convicti sunt Ariani, ut Christum vere tam Dei Filium, quam Deum esse fateantur; sic iisdem rationibus Sabelliani ac Patripassiani franguntur; quia non minus distinctum a Patre Filium, quam eidem æqualem et consubstantialem esse omnia illa persuadent: De quo præ cæteris legendi sunt Tertullianus in libro *contra Praxeam* [2], et Novatianus in libro *de Trinitate*; ac passim meminere Athanasius, Basilius aliique veteres, ex quibus nos, quæ vis esset singulorum contra istos ex adverso cum Arianis pugnantes hæreticos argumentorum, identidem explicavimus.

CAPUT XIII.

Spiritum sanctum verum esse Deum, et ejusdem cum Patre ac Filio majestatis ac dignitatis, primum ex iis nominibus ostenditur, quæ in sacris Litteris illi tribuuntur, velut Dei, Domini, Paracleti.

I. In Filii asseveranda divinitate æqualitateque paulo ideo longiores fuimus, quod eam sibi evertendam ii maxime sumpserunt, qui sanctissimam Trinitatem erroribus oppugnarunt suis. Reliquum est, ut de Spiritu sancto idem demonstremus hoc capite, eumque Patri æqualem et Filio, ac vere Deum, simili genere probemus argumentorum, quæ ad tria fastigia, brevitatis facilitatisque causa revocamus. Sunt hæc, appellationes ipsæ primum, ac nomina, quibus exprimi ac describi Spiritus ille solet in Scripturis; tum propriæ divinitatis notæ, ac velut characteres, quibus ab creatarum rerum conditione secernitur; ac demum opera illius, et effecta, cujusmodi ex indiciis status causarum et natura dignoscitur.

In Scripturis Spiritus Sanctus *Deus* ac *Dominus* appellatur.

Igitur illa primum Scripturæ commemoranda sunt loca, in quibus *Deus* ac *Dominus* aperte Spiritus sanctus appellatur; quorum ex copia insignis ille ex *Actis Apostolorum* [3], ubi Ananiam sacræ pecuniæ depeculatorem ita Petrus alloquitur: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri?* Mox cui mentitus sit declarat: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quibus ex verbis Deum esse concluditur Spiritum sanctum. « Deus ergo de Deo est [2] ait sanctus Epiphanius, et Deus Spiritus sanctus, cui mentiti sunt, qui de agri pretio interverterant [a]. » Quinetiam « ejusdemmodi esse pec-

a Epiph. hær. LXXIV, num. 6. Ἄρα θεὸς ἐκ θεοῦ, καὶ θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ᾧ ἐψεύσαντο οἱ τοῦ τιμήματος τοῦ χωρίου νοσφισάμενοι.

1 *Eph.* III, 17. — 2 Maxime c. X et seq. — 3 *Act.* V, 3.

cata, quæ in Spiritum sanctum, et quæ in Deum admittuntur[a], » indidem Basilius colligit. Atque hoc testimonio plerique omnes antiquorum Patrum usi sunt, non minus Græci, quam Latini, ad probandam Spiritus sancti divinitatem[1]. Adjunge Basilii locum ex epistola XC[2], ubi Deum esse probat Spiritum sanctum, quia nomina habet cætera cum Patre communia.

II. Atenim in commate tertio capite illius *Actorum* quinti legitur : *Cur tentavit Satanas cor tuum*, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον hoc est, *ut falleres*, vel *ludificareris Spiritum sanctum;* non autem, ψεύσασθαί σε τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ*, ut noster interpres legisse videtur. Porro *fallere Spiritum sanctum* potest eo sensu dictum videri, ut sit explorare velle, an in apostolis inesset Spiritus sanctus, iique fraudem animadversuri essent. Sed hoc nihil est. Nam cum mentiri sit velle quempiam fallere, qui Deo mentitur, is Deum conatur fallere; atque adeo synonyma ista sunt; ut et illud, quod in quibusdam exemplaribus, et in Syra interpretatione legitur, ψεύσασθαι εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *mentiri in Spiritum sanctum.* Hoc enim præcipuam illam personam significat, ad quam sacrilegi mendacii injuria pervenit. Nemo enim diffitebitur *mentiri in aliquem* idem ibi esse ac *mentiri alicui;* quod posterius commate 4 ita subjicitur : *Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Quod *Dei* nomen, si tricari frustra nolumus, ad ejus personam refertur, in quem mentitus supra esse dicitur, hoc est Spiritum sanctum. Alioqui si Deus non esset Spiritus sanctus, sed creatura aliqua, dicendum erat, *Non es mentitus Spiritui sancto;* aut certe commate 3 *mentiri te nobis*, ut consequens esset, quod subtexitur, *non es mentitus hominibus, sed Deo;* quæ verba neminem, præter homines, id est apostolos ac Deum in tota illa oratione commemorari significant. Postremo cum hæc sit constans omnium antiquorum loci illius interpretatio, nec dubitari possit, quin cum verbis apprime consentiat, etsi non abhorrentes aliæ excogitari queant; nullum aut receptæ tot sæculorum suffragiis alteri sententiæ, aut catholico, quod ex illa probatum est, dogmati præjudicium novis ex istis potest fieri.

Præterea, « cum per Mosem, ac David, et Esaiam, vel alios prophetas (verba sunt Paschasii) specialiter Spiritus sanctus locutus esse referatur, Deum locutum esse divina profitentur oracula[2]. » Ita quod Isaiæ sexto Dominus Deus exercituum locutus esse dicitur, *Audite audientes, et nolite intelligere*, etc[3]., Paulus a Spiritu sancto pronuntiatum esse dicit : *Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad Patres nostros, dicens, Vade ad populum istum, et dic ad eos, Aure audietis, et non intelligetis*, etc. Ergo idem est Dominus Sabaoth ac Spiritus sanctus, ut etiam argumentantur Gregor. Nyssenus[4], Basilius, Idatius, et Cerealis; et Victor Utic[5]. et Cyrillus *in Excerptis de Spiritu sancto;* Proclus orat. XVI.

III. Item, quod Scriptura refert, Deum ab Judæis in deserto esse tentatum, ut in *Psal.* CV : *Tentaverunt Deum in inaquoso*, et alibi ex ipsius persona Dei, *ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea*[6] *:* idipsum ad Spiritum sanctum Paulus accommodat *ad Hebræos* scribens : *Quapropter*, inquit, *sicut dicit Spiritus sanctus, Hodie si vocem ejus audieritis*[7], etc. ut Athanasius, Nyssenus, Paschasius aliique disputant.

Rursus ex Apostoli disertissimis verbis idem evincitur. Nam *ad Corinthios* scribens epistola prima, fideles templum Dei vocat : *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*[8]*?* Et postea eosdem Spiritus sancti templum esse confirmat : *An nescitis, quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti*[9] *?* Proinde Spiritum sanctum Deum nominari, recte ex eo Patres[10] colligunt.

Item ex eo, quod Apostolus divina sancti

a Basil. *de Sp. sancto*. cap. XVI. Δείκνυσιν ὅτι αὐτὰ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ εἰς τὸν Θεόν ἐστι τὰ ἁμαρτήματα.

* Quamvis vulgatus interpres verterit *mentiri Spiritui sancto*, non sequitur ab eo lectum esse ψεύσασθαι τῷ πνεύματι ἁγίῳ, sed tantum eum scivisse verbum ψεύδεσθαι eodem significatu promiscue construi cum accusativo et dativo, quod multis exemplis ostendit H. Grotius, et pluribus facile posset demonstrari. T. AL.

1 Athan. lib. *de Hum. nat susc.* Basil. V *contra Eunom.* et lib. *de Sp. sanc.* c. XVI et orat. *contra Sab.* Gregor. Nazianz. orat. XXXVII. Cyril. lib. XXXIV *Thes.* et in *Epit. Dial. de Sp. sanc.* Theodor. lib. V *contra Hær.* cap. *de Sp. sanc.* Ambr. lib. I *de Sp. sanc.* c. IV et lib. III, c. X. Aug. lib. III *contra Max.* c. XXI et ser. VI *de Trinit.* Idat. *contra Varim.* Cereal. cap XI, Pasch, l. *de Sp. sanc. Breviar. fid.* Victor in *Prof. fid. ad Huner.* — 2 Lib. I *de Spir. sancto*, cap. VII. — 3 Act. ult. XXV. — 4 Nyssen. I *contra Eunom.* Basilius IV *contra Eunom.* Idat. *ad Varim.* col. 302. Tom. IV *Biblioth. Patrum.* Cereal. c. LI. — 5 Victor in *Profess. fid.* Cyril. Tom. V, Paschas. lib. I *de Sp. sanc.* c. VI. — 6 *Psal.* XCIV. — 7 *Hebr.* III 6. — 8 I *Cor.* III, 7. — 9 Cap. VI, 19. — 10 Athan. *de Com. essent.* Basil. V *cont. Eun.* Theodor. V *cont. Hær.* Idat. Pasch. l. I, c. XII, *Brev. fid.*

Spiritus opera beneficiaque percenset, ea promiscue Deo ac Spiritui sancto velut auctori tribuit : *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, etc. *Et divisiones operationum sunt ; idem vere Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Quibus singillatim enumeratis, ita denique concludit : *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. In quo et Deum aperte vocat Spiritum sanctum ; et parem ei atque Patri Filioque dignitatem et auctoritatem arrogat [2].

Ad hæc Paulus idem in secunda *ad Corinthios* epistola : *Cum autem conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen ; Dominus autem Spiritus est ; ubi autem Spiritus Domini, ibi et libertas* [3]. Porro de Spiritus sancti persona loqui Apostolum ostendit adjunctus articulus ; ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν ; et quod eumdem vocat Spiritum Domini, οὗ δὲ τὸ πνεῦμα Κυρίου [4].

Dominus autem Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini.

Est et alius locus, unde Spiritum sanctum Deum esse, appellarique, Patrum [5] aliqui demonstrant, tertio epistolæ *ad Philippenses* capite : *Nos enim sumus circumcisio, qui Spiritu servimus Dei*. Ita in vulgatis codicibus. At olim in plerisque legebatur, *Spiritui*, ut Ambrosius, et Augustinus asserunt. Nam Græca ancipitem reddunt sententiam, οἱ πνεύματι τῷ Θεῷ λατρεύοντες. Ex eo vero, quod Apostolus λατρείαν, hoc est cultum, et adorationem uni debitam Deo, Spiritui sancto tribuit, etiam Deum esse colligi volebant, qui eam lectionem tuebantur. Sed verius est, Spiritum hic pro *cultu spirituali*, qui *carnali* contrarius est, usurpari. Quare hoc testimonio non utemur ; uti nec altero, quod sanctus Ambrosius [7] tam vehementer urget ex *Joannis* capite tertio. Ita enim legit : *Quod natum est ex carne, caro est ; quia de carne natum est ; et quod natum est de Spiritu, Spiritus est ; quia Deus Spiritus est* [8]. Quæ postrema verba ab Arianis abrasa esse de suis codicibus, queritur Ambrosius, et Fulbertus Carnot. epist. I. Verum ne in hodiernis quidem Latinis Græcisque comparent, atque in hunc modum totus ille locus concipitur : *Quod natum est ex carne, caro est ; quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Itaque missum hunc faciemus.

IV. Præter expressa illa *Dei* ac *Domini* vocabula, cæteræ quoque appellationes, et adjuncta, sive epitheta, quibus in sacris Litteris Spiritus sanctus insigniter afficitur, divinam ipsius majestatem indicant. Ex quibus præcipua illa ipsa vox est *Spiritus*, quæ cum aliis plerisque creatis etiam rebus interdum accommodetur, excellenter tamen, et præcipua quadam ratione divinæ illi personæ conceditur. Dici quidem ὁμωνύμως *Spiritum* [9], Athanasius, Didymus, Epiphanius, Augustinus, aliique declarant [9]. Nam et angeli spiritus vocantur ; et *hominis spiritus* ; et *prophetarum ;* itemque *procellæ*, *fornicationis*, *compunctionis*, etc., tamen unus est, excellentiorque cæteris Spiritus, qui *et Dei*, *et Christi Spiritus* nominatur. Ut enim plures quidem in sacris Libris appellantur *adoptione*, vel *vocatione* filii, sed unicus et singularis est veritate, ac natura Filius, ait Epiphanius ; sic e multis, qui ejusdem sunt nominis participes, unus est eximius, ac divino celebratus honore Spiritus, qui et *unus* a Paulo [10] dicitur, cœlestia, *prout vult*, in singulos dona *dividens*. « Hic si de plebe, vel de multitudine creaturæ esset, unus omnino dici non potest, » ait Paschasius [11]. Atque hic sæpius addito articulo separatur ab cæteris, ac τὸ πνεῦμα nominatur, aut certe quædam adduntur alia, quibus præstans reliquis illius dignitas indicatur. De quo sanctus Athanasius in libro *ad Serapionem* [12] ; ubi Spiritum sanctum negat uspiam nominari simpliciter *spiritum*, sine additamento Dei, aut Patris, aut a me, hoc est ex Deo, aut cum articulo, ut non absolute dicatur πνεῦμα, sed τὸ πνεῦμα : vel certe Christi, et Filii, aut ut non adjungatur sanctus, aut paracletus, aut veritatis. Nisi forte paulo ante de Spiritu sancto ita sermo sit factus, ut de quo intelligendus sit in sequentibus, ambigi non possit. Idem et Didymus observavit in primo *de Spiritu sancto*.

Æquivoce.

V. Ex adjunctis istis vocabulis frequentissimum ac divinitatis proprium est maxime *sancti* nomen, quod illi velut peculiare conceditur. « Sanctus enim nominatus est, inquit, Cyrillus [13], et sanctus est Deus. Sic enim illum celebrant [a] supernæ virtutes, non ut habentem adventitiam sanctimoniam [14]. » Spiritus itaque « sanctus est secundum naturam, quasi ex sancto, et in sancto secundum natu-

Divinitatis proprium *Sancti* nomen.

1 I *Cor.* XII, 4. — 2 Ita disputant Athan. *de Hum. nat. susc.* et *cont. Sabel. greg.* et *ad Serap. de Spir. sanc.* et *de Com. essen.* Cyr. lib. XIII *Thes.* cap. III, et lib. XIV, cap. I. Theod. V, *con. Hær.* cap. de *Sp. sanc.* Pasch. lib. I, cap. II. Victor in *Prof. fid.* — 3 II *Cor.* III, 16. — 4 Athan. *de Com. essen.* E. Basil. *de Sp. sanc.* c. XXI. Idat. Tom. IV, *Bibl.* Orig. *cont. Cels.* — 5 Amb. III, *de Sp. sanc.* cap. VI. Aug. I *de Trinit.* cap. VI. — 6 *Phil.* III, 3. — 7 Lib. III *de Sp. sanc.* cap. VI. — 8 *Joan.* III, 6. — 9 Athan. *ad Serap. de Sp. sanc.* Didym. lib. III *de Sp.* Epiph. Hær. LXXIV. num. IX. August. XIV *de Trinit.* cap. XIV et XII. *de Gen. ad lit.* cap. VII ; Serm. XLIII *de Verbis Domini.* — 10 I *Cor.* XII et *Eph.* IV, 4. — 11 *De Sp. sanc.* lib. I, cap. XI. — 12 Athan. *ad Serap.* — 13 Cyril. *de Sp. sanc.* — 14 *Isa.* VI.

ram Deo ; » quod et fusius[1] idem alio in loco Cyrillus exponit.

Necnon *Paracleti* cognomen.

Eodem pertinet et *Paracleti* cognomen ; maxime cum Christum *alium Paracletum*, hoc est parem sibi, et æqualem eum nominat : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis*[2]. » Quippe vox *alius* dignitate ac substantia prorsus eumdem, et æqualem fore demonstrat, ut Gregor. Nazianzenus, et Ambrosius admonent[3]. Quin et alio in loco multa confertim sancti Spiritus cognomina e sacris Litteris petita colligit Nazianzenus[4], quæ creatis illum rebus altiorem, ac plane Deum esse persuadent. Passim enim vocatur Spiritus Dei, Spiritus Christi, mens Christi, Spiritus Domini, ac Dominus ipse, Spiritus adoptionis, veritatis, libertatis, Spiritus sapientiæ, prudentiæ, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Dei, utpote horum omnium efficiens, bonus, rectus, principalis, natura, non gratia sanctificans, metiens, non dimensus, impartiens, non particeps, etc., quæ postea referemus. Inter alia ipsum *veritatis* adjunctum magnopere considerandum est. Nam *Spiritus veritatis* ab Christo Domino dicitur : *Et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum*[5]. Nec solum *veritatis Spiritus*, sed etiam *veritas* absolute nuncupatur in prima Joannis *Canonica*[6], si Græcis exemplaribus fides habetur. Nam Latine non *Spiritus*, sed *Christus* legitur. *Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*. At Græce ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια ; *quoniam Spiritus est veritas*. Nec aliter Ambrosius, et Cyrillus referunt[7]. Adde conciliorum de eadem Spiritus sancti divinitate decreta, quæ in primo libro, capite postremo, fusius exposita sunt.

CAPUT XIV.

Eadem Spiritus sancti majestas ac divinitas ex iis rebus probatur, quæ cum Dei propriæ sunt, eidem in Scripturis attribuuntur.

I. Bene ac prudenter hoc Cyrillus Alexandrinus advertit in septimo dialogo *de Trinitate*, cum de hoc ipso, de quo modo agimus, Spiritu sancto loquitur, præstare rebus ipsis statum ac naturam alicujus approbare, quam vocabuli ; quippe ex eo, quod unumquodque est revera, melius, quam appellatione ipsa cognosci. Ut qui hominem, vel equum esse quippiam demonstrare velit, certius id facere, si ratione præditum animal, ac cæteris humanæ naturæ proprietatibus ostendat esse, vel hinniendi facultatem, ac reliqua equorum habere propria, quam si aut hominem, aut equum nominari probet. Etenim « propria est, ait, uniuscujusque rei sua ratio, ac definitio, quæ, quid illa sit, revera demonstrat ; nomina vero æquivoce nonnunquam efferuntur[a]. » Quod in Dei nomine usu venire probat ; hoc enim cum aliis pluribus a Deo diversis communicatur, ut etiam Tertullianus observat in tertio *contra Marcionem*[8]. « Dei enim nomen, inquit, quasi naturale divinitatis potest in omnes communicari, quibus divinitas vindicatur, sicut et idolis, » etc. Quapropter ut Spiritum sanctum verum et æqualem Patri, Filioque Deum esse monstremus, docendum est hoc capite, non sola Dei propria vocabula, sed res etiam iis subjectas, et quæ uni tribuuntur Deo, de illo prædicari.

Quæ Dei sunt, de Spiritu sancto prædicantur.

II. Horum primum illud esto, quod de Patre procedere *Joannis* xv, 26, dicitur : *Cum autem venerit Paraclitus, quem mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Quocirca ut cum Filius *exire a Patre*[9] legitur, ex eo de illius cum Patre æqualitate ac divinitate concluditur ; sic et Spiritus sancti par utrique dignitas similibus ex verbis ostenditur. « Sicut creata dici non potest sapientia, ait Ambrosius[10], quæ ex ore Dei procedit ; nec verbum, quod eructatur ex corde, nec virtus in qua plenitudo majestatis æternæ est ; ita etiam creatus non potest Spiritus æstimari, qui ex ore Dei funditur, cum ipse Deus tantam ostenderit unitatem, ut effundere se de Spiritu suo dicat. » Respexit autem ad illud, quod *Jœlis* II scriptum est : *Effundam Spiritum meum super omnem carnem* ; quo externa Spiritus sancti profusio, non æterna, et naturalis ejus productio significatur. Tametsi hæc ipsa quoque primum intelligi debet, cum ex ore Dei

a Cyril. Ἴδιος μὲν γὰρ ὁ ἑκάστου τῶν ὄντων λόγος, ὅπερ ἐστὶν ἀληθῶς καταδεικνύς· ὁμωνύμως δὲ πολλάκις ἐκφέρεται τὰ ὀνόματα.

1 Lib. XIII *Thes.* cap. IV. — 2 *Joan.* XIV, 16. — 3 Nazianz. orat. XLIV; Ambros. *in Symb.* cap. VI — 4 Orat. XXXVII. Vide et Ambr. I, *de Sp. sanc.* cap. IV. Paschas. lib. II *de Sp. sanc.* cap. IX. — 5 *Joan.* XIV, 16. — 6 I *Joan.* V, 6. — 7 Ambr. I *de Sp. sanc.* c. XV; Cyril. XIII *Thes.* c. III. et I *de Sp. sanc.* — 8 Cap. XV. — 9 *Joan.* XVI, 27 et 28. — 10 Ambr. I *de Sp. sanc.* c. VII.

fundi spirarique dicitur; de qua alio loco Joannis verba illa interpretatur Ambrosius[1]. « Inquit, a Patre procedit, propter originem; inquit, quem mittam, propter societatem, unitatemque naturæ. » Paschasius[2] quoque, « Non dixit, qui a Patre creatus est, sed a Patre procedit; id est de paternæ societate potentiæ, et de proprietate naturæ. » Et paulo post : « Quia ergo Spiritus sanctus a Patre procedit, tria in eo privilegia deitatis ostendit; id est, ut in persona sua subsistere, et sine ullo temporis spatio permanere, et omnino ex substantia Patris probetur existere. » Simili utitur argumento Didymus, Cyrillus ac Theodoretus[3].

Ex forma baptismi probatur S. Spiritus divinitas.

III. Alterum ex baptismi formula ducitur argumentum, in qua Deo Patri ac Filio tertius adjungitur Spiritus sanctus, et ita componitur, ut sine ejus mentione, et efficientia irrita sit, et inanis hæc actio. « Nam qui de Trinitate aliquid eximit, ait sanctus Athanasius, et in solo Patris nomine baptizatur, aut in solo nomine Filii, aut sine Spiritu, in Patre, ac Filio, nihil accipit; sed inanis, ac sine initiatione manet tam ipse, quam qui tribuere videtur. Nam in Trinitate initiatio perfecta consistit. Ita qui Filium a Patre dividit, aut Spiritum ad creaturarum conditionem detrahit, neque Filium habet, neque Patrem, sed atheus est, et infideli deterior, et quidvis potius, quam christianus. Et quidem merito. Ut enim unicus est baptismus, qui in Patre, et Filio, et Spiritu sancto confertur; et una fides est in ipsam, ut ait Apostolus. Sic sancta Trinitas in se ipsa consistens, et in se unita, nihil habet in se factarum rerum. Hæc est Trinitatis individuæ unitas, et in eam fides una[a]. » Atque hanc ipsam rationem adhibet idem contra Arianos disputans, ut æqualem Deo Patri Filium, ac verum Deum esse demonstret. Ex qua triplex genus argumenti deducatur. Primum, quod cum Deo patre nominatur, et in unum velut honoris ac dignitatis consortium adjungitur, quod nefas foret, siquidem creatura Filius esset, aut sanctus Spiritus. « Etenim quæ potest esse creaturæ cum creatore societas, et communio? cur, quod factum est, cum factore connumeratur, ad perfectam omnium absolutionem[b]? » Secundum, quod in Spiritum sanctum credere nos profitemur perinde, ut in Patrem ac Filium. Est enim sacramentum fidei baptismus, ejusque formula christianæ professionis fundamentum et initium. Atqui christiana fides in creaturam esse non potest; neque consentaneum est illam in creatorem simul et creaturam haberi, ut ibidem disserit Athanasius. Tertium, quod ita cum Patre Filioque, Spiritus sancti mentio conjungitur, ut ad efficientiam gratiæ, ac regenerationis necessarium sit illius consortium. Quod si creatura esset Spiritus sanctus, non utique necessarium illius esset auxilium; sed a solo Deo præstari idipsum sufficeret, cum qui sanctum illum Spiritum potestate sua fecerit, creatas quoque res cæteras eadem virtute sanctificare possit.

Baptismi formula veteres plerique utuntur ad Arianos et Pneumatomachos retundendos.

IV. His fere rationibus ex legitima baptismi formula depromptis cum Athanasius utitur, tum plerique alii veterum ad Arianos, et Pneumatomachos retundendos. Atque imprimis Didymus[4] totum hunc locum iis Apostoli verbis illustriorem reddit : *Unus est Dominus*, *una fides*, *unum baptisma*[5]; unde ita disserit : « Quis non ex ipsa cogetur veritate suscipere indifferentiam sanctæ Trinitatis, dum una sit fides in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et lavacrum detur, atque firmetur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti? Non arbitror quemquam tam vecordem atque insanum futurum, ut perfectum baptisma putet, quod datur in nomine Patris, et Filii, sine assumptione Spiritus sancti; aut rursus in nomine Patris et Spiritus sancti, Filii vocabulo prætermisso; aut certe in nomine

a ATHAN. *ad Serap.* Ὁ δὲ ὑφαιρούμενός τι τῆς τριάδος, καὶ ἐν μόνῳ τῷ τοῦ πατρὸς ὀνόματι βαπτιζόμενος, ἢ ἐν μόνῳ τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ, ἢ χωρὶς τοῦ πνεύματος ἐν πατρὶ καὶ υἱῷ, οὐδὲν λαμβάνει, ἀλλὰ κενὸς καὶ ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ὁ δοκῶν διδόναι· διαμένει. ἐν τριάδι γὰρ ἡ τελείωσίς ἐστιν· οὕτως ὁ διαιρῶν τὸν υἱὸν ἀπὸ τοῦ πατρὸς, ἢ τὸ πνεῦμα κατάγων εἰς τὰ κτίσματα, οὔτε τὸν υἱὸν ἔχει, οὔτε τὸν πατέρα, ἀλλ' ἔστιν ἄθεος, καὶ ἀπίστου χείρων, καὶ πάντα μᾶλλον ἢ Χριστιανός· καὶ δικαίως γε· καθάπερ γὰρ ἕν ἐστι τὸ βάπτισμα ἐν πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ πνεύματι ἁγίῳ διδόμενον, καὶ μία πίστις ἐστὶν εἰς αὐτὴν, ὡς εἶπεν ὁ Ἀπόστολος· οὕτως ἡ ἁγία τριὰς ἐν αὐτῇ οὖσα, καὶ ἡνωμένη πρὸς ἑαυτὴν, οὐδὲν ἔχει ἐν ἑαυτῇ τῶν γενητῶν. καὶ αὕτη τῆς τριάδος ἡ ἀδιαίρετος ἑνότης, καὶ μία ἡ εἰς αὐτὴν πίστις ἐστίν.

b Orat. III *contra Arian.* Ποία γὰρ κοινωνία τῷ κτίσματι πρὸς κτίστην; διὰ τί τὸ πεποιημένον συναριθμεῖται τῷ ποιήσαντι εἰς τὴν τῶν πάντων τελείωσιν; Vide et Basil. Ep. CCC et CCCLXXXVII.

1 Tract. in *Symbol. Apost.* col. et I *de Sp. sanc.* cap. I. — 2 Lib. I *de Sp. sanc.* cap. VII. — 3 Did. II *de Sp. sanc.*, Cyril. lib. *de Sp. sanc.*; Theodor. lib. V *contra Hær.* cap. *de Sp. sanc.* — 4 Lib. II *de Sp. sanc.* — 5 *Eph.* IV, 5.

Filii, et Spiritus sancti, non præposito vocabulo Patris. Licet enim quis possit existere saxei, ut ita dicam, cordis, et penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat, (videlicet contrarius legislator Christi) tamen sine perfectione baptizabit; imo penitus a peccatis liberare non poterit, quos a se baptizatos existimaverit. » Igitur, « Si Spiritus sanctus deitatis substantia Patri, et Filio non cœquatur, cur in sacramento sacri baptismatis nihil absque illo completur ? » ait Idatius [1]. Quippe, ut scribit Hilarius[2], « qui confessioni Patris et Filii connexus est, non potest a confessione Patris, et Filii separari. Imperfectum est enim nobis totum, si aliquid desit a toto.» Theodoretus vero : « Si, inquit, creatam naturam haberet Filius, aut sanctissimus Spiritus, non utique cum creatore Deo numeraretur. Accusant enim illos divinæ Litteræ, qui servierunt creaturæ præter creatorem. Propterea et unigenitus Dei Filius homo factus est, ut ab hoc errore liberaret homines, ac Dei et creaturæ discrimen doceret. Porro cum adorationem creaturæ sustulerit, non utique creatam naturam rursus adorare jussisset. Absurdissimum est enim, homines ab iis, qui vere dii non sunt, avocare; eosdemque rursus ad eorum, quæ facta sunt, servitutem compellere [a]. »

V. Addit Ambrosius ex eo, quod jussi sunt baptizari fideles in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti , non in nominibus , sequi unum tribus nomen esse commune, quod est divinitas: « In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus sancti, quia unus Deus; non plura nomina, quia non duo dii, non tres dii. » Præclarus est hac de re locus Augustini in tractatu sexto *in Joan.* « Iste unus Deus, inquit, quia non in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ubi unum nomen audis, unus est Deus. Sicut de semine Abrahæ dictum est, et exponit Paulus apostolus : *In semine tuo benedicentur omnes gentes; non dixit, in seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno, et semine tuo, quod est Christus.* Sicut ergo , quia ibi non dicit *in seminibus*, docere te voluit Apostolus, quia unus est Christus : sic et hic, cum dictum est in nomine, non nominibus, quomodo ibi in semine, non in seminibus, probatur unus Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. »

Nec sunt dissimulanda Faustini verba, qui superiores istas omnes argumentationes accurata brevitate perstrinxit in fine libri, quem *contra Arianos* edidit : « Sed et cum præcipit Dominus, inquit, ut gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizentur, apertissimum est Spiritum sanctum non esse creaturam, vel ex ipsa societate, quæ illi una cum Patre, et Filio est : vel quod nunquam præciperet Dominus, ut in creaturæ nomine aliquis baptizaretur. Multum enim divinæ potentiæ derogaretur, si cum confessione divini nominis, par quoque creaturæ confessio poneretur. Et bene, quod unum nomen posuit dicens: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* : ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis , et perfectæ Trinitatis. »

Est itaque Spiritus sanctus Trinitatis *complementum*, ut Isidorus Pelusiota [b] loquitur ; qui non solum ex baptismi sacramento, et ea, quam ibi præstat, efficientia, Deum illum esse, non servum, aut creaturam adstruit ; sed etiam ex altero, longeque diviniori Eucharistiæ sacramento, in quo ex communi pane Christi corpus efficit ; de quo postea [4]. Proinde « non factus est, ait, aut creatus, neque *servilis naturæ* esse potest : sed herilis et creatricis, ac regalis essentiæ congener, et consubstantialis est Spiritus sanctus. Nam si servus est, cum domino minime numeretur. Et si creatura est, cum creatore minime copuletur [c]. »

VI. Basilius[4] vero nullo modo prætermit-

a Theodor. V *contra Hær.* cap. *de Sp. sancto.* Εἰ δὲ κτιστὴν εἶχε φύσιν ὁ υἱὸς, ἢ τὸ πανάγιον πνεῦμα, οὐκ ἂν συνηριθμήθησαν τῷ κεκτικότι θεῷ. κατηγοροῦσι γὰρ οἱ θεῖοι λόγοι τῶν λελατρευκότων τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα· διὸ δὴ καὶ ὁ μονογενὴς ἐνηνθρωπήθησεν, ὥστε ταύτης ἀπαλλάξαι τῆς πλάνης τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διδάξαι θεοῦ, καὶ κτίσεως τὸ διάφορον. ἀνελὼν δὲ τῆς κτίσεως τὴν προσκύνησιν, οὐκ ἂν φύσει κτιστῇ πάλιν ἐκέλευσε προσκυνεῖν. τῶν γὰρ ἀτοπωτάτων, ἀφέλκειν μὲν τοὺς ἀνθρώπους τῶν οὐκ ὄντων θεῶν, προσάγειν δὲ αὐτοὺς πάλιν τῇ τῶν ποιημάτων δουλείᾳ.

b Isid. lib. I. ep. 1 9. Τὸ πνεῦμα συμπληρωτικὸν τῆς ἁγίας τριάδος.

c Isid. Πῶς διδάσκεις, ἐμβρόντητε, ποιητὸν, ἢ κτιστὸν, ἢ τῆς δούλης φύσεως εἶναι, ἀλλ' οὐ τῆς δεσποτικῆς, καὶ δημιουργοῦ, καὶ βασιλίδος οὐσίας συγγενὲς, καὶ ὁμοούσιον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; εἰ γὰρ δοῦλον, μὴ ἀριθμείσθω μετὰ τοῦ δεσπότου. καὶ εἰ κτίσμα, μὴ συγκείσθω τῷ κτίστῃ.

1 Idat. *contra Varim.* — 2 II *de Trinit.* — 3 Ambr. I *de Sp. sanc.* cap. XIV. — 4 Lib. V *cont. Eun.* c. x.

tendus, qui iisdem insistens argumentationis vestigiis, bene istud expendit, baptismi sacramentum caput esse nostræ salutis ; ad quod Spiritus sancti mentio ac nomen adjungitur. « At salutis nostræ caput, inquit, et perfecta de deitate traditio ad baptizatorum sanctificationem, in eo consistit, ut baptizetur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quod autem iisdem in divinis operibus sancta Trinitas glorificatur, unius est divinitatis testimonium : quoniam nec sine Filio agit Pater, nec sine Spiritu Filius[a]. » Idem præterea, c. III libri ejusdem, tum ex baptismi formula, qua in trium personarum nomine baptizantur fideles, tum ex Petri[1] oratione, qua in Christi nomine Judæos itidem baptizari jubet[2]; tum denique ex eo, quod Christus baptizandos ait apostolos in Spiritu sancto, concludit parem esse natura et dignitate Patri, ac Filio Spiritum sanctum, cujus in nomine datus baptismus ejusdem est efficientiæ. Ubi in ea esse Basilius sententia videtur, baptismum in solo Spiritus sancti nomine tributum, perinde ac Christi solius, ratum ac validum fuisse ; cui et Ambrosius[3] assentitur, qui in unius alicujus personæ nomine, dummodo cæteræ tacitæ non abnegentur, legitimum constare baptismum asserit ; reclamantibus tamen aliis, velut Cyrillo dialogo septimo, qui nonnisi tribus nominatis, integrum, ac perfectum esse sacramentum illud docet ; ut et Didymus supra a nobis citatus. De qua re alias. Nobis ad institutum satis est, ad consortium assumi personarum aliarum duarum Spiritum sanctum in tali ac tam necessario sacramento, in quo sola Dei virtus operatur. Atqui « si a divinitate alius est Spiritus sanctus, ut argumentatur idem Basilius[4], quinam Spiritus annumeraretur? et si post aliquanta tempora ad Patrem et Filium accessit, quomodo cum sempiterna natura copularetur[b]? » Quamobrem qui creatum aliquid putant esse Spiritum sanctum, mancum eos facere tum sacramentum, tum fidei confessionem ait. « Nam neque Trinitas manet Trinitas detracto Spiritu ; et si unum aliquid e creaturis adjungatur, universa creatura simul introducetur, et Patri, Filioque annumerabitur. Nam quid dici prohibet, credimus in Patrem, et Filium, et in omnem creaturam ? Si enim in creaturæ particulam credere religiosum est, multo religiosius utique est, creaturam universam in fidei professione includere[c]. »

VII. Igitur cum « trina nos divinitas » in sacro lavacro regeneraverit, ut loquitur Gregorius Nazianzenus[5], non debemus divinitatem istam in partes secare. » Ac « si non esset Deus Spiritus sanctus, sicut blasphemat hæreticus, nunquam in baptismo, ubi salus humani generis agitur, Patri, et Filio copularetur, » ait auctor *Breviarii fidei adversus Arianos*[6]. Recte etiam is, qui Eusebius Emissenus falso nominatur, in homilia XXXIII quæ est *de Trinitate*, animadvertit Paulum in epistola *ad Ephesios* scripsisse, *Unus Deus*, *una fides*, *unum baptisma*[7]; quod et Athanasius in epistola *ad Serapionem* posuit. Et, « Audiant, inquit Eusebius, Ariani, quia qui unum baptisma violant, unum Deum habere non possunt. Ecce hoc donum salutis, et pignus immortalitatis, cum trium munificentia, conferatur, unum tamen esse, pro indissolubili gloria unitatis asseritur. » Enimvero si Spiritus sanctus Deus non esset itidem, ut Pater, ut Filius ; cum illis in baptismi formula speciatim commemorari non debuit, et ita quidem, ut in uno trium nomine totum hoc regenerationis mysterium perfici diceretur ; quo vocabulo auctoritas et majestas exprimitur, ut supra de Filio contra Arianos disputantes exposuimus. Non enim unum est veri ac summi Dei, creaturarumque nomen, hoc est auctoritas et potestas. Quod si una vel altera creatura in majestatis illius ac tantæ functionis auctori-

a Basil. Καὶ τὸ κεφάλαιον τῆς σωτερίας ἡμῶν, καὶ ἡ τελεία περὶ θεότητος παράδοσις εἰς τὸν τῶν βαπτιζομένων ἁγιασμὸν, τὸ βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. τὸ δὲ ἐπὶ τῶν αὐτῶν θεϊκῶν ἔργων, τὴν ἁγίαν τριάδα δοξάζεσθαι, τῆς μιᾶς θεότητος μαρτύριον, ὅτι μήτε χωρὶς υἱοῦ ποιεῖ πατὴρ, μήτε υἱὸς χωρὶς πνεύματος.

b Basil. Εἰ γὰρ ἀλλότριον ἦν τῇ φύσει, πῶς συνηριθμεῖτο τὸ πνεῦμα ; καὶ εἰ χρόνοις ὕστερον προσγενόμενον πατρὶ καὶ υἱῷ, πῶς τῇ ἀϊδίῳ συνετάσσετο φύσει ;

c Id. Οὔτε γὰρ ἡ τριὰς μένει τριὰς ὑφαιρουμένου τοῦ πνεύματος, καὶ εἰ ἕν τι πάλιν ἀπὸ τῆς κτίσεως προσαφθείη, πᾶσα ἡ κτίσις συνεισελεύσεται εἰς τὴν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ συναρίθμησιν. τί γὰρ κωλύει λέγειν, πιστεύομεν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ εἰς πᾶσαν τὴν κτίσιν ; εἰ γὰρ εὐσεβὲς τὸ πιστεύειν εἰς μέρος τῆς κτίσεως, πολλῷ δή που σεμνότερον τὸ, πᾶσαν τὴν κτίσιν εἰς τὴν ὁμολογίαν παραλαμβάνειν.

d Naz. Τρισσὴ γὰρ θεότης με φαεσφόρον ἐξανέτειλεν.
Οὔ σε κάθαρσι φίλη οὐ ψεύσομαι, εἰ θεότητι
Λουσάμενος, θεότητα διατμήξαιμι φαεινήν.

1 *Act.* II, 38. — 2 *Act.* I, 5. — 3 Lib. I *de Sp. sanc.* c. 3. — 4 Basil. hom. XVII *cont. Sabell.* — 5 Carm. III, *Arcan.* — 6 In *Opusc. dogmat.* — 7 Cap. IV.

tatem admittitur, ut de Filio ac Spiritu sancto Ariani, Pneumatomachi et Photiniani putant; cur non plures etiam annumerare liceat? aut cur duobus tantummodo contenti sumus, quos ad summum Deum adjungimus? « Trinitas, inquit Gregorius Nazianzenus [1], vere Trinitas est, fratres : Trinitas porro non diversarum rerum enumeratio est; (quid enim alioqui prohibeat, quin et decadem et centuriam, et myriadem nominemus, si cum tot numeris componatur? multa quippe multoque plura his in numerum cadunt), sed æqualium, et honore parium complexio; nomine scilicet ea, quæ natura unita sunt, connectente, nec, quæ solutionem nesciunt, per dilabentem numerum dissipari sinente [a]. » Nam tametsi Filium, aut Spiritum sanctum cæteris rebus a Deo procreatis præstantiores esse jactarent hæretici, et ideo cum vero et uno Deo singulari quodam jure numeratos; nihil ea ratione promovebant. Quippe, ut Athanasius aliique Patres opponunt, cum nihilominus creaturæ sint, neque ad communionem divini nominis assumi debuerunt; et complures aliæ, licet inæquales inferioresque adscisci poterunt; præsertim cum ex eorumdem hæreticorum opinione, Filio non sit æqualis Spiritus sanctus, sed perinde sit eo minor, ut est Patre Filius. Quamobrem reliquarum creaturarum inæqualis conditio nihilo magis eas arcere ab illo nominis consortio debuit, quam a Patris societate Filium, aut ab utriusque Spiritum sanctum. Quo argumento vehementius etiam novi Photiniani constringuntur, qui et Filium nihil supra hominem esse, et Spiritum sanctum ne subsistere quidem, ac personam esse sentiunt, sed vim solam virtutemque Dei transeuntem, et identidem ab eo derivatam, hoc est merum accidens, et efficientiam Dei. Contra quos postea hoc eodem argumento acrius insistemus.

Aliud argumentum e fide et credulitate depromptum.

VIII. Cum hac e baptismi formula, quod sacramentum fidei est, petita ratione conjuncta est altera, quæ ex fide et credulitate ducitur, qua in Spiritum sanctum perinde, atque in Patrem et Filium nos profitemur credere. Est enim vis quædam, et emphasis in eo loquendi genere, credere in aliquem, de qua supra capite XIII, cum de divinitate Filii egimus. Et nunc Paschasii Diaconi insignem adjungemus locum, qui in præfatione operis *de Spiritu sancto*, «Agnoscamus, inquit, verbi ipsius privilegium. Credere illi quilibet potest hominum; credere vero in illum, soli debere te majestati noveris. Sed et hoc ipsum aliud est, Deum credere, aliud est credere in Deum. Esse Deum et diabolus credere dicitur, secundum Apostolum : *Nam et dæmones credunt, et contremiscunt.* In Deum vero credere, hoc est fideliter eum quærere, est tota in eum dilectione transire. Credo ergo in illum, hoc est dicere, confiteor illum, colo illum, adoro illum, totum me in jus ejus ac dominium trado atque transfundo. In professionis hujus reverentia universa divino nomini debita continentur obsequia. » Sic Ephiphanius [2] Pneumatomachos redarguit eodem locutionis genere; quod non simpliciter accipiendum docet, sed ita, ut ad Deum solum pertineat. Quamvis enim interdum credere nos in sanctam Ecclesiam, et in remissionem peccatorum, et id genus alia, veteres dicant; iidem tamen peculiari et divina quadam ratione id de Spiritu sancto ac Filio usurpari sentiunt; quod ex aliis sermonis formulis, quæ ad illos accommodantur, maxime vero ex baptismo colligunt.

Tantumdem enim valere censent et illas Scripturæ sententias, in quibus Patri et Filio, tam utrique simul, quam separatim alterutri ejusdem collega majestatis adsciscitur Spiritus sanctus. Velut in secunda *ad Corinthios* : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* [3]; quo testimonio nituntur Athanasius [4], Cyrillus [7], Paschasius [6], et alii complures. Porro « nequaquam socios et participes creaturarum rogabat fieri eos, qui crediderant, ait Cyrillus [b], sed potius participatione divinæ naturæ sanctificari [6]. Item Paulus alio loco : *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* [8].

a NAZIANZ. Τριὰς ὡς ἀληθῶς ἡ τριὰς ἀδελφοί· τριὰς δὲ οὐ πραγμάτων ἀνίσων ἀπαρίθμησις· ἢ τί κωλύει καὶ δεκάδα, καὶ ἑκατοντάδα, καὶ μυριάδα ὀνομάζειν, μετὰ τοσούτων συντιθεμένην; πολλὰ γὰρ ἀριθμούμενα, καὶ πλείω τούτων, ἀλλ' ἴσων, καὶ ὁμοτίμων σύλληψις, ἑνούσης τῆς προσηγορίας τὰ ἡνωμένα ἐκ φύσεως, καὶ οὐκ ἐώσης σκεδασθῆναι ἀριθμῷ λυομένῳ τὰ μὴ λυόμενα.

b CYRIL. Οὐ γὰρ κοινωνοὺς, καὶ μετόχους κτίσματος ηὔχετο γενέσθαι τοὺς πιστεύσαντας, ἀλλ' ἐν μεθέξει μᾶλλον τῆς θείας φύσεως ἁγιάζεσθαι.

1 Orat. XIII. — 2 Hær. LXIV, sub. fin. — 3 II *Cor.* XIII, 13 — 4 Epist. *ad Serap.* — 5 Lib. III *Thes* — 6 In Præf. — 7 Cyril. *Epit. de Sp. sanct* — 8 I *Cor.* VI, 11.

Pneumatomachorum objecta diluuntur.

IX. Atenim, opponebant Pneumatomachi, interdum in sacris Litteris Deo creaturas adjungi, velut angelos, aut sanctos homines. Sic Apostolus *ad Timotheum* scribens, *Testificor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio*[1]. Tum in *Actis* apostoli ipsi, *Visum est Spiritui sancto, et nobis*[2]. In *Exodo* quoque, *Crediderunt Domino, et Mosi servo ejus*[3]. His Athanasius ac Basilius occurrunt[4], quod ad primum locum attinet, angelos in eo velut testes adduci; ad id vero, non solum ratione prædita, sed muta etiam et inanima sæpius assumi, velut *Isaiæ* primo: *Audite, cœli, et auribus percipe, terra*, et *Deut.* XXXII, 1, ac passim alibi. At vero Spiritus sanctus tanquam socius et collega divinitatis, et eorum, quæ Dei propria sunt, efficiendorum auctor adhibetur, et cum Patre Filioque particeps. Tam hic vero, quam in reliquis perspicuum est assumptæ annumeratæque creaturæ, a Deo et creatore discrimen. Quippe et apostoli tanquam ministri et discipuli, quæ ab doctore et magistro didicerant, ea se proferre in commune profitentur; et in postremo loco vox adjuncta *servi*, Mosem a suspicione usurpandæ divinitatis excludit.

Sic et illud intelligendum est, quod sibi Basilius objicit ex prima *ad Corinthios*[5]; ubi *in Mosem baptizari* dicuntur Hebræi. Etenim non semel famulus ac servus appellatur Moses[6]; appellantur item et angeli ministri, ac famuli, et quidem universi, ut ab Apostolo, primo epistolæ *ad Hebræos* capite : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi?* etc. At Spiritus sanc. nusquam servus aut minister vocatur; neque ulla servilis ei functio tribuitur. Denique Basilius[7] ibidem *baptizati in Mosem* interpretatur, in legem Mosis, ac professionem illius. Ita *Lucæ* XVI : *Habent Mosem et prophetas*.

Ex infinita ejus scientia colligitur S. Spiritus divinitas,

X. Non leve et illud argumentum est ad divinitatem sancti Spiritus approbandam, quod ex infinita illius scientia, et cognitione a sanctis Patribus efficitur. Nam Apostolus *ad Corinthios* scribens, sic de illo loquitur : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*[8]. His ex verbis Deum esse Spiritum sanctum, ejusdemque cum Patre substantiæ, theologi veteres colligunt ; imprimisque sanc. Ambrosius[9]. Primum enim nosse Deum ejusque profunda scrutari creata res nulla potest. Hanc enim velut notam et indicium divinitatis suæ, et cum Patre æqualitatis attulit Christus, cum ita loquitur. *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*[10]. Ubi non est, quod Spiritum sanctum ab hac Dei excipi cognitione putet quispiam, quia neque Filius in illo superiore Apostoli loco exclusus est, cum dicitur, *Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei*, ut recte idem observat Ambrosius; qui ex eo concludit, non debere comprehendi Spiritum sanctum generali illa sententia, qua *per Filium* facta esse dicuntur omnia[11]; quippe ut illic solus Filius, sine sancto Spiritu, vel solus Spiritus sine Filio nominatur, neuter tamen eximi censetur, ita cum, nulla Spiritus facta mentione, omnia per Filium condita esse dicuntur, neque Spiritus sanctus excludi debet, neque in eorum, quæ sunt creata, conditionem abjici. Jam vero, uti præter Ambrosium Athanasius[12] quoque disputat, quemadmodum hominis spiritus, qui ea novit, quæ sunt hominis, ejusdem cum homine substantiæ est, non extraneus ac peregrinus; sic Dei Spiritus a Deo alienus, eoque inferior esse non potest, qui ea, quæ Dei sunt, cognoscendo penetrat ; « quia nemo inferior superioris scrutatur arcana, ut ait Ambrosius; divinæ enim solius est potestatis arcana novisse. » Fulgentius[13] vero, « Istam quippe plenitudinem cognitionis, ait, sola possidet unitas naturalis, per quam sic est in Deo Spiritus ejus, ut unus sit cum illo naturaliter Deus. » Paschasius denique lib. II *de Spir. sanc.* cap. I, multum huic argumento roboris adjicit ex eo quod vel ipsa humanæ cogitationis abdita solus Deus penetrare possit. « Si enim hominis, ait, occulta cognoscere divinitatis est proprium, quanto magis scrutari profunda Dei summi in persona Spiritus sancti, majestatis insigne est ? » Sic Eusebius, qui vulgo Emissenus dicitur, hom. XXXIII *de Trinitate* : « Si specialiter Deus creditur, qui occulta hominis intuetur; quanto magis Deus est, qui profunda paterni pectoris perscrutatur ? »

Ad extremum, longe supra creatarum re-

1 I *Tim.* V, 21. — 2 *Act.* XV, 21. — 3 *Exod.* XIV, 31. — 4 Athan. *ad Serap.*, Basil. *de Sp. sanc.* cap. XIII et seq. — 5 I *Cor.* X, 2. — 6 *Num.* XI, 7; *Deut.* XXXIV, 5; *Jos.* I, 1 et alibi passim. — 7 Basil. *de Sp. sanc.* cap. XIV. — 8 I *Cor.* II, 10. — 9 Ambr. II *de Sp. sanc.* cap. XII. Vide Athan. *ad Serap.* Epiphan. *Anc.* num. XII; Cyr. XXXV *Thes.*; Theod. lib VI *cont. Hær.* Idat. *cont. Varim.* — 10 *Matth.*, XI, 27. — 11 *Joan.* I, — 12 Ath. *ad Serap.* — 13 Fulg. in *Resp. ad Inquis. Ferrandi*

Ex atrocitate criminis in Spiritum sanct. demonstratur ejus divinitas.

rum statum eminere Spiritum sanctum, ac vere proprieque esse Deum illius atrocitas peccati probat, quod contra majestatem ipsius admittitur. *Omnia*, inquit Marcus [1], *dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ, quibus blasphemaverint; qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Quam sententiam expendens Ambrosius [2], « Quomodo, inquit, inter creaturas audet quisquam spiritum computare ? Aut quis sic se obligat, ut si creaturæ derogaverit, non putet sibi hoc aliqua venia relaxandum ? » Sic et Cyrillus [3] libro *Thesauri* XXXIV qui id animadvertit, perinde blasphemiam in Spiritum sanctum æterno multari supplicio, atque in Deum ipsum conjecta præsenti morte vindicatur *Levitici* XXIV, 17, ubi ista quoque sanctio subjicitur : *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* At etiam gravior in Spiritum sanctum blasphemantibus pœna constituta est, quæque nullo unquam tempore condonanda dicitur; quod quemadmodum intelligi debeat, non est hujus loci disserere. Simili argumento utitur et dialogi illius auctor [4], qui Athanasio inscribitur, in quo cum Ario disputat, et Victor [5] in *Professione fidei ad Hunericum.*

CAPUT XV.

Ex efficientia et operatione Spiritui sancto in Scripturis attributa demonstratur illius divinitas.

I. Tertium genus argumentationis, quo Spiritus sancti divina majestas, et cum Patre Filioque ejusdem communio substantiæ probatur, ex operibus et illarum rerum efficientia ducitur, quas cum solus præstare Deus possit, eæ tamen Spiritui sancto proprie velut auctori ac principio tribuuntur; vel non minus illi, quam Patri atque Filio. « Quorum autem una est operatio, una est et substantia, ait Didymus [6]; quia, quæ ejusdem substantiæ et ὁμοούσια sunt, easdem habent operationes; et quæ alterius substantiæ, et ἀνομούσια, dissona atque diversa sunt. » Quod pluribus explicat Basilius Epistola LXXX *ad Eustathium*, quæ inter Nysseni opera legitur. Inter hæc autem divinitatis opera, primarium obtinet locum, sanctitatis, gratiæ justitiæque largitio, quæ sanctificationis et justificationis nominibus appellatur in sacris Litteris; quæque peccatorum ac macularum abstersione, et infusione gratiæ, sive adoptione continetur. Utrumque porro Dei munus proprium cum sit, Spiritui sancto tanquam primario fonti, et auctori solet adscribi. Hic enim sanctitatem ab nullo accipiens alio, qui quidem diversæ ab sese naturæ conditionisque sit, sed naturalem, et οὐσιώδη illam habens, impertitur cæteris, qui ejus communicatione fiunt, appellanturque sancti. Id autem solius proprium esse divinitatis, sanctitatem infundere, nemo christianus ambigit. « Sanctificare nulla creatura aliam penitus potest, inquit Paschasius; largitio sanctificationis, munificentia solius est majestatis [7]. » Sed et Ambrosius, « Creatura, inquit, sanctificatur ; sanctificat autem Spiritus sanctus [8]. » Et nonnullis interpositis, « Non ergo potest sanctificatio et corruptela unius esse naturæ; et ideo non potest gratia sancti Spiritus et creatura unius esse substantiæ. Itaque, cum omnis invisibilis præter Trinitatem reliqua natura, cujus rationabilem et incorpoream jure quidam substantiam putant, non impertiat spiritualem gratiam, sed acquirat, nec participet, sed assumat ; separanda utique est a societate Spiritus sancti communitas creaturæ. »

Justificatio et sanctificatio attribuuntur Spiritui sancto illumque Deum demonstrant.

Ita Basilius in quinto *adversus Eunomium*, « Creatura non potest sanctificare creaturam [a]. » Et Eusebius [9], qui vulgo Emissenus dicitur, « Itaque juxta Macedonium si Spiritus non factor, sed factura esset, peccatorum veniam donare non posset. Omnis creatura etiam cœlestium potestatum, angelorum et archangelorum, nescit alteri de proprio præstare justitiam, quæ se naturaliter peccato esse agnoscit obnoxiam; utique obnoxiam, quæ culpam prodidit per ruinam. Absoluto conscientiæ libertatem non potest conferre per gratiam, qui non habet per naturam. » Vide etiam Augustinum in libro *contra Sermonem Arianorum* [10], et Cyrillum Alexandrinum libro XI *in Joannem*. De hac sanctitate, sanctificandique vi multa Joannes Cyparissiotus colligit decade VII, cap. III et sequentibus.

II. Igitur sanctitatem, et justitiam divini

a BASIL. Ἡ κτίσις οὐχ ἁγιάζει κτίσιν.

1 *Marc.* III, 25; *Matth.* XII, 31; *Luc.* X, 12. — 2 Lib. I *de Sp. sanc.* c. 3. — 3 Vide et *Epit. de Sp. sanc.* — 4 Vide Athan. lib. *de Co. essent.* et Serm. in illud ipsum Evangelii dictum. — 5 Tom. I *Biblioth. Patrum.* — 6 Did. I *de Sp. sanc.* — I *de Sp. sanc.* cap. II. — 9 Ambros. I *de Sp. sanc.* cap. 5. — 7 Hom. XXXIII *de Trin*, — 10 Cap. XXXII.

illius Spiritus, velut auctoris, et principii, propriam esse, hoc est οὐσιώδη, non accidentem, et naturæ adjunctam, perspicuum est imprimis ex ipsa ejus appellatione, quam Scripturæ passim illi tribuunt. Nam perpetuo *Spiritus sanctus* nominatur; et plerumque addito articulo τὸ πνεῦμα ἅγιον, ut non quilibet, sed unus aliquis et solitarius intelligatur, ut Didymus observat[1]. Vocatur et *Spiritus sanctificationis*[2], et, quod idem est, *Spiritus adoptionis*[3], et *Spiritus gratiæ*[4].

De ipsa sanctitatis appellatione præclarus est Cyrilli locus ex dialogo septimo *de Trinitate*, quem hic describam. « Sanctus est igitur spiritus ipsius non participatione, neque externa ad Filium habitudine, sed natura et veritate. Nam ut stupidum et insulsum est, hominem appellari revera quidem hominem, tamen aliud ab eo quiddam intelligi; ita stultum admodum est, Spiritum quidem sanctum nominare spiritum, et tamen ipsum excludere ab eo, ut natura sit sanctus, et absurde aliam in naturam extrudere. Non enim gloriæ aut excellentiæ modum aliquem nomen istud illi significabit; quemadmodum hæc, *Principatus*, et *Thronus*, ac *Dominatio*, quæ iis tribuuntur, quæ ab illo sunt condita. Sed substantialem potius qualitatem exprimet; veluti nomen illud *Pater*, Patri, et *Filius*, Filio. Ac si extremæ stultitiæ certum illud est argumentum, nominare quidem Patrem Deum, sed ipsum Patrem esse non intelligere, aut Filium quidem, Filium, istud autem non esse, dicere : quomodo ignorantiæ culpa liberabimus eos, qui naturali sanctitate spoliare audent natura, et vere sanctum Spiritum [a] ? » Id ipsum et in libro *Thesauri* XXXIV, et in epitome dialogi *De sancto Spiritu* repetit, « Per se et substantia sua sanctum esse, non adventitia qualitate perfusum [b], » quandoquidem per illum creata omnia sanctificantur. Sic et Basilius libro [c] quinto *contra Eunomium* Spiritum sanctum Deum esse probat, quia sanctitatem non extrinsecus advenientem recipit, sed natura et substantia sanctus est, imo ipsamet sanctitas [c].

III. Ad hæc eidem Spiritui sancto gratia et justitia velut peculiaris inscribitur. Sic *Actorum* x, 45 : *In nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Rom.* xv, 16. *Ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu sancto.* Item alibi, *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri*[6]. Tum *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ubi perinde per Spiritum sanctum dari gratia dicitur, ac per Christum, *Joan.* i, 17. *Lex per Mosem data est, gratia, et veritas per Jesum Christum.* Ad hæc Paulus *ad Titum* scribens : *Salvos nos fecit*, inquit, *per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum*[7]. Et alibi : *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas*[8]. Sed et Christus ipsemet, *Accipietis*, inquit, *virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Eodemque capite Petrus Judæos alloquens, *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti* [c]. Eximius ad idem institutum est Apostoli locus; in quo cœlestia omnia dona et beneficia gratiæ cœlestis adscribit Spiritui sancto. Nam *nemo*, ait, *potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem*

a Cyril. Ἅγιον τοίνυν οὐ μεθεκτῶς, οὐδὲ τῇ ἔξωθεν σχέσει τῇ πρὸς τὸν υἱὸν, ἀλλὰ φύσει, καὶ ἀληθείᾳ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ. καὶ ὥσπερ ἐστὶν ἀπόπληκτόν τε, καὶ ἀμαθὲς, ἄνθρωπόν μὲν ὀνομάζεσθαι τὸν ἄνθρωπον ἀληθῶς, νοεῖσθαί γε μὴν παρὰ τοῦτο ἕτερον· οὕτω ἠλίθιον κομιδῇ, πνεῦμα μεν ἅγιον ὀνομάζειν τὸ πνεῦμα, τοῦ γεμὴν εἶναι κατὰ φύσιν ἅγιον ἀποσοβεῖν αὐτὸ, καὶ εἰς ἑτέραν ἐκτόπως ἐκβιάζεσθαι φύσιν. οὐ γὰρ δόξης, ἢ ὑπεροχῆς κατασημανεῖ τινὰ τρόπον τοὔνομα αὐτῷ, καθάπερ ἀμέλει τὸ ἀρχὴ, καὶ θρόνος, καὶ κυριότης, ἐπὶ τῶν εἰς τὸ εἶναι δι' αὐτοῦ παρενηνεγμένων. ἔσται δὲ μᾶλλον οἱονεὶ τῆς οὐσιώδους ποιότητος δεικτικὸν, ὡσπερανεὶ καὶ τῷ πατρὶ τὸ πατὴρ, καὶ τῷ υἱῷ τὸ υἱὸς. καὶ εἴπερ ἐστὶ τῆς ἐσχάτης ἀσυνεσίας μήνυσις ἀκριβὴς, τὸ πατέρα μὲν ὀνομάζειν τὸν θεὸν, οὐκ εἶναι δὲ αὖ πατέρα νοεῖν αὐτὸν, ἢ καὶ υἱὸν μὲν τὸν υἱὸν, οὐκ εἶναι δὲ τοῦτο λέγειν, πῶς ἂν ἀπαλλάξαιμεν τῶν ἐξ ἀμαθίας αἰτιαμάτων τοὺς ἁγιότητος φυσικῆς κατατολμῶντας ἀπογυμνοῦν τὸ φύσει τε, καὶ ἀληθῶς ἅγιον πνεῦμα;

b Idem. in lib. *de Sp. sancto.* Οὐχ ὡς ἐπακτὸν ἔχοντα τὸν ἁγιασμὸν, οἴκοθεν δὲ μᾶλλον ἅγιον ὄντα καὶ οὐσιωδῶς.

c Basil. Οὐδὲν κτιστὸν κατ' οὐσίαν ἅγιον. τὸ γὰρ κατ' οὐσίαν ἅγιον οὐ δεῖται τοῦ ἔξωθεν ἁγιασμοῦ, etc. οὐ δεῖται δὲ ἁγιασμοῦ τὸ πνεῦμα, ὅτι ἅγιον κατ' οὐσίαν.

1 Lib. I *de Sp. sanc.* — 2 *Rom.* i, 4. — 3 *Rom.* viii, 15. — 4 *Heb.* xi, 29. — 5 I *Cor.* vi, 11. — 6 *Rom.* v, 5. — 7 *Tit.* iii, 5. — 8 *Gal.* v, 22. — 9 *Act.* i, 8. — 10 I *Cor.* xii, 3 Vide Athan. lib. *De hum. nat. susc.*; Basil. *de Sp. sanc.* II, xvi; Epiphan. Anc. n. 16, *Thes.* cap. ii ; Idat. *con. Var.*; Cereal. c. xi ; Fulgent. Pasch. i, 2, cap. xi, *con. Fast.*; Ambr. II *de Sp. sanc.* cap. xiii.

Spiritus, etc. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu; ac deinde pluribus enumeratis gratiæ donis, ita concludit : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.*

IV. Ex his Deum esse Spiritum sanctum, creaturam vero non esse concludit Athanasius : « Quod enim non sanctificatur ab altero, neque particeps est sanctificationis; sed ipsum participari potest, in quo et creaturæ omnes sanctificantur ; quomodo unum ex omnibus potest esse, aut proprium illorum, qui sunt ejus participes [a] ? » Cyrillus item in *Thesauris* variis argumentis probat Spiritum sanctum non participatione esse sanctum , sed natura et essentia ; hoc est « naturalem, et vivam, et subsistentem Dei operationem esse , quæ creaturas per suam participationem sanctificando perficit [a]. » Quod quidem inter alia, ratione ista colligit : « Quod enim per participationem alicui datur, auferri etiam ab eo potest. Sola enim, quæ naturaliter insunt, inseparabilia sunt. Si ergo, quasi accidens, Spiritui sancto sanctificatio accessit, poterit secundum ipsos ipsa sanctitate Spiritus sanctus privari, quod impium omnino est. Non igitur participatione sanctitatis sanctus est Spiritus, sed quia ex Deo naturaliter est. » Vide Basilium epistola CXLI.

Ambrosius [2] porro idem asseverat ex eo, quod Spiritus sanctus et sine peccato est, et peccata condonat. « Omnis enim creatura peccatorum capacitati obnoxia est; sola autem est a peccato immunis, et immaculata sempiterna divinitas [2]. Ab eo vero peccata condonari probat ex iis Domini verbis [1] : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [3]. Quinetiam in baptismo peccata donantur : « In baptismo autem, ait idem, operatio Patris, et Filii, et Spiritus sancti est. Ergo si peccatum non habet Spiritus cum scriptum sit; *Quis potest dimittere peccata, nisi unus Deus?* utique qui non potest ab unitate naturalis nominis separari, non potest etiam a Dei potestate secerni. » Quod argumentum latius exponit Basilius libro V *cont. Eunomium*, capite tertio. Hanc eamdem justitiæ sanctitatisque largitionem , nativitatis ac generationis nominibus Scriptura declarat; tum adoptionis, liberationis ac propinquitatis cujusdam cum Deo, quæ nos ejus filios reddit, divinæque consortes ac participes naturæ. Hos vero gratiæ fructus omnes proprie Spiritui sancto illæ ipsæ sacræ Litteræ nuncupare solent.

V. Imprimis Christus ipse Nicodemum alloquens , *Nisi quis renatus fuerit,* inquit , *ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Et subinde, *Sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Ex Spiritu itaque sancto nascimur, in quo et baptizamur, ut Ambrosius [5] argumentatur. At Cyrillus cum hoc posteriore *Joannis* loco, ejusdem alterum comparans [6] , *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt* [7], Spiritum sanctum Deum esse concludit.

Porro *adoptionis spiritus* a beato [8] Paulo nominatur, qui nos filios, et hæredes facit; *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, qui servitute posita , liberi fiunt. Nam *Dominus spiritus est ; ubi autem spiritus Domini, ibi libertas* [9]. Quare non est servus , hoc est creatura Spiritus sanctus, qui servitute eximit, ac liberos facit ; sed Deus potius, ut qui Dei filios et quodammodo Deos constituit, ut Didymus, et Cyrillus disputant [10]. Paschasius quoque, « Nemo, inquit, Spiritum sanctum creaturis existimet sociandum. Extra servitutis est conditionem, qui æternam potest tribuere libertatem [11] ; » et subinde, « nisi præ omnibus liber esset , de servis liberos facere non posset. » Etenim « dignitas hæc et potestas liberationis hujusmodi, ait [12] Cyrillus,

a Athan. *ad Serap*. Τὸ μὴ ἁγιαζόμενον παρ' ἑτέρου, μηδὲ μέτοχον ἁγιασμοῦ, ἀλλ' αὐτὸ μεθεκτὸν ὄν, ἐν ᾧ καὶ τὰ κτίσματα πάντα ἁγιάζεται, πῶς ἂν εἴη ἓν τῶν πάντων, ἢ ἴδιον τῶν μετεχόντων αὐτοῦ;

b Cyril. Μᾶλλον δὲ αὐτὸ τῆς θείας ὑπάρχον οὐσίας ἐνέργεια φυσική τε, καὶ ζῶσα, καὶ ἐνυπόστατος.

Ibid. Τὸ ἐκ μετοχῆς προσγινόμενόν τισιν, ὡς δοτὸν ἔσται, καὶ ἀφαιρετόν. μόνα γὰρ τὰ οὐσιωδῶς προσόντα τοῖς ἔχουσιν, ἀχωρίστως συμπεφυκότα φαίνεται. εἰ τοίνυν ἐν προσθήκης τάξει κεῖσθαί φασιν ἐν τῷ πνεύματι τὸν ἁγιασμὸν, ὁμολογήσουσι πάντως ὅτι καὶ ἀποσυμβῆναι δυνήσεται. ὥρα δὴ οὖν καὶ ἁγιότητος δίχα τὸ πνεῦμα λέγειν εἶναι δύνασθαι, κατὰ τὸ ἐκείνων ἐπιχείρημα. ἀλλὰ τοῦτο δυσσεβές. οὐκ ἄρα ἐκ μετοχῆς ἅγιον τὸ πνεῦμα, ἀλλ' ὡς ἐκ θεοῦ φυσικῶς. πνεῦμα ἅγιον ἡ θεία γραφὴ τὸ ἐκ θεοῦ πνεῦμα διηνεκῶς ἀποκαλοῦσα φαίνεται, οὐχ ἕν τι τῶν συμβεβηκότων αὐτῷ δηλοῦσα, κατὰ τὴν ἐκείνων ἀβουλίαν, ἀλλ' ὅπερ ἐστὶ κατὰ φύσιν τοῦτο σημαίνουσα.

1 Lib. XXXIV *Thes.* — 2 Amb. lib. III *de Sp. sanc.* cap. XIX. Vide et Basil. I, ep. CCCLXXXVII et Cyril. Dial. VII et in Epit. dial. *de Sp. sanc.* — 3 *Joan*, XX. — 4 *Joan.* III. 5. — 5 III *de Sp. sanc.* cap. XI. — 6 *Joan.* I. 13. — 7 Cyril, XXXIV. *Th.* — 8 *Rom.* VIII, 15. — 9 II *Cor.* III. 17. — 10 Did. lib. II *de Sp. sanc.* Cyril. lib. V *in Joan. Thes.* et lib. *de Sp. sanc.* — 11 Paschas II *de Sp. sanc.* cap. VII. — 12 Libr. XXXIV.

soli Deo attribuitur ; quod patet, quia nullus potest, præter Deum, peccata dimittere. Sed salvator etiam id verbis suis affirmat, dicens, *Nisi Filius vos liberaverit, servi estis*[1]. Nulla gitur creatura hoc facere potest[a].» Plena sunt in eam rem gravitatis Nazianzeni Gregorii verba : « Non adducor, inquit, ut credam, mihi ab eo salutem, qui ejusdem mecum sit conditionis, afferri. Si Spiritus sanctus Deus non est, Deus prius efficiatur, atque ita demum me æqualem suum Deum efficiat[b]. »

Idem eruitur ex eo quod *ungi* et *signari* in Spiritu sancto dicimur.

VI. Denique, quod in sacris Litteris *ungi*, et *signari Spiritu sancto* dicimur, et hoc *pignus* habere cœlestis *hæreditatis*, asseverandæ illius divinitati pondus adjicit. Paulus enim in secunda *ad Corinthios : Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum, et qui unxit nos Deus; qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Et alio in loco, *In quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto; qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis*[3], etc. Item, *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*[4]. His testimoniis Spiritus sancti divinitas affirmatur a Patribus[c]. Quippe dissimilis naturæ, conditionisque sit oportet ab iis, quæ unguntur, et signantur, unguentum ipsum, ac sigillum, ut ait Athanasius. Ac si unctione ista et obsignatione, Dei forma in nobis exprimitur, necesse est Deum esse, per quem id efficitur, Spiritum sanctum. Quod idem Athanasius Joannis verbis explicat : *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*[6]. Igitur, « si ex præsentia spiritus, qui nobiscum est, efficimur consortes divinæ naturæ, insanierit profecto, si quis hoc dicat, fieri per spiritum creatum, et non per Spiritum Dei. Ob eam enim causam in hominibus est, et ii, in quibus est, dii efficiuntur. Quod si ille deos faciat, ambiguum esse non potest, quin hujus natura Dei sit natura[c]. » Etenim non pictoris more, ut Cyrillus docet, divinam in nobis similitudinem Spiritus sanctus delineat, et imaginem Dei, quæ ab eo possit abesse : « Sed quasi quoddam sigillum in cordibus suscipientium, sicut in cera invisibiliter imprimit, et sic communicatione ac similitudine sua in pristinam pulchritudinem naturam nostram depingit, et ad imaginem Dei rursus hominem renovat. » Atque idem Cyrillus alibi ex illo ipso, quo Athanasius nititur, loco simile conficit argumentum : « Quomodo, inquit, factus est spiritus, si per illum (Dei) participes efficimur ? Non enim per creaturam erit in nobis participatio Dei. Sed dicant, si factus unus sanctorum Angelorum esset in nobis, essemusne participes divinæ naturæ? Sed hoc non est verum. Unde Deus in nobis per Deum spiritum.» De pignore autem, et arrha, vide Paschasium Diaconum in libro I *de Spiritu sancto* cap. XI.

Ex modo quo effectus produit colligitur, divinitas S. Spiritus.

VII. Non minus ex ratione ac modo, quo illa omnia in creatis rebus efficere, operarique Spiritum sanctum sacræ nos docent Litteræ, effectis ipsis, et operibus illius divinitas agnoscitur. In quo primum istud occurrit, quod effundi proprie dicitur, ut apud Joelem; *Effundam spiritum meum super omnem carnem*[7], etc. quem locum in *Actis Apostolorum*[8] Petrus interpretatur de missione Spiritus sancti, ac descensu in apostolos. Sed et Paulus, *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*[9], etc. Et *ad Titum* cap. III, 5: *Salvos nos fecit per*

a Cyril. Ὅτι γὰρ μόνῳ τῷ θεῷ τὸ ἐλευθεροῦν ἐφεῖται, πρόδηλον μὲν ἐκ τοῦ μηδένα δύνασθαι ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας πλὴν αὐτοῦ· οὐδὲν ἧττον καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὁ σωτὴρ πιστώσεται λέγων· ἐὰν μὴ ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, δοῦλοί ἐστε. ποιήματι μὲν γὰρ τὸ δύνασθαι, τοῦτο ποιεῖν οὐ πρόσεστι.

b Greg. Nazianz. Orat. XXIV. Οὐ πείθομαι τῷ ὁμοτίμῳ σώζεσθαι, εἰ μὴ θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, θεωθήτω πρῶτον, καὶ οὕτω θεούτω με τὸν ὁμότιμον.

c Athan. Εἰ δὲ τῇ τοῦ πνεύματος μετουσίᾳ γινόμεθα κοινωνοὶ θείας φύσεως, μαίνοιτο ἄν τις λέγων τὸ πνεῦμα τῆς κτιστῆς φύσεως, καὶ μὴ τῆς τοῦ θεοῦ. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἐν ἀνθρώποις γίνεται, καὶ δι' αὐτοῦ θεοπονοῦνται εἰ δὲ θεοποιεῖ, οὐκ ἀμφίβολον ὅτι ἡ τούτου φύσις θεοῦ ἐστι.

d Cyril. XXXIV. *Th.* Οὐ γὰρ δήπου τὸ πνεῦμα ἐν ἡμῖν σκιαγράφου δίκην τὴν θείαν οὐσίαν ζωγραφεῖ, ἕτερον αὐτὸ παρ' ἐκείνην ὑπάρχον. οὐδὲ τοῦτον ἡμᾶς τὸν τρόπον εἰς ὁμοίωσιν ἄγει θεοῦ, ἀλλ' αὐτὸ θεός τε ὑπάρχον, καὶ ἐκ θεοῦ προελθὸν, ὥσπερ ἔν τινι κηρῷ ταῖς τῶν δεχομένων αὐτὸ καρδίαις ἀοράτως δίκην σφραγῖδος ἐκθλίβεται, διὰ τῆς πρὸς ἑαυτὸ κοινωνίας τε καὶ ὁμοιώσεως εἰς τὸ ἀρχέτυπον κάλλος τὴν φύσιν ἀναζωγραφοῦν, καὶ κατ' εἰκόνα θεοῦ δεικνύον αὖθις τὸν ἄνθρωπον.

e Id. Epit. Πῶς οὖν ἔτι γενητὸν τὸ πνεῦμά ἐστιν, εἰ μέτοχοι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ γινόμεθα δι' αὐτοῦ ; οὐ γὰρ διὰ κτίσματος γένοιτο ἂν ἐν ἡμῖν, ἑνὸς τῶν ἁγίων ἀγγέλων τῆς θείας φύσεως ἐν μεθέξει γινόμεθα. ἀλλὰ μὴν τοῦτο οὐκ ἀληθές. οὐκοῦν ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν διὰ θεοῦ τοῦ πνεύματος.

1 Epi. I *Joan*, cap. VIII. — 2 Cap. I, 21. — 3 *Eph.* I, 13. — 4 *Eph.* IV, 30. — 5 Athan. *ad Semp.*; Cyril. XXXIV. *Thes.*; Amb. I *de Sp. sanc.* cap. VI.; Didym. I. *de Sp. sanc.*; Idat. *contra Varim.* — 6 I *Joan.* IV, 13. — 7 *Joelis.* II, 28 et 29. — 8 *Act.* II, 17. — 9 *Rom.* V.

lavacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde. His testimoniis fretus Didymus[1] Deum esse Spiritum sanctum approbat. « Ipsum, ait, effusionis nomen increatam Spiritus sancti substantiam probat. Neque enim Deus, cum angelum mittit, aut aliam creaturam, *Effundam*, dicit, *de angelo meo, aut principatu, aut throno, aut dominatione.* In solis quippe his, quæ ab aliis participantur, hic sermo consentit. » Quibus tacite id significat, *effundendi*, vel *infundendi* vocabulum de nulla usurpari spirituali substantia, nisi increata ac divina, tametsi de eo, quod accidens est, dici interdum soleat. « De qua creatura, inquit[6] Ambrosius, Deus ita locutus est, quod dominationes, aut potestates effundat, aut angelos[2].» Præterea sic infunditur divinus ille spiritus, ut creaturarum intima penetret, quod unius est peculiare Dei; de qua re copiose Paschasius in secundo *de Spiritu sancto*, « Impossibile est, ait, ut Spiritualis, ac rationabilis creatura cognatæ sibi unquam naturæ valeat infundi, etc. Solus Deus, in quo intelligitur et Spiritus sanctus, simplex, subtilis, purus, in facturam vel angelicam, vel humanam virtute incorporeæ divinitatis illabitur, quæ sola sui operis penetratrix, occulta humani cordis ingreditur, etc. Auctori tantum debetur hoc privilegium, ut conscientiam possit intrare secretam. Anima vero animæ, aut angelus angelo conjungi potest, infundi non potest[3]. » Quocirca solus Deus in angelis, vel hominibus inesse, et in iis manere, easque replere dicitur; quæ omnia de sancto Spiritu passim usurpari videas in Scripturis. Sic apud *Joannem* Christus, *Ego*, inquit, *rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum : vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit*[4]. *Repleri* vero, vel *pleni esse Spiritu sancto*, innumeris in locis sancti viri leguntur; ut apostoli, ac disciPuli *repleti sunt omnes Spiritu sancto*[5], et alibi sæpe. «Nemo autem sive in Scripturis, sive in consuetudine, plenus creatura dicitur, » ait Didymus. « Neque enim aut Scriptura sibi hoc vindicat, aut sermo communis, ut dicas, plenum esse quempiam angelo, throno, dominatione. Soli quippe divinæ naturæ hic convenit sermo[6]. » Nimirum si de substantia aliqua loquamur. Nam et virtute et gratia pleni dicuntur interdum, et scientia, vel dolo, quæ sunt accidentia.

VIII. Qua de re audiendus Didymus, qui in tertio *de Spiritu sancto* scribit, *animam*, vel « mentem hominis nullam creaturam juxta substantiam posse implere, nisi solam Trinitatem; quamvis secundum operationem et voluntatis errorem, sive virtutem, animus de his, quæ creata sunt, impleatur. » Quod autem scriptum est, Satanam in aliquos ingredi, ut in proditorem Judam[7]; aut implesse cor alicujus, ut Ananiæ[8], sic idem explicat. Negat « mentem ipsam, et principale cordis ingredi Satanam, aut in sensum ejus, atque, ut ita dicam, adytum cordis introire (siquidem hæc potestas solius est Trinitatis), sed quasi callidus quidam, ait, et nequam, ac fallax fraudulentusque deceptor, in eos animam humanam malitiæ affectus trahit per cogitationes et incentiva vitiorum, quibus ipse plenus est. » Sic in Judam « introivit, inquit, non substantia, sed operatione; et per fraudulentiam, et deceptionem, et malitiam inhabitare in eo creditur, quem replevit. » Cui et Paschasius assentitur ita scribens : « Corporis latebras intrare possunt; animæ vero interiora adire non possunt. Sciendum ergo est, quod spiritualium nequitiarum dolosa subtilitas illa membrorum loca suo turbat incursu, quæ interdum vino nimio, vel febritio fatigantur accensu. In animæ itaque sensus inimica tentatio per malitiam scit irrepere; in animæ vero recessus per naturam nescit influere. Et ideo hujusmodi spiritus immundos humanæ mentes ac pectora non naturarum infusione capiunt, sed voluntatum pravitate concipiunt[9].» Cujus rei argumentum hoc affert, quod interiores animi cogitationes neque dæmones, neque angeli per sese cognoscunt; quod Scripturæ auctoritate constat. Quippe III *Reg.* VIII, 29 : *Tu nosti*, inquit, *solus cor omnium filiorum hominum.* Et alibi, *Pravum est cor omnium, et inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes*[10]. Proinde, « Manifestum est, ait Paschasius, quod penetrare animarum substantias nequeunt, quarum conscientias scire non possunt. » Rupertus in libro *de Voluntate Dei* capite decimo, eadem docet, non posse angelos sese invicem, aut etiam animas nostras pervadere.

IX. At Spiritus sanctus non solum interio-

1 Didym. lib. II. — 2 Lib. I *de Sp. sanc.* cap. VI. — 3 Lib. II, cap. I. — 4 *Joan.* XIV, 16. — 5 *Act.* II. — 6 Lib. I *de Sp. sanc.* — 7 *Joan.* XIII, 27. — 8 *Act.* V, 3, secundum Græca. — 9 Lib. II *de Sp. sanc.* cap. I. — 10 *Jerem.* XVII, 9.

rem animi substantiam, ac mentem infusus occupat ac penetrat, sed quod unius quoque Dei proprium est, innumerabiles animas et angelos longissimis invicem dissitos spatiis unus implet, sine ulla partitione sui, ideoque circumscripta illius substantia non est, et quod consequens inde sit, increata est, et divina. « Ipse Spiritus sanctus (verba sunt Didymi) si unus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut universa, quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco, et finibus invisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus, cum in pluribus sit, non habet substantiam circumscriptam[1].» Demonstrat id apostolorum exemplo, qui in varias oras regionesque delati, ut in Asiam, Scythiam, Europam, Africam, eumdem secum habebant Spiritum sanctum. At « Angelus, inquit, qui aderat, verbi gratia, apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse aliis in cæteris partibus mundi constitutis; Spiritus autem sanctus non solum sejunctis a se hominibus præsto est, sed et singulis quibusque angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator assistit; et ut homines sanctificans, alterius, quam sunt homines, est naturæ; sic et alias creaturas sanctificans, alius ab earum est substantia. » Simili ratione utitur Ambrosius; docetque « creaturam omnem certis naturæ suæ circumscriptam esse limitibus; » Spiritum vero sanctum «in omnibus, et ubique semper esse[2]; » quod et apostolorum confirmat exemplo. « Incircumscriptus igitur, et infinitus Spiritus sanctus, qui se discipulorum sensibus per separatarum divortia discreta regionum, remotosque fines totius orbis infundit, quem nihil potest præterire, vel fallere. » Ac subinde : « De qua creatura dici potest, quia repleverit universa, quod scriptum est de Spiritu sancto[3] : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem?* etc. Domini enim est omnia complere, qui dicit, *Ego cœlum et terram compleo.* » Sic Basilius libro *de Spiritu sancto*, cap. XXII; Athanasius tom. II epistola I *ad Serapionem*, Augustinus in II *contra Maxim.*, cap. XI, et Paschasius in primo *de Spiritu sancto*, cap. XII, et initio secundi. Et Cyrillus Alexandrinus dialogo septimo *de Trinitate*, Eusebius Emissen. homil. XXXIII *de Trinitate*.

Idem ex eo quod in creaturis tanquam in templo habitat.

X. Præterea nullus, præter Deum, in ratione præditis habitare, tanquam in templo, dicitur : At Spiritus sancti fideles templa nominantur, in quibus habitat : *Nescitis*, ait Apostolus, *quia templum Dei estis? et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*[4]. Et alio in loco : *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quam habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno; glorificate, et portate Deum in corpore vestro*[5]. Utrobique Deum aperte nominavit Spiritum sanctum. Sed et membra eadem, quæ Christi esse membra[6] dixerat, templum vocat Spiritus sancti; et alibi templum Patris, cum ita scribit : *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo : et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus*[7]; ut appareat eamdem Patris, et Filii, ac Spiritus sancti cum dignitate esse substantiam, ut Athanasius[8] ex iis locis concludit, nec non Didymus[9], qui perinde Spiritum sanctum habitare demonstrat in nobis, ut et Filium, et Patrem. Quippe *per fidem habitat Christus in cordibus nostris*[10]. Et Christus ipse de his, qui sua mandata servaverint, *Pater*, inquit, *meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*[11]. Porro Spiritum sanctum in nobis habitare, cum simus illius templa, paulo ante declaravimus; unde consequens est ipsum esse Deum non minus, quam Patrem, atque Filium. Addit Didymus quod proxime ante significavimus, sola accidentia in animis hominum inesse, et habitare posse; substantiam vero creatam nullam omnino posse. « Disciplinas quippe, ait ille, virtutes dico, et artes, et his contrarias perturbationes, et imperitias, et affectus in animabus habitare, possibile est, non tamen ut substantias, sed ut accidentes. Creatam vero naturam in sensu habitare impossibile est. Quod si verum est, et Spiritus sanctus absque ulla ambiguitate subsistens, animæ est habitator, et cordis; nulli dubium est, quin cum Patre, et Filio credi debeat increatus. »

Ad hæc vox ipsa *Templi*, ut jam dixi, Deum esse, qui illic habitare legitur, ostendit. « Non enim servile domicilium appellatione Templi Scriptura comprehenderet[a] » ut scribit Basilius, « Nulla quippe creatura, neque fac-

[a] Basil. *de Sp. sancto.* cap. XXI. Ἆρα τὸ δουλικὸν οἰκητήριον κατεδέξατο ἄν ποτε τῇ τοῦ ναοῦ προσηγορίᾳ τιμῆσαι;

1 Lib. I *de Sp. sanc.* — 2 I *de Sp. sanc.* cap. VII, — 3 *Joelis*, II. — 4 I *Cor.* XIII, 16, — 5 Cap. VI, 19. — 6 Cap. VI, 15. — 7 II *Cor.* VI, 16. — 8 Lib. *de Hum. nat. susc.* — 9 Lib.. II — 10 *Eph.* III, 17. — 11 *Joan.* XIV.

tum aliquid, tanquam Deus in templo habitare dicitur, ait Cyrillus Alexandr. [1]. Nam id inter alias proprietates Deo soli convenit[a]. »

XI. Augustinus quoque in epistola LXVI eodem ex Apostoli loco, quo nos esse templum docet Spiritus sancti, demonstrat latriam illi deberi. « Nam si templum ei facere, sicut Salomon fecit, de lignis et lapidibus juberemur, utique faciendo templum latriam exhibere convinceremur; quanto magis latriam debemus, cui non templum facimus, sed sumus?» Quod in libro *contra Sermonem Arianorum* [2] duobus locis repetit. Et in secundo *contra Maximinum*, c. XI, et in lib. III, c. III et vicesimo tertio. Et sermone CI *de Diversis* eodem argumento utitur. Imprimis autem capite III libri tertii *contra Maximinum* : « Si, inquit, religionem, qua colitur Deus, sicut dignum est, cogitares, multo plus esse cerneres, quod habet Spiritus sanctus templum, quam si eum legeres adoratum. Et homines enim, sicut supra docui, a sanctis novimus adoratos. Templum vero non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, sicut Salomon fecit, aut eis, qui pro diis habentur, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Spiritus autem sanctus, quod cum magno honore de Deo dictum est, non in manufactis templis habitat, sed corpus nostrum templum est Spiritus sancti. Et ne corpora nostra contemnas, membra sunt Christi. Qualis ergo est Deus, cui templum ædificatur, et a Deo, et de membris Dei? »

Nam, ut recte in primo ejusdem operis libro scripsit, « Nonne, si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi, et ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo? Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicumque creaturæ, quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus [3] ?

Ad hæc Augustini verba, quibus nulli creaturæ, ac ne angelis quidem templum fieri docuit, Erasmus marginalem hanc notam adjecit, *Hoc nunc fit quibuslibet divis*, catholicæ morem Ecclesiæ, ritumque tacite redarguens, quæ in sanctorum memoriam basilicas ædificat. Sed aliud est in memoriam honoremque martyrum Deo templa dedicare; aliud est, ipsis martyribus per se, ac præcipue consecrare. Hoc enim impium ac detestandum est, neque fit ab Ecclesia catholica; illud pium ac religiosum, et jam tum ex antiquis temporibus in eadem usurpatum Ecclesia, et ab ipso etiam Augustino probatum est; quod non tam ignoravit Erasmus, quam pro solita levitate et obtrectandi lascivia dissimulavit.

XII. Accedunt ad superiora testimonia, illa insuper, in quibus Spiritus sanctus αὐθεντικῶς, et ut majestate suprema dignum est, loquitur, aut præcipere aliquid, vel efficere monstratur; quæ quidem servilis, ac creatæ conditionis suspicionem omnem removent. Inter hæc celeberrimum id est, quod in *Actis Apostolorum* legitur: *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus*: *Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et mox : *Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto, abierunt* [4], etc. Quæ vox summæ index auctoritatis, increatum, ac sui juris Spiritum sanctum esse persuadet [5], uti Patres affirmant. Sed et *Actorum* x, 20, Petrus ad Cornelium mittitur a Spiritu sancto, ita loquente: *Vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos.* Et *Actor.* XX : *Attendite vobis ipsis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos.* Tum *Actorum* XXI, II, Agabus propheta Paulo futura prædicens, Spiritum sanctum auctorem illius prædictionis nominat: *Hæc dicit Spiritus sanctus*, etc. Quod et Athanasius effert libro *de Incarnatione*. Paulus item in epistola I *ad Tim.* IV; *Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide.* Item *ad Hebræos* scribens quæ a Davide Propheta denuntiata sunt, Spiritui sancto tribuit: *Sicut dicit Spiritus sanctus, Hodie si vocem ejus audieritis* [6]. Et alio loco [7]: *Contestatur nos* (vel ut in Græco legitur, Testatur nobis) *et Spiritus sanctus. Postquam enim dixit, Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordi-*

Item ex eo quod summa auctoritate agit et loquitur.

a Cyril. Ὡς οὐδὲ τῶν γενητῶν ἢ πεποιημένων, ὡς θεὸς, ἐν ναῷ λέγεται κατοικεῖν· μόνης δὲ τῆς θείας φύσεως καὶ τοῦτό ἐστι μετὰ τῶν ἄλλων ἐξαίρετον.

1 Cyril. XXXIV *Thes.* Quod repetitur. in Epit. *de Sp. sanc.* Vide et *Thes.* l. XXXIII, et lib. II *in Joan.* et lib. IX, Theod. lib. V, *con. Hær.* Fulg. lib. III *ad Tras.* cap, XXXIV; Idat. *contra Varim*, Cereal. cap I. — 2 Cap. XX et XXIX. — 3 Lib. I *con. Max.* n. 11, — 4 *Act.* III, 2, — 5 Did. lib. II; Ath. *de Humana susc. nat.* et lib. *de Com. essent.* Epiphanius Hær. LXXIV, n. 5. Cyril. lib. XXXIV *Thes.*; Idatius; Cereal. cap. XIV; Faustus *de Rat. fid.* — 6 *Hebr.* III, 7. — 7 *Hebr.* x, 15.

bus eorum, etc. Hoc est Jeremiæ[1] vaticinium, quod Deus ac Dominus elocutus dicitur; et idem nihilominus editum a sancto Spiritu testis est Apostolus. Igitur Spiritus sanctus Dominus est ille ipse, qui per prophetas futura prædixit, ac per eos locutus est. Velut etiam *Actorum* I, 16, Petrus affirmat : *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda.* Tum *Actorum* XVIII, 25, Paulus, *Bene,* inquit, *Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros,* etc. Sed universe de prophetiis omnibus, totaque Scriptura sacra Petrus[2] idem asserit, auctorem illarum esse Spiritum sanctum : *Hoc primum,* ait, *intelligentes, quod prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia ; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Quis autem dubitet, verum, ac sempiternum esse Deum,qui et per prophetas locutus sit, et Scripturas sacras suo instinctu afflatuque dictaverit? Certe Deum esse, qui per prophetas locutus sit, Paulus initio epistolæ *ad Hebræos* docet, ut observat Ambrosius[3].

Sic apostolos, doctores, episcopos mittere, ac constituere perinde Spiritus sanctus, ac Christus, vel Deus, legitur[4]. Nam Paulum, et Barnabam apostolos instituit, ut supra demonstravi; et Paulus ipse episcopos Asiæ compellans, *Attendite vobis*, inquit, *et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*[5]. Atque Paulus ipse *Apostolum se non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem*[6] missum esse prædicat. Tum alibi[7] Deum esse dicit, qui varia ministeriorum, operationum, donorum genera largitur Ecclesiæ, velut linguarum varietatem, prophetiam, etc., quem eumdem appellat Spiritum sanctum ; atque in fine capitis, *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores*[8], etc. Porro illa omnia gratiæ munera, non ut creatura aliqua, sed summa cum potestate auctoritateque impertiri dicitur: *Hæc autem*, ait, *omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult.* Quæ verba auctor ille perantiquus *Breviarii fidei adversus Arianos* ita perpendit: « Qui divina munera, prout vult, dispensat, legem superioris ignorat. Agnosce tandem, quia qui, prout vult, dividit, nulli subditus esse probatur, sed suæ potestatis esse dignoscitur. De summa enim potestate descendit voluntas, cui nulla contradicit auctoritas. » Ut, quod de Filio scribit Ambrosius, in nullo circa « sui divinitatem discrepare scias Spiritum sanctum, et Patrem, aut Filium, qui circa præsidia nostra non discrepant[9]. »

XIII. Super hæc omnia Spiritus sancti divinitas ex eo certissime comprobatur, quod illa ipsa, quæ commemorata sunt divina prorsus effecta, non in angelis tantum, et hominibus, sed etiam in Christo Domino, ac Deo præstare operarique dicitur. Etenim Christus de Spir. sanc., et Spiritus sancti operatione conceptus, incarnatus, natusque scribitur: *Spiritus sanctus superveniet in te,* ait angelus[10] apud *Lucam, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*[10]. Et apud *Matthæum : Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*[11]. Hæc Ruffinus in *Commentario ad Symbolum* exponens, « Igitur, inquit, sanctus Spiritus refertur dominicæ carnis, et templi ejus creator. Incipe jam hinc intelligere etiam Spiritus sancti majestatem, » etc. Et Augustinus libro tertio *contra Maximinum*, capite XVII : « Mundus per Filium factus est, et creator est Filius; caro ejus, quæ data est pro mundi vita, per Spiritum sanctum facta est, et non est creator Spiritus sanctus ? » **Item ex eo quod hos effectus in ipso Christo producit.**

Ungit quoque Christum Spiritus sanctus, ac mittit, ut ex Isaiæ[12] oraculo de se ipse confirmat. Prædestinatur item Christus per Spiritum sanctum, ab eoque repletur[13]. Nam plenus Spiritu sancto dicitur[14]. Proinde « an non Deus est, ait Cerealis[15], qui implet Deum?» Confortat idem Spiritus Christum[16], in eoque ejicit hic dæmonia[17]. Sed et Christum suscitavit a mortuis[18], et ejusdemmodi alia sunt in sacris Litteris innumera, quæ in Christo, ac per Christum effecisse docent Spiritum sanctum, quæque divinam in eo vim ac substantiam indicant. Non enim a creaturis adjutus dici Christus potest ut scribit Cyrillus[19], neque creaturæ vi efficien-

1 Cap. XXXI, 33. — 2 I *Pet.* I, 20. — 3 II *de Sp. sanc.* cap. XII. — 4 *Act.* XIII. — 5 *Act.* XX, 28. — 6 *Gal.* I. 1. — 7 I *Cor.* XII. — 8 Vide Ambr. II, *de Sp. sanc.* cap. XI, et lib. III, cap. XXII. Did. init. lib. II, Cyril. lib. XXXIV *Thes.*; Idat. *contra Varim.*; Cereal, *contra Max.* cap. XIV. — 9 Amb. in cap. III *Luc.* — 10 *Luc.* I, 35. — 11 *Matth.* I, 20. — 12 *Isa.* LXI, 1 et *Luc*, IX, 18 et *Act.* X, 38. — 13 *Rom.* I. — 14 *Luc*, 4. — 15 *Contra Max.* cap. XI. — 16 *Luc.* I, 80. — 17 *Luc.* XI, 20. — 18 *Rom.* VIII, 11. — 19 Lib. *de Sp. sanc.* Vide Athan. *de Com. essen.* et *de Hum. nat. susc.* Ambr. I *de Sp. sanc.* cap. III, 7, 8 et lib. III, cap. I, Cyr. XXXIV *Thes.* Idat. Cereal. c. XII.; Fulg. *cont. Fastid.*

tiaque homo ex Deo factus. Hactenus de Spiritu sancto; de cujus divinitate testimonia et argumenta omnia, quæ hic exposuimus, summatim complexus est Gregorius Nazianzenus oratione XXXVII, quæ est *de Spiritu sancto;* et Ambrosius *in Symbolum*, capite VI et sequentibus. Fulgentius item in libro tertio *ad Trasimundum*, capite XXXV, cujus verbis capiti huic et libro clausulam apponam. « Dicatur igitur, inquit, si cœlorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus; si potest vivificare, qui non est Deus; si potest in Baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus; si potest charitatem tribuere, qui non est Deus; si potest in credentibus habitare, qui non est Deus; si potest gratiam dare, qui non est Deus; si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus; et digne Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur, si ea, quæ de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere; et digne Spiritus sanctus dicetur creatura. Si autem hæc creaturæ possibilia nunquam fuerunt, et inveniuntur in Spiritu sancto, quæ tamen soli competunt Deo, non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diversum non possumus invenire; ac sic ex unitate operis unitas est agnoscenda virtutis, nec quisquam dubitet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum personarum trinitate servata, unum Deum naturaliter dicere, qui potuit universa sola voluntate condere, qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare, qui omnia potest immensitate divinitatis implere. » Legendus Chrysost. hom. LXXXIX, quæ est *de Pentecoste ;* ubi pleraque ad Spiritus sancti deitatem probandam argumenta colligit.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE TRINITATE

LIBER TERTIUS.

PROŒMIUM

Qui Photinianorum et Ebionitarum recentium in Polonia, et unius ex iis Joannis Crellii, contra sacrosanctam Trinitatem dogmata argumentaque refellit.

I. Veterum fere contra Trinitatem errores hæreseon, et earum firmamenta, hoc est argumenta, quibus venditare se consueverant, duobus libris exposui. Illud enim hoc in opere præcipue spectamus, tum ut antiquorum Patrum de hoc Trinitatis dogmate perquiramus placita; tum ut adversas iisdem, et ab illis oppugnatas nefarias sectas, quæque ad auctores singularum attinent, illorum ex libris proferamus. Qui autem hoc postremo sæculo prodiere, ac vel extinctas jam et obsoletas hæreses interpolando, vel novas architectando, perturbare rem catholicam aggressi sunt, de iis tacere penitus, aut eorum perbrevem mentionem decreveram facere. Videbam enim quæ ad illos pertinent, plurimorum mandata confutataque libris, qui de controversis fidei quæstionibus pari doctrinæ ac diligentiæ laude scripserunt; a quibus nihil relictum admodum reperi, quod fieri opera nostra posset illustrius. Sed nova quædam objecta res est, quæ me ad hoc mutandum consilium impulit. Cum enim, affecta jam hac parte theologiæ nostræ, de ejus editione cogitarem, mihi ab amico liber quidem oblatus est, Cracoviæ in Polonia ante annos novem editus ab Joanne Crellio, ex novorum Ebionitarum, sive Samosatenorum Photinianorumve secta, et satanicæ, quæ in oppido illo est, Synagogæ ministro. Hujus libri argumentum istud est, demonstrare, unicum et singularem esse, non essentia solum, sed etiam persona, Deum verum ac summum, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi; hunc ipsum vero nulla alia, præterquam humana, constantem natura, Filium Dei nominari, ob excellentem functionis dignitatem ac muneris, quod ei ab summo est injunctum Deo, ut conciliandi cum ipso humani generis interpres ac sequester esset, et magnus Pontifex. Itaque falsa esse omnia, quæ de sempiterna generatione Verbi ex Patris substantia, deque ejusdem incarnatione, tot jam sæculis in christiana Ecclesia prædicantur. Nihil enim in Christo supra humanam esse naturæ conditionem; ut nonnisi figura quadam, et tropo dicta videantur illa, quæ de generatione illius æterna, et Filii prærogativa e sacris Libris accepimus. Quod vero Spiritum sanctum attinet, non modo Deum hunc esse, sed ne substantiam quidem ullam arbitratur; ac nihil esse censet aliud, nisi efficientiam Dei[1], sive « divinum ac sanctum quemdam afflatum, seu vim quamdam a Deo manantem, quæ hominibus veluti inspiretur, » ut ejus verba referam. Atque hæc est Photinianorum, qui nuper in Polonia sunt exorti, nefaria et pestilens opinio, adeo Arianis tetrior et horribilior, ut ne hoc ipsum quidem Filio Dei reliquum faciat, quod Arius ei concesserat ut ante tempora omnia, et sæcula constiterit creatura quædam excellens, et angelis potior; quod idem et de Spiritu sancto fassi sunt Ariani. Ac de hujus hæresis origine ac divortiis, quibus olim, et superioribus Ecclesiæ est scissa sæculis, dicam proprio in loco copiosius, cum de incarnatione, et humana Christi natura disputandum erit. Nunc quoniam mutata, ut jam dixi, consilii mei ratione, contra novos istos Trinitatis inimicos, et hunc potissimum, cujus meas in manus pervenit liber, pro christiano dogmate pugnare constitui, pauca de instauratæ illius sectæ primordiis progressuque referam, ut

1 Crellius lib. I, sect. III, cap. VIII.

ea res lucem quamdam afferat insequenti disputationi.

Arianæ hæresis incendium a nuperis hæreticis instauratum.

II. Cum Arianæ hæresis incendium diligenti, et assidua catholicorum doctorum opera jampridem esset extinctum, nec ullæ restarent illius in toto orbe reliquiæ, subito instaurandi ejus initium perditi quidam ac nefarii homines fecerunt, Lutheri et Calvini exemplis incitati, qui novæ ab Ecclesia defectionis signa sustulerant. Princeps illorum fuit Michael Servetus Hispanus, qui sacrosanctæ Trinitatis fidem labefactare conatus est, editis quibusdam libris, quos *de Erroribus Trinitatis* inscripsit. Ac nomen ille Trinitatis ita detestatus est, ut et ipsam horrendis conviciis appeteret, et *Trinitarios* omnes, sic enim catholicos vocabat, atheos nominaret, ut testatur Calvinus[1]. Igitur Trinitatem imaginariam esse dicebat, et cum unius Dei professione pugnare. Personas itaque « externas quasdam ideas esse voluit, quæ vere non subsistant in essentia Dei, sed Deum nobis hac, vel illa specie figurent; ac initio quidem nihil in Deo fuisse distinctum, quia olim idem erat Verbum, quod Spiritus; sed ex quo emersit Christus Deus de Deo, Spiritum etiam alium ex ipso Deum fluxisse. » Idem Calvinus[2] alibi Servetum refert « negasse, Christum alia ratione Dei Filium esse, nisi quatenus in utero Virginis genitus est ex Spiritu sancto. » Quod ex ipsis Serveti verbis intelligitur in *Responsione ad Articulos Calvini*[3]. Ibi enim « nomen hoc, Filius, in sacris Litteris proprie ait tribui homini Filio, nec ullum in Evangeliis posse inveniri locum, in quo ponatur ea vox, *Filius*, quæ non accipiatur pro homine Filio. » Addit, « Secundam personam in deitate olim dictam personam, eo quod esset personalis repræsentatio hominis Jesu Christi hypostatice jam olim in Deo subsistentis, ac in ipsa deitate visibiliter relucentis. » Alias ejusdem fanatici detestandas et sacrilegas voces commemorat idem Calvinus in libro *Refutationis* errorum illius. Ex quibus evidens est Sabellii dogma, quod Trinitatem attinet, ab isto propugnatum fuisse, qui divinam naturam persona unica definierit. Item et Anabaptistarum hæresim amplexus, baptizari parvulos vetuit; quod ex ejus quæstionibus constat, quibus Calvinus idem[4] respondit. Atque ille Genevæ comprehensus, auctore Calvino, et conjectus in vincula, vivus incendio traditur anno Christi MDLV. Cujus necem secutum est Calvini opusculum, quo docuit, « jure gladii coercendos esse hæreticos; » adeo de se male meritus est, ut capitalem in se ipse sententiam diceret.

Post annos aliquot Valentinus Gentilis Italus patria Consentinus, contra Trinitatis mysterium alia via grassari instituit, ut ex ejus scriptis, præsertim e *Prothesibus* apparet, quas Calvinus in libro contra ipsum edito publicavit. Hic igitur personas tres et hypostasi et essentia distinctas asserit. Nam unum esse summum Deum ac verum credidit, qui sit essentia ipsa divina. « Qui autem unum Deum in tres proprietates, seu personas distinguit, (verba sunt Gentilis ex *Prothesi* nona) vel sibi præstigias facit, vel necessario unius Dei substantiam dividit atque discerpit. » Hunc vero Deum *essentiatorem* aiebat esse Filii ac Spiritus sancti, qui longe illo minores erant. Quippe Filium, ait *Prothesi* XXXVIII, « deitatis plenitudinem suo modulo metiri et capere. » Sic iste ad Arianos, uti Servetus ad Sabellianos Photinianosque, atque etiam Eutychianos, descivit. Cæterum Gentilis, instante Calvino, Genevæ compactus in carcerem, metu supplicii perfidiam abjuravit, ac fide jurejurando data, se injussu senatus urbe non egressurum, clam nihilominus dilapsus est, et Arianam hæresim per Galliam, Germaniam, et Poloniam ubique sparsit. Demum apud Bernam in Helvetiis comprehensus, capitali pœna merito est affectus. Serveti tamen insaniam potius, quam Gentilis, complexi sunt Poloni, ac Transsilvani; quorum principes exstitere Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Franciscus David, et, ut aliorum nomina taceam æterno silentio ac detestatione digna, Faustus Socinus Senensis, qui Georgii Blandratæ archiatri Stephani Poloniæ regis ope et auctoritate fretus, in eodem regno fœdæ impietatis patrocinium suscepit, homo impurus, et Judæi, ac Muhammedani similior, quam christiani. Cujus inter alia nefanda opinionum portenta, istud est, « Ad Christi aspectabilem Ecclesiam constituendam nihil aliud requiri, quam veram cognitionem præceptorum Christi. » Itaque quantumvis male quispiam de fide sentiat, ac prava dogmata sequatur, dum illud unum teneat, posse ac debere in Ecclesiæ communionem recipi; quod ipse in epistolis *ad Matthæum Radecium* affirmat. Sed nec verum aquæ baptismum ad eamdem

1 Lib. I *Instit.* c. XIII, n. 22. Ref. errorum Serveti. — 2 Lib. II *Instit.* cap. XIV, n. 5. — 3 Exstat inter Opusc. theol. Calvini. — 4 Calvin. ibid.

communionem obtinendam Ecclesiæ necessarium esse docet; velut in epistola *ad Simonem Ronembergium*, et *ad Sophiam Siemichoviam*; in qua etiam infantium baptismum repudiat. Ac sunt plura alia in epistolis istis, quas solas ex omnibus nebulonis illius operibus legi, capitalia, et horrenda, quæ non est consilii hoc loco persequi. Hujus autem præcipue in sanctissimæ Trinitatis mysterium incubuit furor; de quo eadem cum Serveto ac similibus docuit. Ex isto Sabellianorum, et Ebionitarum, ac Paulianistarum Photinianorumque grege, Joannes ille Crellius prodiit, cujus opus in manus meas venit, de quo commemorare jam cœperam. Inscriptum est hoc opus, *De uno Deo Patre;* et in duos libros tributum. Prior Scripturæ testimoniis et argumentis inde confectis probat, solum Deum Patrem verum ac summum esse Deum; Filium autem, ac Spiritum sanctum non esse. Quem librum trifariam partitus, in prima sectione directe adstruit, Deum Patrem solum illum esse Deum summum. In secunda Christum probat non esse Deum illum supremum. In tertia, neque ejusmodi esse Spiritum sanctum. Posterior liber totidem sectus in partes, primam universe adversus Trinitatis dogma confert; et quæ inesse videntur in eo pugnantia, et absurda, colligit; reliquæ duæ totidem Filii, et Spiritus sancti personis oppositæ sunt.

III. Quamvis autem novum fere nullum his in libris argumentum attigit, sed vetera illa tantum, et obsoleta, quibus usi sunt olim Ariani et Photiniani, quæ et a sanctis Patribus ac theologis nostris explicata sunt sæpius, et a nobis ipsis vel nominatim confutata jam erant in secundo libro, vel ex sequentibus, in quibus tota vis illius mysterii traditur, dilui facile poterant; visum tamen est de iis rursus separatim, ac distinctius agere. Primum, quod adversus communes nostrorum ad singula responsiones quædam ille proposuit, quæ limatius ac subtilius aliquid reponi a nobis postulant. Deinde, quod iisdem denuo tractandis partim illustriora fieri, quæ jam exposita sunt, partim accessione novarum rerum confirmari corroborarique consequens sit. Tertia denique causa nos ad id hortata est, quod librum illum audiebam magno sectæ illius applausu, ac præconio celebrari per Poloniam, ac Transsilvaniam, quibus in provinciis hæresis potissimum ista percrebuit. Id ita esse, ex Joanne Henrico Bisterfeldio, philosophiæ in schola Albensi apud Transsilvaniam professore, cognovi; qui anno MDCXXXIX Crelliani istius operis confutationem edidit. Quæ quidem elucubrato jam hoc opere nostro in manus meas pervenit. In illius *Confutationis* prooemio scribit Bisterfeldius, jactari hoc a quibusdam, « Crellii librum esse prorsus invictum, nullaque ratione refutari posse, utpote qui omnibus nostrorum hominum responsionibus abunde satisfecerit. » Quo ex sermone hominum istorum duplicem mihi fructum proposui lucubrationis hujus: alterum, ut hoc fautores illius, ac laudatores intelligant, cum ea, quæ firmissima judicant, adeo esse ex nostra disputatione imbecilla cognorint, quam infirmis nixa radicibus secta ipsorum hæreat. Alterum, quoniam cuncta, quæ pro eadem hæresi contra catholicam professionem opponi queant, libro isto comprehensa putant, ut iis ipsis facile, uti confido, labefactatis et eversis, nihil ultra sentiant, sibi ad stabiliendam perfidiam suam reliqui esse factum. « Contundendæ ergo sunt insolentes adversum Deum disputationes, et destruenda rationum fallacium munimenta, et elevata ad impietatem ingenia conterenda, nec carnalibus armis, sed spiritualibus, nec terrena doctrina, sed cœlesti sapientia; ut, quanta rerum divinarum humanarumque discretio est, tantum ultra terrena studia ratio cœlestis excedat, » ut cum Hilario[1] loquar.

« Quocirca ordine illi occurrendum censeo (quod contra similem adversarium usurpat Cyrillus Alexandrinus) demonstrandumque, putidas et aniles ejus esse fabellas, atque omni plane destitutas judicio, et inanium duntaxat rationum strophis refertas. » Sed jam præfandi finem faciam, meque susceptum ad opus pensumque revocabo. De quo unum hoc admonendus est lector, cum ad marginem libros fere ac capita Crelliani operis, unde argumenta quæque sumpta sunt, adnotemus, si quæ præterea paginarum notæ adscriptæ sunt, eas non ad Cracovianam editionem, quam Crellius ipse curavit an. MDCXXXI, sed ad recentiorem referendas esse, in qua

a CYRIL. ALEX. lib. X com. *in Joan.* Οὐκοῦν οἴησομαι μὲν κατὰ λόγον αὐτῷ δεῖξαί τε σαφῶς, ὅτι σαθρά τε καὶ γραώδη τὰ παρ' αὐτοῦ μυθάρια, καὶ φρονήσεως μὲν τῆς ἀγαθῆς ἀμοιροῦντα παντελῶς, στροφὰς δὲ εἰκαίων ἔχοντα λογισμῶν.

1 Hilar. lib. XII.

Crellii liber cum Bisterfeldii *Confutatione* prodiit anno MDCXXXIX, quod hujus exemplaria magis ad manum, quam illius, fore videntur.

CAPUT I.

Explicantur loca quædam Scripturæ contra Filii divinitatem ab Crellio proposita, in quibus Pater solus verus Deus, *vel* unus verus Deus *appellatur ; idque quo sensu dictum sit, exponitur. De vetere Ecclesiæ Symbolo, et aliis, in quibus unus Deus vocatur Pater. Ostenditur non excludi ab hujus communione Filium. Tum alia Scripturæ loca ab eodem objecta Crellio declarantur. Filius Dei cur diem ignorare se judicii dixerit.*

I. Ex iis argumentis, quibus Joannes Crellius in prima, uti dixi, sectione libri prioris, solum esse Deum vere ac proprie dictum affirmat Patrem, cæteras vero personas ab ejus nominis proprietate segregat [1]; primarium illud ac præcipuum est, quod iis ex locis Scripturæ petitur, quæ id diserte, ac sine ambage significant. Ejusmodi est, quem primum omnium attulit, ex capite *Joannis* XVII, 3, ubi Christus ita Patrem alloquitur : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Hic enim « veri Dei nomine summum intelligi nemo, inquit ille, dubitat. Quare cum Christus Patrem suum ita describat, ut eum solum verum Deum dicat, intelligitur, Patrem Christi solum esse Deum summum. »

Contra Trinitatem 1ª objectio ex verbis *Joan.* c. XVII, 3.

Hic duplex ab antiquis Patribus adhibita est loci istius interpretatio, ut supra [2] dictum est. Nam alii solum Deum verum nominari Patrem volunt, non ut aliæ personæ removeantur, sed ut ii tantummodo, qui ejusdem non sunt naturæ, et falso ab hominibus putabantur dii, κατ' ἀντιδιαστολὴν τῆς πολυθεΐας, ut ait Epiphanius [3], vel, ut Athanasius [4], « ad eos e medio tollendos, qui natura sua non sunt veri [a]. » Alii distinguunt sic, ut Patrem, et quem hic misit, Jesum Christum, solum esse dicat verum Deum, ut Aug. tract. CV, et lib. III *contr. Maxim.* cap. XV, et Gregorius Nazianzenus [5]. Utramque probat Ambrosius in libro quinto *De fide*, capite primo, et Cyrillus Alexandrinus [6]. Paulinus item Aquileiensis [7] lib. IV *contra Felicem*, « Ordo, inquit, verborum est, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum solum verum Deum. » At Paulianista Crellius in iis oppugnandis multum verborum consumit, quorum hæc summa est. Priorem quidem inde redarguit [8], quod « ea vis est vocis solius, ut omnes alios excludat a communione prædicati, præter eum, cui apponitur. Is autem, cui vocula *solus* apponitur, est Pater Jesu Christi. Prædicatum est verus Deus, seu Deus summus. » Ergo et Christus, et Spiritus sanctus excludi censentur, qui non sunt Pater Jesu Christi.

Per oppositionem ad Polytheismum,

II. Atqui falso putat, et pro concesso sumit, quod imprimis negamus, vocabulum *solus* rationem habere subjecti. Ad prædicatum enim pertinet, ut ista sit enuntiatio, *Pater Jesu Christi est solus verus Deus*, vel, *est ille solus verus Deus.* Quam sententiam Faustus ipse Socinus, unus e Crellii magistris, amplectitur in epistola secunda *ad Matthæum Radecium* [9], ut vel patriarchæ sui auctoritate fractus, tricari desinat Crellius, et veriora nos loqui fateatur. Nam Græce additur articulus, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν. Alioqui, si cum subjecto copulandum esset, loqui sic oportuit, ἵνα γινώσκωσί σε μόνον τὸν ἀληθινὸν θεόν. Distant autem hæc duo plurimum, *Pater solus est verus Deus*, et *Pater est ille solus verus Deus*. Ut si de specie hominis sermo sit, et dicam solum hominem esse eum, qui sit rationalis, non autem effigiem ac lineamenta duntaxat referat humani corporis, et subinde inferam, *Socrates est ille solus verus homo*, de quo scilicet loquebar, vel quem in animo habeo ; tum enim vox *solus* a communione prædicati reliquos non arcet, qui eadem specie comprehenduntur, sed simulatos, et voce tenus appellatos homines. Quare, ut ista falsa est, *Solus Petrus est ille verus homo*, sic vera hæc est enuntiatio, *Petrus est ille solus verus homo*. Multi in sacris Litteris appellantur dii, uti judices, aut principes, et angeli, et gentilium idola ; sed veri dii non sunt. Unus enim est simpliciter Deus, id est solus et verus Deus, cujusmodi Patrem esse suum profitetur Christus. Nec se tamen, aut

a ATHAN. Εἰς ἀναίρεσιν τῶν μὴ πεφυκότων εἶναι ἀληθινῶν.

1 Crell. lib. I, sect. I, cap. I. — 2 Lib. II, cap. IV. — 3 Hær. XXIII, n. 6. — 4 Lib. IV *con. Aria.* — 5 Orat. XXXVI. — 6 ib. XXVII *Thes.* — 7 Tom. II, Auct. *Biblioth. Patrum*, col. 20. — 8 Crell. — 9 Socin.

Spiritum sanctum ab veræ soliusque divinitatis communione separat, ut ambos omittat. Nam de se, ut homine, mentionem hic facit, ut et alibi sæpe; quod Ambrosius observavit. Non erat vero tempestivum, solum cum Patre conjungere Spiritum sanctum, ne quis majorem hunc esse Filio inde suspicaretur. De qua re postea pluribus. Vide interim Cyrillum, qui altera similitudine eamdem Christi verborum sententiam, quam nos secuti sumus, illustrat loco jam citato. Et lib. XI in *Joan.* cap. v, ubi cum Dei Patris cognitione conjunctam necessario, et implicatam docet esse notitiam Filii. Huc accedit, quod, ut a sancto Thoma aliisque vulgo traditur, nomina concreta et adjectiva, cum de substantivis dicuntur, hunc habet sensum. Petrus est albus, id est habens albedinem; Petrus est homo, id est habens humanitatem: ergo et illic, Pater est solus verus Deus, idem erit, atque Pater est habens solam veram deitatem. Non autem ita concipienda sententia est: Pater solus est habens veram deitatem, quod articulus τὸν in Græco, uti diximus, ostendit. Neque enim argumentatione nos ulla cogimur, voculam *solum* ab altera *verum* dirimere, et hanc prædicato, illam subjecto adjungere. Igitur et Pater est solus verus Deus, et Filius est solus verus Deus: quoniam in utriusque cognitione idem constitutum est præmium, ut recte contra Arianos instat Ambrosius[1]. « Namque hoc magis ad unitatem, ait, quam ad distantiam divinæ proficit potestatis, quod idem præmium, unum honorem nobis dat Patris, Filiique cognitio; quam mercedem habere non poterit, nisi qui et Patrem cognoverit et Filium. Sicut enim Patris, ita et Filii cognitio vitam acquirit æternam. »

Crellii exceptio.

III. Quod autem solum verum Deum dici, ad falsos excludendos deos, catholicis plerisque placet, hoc ita Crellius[2] impugnat: « Vel ideo gentium dii a vera deitate vi horum Christi verborum excludi intelliguntur, quia constet, eos a Patre, quem solum verum Deum Christus appellat, esse diversos, vel quia jam constet eos falsos deos esse. Non posteriorem ob causam. Nam alias a vera deitate jam exclusi censerentur, antequam horum Christi verborum vi excludi intelligerentur; nec opus foret ad eam rem verba ista adhibere. Si priorem ob causam, necesse est, omnes, quos a Patre Jesu Christi diversos esse constat, a vera supremave deitate excludi. Non alias argumentum, quod ex iis verbis duceretur, ad idola gentium a vera deitate excludenda, foret invalidum. Tale enim foret, si categorice proponeretur: Quidam a Patre Jesu Christi diversi non sunt veri dii: gentium dii sunt a Patre Jesu Christi diversi. Ergo gentium dii non sunt veri dii. Major in prima esset particularis, quæ consecutionem reddit invalidam.» Sed nugæ istæ sunt. Non esse talem sententiam illam Christi dicimus, ut ejus vi et quasi argumentatione quadam in illa comprehensa, dii gentium excludantur. Neque enim id agitur illo loco, sed hoc tantum, ut in eo sempiternam esse vitam positam affirmet, quod Patrem noverint eum esse, in quo illa sola et vera inest divinitas. Non igitur tota illa verborum complexio et enuntiatio ad hoc adhibetur, ut segregentur ab veræ divinitatis communione dii falsi, sed ut, in quo sita sit vita æterna, monstretur. Porro vox *solus* excludit falsos illos, non excludendos probat, quia id pro confesso usurpat ex communi hominum notione, divinitatem esse aliquam, quæ sola sit vera; hanc in Patre esse cognoscere, vitam æternam esse pronuntiat. Ita nihil sophisticis argutiis opus erit.

Hinc illud etiam evertitur, quod ibidem opponit Crellius adversus illam quorumdam Patrum, ac recentiorum insuper opinionem, Christum ibi cum Patre copulari sic: «Ut te, o Pater, et quem misisti Jesum Christum, cognoscant esse solum verum Deum: » Nihil enim affert, nisi quod jam inficiati sumus, vocem *solus* ad subjectum pertinere. Ideo, si sic proponatur, *te et Christum solum esse verum Deum*, saltem excludi Spiritum sanctum. Verum hæc inania esse, satis ex iis, quæ dicta sunt, intelligitur. De hujusmodi locutione *solus Deus*, et similibus, vide copiose disserentem Basilium epistola CXLI.

IV. Alterum Crellii argumentum[3] ex primæ *ad Corinthios* capite octavo, vers. 5: *Nam, etsi sunt, qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi; nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Hinc ille sic instat: « Paulus explicans, quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit, esse Patrem, non Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Atqui nulla ratione fieri potuisset, ut Paulus explicaturus, quis sit ille unus Deus, Patris tantum mentionem faceret, omissis personis aliis, si

2ª ex verbis Apost. I *Cor.* c. VIII, 5.

1 Ambr. loc. cit. — 2 Crell. lib. I. — 3 Crell. cap. II, sect. 1.

Deus ille unus non tantum Pater esset, sed et Filius, et Spiritus sanctus. » Huic ita respondendum est de communi Patrum sententia, etsi κατὰ τὸ ῥητὸν, et *ut verba ipsa præ se ferunt*, *unius Dei* appellatio in Patrem cadat, tamen κατὰ τὸ νοούμενον, etiam in Filium congruere; quemadmodum et *unius Domini* vocabulum ita Filio tribuitur, ut ab eo minime sit excludendus Pater, imo neque Spiritus sanctus ab utraque illa nuncupatione, quamvis expresse non comprehendatur. Itaque quod ex verbis superficie tenus, et contentiose sumptis concludit Crellius, non est consequens, ideo non esse Deum Jesum christum, quia unus est Deus Pater; sicut neque Deum Patrem ideo non esse Dominum, quia unus est Dominus Jesus Christus. Apostolus cum iis agens hominibus, qui nuper ab gentili superstitione in plures Deos effusa, ad unius Dei professionem transierant, ac de re periculi offensionisque plena disserens, quæ ad idololatriæ negotium spectabat, non plane, et aperte, sed paululum obscure ac mystice, summum, et ab communi fide alienissimum Christianæ dogma religionis attigit, ut observat Chrysostomus[a]; cujus præclarum istud est, neque Deum appellare Jesum Christum illo loco voluisse Paulum, neque Patrem Dominum; ne, cum Deum ac Deum, Dominum ac Dominum audirent Corinthii, plures esse deos suspicarentur ac dominos, seque ad antiquam superstitionem relapsos, in qua plures dii erant, ac domini. Hanc eamdem fuisse causam addit, cur neque Spiritus sancti meminerit, ut illorum imbecillitati consuleret. Vide Basilium epist. CXLI[1]. Idem et Theodoretus in commentariis habet, et Œcumenius, ac Theophylactus. Quamobrem frustra sunt Ariani, ac Paulianistæ, qui ex hoc loco Christi Domini, ac Spiritus sancti deitatem oppugnant, cum alias sæpe, ut iidem Patres observant, Deus uterque, vel nominatim appellatus sit, vel iis signis argumentisque declaratus, quæ in solum Deum, et quidem natura talem, et essentia, convenire possunt, præsertim vero ex baptismi formula; de qua supra, et postea quiddam insuper explicabimus. Excludi autem falsos duntaxat deos censet etiam Irenæus auctor antiquissimus in libro tertio, capite sexto, quemadmodum et Chrysostomus homilia V *de Incomprehensibili*, quem de hoc, et similibus locis operæ sit erudite scribentem legere.

Secundum sensum.

V. Sed est aliquid in illa Apostoli sententia, quod non satis interpretes animadvertunt, quodque ad institutum valde pertinet. Sic enim arbitror, Paulum ad eam christianæ professionis formulam respexisse, quæ catechumenis ac tironibus ante baptismum proponi et ab iis exigi solebat, quæ in Symbolo traditur. Ac vulgatum quidem illud Symbolum, quod Apostolorum dicitur, ita se habet: *Credo in Deum Patrem*, etc. *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* At Nicænum, et Constantinopolitanum, quod posterius in liturgiis nostris canitur, ejusmodi est: *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem*, etc. *Et in unum Dominum Jesum Christum,* etc. Ruffinus in Symbolum adnotavit, Occidentis Ecclesias prioris formulæ Symbolum tradidisse; Orientales vero posterioris. Neque vero putandum est, a Nicænis Patribus primum additam ad Symbolum *unius* vocem, ut ita diceretur, « Credo in *unum* Deum Patrem, » etc. tum, « Et in *unum* Dominum Jesum Christum; » sed jam tum ab Apostolorum temporibus utramque iis in Ecclesiis consuetudinem receptam. Nam Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi sexta, et sequentibus, ubi Symbolum particulatim explicat, « unum Deum Patrem, et unum Dominum Jesum » posuit. Non est autem Nicænum illud Symbolum, quod ibi declarat, ut ex ipsa lectione constabit; cum neque ὁμοουσίου vocabulum exprimat, et de Spiritu sancto multa dicat catechesi XVI quæ in Nicæno prætermissa sunt. Constantinopolitani vero concilii non potest haberi Symbolum istud; quippe catecheses illas in adolescentia sua scripsisse Cyrillum testis est Hieronymus, quo tempore nondum celebratum erat illud concilium. Superest igitur, ut antiquissimum, et commune fidelium omnium in Oriente Symbolum enarrandum sibi sumpserit, quod ex apostolorum traditione profectum est. Atque hoc ipso Tertullianus etiam usus est in libro

Consubstantialis.

a CHRYS. Hom. XX in I *Cor*. Ὅτι πρὸς εἰδωλολάτρας ἦν ὁ λόγος αὐτῷ, καὶ περὶ θεῶν πολλῶν ὁ ἀγὼν, καὶ περὶ κυρίων πολλῶν. διὸ καὶ θεὸν τὸν πατέρα εἰπὼν, τὸν υἱὸν ἐκάλεσε κύριον. εἰ τοίνυν τὸν πατέρα οὐκ ἐτόλμησε καλέσαι κύριον νῦν μετὰ τοῦ υἱοῦ, ἵνα μὴ δύο παρ' ἐκείνοις ὑποπτεύηται λέγειν κυρίους· οὐδὲ τὸν υἱὸν θεὸν μετὰ τοῦ πατρὸς ἵνα μὴ δύο νομίζηται λέγειν θεούς. τί θαυμάζεις εἰ τοῦ πνεύματος οὐκ ἐμνημόνευσε; πρὸς γὰρ ἐκείνους αὐτῷ τέως ἦν ὁ ἀγὼν, καὶ τὸ δεῖξαι, ὅτι οὐκ ἔστι πολυθεία παρ' ἡμῖν.

1 Basil. epist. CXLI.

de Virginibus velandis capite primo, ubi hanc « regulam fidei vocat, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, » etc., Quanquam Vigilius in quarto libro *contra Eutychen*, statim initio, Leonis papæ epistolam *ad Flavianum* defendens, quam Eutychiani idcirco reprehendebant, quod in ea scripsisset, « Fidelium universitas profitetur credere se in Deum Patrem omnipotentem,» etc., nec addidisset, *unum ;* asserit, « Romæ, et antequam Nicæna synodus conveniret, a temporibus apostolorum, ita fidelibus Symbolum tradi » solitum, ut vox, *unum*, non adderetur. Quod universe verum non esse persuadent illa, quæ diximus.

VI. Redeo jam ad Apostolum. Is Corinthiis revocat in memoriam professionem illam fidei, quam paulo ante sub baptismum ediderant; in qua sic habetur, *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem : Et in unum Dominum Jesum Christum.* Quæ formula rudibus, ac tironibus, et ab idolorum, ac deorum plurium cultu recens conversis aptissima est; ne si statim Trinitatis arcanum mysterium illis offeratur, ac tres esse doceantur, qui unus sint Deus, e quibus unus sit Pater, fons et origo cæterorum, Filii vero genitor, et Spiritus sancti unum cum Filio principium, neque tamen Patrem anteriorem exstitisse Filio, vel Spiritu sancto, sed ex omni æternitate tres simul fuisse; hæc, et hujus generis cætera illorum animos offendant. Itaque tam abstrusa, et humano majora captu fidei mysteria, non sunt teneris, ac velut a partu recentibus facile committenda. Sic Apostolus nos exemplo suo docet *ad Corinthios* scribens : *Et ego, fratres, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam ; nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis*[1]. Quæ Pauli verba August. expendens in libro *de Dono perseverantiæ* capite XVI : « Facile est, ait, imo et utile, ut taceatur aliquod verum propter incapaces. » Tales erant igitur Corinthii, quibuscum res erat Apostolo, dum ea scribebat, quæ nobis Photinianus objicit Crellius, ut adhuc lacte opus illis esset, hoc est facilioribus et vulgaribus fidei rudimentis, non exquisita illius enarratione, qui cibus est solidus; de quo alibi Paulus idem in hæc verba, quæ ad rem nostram pertinent: *Etenim*, inquit, *cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei ; et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ; parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali*[2]. Hinc vetus Ecclesia nuper lavacro functos, quos νεοφωτίστους Græci vocant, *infantes* appellabat; exstantque sermones aliquot Augustini sub hoc titulo ad illos habiti. Ad hunc locum pertinet illud Cyrilli Alexandrini, ubi «fidem hanc esse catechumenorum primam asserit, ab opinione multitudinis deorum liberari, ac vere unum, et naturaliter confiteri Deum[a]. » *Recens illuminatos.*

VII. Neque vero, quid sub illa Trinitatis professione lateat, tironibus atque infantibus istis explicari veto, aut ita factum inficior ab antiquis illis Patribus, quorum hodieque sermones legimus de hoc argumento satis accurate confectos. Sed aliud est viva voce coram illa declarare, et audienda proponere; aliud scripto tradere, et absentibus etiam legenda permittere. Illud enim minoris est periculi, dum præsto is adest, de quo sciscitari possint, qui, si quid scrupuli ex iis, quæ exposita sunt, hæserit, statim eximat, et obscuris lucem afferat. Quod si imperitis magna et recondita fidei dogmata scripto tradantur, nec sit in promptu, qui ista legentibus et nondum capientibus viva voce satisfaciat, plerumque vera, et salutaris doctrina in illorum perniciem non intellecta convertitur. Vide inter cæteros Clementem Alexandrinum quinto *Stromateon*. Huc illa cautio veteri in Ecclesia sanctorum Patrum, ac doctorum pertinet, quos timide, ac pedetentim altiora quæque dogmata et sanctiora mysteria scimus explicasse populo, nec nisi longo usu firmitatis interiorem illorum notitiam objecisse. Cujus instituti innumera sunt exempla. Et apparet initio, communia quædam, et ad assensum faciliora illis tradita fuisse; aut, si quæ majora essent, non ea penitus expressa, sed adumbrata et inchoata tantisper, dum ad christianum robur adolescerent. Hujus generis doctrina illa, de qua nunc agimus, Symboli apostolici fuit, quæ Trinitatis mysterium non *Caute olim mysteria proponebantur.*

a CYRIL. lib. II *de Adorat. in Spir.* Πίστις δὲ αὕτη καψηχουμένων ἡ πρώτη, τὸ τῆς πολυθέου δόξης ἀπαλλάττεσθαι, φημὶ, καὶ τὸν ἀληθῶς ἕνα τε, καὶ φύσει παραδέχεσθαι θεόν.

1 I *Cor.* III. — 2 *Heb.* V, 12.

plene absoluteque, sed leviter, ac primis veluti lineamentis designat. Ac principio, quod ad multorum cultu deorum venientibus opportunum erat, unum Deum Patrem commendat, Filii ac Spiritus sancti divinitatem dissimulat, eadem prorsus ex causa, propter quam Dominum Jesum Christum Patris sui divinitatem clare aperteque prædicasse, sibi non passim, nec nisi obscure vindicasse, theologi veteres observant; qui id ab illo factum asserunt οἰκονομικῶς, hoc est prudenti quadam moderatione, uti res postulabat, et πρὸς ὑπογραμμὸν ἡμῶν, ut nobis exemplo suo præiret ad modestiam, ac vanam gloriolam, ac sui commendationem esse vitandam ostenderet; quod Cyrillus Alexandrinus [1], et Epiphanius adnotant.

Ad exemplum nostrum.

VIII. Est et alius professionis illius fructus, quæ unum Deum nominatim asserit Patrem, quem plerique veterum indicant; nimirum ut μοναρχία, id est *principii singularitas* adstruatur, et ut omnia divina pariter, et creata ad unum referri principium intelligantur; quam μονάδα vocant, multumque celebrant Græci theologi, ut suo loco diximus. Est enim Pater unicum illud divinitatis, et, ut universe cum Dionysio dicam, τῆς ὀντότητος, principium, quam *entitatem* necessario vertere nostri, fons, et origo tum personarum reliquarum, tum omnium, quæ utcumque sunt, et existunt; unde et plenitudo in illo divinitatis propria quadam ratione inesse dicitur, ut supra memini [2]. Hoc autem minime illi conveniret, nisi ab uno illo Deo divinæ personæ cæteræ manarent; sed plura essent principia, pluresque dii, quam πολυαρχίαν et πολυθεΐαν appellant, et Arianis exprobrant Patres. Pulchra est, et ad nostrum institutum aptissima sancti Athanasii de hac re disputatio in libro *de Decretis Nicænæ synodi*, ubi illos arguit, qui ut Sabellii vitarent perfidiam, tres in divinitate cum personis essentias asserebant: Hos vero « Ecclesiæ Dei sanctissimum augustissimumque dogma labefactare queritur, dum monarchiam dividunt, et in partes secant, ac tres potentias, et hypostases tres, hoc est substantias, et deitates constituunt [a].» Addit subinde, « Divinam Trinitatem ad unum, velut ad caput quoddam, Deum videlicet universorum, omnipotentem necessario redigi, ac tanquam in summam colligi.» Est etiam insignis de re eadem locus Scriptoris perantiqui, qui sub Novatiani nomine est editus in libro *de Trinitate* [3], quem prætermitti minime decet. « Deus utique procedens, inquit, ex Deo, secundam personam efficiens, sed non eripiens illud Patri, quod unus est Deus. Si enim natus non fuisset, innatus comparatus cum eo, qui esset innatus, æquatione in utroque ostensa, duos faceret innatos, et ideo duos faceret deos; si non genitus esset, collatus cum eo, qui genitus non esset, et æquales inventi, duos deos merito reddidissent non geniti, atque ideo duos Christus reddidisset deos, si sine origine esset ut Pater inventus, et ipse principium omnium, ut Pater; duo faciens principia, duos ostendisset nobis consequenter et deos, etc. Nunc autem quidquid est, non ex se est, quia nec innatus est, sed ex Patre est, quia genitus est; sive dum verbum est, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive dum lux est, sive dum Filius est, et quidquid horum est, dum non aliunde est, quam, sicut diximus jam superius, ex Patre, Patri suo originem suam debens, discordiam divinitatis de numero duorum deorum facere non potuit, qui ex illo, qui est unus Deus, originem nascendo contraxit. Quo genere dum et unigenitus est, et primogenitus ex illo est, qui originem non habet, unus est omnium rerum et principium, et caput. »

Unitatem.

Entitatis.

Polyarchiam et polytheismum.

IX. Atque ea demum causa est, ut ait Gregorius Nazianzenus, cur in sacris Litteris nonnulla de Filio, ac Spiritu sancto perscripta sunt, quæ prima specie inferiores dignitatis partes utrique videntur attribuere; ut cum insigniter ὁ ἐπὶ πάντων θεὸς nominatur Pater, et id genus alia [4]; quæ ad id unum pertinent, ut summum divinitatis in illo principium, ac fontem, et radicem inesse significent, unde personæ cæteræ propagatæ sunt, ipse autem ab nullo productus altero; quo sensu majo-

Qui est super omnia Deus.

a ATHAN. Ἑξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι, καὶ πρὸς διαιροῦντας, καὶ κατατέμνοντας, καὶ ἀναιροῦντας τὸ σεμνότατον κήρυγμα τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ, τὴν μοναρχίαν, εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς, παὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις, καὶ θεότητας τρεῖς.

Mox : Ἤδη δὲ καὶ τὴν θείαν τριάδα εἰς ἕνα, ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα, τὸν θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω, συγκεφαλαιοῦσθαί τε, καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη.

1 In *Frag.* l. VII et VIII *in Joan.* — 2 Lib. I, cap. V. — 3 Cap. XXXI. — 4 Vide lib. II, cap. V.

rem etiam dici Filio plerosque veterum interpretari, supra demonstravimus. Verba Gregorii non abs re fuerit adscribere.

> Εἴ τινα δ' ἢ περὶ παιδὸς ἀκούομεν, ἢ ἀγαθοῖο
> Πνεύματος ἐν θείοισι λόγοις, δὲ θειοφόροισιν
> Ἀνδράσιν, ὥς ῥα θεοῖο τὰ δεύτερα πατρὸς ἔχουσιν·
> Ὧδε νοεῖν κέλομαί σε λόγοις σοφίης βαθυκόλπου,
> Ὡς εἰς ῥίζαν ἄναρχον ἀνέρχεται, οὐ θεότητα
> Τέμνει, ὄφρα κεν οἶον ἔχῃς κράτος οὐ πολύσεπτον.
> Ἐκ μονάδος τριάς ἐστι, καὶ ἐκ τριάδος μονὰς αὖθις.

« Quod si quæ de Filio audimus, aut bono
Spiritu in divinis Litteris, aut deiferis
Viris, tanquam secundas a Deo Patre habeant,
Sic illa intelligere jubeo te, secundum rationes [sapientiæ late se extendentis,
Ut ad radicem principii expertem hæc ascen- [dant, non divinitatem
Secent : ut unum habeas principatum non [multiplici cultu partitum,
Ex unitate Trinitas est, et rursus ex Trinitate [unitas. »

Jam apparet, cur in Symbolo unus Deus expresse ac distincte commendetur Pater; idque et Apostolus in illo primæ *ad Corinthios* loco fecerit; nempe ut τὸ σεμνότατον illud κήρυγμα τῆς ἐκκλησίας, ut appellat Athanasius, ante omnia diligentius inculcaretur de monarchia, et unico divinitatis, universeque τοῦ ὄντος origine, ac fonte. Quæ doctrina neophytis ab multiplicis errore divinitatis nuperrime translatis apprime necessaria fuit. Iisdem tamen cætera, quæ difficiliora et sublimiora sunt, ut non omnino tacebantur, sic minus, quam illud, aperte proponebantur. *Sapientiam enim loquimur inter perfectos* (ait ibidem Apostolus[1]). Et, *Loquimur Dei sapientiam in mysterio.* Quam obtegendorum arcanorum prudentiam apud simplices, vel pro ratione temporum usurpandam, Clemens Alexandrinus vocat « Propheticam, et antiquam occultationem[a]; » et tum ex Platone, tum ex isto ipso loco Apostoli confirmat.

Augustissimum Ecclesiæ dogma.

Entis.

X. Ad summam Paulum apostolum dicimus diserte, et κατὰ τὸ ῥητόν, in illo, quem Crellius opponit loco, unicam Patris divinitatem exprimere ob eas causas, quas attuli. Nam qui putant[2], voces istas, *Unus Deus*, tam ad Patrem, quam ad *Dominum nostrum Jesum* referendas esse, non satis animadvertisse videntur antithesim illam, qua Paulus utitur, in qua diis multis, et dominis multis, singillatim opposuit, non *Deum* duntaxat *unum*, quod in illa interpretatione faceret, sed *unum Deum*, et *unum Dominum*. Ac si priore modo loqui voluisset, vocem *unus* non repeteret; sed ita scriberet: *Nobis autem unus est Deus Pater*, etc., et *Dominus noster* etc. Nihil hoc tamen Crellii ac reliquorum Paulianistarum Arianorumve perfidiam adjuvat. Quamvis enim voce tenus unum Deum Patrem esse dicat Apostolus, et Filium expresse Deum non vocet; hoc ipsum tamen fit ex loci totius sententia necessario consequens, imo ex ipsiusmet Crellii disputatione, cujus tantus est stupor, ut quibus argumentis causam propugnare suam, et catholicam evertere conatus est, iis potissimum et hanc adstrueret, et illam labefactaret. Quod ego breviter hoc ostendam. Christum Dominum ex illis Apostoli[3] verbis effici, contendit, *non esse summum Deum*. Hic primum ambiguitas tollenda nominis hujus, *summus Deus*. Etenim, si is intelligatur summus, qui ab nullo ducit originem, cum ab eo ducant personæ cæteræ, hoc sensu solum Patrem summum esse Deum non negamus, hoc est primum principium, et supremum, ad quod revocantur omnia, ut paulo superius dixi. Sin ille summus appellatur Deus, cujus natura et οὐσία est summa deitas, sive ab nullo altero, sive ab aliquo communicata; hac ratione non minus Filius, et Spiritus sanctus summus est Deus, quam Pater; tametsi diverso modo deitatem illam obtineant; quæ modorum diversitas essentiæ ac nativæ perfectionis et excellentiæ nullam prorsus affert varietatem. Quemadmodum Sethus non minus homo est, quam Adamus; neque natura, vel quocumque naturali ornamento præstabilior hic illo est, sed inter se æquales omnino sunt, et ὁμοούσιοι, quantum fert humanæ, creatæque naturæ conditio; quamvis Sethus ab Adamo, hic ab nullo sit patre genitus.

Secundum sensum litteralem.

Verus Apostoli sensus litteralis.

Ejusdem substantiæ.

XI. Hac igitur excepta *summi Dei* notione, in qua perpetuo fere Crelliana omnia argumenta conflictantur, facile esse dico, illa ipsa ratiocinatione, qua Christi summam deitatem oppugnat, eamdem asseverare ac defendere. Etenim vis est omnis argumentationis in eo posita, quod Apostolus diis gentium, qui plures sunt, unum illum opponere voluit,

Ipsamet Crellii ratiocinatione summa Christi dignitas adstruitur.

a Clem. V *Strom.* Ἀδελφὰ τούτοις ὁ ἅγιος ἀπόστολος Παῦλος λέγει, τὴν προφητικὴν, καὶ τῷ ὄντι ἀρχαίαν σώζων ἐπίκρυψιν, ἀφ' ἧς τὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐῤῥύη δόγματα.

1 I *Cor.* II, 6. — 2 Ut inter alios Ambr. — 3 I *Cor.* VIII, 5.

quem christiani colunt; qui, si alius esset, quam Pater, non debuit omitti, sed una cum illo recenseri. « Siquidem hic explicare voluit Apostolus, ait ille, qui sit ille unus Deus. » Verum, quod de Deo iste nobis objicit, possumus de Domini vocabulo eodem in illum jure retorquere, itidem ut veteres omnes faciunt contra Arianos disputantes, præsertim Hilarius in octavo libro. Nam Apostolus non minus *plures dominos* coli ab gentilibus ait, quam *plures deos ;* nec minus unum christianorum dominum dominis illis pluribus, quam pluribus diis unum opposuit Deum. Quare, si idcirco summus intelligendus est Deus, qui a christianis colitur, quia summis gentilium diis respondere debet; etiam summus ille dominus apud christianos intelligendus est, qui contra summos gentilium dominos ex adverso ponitur. Atqui adversus plures dominos gentilium unum Apostolus Dominum commemoravit Jesum Christum. Erit ergo solus iste summus omnium Dominus, excluso Patre, si hic summus habendus est Deus, excluso Filio. Sane si solum Patrem supremum esse christianorum docere vellet Apostolus, et ab illius summæ ac veræ deitatis consortio Filium segregare, sic omnino scribere debuit : *Nobis tamen unus est Deus et Dominus Pater*, non captiosa sermonis ambiguitate christianis mentibus illudere, et periculosissimi, ac nefarii præbere erroris ansam, ut pro idololatris, anthropolatræ, imo idololatræ nihilominus fierent, quam ethnici; dum pro pluribus horum dominis, hoc est revera diis, plures et ipsi dominos, adeoque deos agnoscerent, natura, et proprietate dissimiles.

XII. Quocirca non cohæret interpretatio loci illius, quam commentus est Crellius adversus hoc, quod de Domini unius appellatione antiqui Patres Arianis objiciunt. Ait enim, Domini vocem, cum de Christo dicitur, non eum significare, « Qui supremum prorsus ac independens dominium complectatur, quod Dei summi proprium est ; sed qui inter Dominos a Deo pendentes primum teneret locum, et cæteris omnibus esset longe sublimior. » Atqui inepta prorsus esset Apostoli ratio, si, ut diis pluribus gentium opinione veris, unum verum, ac proprium opponit christianorum Deum; ita veris, ac proprie dictis, ut quidem gentiles rebantur, dominis, non perinde verum ac proprie dictum opponeret christianorum Dominum. Siquidem oppositio inter ejusdem generis ac notionis deos ac dominos fieri debuit, illinc opinione falsa, hinc reipsa, utrobique tamen veros atque summos. Alioqui stulta et Apostolo indigna cavillatio foret, si summis ethnicorum diis et dominis unum duntaxat opponeret summum Deum, Dominum vero non summum. Ex quo consequens id esset, quod minime omnium vellet, et quod si sibi versutus aliquis gentilium disputator opponeret, quid contra eum hisceret, non haberet, nempe christiana in professione perinde, ut apud gentiles, complures esse dominos, unum summum, alterum interjectum, reliquos infinitos numero infimi ordinis, ac gradatim descendentes dominos, imo vero deos omnes illos non minus, quam dominos. Nam et Christus ipse Deus ab Photinianis habetur; et dii itidem in Scripturis appellantur angeli, et homines, ut et domini. Ac si diligenter ista consideremus, Domini nomen nihilo, quam Dei, communius, aut inferius esse reperiemus. Quin amplius fortasse quiddam, et augustius in hoc, quam illo, quominus communicari debeat. Disputat hac de re accurate Chrysostomus oratione V *contra Anomæos*, et ex usu sacrarum Litterarum probat, nomen *Dei* nihilo præstantius esse, quam *Domini*, et hoc sæpius accommodari Patri. Etenim nomen illud Dei tetragrammaton, et unius summi proprium, quod cum nullo altero communicatur, יהוה, nunquam ab Hebræis pronuntiatur, ac legitur, sed pro eo אדוני perpetua lege substituunt, quod est Κύριος, quod et LXX interpretes ubique secuti sunt. Nam pro יהוה ὁ Κύριος semper apud eos occurrit. At אלהים et iidem illi verterunt ὁ Θεὸς, et promiscuus illius est usus, communisque Deo opt. max. cum angelis et hominibus. Ita et ridicula et imbecilla esset Apostoli ratiocinatio, ac seipsam everteret, si ὁμωνυμίᾳ illa usus esset, quam et Photinianus minister affingit.

Domini ac Dei vox promiscue sumpta.

Vocis ambiguitate

XIII. Huc etiam illud accedere debet, quod illi ipsi complures gentilium dii, non omnes opinione illorum æquales erant, et ὁμότιμοι, sed unus inter ipsos eminere, ac præstare cæteris putabatur, quem Ζῆν ὕπατον κρείοντα *Jovem supremum regem* Homerus nuncupat, Virgilius *Divum, atque hominum regem*. Et in *Timæo* Plato deorum omnium unum esse docuit summum, a quo conditi sunt inferiores reliqui. Quare, si ad summum illum, et sin-

gularem Deum, minorem Paulus adjecisset alterum ab isto factum et creatum; nihil secus, atque in opinione gentilium erat, contra ipsos attulisset. Præsertim cum, etsi minori fortasse, suo tamen aliquo jure, cum Christo numerari inter dominos angeli, hominesque potuerint; imo vero potiori illi, quam Christus, jure ac titulo, si hic, ut Photinianus Crellius indicat, merus homo est, quo angelorum est natura præstantior, qui « omne humanum genus naturæ suæ conditione transcendunt, » ait Gregorius M[1]. Hinc evidens est, quam parum acutus in argumento illo concinnando fuerit quod magno conatu in catholicum dogma sic instruxit, ut contra se majore suo damno verti posset : « Est autem vitium illud in disputatione maximum, ut ait Origenes, cum adversariorum dogma sic oppugnat aliquis, ut, quod objicit, idem in suum dogma relabatur [a]. »

Apostolus pluralitatem deorum excludit.

XIV. Quamobrem, cum *unus Deus Pater*, aut *unus Dominus Jesus Christus* tum illic apud Paulum, tum ubique in Scripturis legitur, falsorum deorum « pluralitas excluditur, non unitas sequestratur, ait Ambrosius[2]. Sed quemadmodum, cum legimus Dominum Jesum, nec Patrem a dominationis jure secernimus, quod ei commune cum Filio est; ita, cum legimus solum verum Deum Patrem, nec Filium a solius veri Dei jure possumus separare, quod ei commune cum Patre est. » Idem Ambrosius, vel alius potius auctor commentarii in caput I epistolæ *ad Galatas :* « Nec minorem, inquit, Filium significat, cum eum Dominum nostrum vocat; neque Patrem majorem, quia eum Deum nostrum appellat; quia non erit verus Deus Pater, nisi et Dominus sit ; neque verus Dominus Filius, nisi et Deus sit. » Quod idem et de Spiritu sancto credi consentaneum est, cujus, ut et Filii, vera atque summa majestas et deitas ex aliis Scripturæ sententiis approbatur. Quam ob causam, una duntaxat aliqua nominata persona, reliquas intelligi comprehendique duas, theologi veteres admonent, cum agitur de eo, quod secundum naturam, non personæ proprietatem convenit. Hinc sanctus Asterius sermone *de Beato Stephano* [3], Scripturam ait « alias solum nominare Filium, alias cum Filio Spiritum, interdum incipere a Patre, et in Spiritum sanctum desinere, aut contra incipere a Spiritu, et per Filium ad Patrem pervenire. Quæ loquendi proprietas maxime usurpatur a Paulo [b]. » Id autem præcipue valet in Patre ac Filio, quoniam nomina σχέσιν mutuam præ se ferunt, æqualitatemque naturæ, ut uno cognito, vel nominato, cum eo alter intelligatur; ut cum alibi passim, tum in nono *Commentariorum in Joannem* Cyrillus affirmat [c].

Relationem.

XV. Ex his, quæ ad illum primæ *ad Corinth.* epistolæ locum hactenus exposita sunt, explicari potest etiam alter ei similis, quem tertio loco Crellius [4] objicit ex epistola *ad Ephesios: Unus Deus, et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* [5]. Dixit autem proxime ante, *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Unde colligit Crellius, unum Dominum esse Christum; unum vero Deum summum esse Patrem, quemadmodum passim alias duo ista nectuntur *Deus* et *Pater*. Sed ex superioribus perspicuum est, quid illi respondendum sit. *Unus* enim *Deus*, et *Pater omnium* appellatur, propter originis ac principii prærogativam, ad quod velut ad summam, et κορυφὴν omnia rediguntur, et συγκεφαλαιοῦνται, ut loquitur Athanasius. Quare ex unitate principii summi, et ultimi, ad quod rerum omnium multitudo reducitur, Paulus argumentum instruit, quo fidelibus conjunctionem mutuam et unitatem suadeat. Nec tamen sequitur, non et Filium ipsum tam esse perfecte Deum, quam est Pater; siquidem et hic verus est Pater, et ille verus Filius; quibus appellationibus naturæ ac substantiæ non similitudo tantum, sed etiam æqualitas, imo, ut in Deo, identitas ostenditur.

3a obj. ex verbis Apost. *ad Eph.* VI, 6.

XVI. Quartum est Crellii [6] contra Christi divinitatem argumentum ex *Matthæi* XXIV, 36, et *Marci* XIII, ubi Christus de die judicii

4a obj. ex ignoratione diei extremi judicii.

a ORIG. lib. VI *contra Cels.* Κακία δὲ ἡ μεγίστη ἐν λόγῳ ἐστὶν, ὅτε ἐγκαλεῖ τις τοῖς ἑτεροδόξοις περὶ τινῶν δογμάτων ὡς οὐχ ὑγιῶν, πολλῷ πρότερον αὐτὸς ἔστων τὰ ἐγκλήματα ἐν τοῖς ἰδίοις δόγμασιν.

b ASTERIUS. Ποτὲ μὲν ὀνομάζει μόνον τὸν υἱὸν, ποτὲ δὲ τὸ πνεῦμα σὺν τῷ υἱῷ· ἄλλοτε δὲ ἄρχεται μὲν τοῦ πατρὸς, καταλήγει δὲ εἰς τὸ πνεῦμα. καὶ τὸ ἀνάπαλιν, ἀρχὴν μὲν ποιεῖται τὸ πνεῦμα, ὁδεύει δὲ διὰ τοῦ υἱοῦ ἐπὶ τὸν πατέρα. καὶ τὸ ἰδίωμα τοῦτο μάλιστα τῷ θείῳ συντηρεῖται Παύλῳ.

c CYR. Προσδεξάμενος γάρ τις τὸν υἱὸν εἰς υἱὸν ἀληθῶς, ἐπὶ τὴν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἀφίξεται γνῶσιν. οὐδὲ γὰρ υἱὸς ὑπάρχειν νοεῖτο, μὴ οὐχὶ πάντως συνεισδεχθέντος αὐτῷ τοῦ τεκόντος αὐτόν. συνειστρέχει γὰρ υἱῷ μὲν ἡ τοῦ πατρὸς γνῶσις, πατρὶ δ' αὖ πάλιν ἡ περὶ υἱοῦ.

1 Greg. XXIV *Mor.* c. XVII. — 2 Lib. V *de Fide*, cap. I. — 3 Apud. Phot, cod. CCLXXI. — 4 Cap. III et arg. III. — 5 *Eph.* IV, 6. — 6 Crell. cap. I.

extremi neminem scire ait, *nisi solum Patrem*, ac ne Filium quidem. Non ea repetam hic, quæ fuse de hoc loco supra commemoravi, deque variis ejus interpretationibus. Hoc unum propositum est modo, Crellii futilem et inanem ex illo loco argumentationem elidere, qui sic colligit : « Qui solus aliquando scivit diem horamve ultimam judicii, is solus est summus ille Deus. Atqui, teste Christo, Pater solus aliquando diem horamve illam scivit. Quare is solus est summus ille Deus. » Sed hujus argumenti vis in ambiguitate verbi tota consistit. Nam *scire* hoc in loco, non simpliciter *nosse* rem aliquam significat, sed idem est, ac non posse eloqui, et hominibus patefacere ; ut et plures antiqui, et nos supra statuimus. Itaque non est ignarus illius diei Filius. « Nihil enim est, quod lateat veritatem, fallat justitiam, prætereat sapientiam, ait Ambrosius[1]. Unde execrabiles eos qui ista commemorant, et a Spiritu sancto esse damnatos scire debemus. » Item : « Non est aliquid, quod ignoret Deus. Est autem Deus Christus, et altissimus Christus ; ipse est enim super omnia Deus. » Deinde : « Quomodo potest nescire partem, qui facit omnia, cum minus sit scire, quam facere ? » Atqui, *Omnia in sapientia Pater fecit*[2], id est, *omnia per Filium fecit*, qui est virtus Dei et sapientia[3]. Sapientiæ autem id convenit, ut suorum operum et virtutes norit, et causas. » Neque vero tantum ea, quæ præsentia sunt, a Patre per Verbum Filiumque facta sunt ; « sed etiam quæ futura sunt ; sicut scriptum est, *Qui fecit, quæ adventura sunt*[4]. Et alibi ait Scriptura : *Per quem et facta sunt sæcula, splendor est gloriæ, et character substantiæ ejus.* Sæcula enim et præterita, et præsentia, et futura sunt. Quomodo ergo facta sunt, quæ futura sunt, nisi quia operatoria virtus et scientia comprehendit numerum omnium sæculorum ? Sicut enim vocat, quæ non sunt, tanquam quæ sint ; sic et fecit, quæ futura sunt, tanquam quæ sint ; quia non contingit, ut non sint, sed necessario sunt futura, quæ esse præcepit. Ergo qui fecit, quæ futura sunt, eo genere, quo sunt futura, cognovit. » Hæc Ambrosius, qui toto illo septimo capite locum istum uberrime tractavit. Sane appellationes ipsæ *Dei*, *veritatis*, *Sapientiæ*, *Verbi*, *per quod omnia facta sunt*, et agendi in Deo propria conditio, qui ex æterno per Verbum, Filiumque Dominum nostrum omnia condidit, ut Joannes[5] et Paulus[6] testantur, de qua re nos alibi[7] diximus, novissimi illius diei Christo notitiam adjudicant.

XVII. Nam quod complures antiquorum Patrum, Christum, qua homo est, ignorasse diem illum, scisse vero, qua Deus est, arbitrati sunt ; etsi aliter cæteri, nosque cum illis sentimus, tamen inepta est et imperita ratio, qua illos Crellius[8] oppugnat : « Quia, inquit, Christus simpliciter, et sine ulla limitatione negat, Filium scire diem, ac horam judicii. Unde consequitur, eum de se toto, quantus quantus est, locutum esse. » Ridicule ; quasi consequens sit, cum Christus mortuus dicitur *simpliciter*, et *sine una limitatione*, totum ipsum, et quantus quantus est, hoc est animam etiam illius mortem obiisse.

Atenim et *Filii* vox opposita Patri, et gradatio ipsa, qua ab angelis ad Filium, a Filio ad Patrem ascendit, de ea natura locutum esse indicant, secundum quam Dei Filius est. Ita Ebionita noster. Sed fallitur. Nam Filius Dei utramque naturam habet, et in utraque Dei Filius est. Ideo et inscitia diei illius, si in humana esset natura, Dei Filio tribueretur non minus, quam somnus, fames, sitis, aut ipsa mors denique. Sic et gradatio ista per Filium Dei, qua idem et homo est, ad Patrem Deum perducitur ; neque divinam illius naturam sequitur ignoratione illa esse contactam. Vides, quam facile constet nobis ratio, si, ut veteres illi Patres, ignorare judicii diem Christum arbitremur hominem. Verum alia est opinio nostra, quæ tanto est ab istius oppugnatione tutior.

CAPUT II.

Alia contra Filii divinitatem ab Crellio proposita Scripturæ loca declarantur. Plures ab illo deos asseri, itidem ut gentiles faciebant. De mediatore Christo, et qua ratione hoc illi officium congruat. Naturæ in Christo duæ quæ sibi propria sunt, retinent. Actiones esse suppositorum, quatenus verum sit. De missione Christi. Cur a Spiritu sancto proprie non mittatur. Christum in Scripturis Deum appellari, et quidem tetragrammato, et incommunicabili nomine.

I. Hactenus ea loca Scripturæ Ebionita[9] proposuit, in quibus nominatim Pater sic expri-

1 Lib. V *de Fide*, cap. VI et VII. — 2 *Psal.* CIII. — 3 I *Cor.* I. — 4 *Isa.* XLV, secundum LXX. — 5 *Joan.* I. — 6 *Hebr.* I. — 7 Lib. III *de Deo.* — 8 Lib. I, sect. II, cap. IX, — 9 Crell. cap. V.

mitur, ut solus videri possit summus esse Deus, qua ab reliquis personis separatur. Proxime « sequuntur illa in quibus Patris quidem nomen non exstat, de eo tamen revera sermo est. »

Horum primus in medium procedit ex I *Cor.* XII, 4, 5, 6 petitus *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem Spiritus, et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus.* Quo in loco tres personas indicari putat, indeque concludi, solum Patrem esse Deum. Sed viribus ac lacertis caret hæc argumentatio. Ac duæ sunt veterum de illo sententiæ. Quidam enim unum tribus illis appellationibus intelligi Spiritum volunt, *Spiritus Domini* ac *Dei*, uti Photius apud Œcumenium. Nec abhorret ab Apostoli mente et contextu orationis ista sententia. Siquidem tria illa, quæ quasi distinctis attribuerat, *dona, ministeria, operationes*, in unum mox redigit auctorem Spiritum sanctum, ac demum ita concludit : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritis, dividens singulis prout vult.* Ex quo recte Photius infert eumdem largitorem, et effectorem illorum omnium appellari Spiritum, Dominum ac Deum[a]. Ac mihi videtur triplex illa Spiritus appellatio totidem effectis congruere. Nam

Gratia. χάρισμα proprie Spiritui respondet, cujus propria dicuntur esse *dona*, et quæ *gratiæ*

Ministrationes. nomine continentur, διακονίαι ad *dominum* merito referuntur, quia ministro dominus

Operatio. opponitur ; ἐνέργεια denique ad Deum pertinet, cujus nota quædam est omnipotentia visque omnium efficiendorum.

II. Alii tres personas illo in loco designari putant, ut Chrysostomus, Theodoretus, et idem ipse Photius, Theophylactus, et plures alii. Quos ut sequamur, nihil nos Ebionitarum calumnia conturbat. Redit enim illa ipsa defensio nominum Domini ac Dei, quam capite superiori exposuimus. Dei quippe

Substantialiter. nomen alias communiter et οὐσιωδῶς sumitur ; alias secundum proprietatem ultimi principii atque fontis, e quo cæteræ personæ proficiscuntur.

Nam quod Crellius superiorem opinionem hoc argumento elevat, quoniam « non de aliquo tantum Deo summo, aut Domino christianorum insignite sic dicto, sermo est, sed de eo, præter quem nullus est alius. Non enim id dicere voluit Apostolus, aliquem Deum summum, aut aliquem christianorum Dominum insignite sic dictum esse eumdem, sed simpliciter Deum illum summum, Dominumque insignite sic dictum, esse eumdem; » neque quidquam efficit, et indocte loquitur. Neque enim plures dominos ac Deos christiana vel fides agnoscit, vel oratio, ut unus ex iis aliquis intelligatur, cum, suppressis aliis, solus exprimitur.

III. Similis est et adversus locum alterum præscriptio nostra, quem ex epistola prima[1] *ad Timotheum* objicit : *Unus Deus, unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Etenim, « si solus Pater, ait unius Dei nomine istic intelligitur, solus Pater est summus ille Deus. Nam si quisquam alius, præter Patrem, esset Deus summus, unius Dei nomine comprehendi debuisset; cum unus Deus is sit, præter quem non est alius. 5ª obj. ex verbis Apost. I *ad Tim.* II, 5.

Atqui nihil habet iste locus operosum, aut explicatu difficile, sive *Dei* nomine tres ipsas personas intelligi volumus, sive Patrem duntaxat. Et adversus utrumque sensum futilia sunt argumenta Crellii. Fac primum, quod posterius posui, Deum illic significare Patrem, quod plerique censent, ut Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus, Ambrosius et alii; non idcirco sic unus solusve Deus appellabitur, ut non sit et Deus Filius; quod ne Crellius quidem inficiatur. Qui quidem sua ipse ratione implicatus tenetur. Quippe Paulus illo in loco, unum Deum esse dicit πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν εἰδώλων, ut ait Chrysostomus, vel πρὸς τοὺς οὐκ ὄντας, λεγομένους δὲ θεοὺς, ut Œcumenius; hoc est, ut idolis ac gentilium diis, qui nomine tenus dii sunt, unum christianorum opponat Deum. At non potest recte unus opponi Pater Deus pluribus gentilium diis, si vera Crellii est opinio. Nam et Christus ipse, assentiente eo, Deus est; et eodem modo, quo apud gentiles erant, christiani plures habent deos, unum summum ac verum, alterum inferiorem, imo inferiores, ut capite superiori ostendimus, innumeros. Quinam ergo potuit Apostolus christianorum causam ab gentilium professione secernere, aut unum illorum Deum multis horum diis opponere, si par est et eadem utrobique ratio? Nam et summus christianorum Deus

Ad differentiam idolorum. Ad eos qui non sunt, et tamen dicuntur dii.

[a] Phot. Καὶ συγκεφαλαιούμενος πάλιν λέγει· πάντα δὲ ταῦτα, τὸ ἕν, καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα ἐνεργεῖ. ὥστε φανερὸν ὅτι τὸ πανάγιον πνεῦμα καὶ κύριον, τὸ θεὸν λαμπρῶς καὶ διαῤῥήδην ἐνταῦθα ὁ θεῖος Παῦλος θεολογεῖ.

cum summo illorum Deo, et cum minutis istorum creatisque diis, creatus et ipse Photinianorum Socinianorumque Christus Deus compensari potest, adjunctis et reliquis diis, qui itidem, ut Christus, ab istis ascisci debent in vocabuli communionem. Itaque nihilo magis πολυθεΐας accusari possunt gentiles, quam, non dicam Christiani (non enim christiana tale dogma religio patitur), sed Sociniani et Ebionitæ; qui, quibus argumentis Julianum Apostatam aliosque plurium veneratores deorum confutare se putant, iisdem et ipsi misere capti et constricti tenentur. Julianum præcipue nominavi; quod is et plures sine controversia coluit Deos, et in eo christianæ se adversari religioni fideique credidit; et tamen unicum, ac summum Deum, plane ex Socratis et Platonis disciplina confitetur [1]. Nihil igitur ab Juliano isto, nihil ab gentilibus Socinianorum nova perfidia discrepat; quod jam supra dixi, et dicendum est sæpius.

Polytheismi

IV. Nos autem unum Deum etiam Patrem ipsum nominamus, « quia ab ipso est omnis auctoritas, » ait Ambrosius: quod a nobis postea declarabitur [2]. Ab hoc vero Deo, et qua principium est ἀγέννητον, uno etiam ac solo differt Christus, non tantum ut homo est, sed etiam ut Filius ac Deus unigenitus. Nec aliud evincunt Crelliana sophismata quam quod ultro damus catholici, non esse alium Deum summum, ex quo omnia, quique sit a nullo, præter unum Patrem; ac nihilominus esse Filium ejus « unigenitum Deum, et Deum verum, et Deum magnum, et super omnia Deum, » ut omnis « lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris est, » ut Hilarii [3] verbis utar.

Ingenitum.

Jam si Deum ab Apostolo malis, totam ipsam Trinitatem vocari, non minus ratio congruet; cui et illud favebit, quod Paulus ibidem, postquam Deum posuit, subinde huic opponit Christum, non simpliciter, neque ut Dominum, sed ut hominem : *Unus et mediator*, inquit, *Dei et hominum homo Christus Jesus*. An non enim videri potest idcirco, nec Dominum appellasse Christum, nec alio summæ majestatis affecisse vocabulo, quod cum Deum universe, et, ut loqui solent, adæquate nominasset, in quo et Christum, qua Deus est, comprehenderat, huic Christum eumdem, non ut Deum, sed ut hominem ex adverso constituit ?

V. Hic multa de mediatoris statu et proprietate disserit Crellius, ut illud probet, Deum, quem cum Christo mediatore comparavit Apostolus, solum esse Patrem; quoniam inter hunc solum et homines mediator debet appellari Christus, non inter personas tres, sive Deum universe et eosdem homines, ne et sui mediator sit, qui est Trinitatis persona secunda. Et quanquam de mediatore disputandi alius sit locus, cum de incarnatione Verbi agitur; non possum tamen, quin hic pauca prævertam plenæ illius tractationi, ut Crellianæ interim argumentationis falsitas convincatur.

Negat [4] Christum, qua homo est, mediatorem dici posse, quia, si ipsa humana natura mediator esset, personam esse eam oporteret. «Nam et officia, quale est mediatorem esse, nonnisi personarum sunt. » Unde sequitur duas in Christo esse personas. Sed ut hominem paucis absolvam, Christum assero, in duabus naturis subsistentem, et ex duabus temperatam personam, Deum inter et homines mediatorem esse, sed ita tamen, ut mediatoris partes et functiones secundum solam humanam naturam obeat. Quemadmodum Christus ipse Deus, et homo, quæ propria sunt hominis, egisse dicitur, comedisse, dormisse, flagellatus esse, cruci affixus, et mortuus esse. Tum ipsa etiam divina Verbi persona, hoc est Deus Filius, secundum humanam naturam, quæ ejus propria sunt, præstitit; « neque ut Deus simplex, divinas edens operationes, neque ut homo simplex, humanas; sed homine facto Deo, novam quamdam, et inusitatam efficientiam exercens, quam θεανδρικὴν, id est *Deiviram* appellare possumus [a], » ait Dionysius [5]. Cujus mentem erudite Jo. Damascenus explicans [6], Christum ait, propter ambarum in se invicem naturarum commemorationem, arctissimumque nexum, non separatas utriusvis operationes edidisse; neque tamen confusas sic, ut una et singularis ex duabus conflata prodiret, quod Monothelitæ putabant, verum utramvis conjunctim cum altera, quod sibi proprium erat, effecisse. « Non enim humano modo humana faciebat, quippe qui merus homo non erat; neque divina secundum Deum solum, neque

Obj. ex officio mediatoris petita.

a Dionys. Καὶ τὸ λοιπὸν οὐ κατὰ θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πέπολιτευμένος.

1 Vide orat. Juliani IV *de Sole*. — 2 Lib. III. — 3 In fine lib. III *ad Constant*. — 4 Crellius. — 5 Epist. IV *ad Caium*. — 6 Lib. III *de Fide*, cap. XIX.

enim merus Deus erat, sed Deus simul et homo [a]. »

VI. Mediator porro totus est quidem Christus, hoc est persona ipsa ex duabus naturis, ut Patres loquuntur, composita; non tamen secundum divinam naturam, sed secundum humanam in Verbo subsistentem. « Cum dicitur mediator, ait Cyrillus [1], non est putandum, nomen istud Unigeniti indicare substantiam; absit : sed illud transfer potius ad obedientiam Christi. » Et lib. XI *in Joannem* [b] «Mediator est, ut homo, ille Dei hominumque reconciliator. » Idipsum et Hilarius libro nono docuit. Itaque mediatoris status ex iis functionibus æstimandus est, quæ illius sunt propriæ. Sunt autem eæ, peccatorum expiatio, et reconciliatio cum Deo generis humani per crucem et perpessionem, necnon intercessio, ac pontificia et sacerdotalis omnis administratio, quam epistola *ad Hebræos* late complectitur. Hæc autem omnia non divinæ utique, sed humanæ conditionis ac naturæ sunt. Verum sic humana ipsa natura mediatoris munus ac partes sustinet, ut non a Verbo separata, sed cum eo conjuncta, et in unam consociata personam cogitari debeat.

Perfecti mediatoris dotes.

Etenim perfectum et omnibus absolutum numeris mediatorem Dei et hominum, utriusque participem et affinem esse oportuit, ut ambos prius in se, quam invicem copularet. Quod Apostolus confirmat; qui postquam capite primo epistolæ *ad Hebræos* Christum docuit Dei esse Filium, ac per eum facta esse sæcula, fundatam ab eo terram, cœlos fabricatos, cæteraque, quibus ex æterno, certe antequam e Virgine nasceretur, illum exstitisse constat; capite mox sequenti eumdem hominem esse factum, et Abrahami semen potius, quam angelos apprehendisse, assumpsisseque docet, quoniam, cum pueri illius, id est homines, participes essent carnis et sanguinis, *et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum* [2]. Nam duæ erant mediatoris illius, quem dixi, præstantissimi partes; ut et morte sua mortem destrueret, et ambos invicem dissidentes in seipso conjungeret. Neutrum autem perfecte obtineri potuit, nisi « ex utroque connexus, ut ita dixerim, ex utroque contextus atque concretus » esset Christus Jesus, ut loquitur Novatianus in libro *de Trinitate* [3]. « Mortem enim nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset, » ait Augustinus [4]. Et alio in loco [5], « Mediatorem inter nos et Deum, et mortalitatem habere oportuit transeuntem, et beatitudinem permanentem; ut per id, quod transit, congrueret morituris, et ad id, quod permanet, transferret ex mortuis. » Quocirca « in semetipso concordiam confibulavit (Novatiani ejusdem verba sunt [6]) terrenorum pariter atque cœlestium, dum utriusque partis in se connectens pignora, et Deum homini, et hominem Deo copulavit. » Eleganter Ambrosius in commentariis ad locum illum Apostoli primæ *ad Timotheum* : « Quia enim unum est Pater, et Filius, non persona, sed indifferentia naturæ, ut arbiter esset Dei et hominum, Filius Dei assumpta carne homo natus est, ut mediator Dei et hominum esset homo Christus Jesus; id est non sine divinitate, quia in Deo homo erat, et Deus in homine, et, ut ex utroque esset mediator, et utrumque reconciliaret, in se primum hoc fecit. »

Joannes quoque Chrysostomus eadem enarrans verba, « Mediatoris hoc esse proprium dicit, ut utrique sit affinis eorum, quorum mediator est, ac sequester. Nam si cum uno conjunctus, ab altero vero divisus sit, mediator esse non potest [c]. » Vide et Theodoretum, Œcumenium ac Theophylactum, tum vero Cyrillum libro nono *in Joannem*. Qui et in dialogo primo *de sancta Trinitate*, Arianos redarguit asserentes, Christum ideo μεσίτην vocari, quod mediæ cujusdam naturæ esset inter creaturas, ac Deum, et huic similis essentia, non idem cum eo et æqualis. Quod

Mediatorem.

a Damasc. Οὐ γὰρ διῃρημένως φαμὲν τὰς ἐνεργείας, οὐδὲ διῃρημένως ἐνεργούσας τὰς φύσεις· ἀλλ' ἡνωμένως ἑκάστην μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας ἐνεργοῦσαν τοῦθ' ὅπερ ἴδιον ἔσχηκεν. οὔτε γὰρ τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως ἐνήργησεν. οὐ γὰρ ψιλὸς ἦν ἄνθρωπος· οὔτε τὰ θετα κατὰ θεὸν μόνον· οὐ γὰρ ἦν γυμνὸς θεὸς, ἀλλὰ θεὸς ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπος.

b Cyril. Ὅταν οὖν λέγηται μεσίτης, οὐχ ὁριστικὸν τῆς οὐσίας τοῦ μονογενοῦς οἰηθείη τις ἂν εἶναι τοὔνομα· πολλοῦ γε καὶ δεῖ· περιτρέψει δ' ἂν μᾶλλον αὐτὸ εἰς ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ.

Idem lib. II *in Joan.* Μεσιτεύει πάλιν ὡς ἄνθρωπος ὁ θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων διαλλακτής.

c Chrys. Hom. vii. in I *Tim.* Μεσίτου γὰρ τοῦτό ἐστι, τὸ ἑκατέρων ἐχόμενον ὧν ἐστι μεσίτης, κοινωνεῖν. ἐὰν δὲ τοῦ μὲν ἑνὸς ἔχηται, τοῦ δὲ ἑνὸς ἀπεσχοινισμένος ᾖ, οὐκέτι μεσίτης ἐστίν.

1 Lib. I, dial. *de Trinit.* — 2 Cap. ii, 14. — 3 Cap. xix. — 4 Ser. iii *de Ascen.* — 5 Lib. IX *de Civit.*, c. xxv. — 6 Cap. i, 3.

absurdissimum esse, ac ne cogitatione quidem capi posse demonstrat.

Ambæ in Christo naturæ quæ sibi sunt propria singulæ, agunt.

VII. Cæterum etsi naturæ duæ in Christo, arctissimo inter se nexu colligatæ, unam personam efficiunt; agunt tamen singulæ, quæ propria et sibi consentanea sunt, sine ulla confusione ac permistione. « Agit utraque forma, ait Leo epistola x *ad Flavianum*, cap. IV, cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est et carne exequente, quod carnis est, » quemadmodum de duabus voluntatibus contra Monothelitas theologi veteres disputant; de quo alias pluribus. Itaque Christus, qua homo, multa fecit, ac passus est, quæ in se natura divina non recepit, et divinæ in humanam vicissim quædam efficientiæ profluunt. Ut cum Athanasius [a] libro *de Humana natura suscepta* dicit, « Spiritum sanctum ex ipso Christo in ipsum descendisse, nempe ex deitate ipsius in humanam naturam [a]. » Quem Cyrillus imitatus, « Suscipit, inquit, Filium, et accipit quidem, quatenus est homo; sibi vero istum dat, ut Deus [b]. »

Leg. Spiritum.

Neque vero inde sequitur, duas esse personas sola invicem σχέσει copulatas, ut Nestorius aiebat; quod passim catholicis Ebionita Crellius opponit, sæpe illud inculcans scholarum usu detritum, *Actiones esse suppositorum*: Christi autem *suppositum* esse divinum. Itaque si quid facit patiturve Christus, id facere ac pati Deum. Non est quidem hujus loci subtilior et enucleatior illius quæstionis explicatio. Dici hoc tamen necesse est, falsum esse, quod vulgo jactatur, *actiones suppositorum esse*, si ita, ut Crellius putat, excludi naturas intelligas, tanquam eæ nihil agant ex sese, cum proprie sit illarum actio. Est enim natura, ut definit Aristoteles, « principium motus et quietis [1]. » Quare principia sunt naturæ suarum effectionum. Verum non aliter efficiunt aguntve, quam non solum existentes, sed certo existentes modo, quem τρόπον τῆς ὑπάρξεως Græci frequenter nominant, ut Cyrillus, Maximus, Damascenus. Hic existendi modus in substantiis singularibus appellatur in scholis *subsistentia*, sive *personalitas;* qui cum naturam afficit et modificat, eam completam perfectamque reddit, et ad agendum habilem et instructam. Natura igitur agit ipsa, non existendi modus iste, cujus actus est ἐντελέχεια, sive naturæ singularis perfectio; quam ubi hæc est adepta, agit ex sese. Ita conditio quædam est ad efficiendum necessaria, tam existentia, quam existendi modus, non efficiendi fons ac principium. Ignem ecce videmus non aliter urere ac calefacere, quam si propius admoveantur ea quæ uri possunt ac calefieri; neque tamen admotionem ipsam vim esse dixeris in igne calefaciendi, vel urendi; sed *conditionem*, ut solent loqui, *sine qua* vis se illa non explicat, quæ est in igne. Ad eumdem modum natura utraque uno et eodem existendi modo, qui Verbi proprius est, contenta, vim suam et actionem exhibet, quatenus ita subsistit. Vel, ut magis proprie dicam, Christus ipse, Deus et homo verus, secundum naturam agit alterutram, et, pro eo ac distincta sunt agendi principia, diversam habet efficientiam. Unus tamen est agens, quia est una persona, quæ vim utramvis exercet, et ad opus applicat. De quo vide Cyrillum libro undecimo *in Joannem*, capite x.

Habitudine.

Actiones esse suppositorum quomodo intelligendum.

Modum existentiæ.

Entelechia.

VIII. Quapropter eadem persona, secundum humanam naturam, mediatoris partes sustinet, uti et redemptoris ac pontificis; verum ita, quatenus natura illa cum Verbo et in Verbo subsistit, et eadem cum illo personali proprietate nectitur, sine qua nec existeret, nec ageret quidquam. Quo ex fonte infinita illa vis meriti ac dignitas oritur, quam humanæ naturæ actiones obtinent; quod earum sit auctor effectorque Deus, sive hominis substantia, quatenus unam cum divina personam efficit in eaque subsistit. Cyrillus Alexandrinus de mediatore Christo ita sentiendi nobis est auctor; qui et mediatorem non posse illum esse docet, si non Deus idem et homo sit, in libro *Thesauri* XV eodem, quo Augustinus aliique supra citati, inductus argumento; et hanc ipsam mediatoris functionem natura circumscribit humana, in dialogo I *de Trinit.*, cujus verba itidem supra posui. Et ante hos Athanasius oratione v.

Minime vero est absurdum, quod nobis Crellius objicit [2], Christum eumdem, qua homo est, inter Deum, adeoque seipsum, qua Deus est, et peccatores homines, esse mediatorem; nihilo certe magis, quam ut Verbum, ac Deus est, esse sui, qua est homo, procreatorem.

Christus inter Deum et se quatenus homo mediator.

a Athan. Ἐξ αὐτοῦ εἰς αὐτὸν κατῄει, ἐκ τῆς θεότητος αὐτοῦ εἰς τὴν ἀνθρωπότητα.

b Cyrill. lib. II *in Joan.* Δέχεται γὰρ τὸ πνεῦμα τὸ ἑαυτοῦ, καὶ λαμβάνει μὲν, καθόπερ ἦν ἄνθρωπος· ἑαυτῷ γε μὴν τοῦτο δίδωσιν, ὡς θεός.

1 Arist. II *Phys.*, cap. I. — 2 cap. VI.

Quod idem et in Spiritu sancto valere debet, quocum et Patre unus est ille Deus. Quamvis enim ambæ illæ naturæ in unam personam conveniant, unaquæque tamen, quod sibi proprium est, retinet. Itaque Christus idem « quasi altissimus donat, quasi homo precatur, » ait Ambrosius [1] : quorum hoc interventoris ac mediatoris, illud Dei proprium est. Cujus rei luculentum nobis præbet exemplum hominis animus, qui etsi unus est, ex duabus tamen veluti partibus constat, quæ ita suis distinguuntur officiis, ut una præcipiat, altera pareat : hæc inferior, superior illa dicatur. Quod Ciceronis verbis explicare libet, qui sic in *Tusculana* secunda scripsit : « Reliquum est, ut tute tibi imperes. Quanquam nescio quomodo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat; non inscite tamen dicitur. Est enim animus in partes distributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers. Cum igitur præcipitur, ut nobismetipsis imperemus, hoc præcipitur, ut ratio coerceat temeritatem. » Ita recte scripsit Augustinus [2], « Susceptione carnis Christi divinitatem fieri nobis viam, ut per hominem Christum pergamus, et in Deo Christo maneamus. »

IX. Etsi autem inter Deum, hoc est sanctam et adorandam Trinitatem et Adami posteros, mediator est reipsa homo Christus Jesus, est tamen præcipua quædam ratio, ob quam inter Deum Patrem et homines fungi illo munere dicitur : nimirum quia Pater supremum est deitatis principium, a quo tum personæ reliquæ duæ, tum quidquid est uspiam, originem accepit; quo fit, ut quod alioqui personis ex æquo, si naturam spectes, tribus convenit, « Patri potissimum attributum sit, quia de ipso est genitus unigenitus, et de ipso procedit Spiritus sanctus, » ut ait Augustinus [3]. Verum qui vel unam personam nominat in iis, quæ ad naturam pertinent, etiam cæteras complectitur. « Etenim sancta et beata Trinitas individua est, et secum unita, ait Athanasius in epist. *ad Serapionem*. Itaque cum dicitur Pater, inest etiam et hujus Verbum, et Spiritus, qui est in Filio. Quod si Filius nominetur, est etiam in Filio Pater : neque extra Verbum est Spiritus [a]. »

Quin illud est in Patre peculiare, ut hujus apud homines interpres Christus homo dicatur, quod ab illo solo proprie missus est. Nam missio tum æternam processionem unius ab altera personæ, tum externam aliquam efficientiam continet, et ex utroque constat, ut in septimo operis hujus *de Trinitate* libro declarabitur. Quare Christus, ut Deus, a Spiritu sancto proprie mitti non dicitur. Idem tamen, ut homo, non solum se unctum, sed etiam missum profitetur a Spiritu sancto [4], dum Isaiæ vaticinium illud ad se pertinere demonstrat : *Spiritus Domini super me : propter quod unxit me : evangelizare pauperibus misit me : sanare contritos corde* [5], etc., quæ conciliatoris et pacificatoris mediatorisque sunt partes. Has cum sibi mandatas a Spiritu sancto Christus doceat, nonne et inter Spiritum sanctum, et homines perinde atque inter hoc ac Patrem mediatorem se esse profitetur ? Atque ille quidem locus multo est expressior eo, quem unicum ab catholicis afferri fingit Crellius ex *Isaiæ* capite XLVIII, 16 : *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus :* quo nihil nobis opus est.

X. Futile est etiam atque ex superioribus facile dissolvitur, quod idem adversus catholicorum argumentum excipit. Cum enim sic disputarent, « quemadmodum non sequitur, Christum non esse hominem, quia sit mediator hominum, cum potius ideo sit homo, quia hominum est mediator : ita nec ex eo, quod Christus dicatur esse mediator Dei, Dei, inquam, supremi atque unici, consequi, eum non esse Deum supremum atque unicum : » hoc ille contra ipsos retorqueri sic putat : « Quemadmodum Christus ex eorum hominum numero nequaquam est, quorum mediator fuit, nec sub illis in illo loco Paulino comprehenditur; ita idem Christus nec Deus ille est, aut Dei illius nomine comprehenditur, cujus mediator est. »

Atqui et Christus, qua homo est et mediator, non est supremus ille Deus ; et qua Deus est, a seipso quoque, ut homo est, differt. Sed homo Christus a Patre personam simul ac naturam diversam habet; a se vero, qua Deus est, naturam tantummodo, non personam. Est autem ad perfecti mediatoris statum ne-

a ATHAN. Ἡ γὰρ ἁγία καὶ μακαρία τριὰς ἀδιαίρετος καὶ ἡνωμένη πρὸς ἑαυτήν ἐστι· καὶ λεγομένου τοῦ πατρὸς, πρόσεστι καὶ ὁ τούτου λόγος, καὶ τὸ ἐν τῷ υἱῷ πνεῦμα. ἐὰν δὲ καὶ ὁ υἱὸς ὀνομάζηται, ἐν τῷ υἱῷ ἐστιν ὁ πατήρ· καὶ τὸ πνεῦμα οὐκ ἐστὶν ἐκτὸς τοῦ λόγου.

1 Lib. III *de Fide*, cap. XIV. — 2 Serm. CXXI *de Div.*, cap. IV. — 3 Lib. I *de Præd. sanct.* cap. VIII. — 4 *Luc.* IV, 18. — *Isa.* LXI.

cesse, ut cum utraque parte re una conveniat, distinguatur altera; quod supra jam diximus. Nam si totus ipse, quantus est, ab ambobus discrepat, mediator esse perfectus non potest.

Obj. ex pluribus Scrip. loquendi formulis petita.

XI. Utitur et illis Scripturæ testimoniis Ebionita Crellius[1], in quibus Pater « solus Deus, vel solus sapiens, vel solus herus, sive dominator dicitur. » Velut *Roman.* xvi, 27 : *Soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui honor et gloria, in sæcula sæculorum.* Item *Joannis* v, 44 : *Gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis.* Et *Judæ* iv : *Solum dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Quibus in locis solam intelligi personam Patris affirmat. De quo nihil hic contendere attinet. Potest enim aliunde argumentationis hujus imbecillitas ostendi. Etenim cum solum Patrem sapientem, aut Deum, aut Dominum esse colligit ex illis Scripturæ sententiis, vel sic illa convenire vult Patri, ut a Christo prorsus abjudicanda sint, ut neque sapiens ulla ratione sit, neque Deus, neque Dominus; vel utrique pro suo cuique modo competere, sed excellenti ratione ad Patrem solum pertinere. Horum prius ne illi quidem dixerint. Nam Christum et sapientem confitentur, imo sapientiam, et Deum. Posterius illis non nisi τοῦ ῥητοῦ explicatione constat, quam ex sese comminiscuntur. Cur igitur nostra non minus, quam ipsos sua interpretatio delectet ? Siquidem et nos proprio quodam jure in Patrem solum cadere illa defendimus, quatenus ab nullo communicata habet ista per sese, Filius ab altero. Quare vox *solius*, vel *unius*, et si quæ sunt aliæ notionis ejusdem, dupliciter usurpari possunt, aut secundum personarum proprietatem, aut secundum communem naturam. Illo modo solus Pater Deus est, sapiens est, Dominus est a seipso ; Filius solus est Deus, ac Dominus, et sapiens a Patre genitus; Spir. sanc. itidem hæc solus est ab utroque procedens. Posteriore vero modo, cum de deitate intelligitur, tribus æqualiter convenit, ut Athan. docet in lib. *de Incarn. Chr.*[a]. Sane sic illa Scripturæ loca, et ad unum Patrem restringentes quæ Dei veri propria sunt particulas explicare cum omni antiquitate, multo verius est, quam cum novis Samosat. Christ. verum Deum confiteri, et illi tamen ea detrahere, quæ Dei veri sunt, imo sine quibus falsus et simulatus, idolumque potius Dei est, quam Deus.

Dicti.

Inepta Crellii argumentatio ex visione Danielis necnon Joannis.

XII. Risimus et ineptam Crellii[2] argumentationem ex viso duplici prophetico conflatam, uno Danielis[3], altero Joannis in *Apocalypsi*[4]. In quibus Deus Pater sedisse legitur in throno, et ad eum accessisse Filius hominis, vel agnus. Hinc enim effici putat, solum Patrem esse summum ac verum Deum, quia non Filius, non Spiritus sanctus, non tota Trinitas in isto solio consedit. Sed ridiculum est ex iis, quæ per imaginem, ac velut picturam adumbrata sunt, de natura rei ac veritate judicium facere. Alioqui Deo Patri capillos, ac barbam, et utrosque canitie infectos ; tum os, caput, ac formam humani denique corporis assignare liceat. Quid si vero tres humano animo facultates insitas, intelligentiam, voluntatem, memoriam, trium specie virginum depingat aliquis, vel oratione describat? unum ideo res erunt, personæque tres habitu, ac situ distinctæ ? Possunt igitur divinæ Trinitatis personæ totidem, ac separatis figuris referri ; ac multo magis Christus, qua est homo, seorsim, ac disjunctus a Patre repræsentari potest. Neque nos Crelliana cavillatio commovere debet, quæ ab eo, quod κατά τι dicitur, ad id, quod ἁπλῶς, universeque sumptum est, transitum facit. Quasi consequens sit, Christum in se, quatenus Deus est, hoc est secundum substantiam, separari a Patre ; quia seorsim ab eo distincteque vel figuris adumbratur, vel intelligitur animo, vel sermone profertur.

Secundum quid.

XIII. Atenim[5] Dei nomen, aut Domini, cum Jehova, aut Adonai dicitur, tanquam Patris proprium usurpari solet. Primum non est necesse, Verbi divinitatem liquido et expresse declaratam agnoscere in Testamento Vetere, adeoque proprio illo Dei vocabulo et sanctiore traditam. Consulto id egit divina sapientia, quæ, quid cuique ætati congruat, novit, ut unicus tunc ac singularis passim, et in vulgus exprimeretur Deus ; tres autem personæ nonnisi obscure et per figuras adumbrarentur, ut iis duntaxat arcana illa committerentur mysteria, qui sanctitate ac rerum cœlestium notitia supra reliquos exstarent, quales patriarchæ ac prophetæ fuerunt. Hanc divini Spiritus in promovendis fidei incrementis prudentiam, antiqui Patres illustribus ornarunt testimoniis, quorum supra nonnulla deprompsimus[6]. Nunc, uno addito alte-

a Athan. *de Incarn.* Ὅτι τὸ μόνος, καὶ τὸ εἷς ἐπὶ θεότητος λαμβανόμενον καὶ πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα λέγει.

1 Crell. cap. vii. — 2 Cap. viii. — 3 *Dan.*, vii, 9. — 4 *Apoc.*, iv. — 5 Crell. cap. ix. — 6 Lib. II, cap. viii.

rove, quod ad rem propius spectat, firmiorem contra Photinianos reddemus catholicam causam. Cyrillus Alexandrinus nono libro *Commentariorum in Joannem*, Christi illa verba declarans, *Si cognovissetisme et Patrem meum utique cognovissetis, et amodo cognoscetis*[1], vim illius vocis, ἀπάρτι, id est *amodo*, vel *deinceps*, sic exponit: « Lex enim Mosaica filiis Israel inclamabat, *Dominus Deus tuus Dominus unus est;* neque veteribus dogma de Filio proponebat; sed a multorum deorum cultu illos eximens, ad unius adorationem eos vocabat. At vero Dominus noster Jesus Christus, quando factus est homo, pluribus miraculis et operibus notum fecit nobis per sese Patrem, et unam in saucta Trinitate intellectam, et revera subsistentem naturam deitatis ostendit[a]. » Sic Hieronymus in tertium caput *Habacuc*, hæc verba Prophetæ secundum LXX seniores enarrans, *Cum appropinquaverint anni*, *cognosceris*, vel, ut vulgatus habet interpres ex Hebræo, *In medio annorum notum facies*, sic scribit: « Tempus adventus Domini Jesu Christi. Tunc, o Deus Pater, cognoscetur nomen tuum, quod ante occultum fuit hominibus, de quo dicit Dominus in Evangelio: *Pater, revelavi nomen tuum hominibus.* » Hoc igitur illud nomen est primæ Trinitatis personæ proprium, et διακριτικὸν, quod in Vetere Testamento nonnisi paucissimis cognitum, plerique nondum intelligebant, nimirum Deum esse Patrem unigeniti Filii, ac Verbi sui. Quam etiam ob causam non temere pluribus uno vocabulum istud attributum est. « Solet enim Deus ac Scriptura sacra, ut ait Theodoretus[2], docendi rationem eorum, qui docentur, captu metiri, et perfectis perfecta proponere, rudibus autem elementa prima, et eorum facultati consentanea [b]. »

Christus in Vetere Testamento nomine tetragrammato appellatus.

XIV. Exstant tamen interdum haud obscura vestigia personarum plurium; ac Dei Filius, etiam in propheticis libris, summæ majestatis ac deitatis insignibus ac vocabulis afficitur. Exempli causa is, qui Esaiæ prophetæ visus est *sedens super solium excelsum, et elevatum*[3] · quem apparitores Seraphimi circumsistebant, sine controversia supremus erat Deus; atque hic אדני adonai, et יהוה dicitur[4]. *Sanctus, sanctus, sanctus*, יהוה צבאות, *Dominus exercituum* [5] Et paulo post Propheta: *Regem*, ait, *Dominum exercituum* את מלך יהוה צבאות, *vidi oculis meis*[6]. Atqui Filium hunc Dei, hoc est Christum fuisse, qui in illa specie conspectus est, testis est Joannes Evangelista[7], qui ab Esaia propheta verba illa, *Excæca cor populi hujus*, etc., quæ in sexto ejus capite leguntur, tum esse dicta refert, quando vidit gloriam Christi. *Hæc dixit Esaias*, inquit, *quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo.* Igitur et Christi gloria, hoc est majestas, et divinitas illa fuit (hoc enim vox כבוד significat), quam tum Propheta vidit; et de Christo intellexit ea omnia, quæ de summo illo Deo pronuntiavit.

Rursus *Esaias* capite XL, 3, *Vox*, inquit, *clamantis in deserto*, *Parate viam Domini*, *rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Ibi Dominus in Hebræo vocatur, יהוה, est ergo supremus verusque Deus ac Dominus. Atqui omnes [2] Evangelistæ[8] Christum appellatione ista significari demonstrant, dum Joannem vocem illam fuisse dicunt, quæ in deserto parandam esse Christo viam admonuit. Idque tam Joannes ipse apud cognominem Evangelistam, quam Joannis pater Zacharias in Cantico testatus est. *Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Ac Malachias[9] propheta idem ostendit, interpretante Marco[10]. Sic enim ille: *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* Summus ibi Deus ac יהוה loquitur, cujus ante ipsum via præparatur ab angelo illo. Hunc autem angelum Marcus, initio *Evangelii* sui, Joannem esse Baptistam asserit, et ante Christum viam parasse. Nam quod Propheta Deum ait dixisse, *ante faciem meam*, Marcus ita posuit, *viam tuam*, *ante faciem tuam*, ex Patris persona. Quare non minus Deus summus ac Dominus est Filius Dei, quam Pater. Siquidem apud Malachiam

a Cyr. Ὁ μὲν γὰρ νόμος ὁ διὰ Μωσέως προσεφώνει τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, Κύριος ὁ θεός σου, κύριος εἷς ἐστι, καὶ τὸν μὲν περὶ τοῦ υἱοῦ λόγον οὐ παρετίθει τοῖς πάλαι, μόνης δὲ τῆς πολυθείας ἐξελὼν αὐτοὺς, εἰς τὴν τοῦ ἑνὸς ἐκάλει προσκύνησιν. ὁ δὲ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ὅτε γέγονεν ἄνθρωπος, διὰ πολλῶν σημείων καὶ ἐνεργημάτων ἐγνώρισεν ἡμῖν δι' ἑαυτοῦ τὸν πατέρα, καὶ τὴν ἐν τῇ ἁγίᾳ τριάδι νοουμένην τε καὶ ὑφεστῶσαν ἀληθῶς μίαν ἔδειξε θεότητος φύσιν.

b Theodor. Μετρεῖν εἴωθε τοῖς παιδευομένοις ἡ θεία γραφὴ τὰ μαθήματα, καὶ τοῖς μὲν τελείοις προσφέρειν τὰ τέλεια, τοῖς ἀτελέσι δὲ τὰ στοιχειώδη, καὶ τῇ σφῶν δυνάμει συμβαίνοντα.

1 *Joan.* XIV, 7. — 2 Qu. I *in Gen.* — 3 *Esa.* VI. — 4 Ver. 1, 8 et 11. — 5 Ver. 3. — 6 Ver. 5. — 7 Cap. XII 40. — 8 *Matth.* III, 4; *Mar.* I, 3; *Luc.* III, 4; *Joan.* I, 23. — 9 *Mal.* III, 1. — 10 *Mar.* I.

Christus ipse loquens introducitur. Nec obstat huic sententiæ, quod velut alterum quemdam mox esse venturum prædicit. *Et statim veniet ad templum suum Dominator* (vel Dominus), *quem vos quæritis*, etc. Hic enim Scripturæ mos est, ut de seipso Deus in tertia persona loquatur, ut ad eumdem locum Hieronymus notat; qui itidem, ut nos fecimus, Prophetæ illa verba explicat, et cum Evangelistis comparat, ut et Cyrillus in *Commentariis ad Malachiam*, ambo ex persona Christi usurpari ista dicentes. Porro ex eo, quod templum ipsius dicitur esse, qui advenit, manifestum est, Deum illum esse, ac supremum omnium Dominum, cui soli templum attribuitur.

XV. Ad hæc *Esaias* capite XLV, 21, Deum summum ita loquentem facit: *Numquid non ego Dominus* (Hebraice יהוה), *et non est ultra Deus absque me? Deus justus, et salvans non est præter me. Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terræ; quia ego Deus* (אל), *et non est alius. In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur; quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua.* Paulus vero [1] *ad Romanos* scribens, perspicue Christum Dei Filium ab Esaia introductum esse illo loco demonstrat. *Omnes*, inquit, *stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Deus ergo summus, id est יהוה, Dei Filius est, cui Pater ita *judicium omne dedit*, ut *non judicet ipse quemquam.* Quam judicandi functionem his verbis ab Esaia declarari Paulus affirmat, *Mihi flectet omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo:* Deo, inquam, illi, cui rationem unusquisque nostrum reddet, hoc est, cujus *ante tribunal stabit*. Qui nisi idem ille est יהוה, qui apud Prophetam loquitur, falsa est, et insulsa Pauli argumentatio. Sed non est: Crellii vero, et Ebionitarum cæterorum castiganda potius levitas, et inscitia, qui nusquam in Scripturis Dei Filium appellari tetragrammato nomine יהוה, affirmare non verentur.

XVI. Cæterum idem hic locus multum ad illa comprobanda spectat, quæ adversus primum Crellii ejusdem argumentum opposuimus; cum solus Pater verus Deus dicitur, non propterea Filium excludi, vel Spiritum sanctum. Vides enim, ut apud Esaiam, et Pauli interpretatione, Filius asserat solum se Deum esse, et non esse alium præter se. Unde non minori jure concludere poterit Ebionita Crellius, Patrem non esse Deum, quam ex illo Joannis loco, ubi Pater solus verus nominatur Deus, veram Filio deitatem adimi. Atqui neutrum est consequens, et audiendus potius sanctus Ignatius martyr, qui *ad Antiochenses* scribens, ac de Christi vera deitate disputans, « Neque plures admittendos Deos admonet, neque unius Dei occasione Christum abnegandum[a]. » Satis esse tria illa Scripturæ loca possunt, ut neque ab veræ supremæque deitatis, neque ab nominis ejus communione alienum esse Christum quivis agnoscat. Sed unus insuper accedat, qui etsi nomen illud tetragrammaton diserte non exprimit, persuadet tamen, in illum cadere supremi numinis dignitatem. Idem Propheta[2] de Christo illustre prædictum habet his verbis, *Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi*, vel, ut ex Hebræo vertunt, *Pater æternitatis.* Hæc qui alteri, quam vero, ac summæ majestatis Deo convenire putat, nihil prorsus intelligit. Ecquis enim vel *Deus fortis*, vel *æternitatis Pater* nominari potest alius, quam summus Deus? Neque illud obsistit, quod Hebræi codices ex Masoretica recensione hodie sic habent, *Et vocabit;* tanquam Deus Pater ille sit præpotens Deus, et admirabilis, qui Christo nomen imponit. Etenim יקרא jikkare, id est *vocabitur*, non יקרא ikira, id est *vocabit*, legi istic oportere, certissimum est; quoniam LXX verterunt καλεῖται, id est *vocatur*, atque ita legerunt SS. Ignatius in epistola *ad Antiochenses*, Irenæus[3], ac reliqui Patres; necnon Aquila Judæus. Alii, ut Symmachus, κληθήσεται, vocabitur, ut appareat germanam illam esse, quam dixi, ac propheticam lectionem. Porro quod ad nomen Dei attinet, ibi est in Hebræo אל, quod *summi Dei* proprium esse demonstrat Hieronymus ad illum Esaiæ locum; eo quod apud eumdem prophetam in illis verbis, *Ego sum Deus, et non est alius præter me* [4], istud ipsum nomen usurpetur.

XVII. Sane cum de Dei nominibus agitur, quæ sunt apud Hebræos multiplicia, non po-

a Ignatius martyr. Καὶ μήτε πλῆθος θεῶν ἐπεισάγειν, μήτε τὸν Χριστὸν ἀρνεῖσθαι προφάσει τοῦ ἑνὸς θεοῦ.

1 *Rom.* XIV, 110. — 2 *Isa.* IX. — 3 Lib. IV, cap. LVI. — 4 *Isa.* XLV.

Nomen tetragrammaton angelis communicatum.

test ex simplici voce dijudicari, cuinam, aut qua notione unum ex illis attributum fuerit; hoc est utrum Deus ipse optimus maximus, an homo quispiam, aut angelus, propter dignitatis, vel functionis excellentiam, vocabulo isto significetur. Sed ex orationis contextu ac serie colligendum id potius est, vel ex aliorum comparatione locorum, vel denique, ne humani ingenii ac judicii tantæ rei existimatio sit, major quædam adhibenda est auctoritas, penes quam jus sit interpretandi divini verbi; cujusmodi, cum ab Ecclesia discesseris, nusquam reperire poteris. Est enim illa sola, ut ex eodem divino verbo constat, *columna, et firmamentum veritatis*[1]. Atque ut id reipsa perspicuum sit, quod dicimus, sumamus ex omnibus Dei nominibus maximum illud et ineffabile, quod cum alio communicari nefas esse Crellius putat. Id autem est יהוה. Atqui sæpius istud ipsum angelo tributum est in Vetere Testamento. Etenim qui Hebræorum gentem eduxit ex Ægypto, qui per inviam solitudinem vaganti tot annis præfuit, qui Mosi ac populo universo legem edidit, hunc angelum fuisse, partim ex tota Mosis narratione liquet, partim e Stephani oratione[2], *Actorum* septimo. Et idem tamen ubique fere tetragrammato illo nomine vocari solet, ut quidquid loquitur, id יהוה locutus esse dicatur. Ita nomen illud incommunicabile sibi usurpabunt angeli *administratorii spiritus in ministerium missi*[3]; non idem ille merebitur unigenitus Filius, qui *tanto melior angelis effectus est, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*; quem et angeli ipsi adorare jubentur, a quo et iidem angeli sunt creati? Hic stupor est Photinianæ Arianæque perfidiæ, cujus auctorem habent recentiores semichristiani Eusebium Cæsariensem Arianæ signiferum hæresis; qui in libro quinto *Demonstrationis evangelicæ*, capite tertio, « Primum Dominum, ait, tanquam universe omnium herum, ab Hebræis ineffabili nomine litterarum quatuor appellari; secundum vero non perinde ita nuncupari, sed proprie Dominum[a].» Hæc profanus ille, eadem, qua Christum in persecutione negavit, mente ac voce professus est. Sed falso, et adversus divini verbi auctoritatem, ut hactenus probavimus.

XVIII. Ex his et alterum illud Crellii argumentum[4], velut prioris consectarium, dissolvitur, « Nullum esse alium supremum illum Deum, quam qui olim dictus fuit Deus Abrahami, Isaaci, et Jacobi, Deus Israelitarum. Hunc autem nullum esse alium, quam Patrem Jesu Christi. » Quod ex aliquot Scripturæ locis confirmat, in quibus Deus ille Israelitarum ab Jesu Christo discernitur; ut *Actorum* III, 13. : *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum*. Tum capite primo epistolæ *ad Hebræos*, idem ille Deus, qui per prophetas et patriarchas antea locutus fuerat, *novissime locutus in Filio* dicitur. Hoc argumento multum novi Samosateni et Ariani sese venditant, eoque cumprimis usus est Valentinus Gentilis, ut ex actis constat, quæ de eo Genevæ confecta sunt, cum in carcere illic haberetur, et cum Calvino contenderet.

Verum arguta ista cavillatio non magno conatu refellitur. Nam prior pars complexionis partim negari a nobis potest, partim concedi. Deum illum Abrahami, Isaaci, et Jacobi, Patrem fuisse Christi, si sic intelligant, uti soli ejus personæ, seclusis aliis, tribuendum hoc sit, quod de illo Deo in Scripturis dicitur; id vero falsum est. Deus iste vere, proprie, et ex sese, tota Trinitas fuit; sed non distincte expresseque per omnes cognita personas, præterquam eximiis quibusdam et insignibus ex illo populo viris, et quales patriarchæ nonnulli, ac prophetæ fuerunt, quorum in numero habendus est Esaias; cujus diserta de divinitate Filii testimonia supra commemoravimus.

XIX. Ab illis igitur vel duæ, vel tres etiam divinitatis personæ, pro cujusque captu, et ut res poscebat, nominatim agnitæ adoratæque sunt. Cæteris adumbrata et rudis plurium personarum impertita notitia est, cum unum explicat ac distincte profiterentur, et colerent secundum essentiam Deum, cujus proprietates et insignia per Mosem ac prophetas reliquos didicerant. « Trinitas itaque christianitatis, ut vere scripsit Philastrius[5], ab origine mundi prædicabatur, et veritas pietatis sine intermissione ubique docebatur; » atque hujus apud Mosem aliosque scriptores sacros, passim indicia traduntur, ut suo loco docuimus. Sed adhuc obscura erant illa, necdum plena in luce constituta, quam christianis temporibus divina sapientia reservabat.

a Euseb. Τὸν πρῶτον κύριον, ὡς ἂν καθόλου τῶν ἁπάντων δεσπότην, Ἑβραῖοι ἀνεκφωνήτῳ προσρήσει τῇ διὰ τῶν τεσσάρων στοιχείων ἀνηγόρευον· τὸν δὲ δεύτερον οὐκέθ' ὁμοίως, ἰδίως δ' αὐτὸν κύριον ὀνόμαζον.

1 I *Tim.* III, 4. — 2 *Act.* VII, 53. — 3 *Hebr.* I. — 4 Arg. XII. — 5 Cap. LX.

Quibus etiam prima deitatis persona propriis notis cœpit agnosci appellarique Pater unigeniti, et consubstantialis Filii Dei, qui antea propter solam creationem, communis omnium pater, id est opifex et conditor habebatur.

Et quoniam in Patre fons est et origo deitatis, ut jam dixi, ac propterea quæ sunt illi cum reliquis personis communia, uni interdum ipsi tribuuntur, ut hac in una hypostasi divina ipsa natura significetur, ut Cyrillus Alexandrinus[1] ait; multo id magis priscis illis ac propheticis temporibus est factum, ut sola nonnunquam persona Patris exprimeretur, isque Deus appellaretur Abraham, Isaac, et Jacob, non exclusis, quod sæpius dixi, sed dissimulatis cæteris; quia non tam personarum in una deitate, quam deitatis ipsius ac naturæ ratio duceretur; quam unicam et singularem, uti revera est in tribus, commendari tunc oportebat, ad revocandos ab contagione plurium deorum patriarcharum posteros. Itaque dici potest Deus Pater Abrahami ac reliquorum Deus, etiam solus; uti et Filius apud Esaiam ita sese nominat. Sed ista *solius* appellatio unius est naturæ significatio, pluribus deorum opposita naturis, non plurium in eadem natura personarum exclusio.

Ad hanc de Veteris Testamenti Deo disputationem illa spectant, quæ in libro sexto dicentur de divinarum personarum ἐπιφανείαις, *Apparitionibus.* ac signis cujusque, quibus invicem secernuntur, ut sciri possit, quando nominatim Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, aut tota ipsa Trinitas apparuisse, vel egisse aliquid ac dixisse credatur.

CAPUT III.

Crellii argumenta varia diluuntur, quibus probat Christum a summo Deo distingui. Significatio vocabuli Deus. *Calvini temeraria sententia de hac locutione*, Deus est ex Deo, *quam duram esse asserit. De appellatione* summi Dei *vel* supremi *et quatenus Christus sit summus Deus. Calvini ejusdem falsa opinio, Christum esse* αὐτόθεον. *De iis locis, in quibus Christus nihil a seipso facere dicitur, vel loqui, et similibus: naturas in Christo duas inesse, e Scripturis colligi, et humanam* carnis *nomine designari. Explicatur locus Apostoli, ex capite* I *ad Romanos, in quo duæ illæ naturæ distinguuntur. Regulæ quædam de Incarnatione, ac duabus in Christo naturis loquendi traditæ. Hypostasim Christi esse compositam, nec tamen ex partibus proprie dictis. Utramque naturam esse perfectam ; et quatenus ab reliquis, quæ composita sunt, compositio ista differt.*

I. Hucusque testimonia illa sacrorum Librorum congessit Ebionita Crellius, in quibus Pater diserte summus dici Deus, et quidem solus videtur. Deinceps ea sequuntur, quæ Christum ab illo summo separant, numero quamplurima, et copiosius secunda tota sectione tractata. Horum pleraque ex antecedenti disputatione solvuntur ; quare aut omittenda sunt, aut brevissime perstringenda, ut in præcipuis ac difficilioribus utilius opera ponatur. Prioris illius generis ista sunt[2], quod ubique fere « Christus a Deo simpliciter posito aperte distinguatur ; » ut cum *in principio apud Deum* fuisse dicitur, aut a Deo missus, aut in *Dei forma*, aut *æqualis Deo*. « Certum est autem Dei nomine in istiusmodi locis Deum summum intelligi. Quomodo ergo Christus ipse, Deus ille summus esse potest? *Obj. Christus simpliciter a Deo distinctus.* Necesse enim esset vel duos esse Deos summos, vel Christum a seipso distingui. »

Tum vero, quod Dei Filius appellatur, « Filius autem Dei supremus ille Deus esse non potest[3].» Sed hæc apud imperitos utcumque vendibilia, vel mediocriter harum rerum intelligentem morari nequeunt, qui hoc sciunt,

a Cyril. Ἐπειδὴ γὰρ ἐν ἀνθρωπείᾳ μορφῇ τοῖς ὁρῶσιν ἐφαίνετο, ἀνατίθησι τῇ τῆς θεότητος φύσει τοὺς ἑαυτοῦ λόγους, ὡς ἐν προσώπῳ τοῦ πατρός.

1 Lib. IX *in Joan.* — 2 Crell. arg. I, sect. II. — 3 Cap. II.

Dei nomen interdum pro persona quapiam sumi, velut prima, in qua naturæ totius est principium; interdum vero naturam significare nulla in certa persona subsistentem, sed in aliqua trium, vel in ipsis tribus, vaga et infinita notione comprehensis; quemadmodum qui hanc vocem, *homo*, pronuntiat, naturam quidem hominis exprimit, eamque in hypostasi existentem aliqua, non tamen definita, sed confuse significata; quod ipsum in nominibus omnibus, quæ dialectici *concreta* vocant, usuvenit. Hæc enim τὸ ὑποκείμενον, velut ex obliquo universeque demonstrant; formam ipsam vero definite ac præcipue. Sic igitur Christum cum a Deo procedere, aut mitti, aut apud Deum esse dicimus, si de illo, qua Deus est et ipse, sermo sit, personam ipsam Verbi, ac Filii cum Patris persona comparamus. Ut in trita illa, et catholicis acceptissima formula loquendi, *Deus est ex Deo*, quæ vel Filium a Patre esse distincte significat; vel certe, unum aliquem, qui Deus est, et naturam divinam habet cum certa proprietate subsistentem, ab alio procedere, qui perinde Deus est, in sua persona subsistens.

Suppositum

II. Quam quidem *locutionem* temere ac prorsus ἀθεολογήτως *duram* ait esse Calvinus [1]; eo quod Christum, qua Deus est, a seipso esse, hoc est αὐτόθεον, existimat; de quo pauca subinde. Neque vero sequitur vel Deos esse duos, vel summos, de quo vel catholicæ tirones religionis Crellio respondere poterunt. Nam ita Deus est ex Deo, ut nonnisi Deus sit unus. Summus vero, sive sic intelligatur, ut sit principium et origo, quæ quod habet ab nullo, cum cæteris communicat, sive qui a nullo creatus, Deus est verus, nihilominus est unus. Siquidem neque Patres, neque dii plures sunt uno. Ad hanc veritatis lucem evanescit sophistica Crellii calumnia; qui « Dei nomen, personæ nomen esse dicit. Significat enim eum, qui aliis imperet. Hoc autem nonnisi personæ est, seu, ut in scholis loquuntur, suppositi intellectu præditi, quæ personæ definitio est. Quare, qui unum Deum dicit summum, unam personam dicit, summo imperio omnia tenentem; qui plures personas ejusmodi dicit, plures deos summos dicit. » Frustra hæc, inquam, illis objiciuntur, qui in utraque *summi* significatione unum duntaxat agnoscunt Deum, hoc est vel personam unam, a qua cæteræ duæ procedunt, vel naturam unam, et substantiam per se existentem; cujus τρόπος τῆς ὑπάρξεως, hoc est *personalis proprietas* nulla certa ac determinata, sed confuse tantum aliqua significatur.

Risum et illa movet Crellii percontatio: « Quis unquam verbi gratia legit, Pater Dei, Pater misit Deum, Deus exivit a Patre, si in Patrem creditis, etiam in Deum credite? » Quasi hujusmodi locutiones non ex disertis Scripturæ verbis oriantur, ut cum Joannes, *Verbum* ipsum *Deum esse* dicit, et idem *apud Deum* esse. Quid enim aliud hoc est, quam *Deum apud Deum esse?* An cum ipsemet Crellius una cum Samosatenis sociis, Christum esse Deum confitetur, non illa etiam omnia simul fatetur, Deum Patrem esse Dei, ac misisse Deum, et cætera ejusmodi?

III. Sic in argumento posteriore [2], vanissimum est, quod urget, Filium Dei supremum esse Deum non posse, aut hoc illum tempore esse posteriorem. Illud recte, ac probante me refellit, quod Calvinum scripsisse paulo ante monui, « Christum quidem, qua Filius est, seu habita ratione personæ suæ, a Patre esse; non vero qua Deus est, seu habita ratione naturæ divinæ. Hujus enim respectu eum non minus, quam Patrem, esse a seipso, et, ut loquuntur, αὐτόθεος. Unde consequatur, Patri præ Filio, qua Filius est, non qua Deus, ὑπεροχὴν, seu *prærogativam*, atque excellentiam quamdam competere. » Utrumque vero falsum, ac sibi ipsi contrarium est. Non potest Filius Dei a Patre gigni, nisi ab eo naturam ac deitatem accipiat. Quid enim aliud est generari, quam nasci ex altero in similitudinem naturæ? Ita naturam ab illo communicatam habeat necesse est ille, qui gignitur, ut in ea gignenti sit similis. Nisi vero Christus, qua Filius est Dei, Deus non est, aut sine deitate, solam a Patre relationem excipit. « Postremo, si Christus naturam suam non accepit a Patre, instat Crellius, non fuit proprie genitus. Quisquis enim ab altero proprie generatur, naturam suam ab altero accipit. » Jam si et ille, qui gignit, Deus est, et qui gignitur, Deus est; nonne Deus ex Deo gignitur? Merito proinde *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, ac *Deum verum de Deo vero* genitum esse catholica Symbola profitentur, hoc est *regulæ fidei*, ut illa vocat Augustinus [3]; et auctor antiquissimus Tertullianus, ante Nicænum concilium, et omnem de Trinitate quæstionem, eadem usus est dicendi formula [4]. « Ita de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus,

1 In *Expl. perfidiæ. Valent. Gentil.* — 2 Cap. II, sect. II. — 3 Ser. CXXI *de Temp.* c. VII. — 4 *Apol.* cap. XXI.

inquit, ut lumen de lumine accensum, etc. Ita et quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo. » Hinc merito dixit Augustinus de Christo loquens largiente Spiritum sanctum, *Deum a Deo dari*.

Est ergo non solum vera, sed etiam proba et christiano dogmati consentanea locutio, *Deum esse ex Deo ;* non, ut autotheani, et Calvinistæ imperite garriunt, *dura*. Contra quos libro quinto plura disputabimus.

Redeundum enim nobis est ad Samosatenum Crellium, qui, ut recte Calvinianæ doctrinæ labem animadvertit, ita quid esset ex argumentatione sua consequens, non vidit. Nam si Christus Dei Filius est, et quidem verus, ut Scriptura nos docet, quod supra probavimus ; necesse est ejusdem cum Patre naturæ sit ac substantiæ; nec illo minor et inferior, quod ad naturam spectat, hoc est in iis, quæ Patri, qua est Deus, competunt ; id quod in animantium omnium et hominum propagatione cernimus. Inter hæc autem est æternitas, et creatione potior omni status et conditio; ac denique quidquid est cum deitatis proprietate conjunctum. Qualem esse negant Catholici personalem illam notam, qua Filius a Patre discernitur; quod ab hoc ille sit. Pater a seipso. Quam quidem ὑπεροχὴν, id est *excellentiam* appellare cum Calvino nefas est ; etsi veteres aliqui majorem esse Patrem illo ipso confessi sunt, sed citra *Substantialia.* ea, quæ sunt οὐσιώδη, et cum notione ipsa deitatis implicantur. Sed de eo jam satis multa diximus.

IV. Instat deinde Crellius [1], et ex Joanne *Obj. ex iis quæ de Christo dicuntur nec Deo summo conveniunt.* præsertim ista quædam recenset, in quibus aliqua de Christo traduntur, quæ in Deum summum non conveniunt; alia vero de Patre, quæ ab Christo sunt aliena. Horum primum est quod Christus ait, *Non posse Filium a se facere quidquam*. Unde sic colligit : « Deus ille summus a seipso omnia facere potest. Christus a semetipso nihil facere potest. Ergo Christus non est Deus ille supremus. » Quibus positis, omnia illa quæ vicissim a catholicis ad eum locum afferuntur, præcludere nititur. Nam aut Christus, qua Deus est, illic significatur, aut qua homo est. Priorem sensum refellit sic. Esset enim supremus, et non esset, quia supremus ille non est, qui ab alio potestatem accepit. Deinde esset æternus, et non esset ; quia qui ab altero genitus est, æternus esse non potest. Tum idem quisque est cum essentia sua. Quare si e Patris essentia genitus est, et eadem illa Filii est essentia, ex seipso genitus est Filius.

Ad hunc Joannis locum et Arianorum calumniam duo ab antiquis responderi solita exposuimus in quarto capite libri antecedentis. Nam aut Christus secundum divinam naturam, aut secundum humanam ista dixit. Priore sensu non posse quidquam a se facere ait ; quia nihil solus ac sine Patre, vel ei potius adversum potest facere, communi usu loquendi, quo id a nobis fecere, aut loqui dicimur, quod communi aliorum judicio ac voluntati contrarium est. Sic amare se, vel odisse se, ac judicio et voluntati parere suæ, contrarium quiddam ei significant, quod est amare Deum, vel ei obsequi. Sic Christus *odisse animam suam*, et *abnegare se* jubet; Apostolus *omnes, quæ sua sunt quærere*, aut *seipsos amare* dicit. Sic Augustinus [2], « Nescio quo inexplicabili modo, ait, quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat, et quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Et alibi [3]» : « Quid autem vilius, quam homo sine Deo? Ecce quid amat, qui seipsum, non in Deo, sed in seipso amat.» Et apud eumdem [4] : « Ea esse intelligitur voluntas propria, quæ est contra voluntatem Dei [5]. » Tertullianus quoque : « Ita nostra est voluntas, cum malum volumus adversus Dei voluntatem, qui bonum vult. » Vide etiam Augustinum [5] tractatu XXII *in Joannem*, et Cyrillum lib. V in eumdem *Joannem*.

V. Ad hunc modum Cyrillus Alexandrinus [6] tam illum locum explicat quam similem alterum capitis VII, 17 [7], ubi Christus a seipso loqui se negat, ut sit *a seipso* idem, quod « peculiariter ac separatim omnino ab communi cum Patre voluntate et consilio [a].» Ambrosius [8] item, « Quid superest, inquit, nisi ut per unitatem inseparabilem potestatis nihil credamus Filium facere nisi quod viderit Patrem facientem, quia per inseparabilem unitatem nihil a se facit Filius, quoniam nihil vult, quod Pater nolit? Quod utique non infirmitatis, sed unitatis est. Atque hoc sensu ne ipse quidem *a seipso* Pater facit aliquid ; tametsi alia ratio est ob quam a seipso facit quæ

a CYRIL. lib. IV *in Joan*. Τίθησι δὲ τὸ ἀπ' ἐμαυτοῦ, ἀντὶ τοῦ ἰδιαζόντως, καὶ ἀποκεκομμένως κατὰ τὸ παντελὲς τοῦ κατὰ τὴν συνθέλησιν, καὶ ταυτο βουλίαν τοῦ πατρός.

1 Cap. III. — 2 August. tract. CXXIII *in Joan*. — 3 Ser. CCXIV *de Temp*. — 4 Lib. *cont. Ser. Arian*. — 5 Lib. *de Exhor. cast.* c. II. — 6 Lib. II *in Joan.*, cap. VI. — 7 Lib. IV. — 8 Lib. IV *de Fide*, cap. III.

in personis cæteris non est; quoniam a seipso solus est. Sed nihil hoc ad essentiam ipsam ac deitatem pertinet. Nec propterea solus est summus ac supremus, aut, quod idem est, verus æternusque Deus; quamvis ὁ ἐπὶ πάντων θεὸς[1], vel ἐπὶ πᾶσι[2], vel ὁ θεὸς τῶν ὅλων[3], id est *supra omnia*, vel *universorum Deus* nominetur, etiam qua distinctus est a Filio. Unde Ignatius epistola IV, hæreticos illos arguit, qui Filium esse dicebant τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν, hoc est ingenitum; et non ab alio productum. Hæc enim appellationum genera non naturæ propria sunt; sed ὑπάρξεως, et personæ. Quam etiam ob causam Pater a seipso loqui aut facere quippiam dici potest, non autem Filius; cui « non potest a semetipso esse, quod loquitur, in quo naturaliter ex Patre sunt omnia, » ait Ambrosius[4] Qui et illud *Joannis* XVII, *Gloriam meam non quæro*, interpretatur, «non divisam a Patre gloriam.»

VI. Alii Christum, ut homo est, loqui ita sentiunt. Utrumque refert Ambrosius in quinto *de Fide*, capite V, et Cyrillus in secundo *Commentariorum in Joannem*. Vide et Augustinum tractatu XVIII et sequenti in eumdem Evangelistam, et Gregorium Nazianzenum oratione XXXVI, qui ambo ad divinam Christi naturam verba hæc accommodant. Ac Gregorius quidem, quod ait Christus, *non posse se*, idem esse ait, atque ἀνεπίδεκτον εἶναι, hoc est *impossibilem esse rem;* « sicut enim dicimus, impossibile est malum esse, vel non existere Deum (id enim imbecillitatem potius in Deo, quam potentiam argueret), aut ut sit, quod non est, aut ut bis duo quatuor simul sint et decem; ita nec fieri ullo modo potest, ut Filius aliquid faciat, quod non faciat Pater. Omnia enim, quæ Pater habet, sunt Filii; quemadmodum rursus omnia, quæ Filius, Patris. Nihil ergo peculiare, quia communia omnia. Quandoquidem ipsum quoque esse, commune est, atque æquale ipsi cum Patre, licet alioqui hoc a Patre Filius habeat[a].» Videndus et Cyrillus Alexandrinus, qui perinde ait, dicere non posse ista se Christum, ut si homo dicat non posse se non esse ratione præditum animal; quod hoc naturæ tam Patris, quam suæ insitum sit.

Quamvis autem hæc ipsa, quæ ad Christum Deum illa refert, probabilis sit interpretatio, et quæ adversus eam opponit Crellius, levissima sint, et Scholarum nostrarum usu detrita; nos tamen supra alteram huic prætulimus, ac de se, ut homo est, loqui Christum, verisimilius esse statuimus. Hanc vero posteriorem sententiam majore conatu, ac totis ingenii viribus labefactare aggressus est Crellius, et multa contra eam objicit, specie ipsa plausibilia: (ut sunt ea fere, quæ ex natura rerum et humana ratione disputantur adversus divina, et natura omni ac ratione superiora fidei dogmata), sed quæ ad solidam Catholicæ veritatis ac Theologiæ rupem illisa sic, tanquam in aqua bullæ, franguntur ac dissiliunt. Atque ut longiorem se in illo tractando loco et argumento ideo esse dicit, ut et in sequentibus usui sint, quæ ibi disseruerit; ita nos paulo accuratius incumbemus in eadem illa refutanda, et ea vicissim opponemus, quæ ad alia deinceps dissolvenda opportuna erunt, imo necessaria.

VII. Duo sunt igitur, quæ contra illos proponit[5], qui de homine Christo locum illum Joannis intelligunt. Alterum, nullam e Scripturis auctoritatem eos habere distinguendarum in Christo naturarum duarum ita, ut secundum unam aliquid facere dicatur, quod secundum alteram non faciat. Alterum, etsi aliquod testimonium suppetat, nihil tamen distinctionem illam ad eum, qui ex Joanne est allatus, locum pertinere: quæ duo singillatim sic probat. Imprimis nullo ex Scripturæ loco distinctionem istam effici colligit, quia, quibus maxime nituntur catholici, ii ad rem nihil attinent. Sunt autem, qui nonnulla Christo *secundum carnem* convenire docent, tanquam, quod dicitur *secundum carnem*, ei oppositum sit, quod est *secundum deitatem*. Velut *Actorum* II, 30 in Græco legitur: *Christum a Deo secundum carnem excitatum esse ex lumbis Davidis, ut in ejus throno sederet*[b]. Item *Romanorum*, I, 3: *De Filio suo, qui factus*

1ª Opponitur *Carnem Spiritui* non deitati opponi.

a NAZIANZ. Ὡς γὰρ ἀδύνατον εἶναι λέγομεν, πονηρὸν εἶναι θεὸν, ἢ μὴ εἶναι (τοῦτο γὰρ ἀδυναμίας ἂν εἴη μᾶλλον θεοῦ, ἤπερ δυνάμεως) ἢ τὸ μὴ ὂν εἶναι, ἢ τὰ δὶς δύο καὶ τέσσαρα εἶναι καὶ δέκα. οὕτως ἀδύνατον, καὶ ἀνεγχώρητον ποιεῖν τι τὸν υἱὸν, ὧν οὐ ποιεῖ ὁ πατήρ. πάντα γὰρ ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, τοῦ υἱοῦ ἐστιν, ὡς ἔμπαλιν τὰ τοῦ υἱοῦ, τοῦ πατρὸς. οὐδὲν οὖν ἴδιον, ὅτι κοινά· ἐπεὶ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι κοινὸν, καὶ ὁμότιμον, εἰ καὶ τῷ υἱῷ παρὰ τοῦ πατρός.

b *Act*. II, 30. Ὤμοσεν αὐτῷ ὁ θεὸς, ἐκ καρποῦ τῆς

1 Basil. III *cont. Eun.*, et epist. XLIII. — 2 Cyr. Hier. *Cat.* XIV. — 3 Orig. lib. VI *cont. Cels.* — 4 Lib. II *de Fide*, cap. IV. — 5 Crell.

est ex semine David, secundum carnem. Et *Roman.* IX, 5: *Quorum patres, ex quibus est Christus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Atqui in illis locis ei, quod est *secundum carnem*, non respondet *deitas*, sed potius *spiritus*, sive *carnali spirituale*, non autem *divinum*, ait Crellius. Sic enim alibi passim, ut in II *Cor.* X, 16: *Neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Et ad *Gal.* IV, 23 et 29 Abrahami Filius ex ancilla κατὰ σάρκα, *secundum carnem* vocatur Ismael, Isaac vero κατὰ πνεῦμα, *secundum spiritum.* Sic cap. III, 22 *ad Coloss. domini secundum carnem*, id est *carnales* appellati sunt.

Sed multis modis ineptus est Crellius. Primum enim, quod est adversariorum suorum in causa firmissimum, id tacitus præterit; quod minus habet virium, hoc tanquam unicum illorum præsidium, sibi ad oppugnandum deligit. Christum natura constare duplic, divina, et humana, et utramque suas habere proprietates ac functiones, soli nesciunt Judæi, et Judæorum asseclæ Samosateni. Illud Scripturæ sacræ non obscure significant, ac vel unico Joannis Evangelii testimonio dubitatio omnis abstergitur. Etenim Verbum illud quod et *in principio erat*, et *Deus erat*, subinde *carnem esse factum* asserit. Ergo aliud est in Christo id, quod secundum carnem est, et quod secundum Deum est. Idem et ex locis cæteris evidens est, quibus Christi deitatem asseveravimus[1]. Nam si verus est Deus, ac verus Dei Filius, et a Deo genitus, natura utique inest in eo divina. Inest autem et humana, quia verus est homo, et hominis Filius. Quid igitur prohibet ea, quæ sunt ambarum propria sicut certa fide percipimus, ita sermone ac disputatione secernere? Itaque non solis illis voculis, quibus usus est Apostolus, et quas aliter interpretando extorquere vult Crellius, fides nostra nititur; sed tum utriusque Testamenti certissimis clarissimisque sententiis, tum constanti christiani totius orbis professione, quæ apostolorum temporibus usque ad hanc ætatem perseverat.

In Christo caro deitati opponitur.

VIII. Sed nec illa duo triave Apostoli loca, quæ, tanquam a catholicis objecta sibi, Crellius eludit, nihil ad idem suadendum dogma conferunt. Imo vero eodem referri debent, et in iis detorquendis partim hominis vafritiem, partim inscitiam animadvertimus. Nam ut Apostolum probaret, cum de Christo *secundum carnem* aliquid dicit, non carnis sumpsisse nomen pro humana substantia, cui divina respondet, sed pro *carnali* conditione, cui *spiritualis* opponitur, exempla repetiit ex iis ejusdem Apostoli locis, in quibus de meris hominibus agitur; velut cum Abrahami *secundum carnem* filium vocat Ismaelem, aut dominos *secundum carnem* nominat, tanquam par sit et eadem istorum ratio, qui nihil nisi homines fuerunt et Christi, qui ex homine Deoque conflatus est. Abraami filius *secundum carnem* non aliter intelligi potest, quam qui carnis, id est hominis more genitus est, nec altera humanæ natura ex adverso potest opponi, quæ nulla fuit in illo. Itaque caro ibi, et similibus in locis pro natura usurpatur hominis per sese considerata, citra gratiæ conditionem ac spiritualem statum. Cum autem Christus præter *carnem*, id est humanam naturam, divinam habeat, et altera alteri ex usu loquendi respondeat; ut cum Joannes Verbum carni, et tam ille, quam cæteri scriptores sacri, Filium hominis Filio Dei in eadem Christi persona conferunt, potest debetque, quod in reliquis nefas est hominibus, in illo solo retineri, ut cum ejus *carne* divina, quæ inest eidem, natura comparetur. Hoc in illo fit Apostoli loco, ex capite primo epistolæ *ad Romanos;* quem pro libito Crellius enarravit, atque ad mentem suam accommodavit.

IX. Nos ejus interpretatione neglecta, aliter exponemus: *De Filio suo*, ait Paulus, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*[a]. In his ego verbis, quod plerique interpretes non animadverterunt, latentem esse antithesin dico, naturarum duarum, humanæ atque divinæ. Ad humanam refertur illud, τοῦ γενομένου, *qui factus est ex Abrahami semine ;* ad idvinam reliqua spectant, *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*, etc. Ubi *virtutis* nomen significat id, quod in Christo præstantius est. Christus igitur homo prædestinatus ac dispositus est, ut esset Filius Dei, non secundum

ὀσφύος αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα, ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ.

a *Rom.* I, 3. Περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γεννομένωυ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν.

1 Lib. II, cap. IX.

carnem præcise, sed *in virtute*, hoc est secundum excellentiorem potioremque conditionem, quæ in eo declarata est, nempe deitatem. Ut enim homo assumptus est a Deo, sic ut assumeretur, ex omni æternitate destinatus et ordinatus est, hoc est, ut Filius hominis esset Filius Dei, idque nullis illius meritis, sed gratuita Dei voluntate, de qua sic loquitur Augustinus[1]: « Respondeatur quæso: Ille homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit?» Quamobrem δύναμις, id est *virtus;* seu *potentia* pro divinitate sumitur; ut et alibi non semel, velut I *Cor.* I, 24, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* vocat. Et II *Cor.* XIII, 4 : *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo; sed vivemus cum illo ex virtute Dei in vobis.* Et II *Thessal* I. 7, *In revelatione Domini Jesu, de cœlo cum angelis virtutis ejus.* In quibus locis ἡ δύναμις pro divina natura et conditione usurpatur, et infirmitati, id est carni, sive humanæ naturæ opponitur. Et quoniam divinitatem Christi maxime prodidit communicatio Spiritus sancti, qui est fructus resurrectionis Domini, ideo subjecit « secundum Spiritum sanctificationis, » etc., ubi subaudiendum: Quæ virtus, et status Christi potior maxime spectatur in communicatione sancti Spiritus ex resurrectione. Nulla res divinitatem Christi magis declaravit, quam quod Spiritum sanctum in homines effudit; quod, *Joannis* XVI, 8, Christus significat. Porro resurrectioni illius, velut fructum, attribuit Spiritus sancti largitionem, *Roman.* IV, 25: *Resurrexit*, inquit, *propter justificationem nostram.* Est autem Hebraismus in illis, ex « resurrectione mortuorum *Jesu Christi*, » pro *illius*.

Paraphrastice.

X. Quocirca sic totus ille locus παραφραστικῶς explicari potest: Paulus servus Jesu Christi, vocatione Apostolus, segregatus, et electus ad prædicandum Evangelium Dei promissum antea per prophetas illius in Scripturis sanctis; quod quidem Dei Evangelium est de Filio suo, qui secundum carnem, hoc est humanam naturam, ortum et initium accepit e semine Davidis; at idem in virtute, hoc est secundum divinam, præstantioremque naturam, ex destinatione dispositioneque divina, Filius est Dei, quatenus, quod in eo imbecillum et infirmum est, ad carnis generationem et humanam originem pertinet; ad divinam autem, quod est virtutis et potentiæ, cujus specimen potissimum editum est in communicatione Spiritus sancti, quæ est fructus resurrectionis ipsius. Habet igitur iste locus, quantumvis reclamante Crellio, comparationem utriusque naturæ in Christo Domino; quarum humana *carnis* vocabulo, divina *virtutis* exprimitur.

Sic in epistola prima *ad Timotheum*, *Deus*, inquit Apostolus, *manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu* [a]. Ita in Græco contextu legitur; ubi *caro* humanam naturam, *spiritus* idem, quod in epistola *ad Romanos* loco illo, quem paulo ante citavimus, *virtus* significat; hoc est id, quod divinitatis naturæque potioris in Christo proprium est, ut Theodoretus ad illum locum explicat. Tertullianus item verba illa Pauli *ad Romanos* scribentis non aliter exponit. « Sic et Deus, inquit, inventus est per virtutem, sicut homo per carnem[2]. » Et Athanasius, « Nos, inquit, Dominum nostrum Jesum Christum spiritu esse Deum, et hominem carne esse credidimus, tametsi impii procreationem ex femina irrisui habeant, tanquam sit carnis, non divinitatis [b].» Sic etiam Ambrosius, lib. V *de Fide* cap. VII, Leo papa in epistola *ad Flavianum*, et ex eo Vigilius libro secundo *contra Eutychen*, et uno verbo antiqui omnes verba illa Pauli interpretati sunt.

2° Opp. Licet caro deitati opponatur, nihil ad locum Joannis citatum pertinere.

XI. Nunc illud expendamus alterum, quod addidit, tametsi concessum sit, ei, quod *secundum carnem* dicitur, in Scripturis opponi id, quod est secundum deitatem; non hoc tamen ad illorum verborum explicationem accommodari posse, quibus se dicit Christus a seipso nihil posse facere. « Primum, inquit[3], loquendi consuetudo nequaquam fert, ut quod de toto aliquo simpliciter dici possit ac debeat, de eodem simpliciter negetur, etiamsi ea res toti illi secundum unam tantum partem insit, secundum alteram non insit. Quis enim, verbi gratia, hominem simpliciter neget edere, bibere, aut carneum, crassum, procerum, aut humili statura esse, quia anima

a PAULUS 1 *Tim.* III, 16, in Græco. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι.

b ATHAN. lib. *de Incarn. Ver.* Ἡμεῖς οὖν τῷ πνεύματι θεὸν, καὶ ἄνθρωπον τῇ σαρκὶ τὸν κύριον ἡμῶν εἶναι πεπιστεύκαμεν, κἂν χλευάζωσιν ἄπιστοι τὴν ἐκ γυναικὸς γέννησιν, τῆς σαρκὸς εἶναι ταύτην καὶ οὐ τῆς θεότητος.

1 Lib. I *de Prædest. sanct.* cap. I. — 2 Tertull. lib. V *contra Marc.* cap. XX. — 3 Crell.

ejus, aut ipse secundum animam, non edat, non bibat; carneus, crassus, procerus, aut contra brevis staturæ non sit? licet anima potior hominis pars sit; illa autem homini secundum corpus tantum competant? At si Christus Deus ille supremus est, de eo simpliciter asserendum est, eum omnia a seipso facere posse. » Hæc Ebionita noster. In quibus incredibilem hominis stuporem, ac cæcitatem videre licet, qui in illis Christi verbis, *Non potest Filius a se facere quiddam*[1], necessario significationem inesse putat imbecillitatis; tanquam aliquid illius potentiæ detrahatur eo ipso, quod se negat quippiam posse facere. Atque nihilo plus habet ea vox infirmitatis, quam cum dicitur Deus non posse mentiri, non posse peccare, vel mori. Intererat illius, qui tam acrem et longam de eo loco disputationem instituere vellet, nosse prius, quæ illorum esset interpretandi ratio, contra quos ageret. Sciat igitur, utcumque locus ille ad Christum, ut Deus est, aut ut homo est, referatur, hoc ipsum indicare, quod summæ firmitatis perfectionisque sit, nempe nihil secus posse Christum facere, ac Patrem velle, æternoque suo consilio destinasse cognoscat et videat. Atque ita Cyrillus Alexandrinus[2] verba illa Christi *Joan.* XIV, 24: *Et sermo, quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris,* exponit, nempe non esse ἀπῳδὸν, id est *abhorrentem* a Patre, ac *dissentaneum*. Et qui Maldonatum, ut apparet, tam attente legit, eumque suffragatorem sæpius adhibet, poterat ex illius commentariis illam ipsam Joannis verborum, quam nos sequimur, interpretationem excipere, ac tantum nugarum, quantum in hanc argumentationem effudit, compendifacere. Isto enim constituto sensu, omnis illa verbosæ structura disputationis evertitur.

> Ῥεῖα μάλ', ὡς ὅτε τις ψάμαθον πάϊς ἄγχι θαλάσσης
> Ἄψ αὖτις συνέχευε ποσὶν, καὶ χερσὶν ἀθύρων*.

Verum ut hoc loco sciat, quam rudis sit in theologicis, ac philosophicis rebus, quarum se exquisita notitia venditare voluit, etsi ad convincendum illum satis ea sunt, quæ dixi, libet ex supervacuo quædam ab illo notare imperite absurdeque posita. Sed antea nonnulla veluti theoremata proponam, quæ ad mysterium incarnationis Dominicæ pertinent, in quo illius potissimum hæret sophistica calumnia.

Explicatur quænam sit natura compositionis in Christo ex duabus naturis.

XII. Horum id est primum: Christi Domini hypostasim, sive personam a plerisque Patribus dici compositam ex naturis duabus, ut ab Cyrillo, Damasceno, Maximo, et aliis, quos suo loco commemorabimus; plurimum tamen differre compositionis illud genus, quo Christus compositus dicitur, ab iis, quæ in rerum natura cernimus, velut ab eo, quod homini convenit ex anima, tanquam forma, et materia conflato. Id autem discrimen, quod ad rem nostram attinet, in eo maxime situm est, quod anima et corpus, sive forma et materia, ex se et suapte natura partes sunt, adeoque minime perfectæ, quatenus naturali et insita quadam ad se invicem habitudine referuntur, mutuamque conjunctionem appetunt; tum ea dissuta, nihilominus eamdem intima propensione respiciunt. Ac in Christo, in quo divina natura integra, et perfecta, peculiarique sibi proprietate subsistens, cum humana copulatur, quæ propria carens, aliena subsistendi proprietate fulcitur, non est proprie dicta pars compositi natura potior, nisi laxius sumpto partis vocabulo, ut eæ partes vocentur, « in quas dividitur, aut ex quibus constat id, quod totum appellatur[a], » ut eas definit Aristoteles[3]. Sed ea, quæ proprie pars, et quidem οὐσιώδης, sive φυσικὴ dicitur, aliud præterea postulat, ut ex sua natura ad alteram referatur, ex eaque pendeat. Non est autem ejusmodi deitas, sive Deus Verbum, sed totum est per sese integrum, quod infinita sua vi naturam hominis ex corpore, animaque coagmentatam assumpsit, ac seipso fulciit, ut non aliam ei proprietatem hypostaticam, quam divinam ac suam adjungi pateretur. Quod erudite Joannes Damascenus[4] his verbis explicat: « E castis semper virginis sanguinibus carnem animatam rationabili et intelligente anima sustentavit, humanæ massæ primitias assumens, et ipsummet Verbum carni hypostasis factum[b]. » Tum capite undecimo idem repetit, et apertius in duodecimo:

Substantialis sive naturalis.

a Arist. IV *Met.* cap. XXV. Ἔτι εἰς ἃ διαιρεῖταί τι, ἢ ἐξ ὧν σύγκειται τὸ ὅλον.

b Joan. Damasc. Ἐκ τῶν ἁγνῶν τῆς ἀειπαρθένου αἱμάτων, σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε, καὶ νοερᾷ ὑπεστήσατο, ἀπαρχὴν προσλαβόμενος τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος, αὐτὸς ὁ λόγος γενόμενος τῇ σαρκὶ ὑπόστασις.

* Facillime, ac si quis arenam puer ad littus maris Quaquaversum commisceat pedibus manibusque ludens.

[1] *Joan.* V, 19. — [2] Cyril. lib. X *in Joan.* — [3] Lib. IV *Met.*, cap. XXV — [4] Lib. III *de Fide*, cap. II.

« Sed ipse substantialiter, inquit, et vere homo factus, id est in sua hypostasi animatam carnem rationali et intelligente anima sustentans, et ipse factus illi est hypostasis[a]. »

Sic Euthymius in *Panoplia*[1], « Filium Dei ait hypostasim fuisse ei, quod assumpsit[b]. » Et « ejus, qui assumpsit, hypostasim, assumpti esse factam hypostasim[c]. » Et in titulo IX idipsum ex Athanasii disputatione *contra Valentinum* refert.

Quamobrem persona divina Verbi integrum est quippiam, quod inexplicabili conjunctione naturam sibi copulavit hominis; quæ etsi communem habet cum Deo subsistendi modum, et proprietatem, persona tamen divinæ naturæ tribuitur. Quod summum et admirabile mysterium pulchre sanctus Thomas in *Compendio Theologiæ* ita declarat: « Et quia, sicut jam diximus, persona, hypostasis, et suppositum designant aliquid integrum, si divina natura in Christo est ut pars, et non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis, una persona Christi non se teneret tantum ex parte naturæ divinæ, sed esset quoddam constitutum ex tribus; sicut et in homine persona, hypostasis, et suppositum est, quod ex anima et corpore constituitur. Sed quia divina natura est aliquid integrum, quod sibi assumpsit, per quamdam ineffabilem unionem, humanam naturam, persona se tenet ex parte divinæ naturæ, et similiter hypostasis et suppositum : anima vero, et corpus trahuntur ad personalitatem personæ divinæ, ut sit persona Filii Dei, sicut etiam persona Filii hominis, et hypostasis, et suppositum. Potest autem hujusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri. Subjectum enim, et accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur; unde subjectum in tali unione non se habet ut pars, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis et suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis et albi[2], » etc. Ideo Vigilius libro IV *contra Eutychem*, « Verbum quippe habet, inquit, habetur autem caro. » Neque tamen ex eo putandum est, naturam humanam accidentis more ad divinam adhærere personam, ut ibidem Thomas adnotat. Sed similitudo albi corporis eatenus valet, ut et persona divina nihilominus habeatur, etsi humanam naturam sustinet; neque ab seipsa diversa sit, sed eadem sine ulla mutatione tam unicam Dei ac Verbi, quam humanam præterea naturam contineat.

XIII. Est illud insuper momenti maximi ad institutam disputationem, scire naturam utramque in sese perfectam esse, quod ad essentiam, et τὸ τί ἦν εἶναι spectat. Ac divina quidem ex sese omnibus absoluta numeris est, tam ratione essentiæ, quam modi proprietatisque subsistendi; quod illius est, ut modo diximus, persona propria, « ac talis in homine præsenti tempore fuit, et est, qualem se semper ante assumptionem hominis una cum Patre fuisse conscius est, » ait auctor libri sexti *de Beatitudine Filii Dei ad Theophilum*. Humana vero natura, si seorsum, et a divina κατ' ἐπίνοιαν, ac ratione divulsa spectetur, etsi est essentia, et κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι perfecta, modo tamen exstantiæ proprio caret, et alienæ personæ, sive hypostasis adminiculo fulcitur.

Hinc apparet multum differre compositionem illam, quæ est in Christo, naturarum duarum ab reliquis, quæ ex materia formaque confectæ sunt. Nam animæ rationalis natura non est natura personæ, sive hypostasis Petri; neque item corporis natura, sive materiæ, quam *primam* nominant. Non enim Petrus merus est spiritus, aut nullo loco circumscriptus, aut immortalis, in quo natura est animæ posita; sed corporatus, et per locorum spatia distentus, et mortalis. Quapropter *enuntiata*, sive *prædicata*, ut vocant, *essentialia*, quæ Græce τὰ οὐσιωδῶς κατηγορούμενα dicuntur animæ, vel materiæ, de hypostasi ac *supposito* Petri affirmari nequeunt; quoniam natura, ut dixi, et τῷ τί ἦν εἶναι singulæ partes a toto discrepant. At in Christo utravis natura, Christi est natura; divina, inquam, natura personæ Christi est natura, necnon humana natura ejusdem est natura personæ; siquidem naturæ, sive essentiæ, personarum, vel suppositorum et sunt, et esse dicuntur essentiæ. Itaque *enuntiata* utriusvis propria, et οὐσιώδη, de tota Christi persona dicuntur; propterea

Essentia

a JOAN. DAMASC. lib. III, cap. XII. Ἀλλ' αὐτὸς οὐσιωδῶς, καὶ ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος ἤτοι ἐν τῇ ὑποστάσει αὐτοῦ ἐψυχωμένην σάρκα ψυχῇ λογικῇ τε, καὶ νοερᾷ ὑποστήσας, καὶ αὐτὸς γεγονὼς αὐτῇ ὑπόστασις.

b EUTH. Αὐτὸς γέγονεν ὑπόστασις τῷ προσλήμματι.

c Id. Ἡ τοῦ προσλαβόντος ὑπόστασις αὐτὴ, καὶ τοῦ προσλήμματός ἐστιν ὑπόστασις.

1 In par. I. tit. VII, in calce ex Damasc. lib. III, cap. II. — 2 Opusc. II, c. CCI.

quod naturæ singulæ, sive essentiæ perfectæ sunt, neque ex iis natura una componitur, sicut ex duabus naturis corpore et anima, una Petri natura conflatur. In Christo vero ex duabus perfectis naturis, minimeque confusis, una persona fit, vel potius in una persona naturæ subsistunt duæ. Ideo «unus est atque idem Jesus Christus, ait Pelagius primus in epistola *ad Childebertum regem*, verus Filius Dei, et idem ipse verus Filius hominis, perfectus in deitate, et ipse idem perfectus in humanitate, utpote totus in suis, et idem ipse totus in nostris. Sic per secundam nativitatem sumens ex homine matre, quod non erat, ut non desisteret esse, quod per primam, qua ex Patre natus est, erat. Propter quod cum ex duabus, et in duabus manentibus indivisis, inconfusisque credimus esse naturis.» Hinc, ut Leo in epistola *ad Flavianum* [1] scribit, «Tenet sine defectu proprietatem suam utraque natura ; et sicut formam servi, Dei forma non adimit, ita formam Dei, servi forma non minuit; » atque idcirco, quæ sunt singularum propria, toti personæ imputantur, quæ *proprietatum* sive ἰδιωμάτων *communicatio mutua* dicitur. « Propter hanc ergo unitatem personæ, ait idem [2] Leo , in utraque natura intelligendam , et Filius hominis legitur descendisse de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea virgine, de qua est natus, assumpserit; et rursus Filius Dei crucifixus dicitur, ac sepultus, cum hoc non in divinitate ipsa, qua unigenitus consempiternus, et consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. »

XIV. Unum hic tamen animadverti volumus, cujus ignoratione Crellius sophistica cavillatione seipsum implicat, cum ea, quæ alterutrius naturæ propria sunt toti Christo tribuuntur, aut de eo simpliciter affirmantur, non sic intelligenda esse, ut ex toto illi conveniant, quod in scholis *totaliter*, vel *adæquate* dici solet, sed *simpliciter dici*, valet idem, atque *infinite*, ac nulla definita re, et notione. Exemplo sit istud : Christum, cum esse mortuum dico, totum intelligo Christum, non tamen ex toto, sive *totaliter*. Nam in *carne* tantummodo *passus est*, ut loquitur Apostolus, et mortuus [3]; Deitas ipsa extra mortem perpessionemque fuit. Ejusmodi est , quod Adamo simpliciter a Deo dictum est, *Pulvis es, et in pulverem reverteris* [4]. Quod si de toto Adamo, ac secundum ea omnia, ex quibus coalescit, intelligimus, falso dicitur. Siquidem illius anima neque pulvis erat, nec in pulverem reditura. Quare quod infinite dictum est, *Pulvis es*, non de toto secundum omnes et singulas partes explicari debet, sed de toto secundum partem aliquam. Augustinus tractatu tertio *in Joannem* distinctione illa *totius*, et *ex toto* sic usus est, ut genere duntaxat secerneret : « Ipse est, inquit, Dominus noster Jesus Christus totus, qui videbatur, et tenebatur, et crucifigebatur. Num totum hoc ipse est? Ipse est quidem, sed non totum illud, quod viderunt Judæi : non hoc est totum Christus. » Ibi *totum* in neutro genere idem est, quod nos *ex toto* dicimus, vel *totaliter :* totus vero personam ipsam significat; quemadmodum et alias neutrum genus ad exprimendam naturam adhibetur, masculinum ad personam. Ut cum dicimus Patrem et Filium esse hunc, et hunc, vel alios; sed non hoc et hoc vel aliud.

XV. Ad istas denique de divina incarnatione sentiendi, ac loquendi regulas postrema hæc adjungi debet, summe illa quidem necessaria; quoniam quidem duo sunt enuntiandi genera, alterum aiens, alterum negans, cum ita dicimus, prædicata utriusvis substantiæ, divinæ, vel humanæ, toti convenire personæ, de solis aientibus, vel affirmantibus nos loqui, non de negantibus. Etenim ut ista vera sunt, Christus est mortuus, Christus esuriit, aut Christus ex æterno est a Patre genitus, Christus est omnipotens; quorum priora secundum humanam, posteriora secundum divinam naturam de tota Christi persona verissime dicuntur; sic ista sunt e contrario falsa : Christus non est mortuus, Christus non est natus ex Virgine, vel Christus non est omnipotens, non est ex æterno natus e Patre. Cujus quidem diversitatis causa hæc est. Enuntiationes omnes, quibus aliquid affirmando de quopiam dicitur, vel negando detrahitur, eam vim habent, ut prædicatum esse in subjecto, vel non esse significent, sive, quod idem est, prædicatum haberi a subjecto, Sic cum dico, Petrus est candidus, vel doctus; in id redit ea propositio, inest in Petro candor, aut doctrina, vel est habens candorem, atque doctrinam. Item illa, Petrus non est candidus, neque doctus, hoc est, non habet candorem, aut doctrinam. Quare ut est illa vera propositio, Petrus est coloratus; falsa autem ista, Petrus non est coloratus, etsi secundum potiorem sui partem, hoc est animam, coloratus non

Prædicata naturæ divinæ et humanæ conveniunt Christo in affirmantibus, non in negantibus.

1 Epistol. x, c. III. — 2 Cap. v. — 3 I *Pet.*, 11, 21. — 4 *Gen.* III, 39.

est, quia quod inest revera, utcumque tandem insit, affirmans inesse dicit, negans vero non inesse asserit, sic et illæ veræ sunt, Christus est passus et mortuus, Christus est omnipotens et æternus; et istæ falsæ, Christus non est mortuus, Christus non est omnipotens. Quamvis enim neque moriendi conditionem, qua Deus est, habet Christus; neque, qua homo est, æternitatem, vel omnipotentiam; habet tamen utrumque totus, et inest utrumque toti Christo, ac proinde qui, quod habet ille reipsa, negat habere, falsum dicit; verum autem, qui, quod ille habet, habere pronuntiat.

XVI. Atque hoc in primis dialecticorum elementis vulgo traditur, qui negantes propositiones *malignæ* ideo esse *naturæ* dictitant, quod cum absolute ponuntur, *prædicatum* penitus removent a subjecto; aientes vero *prædicatum* ex toto convenire non significant, cum de tota hypostasi, vel, ut loquuntur, *supposito* dicantur. Hinc antiqui fere, cum Filio Dei, vel Christo negant aliquid inesse, quod secundum naturam e duabus aliquam illi convenit; non id absolute infiniteque pronuntiant, sed cum aliqua conditione, quæ orationis infinitatem coercet; eaque vel expresse ponitur, vel ex aliis eorumdem locis, aut ipso contextu sermonis etiam tacita colligitur. Sic Vigilius in libro secundo *contra Eutychen*, « Secundum unionem, inquit, personæ, Deus mortuus est, et sepultus, quia persona Verbi in carne est, quæ mortis dispendium sensit, etc. Secundum proprietatem naturæ, caro mortua est, non Verbum. » Item : « Cum ergo dicimus, Dominum passum et mortuum, non expavescat Nestorius ; quia secundum unionem personæ dicimus. Rursus cum dicimus, Dominum nec passum, nec mortuum, quia est omnino impassibilis, non formidet Eutyches, quia secundum naturæ proprietatem dicimus.» Et in libro quarto : «Ipse igitur, unus idemque Dei Filius, Dominus Jesus Christus, et mortuus est secundum formam servi, et non est mortuus secundum formam Dei. » Ergo Deus mortuus, et passus ; et Deus neque mortuus, neque passus esse dicitur. Sed affirmans propositio absolute concipi potest ; quia is, qui passus est, revera, et proprie Deus est, hoc est persona divina ; de personis autem, tanquam subjectis, prædicata quæ vocant, enuntiantur. Negans autem, si intelligitur absolute, falsa fit. Quare vel adhibetur vox aliqua determinans restringensque sententiam, ut est *secundum divinitatem*, sive *qua Deus est;* vel ex orationis, ut dixi, serie, licet tacita, subauditur. Etenim quis hoc enuntiatum, « Petrus est rationis capax, » absolutum esse non dixerit, etsi secundum solam id illi animam convenit? illud vero, « Petrus non est capax rationis, » si absolute sumitur, non esse falsum judicet, ac nisi vel adjunctum, vel tacite significatum sit, « Petrus, qua corporatus est, non est rationis capax? » Ejusdem generis sunt enuntiationes illæ, quæ de Filio Dei similiter nectuntur a Crellio : « Filius Dei non est filius Dei, » quæ frivola est, et absolute falsa sententia. Sicut illa falsa est, « Socrates non est Sophronisci filius ; » etsi nec ille secundum naturam hominis Filius Dei, nec iste secundum animam Sophronisci sit filius ; tum reliqua id genus, quæ otiose ac sophistice ibidem colligit.

His velut fundamentis præstructis, quæ, cum ad Incarnationis mysterium progressa fuerit opera nostra, plenius enodabimus, facile, quæ ab Crellio sunt objecta, diluuntur. Neque vero jam illi respondere necesse est, quod primum opposuit, non posse de eodem Christo dici absolute, « nihil a seipso posse illum facere, et a seipso omnia posse facere.» Siquidem *a seipso facere* istud est, quod supra demonstravimus, proprium sibi et alienum a voluntate Patris ; vel si *a seipso* idem est, atque ab nullo originis altero principio. Ad naturarum vero discrimen si ista referantur, et *a seipso* itidem exponatur, ut de creatis rebus usurpari solet ; tum hæc propositio, *Ego a meipso nihil facio*, absolute non debet intelligi ; sed ita, ut tacite subaudiatur, secundum hominis formam ; illa vero, « Christus a seipso, hoc est virtute propria, et increata omnia facere potest, » absolute vera est ; quia de toto Christo dicitur, etsi non ex toto, vel, ut loqui solent, totaliter.

XVII. Reliqua capitis illius, quia falsa istius loci Joannis interpretatione nituntur, nihil adversum nos promovent ; et ex iis theorematibus, quæ supra posuimus, facile convincuntur. Ex quibus etiam reliqua fere omnia, quæ deinceps struit, explicari ac dilui argumenta possunt ; ut operæ pretium fecisse nos appareat, cum illa velut fundamenta jecimus, quæ everricula quædam essent fraudum omnium, ac malitiarum Crellii, et similium sophistarum. Nam pauca admodum ab istis contra Trinitatis, et Incarnationis dogmata proponuntur, quæ non aliquod incurrant ex illis firmamentis, et ad hoc allisa franguntur.

Ut quod in argumento quarto [1] sectionis secundæ posuit, Christum dixisse, *Doctrinam suam non esse suam* [2]; Vel, *nihil a seipso facere*, et id genus alia; Tum *a seipso non venisse* [3]; *Non venisse se*, *ut faceret voluntatem suam* [4]. Quæ omnia similem habent explicationem. Nam a seipso facere aliquid intelligitur, communem non habere cum Patre voluntatem, sed privatam et contrariam. *Venire a seipso*, est suopte nutu et impulsu, et citra ejusdem Patris auctoritatem venire. Sic igitur temperata illa sunt, neutram ut naturam dedeceant, adeoque supervacaneus sit Ebionitæ labor in ea responsione refellenda, quæ istiusmodi voces humanæ in Christo naturæ mandare studet, et a divina segregare. Quam ne ille quidem firma satis præscriptione sic eludit; Christum ista dicentem, de se, tanquam Patris legato, loqui : « Quod munus nonnisi personæ est, qua talis. Quare vel de ipsa natura divina Christum hic loqui statuendum est, vel fatendum Christum personam supremæ divinitatis non esse. Siquidem persona divina nihil aliud est, quam ipsa natura divina subsistentiam suam habens. » Verum quatenus legati, ac mediatoris partes sustineat Christus, dictum est antea ; neque necesse est id illi, qua Deus est, directe, ac proprie convenire, sed tantum ex obliquo. Nam ista functio humanæ naturæ peculiaris est, sed ea lege, ut eadem cum Deo persona contineatur; sive, ut paucis complectar, Deo congruit per hominem, et in homine salutem nostram administrandi. Tametsi vero unica et singularis numero sit persona divina Verbi, quæ utramque naturam complectitur, possunt tamen quædam alterutrius propria de illa dici, quæ in naturam alteram non congruunt, « Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, et carne exequente, quod carnis est, » ut recte Leo M. in epistola *ad Flavianum* [5] ait, quibus illius verbis nihil ad mentem doctrinamque nostram fieri potest aptius. Nam ita naturæ cujusvis proprias

Operationes ἐνεργείας esse declarat, ut alterius, licet istas in se non suscipientis, communio non desit.

XVIII. Postremo plurimum ad illa confert intelligenda Joannis et similia Scripturæ loca, quod Cyrillus Alexandrinus eadem explicans adnotavit in decimo *Commentariorum in Joannem* libro. Filium enim verbum, sive sermonem ait esse Patris, hoc est ejus mentis, et voluntatis interpretem : ut propterea *magni consilii angelus* ab Isaia[6] dicatur[a]. Quare merito non suum, sed Patris esse dicit, quod loquitur, hoc est quod est ipse; siquidem de Christo, secundum divinam conditionem, pronuntiari talia putemus cum plerisque veterum, maxime Augustino, qui quæstionem ita dissolvit : « Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicujus; et suam doctrinam dixit seipsum, et non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum, quam tu? Et quid tam non tuum, quam tu, si alicujus est, quod es ? »

Quod si ut hominem consideremus proferentem ista Christum, opportune [7] Cyrillus ibidem asserit[b], significasse verbis illis Christum, doctrinam suam ac sermonem, non humanum aliquid esse, vel ex sola humana indole, ac sensu depromptum, sed divinum aliquid, et ab auctore Deo profectum. Sic enim Apostolus verbum Dei, hoc est evangelicam doctrinam, quam homo utique hominibus prædicabat, *non ut verbum hominum* Thessalonicenses *accepisse* dicit, *sed*, *sicut est vere*, *verbum Dei*[8]. Sic ergo Christus, non humanum, ac vulgarem, qualis externa ipse specie apparebat, suum esse sermonem ostendens, sed divinum, ad Patrem, velut auctorem illum retulit, tanquam sui, ac doctrinæ sapientiæque omnis summum, et ultimum principium. Quare idem est non suum, sed Patris esse dicere, ac non hominis, cujusmodi in opinione ac sensibus Judæorum versabatur, sed Dei. Divinam enim naturam designavit in Patre, tum ob eam, quam attulit, causam, tum ne de se jactantius loqui videretur, et adversarios multo sibi infensiores redderet.

a Cyril. Alex. Λόγος γάρ εἰμι ζῶν τῆς τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς ἀῤῥήτου θελήσεως ἑρμηνευτικός. διὸ καὶ κέκλημαι μεγάλης βουλῆς ἄγγελος.

b Cyril. ibid. Ἵνα τοίνυν μὴ ἀνθρώπινον εἶναι νομίζωμεν τὸν λόγον αὐτοῦ, μηδὲ τῆς θείας ἐκστήσωμεν φύσεως τὸ μάθημα τὸ εὐαγγελικὸν, ἀλλὰ θεοῦ τοῦ ἐπὶ πάντας εἶναι πιστεύωμεν, οἰκονομικῶς, καὶ σφόδρα καλῶς, ἅτε δὴ καὶ ἐν ἀνθρωπίνῳ φαινόμενος σχήματι, τῇ θείᾳ φύσει ἀπονέμει πάλιν τὸν λόγον, ὡς ἐν προσώπῳ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς, ἐξ οὗ, καὶ ἐν ᾧ κατὰ φύσιν ἐστὶν, ὡς ἀπαύγασμα, καὶ λόγος αὐτοῦ, καὶ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ χαρακτήρ.

1 Crell. cap. IV. — 2 *Joan.* VII, 16. — 3 Argument. V, 1, ex *Joan.* XII, 28. — 4 Argum. ex *Joan.* VI, 38. — 5 Cap. IV. — 6 *Isa.* IX, 6, secundum. LXX. — 7 Tract. XXIX *in Joan.* — 8 *Thes.* II, 13.

De qua Christi moderatione, ac sui dejectione, ejusque causis, et utilitatibus legendus omnino Chrysostomus oratione sexta *contra Anomœos*.

CAPUT IV.

Confutantur alia Photinianorum argumenta, et Scripturæ loca declarantur. De ignoratione diei judicii, qua ratione in Christum cadat. Ostenditur ab eo non nesciri. De missione Filii secundum utramque naturam. Quemadmodum actiones personales dici debeant, inque eo Crellii inscita cavillatio. Explicatur locus Hebræorum v, *de Christi* εὐλαβείᾳ; *Calvini et Bezæ horrenda blasphemia. Quo sensu data Christo divinitas : et alia hujusmodi. Explicantur illæ Pauli sententiæ, in quibus Deus Christi, vel caput ejus vocatur Pater.*

I. Tritum illud ac pervagatum ex antiquis Arianorum fabulis contra Dei Filium objicit Crellius in argumento nono, quod se diem judicii nescire fateatur, ac solum dicat id nosse Patrem[1]. Ex quo Deum non esse verum concludit, qui se ignorare aliquid affirmet. Verum « execrabiles eos, qui ista commemorant, et a Spiritu sancto esse damnatos, scire debemus, ut cum Ambrosio[2] loquar. Ac non solum sacrilega ista, sed etiam inepta dubitatio. » Cui jam abunde satisfecimus[3], ac nullum, ut opinor, locum Crellianæ calumniæ reliquimus, qui de humana natura dictum illud accipi non posse contendit, in eoque moratur uno. Sed ejus conatus omnis responsione illa nostra retunditur, quæ illius ignorationem diei ne isti quidem naturæ adimit, verum hujus duntaxat usum; quod a Patre, quæ de illo cognorat, prohibitus esset eloqui. Ita enim nescire se merito dicere potuit, atque ex communi locutione hominum, cui et Scripturæ serviunt. Nam ejusmodi plurima sunt figurate in iis expressa, quæ si rigide ac præfracte ad Ebionitæ nostri normam exigas, etiam summo illi, quem prædicant, Deo turpes inscitiæ aliorumque vitiorum notas inuri censeas. « Interrogabo vos et ego, ait Ambrosius[4] similes hæreticos alloquens, qua causa in *Genesi* Deus dicat : *Descendam itaque, ut videam secundum clamorem eorum venientem ad me, si consummabuntur; sin autem, ut sciam*. Qua causa etiam Scriptura dicat : *Et descendit Dominus videre civitatem, et turrim, quam ædificarent filii hominum.* Qua causa etiam dicat Propheta in *Psalterio : Dominus respexit super filios hominum, si est intelligens aut requirens Deum ;* quasi et illic, si non descenderet Deus, et hic, si non prospiceret Dominus, aut opera hominum ignoraret aut merita. »

Retractantur nonnulli textus Scrip. in sup. lib. explicati.

II. Sic frustra se jactat in argumento decimo, ac verba illa Christi ad hujus injuriam torquet Crellius, in quibus suum non esse, sed Patris ait, apostolis, quod rogabant, concedere, ut ad dextram, ac sinistram suam sederent[5]. Nihil enim hic illum locus adjuvat, si ita, ut nos capite tertio fecimus, eum interpreteris; ut non esse suum, id est æquitatis suæ dicat, aliis dare, quam quibus a Patre suo destinatum est. Ubi et ad Patrem, tanquam ad auctorem refert, quod alioqui commune cum illo jus habet. Itaque vox ἀλλὰ idem est ac *nisi*. Porro, ut recte disputat Ambrosius, absurdum est fingere potestatis illius dandi apostolis, quod petebant, Christum etiam, qua hominem, exortem fuisse, *cui Pater potestatem dedit judicium facere, quia Filius hominis est*[6]; quibus verbis ostenditur, Christo quatenus homini, judiciariam a Patre tributam esse potestatem. Deinde qui alibi dixerit, « *Ego ad Patrem vado, et quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam*[7]. Si enim, quod Pater dare potest, Filius non potest, mentita est ergo veritas. Non enim potest facere, quidquid in nomine ejus Pater fuerit obsecratus. » Vide caput secundum libri ejusdem quinti, ubi similia de isto *Matthæi* loco disserit, quem et fusius enarrat. Quocirca, cum *Pater non judicet quemquam*, ut idem Christus ait, sed *omne judicium dederit Filio*[8], ut homo est; quis adeo desipit, ut, cui potestas judicandi tradita sit, ei functionem potestatis illius, et executionem esse denegatam putet ? An enim aliud est, suum cuique locum, ac præmium impertiri pro dignitate meritorum, quam judiciarium exercere jus ac potestatem ? Itaque vel invitus Ebionita cogetur illa interpretari verba Christi, quibus illud esse suum negat, ne sibi ipsi, hoc est veritati, sit contrarius; et aliam, quam quæ prima occurrit specie, iis accommodare sententiam. Quod ut facere conetur, non adeo communem sensum humanis ex rebus periisse arbitror, ut non obscuri et imperiti homuncionis qualicumque

1 *Matth.* XXIV, 36; *Marc.* XIII, 32. — 2 Lib. V *de Fide*, cap. VII. — 3 Lib. II, cap. III. — 4 Lib. V *de Fide*, cap. VII. — 5 *Matth.* XX, 23. — 6 *Joan.* V, 27. — 7 *Joan.* XIV. — 8 *Joan.* V, 22.

interpretationi, tot sanctissimorum, doctissimorumque Patrum tam multis corroborata sæculis auctoritas præferatur.

III. Par est et huic adhibenda responsio, quod ex *Matthæi* capite XIX Crellius objicit; ubi bonum se appellanti cuidam, Christus occurrit, neminem esse bonum, inquiens, nisi unum Deum. Quæ verba, si κατὰ τὸ γράμμα, et *ut se habent*, intelligit Crellius, horrendam ac detestandam Christo et Deo contumeliam facit. Sin est, ut explicatione aliqua opus illic esse sentiat, nos cujusmodi omnium veterum consensus habeat, exposuimus eodem in illo loco; neque aliter interpretantem ista Crellium audiemus, si sapimus.

Secundum litteram.

Nam et illud, *Pater major me est* [1], quod ex veterum Arianorum quisquiliis extractum Ebionita novus [2] opponit, sic extricatum est capite secundo, nihil ut præterea dici necesse sit. Sive enim de Christo, qua Filius est, et Pater ejus causa vel principium dicitur, ut plerique veterum opinati sunt, breve illud in promptu est Nazianzeni Gregorii dictum; id « quod majus dicitur, ad principium; quod æquale, ad naturam pertinere [a]. » Sive, ut alii censent, id ratione humanæ naturæ pronuntiatum est; nihil est absurdi, majorem se profiteri Patrem, qui *paulo minoratus ab angelis* [3] dicitur. Nam si ἠλαττωμένος, id est *minor factus* est Filius, dum hominem se fecit; consentaneum est majorem esse ipso cœpisse Patrem. « Et miraris, si ex persona hominis Patrem dixit majorem, qui in persona hominis dixit, se vermem esse, non hominem ? » ait Ambrosius[4], qui hoc acute insuper addit : « Sed, ut verbo utar Scripturæ, non minor natus, sed minoratus, hoc est minor factus est. »

Eadem et Cyrilli est argumentatio libro decimo *Commentariorum in Joannem*, ex alio Apostoli loco, in quo *exinanisse humiliasseque* seipsum Christus dicitur, *cum in forma*, id est *natura Dei* esset[5]. « Nam, si credimus, ipsum exinanisse et humiliasse se, nonne illud manifestum est omnibus, eum ex quodam excellentiæ gradu ad minorem esse delapsum ; vel potius ab æqualitate, quam habet cum Patre comparatus, ad inæqualem statum [b] ? »

Nec adversus ista Crellii acutum illud, ut quidem existimat, inventum proficit, « Non posse de toto aliquo simpliciter negari, quod de eodem simpliciter affirmari possit ac soleat, vel etiam omnino debeat, utut ei secundum aliquam partem, præsertim indigniorem non insit; » aut contra non posse de toto aliquo simpliciter affirmari, id, quod de eodem toto simpliciter negari possit, ac soleat, vel etiam debeat. » Quod excussum supra est a nobis, ac refutatum.

IV. Vetus est etiam Arianorum ista cantilena, quam occinit Crellius [6], non videri supremum, verumque Deum esse Filium, quoniam ab alio mittitur. Sed hoc nihil est. Ac de missione personarum divinarum agemus toto septimo hujus operis libro; unde perspicue patebit, neque missionem Filii ejus dignitati æqualitatique derogare; et quid isto loco diceret, juxta cum doctoribus suis Arianis Ebionitam nescisse Crellium. Nunc unum ex Tertulliano[7] cogitandum illi hoc objicimus, tanto Nicæna synodo antiquiore scriptore, quod adversus patriarcham istius Ebionem distringit. « Dictus est, inquit, magni consilii angelus, id est nuntius, officii, non naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus sæculo erat. Non ideò tamen sic angelus intelligendus, ut aliqui Gabriel, aut Michael. Nam et Filius a domino vineæ mittitur ad cultores, sicut et famuli de fructibus petitum. Sed non propterea unus ex famulis deputabitur Filius, quia famulorum successit officio. » Mox eumdem Filium, « quia de ipso pronuntiatum sit, Minuisti eum modicum quid citra angelos, sic infra angelos diminutum ait, dum homo fit, qua caro et anima et Filius hominis; qua autem spiritus Dei et virtus Altissimi, non potest inter angelos haberi, Deus scilicet et Dei Filius. »

Missio Filii ejus dignitati non derogat.

Sive igitur missus, secundum id, quod est Deus, intelligatur Filius, sive propter assumptum hominem; neutrum Photinianorum causam sublevat. Nam et qua Deus est, mitti dicitur, « Non quia ille major est, ille minor, sed quia ille Pater ille Filius; ille genitor, ille genitus; ille, a quo est, qui mittitur; ille, qui est ab eo, qui mittit, » ut scribit Augustinus[8]. Ut autem naturam suscepit hominis, non minus ei convenit missionis ratio, ut [9]

Quomodo actiones personales dici debeant

a GREG. NAZ. orat. II *de Filio*. Μεῖζον εἶναι τῆς αἰτίας, ἴσον τῆς φύσεως.

b CYRIL. Εἰ γὰρ πιστεύομεν ὅτι κεκένωκέ τε καὶ τεταπείνωκεν ἑαυτὸν πῶς οὐχ ἅπασιν ἔσθαι καταφανὲς, ὅτι καταβέκηκεν ἐξ ὑπεροχῆς τινος εἰς ἐλάττωσιν, μᾶλλον δὲ ἐξ ἰσότητος τῆς πρὸς τὸν πατέρα, πρὸς τὸ μὴ οὕτως ἔχον;

1 *Joan.* XIV, 28. — 2 Crell. argument. XIV. — 3 *Hebr.* II, 9. — 4 Lib. II *de Fide*, cap. IV. — 5 *Phil.* II, 7, 8. — 6 Arg. XV. — 7 Tertul. lib. *de Car. Chris.* cap. XIV. — 8 Lib. IV *de Trinit.* cap. XX. — 9 Lib. II *de Trinit.* cap. 5.

eidem placet. Neque quod pro absurdo Crellius[1] nobis objicit, id nos moramur; si secundum humanam naturam missus esset, eum a seipso, seu a divina sua natura missum esse. Fatetur enim illo in loco sanctus Augustinus, secundum hominis assumptionem, etiam a Spiritu sancto, et a seipso missum esse. Sic Toletana synodus XI in *Fidei confessione*, « Missus tamen, inquit, Filius, non solum a Patre, sed et a Spiritu sancto missus esse credendus est, in eo, quod per Prophetam dicit : *Et nunc Dominus misit me, et spiritus ejus*. A seipso quoque missus accipitur pro eo, quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur. » Sed ea de re pluribus in postremo hujus operis libro V.

V. Atenim mitti personæ proprium est, ut et legati partes obire. Non igitur natura id humana circumscribi potest, sed personæ ipsi toti, adeoque divinæ tribuendum est. Hoc enim, tanquam acerrimum telum, passim, et in omnibus pene argumentis contra nos conjicit Crellius. Quasi non et ex veterum doctrina Patrum, et ex recentium theologorum scriptis in promptu sit, quid isti respondeatur. Ac nos quidem supra, quam leve illud esset, ostendimus. Hic autem paucis idem inculcare non pigebit, quod et argumento Crellii decimoquarto, et majori parti consequentium obviam ibit. Personam itaque non negamus, ipsam esse naturam, vel essentiam subsistentem. Verum, etsi re ipsa nihil, cogitatione tamen differunt, ut loquitur Cicero[2], natura ipsa, et existendi modus, sive subsistendi quem τρόπον τῆς ὑπάρξεως Græci Patres nominant. Quod discrimen tum ex Aristotelis et Ciceronis ac philosophorum omnium, tum ex christianorum theologorum consensione, imo communi ex hominum usu ac judicio satis est, ut quædam de natura ipsa dicantur, quæ in personam non cadunt; et contra personæ aliqua conveniant, quæ naturæ ipsi per se minime tribuuntur. Etenim Appietas, vel Lentulitas[3], reipsa idem est cum Appii Lentulique persona. Et tamen Appietas ac Lentulitas videri oculis non potest; Appium ac Lentulum, nisi qui cæci sunt, intuentur omnes. Quinetiam in una eademque re notiones sunt plures, ob quas diversis in categoriis reponitur, atque adeo diversa obtinet κατηγορήματα, sive *prædicata;* ut in actione et passione constat, quas reipsa non differre invicem philosophi judicant. Sic figura re idem est cum quantitate, et tamen alio in genere categoriæ locum habet, quod est *qualitatis*. Quod si finitis ac creatis in rebus tanta vis est notionum diversarum, ut eadem de re aliter atque aliter considerata, diversa, et etiam contraria dicantur ; cur incredibile videbitur, in summa illa excellentique natura, quæ omnes in sese rerum omnium notiones perfectionesque continet, rationes a nobis cogitari varias, ex quibus prædicatorum varietas existat?

Persona et natura non reipsa sed cogitatione differunt.

VI. Quocirca frivola, et indocta est Crellii ista ratiocinatio, quam pene ad singula adhibet argumenta : Persona est ipsa natura, sive essentia subsistens; quare si de divina aliqua persona quippiam dicitur, aut ei tribuitur, id naturæ ipsi per se convenit. Ut si mittitur, aut carnem suscipit persona Filii, idipsum et in essentiam ac personas quadrat reliquas. Item illud : Actiones sunt hypostaseon, sive personarum, ac suppositorum; unde si quid agit humanum Christus, aut patitur, id est adscribendum divinæ Verbi hypostasi, ac naturæ. Nec non istud : Idem de eodem simpliciter affirmari negarique non posse. Hæc, inquam, et hujus generis reliqua, rudibus, et imperitis perplexa, et difficilia videri possunt; at usu doctrinarum istarum utcumque tritis nonnisi ludicra et obsoleta. Quibus uno verbo hic satisfactum volumus, ea, quam modo attigimus, exceptione; re idem esse personam et essentiam, ratione differre, secundum quam diversa de utraque dicuntur : Actionem esse naturæ subsistentis, non *suppositi* simpliciter, qua *suppositum* est, sed quatenus secundum naturam agit. Idem de eadem re diversa ratione dici negarive posse; siquidem ita καθ' ὅλου prædicatur, ut non ὁλικῶς, id est *de toto*, non *ex toto*, affirmetur, aut negetur. Quid tam rei cujusque proprium est, quam esse ipsum? aut quid toti magis competit, quam ut in rerum natura constet, et existat ? Atqui creatæ res omnes et esse dicuntur, quoniam exstant revera, et non esse, quia nihil sunt, si cum Deo conferantur, qui solus est. Licet igitur de una re negare idem, et asserere simpliciter, hoc est enuntiatione verborum simplici; sensu autem non simplici. In quo fucum facere solet Crellius. Veluti cum in argumento sexto decimo, ea loca commemorans, in quibus mandatum sibi aliquid a Patre Christus ait, subjicit, non posse nos ad naturarum discrimen receptum hic habere, eo «quod de Christo simpliciter, ac sine ulla limitatione dicuntur.»

1 Cap. v. — 2 *Tusc.* iv. — 3 Cic. lib. III epistol. fam. iii.

Hæc vero, et alia similia, quibus libri sui molem exaggeravit Crellius, contemnet facile, qui ista præ oculis habuerit, nec non illa, quæ superius exposita sunt. Nisi vero multum in eo laborandum est, quod de Christi precatione subjicit[1]; quæ quidem non divinitatis in illo fidem minuit, sed humanitatis adstruit; quam sic ille suscepit, ut ejus omnia propria transferret in se, nec alterius actionibus et affectionibus consortium alterius officeret. Igitur, « quatenus homo factus est, convenit ei petere et accipere a Patre ea, quæ, utpote natura Deus, habebat ipse [a] » ut ait Cyrillus[2]. Cujus rei causa jam supra est allata; quod in Patre, ceu principio, et origine, divinitatem ipsam humana Christi natura suspiceret, ac revereretur; ab eoque, tanquam egens, (nam *propter nos egenus factus est, cum esset dives* [3]) opem peteret, ac tam sua quam nostra causa, quidquid necesse erat, impetraret.

VII. Atenim, si modestiæ causa, ut aliqui dicunt, Christus ea, quibus indigebat, a Patre postulare maluit, quam a seipso petere; cujus tandem naturæ modestia ista fuit, quærit Crellius. Non enim divinæ esse potuit, quia Deus *nullius indiget* [4], nec ei modestia convenit. Sed nec humanæ; quia non modestiæ fuit, sed judicii tantum, Patrem sibi anteferre, si præstantior est; si non est, non magis erat modestiæ ad hunc, quam ad alterum parem et æqualem preces convertere. Stulta percontatio. Christus enim, qua homo, tum cæteras virtutes, tum moderationem habuit, cujus officium fuit, malle a Patre precario aliquid accipere, quam a seipso, quod secundum naturam alteram suppeditare sibi ipsi poterat, et sine ulla prece sumere.

Reverentia. Atque hæc demum illa est εὐλάβεια [5], propter quam a Patre exauditus esse dicitur apud Apostolum Christus; quem locum ex falsa Calvini, Bezæ et similium interpretatione perperam intellectum objicit Crellius. Nam isti εὐλάβειαν metum verterunt, ac sollicitudinem, et metuisse Christum asserunt, ne « malis obrutus succumberet, vel morte absorberetur [6], » ut Calvinus loquitur, et post eum Beza. Siquidem in illo cum extremis cruciatibus, ac morte conflictu, « Christi animum ita defixum fuisse volunt, in illam iræ infinitæ sustinendæ cogitationem, ut singulæ facultates per se nihil decernerent, (verba sunt Bezæ) sed toto interrupto progressu fluctuarent. « Et Calvinus [7] in *Harmonia*, de oratione illa, quam in horto fecit Christus Dominus. «Non fuit hæc, inquit, meditata Christi oratio; sed vis, et impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim adhibita fuit correctio. Eadem vehementia præsentem cœlestis decreti memoriam illa abstulit, ut non reputaret in ipso momento, se hac lege missum esse humani generis redemptorem; sicut gravis anxietas sæpe caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia. » Hæc sunt portenta nefandæ hæresis, christianorum omnium odio dignissimæ, quæ Christo Dei Filio animi titubationem et fluctuationem ac diffidentiam tribuit, « ne absorberetur a morte, hoc est, non ut a morte sit immunis, ut alibi Calvinus [8] ait, sed « ne absorbeatur ut peccator, » orasse Patrem; « tum maledictionem et iram Dei timuisse. «Imo vero *diros in anima cruciatus damnati, ac peridit hominis pertulisse* [9], hoc est ipsas inferorum pœnas adeo, ut inter ipsum, et damnatos reprobos unum illud interesset, « quod in illo temporarium fuit, quod in his est perpetuum, » ait idem Calvinus in *Catechismo;* quam vere satanicam doctrinam una cum eodem illo Catechismo amplectuntur Calviani nostrates hæretici in ea parte, cui Dominicam decimam adscribunt. Nec animadvertunt, quam tetrum et horrendum blasphemiæ genus ex illa consequens sit: nimirum Christum in illa fluctuatione ac dubitatione fidelem esse desiisse. Quandoquidem « vere fidelis non est, ut idem scribit Calvinus, nisi qui solida persuasione Deum sibi propitium, benevolumque Patrem esse persuasus, de ejus benignitate omnia sibi pollicetur; nisi qui divinæ erga se benevolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit [10]. » Quamobrem cum de Patris erga se benevolentia metuendo dubitaverit, imo vero prorsus alienum a se illum esse putaverit, eo intervallo, quo easdem plane cum damnatis pœnas perpessus est, necesse sit, Christum vere fidelem non fuisse, præsertim cum idem paulo post dicat, variationem illam, ac dubitationem, et conflictum inter metum ac fiduciam pendentis animi *ex fidei imperfectione contingere.* Hic vero exclamare libe

Calvinus diffidentiam in Christo ponit.

a Cyril. Πλὴν καὶ καθὸ γέγονεν ἄνθρωπος, ἁρμόζει αὐτῷ τὸ αἰτεῖν τε καὶ λαμϐάνειν παρὰ τοῦ πατρὸς, ἃ εἶχεν ὡς ύσει θεός.

1 Arg. xvii. — 2 Lib. VII *in Joan.* — 3 II *Cor.* viii, 9. — 4 II *Mach.* xiv, 35. — 5 *Hebr.* v, 7. — 6 In cap. v epist. *ad Hebr.* — 7 Vide et II *Instit.* c. xvi, § 11 et 12. — 8 Lib. II *Instit.* cap. xvi. — 9 *Exod.* cap. v, 10. — 10 Lib. III *Instit.* cap. ii, § 16.

cum quintæ synodi Patribus : « Propitius sis, Domine; nec dæmones ausi sunt talia contra te loqui[1]. »

VIII. Quocirca locum illum epistolæ *ad Hebræos* tum impie, tum imperite ab Calvinianis expositum, frustra nobis Crellius intentat. Neque enim εὐλάβεια metum illic horribilem infamemque significat, sed *reverentiam* ac *religiosum timorem*, et cautam ac circumspectam a malo declinationem. Multum autem differt εὐλάβεια, sive *cautio* ab *metu*, ut optime in *Tusculana* quarta Cicero distinxit : « Declinatio, inquit, a malis, si cum ratione fiet, cautio appelletur ; eaque intelligatur in solo esse sapiente : quæ autem sine ratione, et cum exanimatione humili, atque fracta, nominetur metus. Est igitur metus rationi adversa cautio. » Hic igitur ille timor, sive *timoris spiritus*, quem in Christo fuisse testis est propheta[2], proprie est εὐλάβεια, sive cautio religiosa, ex amore et observantia in Patrem exorta, qua, quidquid ei displicet, studiose et enixe declinabat, amplectebaturque contraria. Propter hanc, vel præ illa, et illius abundantia exaudiri a Patre meruit. Sic enim ἀπὸ τῆς εὐλαβείας dictum est, ut *Actorum* XII, 14 ἀπὸ τῆς χαρᾶς *præ gaudio*, necnon *Lucæ*, XXIV, 41, Ἔτι δὲ ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *Adhuc autem non credentibus illis præ gaudio*. Et apud eumdem capite XXII, 45, ἀπὸ τῆς λύπης, *præ tristitia*. Ita ergo Christus exaudiri meruit ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, *præ pietate*, *reverentia et observantia* in Patrem sua. Multa porro Christus a Patre petiit, et impetravit ; imprimis autem, quod Petrus *Actorum* tertio, com. 27 et 31 significat, *ne derelinqueretur anima sua in inferno*, neve corpus suum in sepulcro diu scilicet permaneret, sed ut statim excitaretur a mortuis. Hanc enim ad vitam instaurationem ac beatam resurrectionem Christus lacrymis, precibus, ac meritis, tum ut statim sibi repræsentaretur, tum ut nobis suo tempore communicaretur, obtinuit. Quod tantum abest, ut pudendum indignumque Christo homine ac Pontifice fuerit, ut in eo pontificatus ejus ac sacerdotii, hoc est interventionis, et, ut ita loquar, *mediationis* summa consistat.

Explicatur vox εὐλάβεια id est reverentia.

Ad summam credo, ne ipsos quidem, qui εὐλάβειαν οὐκ εὐλαβῶς illo in loco interpretantur, Calvinum, Bezam et alios negaturos, quin melius, quam ipsi, vocabuli istius, ac totius Græcæ constructionis sensum Græci interpretes intellexerint, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus Œcumenius, et Photius. At hi omnes εὐλάβειαν uno consensu pro *pietate* et *religiosa observantia* sumpserunt; metus illius, et consternationis horrificæ ne verbo quidem meminerunt. Photius quidem satis commode declarasse ita mihi videtur : Christum ait in diebus carnis suæ, id est antequam pateretur, cum valido clamore, et lacrymis a Patre suo postulasse, ut se a morte liberaret, hoc est, ut a se calix iste transiret ; mox tamen subjecisse alteram petitionem, ut voluntas potius paterna compleretur, et mortem atrocissimam ipse toleraret, quod summæ in Patrem pietatis et observantiæ fuit ; atque ab hac parte exauditum esse Christum. Hæc Photius. Erasmus porro εὐλάβειαν *reverentiam* vertit ; longeque abest ab illa Calvinianorum sententia. Sed nec ipse *Thesauri Græci* pater Stephanus obscure significat, sibi illam non probari, dum, præter morem, ejus mentionem facit nullam.

Pietatem non pie.

Iisdem ex principiis, quæ supra constituimus, tota illa moles argumentationis octavæ decimæ, quam operose ac verbose Ebionita[3] construit, diruitur, ac dissipatur. Opponit omnia illa loca, ubi dari Christo aliquid a Patre dicitur, partim universe, partim speciatim, ac distincte. Non est necesse persequi enucleareque singula. Uno ad omnia verbo respondemus, Scripturæ sententias illas partim ad divinitatem, partim ad humanam Christi naturam referendas esse. Quæ prioris generis sunt, datum hoc demonstrant, quod generando communicavit Pater. Ut cum Filio dedisse fertur « vitam habere in semetipso, hoc est, inquit Augustinus[4], genuit Filium esse incommutabilem vitam, quod est vita æterna. » Et alibi[5] : « Quid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit Filio Pater, sine quibus Filius esse non posset, sicut ei dedit, ut esset ; » quam sententiam refert ex Augustino Prosper[6]. Accedat et Hilarius, cujus in septimo libro præclara de eadem re verba sunt : « Et in eo, quod omne judicium datum est, et natura, et nativitas demonstratur : quia et omnia habere sola natura possit indifferens : neque nativitas aliquid possit habere, nisi datum sit. » Posteriori in genere censentur illa, quæ in humanam naturam Patris indulgentia derivavit. Quæ quidem ad eam regulam conformanda sunt, quam supra posui, ut in Patre, ceu principio tota comprehendatur divinitas. Nugæ sunt,

1 In S. Syn. Collat. VIII, edit. Rom. — 2 *Isa.* XI. — 3 Crell. arg. XVIII. — 4 Lib. I *de Trinit.* cap. XII. — 5 Tract. CXXVI *in Joan.* Vide et Tract. XLVII et XLIX. — 6 Sent. CCCLXXII.

quæ adversus discrimen illud naturarum molitur Crellius : Sequi illinc objicit, « eumdem simul æternum et non æternum fuisse : simul summum Deum, et non summum : eumdem essentia cum Patre, et non eumdem : ei æqualem, et non æqualem. » Sed hanc veterem et obsoletam næniam tot priscorum ac recentiorum theologorum stylo notatam, et explosam retractare piget. Breve est, quod illi reponimus. Nihil istorum videlicet esse consequens, si originis ac proprietatum personalium discrimen teneas. Summus, æternus et æqualis uterque est alteri. Sed hoc Pater ab nullo habet; Filius a Patre habet ex æterno. Hæc plenius suo loco declarata sunt.

X. Claritatem [1] porro, sive clarificationem postulat a Patre Filius; quod corporis humanæque naturæ gloriam significat, ut quæ contempta, et variis ærumnis, ac cruciatibus exercita fuerat hactenus, splendoris illius et honoris particeps fieret, quem ex omni æternitate idem Christus, ut Deus, apud Patrem habuerat, ac semper in sese retinuerat. Itaque voculæ itæ παρὰ σοί, *apud te*, opponuntur iis, ἐπὶ τῆς γῆς *super terram*, quæ sunt in superiore versu. *Ego te clarificavi super terram. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum.*

Sic illa verba Chrysostomus [2] explanavit : « De incarnatione loquitur, inquit, quoniam nondum glorificata erat natura carnis, neque immortalitate donata : neque throni regii particeps facta. Propterea non dixit *in terra*, sed *apud te*. » Præclare Chrysostomus quid illud significaret *apud te* declarat iis verbis. Cui et [a] Cyrillus Alexandrinus[3] accedit, qui de humanæ naturæ gloria et splendore locum illum intellexit. Nam revera apud Patrem glorificatus est homo Christus, quando post resurrectionem *exaltavit illum Deus* [4] Pater, et ad dexteram suam collocavit.

Jam locus ille ex *Actorum* secundo, in quo Jesus Dominus, et Christus factus esse dicitur supra a nobis explicatus est; neque video, quid ex illo præsidii capere possint Ebionitæ, cum eo tantum spectet, ut illum hominem, qui Jesus vocatus est, a Verbo assumptum, et Filium Dei, ac Deum, et Dominum esse factum asserat [5], ut Augustinus [6] loquitur.

Postremo Crellius, longa in elevandis variis christianorum responsionibus oratione consumpta, contra illam et verissimam, quæ ad hominem Christum pleraque illa testimonia refert, usitatis cavillationibus obstrepit, quas supra diluimus; quod de toto Christo ista dicantur; quod non minus negari de eo possent, quam affirmari, et id genus alia proferens; quæ, quam futilia sint, jam puto, idoneis lectoribus constare.

XI. Sic et argumentatio omnis illa, quam appendicis et corollarii loco capite XVIII subjicit, ex superiori nostra disputatione prorsus eliditur. Etenim « Christo divinitatem, seu deitatem a Patre dono datam esse, atque adeo eum Deum a Patre factum » confirmat ex illo loco *Actorum* secundi capitis. Quod et nos ultro cum Augustino concedimus, si Christus, qua est homo, consideretur. Quippe « naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita » tributa est, ait Augustinus [7]. « Veritas quippe ipsa, unigenitus Dei Filius non gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta unitate personæ, ut idem ipse etiam esset hominis Filius. » Quo perbrevis sententiæ fulmine luteæ omnes Crellii molitiones ictæ, ac solo æquatæ corruunt; dum, quod ille ad divinam Christi naturam pertinere vult, nos ad humanam cum Augustino, cæterisque Patribus e contrario referimus. Videsis Cyrillum Alexandrinum libro undecimo *in Joannem*.

Quo sensu data Christo divinitas.

XII. Eadem de naturis duabus præscriptio ad retundendas reliquas calumnias valere debet, in quibus [8] « idem versat saxum, sudans nitendo, neque proficit hilum[8]. » Præsertim ad argumentum tertium et vicesimum; in quod illa testimonia conjicit, quibus Pater appellatur Deus Christi, velut *Joannis*, XX, 17 necnon ad vicesimum quartum, quod illo Pauli [9] nititur, in quo *caput Christi Deus* vocatur. Nos adversus hæc tum illa superius exposita de duabus naturis, et earum integris distinctisque proprietatibus opponimus; tum, quæ iis consentaneæ sunt, paucas veterum Patrum sententias.

Quarum est illa Cyrilli Alexandrini memorabilis in commentario decimo *ad Joannem* : « Major est ergo Pater, tanquam adhuc servo, et in humanis constituto Filio. Nam et ipsum Deum suum nominat, humanæ id formæ tribuens. Si enim credimus eum exinanisse et

a CHRYS. Περὶ τῆς οἰκονομίας ὁ λόγος. ἐπεὶ οὔπω δεδόξαστο τῆς σαρκὸς ἡ φύσις, οὐδὲ ἀφθαρσίας ἀπολαύσασα, οὔτε τοῦ θρόνου κοινωνήσασα τοῦ βασιλικοῦ. διὰ τοῦτο οὐκ εἶπεν ἐπὶ τῆς γῆς, ἀλλὰ παρὰ σοί.

1 *Joan.* XVII, con. Crell. — 2 Hom. LXXX *in Joan.* — 3 Lib. II *in Joan.* cap. VI, Vide et Hilar. lib. III. — 4 *Phil.* II, 5. — 5 Crell. — 6 Lib. I *de Prædest.* cap. XV. — 7 Ench. cap. XXXVI. — 8 Cic. *Tusc.* — 9 I *Cor.* XI, 3.

humiliasse semetipsum, qui tandem non id constabit omnibus, illum ex quadam excellentia ad imminutionem descendisse sui? vel potius ab æqualitate cum Patre ad dissimilem statum[a]? » Ambrosius item in quinto *de Fide*, capite tertio : « Formam servi accipiens, inquit, eo utique Dominum vocat, quo servitutem suscepit, æqualis in Dei forma, servus in corporis. Servitus enim carnis, dominatus autem divinitatis est. Unde et Apostolus ait, *Deus Domini nostri Jesu Christi, pater gloriæ*[1]; hoc est Deum assumptionis humanæ asserens, Patrem autem gloriæ. » Mox *gloriam* interpretatur Christi deitatem, cujus Pater est Deus, uti Dominus assumptæ carnis : « Itaque ad proprietatem naturæ gloria refertur, dominatus ad suscepti corporis servitutem. »

Quo sensu Deus caput Christi.

XIII. In altero loco, qui *Deum Christi caput* esse dicit, adeo est imbecilla perfidiæ causa, ut iis concessis omnibus, quæ summa contentione conatur exprimere, nihilo, quod vult, magis efficiat Crellius. Hic quidem demonstrare studet, Christum ibi spectari, uti Deus est, divinaque persona, non ut est homo, ut eo ipso Pater inferior habeatur, quo ei velut capiti subjectus est. Atqui ex catholicorum interpretum, maximeque Patrum opinione varia de Christo utriusvis naturæ ratione potest intelligi. Chrysostomus[2] ad humanam pertinere vult : « Quod cum humile aliquid dicitur de Christo, qui carne præditus est, non hoc ad divinitatis abjectionem trahendum sit quod dicitur, sed incarnationi conveniat[b]. » Nihilominus si de divina capiamus, nihil hoc Christi hostes juvare; imo contrarium potius suadere, ipsum Patri esse consubstantialem. « Nam si caput est mulieris vir, caput vero ejusdem est cum corpore substantiæ; quoniam caput Christi Deus est, erit Patri consubstantialis Filius[c]. » Neque vero debere illos nimium in hoc instare, quod, ut caput mulieris est vir, ita caput Christi Pater dicitur; primum quia vel ex eo consequens est, itidem consubstantialem esse Patri Filium et æqualem, ut est viro consubstantialis et æqualis natura mulier, tametsi nonnulla sit in Patre ratio peculiaris, ob quam Christi caput dicitur, nempe κατὰ τὸ αἴτιον, quia *principium* est Filii, uti mulieris vir. Sic præclare est utrobique comparationis ac similitudinis ratio et analogia, quam solam respexit Apostolus, ut subjectam viro esse mulierem oportere monstraret, eo ipso, quod a viro ortum accepit, sicut vir a Christo, id est Verbo Dei, per quod omnia facta sunt; Verbum autem a Patre, tanquam principio, productum est. Nec est necesse, productionis et principii parem et eamdem in ambobus esse conditionem; Neque enim similitudines usquequaque respondent; tum nihil aliud in ea comparatione spectavit Paulus, nisi originem unius ab altero. Quod si contentiosi esse pergant Photiniani, et omnia debere ad amussim quadrare dicant, illud absurdum et impium in seipsos arcessent, ut pari intervallo fateantur, virum superiorem esse femina, quo viro antecellit Christus, et Christo, quem merum hominem faciunt, summus ille Deus. Hoc autem non solum impium est, ut dixi, sed etiam secum pugnat. Nam et alioqui natura, sive substantia par indidem ostendetur esse homini Deus, ut est vir mulieri. Hæc fere apud Chrysostomum, nec non apud Œcumenium, qui pulcherrime hunc locum enarrat. Theodoretus quoque, ac Theophylactus perinde, ut illi, ad utramque naturam posse accommodari Pauli verba sentiunt. Nobiscum facit et Ambrosii commentarius, atque illa, quæ dixi, omnia confirmat; et in fine, « Una ergo dictio (inquit, de voce *capitis* loquens) diversam habet intelligentiam; quia et personæ discrepant et substantiæ. »

Fallitur itaque Crellius, idque dupliciter, quod et « Dei summi nullum aliud esse caput asserit, et caput alicujus esse idem putat, atque in eum imperium aliquod, aut potestatem habere. » Nos utrumque constanter negamus, sed hoc imprimis. Nam prius non eo sensu, quo vult ille, verum est, sed quo sancti Patres, et catholici theologi fatentur; qui *summi* vel *capitis*, vel auctoris vocabulum, non ad naturæ prærogativam, sed ad prin-

a Cyril. Μείζων οὖν ὁ πατὴρ ὡς ἔτι δούλου, καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς ὄντος τοῦ υἱοῦ. ἐπεὶ καὶ θεὸν ἑαυτοῦ φησὶν αὐτὸν, καὶ τοῦτο τῷ ἀνθρωπίνῳ προσνέμων σχήματι. εἰ γὰρ πιστεύομεν ὅτι κεκένωκέ τε καὶ τεταπείνωκεν ἑαυτὸν, πῶς οὐχ ἅπασιν ἔσται καταφανὲς, ὅτι καταβέβηκεν ἐξ ὑπεροχῆς τινος εἰς ἐλάττωσιν, μᾶλλον δὲ ἐξ ἰσότητος τῆς πρὸς τὸν πατέρα πρὸς τὸ μὴ οὕτως ἔχον;

b Chrysost. Τί οὖν πρὸς τοῦτο εἴποιμεν ἄν; ὅτι μάλιστα μὲν, ὅταν τι ταπεινὸν λέγηται μετὰ τῆς σαρκὸς ὄντος αὐτοῦ, οὐκ εὐτέλεια τῆς θεότητός ἐστι τὸ λεγόμενον, τῆς οἰκονομίας δεχομένης τὸ λεχθέν.

c Chrysost. Εἰ γὰρ κεφαλὴ γυναικὸς ὁ ἀνὴρ, ὁμοούσιος δὲ ἡ κεφαλὴ τῷ σώματι, κεφαλὴ δὲ τοῦ Χριστοῦ ὁ θεὸς, ὁμοούσιος ὁ υἱὸς τῷ πατρί.

1 *Eph.* I, 17 — 2 Hom. XXVI in 1 *ad Cor.*; et Cyrillus, lib. XII *in Joan.*

cipii et originis proprietatem referri patiuntur. Etenim, ut bene Ruffinus [1] ait, « cum sit gloria, sempiternitate, virtute, regno, potestate hoc, quod Pater est, omnia tamen hæc non sine auctore, sicut Pater, Deus ex Patre, tanquam Filius, sine initio, et æqualis habet: et cum ipse sit omnium caput, ipsius tamen caput est Pater. » Agit de hoc Apostoli loco pluribus Ambrosius libro quarto *de Fide*, capite secundo.

CAPUT V.

Explicantur varia Scripturæ testimonia, quibus Ebionita Crellius abusus est. De regno ab Christo tradendo Patri; quod nihilominus ipse retinebit. De mediatoris et sacerdotis officio, quod Christo secundum humanam convenit naturam. Operationes Trinitatis externæ prorsus eædem, contra Bisterfeldium Crellii oppugnatorem docetur. Christum suapte vi excitatum a mortuis. Qua ratione Patris imago sit; idque summæ ejus divinitati non obsistere. Bisterfeldii ejusdem hæresis, et inscitia, Patrem solum invisibilem facientis.

I. Verba sunt scribentis *ad Corinthios* Pauli[2]: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem*, etc. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Ex iis duplici confecto argumento catholicam causam oppugnat Crellius [3]. Primum, quod Christus regnum traditurus esse Patri suo dicatur, ac proinde depositurus illud; quemadmodum dux a rege aliquo cum exercitu, et imperio missus, parta victoria, confectoque bello, potestate et imperio se abdicans, id restituit principi. Alterum, « quod Deus summus nemini potest subjici. Ac ipse Dei Filius subjicietur aliquando ei, qui sibi subjecerat omnia, nempe Patri. Quare Dei Filius summus Deus esse non potest. »

Quid sit regnum Christi, et quomodo Patri tradendum.

Atqui nihil in tam futili argumentatione cunctandum est catholico. Nam prior hoc sumit, quod neque nos concedimus, et vero dictu est nefarium. Quis illum docuit, aut quæ ratio persuasit, hic habendum esse Christum, uti est a rege creatus quispiam, et ad certum tempus constitutus imperator? Certe hoc sacrilegum commentum Gabriel angelus exclusit, cum beatam Virginem adiens, sic eam affatus est: *Et dabit illi Dominus sedem David Patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum; et regni ejus non erit finis*[4]. Hoc autem regnum idem est cum eo, de quo Paulus loquitur, estque totius Ecclesiæ regnum; cui post victoriam de hostibus triumphanti, uti nunc decertanti, perpetuo Christus præerit. Hic igitur, qua homo, sed ut idem interim cogitetur Deus, paulatim sibi subjicit omnia; quod necdum esse factum alibi [5] testatur Apostolus. Id cum factum erit, evolutis mortalis vitæ curriculis, tum demum collectum ex electis omnibus regnum, ac nulla sui parte defectum sistet Patri Deo Christus, et offeret; non ut velut in ordinem coactus regnare desinat, sed ut communiter cum eo imperet jam integræ ac perfectæ multitudini sanctorum. « Regnat itaque Dominus, ait Hilarius in *Psalmum* CXLIX, non regni potestate cariturus, sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo Patri traditurus in regnum. Regni traditio, nostra provectio est, ut qui in regno Filii erimus, in regno quoque simus et Patris. » Vide Cyrillum Alexandrinum libro II *in Joannem*, cap. VIII. Nec ab eo illud abhorret, quod Hieronymus in commentario ad *Esaiæ* caput LXII, 3 adnotat, eaque verba, « *Et eris corona gloriæ in manu Domini*, et *diadema regni in manu Dei;* quando, inquit, eam coronaverit turba credentium, et diadema imperii, quod martyres gemmarum suarum varietate distinxerint, fuerit in manu Dei, ut Filium suum eorum coronet victoriis. Unde et apostolus Paulus loquebatur ad sanctos, *Gaudium, et corona mea.* » Igitur post occasum rerum, congregata multitudine sanctorum electorumque Dei, hoc regnum offert Patri suo Christus, et ille vicissim huic idem regnum ac coronam tradet; quod nondum fit, quia necdum regnum illud, et illa corona suis est completa partibus.

II. Neque vero, quod subjiciendus esse tum Patri dicitur, servilis et obnoxia velut domino, Christi Dei cogitanda subjectio est; quod in altero sophismate Crellius obtrudit. Imo ne ut homo quidem est, tum illum esse subjiciendum Paulus asserit, si veteribus auscultamus; qui id in Christi personam transferri dicunt ab Apostolo, quod ejus est corporis, ex prima Tychonii Donatistæ regula,

Quo sensu Christus subjiciendus Patri.

1 Ruf. *in Symb.* — 2 I *Cor.* XV, 24. — 3 Crell. arg. XXVI. — 4 *Luc.* I, 32. — 5 *Hebr.* II, 8.

secundum quam « aliquando capitis, et corporis, id est Christi et Ecclesiæ, unam personam nobis intimari » assentitur Augustinus[1]. Sed Ambrosium [2] egregie Apostoli locum illum explicantem audiamus. Qui cum subjectionem illam, qua nondum ei submissa esse omnia dicit Apostolus, tum futuram docuisset, cum, ut *ad Philippenses* scribit, *In nomine Jesu omne genu flectetur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* statim illud adjicit, « Ergo jam subjectus est Christus, quia plurimi crediderunt? Minime, quia non in paucis est Christi subjectio, sed in omnibus. Sicut enim, si in me concupiscat adhuc caro adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, non videor esse subjectus, etsi ex parte sim subditus; ita quia omnis Ecclesia unum corpus est Christi, quandiu genus dissentit humanum, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc membra subjecta. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc et ipse subjectus erit, ut per ipsius subjectionem sit Deus omnia in omnibus. » Igitur Christo, ut homo est, una cum toto electorum corpore, adeoque cum tota rerum universitate perfecte subjicietur Deo. « Quomodo enim subjectus in nobis, pergit Ambrosius, nisi eo modo, quo minor angelis factus est, in corporis scilicet sacramento? » Ac deinde: « Sicut igitur non propter se, sed pro nobis peccatum atque maledictum factus est; ita non pro se, sed pro nobis erit subjectus in nobis, non in natura subjectus æterna, neque in natura maledictus æterna. »

Eximius Ambrosii locus.

Demum ista præclare. « Sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus nostræ salutis, sedere nos in cœlestibus Apostolus [4] dixit, utique non sedentes, sic et ille per nostræ assumptionem naturæ dicitur subjectus in nobis, etc. Sicut nos ergo in illo sedemus per corporeæ communionem naturæ, ita et ille, qui per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est, cum maledictum utique in benedictum Filium Dei non cadit, ita, inquam, et ille per obedientiam omnium erit subjectus in nobis, cum gentilis crediderit, cum Judæus agnoverit, quem crucifixit, cum Manichæus adoraverit, quem in carne venisse non credidit, cum Arianus omnipotentem confessus fuerit, quem negavit, cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, charitas, resurrectio. » Nihil hac Ambrosii disputatione præstantius, neque ad Photinianorum comprimendam temeritatem validius afferre possum. Qui etiam commode illud observat, quemadmodum in illo epistolæ *ad Corinthios* loco, *Deus omnia in omnibus fore* dicitur, ita capite tertio epistolæ *ad Colossenses* [5], *omnia et in omnibus* dici esse Christum. De qua capitis cum corpore ac membris arctissima conjunctione plenius agit in capite duodecimo prioris *ad Corinthios*. Cum Ambrosio consentit et Gregorius Nazianzenus oratione secunda *de Filio*, aitque, subjectionem in se transtulisse Filium, sicut maledictum et peccatum, quæ revera divinitatem ipsius non attigerunt. « Quandiu ergo non sum subjectus, sed adhuc seditiosus ac rebellis tum negando Deum, tum animi mei perturbationibus; nondum, quod ad me spectat, subjectus est et ipse Christus[a]. »

Denique memorabilis est et ista Maximi martyris sententia: « Quandoquidem idem ipse totus erat Deus cum humanitate, et totus homo cum deitate, ipse, tanquam homo, in seipso, et per seipsum humanam naturam subjecit Deo, et Patri, formam semetipsum nobis, et exemplar offerens ad imitandum; ut et nos in ipsum, velut auctorem nostræ salutis, intuentes, quod in nobis situm est, sponte ad Deum accedamus, eo ipso, quod nihil velimus amplius, præterquam quod ipse velit[b]. » De hoc Apostoli loco uberrime disputat Augustinus libro *Octoginta trium quæstionum*, quæstione LXIX. Vide et Hieronymum epistola CXLVII.

III. De mediatoris et sacerdotis partibus deinceps agit Crellius, ex iisque XXVII et XXVIII informat argumentum, quibus non esse verum summumque Deum approbat Christum, eo quod tam mediator, quam sacerdos inter

a NAZIANZ. Ἕως μὲν οὖν ἀνυπότακτος ἐγὼ, καὶ στασιώδης, τῇ τε ἀρνήσει τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῖς πάθεσιν, ἀνυπότακτος τὸ κατ' ἐμὲ καὶ ὁ Χριστός.

b MAXIM. Mart. *Disp cum Pyrrho*, apud Bar. Ἐπειδὴ ὁ αὐτὸς ὅλος ἦν Θεὸς μετὰ τῆς ἀνθρωπότητος, καὶ ὅλος ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος μετὰ τῆς θεότητος, αὐτὸς, ὡς ἄνθρωπος, ἐν ἑαυτῷ, καὶ δ' ἑαυτοῦ, τὸ ἀνθρώπινον ὑπέταξε τῷ Θεῷ, καὶ πατρὶ, τύπον ἡμῖν ἑαυτὸν ἄριστον, καὶ ὑπόγραμμον διδοὺς πρὸς μίμησιν, ἵνα καὶ ἡμεῖς πρὸς αὐτὸν ὡς ἀρχηγὸν τῆς ἡμῶν ἀφορῶντες σωτηρίας, τὸ ἡμέτερον ἑκουσίως προσχωρήσωμεν τῷ Θεῷ, ἐκ τοῦ μηκέτι θέλειν παρ' ὃ αὐτὸς θέλει.

1 Aug. lib. III *de Doct. Christ.*, cap. III. — 2 Amb. lib. V *de Fide*, cap. VII. — 3 *Phil.* II. — 4 *Eph.* II. — 5 *Col.*, III 11.

summum Deum, et homines intercedere debet. Sed de mediatoris interventorisque persona et functione satis dictum arbitror supra, ubi mediatorem Christum secundum humanam conditionem esse demonstravimus, sed ita, ut eadem illa cum divina in unam personam intelligatur esse conjuncta. Nam duo sunt in eo munere consideranda : alterum est functio ipsa, sive actio interveniendi, sive τῆς μεσιτείας : alterum fons et origo meriti, sive efficacitatis. Prius est humanæ naturæ proprium, ut ex Cyrillo supra declaratum est. Etenim mediatoris officium interpellatione, ac morte, et per mortem reconciliatione continetur ; neutrum autem cadit in divinam naturam. Posterius vero in divina situm est, quæ infinitam vim in humanæ proprias actiones effudit. Ex quo illud apparet, Crellium naturarum distinctionem, qua utuntur catholici, falsa exceptione rejecisse ; cujus firmamenta sæpius evertimus. Sed neque Crellii confutator Bisterfeldius exceptioni illi cedere debuit, aut asseverare, « Christum secundum utramque naturam esse mediatorem. » Nisi, ita ut nos, mediatorem aliter secundum statum, aliter secundum functionem vel exercitionem intelligat. Nam status mediatoris utraque natura constat, functio ipsa solius est humanæ substantiæ.

Mediationis.

Illud vero Bisterfeldii non falsum tantum, sed etiam christiano dogmati contrarium est ; « Quamvis intellectus, voluntas aliæque divinæ proprietates in omnibus personis sint eædem, operationes tamen ipsarum esse diversas, quia, ut modo subsistendi, ita et modo agendi differunt, nec operationes ad extra ratione modi easdem esse. » At his nemo, nisi Arianus, aut Tritheita suffragabitur ; ut suo loco pluribus ostendam.

IV. Redeo ad mediatoris officium, quod humanæ esse naturæ exequi, ex ejusdem pontificatu, sive sacerdotio liquet, secundum quod « Christus Jesus catholicus Patris sacerdos » a Tertulliano[1] vocatur. Cujus quidem sacerdotii dignitas et administratio humanæ in Christo naturæ proprie convenit, ut Paulus in epistola *ad Hebræos*[2] indicat; ubi *omnem pontificem ex hominibus assumi* ait, *et pro hominibus constitui in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Tum *Christus*, inquit, *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret.* Item, *Appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech ;* et, *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesquè ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Quæ omnia, ut et alia plurima, quæ ibidem attigit, homini Christo congruunt. Atque hoc luculenter explicat Athanasius oratione tertia, ubi præcipua mediatoris officia recenset, quæ assumpto homini tribuit. « Quandonam igitur missus est, ait, nisi quando nostram induit carnem ? quandonam vero pontifex confessionis nostræ fuit, nisi quando, posteaquam seipsum pro nobis obtulit, corpus a mortuis excitavit? Et nunc ipse accedentes ad fidem suam addicit, et offert Patri, redimens omnes, et pro omnibus propitians apud Patrem. Igitur non substantiam Verbi, neque naturalem ejus ex patre nativitatem significare volens Apostolus, dixit : *Qui fidelis est ei, qui se fecit :* absit. Nam Verbum est, quod facit, non quod fit ; sed illius ad homines descensionem pontificatumque factum [a]. »

Diluitur objectio petita e munere mediatoris ac Pontificis

V. Atenim non minus Filii, quam Patris sacerdos aliquis debet esse, si summus ille Deus est (hoc enim ipso urget maxime Crellius). Neque tamen Christus sui sacerdos dictus est ; ex quo concludi putat, non esse Christum verum ac summum Deum. Verum nihil in hoc argumento negotii est. Si enim in mediatore ac pontifice solam satisfaciendi ac reconciliandi functionem consideres ; ea non Patrem solum respicit, sed personas tres, quæ hominum ex æquo injuria provocatæ offensæque sunt. Sin illud præterea spectes, quod mediator, ac sacerdos ille missus est, et ad eum σχέσει, et *habitudine* quadam refertur, a quo est missus ; apud solum Patrem mediator est et sacerdos, quoniam ab illo est solo missus, ut ex missionis natura, cum ea declarabitur, intelligemus. Quare cum Scripturæ mediatorem et pontificem Christum nonnisi hac posteriori ratione describant, qua ab auctore principioque missus est suo ; non est mirandum, neque inter se, qua Deus est, ne-

a Athan. Πότε οὖν ἀπεστάλη, ἢ ὁπηνίκα τὴν ἡμετέραν ἐνεδύσατο σάρκα; πότε δὲ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν γέγονεν; ἢ ὅτε προσενέγκας ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν τὸ σῶμα; καὶ νῦν αὐτὸς τοὺς προσερχομένους αὐτοῦ τῇ πίστει προσάγει, καὶ προσφέρει τῷ πατρὶ, λυτρούμενος πάντας, καὶ ὑπὲρ πάντων ἱλασκόμενος τὰ πρὸς τὸν θεόν. οὐ τὴν οὐσίαν ἄρα τοῦ λόγου, οὐδὲ τὴν ἐκ πατρὸς αὐτοῦ φύσει γέννησιν σημᾶναι θέλων ὁ Ἀπόστολος, εἴρηκε, πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτόν· μὴ γένοιτο. ποιῶν γάρ ἐστιν ὁ λόγος, οὐ ποιούμενος αὐτός· ἀλλὰ τὴν εἰς ἀνθρώπους αὐτοῦ κάθοδον, καὶ ἀρχιερωσύνην γενομένην, etc.

1 Lib. IV *contra Marc.*, cap. IX. — 2 *Hebr.* V, 1.

que inter Spiritum sanctum et homines, mediatorem legi in iis vel pontificem Jesum Christum, Deum et hominem. Sed Augustinum[1] respondentem sibi, et calumniæ occurrentem suæ potius, quam me, Photinianus audiat Crellius. « Ipse Christus, cum sit Deus, inquit, cum sit cum Patre unus Deus, cum sit Verbum Patris, unigenitus, æqualis Patri et coæternus : tamen in quantum homo esse dignatus est, maluit sacerdos dici, quam sibi exigere sacerdotem. Maluit sacrificium esse, quam poscere, in quantum homo est. Nam in quantum Deus est, totum, quod Patri debetur, et unigenito Filio debetur. » Augustinus item ex *Apocalypsi* probat Christi esse sacerdotes, ubi ita scriptum est: *Sed erunt sacerdotes Dei, et Christi*[2]. Verba Augustini: « Sane, licet breviter, atque transeunter, insinuavit Deum esse Christum, dicendo sacerdotes Dei, et Christi, hoc est Patris, et Filii : quamvis propter formam servi, sicut Filius hominis, ita etiam sacerdos Christus effectus sit in æternum, secundum ordinem Melchisedech[3]. »

Christus suam humanam naturam impense nobis commendare studuit.

VI. Undetricesimum Crellii argumentum responsione nova non eget. Nan in idem recurrit, quod ab illo toties repetitum, plus semel a nobis refutatum est, ex naturæ in Christo duplicis discrimine ; quarum alteram, quæ est imbecilla et inferior, commendare fidei nostræ impense studuit, ac secundum eam multa dixit egitque, quibus tanto altius gloriam honoremque Patris eveheret ; quod illius imitatione Apostoli deinceps instituerunt, ut complura, quæ Filio cum Patre communia sunt, ad solum referant Patrem, non exclusis, sed tacitis tantummodo personis cæteris. Quod adversus Arianos Photinianosque, vel Ebionitas antichristos tam sæpe ab antiquis Patribus inculcatum, explicatumque legat in illorum scriptis Ebionita Crellius, et nugari desinat. Quid enim aliud, quam nugas agere est, id pro invicto argumento contra Christi divinitatem objicere, quod in Scripturis a Patre resuscitatus esse dicitur? Quasi non et a seipso legerit excitatum esse Christum ; aut non expresse id de se ille apud Judæos professus fuerit. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*[4]. Quod *de templo corporis sui* ab eo dictum, mox Evangelista testatur. Et alibi[5]. *Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam;* ut alia loca prætercam, in quibus omnis, quæ velit, agendi, ac nominatim, quos velit, suscitandi potestas Christo, ac Dei Filio tribuitur ; tum ubi vitam, et vitæ datorem esse significat. Augustinus enarratione *in Psalmum* LVI : « Jam homo ipse, jam caro ipsa, jam Filius Dei secundum nostram participationem manifestum est, quia salvatus est, et misit de cœlo Pater, et salvavit eum, et misit de cœlo, et resuscitavit eum. Sed ut noveritis, quia et ipse Deus est, et ipse se resuscitavit ; utrumque positum est in Scriptura, quia et Pater illum resuscitavit, et quia ipse se resuscitavit. » Et tractatu XLVII *in Joannem:* « Sed amat, inquit, dare gloriam Patri, ut nos ædificet gloriam dare creatori. » Tum iisdem fere Scripturæ testimoniis utroque in loco Christum a seipso probat a mortuis excitatum. Cyrillus Alexandrinus libro XII *in Joannem*, idcirco Christum Patri illud attribuere censet, ut ostenderet, non humana se vi, sed divina, et a Patre communicata, mortis se nexibus exsolvisse, Nec eo minoris ad catholicam probandam fidem momenti illa sunt, quod ea utcumque attigit explicavitque Crellius. Quis enim Scripturæ locus est tam disertus expressusque, cui non qualiscumque interpretationis ludificatio possit apponi ? Hinc igitur potissimum æstimanda christiani dogmatis argumentorumque, quibus hoc asseveratur, auctoritas est ac pondus, quod Christum *verum Dei Filium* ac *verum Deum* Scripturæ nobis esse demonstrant. Nihil autem, quod Dei proprium est, a vero Deo esse potest alienum ; cujusmodi imprimis est omnipotentia, qua corpus suum ad vitam idem ille Deus et homo suscitavit. Quam ad regulam reliquæ omnes Scripturæ sententiæ, quæ ambiguæ videntur, et in utramque trahi partem disputando solent, accommodandæ sunt.

Christus suapte vi excitatus a mortuis.

Diluitur obj. ex eo quod Christus sit imago Dei.

VII. Tricesimum Crellius argumentum inde ducit, quod « Christus *imago Dei invisibilis* dicitur[6], et *character substantiæ patris*[7]. » Atqui « imago nulla ejusdem numero est essentiæ cum eo, cujus est imago ; alioqui sui ipsius imago foret. » Deinde « si Christus invisibilis Dei imago est, ipsum invisibilem non esse, ac porro nec Deum illum summum esse oportet. » De imaginis natura, et quatenus imago Patris est Filius, suis locis uberius explicabitur. Nunc ut hominem paucis absolvam, aio futilem et nullius ingenii utramque esse collectionem. Nam prior eo ad probandum utitur, de quo inter nos controversia est. Quis

1 Serm. CII. *de Diver.* cap. IX. — 2 *Apoc.*, XX, 6. — 3 Aug. XX *de Civit.*, cap. X. — 4 *Joan.* II, 19. — 5 *Joan.* X, 18. — 6 *Col.* I, 15. — 7 *Hebr.* I.

autem veterum Patrum contra Arianos disputans non hoc animadvertit, eam esse perfectæ conditionem imaginis, ut natura et essentia constet eadem cum archetypo, etsi hypostasi personaque distet? Hoc enim satis est, numero et persona differre imaginem ab eo, cujus est imago; essentia differre nihil est opus; imo fieri istud in Deo nequit, ut *naturalis et substantiva Dei imago*, hoc est φυσικὴ et οὐσιώδης, ut eam vocat Cyrillus Alexandrinus [1], aliud sit substantia et natura, quam Deus. Quippe quæ ejusmodi est imago, generatione proprie dicta, veraque producta sit oportet, ut ea verus existat Filius. Vere autem a Deo gigni verus non potest Filius, qui non Deus sit; Deus autem verus non est, qui iis careat, quæ Dei propria sunt. At nulla res tam propria cujusquam est, quam natura ipsius et essentia. Latius hæc a nostris deduci solent, qui contra Arianos disserunt, ut ab Cyrillo Alexandrino, præsertim libro nono *in Joannem*, ac cæteris, quos alibi producam. Nunc Tertulliani, qui aliquot sæculis Nicænum concilium, et omnem illam Arianorum Photinianorumque colluviem antecessit, utar testimonio, quod adversus Crellium nominatim dictum existimes. « Puta nunc, inquit, similitudinem substantiæ dictam, non ideo negabitur substantiæ veritas[2]. » Hoc ille contra Marcionem scribit, qui ideo Christum vera præditum carne fuisse negabat, quod ab Apostolo missus Dei Filius dicitur *in similitudinem carnis peccati*. Ergo tantum abest, ut imaginis ac similitudinis ratio veritati quidquam detrahat, ut eam potius affirmet.

VIII. Idem[3] rursus de loco illo *ad Philippenses*, agit contra eosdem hæreticos: *Qui cum in forma Dei esset*, etc. *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*[4]; quem locum Marcionitæ suffragari sibi putabant, « quod phantasma carnis fuerit in Christo, cum dicit, quod in effigie Dei constitutus non rapinam existimavit pariari Deo, sed exhausit semetipsum accepta effigie servi, non veritate, et in similitudine hominis, non in homine, et figura inventus homo, non substantia, id est non carne; » quæ est ipsa Crellii et Arianorum contra catholicos argumentatio; hanc ille vero dissolvens, « quasi, inquit, non et figura, et similitudo, et effigies substantiæ quoque accedant. Bene autem, quod et alibi Christum imaginem Dei invisibilis appellat. Numquid ergo et hic, qua in effigie eum Dei collocat? Æque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus. Utrobique enim veritas necesse habebit excludi, si effigies et similitudo et figura phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie et imagine, qua Filius Patris vere Dei prædicatus est, etiam in effigie et imagine hominis, qua Filius hominis, vere hominem inventum; nam et inventum ratione posuit, id est certissime hominem. »

IX. Hic sunt contra Photinianas argutias observanda duo: Alterum neque imaginem ac similitudinem veritati naturæ utriusvis adversari, imo eam potius approbare; quod de perfecta imagine intelligi debet perfectaque similitudine, cujusmodi in omni generatione creatarum rerum secundum speciem existit in Deo, propter divinæ naturæ singularitatem, etiam secundum eamdem numero et individuam substantiam. Alterum est ipsa ratiocinandi vis et forma, qua Photinianus Crellius concluditur. Ut enim non idcirco verus homo non est Christus, quia in similitudinem hominis factus dicitur; sed naturam naturalesque proprietates easdem prorsus habet, quas homines cæteri, etsi personales ab iis diversas proprietates obtinet; ita, quod et imago Dei et Dei similis ab eodem dicitur apostolo, non id efficit, ut non Deus et ipse sit verus ac summus, sed hoc potius, ut et naturæ sit ejusdem, essentiæque cum Patre, cujus est imago genita, et sola ab eo personæ proprietate distet. Quæ tam antiqui scriptoris ratio, cum cæterorum omnium Patrem judicio et auctoritate consentiens, magnum catholicæ veritati pondus affert. Adde et Origenis locum alium de eadem imagine, qui est in sexto *contra Celsum*. Quo in loco etiam alteri occurrit argumento Crellii, Christum ipsum invisibilem minime esse contendentis, quia imago invisibilis Dei vocatur ab Apostolo. Hoc cum idem cogitasset objecissetque Celsus Epicureus, Origenes ex adverso pugnat, Filium eodem sensu invisibilem esse, quo invisibilis a Paulo dictus est Pater, quatenus est Verbum. Porro quoniam invisibile Verbum videndum se in carne præbuit; ideo Christus imago Patris invisibilis, invisibilis et ipse secundum eamdem cum illo substantiam, secundum humanam visibilis a Paulo prædicatus est.

In quo Bisterfeldii, qui adversus Crellium

1 Lib. IX *in Joan.* — 2 Lib. V *contra Marc.*, cap. XIV. — 3 Cap. XX. — 4 *Phil.* II, 6.

Bisterfeldii impietas solum Patrem invisibilem facientis.

novissime librum edidit, plena vox impietatis inscitiæque notanda est; qui sic non dubitavit scribere : « Nam Deus Pater, non tantum nobis hominibus, sed etiam angelis sua natura est invisibilis. Ostendamus igitur, Christum etiam in Veteri Testamento, qua Deus est, fuisse visibilem Patris imaginem. » Quæ verba non solum Arianæ veneno perfidiæ tincta sunt, ut quæ dissimilem in Christo naturam, et ab ea, quæ est in Patre, diversam constituant; sed a theologiæ philosophiæque, cujus se ille professorem inscribit, principiis abhorrent. Nam qui natura Deus est, qua est Deus, aspectabilis esse non potest. Imo non solum Deus, sed etiam spiritus quilibet natura est invisibilis. Cæterum ne illud quidem Bisterfeldii ejusdem probo, quod Filium asserit, ab Apostolo non vocari *characterem essentiæ*, sed *hypostasis*, id est *subsistentiæ ipsius;* quasi non ὑπόστασις ibi naturam et substantiam, id est οὐσίαν, significet; aut Filius non sit Patri substantia similis, aut denique subsistendi modo ejusdem similis sit. Hoc enim si esset, tum et ipse demum Pater esset; siquidem paternitatis similis non est Filii proprietas, sed paternitas. Sed ea res uberius alio loco pertractabitur.

CAPUT VI.

Diluuntur argumenta, quibus Crellius Christum adstruit non esse Deum. Quibus ex Scripturæ locis divinitas ejus approbetur. Lucæ locus ex capite primo ab Crellii falsa expositione vindicatur et illustratur. Quæ sit virtus Altissimi. De illis Christi verbis, Ego et Pater unum sumus : *tum de illo loco Psalmi* II, 7: Ego hodie genui te. *Aliæ Crellii blasphemiæ diluuntur. Quomodo Christus Spiritum sanctum accepit, et cujusmodi sanctitatem accepit. De tentatione Christi, et Crellii super hac re inscitia. De voce* primogeniti τίκτειν *sæpe est* gignere. *Joannes Piscator redarguitur. Christus æqualis Patri, et quomodo.*

I. Transit ad illa deinceps argumenta Crellius, quibus, sine ulla cum Patre comparatione, Christum probari putat absolute non esse summum Deum. E quibus, quod in fronte collocat, vulgare tritumque est usu Arianorum veterum, et perfacile dissolvitur.

Sic enim instat : « Si Jesus Deus ille summus esset non alia ratione esset, quam quia Dei Filius est. Atqui Jesus ea ratione Deus summus non est, quia Dei Filius est. Quare nec simpliciter Deus ille summus est. » Non esse porro Jesum Deum summum, quia Dei Filius est, ostendit primo, « quod cum aliquot causæ in sacris Litteris exprimantur, ob quas Jesus Dei Filius sit, nulla earum sit talis, ut eum Deum illum summum constituat; utpote quæ omnes Jesu Christo homini, seu, ut cum adversariis loquamur, Christo secundum humanam naturam conveniant ; » quod singillatim, aliquot allatis deinde testimoniis, probat, in quibus contineri causa videtur, cur sit Dei Filius.

Quibus Scripturæ locis Christi divinitas approbetur.

Antequam de istis Scripturæ testimoniis disputo, animadvertenda primum est hominis versutia, qui dissimulatis iis locis, quibus vera Christi secundum divinam a Patre generatio, ac proinde divinitas continetur, ea sola commemoravit, in quibus de Christo, ut homo est, sed ad divinæ personæ communionem evectus, agitur. Nam si fidem de Christo nostram, quæ Deum ac Dei Filium esse defendit, qua Scripturæ auctoritate affirmemus, inquiritur; id quidem factum a nobis est superiore libro. Sed ne in præsentia quidem paucis explicare pigrabimur. Cum igitur et *Deum verum* [1] esse Jesum Christum, et *super omnia Deum*, *et magnum Deum*, *et Dei Filium*[2], atque *a Deo genitum et unigenitum*, Scripturæ nos omnes doceant[3], hoc est *Deum ex Deo, et apud Deum*[4]; evidens est ejusdem ipsum esse cum Patre substantiæ atque naturæ, adeoque summum ac præpotentem Deum. Neque enim communis sensus ac rerum natura patitur, aliud cogitari, quam Deum verum et summum, qui et vere sit a Deo genitus, et solus genitus, id est unigenitus et verus summusque Deus disertis in Scriptura verbis appellatus fuerit. Reliqua iis similia Scripturæ loca, et indidem confecta superiore libro argumenta perpendantur; nihil esse constabit hac omnium ætatum Ecclesiæ constanti professione certius. Nunc illis omissis, ad ea sola Crellius loca convertitur, quæ ad humanam Christi naturam attinent, quatenus « in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter est assumpta, » sive ad illum,

1 *Joan.* I. — 2 *Rom.* IX, 5. — 3 *Tit.* II, 13. — 4 *Joan.* V.

qui, « ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo, quam Dei Filius, » ut Augustinus[1] loquitur. Hoc enim Novi Testamenti litteræ et crebrius et diligentius inculcant, hominem illum, qui Jesus vocabatur, quique mortem pro nobis est passus, verum Dei fuisse Filium. Ad hoc autem explicandum, non illa sempiterna Verbi ex Patre processio adhibenda fuit, sed hominis ejusdem, hoc est naturæ humanæ, sive carnis cum Deo, ac Verbo hypostatica conjunctio; quæ id efficeret, ut propter eamdem utriusque naturæ personam, Deus is, qui homo verus erat, appellaretur, ac nasci diceretur, et mori Deus.

II. Hunc illa sensum angeli verba præ se ferunt, quibus B. Virginem allocutus est: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*[2]. Quibus verbis hoc, quod ex illo in Mariam descensu Spiritus sancti, et obumbratione, sive, ut ita dixerim, incubitu virtutis Dei consequens sit, aperit, nempe ut sit, appelleturque Dei Filius id, quod ista nativitate progenitum fuerit, « quæ conjunxit in unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo, » ait Augustinus[3].

Crellius vero in hac Lucæ sententia vexanda enucleandaque, inanem, et supervacaneam operam consumpsit. Causam enim hic afferri putat, cur Christus Dei sit Filius, et quidem unicam; nempe quod sine virili satu, de solo Spiritu sancto Virgo illum in utero concepit, ac peperit, adeo ut nullum alium, præter Deum, patrem habuerit, « cujus virtute atque efficacia interveniente, » hoc est Spiritu sancto, « conceptus ac generatus fuit. Non est autem credibile, si alia longe potior fuisset causa, ob quam Filius ille ex Maria nasciturus, a primo statim ortu Dei Filius esset futurus, angelum id non fuisse indicaturum, itaque verba sua concepturum, ut intelligeret Maria aliam adhuc potiorem hujus rei causam subesse. »

Sed nihil hac argumentatione levius, quam quidem variis modis eludere et infringere possumus. Primum enim nihil necesse est angelum putare, causam reddere voluisse, quare homo ille, cujus nativitatem ex Virgine, Virginique nuntiabat, Deus aut reipsa futurus esset, aut ab hominibus appellandus. Non id, inquam, agebatur, ut communicatæ cum homine divinitatis veram, primariam et ἀποδεικτικὴν, vel συνεκτικὴν, id est *continentem* causam expromeret, aut saltem aperte significaret. Neque enim ad limatam, et dialecticam subtilitatem exigenda illius verba sunt, sed ad communem et popularem sermonis consuetudinem, in qua causæ instar ea nunquam afferuntur, quæ non tam causæ sunt, quam effecta, et consequentia, aut quoquo modo cum re conjuncta. Nasci aliquem ex Virgine si absolute, et universe loquimur, non habet necessarium divinitatis argumentum. Erat tamen consentaneum, ut si Deus carnem assumpturus, et in mundum venturus esset, e Virgine nasceretur. Quare ex eo, quod e Spiritu sancto, et divina virtute conceptum Filium paritura Virgo sit, majus homine simplici, ac proinde Deum, Deique Filium fore consequens est id, quod inde nascetur. Hoc enim, etsi necessario non sequitur, si absolutæ et extraordinariæ Dei potentiæ ratio ducatur; tamen si ordinariam spectemus, ac Dei statutum illud, quod fixum immotumque est, nemo ut communium hominum aliunde, quam ex utroque sexu, generetur, recte hoc ex antecedente nectitur, Dei istum Filium esse, cujus ortus humanæ propagationis modum inusitata novitate superaret. Hanc vim potest habere causalis vox, *ideo;* ut quod consentaneum ac decorum est, imo vero ex ordinaria rerum administratione, voluntateque Dei consequens est, colligat.

Necessarium e Virgine natum esse Deum, quia prædictum.

III. Deinde licet ex sese, ac spectata Dei plena et absoluta potestate non sequitur, Deum hunc esse, qui de Virgine ortum traxerit, idipsum tamen fit ex eo necessarium, quod per prophetam Deus hoc antea prædixit, eum qui ex Virgine nasciturus esset, futurum Deum. Nam Isaias septimo capite celeberrimum hoc oraculum ediderat: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel*[4], quod de Christo Matthæus[5] interpretatur. Nunc ipsum vero Virginis Filium, atque Christum *Deum* fore *admirabilem, fortem*, idem prædixit Isaias[6]. Quod cum beata Virgo optime sciret, Gabriel de futura prole illam edocens, jure ex eo concludit, apparere Filium hunc Dei, adeoque Deum futurum, qui ex Virgine nasceretur, hoc est eo modo, quo non alius nasciturus prodebatur, quam Deus. Ac si totum illud angeli cum Maria colloquium cum Isaiæ nono capite conferamus, inveniemus, priusquam Gabriel diligentius rationem illam sacri conceptus expromeret, atque ita sciscitanti Virgini

1 In *Ench.* cap, xxxvi. — 2 *Luc.* i. — 3 Lib. *de Corrept. et gratia,* cap. xi. — 4 *Isa.* vii, 14. — 5 *Matth.* lib. XXII. — 6 Cap. ix, 6.

responderet, *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc., illum ipsum, cujus ortum nuntiabat, eumdem fore demonstrasse cum illo, quem Isaias descripserat, atque et Deum appellaverat, et Davidici solii imperiique compotem in sempiternum fore dixerat, hoc est Christum, sive Messiam regem. Ut enim Gabriel his verbis, *Ecce concipies in utero, et paries Filium*, etc., ad illa Isaiæ respexit: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium*, etc., in istis, *Et dabit illi Dominus Deus sedem Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis;* exprimere illa Prophetæ verba voluit, quæ in nono capite subinde de nascituro Deo forti et admirabili subjecit: *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio, et justitia, amodo, et usque in sempiternum.* Quocirca jam ex priori sermone Gabrielis beata Virgo didicerat, eumdem, de quo vaticinatus erat Isaias, destinari sibi Filium, Christum videlicet, ac Messiam. Unde merito ita conclusit angelus, *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quasi ita diceret: Cum Christus ille, quem ex Virgine proditurum, ac Davidis regni successorem ac Deum fore prædixit Isaias, iste ipse sit, qui miro et inusitato modo de Spiritu sancto, et incumbente in te Dei virtute, de te nasciturus est, consequens est, ut hic Dei sit, appelleturque Filius. Hæc tota Lucæ verborum enarratio tutos nos reddit ab omni cavillatione Crellii, et utcumque illa catholicis ab interpretibus exponantur, ad eorum mentem aptissime congruunt.

Explicatur *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* et a Crellii falsa expositione vindicatur.

IV. Sin, ut quibusdam placet, priora illa, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, explicare libeat, multo magis Photiniana pervicacia frangetur. Etenim complures antiquorum *virtutem Altissimi* ad Verbum Deique Filium referunt; quem *Dei virtutem* Apostolus nominat. Hic igitur *obumbrasse* Virginem dicitur, hoc est in eam quodammodo descendisse, et inexplicabili virtute ac potentia in ejus castissimis visceribus domum ac templum ædificasse sibi, hoc est formasse corpus ac se hominem fecisse. Ita Titus Bostrensis[1] pervetus scriptor in *Commentariis in Lucam*; qui hæc verba sic enarrat: « Et quomodo superveniet? Non videbis adveniens, sed operabitur efficiens id, quod sub sensum non cadit. Sed quid sibi vult, *obumbrabit te?* Hoc est undequaque circumdabit te, induet te, circumvallabit te, complectetur te[a]. »

Sic etiam Theophylactus; qui adventu illo Spiritus sancti genitalem vim utero sanctissimæ Virginis inditam esse demonstrat, quæ carnem consubstantiali Verbo moliretur. Porro « virtutem Altissimi appellari Christum, qui est virtus Dei. Obumbrabit vero tibi, id significare, conteget te; undique circumdabit te. Nam ut avis pullos suos obumbrat, pennis suis illos circomplectens, sic et Virtus Dei totam amplexus est Virginem[b]. »

Quinetiam Gregorius Nyssenus oratione *in Diem natalem Christi*, allapsum illum Spiritus sancti, et obumbrationem Verbi, non vulgarem aliquam communicationem et efficientiam significare vult, sed quæ divinam substantiam in beatum illum uterum derivet, et cum homine conjungat. « Virtus, inquit, Altissimi Dei, qui est Christus, per adventum Spiritus sancti formatur in Virgine[c]. » Victor item Antiochenus, Severus, et Joannes Geometra in *Catena in Evangelium Lucæ*, non aliter exponunt; necnon Joannes Damascenus libro III *de Fide*, capite secundo. Et Ruffinus in Symbolum, *virtutem Altissimi* Christum ipsum agnoscit. Gregorius[3] vero papa luculentissime obumbrationem illam tum ad ipsam divini Verbi personam accommodat, tum esse idem, atque carnis assumptionem his verbis asserit: « Quamvis hac in re, ait, per obumbrationis vocabulum incarnandi Dei utraque potuit natura signari; umbra enim a lumine formatur, et corpore, Dominus autem per divinitatem lumen est; qui mediante anima, in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus erat utero corporandum, ei,

a TITUS: Καὶ πῶς μὲν ἐπελεύσεται; οὐκ ὄψῃ τὸ ἐπερχόμενον, ἐνεργήσει δὲ δεδημιουργηκὸς μὴ φαινόμενον. τί δέ ἐστιν ἐπισκιάσει σοι; περιβαλεῖ σε, καὶ ἐνδύσει σε, καὶ περιχαρακώσει σε, καὶ κύκλῳ σου ἔσται.

b THEOPHYLACT. Πνεῦμα οὖν, φησὶν, ἐπελεύσεται ἐπί σε, γόνιμον παρασκευάζον τὴν μήτραν σου, καὶ δημιουργοῦν τὴν σάρκα τῷ ὁμοουσίῳ λόγῳ. δύναμις δὲ ὑψίστου ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Χριστὸς γὰρ θεοῦ δύναμις. ἐπισκιάσει σοι, τουτέστιν ἐπισκεπάσει σε, πάντοθέν σε περικυκλώσει. ὡς γὰρ ὄρνις ἐπισκιάζει τὰ νοσσία ἑαυτῆς ὅλα ταῖς πτερύξιν αὐτῆς περιλαμβάνουσα, οὕτω καὶ ἡ τοῦ θεοῦ δύναμις ὅλην περιέλαβε τὴν παρθένον.

c GREGOR. NYSS. Tom. II. Τοῦ οὖν ὑψίστου θεοῦ ἡ δύναμις, ἥ τις ἐστὶν ὁ Χριστὸς, διὰ τῆς ἐπελεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐμμορφοῦται τῇ παρθενίᾳ.

1 Tom. II *Bibl. Græ.* col. — 2 Tom. II. — 3 Lib, XVIII *Mor.* cap. XII.

quæ incorporeum concepit, ad corpus dicitur, Virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis. »

nid sit virtus Altissimi.

V. Sed etsi Virtutem Altissimi ipsum esse malimus Spiritum sanctum, nihilominus *obumbrandi* actio arcanam efficientiam indicat, quæ sanctissimæ Virginis fecundavit uterum, in eoque fetum elaboravit, ac denique Deum fecit hominem, ut nostri fere interpretantur [1]. « Ut corpoream, ait Cassianus [2], imbecillitatem circumfusa umbræ suæ protectione firmaret, et ad consummandum conceptus sacri inenarrabile sacramentum humana infirmitas non deficeret, quam divina obumbratio sustineret.» Quod egregie Andreas Hierosolymitanus [3] in oratione *de Salutatione angelica* declarat his verbis. « Obumbrabit tibi; tantum non virtutem illam Spiritus sancti delineans, quæ ipsam obumbravit, quæ et ineffabile tabernaculum in ipsa per sese fabricavit, ratione incarnationis; secundum quam templum corporis, sine ullo manuum labore, in illo, qui in quadam solitudine perturbationum versabatur, utero Virginis elaboravit, qui quidem ab omni purus erat immunditia et affectione [a]. »

Hæc paulo fusius exposui, ut intelligerent Photiniani, veram et propriam in illis verbis contineri causam, quare fetus ille immaculati uteri Deus esse debuerit, non communi ratione, quam adoptione, aut alio generi σχετικῆς υἱοθεσίας, vel θετικῆς, ut Græci nominant, profani homines definiunt, sed naturali jure, et οὐσιωδῶς, ac *secundum substantiam*. Ideo enim, quod Spiritus sanctus ac Dei virtus in Virginis uterum descendit, et vi quadam genitali, ac fecunda replevit, et in eum incubuit, atque effectum elaboratumque corpus cum Deo conjunxit, quod inde natum est, Deus et est, et merito dicitur. « Qui enim e Spiritu sancto per sanctum Patrem, eo modo, qui intelligentiam omnem excedit, formatus est infans ante sæcula existens, merito sanctus erit, et filius Altissimi vocabitur, ut quem Altissimi coæternum Verbum esse constet [b], » ait Andreas.

Relativæ adoptionis vel positivæ

Habent igitur hic Photiniani verissimam causam, et ex antecedenti, sive, ut vocant, *a priori* sumptam, cur ille homo, qui e Virgine natus est, verus sit et naturalis Dei Filius; nimirum, quod obumbrante et fecundante Virginis uterum Spiritu sancto, sive ipso etiam Verbo, et hoc eodem carnem sibi copulante, idem in utraque natura Christus exortus est. Quæ quanquam mystice, et arcane, ut in tanto fidei sacramento, ab angelo significata sunt, tamen et ab ea, quacum loquebatur, sanctissima Dei matre percipiebantur; et eam vim ac sententiam cœlestibus verbis esse subjectam, divinorum Patrum auctoritas Photinianis omnibus præstigiis tutior ostendit.

Vindicatur Joannis locus. c. x.

VI. Locus alter est Joannis decimo capite, quam intentat Crellius, in quo causam reddi ait unicam, cur Christus sit Dei Filius; et quidem ab ipso Christo. Hunc enim cum lapidibus vellent obruere Judæi, ob eam causam, quod se Filium Dei ac Deum faceret, sic illis satisfecit: *Nonne scriptum est in lege vestra, Quia ego dixi*: *Dii estis. Si illos dixit deos, ad quos Dei sermo factus est, et non potest solvi Scriptura: Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum:* Hic igitur rationem illam attulit, objicit Ebionita, cur Dei Filius esset, quæ minime persuadeat, summum ipsum ac verum esse Deum, nempe sanctificationem et missionem. Sed quid argumentatione ista futilius et obtusius? Nam quis hoc illi concedit, causam ibi Christum, et quidem veram ac propriam explicare voluisse, cur Deus, ac Dei Filius habendus esset. Non enim id agebatur, sed ut Judæorum furorem et violentiam comprimeret, quod ratione a minori, ut vocant, ad majus efficit. Si enim homines e communi sanctorum, aut dignitate aliqua præstantium, dii vocantur in lege; cur blasphemum hunc ac supplicio dignum esse decernitis, qui sanctificationis et missionis singulari prærogativa tanto antecellit omnibus, quod idem illud sibi nomen assumat? Hoc satis erat ad convincendos ac sedandos illorum animos; nec ultra tendere necesse fuit, aut de æterna generatione, vel hypostatica hominis cum Deo conjunctione diligentius

a Andr. Hieros. Ἐπισκιάσει σοι, μονονουχὶ τὴν ἐπισκιάσασαν αὐτὴν τοῦ πνεύματος δύναμιν ὑπογράφων, σκηνοπηγίαν ἄῤῥητον αὐτουργοῦσαν ἐν αὐτῇ τῷ τῆς ἐνσαρκώσεως λόγῳ, καθ' ὃν ἀχειροτμήτως τὸν ναὸν τοῦ σώματος ἐν τῇ κατὰ τὴν ἔρημον τῶν παθῶν τῆς παρθένου νηδύϊ, πάσης προδήλου καθαρευούσης μετασίας (for. ἀκαθαρσίας) καὶ προσπαθείας.

b Andreas. Τὸ γὰρ ἐξ ἁγίου πνεύματος δι' ἁγίου πατρὸς ἀπερινοήτως διαπλαθὲν προαιώνιον βρέφος δικαίως ἅγιον ἔσται, καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται, ὡς τοῦ ὑψίστου πεφηνὼς συναΐδιος λόγος.

1 Toler. Mald. Jams. — 2 Lib. II *de Incarn.* — 3 Tom. II *Bibl. Patrum Græco-lat.* — 4 *Joan.* x, 34-36.

aliquid inculcare, quod ad illorum augendam potius, quam mitigandam insaniam pertineret. Athanasius porro oratione *contra Arianos* [a] quinta, Judæos existimat, audito eo, quod Christus dixerat, *Ego et Pater unum sumus*, ratos ipsum se Deum Patrem asseverare, quomodo Sabellius postea unam esse personam utriusque voluit, in eum excanduisse; Christum vero clarius explicasse, quæ vis esset illius vocis *unum*, ob idque se unum esse cum Patre docuisse, quod sit Filius Dei. Quod adversus Photinianos non minus, quam Arianos multum valet. Etenim si se Christus vulgari tantummodo ratione, communique cum creatis rebus, hoc est angelis et hominibus, dici haberique Dei Filium vellet, poterat, et vero debebat, omni sublata tergiversatione, tum se ab ista vexatione ac periculo, tum Judæos ac mortales adeo cæteros ab execrando et intolerabili errore liberare; ne pro vero ac summo Deo colere, et adorare illum instituerent, qui quamvis creaturis omnibus, aut hominibus excelleret, nihil tamen præter creaturam hominemve se esse sciret. At hoc non egit; imo etiam fidentius et magnificentius de se ipso profiteri instituit, *Pater in me est, et ego in Patre;* velut antea, *Ego et Pater unum sumus.* Quod, ut Athanasius, Cyrillus aliique Patres commemorant, nemo unquam angelorum hominumve de se prædicavit, nemo sine sacrilegio, aut amentia sibi arrogare poterit. Sed hoc argumento alibi jam usi sumus; et legi potest Augustinus tractatu XLVIII *in Joannem*, ubi locum istum copiose declarat.

Item. Ego et Pater unum sumus.

VII. Tertium Crellius argumentum ex iis Scripturæ locis instruit, in quibus Filius Dei Christus asseritur ob id unum, quod Pater eum a mortuis excitavit; ut *Actorum* XIII, 32, ubi apostolus Paulus ex iis *Psalmi* secundi verbis, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, affirmare videtur, Christum eo dici Filium Dei, quod a Patre suscitatus sit. Quod idem *Roman.* I, 4 demonstrat. Verum de hoc posteriore epistolæ *ad Romanos* loco supra fuse disputavimus, ac veriori nostra interpretatione illum ex Ebionitæ manibus extorsimus.

Item e Ps. II, Ego hodie genui te.

De altero *Psalmi* secundi, et *Actorum* XIII sic habendum est; probabile videri id, quod sanctus Hilarius, aliique secuti sunt, « vocem illam Dei Patris in die resurrectionis extitisse. Resurgens enim in cœlo, et in terra jus omne sortitus est[1]. » Cum enim mortali hoc vitæ curriculo confecto, ærumnisque omnibus et cruciatibus, ac morte ipsa defunctus, ad novæ immortalisque vitæ decus et splendorem excitatus esset, denuo veluti a Patre genitus dicitur; quia novum vitæ statum adeptus est, novumque velut regni et imperii natalem. Sic enim dies ille, quo imperatores inaugurabantur, et augusti salutabantur, natalis illorum appellari solebat; ac tum ipsi oriri dicebantur. Hinc et *Panegyrici* auctor, qui Maximiano et Constantino dictus est, Constantinum «orientem vocat imperatorem» quod tum primum a socero renuntiatus esset Augustus, et eumdem ait «Britanniam nobilem oriendo fecisse,» quod in ea insula post Constantii Patris obitum Imperator acclamatus est. Eodem modo Christus, ut homo, post resurrectionem, voti illius postulationisque compos, « qua clarificari se a Patre petierat, ea claritate, quam apud ipsum habuerat, priusquam mundus esset, » generatus tum ab illo dicitur, hoc est in regni illius et gloriæ professionem ac consortium et consessum Dei Patris admissus. « Exordio hic resurrectionis suæ, ait idem Hilarius, ad assumendam gloriam dies est; per quam id nascitur, quod ante tempora fuit, id tamen in tempore nascitur esse, quod non erat; atque ideo Filius hominis amodo assistens virtutis dextris est videndus, quia natura carnis post resurrectionem glorificata, ad profectum ejus, quam antea habuerat, claritatis provehebatur, cum hominis Filius consessurus Patri, et in immortalitatem corruptione carnis absorpta, et in viventem tunc, et non moriturum amplius Dei Filium nasceretur. » Quibus Hilarii verbis Photinianæ blasphemiæ aditus omnis intercluditur, quæ non solum novum, sed etiam unicum id nativitatis ortusque genus Christo tribuit, anteriori, et æterna generatione sublata.

VIII. Illud vero Crellii plane est ἀσυλλόγιστον, quod ait Christum, « secundum eam naturam, secundum quam Dei Filius, et quidem unigenitus ac proprius est, pro nobis esse mortuum. At si eatenus esset Dei Filius, quatenus esset ex essentia Dei genitus, et sic ipse Deus summus, secundum eam naturam mori non potuisset, secundum quam Dei Filius est.»

Inepta collectio.

Crellii inepta ratiocinatio.

[a] ATHAN. Οἱ μὲν οὖν Ἰουδαῖοι ἐν τῷ ἀκοῦσαι ἕν, ἐνόμιζον κατὰ Σαβέλλιον αὐτὸν εἰρηκέναι εἶναι τὸν πατέρα. ὁ δέ γε σωτὴρ ἡμῶν συλλογίζεται μὲν αὐτῶν τὴν ἁμαρτίαν, etc.

1 Hilar. *in Psal.* IV.

Harum enuntiationum perspicue est falsa prior. Non enim secundum divinam naturam Christus est passus, ac mortuus, sed secundum humanam; hoc est *carne* mortuus est, *non spiritu*, ut loquitur Apostolus. Frustra vero probare illud inde nititur, « quod summus Dei erga nos amor in sacris Litteris ex eo ostenditur, *quod is Filium suum unigenitum, aut Filium proprium pro nobis in mortem tradiderit*[1]. » At « si Deus non secundum eam naturam, secundum quam Dei Filius fuit, sed secundum aliam, quæ Filii Dei unigeniti personæ accesserit, mortuus fuisset, nec simpliciter de Filio Dei unigenito, ac proprio dici posset, eum esse mortuum, aut pro nobis datum; nec summus ille Dei erga nos amor inde posset colligi. » Sed sophisticas ac fallaces conclusiunculas evertere, ludus est homini non imperito. Christus Dei Filius Deus est et homo in utraque natura subsistens, et in utraque Dei Filius, non tamen secundum utramque seorsim spectatam, a Patre genitus; quemadmodum Petrus in utraque conjuncta natura, corpore, ac spiritu, Joannis filius est, non tamen secundum alterutram ambarum, si separatim eas sumpseris, ab Joanne est genitus. Nam neque materiam, neque animam, ex quibus constat Petrus, seorsim consideratas, genuit illius pater. Idem tamen homo, verus et naturalis Filius est Dei, ac Deus ipse; et quæ eum genuit ac peperit, Virgo Deum revera peperit, quia non naturam hominis separatam, sed subsistentem in eadem cum divinitate persona hominem peperit. Hæc Judæi, Ebionitæ, Samosateni, Sociniani, Semijudæi, ac Semichristiani vel non capiunt, vel stulte et impie contradicunt; Christiani fide percipiunt, ac pleno ore profitentur. Illum itaque Filium suum Deus Pater pro nobis tradidit ad mortem, quam et ipse sponte sua toleravit; neque necesse est, ut secundum eam naturam, qua Dei Filius ab æterno fuit, mortuus dicatur. Hoc enim satis est illum esse mortuum, qui verus naturalisque Deus non minus erat, quam homo. An cum homo anima constet ac corpore, ejusque præcipua sit pars illa; idcirco non moritur, quia illius immortalis est anima? Non opinor. Quæ est igitur conclusionis ista vis; ideo non esse pro nobis traditum, neque mortuum Dei Filium, quod secundum divinam naturam non ille sit passus?

IX. Illud vero perquam ineptum est, majus hoc putare divinæ in nos charitatis ac clementiæ esse signum, si merum hominem Jesum Christum, non naturalem proprieque dictum Deum ac Filium suum, sed creaturam adoptione sola, dignitatisque prærogativa nomen utrumque sine re consecutam, in mortem egisse nostra causa dicitur Deus, quam, quod Christiani fatentur omnes, verum et æqualem in omnibus Patri Filium ac Deum iisdem pro nobis subeundis adhibitum a Patre fuisse. Plane vel stipitem oportet esse, vel impietate et amentia cæcum, qui prius illud asseveret, quod Crellius in fine capitis sui argumentique posuit. Cujus insuper detestanda ista blasphemia est, quod hunc ipsum, quem nihil præter hominem fingit esse, Filium Dei, « Sapientia, et potentia Deo simillimum, et, ut Paulus loquitur, *in Dei forma*, *Deoque æqualem esse* ausus est scribere, ut se ἀνθρωπολάτρην, imo idololatram esse non obscure declaraverit, quod Arianis minori, quam iste, in Dei Filium impietate grassantibus Christiana tota antiquitas objicit. Etenim *quis in nubibus æquabitur Deo, aut similis erit Deo in Filiis Dei*[2]? ait Propheta David. Itemque Job, *Numquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ*[3]? *Anthropolatram.*

Atque hæc quidem, ut plenius, accuratiusque tradantur, alterum ac proprium locum desiderant, tum scilicet, cum de incarnatione agendum erit. Sed interim temperare mihi non potui, quin eodem filo cum iis, quæ ad Trinitatis mysterium spectant, ea quoque, quæ sunt alterius propria, et cum illo conjuncta, pertexerem. Cujus quidem posterioris oppugnandi, quæ sunt argumenta quinque Crellii reliqua ad sectionis finem, rudem ac plebeium indolem sapiunt, nec habent aut obscuritatis, aut eruditionis quippiam; ac postremo ex iis, quæ supra constituimus, facilis expedita est ad omnia responsio.

X. Nisi forte de eo multum cogitandum est, quod Spiritum sanctum objicit Christo esse datum[4]: id autem minime futurum fuisse, si summus esset Deus. Nam nihil ei Spiritu sancto opus foret, cum natura humana Verbo ipsi, hoc est sanctitati conjuncta esset. Hoc ille proposito vidit, quod est verissimum, non unam esse Christi naturam, ac singulas, id quod proprium sibi est, etiam in arctissimo illo, ac naturali, ut Cyrillus[5] loquitur, nexu retinere. Hoc vero humanæ esse peculiare, ut cum ipsa per se sanctitas non sit, adventitia

1 *Joan.* III, 16 et *Rom.* VIII, 32. — 2 *Psal.* LXXXVIII. — 3 *Job* XXII, 2. — 4 Crell. cap. XXXIII. — 5 In *Anath.* III.

eam, et aliunde derivata sanctitas afficiat, et gratia, sive charitas, quæ diffunditur in humana corda per ipsam Spiritus sancti personam, qui datus est nobis, ut plenius in postremo hujus operis libro docebitur. Itaque datus est homini Christo Spiritus sanctus, imo Christus ipse, qua Deus est, in se, ut homo est, Spiritum ipsum, ejusque dona transfundit; quod Athanasium supra dicentem audivimus. Hoc ille cum in promptu esse catholicis ad respondendum cerneret, eripere hoc defensionis præsidium solita ludificatione conatus est. Etenim « neque Spiritui sancto magis tribui sanctificationem oportere Christi, quam Patri; alioqui si Spiritui sancto magis ea competeret, Spiritum sanctum potius Patrem fore Christi, quam Deum illum, qui Christi pater et est, et passim in Novo Testamento dicitur. » Tum si ulla ratio est, ob quam uni certæ Trinitatis personæ attribuenda Christi sanctificatio sit, quæ communis est omnibus, causam hic fore magnam, cur Filio potius, quam alii alicui personæ sit adscribenda; quod et humanam naturam ipse susceperit, et sit sapientia virtusque Dei naturalis, per quam omnia Deus efficit.

Quo sensu Christo Spiritus sanctus datus.

XI. Sed horum inanitatem discernere ac convincere, mediocris est prudentiæ. Sanctificatio Christi trium ex æquo personarum opus, et ἐνέργεια a nobis esse dicitur. Verum ut in cæteris omnibus, quæ extra illam manant, Trinitatis actionibus, sic in sanctificatione ista sua cuique personæ proprietas, et ut existendi, sic agendi modus attribuitur. Pater, ut fons, et origo sanctitatis omnis, quod a nullo communicatum habet, pro creatarum captu rerum, iis impertit; Filius, tanquam ars et idea, sive expressa sapientia summi artificis, eamdem efficit sanctitatem; Spiritus sanctus, tanquam amor et expressa amborum charitas, cujus momento ac pondere ad largienda creaturis bona omnia Deus impellitur; tum etiam velut forma extrinsecus afficiens, et Filium Dei, ac sanctum, interveniente nihilominus, velut nexu quodam, infusa gratia, hominem reddens; id quod exquisitius postea pertractabitur. Communis tamen, et ex æquo conveniens tribus est personis effectio ipsa gratiæ ac sanctitatis; quemadmodum et Incarnatio, qua extra Deum effusa quædam est actio, commune trium est opus; etsi terminare, ut ita dicam, et sustentare naturam assumptam divinæ Verbi personæ proprium est, quæ illam in modum formæ existentem in Deo ac subsistentem facit. Sic et Spiritus sanctus cum humana Christi natura, non personali junctione copulatus, sed tanquam forma sanctificans, ad eam applicatus, creatæ, ut ita dixerim, sanctitatis participem illam facit. Verbum autem divinum tum hanc ipsam una cum Patre creatam gratiam efficiendo, tum sustentando, et eamdem personam constituendo, increatam infinitamque sanctitatem communicat. Itaque modi ipsius, non efficientiæ, vel actionis interest. Neque magis minusve dici debet una persona navare aliquid atque efficere, quam alia; sed diversa tantummodo ac propria ratione, quam conditio cuique suæ proprietatis affert.

In operibus ad extra cuique personæ suus agendi modus tribuitur.

XII. Quamobrem jocularis est inquisitio ista[1] Crellii, an « plus ad hæc dona humanæ naturæ concedenda Spiritus sanctus, quam divina ipsius Christi persona contulerit. » Tantumdem enim contribuere tres, si opus ipsum effectionemque respicias; sin modum consideres, inest quiddam in Verbo ac Spiritu sancto peculiare, cujus gratia opus idem utriusvis in censum referri debeat, quatenus Verbum per se, ut jam dixi, subsistentem naturam, et increata sanctitate præditam facit; Spiritus sanctus communicatione itidem sui, sed a priore diversa, eamdem creata gratia et sanctitate perfundit. Hæc in præsentia satis esse possunt ad retundendam temeritatem hominis et inscitiam; quæ suo loco latius explicanda venient.

Illud vero quis sine risu, aut etiam stomacho legat, quod ibidem Crellius obiter injicit? « Si Spiritui sancto magis competeret sanctificatio, quam Patri, Spiritum sanctum potius Patrem fore Christi, quam Deum illum, qui Christi Pater est. » Quasi communicatio sanctitatis illius creatæ, ratio possit esse, ob quam appellatur Pater. Quod Ebionitis quidem, et Socinianis persuasum est; sed falsum nihilominus est, neque inde, unde putant, demonstrari potest, ex illo nempe epistolæ *ad Romanos*[2] loco, quem ab Crellii commentitia interpretatione supra verum ad sensum transtulimus.

XIII. Sequitur argumentum aliud, in quo ut Christi divinitatem opprimeret Crellius[3], diaboli patrocinium sumpsit, a quo tentatus legitur Dominus[4]. *Si enim summus esset*, inquit, *Deus, id haudquaquam conti-*

Insulse e tentatione Christi petitur objectio.

1 Crell. p. 348. — 2 *Rom.* I, 4. — 3 Crell. it. arg. XXXIV. — 4 *Matth.* IV; *Luc.* IV.

gisset. Atque hujus dicti sui rationem affert duplicem; quarum altera ab rei indignitate ducitur; altera ab diaboli ipsius indole, qui neque illum esset ausus aggredi, quem summum Deum agnosceret, neque frustra in eo operam perdere voluisset. Nam utriusque naturæ in eadem persona copulationem ignorare diabolus non potuit. Hæc fere Crellius. Ad quæ libet exclamare cum Tertulliano; multo enim quam hic, acerbiore in Christum injuria commoveor: «Scelestissime hominum, qui interemptores (dicam ego, *tentatorem*) excusas Dei. Parce unicæ spei totius orbis; quid destruis necessarium dedecus fidei? Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo[1].» Sed hoc pervetus est antichristorum, id est Christi divinitatem oppugnantium hæreticorum artificium, quod in Ario ejusque conjuratis olim notavit, qui primus in illo sententiam dixit, Alexander Alexandriæ episcopus[2]: «Qui quidem, ait, voces illas, quæ ad Salvatoris passionem salutarem, et humiliationem, et exinanitionem, eamque, quam vocamus illius inopiam referuntur, quasque nostra causa, velut adventitias, usurpavit ipse, commemorantes, proponunt, ut contra supremam ejus, et a principio convenientem deitatem præscribant[a].»

XIV. Quid porro ineptius, quam in tentatore Christi diabolo modum ac rationem requirere? Nam quod illum existimat «unionem istam humanæ naturæ cum divina» cognovisse vehementer errat; multoque magis auscultandi sunt Patres omnes, qui mysterii conscium illius fuisse negant; ac de Christo idem plane, quod Crellius, ejusque socii Ebionitæ censent, judicasse diabolum putant, hominem illum tantummodo fuisse, non Deum. Sic Ignatius martyr, Ambrosius, Augustinus, Leo, Gregorius papa aliique tradunt, quos[3] in libro primo *de Angelis* testes proferam; ubi et Crellii, quæ contra objicit, argumenta diluam. Hoc vero loco inscitam illius absurdamque rationem tacere penitus, aut vero differre nequeo; quod ita disputat; non videri Satanam incarnationem Filii Dei ignorare potuisse, si «in sacris Litteris prædicta, virgini Mariæ annuntiata, et postmodum reipsa perfecta, ac tum ab ipsa Maria, tum ab aliis agnita, inque Christi baptismo cœlesti voce declarata fuit.» Tanquam necesse sit, id, quod Scripturæ obscure, ac per ambages continebant, intellexisse dæmones, aut non infinita Dei potentia et sapientia id efficere potuerit, quod esse factum ait Augustinus, ut «tantum eis innotuerit, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit[4].» In quo illud homo acutus non vidit, eodem se constringi argumento, quo catholicos urgeri putat. Nam si ideo diabolum latere Filii Dei incarnatio non potuit, quod ea utcumque sacris Litteris prodita dicitur; non fuit autem tantæ calliditatis et astutiæ, quanta est in dæmonibus, sine ulla vincendi circumveniendique spe aggredi ac tentare Christum, quem scilicet superari ac decipi non posse scirent, idem istud in illius caput retorquere licet. Etenim qualemcumque tandem Christum ac Deum, et in Scripturis nuntiatum, et a diabolo cognitum Ebionitæ fateantur, hunc necesse est certissimum humani redemptorem generis, et Patrem futuri sæculi et auctorem salutis, ac prædestinatorum omnium caput, et principem, ut in Scripturis iisdem habetur, compertum ab eodem diabolo fuisse. Ita ne tentatum quidem ab eo Christum esse consequens erit, quem expugnari posse ab se diffideret; ac falsa omnino erit hæc historia tentati ab diabolo Christi, etiam simplicis, ut Crellius et Ebionitæ reliqui putant, hominis.

Hoc vero, quod ibidem addit Crellius, vulgo ab theologis exploditur: «Præsertim, inquit, si olim in cœlo Deum, et in ipso omnia ipsius decreta vidit: ac porro intellexit fore, ut secunda Trinitatis persona illis temporibus incarnaretur.» Nimirum credidit diabolum ejus aliquando felicitatis compotem fuisse, in quæ Deum clare, et cujusmodi est in sese, contueretur: quod nemo illi concesserit.

XV. De eo Pauli loco, qui est in epistola *ad Colossenses*, ubi *primogenitus omnis creaturæ*[5] vocatur Christus, superiore libro pluribus dixi, unde facile sit Crellii[6] argumentationem eludere. Nam sive de homine Christo, sive de eodem, ut est Deus, Apostolum loqui statuimus, nihil adversus catholicos facit. Nos

a Alexander. Οἳ τὰς μὲν τοῦ σωτηρίου πάθους, ταπεινώσεώς τε καὶ κενώσεως καὶ τῆς καλουμένης αὐτοῦ πτωχείας, καὶ ὧν ἐπικτήτους ὁ σωτὴρ δι' ἡμᾶς ἀνεδέξατο φωνὰς, διὰ μνήμης ἔχοντες, παρατίθενται ἐπὶ παραγραφῇ τῆς ἀνωτάτω, καὶ ἀρχῆθεν αὐτοῦ θεότητος.

1 Tertul. lib. *de Car. Christ.* cap. v. — 2 In ep. *ad Alexand.* Constant. apud Theodoret. lib. I *Hist.* cap. III. — 3 Cap. v. — 4 Lib. IX *de Civ. Dei*, cap. XXI. — 5 Col. I, 15. — 6 Crell. cap. XXXIV.

Quo sensu Christus primogenitus omnis creaturæ.

primogenitum maluimus secundum divinitatem usurpari; ita tamen ut *geniti* notio communis sit, et universe de eo, quod productum est, quoquo modo dicatur. Sic enim γεννᾶν, et γεννητὸς apud antiquos late sumptum est pro qualicumque propagatione, sive proprie dicta generatio sit, sive effectio, vel creatio, ut in explicanda voce ἀγέννητος postea memorabimus. Itaque vox τόκος ambigue in illo composito nomine ponitur; sicut existendi, vel subsistendi vocabula, cum dicimus Deum, vel Dei Filium exstitisse substitisseve ante omnem creaturam. Non enim par et eadem utrobique ratio, et conditio intelligitur existendi.

Hic Joannis cujusdam Piscatoris ex altera hæresi, opinionem adducit Crellius, arbitrantis πρωτότοκον, id est *primogenitum* eo sensu vocari, quod sit *hæres omnium*. Quod minus congruit, et cum subinde Paulus probet illum esse *primogenitum omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra*, etc.; magis hoc consentaneum est, ex eo demonstrari Christum Deum ante omnia, hoc est *in principio* fuisse, quia per ipsum Pater universa condidit. Dupliciter autem Piscator fallitur: primum, quod τίκτειν parere, non *gignere*, ait significat: deinde, quod nomen ex πρῶτος, et præterito medio compositum, genitivum regere non solere putat; quasi sit participium constans ex præpositione πρό. Verum τίκτω sæpe apud Græcos pro *generare*, et de patre sumitur, ut apud Homerum, estque magna in vocabulariis exemplorum copia. Tum ut ad matrem proprie pertineat, nihilo secius ad divini Verbi productionem accommodari potest, quam uteri indidem translata similitudo, *Psalmo* CIX: *Ex utero ante Luciferum genui te*. Quod ad πρῶτος attinet, non minus constat, cum genitivo jungi, ut sit idem ac πρότερος; et hujus suppetunt exempla. Unum huic, de quo agimus, affine nuper apud Athanasium observabamus in oratione *contra Arianos* tertia: « Nam si propter nos Verbum factum est non prius, quam nos apud Patrem fuerit. » πρῶτος ἡμῶν est idem ac πρότερος. Ita πρῶτος τῆς κτίσεως est πρότερος.

Primus. *Ante.* *Primus.* *Prior.* *Primus nostrum. Prior. Primus creaturæ est prior.*

XVI. Postrema demum Crellii[1] ratiocinatio nihilo cæteris firmior, communi cum harum plerisque vitio laborat; ut principium petat, et thesim ipsam tanquam medium adhibeat ad illam evertendam. Catholicæ omnis Ecclesiæ fides hæc est, fuitque semper, Filium vere a Patre genitum, æqualem ei esse natura, et ὁμοούσιον, id est *ejusdem substantiæ*. At Crellius id esse falsum probat, quia « æquale semper aliam habet essentiam ab eo, cui æquale est. » Atque hoc ipsum inficiamur, dum et æqualem esse defendimus, et ejusdem essentiæ, imo hoc ipso vel æqualem, quod ejusdem est essentiæ, vel ejusdem essentiæ quod æqualis est. Hæc enim reciproca sunt, ac se invicem approbant; cum et de naturali generatione Filii a Patre, et ea, quæ Deo congruit, asseruntur. Etenim Filius omnis ejusdem est cum eo, a quo genitus est, naturæ, perfectionis, essentiæ, naturalisque conditionis, ac proprietatis; id quod alias fusius exponam. Alioqui perfectam naturæ similitudinem non haberet, quæ veræ ac proprie dictæ generationi debet inesse, cum sit in eo generationis posita definitio. Idem ergo patri sit æqualis oportet. Nam æquale est, quod neque majus est, neque minus; nec aliter Euclides cæterique geometræ demonstrare solent rerum inter se æqualitatem, quam ut unam altera neque majorem, neque minorem esse doceant. Nihil autem οὐσιῶδες, et naturale in Patre Deo, quod desit Filio; nihil abundat in alterutro, vel deficit. Sunt igitur æquales. Nam quod æqualia quæ dicuntur, reipsa invicem distant, nec idem æquale sibi ipsi dicitur, in quo Crellius instat, id in divinis illis personis ultro concedimus. Sunt enim re mutuo distinctæ. Sed nihil est necesse, id, in quo æqualitas ista consistit, reipsa esse diversum. Satis est, differre personas ipsas, quæ similes æqualesque dicuntur; quod in Deo singulare est, ut sunt omnia fere, quæ tum ad divinitatem ipsam, tum ad hoc præsertim Trinitatis dogma pertinent. Nihil igitur efficit Ebionita noster; qui nec illud probat, quod demonstrandum maxime fuit, necessarium esse, ut quæ dicuntur æqualia, diversum id re habeant, in quo sunt æqualia; et ex rerum creatarum conditione de iis disputandi sumit argumenta, quæ in nullam creatam rem cadere, sed solius esse Dei propria defendimus.

Diluitur objectio petita ex consubstantialitate Christi.

Substantiale.

a ATHAN. Καὶ γὰρ εἰ δι' ἡμᾶς γέγονεν ὁ λόγος, οὐκ ἔστιν οὐδὲ πρῶτος ἡμῶν παρὰ τῷ θεῷ.

1 Crell. cap. XXXVI.

CAPUT VII.

Crellii contra Spiritum sanctum argumenta diluuntur. De dogmatibus fidei non scriptis obiter. Multa etiam ab adversariis non scripta credi. Quid sit contineri in Scriptura. Cur rarius hæc divinitatis Spiritus sancti meminerit. Non ideo non exstare aliquid in Scriptura, quod ejus testimonia aliter interpretari possint. Vincentii Lirinensis hac de re sententia. Sic igitur ex multis Scripturæ locis adstrui divinitatem Spiritus sancti. Templum nonnisi Deo consecrari. Ex baptismi formula divinitas sancti Spiritus adstruitur. Crellii stupor suapte confessione revincitur. Hilarium de Spiritus sancti divinitate recte sensisse, ejus ex verbis adversus Erasmum et Crellium ostenditur, idem et de aliis antiquis Patribus demonstratur, præsertim Dionysio Alexandrino, Irenæo, Clemente Alexandrino, etc. Cur ad Patrem publicæ preces Ecclesiæ diriguntur. Interdum unius tantum ex tribus personæ mentionem in Scriptura fieri. Rursus divinitas Spiritus sancti probata, et Crellii sophismata discussa.

I. Ab unigeniti Dei Filii contumelia, novam ad blasphemiam vertit impuram mentem, stylumque Samosateni, et Ebionis discipulus Crellius[1]; ut inexpiabili se genere sceleris obstringat, quod nec in ista, nec in futura vita condonatur[2]. Peccare enim in Spiritum sanct. instituit, et ad injuriam supremæ illius majestatis ac divinitatis armatur ejusdemmodi argutiis, quarum hactenus in oppugnando Filio imbecillitatem experti sumus.

1ª obj. contra Spiritum S. e silentio Scripturæ petita.

Primus argumentandi locus e Scripturarum silentio petitur[3]; quod nusquam expresse Deus nominatur, nusquam adorandus et vel invocandus legitur, nusquam in eum credi oportere præscribitur. Denique persæpe ibi est omissa ejus mentio, ubi, siquidem summus esset Deus, commemorari debuisset.

Duplex adversus hanc petitionem antiquorum est defensio. Prior ad *translativæ*, ut vocant rhetores[4] *constitutionis* genus pertinet, cum nihil necesse esse dicunt, omnia in Scripturis exprimi, quoniam « ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligimus, » ut contra idem ab Ariano Maximino propositum argumentum excipit Augustinus[5]. Quam enim multa creduntur a christianis, et ad fidem spectant, quæ vel nulla, vel obscura implicataque ratione comprehensa sunt in sacris Libris! Atque hic quidem locus latissime patet, et adversus Calvinistas et Lutheranos non minus, quam novos Ebionitas valet; imo contra omnes penitus sectas Romanæ communionis inimicas opponi debet. Quod universe instituemus alio loco, cum scilicet de fide ejusque regula disputabitur. Nunc quatenus ea responsione veteres Patres usi sunt in similibus Arianorum et Macedonianorum de Spiritu propulsandis calumniis; eamdem et nos contra Crellium objiciemus. ac pauca antiquorum proferemus testimonia.

Non omnia fidei dogmata in Scriptura leguntur.

II. Instantibus igitur Arianis, ac nominatim hoc, quod Crellius postulat, dari sibi locum, aliquem Scripturæ flagitantibus, in quo Deus appelletur Spiritus sanctus, Gregorius Nazianzenus[6] resistit sic; Non omnia continere Scripturas quæ inter Christiana dogmata numerantur; sed inter hæc esse aliqua, quæ nuspiam scripta sunt, ut illud est de Spiritu sancto. Ineptos esse porro illos et inurbanos, qui hoc licere volunt sibi, quod in nobis arguunt. Nam ct multa eos usurpare de eo quorum auctoritates in sacris Libris disertæ nullæ sunt, ut sunt ἀγέννητον ἄναρχον [a]. Ac demum ista iis ex Scripturæ verbis colligi ait, « quæ nos ad illa deducunt, etsi non aperte dicuntur [a]. » Tum, « Quomodo, inquit, ita serviliter adhæres litteræ, et Judaicam sapientiam amplecteris, et omissis rebus, syllabas consectaris [b] ? » Eadem et Basilius latissime demonstrat in eo libro, quem de sancto Spiritu scripsit[7]. Cujus in nono et vicesimo capite id memoria dignum posuit; « Si nihil aliud, inquit, est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur. Sin plurima arcana citra Scripturam a nobis recepta sunt, cum aliis pluribus etiam istud admittamus. Arbitror autem apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. » Loquitur

Ingenitum sine principio.

a NAZIANZ. Ἦ δῆλον ὅτι ἐκ τῶν ταῦτα συναγόντων, κἂν μὴ ταῦτα λέγηται;

b Idem. Πῶς οὕτω σὺ λίαν δουλεύεις τῷ γράμματι, καὶ γίνῃ μετὰ τῆς Ἰουδαϊκῆς σοφίας, καὶ συλλαβαῖς ἀκολουθεῖς, ἀφεὶς τὰ πράγματα;

c BASIL. Εἰ μὲν μηδὲν ἕτερον ἄγραφον, μηδὲ τοῦτο παραδεχθήτω. εἰ δὲ τὰ πλεῖστα τῶν μυστικῶν ἀγράφως ἡμῖν ἐμπολιτεύεται, μετὰ πολλῶν ἑτέρων καὶ τοῦτο καταδεξώμεθα. Ἀποστολικὸν δὲ οἶμαι καὶ ταῖς ἀγράφοις παραδόσεσι παραμένειν.

1 Crell. lib. I, sect. III. — 2 *Matth.* XII, 52. — 3 Crell. p. 360. — 4 Cic. I *de Invent.* — 5 Lib. III *contra Max.* cap. III. — 6 Orat. XXXVII. — 7 Cap. XXVII et XXIX.

autem Basilius non solum de ritibus et consuetudinibus, sed etiam de dogmatibus, imo de his potissimum. Ait enim, inter δόγματα, et κηρύγματα hoc interesse, « quod *dogmata* silentio premuntur; *prædicationes* vero, hoc est communia, et in propatulo habenda fidei mysteria, publice efferuntur. Porro silentii genus est obscuritas, qua utitur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad legentium utilitatem. » Ac paulo antea mysteria dixit fidei ab apostolis obscure et cum cautione prodita. « Atque hæc, inquit, est ratio traditionis eorum, quæ minime scripta sunt; ne videlicet dogmatum notitia, propter assuetudinem, in vulgi contemptum veniret[a]. » Non absimile est et Gregorii alterius Nysseni[1] aliorumque multorum Patrum judicium; de quo alias plenius.

Illud vero in Basilii verbis præcipue notari debet, quod plurima dogmata fidei, et quidem primaria, vel omissa penitus in sacris Libris affirmat, vel obscure, et non expresse tradita. Cui consentaneus est Origenes[2] tomo nono in epistolam *ad Romanos*, ita scribens, (hujus enim verba, quæ ad negotium nostrum valde pertinent, non debui prætermittere). « Id enim universe sciendum est, cum decretum sit spiritui, qui est in prophetis et Verbo, quod est in apostolis Christi, occultare, et non aperte veritatis sententias exponere, sæpe et loquendi genere ipso confundi, et non continuata serie tradi, ne qui indigni sunt, ad judicium animæ suæ reperiant ea, quæ utiliter ipsis occultata fuerant[b]. »

III. Hac præscriptione tueri causam nostram, et Crellii, ac similium Karrhaitarum impetus levi eludere declinatione possumus. Sed illa non utimur, quin Spiritum sanctum in sacris Litteris appellari dicimus Deum. Verum hoc volo prius nobis explicet Crellius, quid istud ipsum putet esse, dici aliquid a Scriptura, ac nominatim in ea comprehendi. An sic exprimi ac concipi, ut formam ipsam contineat enuntiationis, hoc est eos, quos vocant, terminos invicem copulet, et unum inesse dicat alteri, veluti, *Deus est omnipotens*, *Deus est bonus*. An sit hoc satis, tametsi disjunctæ sint enuntiationis partes, ex ipso tamen orationis contextu, ac serie repeti illas, inter seque connecti. Horum si prius affirmet, causæ nihil erit, quin pleraque fidei dogmata, sine scripti auctoritate, abs se recipi fateatur. Ubi enim hoc legit, *Deum esse incorporeum;* cum ejus contrarium potius præ se Scriptura ferat? Ubi, *Deum ex nihilo creasse omnia?* Nam *creandi* vox non ex nihilo aliquid facere proprie significat, et passim in divinis Litteris[3] pro ea productione sumitur, qua ex alio aliud efficitur. Unde illud Augustini tract. v *in Joannem*: « Quomodo creavit Mariam, et creatus est per Mariam, sic dedit baptismum Joanni, et baptizatus est a Joanne. » Ubi quod impie idem[4] affirmat, *Christum esse creaturam?* Ubi, « Christum non ab omni æternitate, sed certo demum tempore exstitisse? » Necesse est igitur posteriore modo sufficere dicat, contineri aliquid in Libris sacris, ut pro expresso testimonio illorum habeatur. At hoc modo neque horrenda illa et nefaria, quæ cum suis gregalibus solus credit, probare potest e Scripturis, et nos Deum esse Spiritum sanctum, belle aperteque demonstravimus in libro superiore[5]. Velut ex *Actorum* cap. v, 3, ubi Spiritus sanctus nominatur Deus, summo omnium veterum consensu, cujus ibi permultos testes adduximus; itidem et ex aliis locis tum singulis, tum inter se comparatis. Atenim ad omnia illa testimonia habent adversarii quod respondeant; nec ullum est, quod non aliter, ac volumus, interpretari possint. Quid tum? An sic demonstrari necesse est omnia christianæ religionis dogmata e sacris Litteris, ut illa ipsa, quæ ad probandum afferuntur, earum testimonia, aut aliter ab contentiosis hominibus intelligi nequeant, aut a quibusdam etiam veteribus citra contentionis studium explicata non fuerint? Cedo vel ullum ab adversariis allatum Scripturæ locum, quo decreta sua et opiniones probare se dicunt, qui non modo aliorsum, ac

Nulla sunt Scripturæ testimonia quæ a contentiosis depravari nequeant.

a Basil. Οὗτος ὁ λόγος τῆς τῶν ἀγράφων παραδόσεως, ὡς μὴ καταμεληθεῖσαν τῶν δογμάτων τὴν γνῶσιν εὐκαταφρόνητον τοῖς πολλοῖς γενέσθαι διὰ συνήθειαν. ἄλλο γὰρ δόγμα, καὶ ἄλλο κήρυγμα. τὰ μὲν γὰρ δόγματα σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται. σιωπῆς δὲ εἶδος καὶ ἡ ἀσάφεια, ᾗ κέχρηται ἡ γραφὴ, δυσθεώρητον κατασκευάζουσα τῶν δογμάτων τὸν νοῦν, πρὸς τὸ τῶν ἐντυγχανόντων λυσιτελές.

b Orig. Καθόλου γὰρ τοῦτο ἰστέον, ὅτι προκειμένου κρύψαι, καὶ μὴ φανερῶς ἐκθέσθαι τὰ νοήματα τῆς ἀληθείας τῷ ἐν τοῖς προφήταις πνεύματι, καὶ ἐν τοῖς Ἀποστόλοις Χριστοῦ λόγῳ, πολλαχοῦ καὶ ὑπὸ τῆς φράσεως συγχεῖται, καὶ οὐχ ὡς ὑπὸ μίαν λέγεται ἀκολουθίαν· ἵνα μὴ καὶ ἀνάξιοι εἰς κρῖμα τῆς ἑαυτῶν ψυχῆς εὕρωσι τὰ συμφερόντως αὐτοῖς ἀποκεκρυμμένα.

1 Lib. I *cont. Eun.*, et lib. XII. — 2 *Philocal.* cap. IX. — 3 *Gen.* I, 21, et cap. V, 1, 2. — 4 Lib. I, sect. III. — 5 Cap. XIV.

volunt, trahi possit, sed non etiam a pluribus, iisque præstantissimis ex omni antiquitate, sit acceptus ? Quamobrem aut Scripturas funditus omittant, earumque niti auctoritate desinant; aut ad confirmanda sua, talia proferant illarum loca, quæ non vel majore antiquorum Patrum consensu, vel, ut levissime dicam, pari, ac fit ab illis, probabilitate, iis contrariam ad sententiam accommodare possim. Nihil igitur nos iste conturbat, quod iis ipsis, quæ de divinitate sancti Spiritus expressa esse dicimus, Scripturæ testimoniis, non omnino tacere cogitur.

IV. Sed ut fucum hominis ac simulationem videant omnes, nec veri investigandi causa, sed solo cavillandi studio hanc ab illo argumentationem instrui ; age doceat nos, quid illa contra Spiritum sanctum ratiocinatione sibi velit, cum ità disputat, non esse Spiritum sanctum summum Deum, quoniam nusquam in sacris Litteris aut Deus appellatur, aut adorari præcipitur. Nam si summi Dei propriam esse notam illam existimat, cur Christum esse summum ac verum Deum negat, quem eædem sacræ Litteræ toties et Deum verum esse, et adorandum ab angelis et hominibus ex summi Dei ac Patris voluntate testantur ? Quod vel ipse Crellius cum Socinianis suis omnibus agnoscit. Itaque hoc apprime in eos convenit , quod Augustinus *adversus Arianum Maximinum* simili instantem argumentatione contorquet. « Objicis mihi, quod dicam Spiritum sanctum æqualem esse Filio. Dico plane. Da, inquis, testimonia, ubi adoratur Spiritus sanctus ? Ut video, hinc eum vis ostendi æqualem Christo, si adoratur, ut Christus. Jam ergo confitere Patri æqualem, quem tu ipse adorari confiteris ut Patrem[1]. »

Denique Scripturæ loca illa, quibus diserte Spiritui sancto Dei appellatio tribuitur, quæ superiore libro commemoravi, magnum et ex seipsis, et ex sanctorum auctoritate Patrum pondus habent ad veritatis fidem. Neque vero, quod infrequentiora sunt illa, quam de Patre, vel Filio, in quibus Dei nomen Spiritui sancto conceditur, ideo minorem ad persuadendum vim continent. « In divinis enim rebus, non frequentius dicta, sed tantum dicta sufficiunt, » ait Hilarius[2]. Et Faustinus contra Arianos, « In divinis vocibus, non numerus testimoniorum, inquit, sed auctoritas requirenda est, quæ idonea est, etiamsi una voce proferatur. » Tum Gregoriùs Nyssenus, « Divinorum verborum quodlibet ad veritatis declarationem parem, et æqualem vim obtinet, etiamsi minimum sit[a]. » Ut imperite garrire desinat Crellius, et rariorem in sacris Libris illius dogmatis mentionem ad hujus invidiam trahere. « Quomodo, inquit, res tanta, tam necessaria scitu, tam abstrusa, non fuisset a viris divinis, ipso divino Spiritu impellente, clare exposita, atque ex professo tradita ? quomodo non subinde repetita, atque inculcata, ut a nemine, nisi in media luce cæcutire vellet, posset ignorari ?

V. Quasi homuncionis istius sit, Scripturarum auctori Deo loquendi, dictandique legem præscribere : aut tam disertis, frequentatisque sententiis Spiritus sancti divinitas commendari potuerit, ut non alium ad sensum detorqueri hæretica fraude ac calliditate, quæ de illo essent scripta, potuerint. « Hoc est, Athanasius ait, Apostolo necessitatem imponere, quare non sic vel sic potius scripserit, et ignorare sacras Litteras, atque inde porro errare circa veritatem [b]. » Sic Dionysius Alexandrinus ad Paulum Samosatenum Crellii patriarcham scribens, « Si vis, inquit, legem præscribere, quomodo perscribi Scripturam oporteat, ne a me postula, tibi ut e Scriptura loquar[c]. » Deum esse Spiritum sanctum, personamque Trinitatis a Patre distinctam, et Filio, probant antiqui Patres aliquot Scripturæ testimoniis; tum argumentis indidem confectis. Adversus illa uniusmodi responsionis genus comparatur a Crellio, quod sane captiosum est et ineptum. Eadem enim ista loca aliter intelligi debere, eo ipso demonstrare se putat, quod aliter ac veteres illi omnes, interpretatur. Quasi non eodem nos jure vicissim contendere possimus, ideo sic, ut illi, et nos cum illis volumus, intelligi oportere, quod contra ac Photinianis placet, explicare ista potuimus. Non enim tantum cavillationibus suis effecit, ut non peræque saltem commoda videatur, et probabilis veterum illorum, quam

a Gregor. Nyssen. lib. IV *contra Eunom.* initio. Διότι τῶν θείων ἕκαστον εἰς φανέρωσιν ἀληθείας τὸ ἴσον ἔχει, κἂν ἐλάσχιστον ᾖ.

b Athan. in ep. *ad Serap.* Ἀλλὰ τοῦτό ἐστιν ἀνάγκην μὲν ἐπιβάλλειν τῷ Ἀποστόλῳ, διὰ τί μὴ οὕτως, ἀλλ' οὕτως ἔγραψεν, ἀγνοεῖν δὲ τὰς θείας γραφὰς, καὶ διὰ τοῦτο πλανᾶσθαι παρὰ τὴν ἀλήθειαν.

c Dionys. Alex. *Respons. ad Proposit.* VII. Εἰ θέλεις κανονίζειν πῶς ὀφείλει γραφῆναι γραφὴ, μὴ ἀπαίτει με λαλεῖν σοι ἀπὸ τῆς γραφῆς.

1 Aug. lib. III *contra. Max.* — 2 Lib. IV *de Trinit.*

istius interpretatio, ne dicam veriorem, et anteponendam illam esse, quæ tam longa ætate canitiem sibi quamdam cum auctoritate pepererit.

VI. Scribit Lucas *Actorum* quinto, Petrum Ananiæ mendacium exprobrantem, ei dixisse, non ipsum *mentitum esse hominibus*, *sed Deo*, cum proxime antea dixisset, *mentitum illum esse Spiritui sancto*. Contra nititur Crellius, et vocem *Dei* non ad Spiritum referri vult, qui est e propinquo, sed ad Deum Patrem, cujus meram, et ἀνυπόστατον efficientiam, non autem personam esse putat Spiritum sanctum. Barbara et putida sententia, quæ personam a Patre Filioque negat esse distinctam Spiritum sanctum, cum vel ipsa baptismi formula clamet esse diversam. Sed ut hoc interim omittam, age, quo argumento efficit, ut nostra, adeoque communis antiquorum omnium explicandi loci illius ratio falsa videatur, vera autem altera, quam ex sua opinione attulit ? Non enim eo Scriptura non aliquid significare putanda est, quod quibus verbis significat, ea possunt alio sensu intelligi. Sed ad hoc solum quæstio redigitur, ut quæ verior sit ex omnibus interpretatio, requiri debeat. Quod si parem utrobique probabilitatem verba ipsa præferant, nimirum, cum de fidei dogmatibus agitur, novæ ac privatæ paucorum, majoris partis, et quidem antiquiorum, anteponenda est opinio. « Quia videlicet Scripturam sacram, pro ipsa sua altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt; sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene, quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur,» ait Vincentius Lirinensis[1]. Itaque qui ambiguus erit, eodem admonente[2], «curabit, ut paucorum temeritati, vel inscitiæ, si quæ sunt, universaliter antiquitus universalis Ecclesiæ decreta præponat. Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil hujusmodi reperiatur ? Tunc operam dabit, ut collatas inter se majorum consulat, interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiæ catholicæ communione et fide permanentes magistri probabiles exstiterunt : et quidquid non unus et duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.»

Non subsistentem.

Verior Scripturæ, quæ antiquiorao communior, interpretatio.

VII. Sic Apostolus[3] in epistola priore *ad Corinthios* fideles ait esse *templum Dei, et eorum membra templum Spiritus sancti*. Unde Spiritum appellari Deum, antiqui Patres colligunt. Negat hoc Crellius, quoniam ex eo, quod templum dicimur esse Spiritus, non est consequens, « eum esse personam, cujus honori corpus nostrum sit dicatum; et a qua corpus nostrum eo jure, quod divini numinis proprium est, possideatur, ac principaliter incolatur. » Atqui neque locus hic, neque alius in Scriptura, docet illo potius modo, quo iste vult, quam quo nos cum omni christiana antiquitate credimus, templum nos esse Spiritus sancti. Ostendat in sacris Libris, templum alteri, quam vero ac summo Deo consecrari fas unquam fuisse. Quod si demonstrare non potest, eadem, qua contra nos usus est, constrictus argumentatione fateatur, Dei nomen ad illum pertinere, cujus esse templum dicitur, quod de nullo alio, quam de Deo dicitur. Eadem ad cætera, quæ adversus alia loca disputat, adhibenda est responsio. De illo vero loco prioris *ad Corinthios*, capite duodecimo diximus etiam supra capite secundo. Quinetiam diligenter ea repetenda sunt animo, imprimisque consideranda, quæ de instituta baptismi a Christo formula in libro antecedente[4] disseruimus. Nihil enim ad demonstrandum Spiritus sancti divinitatem præstantius, ac validius excogitari potest argumento illo, quod inde colligitur, atque ex eo deduci reliqua possunt, quæ obscurius in Scripturis enarrata catholicæ fides Ecclesiæ atque usus ascivit, velut adoratio et invocatio, reliquusque cultus ejusdem Spiritus sancti, quæ omnia sancti Patres ex iis, quæ de hujus divinitate aperte sunt scripta, concludunt. Quod quidem rite ac præclare fieri ab Ecclesia, penes quam moderandæ religionis auctoritas est, præter illos, quos supra commemoravi, recte etiam scripsit Joannes Philoponus in libro primo *de Mundi opicifio*[a]. « Cæterum, inquit, oportebat eum scire, multa etiam alia dogmata, præter ea, quæ scripta sunt, in Ecclesia Dei celebrari, quæ per consequentiam ex cæteris colliguntur; ut Deum esse incorporeum, figuræ ac dimensionis expertem; propter quod etiam individuus est; sanct. Trinit. consubstantialem esse.»

a PHILOP. Εἰδέναι μέντοι αὐτὸν ἐχρῆν, ὅτι καὶ ἕτερα πολλὰ τῶν δογμάτων ἀγράφως ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ πολιτεύεται ἐξ ἀκολουθίας ἑτέρων συλλελογισμένα· τὸ ἀσώματον εἶναι τὸν Θεὸν, τὸ ἀσχημάτιστον, τὸ ἀδιάστατον, δι' ὃ ἀμερὲς ὑπάρχει· τὸ ὁμοούσιον εἶναι τὴν ἁγίαν τριάδα.

1 Vincent Lirin, cap. II. — 2 Cap. IV. — 3 I *Cor.* III, 16, et cap. IX, 19. — 4 Cap. XIII et XIV. — 5 Cap. XI.

Ut igitur qui Socratem, exempli gratia, hominem fuisse didicerit ab aliquo, vel legerit, tametsi nihil inde, unde hoc novit, aliud acceperit; cætera tamen, quæ ex eo apta et consequentia sunt, prudenter iis annectit, et ab iisdem didicisse se profitetur; velut ratione præditum eumdem, ac corpore fuisse; mortalem itidem, et si quæ alia sunt hominis propria: sic qui Deum appellari in Scripturis Spiritum sanctum viderit, qui, quæ Dei sunt unius propria, illi tribui, quæ creatarum sunt rerum, adimi; cum vero denique ac summo Deo, velut parem, copulari illum animadverterit, nihil cæterorum, quæ Deo soli, proprieque competunt, etsi minime est expressum, alienum ab professione judicabit.

VIII. Sed Crellii [1] vel stupor incredibilis, vel nimia castiganda temeritas est. Qui postquam ex Erasmi *Præfatione ad Hilarium* observavit, neque hunc in duodecim *de Trinitate* libris, neque alios antiquiores, Deum appellasse Spiritum sanctum, statim ista pertexit: «Quin tantam habuit verior de Spiritu sancto sententia vim, ut etiam post ea tempora, quibus Spiritus sanctus pro Deo summo haberi cœpit, ecclesiasticæ preces prope omnes ad Deum Patrem et Christum dirigerentur, non ad Spiritum sanctum.» Perspicuum est, quamnam vocet ille veriorem sententiam de Spiritu sancto; quæque meliora, et incorrupta tempora, quibus deteriora illa successerunt, in quibus Spiritus sanctus haberi pro Deo cœpit. Nam *veriorem sententiam* appellat, quam cum Socinianis suis amplectitur; quæ Spiritum sanctum neque Deum esse statuit, neque personam a Patre distinctam et Filio, sed Dei efficientiam et ἐνέργειαν, ut Græci theologi nominant, ἀνυπόστατον. *Non subsistentem.* Posteriora autem illa tempora, «in quibus Spiritus sanctus pro summo Deo haberi cœpit,» utique iis opponit, in quibus nondum ea de Spiritus sancti deitate recepta erat opinio. Sunt autem hæc Hilarii et superiorum scriptorum tempora, qui «Spiritum sanctum nuspiam appellarunt Deum, nuspiam dixerunt adorandum.» Enimvero qui effutire talia ausus est, eum vel insigniter mendacem, vel omnium rerum imperitum oportet esse. Quid enim? Num ab Evangelii exortu ad Hilarii usque tempus, illa, quam pro veriori habet, christianæ fidei magistris ac doctoribus probata sententia est?

IX. Atqui Deum esse Spiritum sanctum, hoc est non creatum, sed verum ac supremum, permulti ante Hilarium docuerunt. Sed imprimis Dionysius Alexandrinus, qui expresse Spiritum sanctum Deum esse testatur, et in Crellii parentem Paulum Samosatenum extremas minas intentat, eo quod blasphemam linguam in Spiritum sanctum armare non sit veritus. *Divinitas sanc. Spiritus ab antiquioribus Patribus prædicata.* «Non enim, ait, impune feret is, qui adversus benignum Spiritum sanctum blasphemus est; Spiritus autem est Deus [a].» Tum in epistola, quam ad Samosatenum eumdem scripsit, tam Christum, quam Spiritum sanctum Deum essse perinde, ac Patrem asserit, et quidem pari atque hunc dignitate. Verba ipsa, quia Photinianorum recentium impietatem condemnant, hic legi debent. «Qui ex Deo, inquit, natus est ante sæcula, idem novissimis temporibus ex matre ortus est. Propterea deicidæ sunt Judæi, quoniam Dominum gloriæ crucifixerunt. Nisi enim esset Christus ipse existens Deus Verbum, non potuisset non esse peccato obnoxius. Nullus enim non obnoxius est peccato, nisi unus Christus, ut et Pater Christi, et sanctus Spiritus [b].» Hac Dionysii gravissimi et antiquissimi scriptoris sententia tota novorum Ebionitarum factio percellitur. Nam et Christum, et Spiritum sanctum non minus, quam Patrem, summum Deum esse prædicat, et personis invicem distinguit, et, quod unius ac supremi numinis proprium est, τὸ ἀναμάρτητον pari tribus solis jure concedit. *Impeccantiam.*

X. Ubi est illa verior opinio, imo fœda et execranda blasphemia, quam ante Hilarii tempus in Ecclesia catholica versatam esse affirmabat Crellius? Nimirum illa, quam iste cum suis propugnat, Christum verum ac summum non esse Deum, nec ante Mariam exstitisse: Spiritum sanctum neque Deum esse, neque omnino personam, sed effectionem, et vim ἀνυπόστατον. *Non subsistentem.* Sane quod ad Christi divinam attinet personam, eam Dionysius in epistola ista, et in *Responsione ad Quæsita Samosateni* luculentis et clarissimis testimoniis approbat, quæ

a Dion. Alex. in *Resp. ad Propos. Pauli Samos.* Οὐ γὰρ ἀθῶος ἀπελεύσεται βλαφημῶν κατὰ τοῦ φιλανθρώπου πνεύματος τοῦ ἁγίου. πνεῦμα δὲ ὁ θεός.

b Id. in epist. *ad Samos.* Ὁ γὰρ ἐκ θεοῦ γεννηθεὶς πρὸ αἰώνων, ὁ αὐτὸς ἐπ' ἐσχάτων ἐκ μητρός. διὰ τοῦτο θεοκτόνοι Ἰουδαῖοι, ἐπεὶ τὸν κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν. εἰ μὴ γὰρ ἦν ὁ Χριστὸς αὐτὸς ὁ ὢν θεὸς λόγος, οὐκ ἠδύνατο εἶναι ἀναμάρτητος. οὐδεὶς γὰρ ἀναμάρτητος, εἰ μὴ εἷς ὁ Χριστὸς, ὡς καὶ ὁ πατὴρ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα.

1 Sect. III, lib. I, cap. II.

in libro primo commemoravi, ut et episcopi illi sex, qui ad eumdem Paulum synodicam epistolam scripserunt[1], antequam in ordinem redigeretur. Qui quidem hanc ipsam esse testantur « fidem, quam acceperunt ab initio, habentque traditam; et conservatam in catholica et saucta Ecclesia usque in hodiernum diem, per successionem ab apostolis, qui et oculis suis viderunt, et administri facti sunt Verbi, prædicatam ex lege et prophetis, et Novo Testamento[a]. » Fidem, inquam, illi veram, et apostolicam hanc esse de Christo asserunt, « Sapientiam hunc esse, Verbum, virtutemque Dei, ante sæcula existentem, non sola præscientia, sed substantia, et hypostasi Deum, Dei Filium[b]. » Addunt et alia pleraque, quibus impium illud dogma confodiunt, cui patrocinatur Crellius. Illud vero præclarum est Dionysii Alexandrini inter cætera, quod Christum et Spiritum sanctum Deum esse dicit Israelis. « Deus enim, ait, Israelis est Jesus ille, qui est Verbum sæcula antecedens, necnon et Spiritus sanctus[c]. » Deum, opinor, Israelis supremum esse Deum agnoscet Crellius, qui hoc potissimum argumento Christum non esse contendit Deum illum summum, quod ab Israelis Deo discerni soleat. Igitur tam Christus, quam Spiritus sanctus summus Deus habitus est.

Rursus idem Dionysius in *Responsione* quarta, « Spiritum sanctum Patris appellat ἐνυπόστατον, id est *subsistentem*, qui erat in Filio[d]. » Mox « Ejusdem formæ esse cum Spiritu sancto in specie columbæ ostenso Christum Verbum, ait; ejusdem item formæ cum Patre esse Spiritum[e]. » Quid Crelliano, Sociniano, ac Paulianistarum Ebionitarumque dogmati magis adversatur, quam Dionysius iste, cum et Spiritum sanctum in propria hypostasi exstare dicit, et Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum unius esse substantiæ ac divinitatis ?

XI. Quid si antiquiores Dionysio Patres commemorem, qui de Spiritu sancto longe aliter pronuntiarunt, quam illa fert opinio, quam *veriorem* appellat Crellius ; nonne multo magis ejus arguetur inscitia ? Non necesse habeo per universos currere. Paucos attingere sufficiet. Irenæus scriptor vetustissimus primum docet, « Per manum Patris, id est per Filium, et Spiritum sanctum factum esse hominem, secundum similitudinem Dei[2]. » Deinde[3] Spiritum eumdem ab afflatu illo, sive spiritu, quo Adamus animatus est, differre, quod Spiritus ille sanctus increatus est, ac Deus ; afflatus autem, creatus. Verba Irenæi digna sunt, quæ hic legantur : « Aliud est, inquit, afflatus vitæ, qui et animalem efficit hominem ; et aliud Spiritus vivificans, qui et spiritualem efficit eum. Et ideo Esaias ait : *Sic dicit Dominus, qui fecit cœlum, et finxit illud; qui firmavit terram, et quæ in ea sunt, et dedit afflatum populo, qui super eam est, et Spiritum iis, qui calcant illam.* Afflatum quidem communiter omni, qui super terram est, populo dicens datum, Spiritum autem proprie his, qui conculcant terrenas concupiscentias. Propter quod rursus ipse Esaias distinguens ea, quæ prædicta sunt, ait, *Spiritus enim a me exiet, et flatum omnem ego feci*[4]. Spiritum quidem proprie in Deo deputans, quem in novissimis temporibus effudit per adoptionem filiorum in genus humanum : afflatum autem communiter in conditione et factura ostendens illum. Aliud autem est, quod factum est, ab eo, qui fecit. Afflatus igitur temporalis, Spiritus autem sempiternus. » Hæc Irenæus. Qui, ut vides, Spiritum sanctum a Patre et Filio distinctum, utpote quem cum Filio *manum Patris,* id est vim efficientem esse vult, Deum et creatorem constituit. Nam *in Deo deputari* Spiritum ; Græce ἐν θεῷ, vel εἰς θεὸν λογίζεσθαι, idem est, ac Deum deputari; sicut cum statim addit, *afflatum in conditione, et factura ostendens*, etc., idem dicit, atque creaturam facturamque censeri. Tum perspicue, *quod factum est*, id est *afflatum a Spiritu*, id est *eo, qui facit*, esse diversum asserit ; atque

a Epist. synod. Ἔδοξεν ἡμῖν ἔγγραφον τὴν πίστιν, ἣν ἐξ ἀρχῆς παρελάβομεν, καὶ ἔχομεν παραδοθεῖσαν, καὶ τηρουμένην ἐν τῇ καθολικῇ καὶ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ, μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας, ἐκ διαδοχῆς ὑπὸ τῶν μακαρίων ἀποστόλων· οἳ καὶ αὐτόπται, καὶ ὑπηρέται γεγόνασι τοῦ λόγου, καταγγελλομένην ἐκ νόμου, καὶ προφητῶν, καὶ τῆς καινῆς διαθήκης, ταύτην ἐκθέσθαι.

b Ibid. Σοφίαν, καὶ λόγον, καὶ δύναμιν θεοῦ, πρὸ αἰώνων ὄντα, οὐ προγνώσει, ἀλλ' οὐσίᾳ καὶ ὑποστάσει θεὸν, θεοῦ υἱόν.

c Dion. Θεὸς γὰρ Ἰσραὴλ Ἰησοῦς ὁ πρὸ αἰώνων λόγος, ὡς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα.

d Dion. Καὶ τὸ ἐνυπόστατον τοῦ πατρὸς πνεῦμα, ὃ ἦν ἐν τῷ υἱῷ.

e Idem. Ὁμοειδὴς ἐν τῷ εἴδει τῆς περιστερᾶς ὁ Χριστὸς λόγος τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ· ὁμοειδὲς τῷ πατρὶ τὸ πνεῦμα.

1 Tom. I *Biblioth. Patrum Græco-lat.* — 2 Lib. V, cap. VI. — 3 Ibid. cap. XII. — 4 *Isa.*, XLII. — 5 *Isa.*, LVII, 16.

hunc *sempiternum*, illum *temporalem* esse. Non est igitur Spiritus sanctus efficientia mera, et ἐνέργεια Dei Patris, ut Crellius existimat, sed Deus exiens a Deo, et creator, ac sempiternus. Clemens Alexandrinus in calce *Pædagogi* hortatur christianos, ut assidue collaudent, et gratias agant Patri, et Filio, ac Spiritui sancto[a]. Non hæc, opinor, de nuda efficientia et actione diceret; præsertim cum hos tres unum esse ibidem asserat.

Adde Origenem, Tertullianum, Novatianum, Cyprianum, et alios eorumdem scriptores temporum, qui procul dubio et Filium, antequam e Maria gigneretur, exstitisse, et Spiritum sanctum distinctam a duabus illis personam esse docuerunt.

XII. Atque hinc Fausti Socini Senensis Ebionitarum Polonorum antesignani non minus, quam ejus discipuli Crellii secum ipsa pugnans inscitia convincitur. Nam ille in epistola secunda *ad Matthæum Radecium*, veri de Deo dogmatis cognitionem usque ad tempora concilii Nicæni perseverasse dicit, ejusmodi scilicet, quale iste tuebatur. « Cognitio, inquit, ista, sine ulla controversia usque ad tempora concilii Nicæni, et aliquando post, inter eos, qui Christum profitebantur, esse non desiit. Per totum enim illud tempus, ut ex omnium, qui tunc exstiterunt, scriptis liquet, ille unus verus Deus, quem passim sacra testimonia prædicant, solus Pater Jesu Christi est creditus; et qui contrarium sentiebant, ut Sabelliani, et eorum similes, pro hæreticis plane sunt habiti. Quinetiam, postquam opinio trinitatis personarum in una Dei essentia, qualem antichristiana Ecclesia defendit, invecta est, et totum ferme christianum orbem occupavit, adhuc ipsi Patri prærogativa quædam est reservata, » etc.

Verum ex iis, quos recensuimus, antiquis Patribus, et Nicæna synodo anterioribus constat, nihil minus ætate illa persuasum fuisse, quam quod Ebionitarum secta de Filio ac Spiritu Sancto profitetur. Nam Filium nemo illorum merum putavit hominem; et qui istud affirmare ausi erant, Ebionitas, et Paulianistas, tanquam hæreticos detestati sunt. Tum Filium eumdem Patri συναΐδιον, id est *coæternum* esse scripserunt, ut adversus Samosatenum contendit Dionysius Alexandrinus. Et Irenæus libro secundo, capite LV: « Hic Pater, inquit, Domini nostri Jesu Christi, per Verbum suum, qui est Filius ejus, per eum revelatur, et manifestatur omnibus, quibus revelatur : cognoscunt enim hi, quibus revelaverit Filius. Semper autem coexistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem, et angelis, et archangelis, et potestatibus, et virtutibus, » etc. Quod vero Sabellianos ait Socinus ob id damnatos, et hæreticos ab illis veteribus habitos fuisse, quod Patri Deo summam divinitatem detraherent, quis sine risu potest legere? Adeone stupidum istum fuisse, ut nesciverit, ob id potius Sabellium pro hæretico condemnatum esse, quod solum Patrem. Deum verum, ac summum fuisse crederet, Filium ex se suaque substantia genuisse nullum; quod ipsum hodie novi Ebionitæ sentiunt.

XIII. Sed ad Hilarium revertor, quem Crellius errori suffragari suo putat, tanquam Spiritum sanctum Deum esse verum, summumque non crediderit. Atqui falso tanti auctoritate Patris abutitur; qui etsi Deum in duodecim illis *de Trinitate* libris nominatim non appellat Spiritum sanctum; ea tamen illi tribuit, quæ veri supremique Dei propria sunt, et in creaturam non cadunt. Quid tam proprium est Dei, quam non esse creatum? aut quid aliud, quam verus proprieque dictus est Deus, qui creatus non est, et creatura nominari non debet? Talem esse Spiritum sanctum ille ipse scribit Hilarius in fine duodecimi *de Trinitate:* « Magna mihi erga res tuas religio est, ait Patrem compellans Deum, neque quia te solum innascibilem, et unigenitum ex te natum sciens, genitum tamen Spiritum sanctum non dicturus sim, dicam unquam creatum. Hujus ego dicti, quod mihi cum cæteris a te substitutis commune est, ad te quoque prorepentis timeo contumeliam. Profunda tua Spiritus sanctus tuus secundum Apostolum scrutatur, et novit, et interpellator pro me tuus inenarrabilia a me tibi loquitur; et ego naturæ suæ ex te per unigenitum tuum manantis potentiam creationis nomine non modo non eloquar, sed etiam infamabo? Nulla te nisi res tua penetrat; nec profundum immensæ majestatis tuæ, peregrinæ atque alienæ a te virtutis causa metitur. Tuum est quidquid te init; neque alienum a te est, quidquid virtutis scrutantis inest. »

Hilarius S. Spiritus divinitatem prædicat.

a CLEM. ALEXAN. Ἀἰνοῦντας εὐχαριστεῖν, αἰνεῖν, τῷ μόνῳ πατρὶ, καὶ υἱῷ, υἱῷ καὶ πατρὶ, παιδαγωγῷ καὶ διδασκάλῳ υἱῷ, σὺν καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι.

Perspicua res est, Hilarium iis verbis Spiritum sanctum omnino negare creaturam esse, nec ita solum loqui « non audere, quia nusquam legerat in sacris Litteris, » ut Erasmus in præfatione *ad Hilarium* scripsit, sed reipsa, et ex animi sui sententia ita judicasse : non posse, sine atroci in Deum contumelia, creatum dici ac putari Spiritum sanctum, ac si creationis in eum nomen conferatur, infamari Patrem ipsum, cujus est ille Spiritus. Itaque nimis frigide de re tanta scripsit Erasmus. Et vero adversus Hilarii mentem et sententiam ejus verba interpretatus est. Nisi forte in æquo utrumque posuit Hilarius, Deum, an creaturam appellare Spiritum sanctum ; ut cum neque Deum usquam, quod Erasmus existimat, Scriptura nominarit ipsum, neque creaturam, neutrum idcirco de illo pronuntiare auderet sanctissimus doctor. Hæc si mens Hilarii fuisset, ac si, propter solum Scripturæ silentium, *creaturæ* se vocabulo abstinere diceret ; non tam aperte ac diserte contrarium illius asseveraret, sed rem in suspenso relinqueret, aut certe perinde Spiritum sanctum esse Deum inficiaretur, uti creaturam non esse docuit, si neutram in partem de Scripturæ sententia utrobique constaret. Sed enim tum sacræ Litteræ Deum satis manifeste, vel Dominum appellant Spiritum sanctum, ut in superiore libro demonstravimus ; tum nihil aliud esse, quam verum et summum Deum, hoc est ejusdem cum Patre ac Filio divinitatis, et naturæ, reipsa professus est Hilarius, cum creatum illum sine contumelia et infamia Patris ejusdem dici, et haberi posse non credidit. Nam nullus inter summum verumque Deum, ac creaturam interjectus est status ; sed quidquid Deus non est, id sit creatura necesse est ; et vicissim, quod creatura non est, necessario Deus est summus ; catholica quippe fides, ait Augustinus[1], Dei tantummodo « sine initio naturam prædicat, etc., ita ut omnino nulla natura sit, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso facta sit. » Et Cyrillus dialogo tertio *de Trinitate*, « Intelliguntur enim, inquit, in iis, quæ esse creduntur, Deus quidem ante omnia, et post ipsum creatura ; aliud vero inter hæc omnino nihil[a]. » Hinc Nazianzenus Gregorius oratione XXXII *de Filio Dei* argumentum inde conficit : « Si Deus est, non est creatura. » Nam « nobiscum creatura eorum est, quæ non sunt dii. Sin est creatura, non est Deus ; cœpit enim in tempore. » Ex quo sequitur omnia, quæ quidem propria sunt Dei, et captum rerum creatarum conditionemque superant, Spiritui sancto merito concedi, tametsi nihil Scripturæ de iis expressum habeant.

Quidquid non creatum Deus est.

XIV. Verum alio in libro præclare divinitati Spiritus sancti suffragatur Hilarius, et pari cum Deo Patre, ac Filio majestate, dignitate præditum ostendit ; simul etiam ac Arianos Macedonianosque cum Photinianis, et Samosatenis plena, et luculenta catholici dogmatis professione jugulat, ita scribens in commentariis *in Matthæum*[2], et in calce totius operis, dum illa Christi verba declarat : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Baptizantur autem, ait Hilarius, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, ut *Quorum est una divinitas*, sit una largitio, *nomenque Trinitatis unus est Deus*. Vel, ut Lucifer Calaritanus[3] Hilarii æqualis loquitur, « una est divina sublimitas Patris et Filii, et sancti Spiritus. » Ergo una Patris et Filii, et Spiritus sancti est divinitas, hoc est essentia, una Trinitatis est, et tres personæ unus est Deus ; ac « baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » nihil aliud est, quam in una trium divinitate baptizari, si Hilario credimus ; cujus patrocinium hæresi nefariæ impudenter obtendit Crellius.

Cujus et altera ex Hilario eodem argumentatio una opera dissolvitur. Sic enim objicit[4], Hilarium initio libri secundi sic verba ista declarare, *Baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, ut sit ille sensus : « In confessione auctoris, et unigeniti, et doni. » Cum ergo Spiritus sanctus donum sit, ex eo sequi putat Crellius, non esse paris et æqualis, ac Pater et Filius sunt, naturæ ac dignitatis. Itaque non ad ipsum preces Ecclesiæ usu ac veteri consuetudine, sed ad Patrem et Filium dirigi. « Quia donum, inquit,

a Cyril. Dial. III. Νοηθεῖεν γὰρ ἂν ἔν γε τοῖς εἶναι πεπιστευμένοις, θεὸς μὲν πρὸ πάντων, καὶ μετὰ τοῦτο κτίσις. ἕτερον δὲ μεταξὺ τὸ σύμπαν, οὐδέν. Vide et lib. I *in Joan.*, cap. VI.

b Greg. Naz. Orat. XXXII. Εἰ μὲν θεὸς, οὐ κτίσμα· μεθ' ἡμῶν γὰρ τὸ κτίσμα τῶν οὐ θεῶν. εἰ κτίσμα δὲ, οὐ θεός. ἤρξατο γὰρ χρονικῶς.

1 Lib. I, *con Jul.* cap. VIII. — 2 Can. XXXIII, et calce libri. — 3 Lucif. in lib. *Moriend. esse pro Dei Fil.* — 4 Crell. in lib. II, sect. III, cap. II.

non petitur a dono, sed a largitore doni. » Sed nihil istud est. Nam cujusmodi donum esse Spiritum sanctum Hilarius existimet, satis indicant illius verba, quæ et creaturam esse negant, et unam ei cum Patre ac Filio divinitatem attribuunt. Quod profecto falsissimum esset, si, ut hæresis nefaria vult, ne persona quidem, aut substantia Spiritus sanctus esset, sed vis et efficientia Dei, hoc est accidens aliquod creatum, et res ἀνυπόστατος, hoc est *non subsistens ;* quod in epistola Alexandrini concilii, cui Athanasius[1] præfuit, jure damnatur. Sed de doni hujus natura et proprietate dicemus postea.

Frustra petitur objectio ex eo quod preces in ecclesia ad Spiritum S. non dirigantur.

XV. Nam quod ad Spiritum sanctum preces in ecclesia publice fere non diriguntur, frustra ex eo calumniam struit Crellius. Siquidem veteri ex usu, pleræque ad Patrem referuntur, atque ita decretum legimus in Carthaginiensi tertia synodo, canone XXIII : « Ut cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. » Nimirum, quia tunc Christi corpus, sive homo Christus offertur, ac veteris et cruenti sacrificii memoria celebratur, æquum est, ad Patrem, velut auctorem, ac principium, referri omnia, uti summum imitemur sacerdotem, et pontificem Christum Dominum, qui tum omnia dicta factaque sua Patris ad honorem referre solebat, tum in illo postremo sacrificio *tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis*[2]. Nec est inde consequens, aut Christum Deum non esse, aut nec Spiritum sanctum ; sed hoc solum, esse summum utriusque principium, a quo, uti proprietatibus distincti sunt, sic natura et substantia non discrepant.

Objectio diluitur e silentio Scripturarum petita.

XVI. Tertium Crellii[3] est argumentum contra divinitatem Spiritus sancti, « Quod in plurimis Scripturæ locis, ubi Patris, et Filii, nonnunquam et angelorum aliarumve rerum, ac personarum fit mentio, nulla fiat Spiritus sancti. » Respondit huic olim Athanasius in epistola *ad Serapionem*. Neque nos longius in eo commorari attinet. Est enim imbecillum, et quod inde conclusum est, sola inficiatione a nobis eluditur. Deum, inquam, ideo non esse Spiritum sanctum falso colligitur, quia cum Patre et Filio sæpe non est illius facta mentio. Quid enim, si omissa non esset? An Deum esse verum Crellius fateretur? Nihilo certe minus in impietate persisteret. Qui enim Christum legit, agnoscitque cum Patre commemorari, et eumdem tamen naturæ conditione nihil supra cæteros mortales esse prædicat, estne, ut in Spiritum sanctum contumeliosus esse desinat, si ejus ubique Scriptura meminisset? Sed inepta est περιεργία, velle ubique, dum unius aut alterius personæ mentio sit, omnium fieri. Hoc enim christiano, et non impio satis est ad confitendam Spiritus sancti divinitatem, ibi eum ad duas alias adjungi personas, ubi nullum potest admitti creaturæ consortium. Cujusmodi est baptismi formula, quæ in nomine trium tantummodo consistit, exclusis creatis rebus omnibus. Adde cætera, quæ de illius efficientia, propriisque ornamentis in fine libri secundi disseruimus, quæ in alium, quam verum proprieque nominatum Deum, nullo modo competunt.

Curiositas.

Galatæ in Spiritu S. baptizati.

Certe cum de ista ipsa formula baptismi Scriptura loquitur, sæpe unius duntaxat personæ nominatim meminit ; ut in epistola *ad Galatas* : *Quicumque in Christo* (Græce εἰς Χριστὸν, *in Christum*) *baptizati estis, Christum induistis*[4]. An igitur propterea in solius Christi nomine baptizatos dicemus fuisse Galatas? Sic *Actorum* XIX, 5, qui solo Joannis baptismo initiati erant, *baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Atqui in eo baptismo, ad quem capiendum illos tum Paulus hortabatur, Spiritus etiam nomen expressum fuisse, præter Christi mandatum, illud insuper ostendit, quod eodem capite Paulus baptizatos istos a Joanne cum interrogasset, an Spiritum sanctum accepissent, respondentibus, *se neque, si Spiritus sanctus est, audisse*, statim sic occurrit : *In quo ergo baptizati estis?* Ut appareat, non in solo Christi nomine, sed etiam Spiritus sancti, baptismum illum administratum fuisse, etsi Christi solius nomen positum ibi fuerit.

Objectio e verbis Christi petita : *Nemo novit Filium nisi Pater.*

XVII. De illo vero *Matthæi* loco, quem quarto loco Crellius intentat, *Nemo novit Filium, nisi Pater*[5], ex quo personam non esse concludit Spiritum sanctum, quod alioqui, præter Patrem, alius Filium nosse diceretur ; idem fere judicium est, quod de similibus, quæ supra a nobis exposita sunt, in quibus Christus soli Patri certarum rerum vel efficientiam, vel notitiam tribuit, ut sibi ipsi detrahere videatur. Ibi enim sive propter principii et originis proprietatem, sive quam aliam ob causam, de solo hæc affirmari Patre docuimus. Præsertim vero ratione hac usi sumus, quæ in Spiritu potissimum sancto locum habet, ex Epiphanio aliisque Patribus

1 Athan. — 2 *Eph.* v, 2. — 3 Cap III. — 4 *Gal.* III, 27. — 5 *Matth.* XI, 27.

accepta; quod gradatim plena trium personarum fides et cognitio fidelibus impertienda fuit. Itaque Christus, cum id unum propemodum in omni sermone et actione spectaret, uti Patris gloriam ac nomen illustraret, eumque sub illo vero ac proprio *Patris* vocabulo commendaret; ad hunc solum identidem omnia referebat, omissa plerumque sui, necnon Spiritus sancti mentione non penitus exclusa. Nam utriusque distinctam et articulatam notitiam, præsertim Spiritus sancti, insequentibus temporibus, et apostolorum prædicationi reservabat. Quanquam etsi paulo infrequentius, ac minus diserte personæ divinitatisque Spiritus sancti, quam Patris, in Scripturis expressa mentio est, præbent tamen illæ nobis satis clara, imo necessaria illius indicia, quæ ex libro secundo, et hoc ipso repeti possunt, quæque ad Photinianam comprimendam audaciam, et istius imprimis argumenti vim eludendam, idonea præsidia suppeditant. Nam si et Deus est verus ac summus, et a Patre Filioque proprietate, non majestate aut essentia diversus Spiritus sanctus, ut hactenus ostendimus; Si *omnia scrutatur etiam profunda Dei*, ut Apostolus[1] scribit; si ut ea, *quæ hominis sunt*, *nemo scit*, *nisi spiritus hominis*, ita et *quæ Dei sunt*, *nemo cognovit*, *nisi Spiritus Dei;* quis nisi stolide impius, negare poterit, Spiritum sanctum Patrem ipsum, ejusque Filium cognoscere? Ac quemadmodum isto in loco, ubi Apostolus asserit, neminem ea, quæ Dei sunt, nosse, nisi Spiritum sanctum, nullus ita desipit, uti propter particulam *nisi*, etiam Filium ipsum a cognitione Patris excludendum censeat; sic cum ait Christus, neminem nosse Patrem, nisi Filium, paris est insaniæ, Spiritum sanctum ab ejus scientiæ communione secernere. Utrobique enim vis est eadem argumenti, ac proinde similis interpretandi ratio ab eo, qui stulte ac nefarie pervicax esse nolit, adhibenda.

XVIII. Reliqua de Spiritu sancto argumenta Crellii, præter tria quatuorve, postremo libro reservabimus, ubi de missione ac donatione illius agetur. Nam ad eam ista pertinent. Igitur ex iis, quæ cursim modo pertractanda sunt, id primum procedat, quod septimum posuit. « Si Spiritus, inquit, sanctus Deus foret, aut persona saltem aliqua, Christum etiam Spiritus sancti fore Filium; imo rectius hujus, quam Patris, dicendum esse Filium. » Hoc ille portentum non aliter deinceps adstruit, quam quod Christus Filiu Dei dicitur eo solo, quod de Spiritu sancto conceptus, et sanctificatus fuerit, id quod antea prolixe demonstrare studuit[2]. Sed nos istud ipsum argumentum futile esse vicissim ostendimus. Cujus autem est ingenii, hoc ad probandam opinionem afferre suam, de quo vel præcipua controversia sit? Nam Christum, qua Deus est, singulari quodam a Patre modo procedere, quæ sit vera propriaque generatio, catholicum nomen omne defendit; eumdem vero hominem esse factum ἐνεργείᾳ et efficientia quadam Dei, quæ peculiarem ob causam tertiæ personæ tribuitur, fides itidem illorum habet. Neque tamen ideo Filius est Spiritus sancti homo Christus; quia non ad illius similitudinem, neque ex ejus substantia productus. « Homo namque assumptus ex Maria (ait Paschasius Diaconus libro primo *de Spiritu sancto*, capite II) operatio Spiritus sancti fuit, non portio; nec ab eo genitus, sed creatus, conceptus est potentia non substantia, operatione non participatione, virtute non genere. » Hoc in christiana professione christianisque rudimentis obvium, et contritum, si ignorat Crellius, quid christiana religio sit, nondum intelligit; si malitiose dissimulat, non valde callidus, et risu magis ac contemptu dignus est, quam formidandus adversarius. Rursus id, quod in prima *ad Thessalonicenses* scriptum est, objicit, *Spiritum nolite extinguere*[3]; tanquam de Spiritu sancto ibi sermo sit, qui si Deus est, extingui non potest. Atqui *Spiritus* nomen variis modis usurpatur, et ambigue, ut modo divinam ipsam personam, ac tertiam, modo illius dona et effecta significet; quod in hæresi *Pneumatomachorum*, et in *Ancorato* adnotat Epiphanius. Illo quidem in loco magis χάρισμα significat, ut Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus aliique censent. *Charisma.*

XIX. Ejusdem stuporis est, quod alia duo loca profert: alterum ex *Joannis* VII, 39; alterum *Actorum* XIX, 3. In illo sic Evangelista loquitur, *Nondum enim erat Spiritus sanctus, Jesus nondum erat glorificatus.* In isto vero, sciscitanti Paulo de quibusdam ab Joanne Baptista tinctis, an Spiritum sanctum accepissent, responderunt illi, *Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus.* Cujusmodi locutiones, ait Crellius, de Deo prorsus indignæ sunt. Itaque Deum non esse concludit. Qua

Crellii alia insulsa argumenta.

1 I *Cor.* I 11. — 2 Sect. II, cap. XXXI. — 3 I *Th.* cap. V, 19.

in argumentatione neque ratio, neque communis inest sensus. Nam in priore loco manifestum est, verbum substantivum *erat*, non existendi principium, sed communicandi dandique significare. Quare in Latina interpretatione vetustatis auctoritatisque summæ, cui plerique Patres suffragantur, ita scriptum est, *Nondum erat Spiritus datus;* quam puto germanam esse lectionem, et in Græcis olim exemplaribus fuisse. Nam et Didymus in secundo libro *de Spiritu sancto* ita legit; et Augustinus multis in locis; et Ambrosius libro *de Incarnatione*, capite sexto. Sed ut desit, tamen subaudienda vox est *datus*, aut ejusdem potestatis alia, quæ nondum fuisse, hoc est *versatum* inter homines fuisse Spiritum sanctum doceat. De altero loco perabsurdum est Crellii judicium; putare idcirco, non esse Deum Spiritum sanctum, quod illi nescio qui nihildum audisse se de eo fatentur. Sic enim neque Christum esse funditus aliquem dixeris, nedum, ut verbo tenus confitetur Crellius, Deum, Deique Filium, quia multi, an sit, et quis sit Christus, ignorant; neque Deum Patrem, ac summum, quod iste apud Prophetam dixerit, *Non est Deus.* Sed quid mirum est, discipulos Joannis Baptistæ, nondum Christi accepto baptismate, ac solo hujus nomine, ac rudi notitia perfusos, nihil adhuc scisse de Spiritu sancto, quod Paulo statim doctore didicerunt?

Per illud quoque leve est, quod in undecimo argumento proposuit, Spiritum sanctum a Patre procedere; et quod in duodecimo habet a Patre, Filioque mitti. Nam nihil processio Spiritus sancti, uti neque generatio Filii de utriusque divinitate decerpit; et ex utroque potius genere productionis, unum ambos esse cum Patre Deum colligunt, qui et christianæ fidei, et theologicorum dogmatum non omnino sunt imperiti. Quod in sequentibus libris planum faciemus.

1 Crell. lib. I sect. III.

CAPUT VIII.

De Joannis loco illo capite XVI, 13, *in quo Spiritus sanctus a seipso non loqui dicitur; cujus falsa interpretatio a Crellio et ejus confutatore Bisterfeldio allata discutitur. Quid sit loqui, vel audire Spiritum sanctum; nec non accipere. Refelluntur interpretationes loci illius a nonnullis excogitatæ partim catholicis, partim hæreticis. Crellii inscitia in oppugnando catholico dogmate. Bisterfeldii* ἀσυλλογιστία. *Theodori Bezæ ludicra et falsa de eodem loco, et aliis similibus opinio. Exponitur alter locus* I *Cor.* II, *ubi Spiritus sanctus scrutari corda dicitur. Tum illa verba declarantur, in quibus nemo, nisi Spiritus sanctus, nosse dicitur quæ sunt Dei, ex quibus non esse Deum perperam concludit Crellius. Varia spirituum genera.*

I. In tertiodecimo argumento[1] majorem conatum explicat Crellius, atque, ut idem in respondendo faciamus, non iste solus admonet, sed etiam qui adversus illum scripsit Bisterfeldius; qui in hujus argumenti confutatione, Joannis locum sinistra interpretatione pervertit. Locus est autem ille, quo utitur Crellius, ex c. XVI, 13. *Cum autem,* ait Christus, *venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Ex quo ratiocinatur ita Crellius: « Negatur hic, Spiritum sanctum locuturum a semetipso; contra affirmatur, eum, quæ audierit, locuturum, et de eo, quod Christi sit, accepturum. Et prius quidem ideo potissimum negatur, ut ostendatur, eum recte spiritum veritatis, hoc est veracissimum fuisse appellatum; hoc vero posterius ideo de eo affirmatur, ut ostendatur, eum clarificaturum esse Christum. At Deus ille summus, quidquid loquitur, a semetipso loquitur, et ob idipsum verax est, quia a semetipso loquitur. Non audit etiam ille, quod loqui debeat, nec legati instar ab alio instruitur. Nil accipit ille a quoquam; imo de suo omnibus largitur. Non glorificavit is Christum, aliquid ab eo acci-

Argumentum e verbis C. Jo. XVI, 13 petitum expenditur.

piendo, sed ei dando. Quomodo ergo Spiritus sanctus Deus ille summus est?» Hæc Crellius, quibus antequam respondeam, veram et sinceram illius loci sententiam exponam, non ex mea, sed ex antiquorum theologorum et Patrum opinione ac judicio confectam.

Tria sunt in Christi verbis, ad quæ Photinianorum et Pneumatomachorum furor offendit : primum quod Spiritum ait a seipso non locuturum; alterum, quod ea, quæ audiet, locuturum : tertium, quod ea, quæ locuturus est, de iis, quæ sua sunt, accepturum esse dicit. Hæc quorsum dixerit Christus, prius intuendum est. Cum igitur apostolos monuisset, multa se adhuc habere, quæ illis eloqui vellet, sed ideo taceret, quod nondum iis capiendis idonei essent; subinde promittit, *Spiritum veritatis*, quem reversus ad Patrem missurus esset, *omnem veritatem* esse ipsos edocturum, adeoque illam ipsam, quam prudens tunc dissimulabat ac supprimebat. Cur autem id spiritus iste facturus sit, hoc est earum rerum notitiam impertiturus, quas, si capere possent apostoli, Christus ipse traditurus erat, causam hanc affert, quia *non loquetur a semetipso*. Quod recte sanctus Augustinus sic explicat : « Ut intelligamus, non eum esse a semetipso[1]. » Nam quia non e seipso habet essentiam, sed a Patre et Filio; neque scientiam habet a seipso, sed ab illis, a quibus procedit. Ita cum non loquatur Spiritus sanctus, nisi ex eo, quod scit, nihil autem sciat, nisi quod didicit vel audivit a Patre Filioque; nec sit audire, vel discere aliud, quam procedere; merito Christus ideo omnem veritatem, et imprimis illam, quam consulto differebat, annuntiaturum esse dixit Spiritum sanctum, quod tam a se, quam a Patre procederet. Id enim verbis illis aperit, *de meo accipiet*.

II. Hæc loci totius explicatio ex antiquitatis eruditæ Patribus expressa est, Athanasio, Chrysostomo, Basilio, Didymo, Cyrillo, Ambrosio, Augustino, Hilario, et cæteris fere, qui illum Joannis locum pertractarunt. «Quid est ergo, *Non enim a se loquitur?* quærit Ambrosius[2]; hoc est, non sine me loquitur, quia loquitur veritatem, sapientiam aspirat. Non sine Patre loquitur, quia Dei Spiritus est. Non a se audit, quoniam ex Deo omnia. » Ac paulo post, ad ejusdem efficientiæ communionem dictum illud refert, « quia a Patre non potest Filii operatio separari. Similiter et Spiritus sancti operatio non secernitur. » Quæ ratio cum superiore congruit. Nam ex eo necesse est unicam et indivisam esse personarum actionem, quod una ab altera procedit, atque ut essentiam ac naturam eamdem numero (neque enim plures esse numero possunt) sic efficiendi vim ac potestatem ab illa eamdem prorsus accipit. Porro accipere naturam et essentiam, hoc est oriri unam ab alia, tum intelligitur, cum audire, vel scire aliquid ab ea dicitur. Præclare hoc docet Ambrosius in libro quinto *de Fide*, cap. v, qui quod de se Filius asserit, *Ex meipso non sum locutus;* et, *Sicut dixit mihi Pater, ego loquor,* sic interpretatur, ut aut « ad obedientiam carnis, aut ad fidem unitatis ista referantur. Plerique enim doctiores et audire Filium, et dicere aliquid Filio Patrem accipiunt per unitatem naturæ; » ac mox idem et de Spiritu sancto asserit, « quia una scilicet sententia, et operatio Trinitatis est. » Et in alio loco, quem paulo ante citavimus[3] : «Non enim loquitur a se, hoc est, non sine mea et Patris communione. Neque enim divisus ac separatus est Spiritus; sed quæ audit, loquitur, audit videlicet per unitatem substantiæ, et per proprietatem scientiæ. »

Explicantur hæc verba: *Non enim a se loquitur.*

Quæ Ambrosii ratio sic est intelligenda, ut ad illam ipsam naturæ unitatem adjungamus et originem ac processionem, qua hæc naturæ communicatur unitas. Non enim Pater a Filio, vel uterque ab Spiritu sancto dicitur audire, vel scire quippiam, sed a Patre Filius; non ab hoc ille, neque hic a Spiritu. Item a Patre, et a Filio Spiritus sanc., non ab hoc illi; quia de eo minime procedunt, sed eum producunt. Exposuit hoc erudite Didymus in II libro *de Spiritu sancto;* ubi illa verba, *Non enim loquitur a semetipso*, sic enarrat : « Hoc est, non sine me, et Patris arbitrio, quia inseparabilis a mea et Patris est voluntate. Quia non ex se, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit, et loquitur, a Patre et me illi est. » Explicat deinde, quid sit dicere et loqui in Trinitate, ac recte monet juxta formam incorporalium naturarum id intelligendum, et « maxime Trinitatis, quæ voluntatem suam inserit in cordibus credentium.» Itaque loqui Patrem, vel audire Filium est eam Filio substantiam communicari a Patre, in qua idipsum est quod loquitur. Quod etiam de Spiritu sancto fatendum est. Atque hoc speculi similitudine pulchre Basilius

1 Tract. LXIX *in Joan.* — 2 Lib. II *de Sp. sanc.* cap. XII. — 3 Lib. II *de Sp. sanc.* cap. XII.

illustrat in libro *de Spiritu sancto*, capite octavo : » Velut formæ cujusdam expressionem in speculo dicens a Patre in Filium tempore dimanantem [a].» Igitur non loquetur a semetipso, quia non est « a semetipso (verba sunt Augustini[1]), sed, quæcumque audiet, loquetur. Ab illo audiet a quo procedit. Audire illi scire est : scire vero esse. » Fulgentius in libro septimo *contra Fabianum*[2], «Hoc etiam, inquit, a Patre, et Filio Spiritus sanctus audit, quia de Patre et Filio communis divinitatis æqualitate procedit. Non ergo Spiritus sanctus loquitur a seipso, qui non a seipso, sed de Patre et Filio habet naturalem locutionem, unde naturaliter procedens habet originis veritatem.

III. Sic etiam accipiendi vocabulum processionem, et naturæ communicationem indicat, ut Didymus ostendit. « Siquidem et Filius eadem a Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis iis, quæ dantur a Patre; neque alia substantia est Spiritus sancti, præter id, quod datur ei a Filio. Propterea autem ista dicuntur, ut eamdem in Trinitate credamus esse naturam Spiritus sancti, quæ est Patris, et Filii. » Et Augustinus sub finem tractatus centesimi *in Joannem:* « Ergo de Patre accipit Spiritus sanctus, unde accipit Filius; quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius, de Patre procedit Spiritus sanctus. » Tum Hilarius uberrime in octavo libro *de Trinitate*, docet eo ipso, quod et Filius a Patre, et Spiritus sanctus a Patre vel Filio accipere dicuntur, naturæ communionem et unitatem exprimi. « Natura itaque in omnibus tenet suam legem, et quod unum ambo sunt, ejusdem in utroque per generationem nativitatemque divinitatis significatio est, cum id, quod accipiet a Patre Spiritus veritatis, id Filius dandum a se fateatur. » Tum idem esse «a Filio accipere, quod Patre procedere,» ex quo concludit, « idem esse a Filio accipere, quod accipere a Patre. » Quem locum alibi proferemus; cum scilicet Spiritum sanctum non minus a Filio procedere, quam a Patre, contra Græcos demonstrabimus.

IV. Idem etiam significare voculas istas existimant antiqui theologi, *de meo accipiet*, et *omnia, quæ habet Pater mea sunt*. Ibi enim pronomina *mea*, et *meo*, naturam significare censet idem Hilarius, ut ex superioribus constat. Ambrosius[3] quoque, *Omnia*, inquit, *quæ Pater habet, mea sunt*. Quæ sunt omnia? Non utique locutus est de creatis. Hæc enim omnia facta sunt per Filium. Sed ea, quæ Pater habet, id est æternitatem, majestatem divinitatemque nascendo possidet. » Et alibi [4] : *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt*, hoc est, non quæ Patri ipse tradiderit, sed quæ a Patre jure generationis acceperit. » **Necnon quæ sequuntur *de meo accipiet*.**

Sic Athanasius in sermone de illis Christi verbis, *Omnia mihi tradita sunt a Patre*, eidem sententiæ suffragatur : « Omnia, inquit, quæcumque habet Pater, mea sunt; quod ipsum indicat, eum semper cum Patre esse. Nam hæc verba, *quæcumque habet Pater*, dominatum obtinere Patrem ostendunt; ista autem, *mea sunt*, individuam unitionem. Necesse est igitur, ut in Patre intelligamus esse æternitatem, sempiternitatem, immortalitatem; eaque in illo esse, non ut aliena, sed ut in fonte esse in ipso residentia, et in Filio. Cum igitur de Filio cogitare volueris, didicerisque, quænam in Patre sint, eadem illa inesse Filio crede. Si igitur Pater creatura, aut opus est, eadem illa sunt in Filio [b]. »

V. Atque etiam, quod ad confirmandam illius loci sententiam valde pertinet, idem Athanasius alibi eamdem Nicænorum Patrum mentem fuisse testatur, eosque *consubstantialis* nomen indidem hausisse. « Quoniam, inquit, ipsius propria sunt omnia, quæ sunt Patris, merito consubstantialis Patri censebitur. Sic enim Patres istud intelligentes, in Nicæna synodo professi sunt, consubstantialem, et e substantia Patris esse Filium. Recte enim animadverterunt, creatam substantiam nunquam hoc dicturam esse, *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt*. Quæ enim initium existendi sortita est, non habet in se illud, qui est, et qui erat ex æterno. Filius autem ideo æternus est, quia hæc habet [c].

a Basil. cap. viii *de Sp. sancto*. Ἀλλὰ θεοπρεπῶς νοῶμεν θελήματος διάδοσιν, οἷόν τινος μορφῆς ἔμφασιν ἐν κατόπτρῳ, ἐκ πατρὸς εἰς υἱὸν ἀχρόνως διϊκνουμένην.

b Athan. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστιν. ὃ δηλοῖ αὐτὸν ἀεὶ εἶναι σὺν τῷ πατρί. τὸ γὰρ, ὅσα ἔχει, τὴν δεσποτείαν κρατεῖν δείκνυσι τὸν πατέρα. τὸ δὲ, ἐμά ἐστι, τὴν ἀχώριστον ἕνωσιν. ἀνάγκη τοίνυν, νοεῖν ἡμᾶς, ὅτι ἐστὶν ἐν τῷ πατρὶ τὸ ἀΐδιον, τὸ αἰώνιον, τὸ ἀθάνατον· ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ οὐχ ὡς ἀλλότρια αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς ἐν πηγῇ ἐστιν ἐν αὐτῷ ἀναπαυόμενα, καὶ ἐν τῷ υἱῷ. ὅταν τοίνυν περὶ τοῦ υἱοῦ νοεῖν ἐθέλῃς, μαθὼν τίνα ἐστὶ τὰ ἐν τῷ πατρὶ, ταῦτα καὶ ἐν τῷ υἱῷ εἶναι πίστευε. εἰ μὲν οὖν κτίσμα ἐστὶν ὁ πατὴρ, ἢ ποίημα, ἐστὶ ταῦτα καὶ ἐν τῷ υἱῷ.

c Athan. in epist. *ad Serap. de Sp. sancto*. Ἐπειδὴ καὶ αὐτοῦ ἐστιν ἴδια πάντα τοῦ πατρὸς, ὁμοού-

1 Tract. xcix *in Joan*. — 2 Vide Frag. Fulg. ex Theodul. — 3 Ambr. lib. II *de Fide*, cap. iii. — 4 Ibid. lib. IV, cap. iv.

Eadem prodidit et in tertio libro *contra Arianos :* « Filii proprium est, inquit, habere illa, quæ sunt Patris, ac talem esse, ut in ipso pater spectetur[a]. » Nec non in quarto ait idcirco dicere Filium, sua esse illa, quæ Patris sunt, quoniam substantiæ hujus ille proprius est fetus. Augustinus item in tractatu CVII *in Joannem* tam illa Christi de se verba, *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt*[1], ad eumdem sensum refert, « quod etiam ipse Deus est, et de Patre Patri natus est æqualis[b]; » quam ista, de quibus agimus modo, quæque ad Spiritum sanctum attinent: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*[2]. « De his, inquit, dixit, quæ ad ipsam Patris pertinent divinitatem, in quibus illi est æqualis, omnia, quæ habet, habendo. »

VI. Cyrillus in calce libri decimi *Commentariorum in Joannem*, non aliter exponit. Ait enim Christum certiores apostolos suos fecisse, Spiritum sanctum, cum a se nulla re sit diversus, quod ad ejusdem substantiæ rationem spectat, « eadem omnino locuturum, effecturum, et in voluntate habiturum[c]. » Sic in libro undecimo operis ejusdem, capite primo, fuse istud ipsum explicat, ac verba illa, *De meo accipiet*, ad substantiæ unitatem refert; idque similitudine odoris illustrat, qui ex fragrantibus floribus emanans, horum in se qualitatem exprimit. Ita Spiritum sanctum a Patre et Filio procedentem, eamdem, quæ ambobus inest, naturam et conditionem obtinere. Capite quoque sequenti idem repetit, et odoris itidem ex aromatibus afflatu exemplo utitur. Quæ Cyrilli loca ad processionem ex ambobus Spiritus sancti contra Græcos affirmandam, in sexto libro proferam ; ut et alterum ex libro quarto et tricesimo *Thesauri*, ubi consentaneam verbis illis sententiam adhibet; quam et dulcitudinis ex melle manantis similitudine declarat.

Neque vero ab illa tot sanctorum Patrum opinione dissentiunt, qui, quod ait Christus de Spiritu sancto loquens, *De meo accipiet*, et, *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, de scientia et cognitione dictum esse significant, ut sit *de meo* idem, atque « ex iis, quæ scio, et ex mea cognitione,» ut Chrysostomus scribit; vel ut sit, « iis, quæ dico, consentanea loquetur.[d] » Etenim eodem illa revolvuntur cum superioribus, quoniam et scientia notitiaque Dei Patris ac Filii, non aliud est, quam amborum essentia; quia simplex est Deus, et nulla ei forma potest accidere; et docere, vel e contrario discere audireve personam aliquam, hoc ipsum est, producere, vel produci, sive naturam illam, in qua est doctrina ista, vel quæ est doctrina ista, communicari alteri.

VII. Hoc si animo tenueris, potes ea facile refellere, quibus nonnulli communem illam, et summa veterum concordia receptam interpretationem loci illius Joannis elevant; quod partim catholici, partim hæretici faciunt.

Imprimis Maldonatus, cujus verba describit, ac sententiam amplectitur Crellius, non solum aliter, atque antiqui illi Patres, de isto loco judicat; sed contra illorum etiam opinionem rationes aliquot opponit. Non enim probat, quod Augustinus ac Beza sentiunt, « Spiritum sanctum non loqui a semetipso, nihil esse aliud, quam non esse a semetipso; cum sit simplicius, nihil aliud esse, non loqui a semetipso, quam non loqui contraria iis, quæ ipse ex Patris locutus esset voluntate. » Non admittitur Maldonati explicatio.

Sed quod pace viri perinde pii atque eruditi dixerim, non solum probabilis illa est Augustini ac Bedæ, imo bene multorum ex antiquis opinio; sed etiam necessaria sic, ut nulla alia, nisi ista nitatur, et eam contineat, accommodari possit. Etenim Christus docere voluit apostolos, Spiritum sanctum tum omnem veritatem iis traditurum, quæ quidem ad salutem et evangelicam doctrinam attinet; tum illam præcipue, quam portare nondum poterant. Cujus hanc subinde rationem reddit,

σιος εἰκότως ἂν εἴη τῷ πατρί. οὕτω γὰρ καὶ οἱ πατέρες νοήσαντες, ὡμολόγησαν ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ, ὁμοούσιον καὶ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς τὸν υἱόν. συνεῖδον γὰρ καλῶς, ὅτι κτιστὴ οὐσία οὐ δύναταί ποτε εἰπεῖν Πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστιν. ἀρχὴν γὰρ ἔχουσα τοῦ γενέσθαι, οὐκ ἔχει τὸ ὢν καὶ τὸ ἦν ἀϊδίως. ὁ δὲ υἱὸς διὰ τοῦτο ἀΐδιος, ἐπειδὴ ταῦτα ἔχει.

a ATHAN. orat. XIII. Υἱοῦ δὲ ἴδιον, τὰ τοῦ πατρὸς ἔχειν, καὶ τοιοῦτον αὐτὸν εἶναι, ὡς ἐν αὐτῷ θεωρεῖσθαι τὸν πατέρα.

b Idem. in orat. IV. Διὰ τί δὲ καὶ τοῦ υἱοῦ ἴδιά ἐστι τὰ τοῦ πατρός; ὅτι πάλιν τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἴδιόν ἐστι γέννημα ὁ υἱός. τῆς δὲ οὐσίας τοῦ πατρὸς ἴδιον ὂν γέννημα ὁ υἱὸς, εἰκότως καὶ τὰ τοῦ πατρὸς λέγει ἑαυτοῦ εἶναι.

c CYRIL. lib. X *in Joan.* Πληροφορῆσαι δὲ μᾶλλον ἐθελήσας τοὺς μαθητὰς, ὡς οὐχ ἕτερον ὂν παρ' αὐτὸν τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, κατά γε τὸν ἐν ὁμοουσιότητι λόγον, ταῦτα δὴ πάντως λαλήσει, καὶ ἐνεργήσει, καὶ βουλήσεται.

d CHRYS. hom. LXXVIII *in Joan.* ad vers. 14. Τὸ δὲ ἐκ τοῦ ἐμοῦ, ἐξ ὧν ἐγὼ οἶδα. ἐκ τῆς ἐμῆς γνώσεως. Ibid. Συνῳδὰ τοῖς ἐμοῖς ἐρεῖ.

1 *Joan.* XVII, 10. — 2 *Joan.* XVI.

« Non enim loquetur a semetipso. » Quid autem sit « non loqui a semetipso, » statim explicat, quoniam, inquit, « quæcumque audiet, loquetur. » Et mox subjicit, quod idem valet, *De meo accipiet.* Nam unum et idem significasse duobus istis, « quæcumque audiet, loquetur, et, de meo accipiet, » vel inde constat, quod posteaquam dixit, *quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis;* statim addidit; *De meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Utrobique subjunctum istud, *et annuntiabit vobis*, indicat, idem esse duo illa, quibus adtexitur, audire, quæ loquatur, et de iis, quæ Christi sunt, accipere Spiritum sanctum. Jam vero, cum sic ratiocinetur commate decimo quinto, *propterea de meo accepturum esse dixi, quia omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt;* nonne manifestissime demonstrat, nihil esse aliud *de meo accipiet*, quam de natura et essentia mea? Quippe *meum* illud, unde accipit Spiritus sanctus, non est diversum ab iis, quæ habet Pater, et de quibus ait, *mea sunt.* Atqui vox illa *mea*, ubi scriptum est, *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt*, essentiam significat, assentiente Maldonato, qui sic adnotat: « Cum dicit, *omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, non dubium, quin essentiam imprimis intelligat. Propterea enim omnia, quæ habet Pater, ejus sunt, quia et Patris essentia ejus est, in qua omnia, quæ Pater habet, summatim continentur. Itaque recte catholici doctores, qui cum Arianis disputarunt, magnum in hoc loco adversus illos præsidium posuerunt, » etc.

VIII. Quinam ergo sibi constat, dum illa verba, *de meo accipiet*, negat sic intelligenda esse, ut hoc significent, quia ex me procedit; et qui sic interpretantur, recentiores arguit? Atqui non recentiores solos habet auctores hæc interpretatio, sed antiquissimi admodum omnes, qui contra Arianos disputarunt, aut eam diserte tradiderunt, aut certe dissimilibus verbis simili sententia complexi sunt. Sed omittamus auctoritatis contentionem. Quis illud esse consequens non videt, si quod ait Christus, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, huic ille subest sensus, « Essentia Patris mea est, » etiam alterum, *De meo accipiet*, idem valere, ac « De mea essentia accipiet? » Porro accipere de essentia Patris, vel Filii Spiritum sanct. quid esse potest aliud, quem procedere de Patre vel Filio? Non enim persona una quidpiam accipit ab altera, nisi ab ea procedendo ne novum aut adventitium aliquid in divinam personam derivari putetur. Itaque, quod supra dixi, non modo probabilis est illa veterum opinio, quæ *de meo accipiet*, sic exponit, ut sit, « a me procedit; » sed etiam necessaria.

Quod autem Maldonatus opponit, dicturum potius fuisse Christum, *de me*, vel *a me* accipiet, quam *de meo*, si illud intellexisset; hoc ab eo non debet objici, qui *meum* idem esse putat, ac *me*. Nam si, ut illi visum est, *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, cum dicit Christus, *essentiam* suam significat, essentia vero Filii idem est cum Filio; certe *de meo* dicens, idem dixit, ac *de me*. Enimvero ἐκ τοῦ ἐμοῦ pro essentia usurpari, non est incredibilius, quam si ἐκ τῶν ἐμῶν dixisset in plurali. Atqui ἐμά ἐστι, quod est in illo versu xv, 10 et in capite *Joannis* xvii, 10, cum ait, *Et mea omnia tua sunt, et tua, mea sunt* [a]; ad divinam essentiam refert Maldonatus. Igitur etiam ἐκ τοῦ ἐμοῦ eamdem significabit essentiam. Maluit autem ita dicere Christus, ἐκ τοῦ ἐμοῦ, *de meo*, quod idem est, atque ἐκ τῶν ἐμῶν, quod ἐξ ἐμοῦ, *a me*, ut ad humanum se loquendi conformaret modum. Siquidem homines tum externas opes, tum varia doctrinarum ac virtutum ornamenta, quasi divitias animi quasdam ac bona possident, a seipsis, suaque substantia diversas, easque habent in potestate, et his utuntur, ex iisque promunt pro eo, ac res tulerit. Ita Spiritus sanct. ex infinitis *thesauris sapientiæ, et scientiæ Dei*[1], qui sunt in Christo, adeoque ex iis, quæ Christi sunt, vel eo, quod Christi est, haurire dicitur, quæ apostolis tradidit, hoc est eorum, quæ Christus tacuerat, ac futurorum scientiam.

IX. Sed rursus instat Maldonatus, et « Cur non accepit, inquit, potius, quam accipiet, cum processio Spiritus sancti a Patre, et Filio, non futura, sed præterita jam esset? » Itane jam præterita est, et non futura Spiritus sancti processio a Patre, et Filio? Atqui vel neque præterita est, neque futura, si proprie, et ut dicere solent Græci, θεοπρεπῶς loquimur; *Ut decet Deum,* vel nihilo magis præterita, quam futura; si æternitatem Dei, prout est captus humanæ mentis, spectare malumus. Sic enim differentias omnes temporis exhaurit, et in se complectitur. Sed Augustinum audiamus potius argumentationi illi respondentem; de quo

a Joan. xvii, 10. Καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά.

1 Col. ii, 3.

non hoc voluisse dicere Maldonatum arbitror, quod in recentiores, tanquam illius sententiæ auctores injicit. « Nam etsi ad hæc, inquit, a quibusdam responderi scio, malim equidem nihil dicere, quam id dicere, quod dicunt. » Sic igitur Augustinus[1], « Nec moveat, quod verbum futuri temporis positum est. Non enim dictum est, quæcumque audivit, aut quæcumque audit, sed quæcumque audiet, loquetur. Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem, quod sempiternum est sine initio et sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis, et ineffabilis non recipiat fuit, et erit, sed tantum est; ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest, et ideo tantum illi convenerat dicere, *Ego sum, qui sum;* et *Dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos*[2]; tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, et nostra mutabilitas; non mendaciter dicimus et fuit, et erit, et est. Fuit in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est. Neque enim, velut qui jam non sit, cum præteritis occidit, aut cum præsentibus, velut qui non maneat, labitur, aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde cum secundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur, cujuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit. Ergo et scivit, et scit, et sciet. Ac per hoc et audivit, et audit, et audiet; quia, sicut jam diximus, hoc est illi audire, quod scire, et scire illi hoc est, quod esse. Ab illo igitur audivit, audit, et audiet, a quo est; ab illo est, a quo procedit. » Hæc Augustinus, qui quod de *audiendi* verbo docet, idem et de verbo *accipiendi* tractatu sequente asserit, nempe in Filio generationem, in Spiritu sancto processionem significare.

X. Cæterum cum duplex sit personæ alicujus processio, sive ejusdem processionis ratio duplex; altera sempiterna, et interior; altera quæ in tempore, et externæ cujusdam efficientiæ gratia fieri dicitur, ut in septimo libro clarius explicabitur; harum prior nulla temporis differentia continetur; et si quam ei adjungi sermonis cogit necessitas, præsenti potius utimur, quemadmodum in illo *Exodi* loco Deus dixit, *Ego sum qui sum*, et *Qui est, misit me ad vos;* posterior autem, uti cum tempore est implicata, sic omnes illius differentias recipit. Quare cum missio illa externa Spiritus sancti, de qua Christus loquebatur, futura adhuc esset, futuri itidem verbo temporis eam expressit. Denique una eademque divina processio, ut in se est; nulla temporis circumscriptione definitur: ut autem externum aliquid efficit, secundum varietatem ejus, in quo fit, temporis efferri solet.

Atenim cum illa interpretatione non cohærent ista, quæ sequuntur, *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet*. Id enim tertio loco Maldonatus objicit. Verum non modo belle congruunt, ut paulo ante docui; sed ne aliter quidem cohærent, etiam in illa interpretatione, quam Maldonatus sequitur, ut ostendam paulo post.

Denique non plus virium contra nos habet, quod postremum opponit idem: « cum de testimonio hic ageretur, quod Spiritus sanctus de Christo perhibiturus erat, quoque eum erat glorificaturus, oportuisse illud esse conspicuum atque manifestum; alioqui quomodo propter illud Christum clarificare poterat? Processio autem illa essentialis non erat conspicua. Non ergo tanqaum argumentum afferri potuit, unde discipuli colligerent, Spiritus sancti opera in Christi gloriam redundare; hoc enim erat eum clarificare. » Sed hoc nihil est. Non enim tanquam notius et clarius id assumit, Spiritum sanctum a se procedere, ut eo prius cognito, ad alterius tanquam abstrusioris notitiam pervenirent apostoli. Sed e contrario ex hoc, quod in conspectu futurum erat, hoc est ex missione externa Spiritus sancti, et admirabilibus ejus operibus et signis, ad intimæ et arcanæ illius processionis et originis cognitionem illos perducere studebat. Itaque recta et propria naturæque consentanea est disputationis illius series; ut idcirco Spiritum sanctum dicat Christus ad sui clarificationem et commendationem operam esse navaturum, et ea omnia, quæ docere paratus erat ipse, traditurum; tum hoc non aliter, aut contra quam ipse fecisset, executurum esse, quod quidquid eloqui ac facere instituet, ex sapientia et potentia sua sit accepturus, hoc est ex opibus bonisque suis; neque dicturus quidquam, nisi quod a se audierit. Id autem alio

1 Tract. XCIX *in Joan.* — 2 *Exod.* III.

modo fieri, quam processione hujus ab illo, ne fingi quidem potest, nisi ab impiis et Crellii similibus, qui communem sensum cum pietate perdiderunt.

XI. At Maldonatus, damnata communi illa veterum interpretatione, sic potius explicandum esse locum illum putat. « Vera igitur, inquit, interpretatio, *quia de meo accipiet*, id est, quia meo nomine veniet, quia non aliam quam meam, vobis, tanquam legatus meus, doctrinam tradet, etc. Propterea dixit, *de meo*, non *de me*, quia significare voluit, accepturum de doctrina, et operibus suis, quidquid inter homines docturus, quidquid facturus erat; non quod eadem ipse ante non haberet, sed quia, ut ait Cyrillus, accommodate ad humanum loquitur sensum. Solent enim legati, cum a principe discedunt, accipere mandata, quæque dicturi, quæque facturi sunt. » Tum fatetur « ex hoc loco colligi Spiritum sanctum a Filio procedere. » Inter hanc Maldonati sententiam, et superiorem, vel nihil interest omnino : vel si quid differunt, Maldonato ratio non constat. Duas esse dixi missiones processionesque Spiritus sancti, sempiternam ac divinam alteram, alteram in tempore et extrinsecus factam, quæ ex illa sequitur, et ad eam ratiocinatione colligendam, velut via et ordine deducit. Quamobrem cum dicit Christus, *De meo accipiet, et annuntiabit vobis*, proximo quidem et obvio sensu, scientiam et intelligentiam eorum, quæ perdocturus est, significare voluit, quam esse suam, et a se communicatam cum illo Doctore ac magistro aperte indicat; ex consequenti vero, etiam substantiam ac naturam, ex qua ceu fonte manat illa scientia, imo ipsamet est scientia ista. Hoc nisi Christum in tota illa disputatione voluisse concedimus, neque sibi ipsa consentanea est, ut supra demonstravi, nec illa consequuntur, quæ inde colligi Maldonatus fatetur. Qui enim verum est a Filio procedere, et essentiam accipere Spiritum sanctum, si de essentiæ communicatione, in qua sola divina posita processio est, sermo istic est nullus? Potest vero « cum dicit Christus, *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, essentiam imprimis intelligere, » ut Maldonatus loquitur, si cum ait, *de meo accipiet*, non eamdem essentiam intellexit? Hæc non tam adversus summi viri sententiam et interpretationem, quam pro ipsa, contra ejus verba, paulo fusius explicavi; quod cum reipsa nihil ab antiqua et recepta, nostraque adeo distet, sermone solo discrepet; tum ut auctoritate tanti viri abuti Crellius, ac similes hæretici desinant, qui quod ille de legato sumpsit exemplum, ad invidiam summæ divinitatis, quam in Spiritu sancto parem et eamdem cum Patre ac Filio christianum nomen omne fatetur, impie traxerunt. Sed etsi legati quodammodo, vel etiam vicarii partes, ut quidem Patres loquuntur, obierit « Paracletus ille, quem in Christi nomine misit Pater; » non idcirco velut capite minutus, summus et æqualis utrique Deus esse desinit. Est enim illa temporaria quædam et externa functio, ad quam efficientiam duntaxat suam demittit et accommodat Spiritus sanctus, cum interim illibata, et integra majestas illa ac divinitas permaneat. Sicut cum, antequam homo fieret, Filius ipse, ex plurimorum veterum opinione, sub angeli specie ac nomine mitteretur, quasi vices Patris obiens, non ideo statu divinitatis excidebat suæ, sed externo et aspectabili signo commune decretum administrabat.

XII. Hac loci illius constituta sententia, machinæ omnes Crellii ac fallaciæ concidunt, quæ sola Maldonati, eaque perperam intellecta opinione fulciuntur, ac legati potissimum, quo ille usus est, exemplo. In quo plane antiquum suum obtinet, ut cujusmodi sit catholicum de Trinitate dogma vel nesciat, vel malitiose dissimulet. Nisi hoc esset, num pro magno id incommodo nobis objiceret[1], « Spiritum sanctum non esse primum eorum, quæ discipulis Christi patefecit, auctorem, sed alterius, nempe Christi, atque adeo ipsius Dei Patris voluntate factum esse, ut is ea, quæ discipulis dictavit, revelaret? » Quasi hoc antiqui omnes theologi non aperte doceant; novi itidem plenis disputationibus non explicent, ita Filium et Spiritum sanctum unum cum Patre Deum, ac summum, et auctorem ac conditorem esse creatorum omnium; sui ut auctorem ac rerum, quas obtinent, omnium habeant personam illam primam, a qua procedunt. Quod quidem cum summa Dei majestate non pugnat; quod temere ac passim occinit Crellius; qui simplici affirmatione contentus, neque quod tam sæpe adversus communem Ecclesiæ fidem asserit, ratione probavit ulla, neque probare unquam poterit. Discat igitur, si ad hanc diem intellexit, eatenus Filium, ut et Patrem, auctorem

1 Crell. lib. I, sect. III, cap. XIII.

esse omnium, quæcumque dixit Spiritus, ut essentiam et divinitatem ab utroque communicatam accipiat ille: qua in essentia tum voluntas ipsa dicendi, tum in tempore proferenda illa dictio continetur, ut ex Augustino alibi declaravimus.

Bisterfeldii inepta argumentatio.

XIII. Ut ille Crellii in catholico impugnando dogmate vanus est irritusque conatus; ita qui cum hoc retiario compositus, velut secutor, depugnavit Bisterfeldius, nihil egit omnino, pessimeque locum illum Joannis habuit. Primum iis in verbis, *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*[a]; jubet hoc animadvertere, Græce esse non ἀλήθειαν simpliciter, sed τὴν ἀλήθειαν, hoc est *illam veritatem*. Itaque « Spiritus ille veritatis introducet vos, inquit, in omnem, non simpliciter veritatem, sed illam veritatem; illam nimirum, quam vobis nondum, ut volo, dixi, quamque jam portare non potestis. » Addit ex articuli τὴν neglectu ortas esse « omnes illas quorumdam interpretum aberrationes. » Sed inepta est et inanis hæc de articulo contentio. In quo nimis odiose ac putide conflictari solet Beza, tanquam ubique ἐμφατικῶς usurpetur Græcus articulus

Significanter.

Quare plerumque vim ejus exprimendam putavit interpretatione sua, addito Latino pronomine *ille;* quod adeo præter decorum, et importune facit, nihil ut illius versione fieri possit absurdius. Exemplo sit primus *Evangelii* Joannis versiculus, quem ille vertit sic: « In principio erat Sermo ille, et Sermo ille erat apud Deum, eratque ille Sermo Deus.» Ejusmodi sunt reliqua fere, quæ cum legimus, risum vix tenemus. Atqui neque hoc fecit ubique, sed articulum non raro dissimulavit, et ibi, ubi rationem ejus habuit, tam merito potuit omittere, quam ubi neglexit. In isto ipso versu Græce legitur, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. Cur non ergo sic Latine reddidit, « Et sermo ille erat apud illum Deum? Nam Deus hic non infinite sumitur, sed proprie, et ἐμφατικῶς, ut certam personam significet non minus quam ὁ λόγος. Age in sequenti commate, quod sic vertit: « Hic Sermo erat in principio apud Deum; » nonne « apud illum Deum » scribi oportuit, cum sit in Græco πρὸς τὸν θεόν? In illo porro loco Joannis[2], quem modo tractamus, eadem licentia grassatus est. Sic enim interpretatur, « Cum autem venerit ille, id est Spiritus ille veritatis, dux viæ vobis erit in omnem veritatem. » Atqui, quod Bisterfeldius observavit, tam articulus τὴν ad ἀλήθειαν adjunctus est, quam τὸ ad πνεῦμα. Sed ab eruditis viris olim ludibrio est habita novi hæc interpretis affectatio; et nuper ab earumdem, quarum ille fuit, partium scriptore jure vapulavit.

Significanter.

XIV. Ut ad Bisterfeldium redeam, nego istic locum esse curiosæ illi animadversioni Græci articuli; neque solum veritatem illam dici traditurum esse Spiritum sanctum, quam differre se Christus dixerat, sed etiam alia multa ejusdem generis, quæ illius temporis non erant sed pro re nata opportunitatem suam haberent. Hic acutissimo, ut putat, invento causam ille suam propugnat, ac « Mirari, inquit, subit, quod articulum non perpenderint, cum sensus ipsius vim manifeste indicet; alias enim sequeretur, quod Spiritus sanctus discipulos in omnem plane veritatem, puta philosophicam, medicam, mechanicam, et sic deinceps, introducere debuerit. » Mihi vero mirari subit potius, non illum vidisse, quam parum acute, imo ἀσυλλογίστως, absurdeque procedat ista ratio. Vide enim, quid ex ea sit consequens. Christum ecce *Joannis* xv, 15, apostolos suos alloquens, *Omnia*, inquit, *quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Ibi non est articulus, qui nomen restringat; sed absolute positum est πάντα. Quare per eadem argumenti vestigia eo res deducitur, ut Christus apostolos omnia penitus, quæ audivit a Patre, docuerit, hoc est infinitam illam, quam accepit ab illo, scientiam in eos transfuderit; adeoque falsum sit, quod sequenti capite dixit, multa se adhuc habere dicenda, quæ nondum ferre poterant. Quis igitur non videt, etsi infinite vel expressa sit, vel intelligatur vox *omnia*, ea nihilominus subaudienda duntaxat, de quibus ex contextu sermonis, ac dicentis, et auditoris persona, cæterisque circumstantiis, prudens debet fieri judicium? Sic cum *omnem veritatem* edocturum esse Spiritum sanctum ait Christus, non profanam, non inutilem, non alienam ab negotio, quod tum inter illos agebat ur, intelligi voluit, sed illorum statui, vocationi ac ministerio consentaneam, quæ nimirum ad ipsorum et commissæ iis Ecclesiæ salutem ac rectam administrationem pertinebat.

Omnia.

XV. Illud quoque cui tandem probabit

a *Joan.* xvi, 13. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.

1 *Joan.* xvi, 13.

Bisterfeldius, ἀφ' ἑαυτοῦ λαλήσει *a semetipso loquetur*, idem esse ac *de seipso?* « Id est non de se tantum, ait ille, tanquam de primario themate, ac objecto loquetur. » Non enim hoc Græce linguæ proprietas patitur, ἀπό τινος λαλεῖν interpretari sic *loqui de aliquo*. Velut *Joannis* XVIII, 34, Pilato Christus ita respondet: *A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt sibi de me?* ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις; quis sobrius ibi ἀφ' ἑαυτοῦ putet esse de teipso? Ejusdem generis istud est, *A meipso non veni*, *Joannis* VII, 28 quod, quid sit, statim explicat : *Sed est verus, qui misit me*, inquit. Unde constat ei quod est *a seipsa venire* opponi istud mittente alio, vel alterius nomine et auctoritate venire. Sic igitur *a seipsa loqui*, est propria loqui voluntate, et, ut supra diximus, ei adversa, quocum concordare debuit, et ad eum velut auctorem referri.

Neque vero commodior est Theodori Bezæ interpretatio putantis in eo, quod Christus ait, « *De meo accipiet*, evangelicam significari doctrinam, cujus materia est ipse Christus, et quæ pro nobis gessit. » Tum illud parum prudenter, quod « vagari extra oleas dicit, qui de Spiritus sancti deitate, et sacrarum personarum nexu in hunc locum disserunt adversus Pneumatomachos. » Nos, si sapimus, antiquis potius omnibus auscultabimus, qui ut supra vidimus, aliter judicant, quam novo isti Evangelii falsatori, qui quidquid libitum est, impune, ac sine ratione pronuntiat.

XVI. Quartum decimum locum Crellius[1] contra Spiritum sanctum ex Apostoli petit verbis istis: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*[2]. Tum paulo post : *Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Hinc enim triplex informat argumentum: « Primum est, quod Deus per Spiritum suum nobis aliquid revelasse dicitur. Inde enim patet, non primam, sed mediam illius revelationis causam esse; id quod in Deum summum non cadit. » Sed in hoc refutando morari nihil attinet. Satis enim ejus, quod assumit, falsitas apparet, superiori convicta disputatione, in qua sæpius ostensum est, nihil officere personæ cujuspiam summæ divinitati, quod ab altera sic procedat, ut per illam hæc aliquid efficere dicatur. Deinde quod ad *summi* vocabulum, et notionem spectat, in ambiguo conflictari, ac ludificari

Argumentum diluitur e verbis Apost. I *ad Corint.* II, 10

Crellium diximus. Quæ omnia postremus hujus operis liber illustriora clarioraque faciet. Altera Crellii argumentatio, «quod dicatur scrutari etiam profunda Dei, » quod non faceret, si Deus summus esset. « Neque enim quispiam dicitur scrutari ea quorum clarissima et perfectissima notitia ipsi primo inest, et quæ ab ipsomet primo sunt constituta atque decreta. » Atqui, quod Augustinus respondet[3], scriptum est de Deo, *scrutans corda, et renes Deus*[4]. Sed instat ex adverso Crellius, « Dicitur quidem Deus, ac Christus scrutari corda nostra, quia in alieni pectoris secreto penetrat; at sua consilia, sua profunda nuspiam scrutari dicitur. » Sed hoc nihil ad rem pertinet. Nam si verbi vis enucleanda sit, nemo id scrutari dicitur, quod jam *apprehendit*. Hoc enim vocabulo utebantur hæretici illi, contra quos disputat ibi sanct. Augustinus, tanquam *apprehensio* scrutandi terminus sit, neque, quod semel apprehensum est, scrutari aut inquirere amplius oporteat. Suis itaque laqueis, et « captiosis strophis, » ut cum Prudentio[5] dicam, implicatus tenetur Crellius. Deus enim humani consilia cogitataque pectoris, quamlibet alieni, perspecta penitus habet et comprehensa, neque scrutari ea et indagare illi opus est. Quare tropicam hanc esse locutionem vel invitus admittet Crellius. Cujus ferreum os contundent ejusdem generis ac modi sexcenta loca, quæ humano more, et ad captum vulgi de Deo scripta sunt in sacris Libris, quæ studiose notata redegit ad certa capita Adrianus Græcus scriptor[6] in *Isagoge in sacram Scripturam*. Deus, exempli causa, descendere dicitur, et in rem præsentem venire, ut rem aliquam certo cognoscat : *Descendam*, inquit, *et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non est ita, ut sciam*[7]. Hæc sunt scrutantis et inquirentis, ac quodammodo nescientis, et nosse cupientis Dei. Ut illa *Psalm.* XIII, 3 : *Dominus de cœlo perspexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* Eodem pacto scrutari, id est perfecte nosse, non obscure, et quasi perfunctorie dicitur Spiritus sanctus ea, quæ Dei sunt. Quod statim clarius exponit Apostolus in eodem illo loco, ac divinitatem illius luculento testimonio comprobat. *Quis enim hominum scit*, inquit, *quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et, quæ Dei*

1 Crell. lib. I, sect. III, cap. XIV. — 2 I *Cor.* II, 10. — 3 Lib. III *cont. Max.* cap. XV. — 4 *Ps.* X. — 5 In Præf. *ad Apoth.* — 6 Editus ab Hoeschelio, Augustæ, an. 1602. — 7 *Gen.* XVIII, 21.

sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nosse ait, non scrutari tantummodo Spiritum sanctum ea, quæ Dei sunt; ex quo Deum illum esse probat Ambrosius[1]; et eos falsos esse concludit, qui aliquid ignotum esse putant Filio Dei, vel Spiritui sancto, velut novissimi judicii diem. « Quæ Dei sunt, cognovit, inquit, et Deispiritus; quæ autem non cognovit Spiritus Dei, utique Dei non sunt. » Et Basilius in quarto lib. *Antirrh. adversus Eunom.*, quem locum describit Euthymius in *Panoplia*[2], Cyrillus Alexandrinus illud ipsum etiam Filio tribuens causam affert, quæ et in Spiritum conveniat, et ad hanc nostram illuminandam orationem nonnihil conferat: « Dominus, inquit, noster Jesus Christus, cum sit Verbum, et consilium, et sapientia Patris, novit absque ullo docente, quæ sunt in seipso, ac genitoris sui profunda scrutatur, quemadmodum et mens humana, quæ in ipsa sunt, et quæ in nobis, ac secundum nos est intelligentia, nihil prorsus eorum, quæ nobis insunt, ignorare videtur. » Quod de Filio, qui est Patris sapientia, et expressa ratio, vel intelligentia, figurate dictum est a Cyrillo, *curiose ipsum scrutari* profunda Dei consilia, idipsum et de Spiritu sancto, qui expressa voluntas est Patris et Filli, merito scripsit Apostolus. Nam quæ *judicia*, sive *consilia Dei* Scriptura vocat, id est *decreta et statuta*, ea partim ab mente et intelligentia, sive sapientia, partim ab voluntate et amore proficiscuntur. Itaque tam Spiritui sancto, quam Filio ignota esse nequeunt, quoniam ab utroque non minus quam a Patre, imo per illos ab hoc exprimuntur, et oriuntur,

XVIII. Tertio denique illis ex Apostoli verbis probare nititur quod vult Crellius, *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Nam « si Spiritus sanctus, inquit, persona esset a Patre et Filio distincta, quæ proprie loquendo scire diceretur, non recte affirmaretur neminem, præter ipsum, ea scire, quæ Dei sunt. Scirent enim, præter ipsum, etiam Pater et Filius, idque primo. » Quod autem a catholicis excipi posset, « particulam, *nemo*, hic opponi tantum creaturis, vel potius creaturas tantum, hominesque complecti, quasi dictum esset: *Nemo hominum ea scit:* « id ille sic refellit: « Quam ridicula, quæso, atque Apostolo indigna ejusmodi fuisset oratio! Nemo hominum, aut creaturarum ea scit, quæ sunt Dei, nisi Deus Pater, aut nullus angelus ea scit, quæ sunt Dei, nisi Christus, aut Spiritus sanctus. » Ejusdemmodi plura congerit, in quibus juveniliter exultat, jactatque se Crellius. Sed sophisticæ istæ præstigiæ, ut illudere possunt imperitorum oculos, sic proprius inspectæ ac solerter excussæ, statim id, quod sunt, apparent, tricæ inanes, et ineptiæ. Contra quas breviter ita præscribimus: Quoties plura inter se comparantur, e quibus, exclusis cæteris, uni duntaxat, vel alteri convenire aliquid dicitur, cum hac enuntiandi formula, « Nullus ex illis ejusmodi est, præter hunc, vel illum, » oportere commune aliquod esse genus, nomenque generis, vel quasi generis, sub quo illa omnia comprehendantur. Ut cum dico, nemo, præter Christum, pro humanæ labe naturæ Deo satisfecit; necesse est eos omnes, qui cum Christo conferuntur, excludique dicuntur, eadem contineri appellatione hominis, ac specie; vel, ut latius comparatio pateat, et ad corpore carentes etiam spiritus pertineat, commune tunc erit genus, rationis particeps, intelligensve natura, vel substantia; vel denique, ut quam amplissime diffundatur enuntiatio, creata substantia, naturave, genus erit, sub quo Christus homo, ac cæteri homines, et angeli ipsi comprehenduntur. Potest et longius procedere comparatio, et sub communi aliquo velut genere institui, quod divinas etiam personas omnes amplectitur; cujusmodi est persona, sive intelligens natura, aut τὸ ὄν, id est *ens* ipsum. Exempli causa, si quis ita pronuntiet, « Nullus duplici natura constat in eadem persona, præter Christum; » Christus utique non cum solis hominibus, aut etiam angelis contenditur, sed cum personis insuper divinis cæteris, adeoque cum omnibus substantiis.

XIX. Hæc a nobis communi ex hominum sensu et ratione confecta regula, si ad illum, de quo agitur, Joannis locum adhibeatur, Crellianas omnes argutias, velut tenebras lux infusa, dissipabit. Cum Apostolus ita loquitur: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, vox illa, *nemo*, non homines creaturasve sim-

a Cyril. lib. II *in Joan.* Ὁ μὲν γὰρ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐπείπερ ἔστι καὶ λόγος, καὶ βουλὴ, καὶ σοφία τοῦ πατρὸς, οἶδεν ἀδιδάκτως τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τοῦ τεκόντος αὐτὸν τὰ βάθη περιεργάζεται, καθάπερ ἀμέλει καὶ ὁ νοῦς ὁ ἀνθρώπινος τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ ἡ ἐν ἡμῖν τε, καὶ καθ' ἡμᾶς νοουμένη σύνεσις, οὐδὲν τὸ παράπαν τῶν ἐν ἡμῖν ἀγνοῦσα φαίνεται.

1 Lib. V *de Fide*, cap. VII. — 2 Parte I *Tit.*

pliciter excludit, sed spiritus alios, qui cum Spiritu Dei, vel sancto, generali nomine, tanquam genere, comprehenduntur. Habet enim *Spiritus* vox peculiarem quamdam notionem, ut eam substantiam significet, quæ illapsa, insinuataque animis hominum occultarum iis rerum notitiam infundit, maxime futurarum, quam Græci propterea ἐπίνοιαν, Latini *inspirationem afflatumque* nominant; cui utrique vocabulo eadem apud Græcos τῆς πνοῆς, vel τοῦ πνεύματος origo respondet, sicut apud Latinos *flare* et *spirare* eamdem habent significationem. Sic apud poetam Sibyllæ,

« magnam mentem, animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura. »

Sunt igitur multiplices illi spiritus, qui et ipsi substantiæ sunt, ne nos ad suam illam vim, et efficientiam ἀνυπόστατον et transeuntem impune revocare contendat Crellius. Ac triplicis præsertim generis sunt illi Spiritus. Est enim humanus, quem nominatim commemorat Apostolus in illo, de quo agimus, loco, eumque dicit *ea scire, quæ sunt in homine*. Est angelicus, isque duplex, bonus, et malus, qui et in hominibus loquitur; ut apud Zachariam [1], *Et ecce angelus, qui in me loquebatur;* quod Tertullianus observavit in libro *de Carne Christi* [2]. Est postremo divinus, sive sanctus Spiritus. Cum igitur isti omnes generali ambitu, ac vocabulo Spiritus includantur, merito cum reliquis divinum Spiritum componit Apostolus, et ab isto solo divinas res capi, comprehendique docet, non autem ab aliis. Ideo mox ista subjicit: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Erant tunc in Ecclesia Corinthiorum variis donis, ac cœlestibus charismatibus præditi complures, et inter hos prophetico instincti spiritu; cujusmodi *spirituales* vocare licet. Sic enim *Osee* IX, 7, *virum spiritualem* Latine vertit interpres noster, qui Hebraice Græceque propheta dicitur, sed falsus, et a pravo afflatus spiritu. Tales etiam apud Corinthios, et alibi primis temporibus in Ecclesiis versabantur improbi spiritus, qui etiam prudentes homines in errorem abducebant, et pro veris interdum solebant obrepere. Itaque peculiari quodam ad secernendos illos dono Dei opus fuit, quam *discretionem spirituum* vocat Apostolus [3] ibidem. Eodemque pertinet Joannis hæc hortatio : *Charissimi, nolite omni spiritui credere : sed probate spiritus, si ex Deo sint. quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum* [4]. Ac subinde certam notam, et κριτήριον subjicit, quo bonus a malis discernatur Spiritus, ejusmodi fere, quale a Paulo traditur prioris *ad Corinthios* XII, 3.

Non subsistentem.

XX. Illud porro in Joannis verbis illis sane commodissimum, quod Spiritum Dei, hoc est prophetici illius muneris largitorem cum falsis spiritibus confert, sive falsiloquis, quos *spiritus erroris* Paulus alibi [5] nominat. Nam quia Spiritus omnes isti sunt, et quod Spiritus proprium est, efficiunt, ut arcanarum, maximeque uti dictum est, futurarum rerum scientiam inspirent, jure, qua sunt idipsum, vocanturque *spiritus,* inter sese comparantur, non ut alio nomine, ac genere continentur, ut puta creaturæ, spiritus illi falsi, divinoque contrarii. Ex quo jam illud perspicue constat, quatenus in illo, de quo disputatio hæc a nobis instituitur Apostoli loco, Spiritus sanctus cum reliquis contenditur sic, ut exclusis his, solus ille, quæ sunt Dei, dicatur intelligere. Etenim hujus adversarii spiritus divina se nosse, ac prædicere simulant; quæ solum perscrutari ac patefacere Dei Spiritum Apostolus monet. Hæc porro verissime, et ad Apostoli mentem aptissime a nobis esse dicta cognoscet, qui veterum de illis, quæ hic attulimus, locis sententias et interpretationes legerit, imprimis Chrysostomi ad duodecimum caput prioris *ad Corinthios*, aliorumque Græcorum, ut Œcumenii; necnon Ruperti ad caput XVI *Joannis*, dum hæc verba illius exponit *Commentariorum* duodecimo libro: « *Non enim loquetur a semetipso*. Spiritus enim, qui a semetipso loquitur, verba sunt Ruperti, non spiritus veritatis, sed spiritus est mendacii, et omnes prophetas mendaces facit; ut prophetent de corde suo, quod Dominus non est locutus, et confingant esse, quod non est, vel malum esse, quod bonum est, et bonum esse, quod malum est. » Hic nimirum, quod modo dicebam, spiritus recte Rupertus appellat, non efficientias afflatusque ab certis substantiis inditos, sed auctores ipsos, qui mendaciis suis, ac falsis inspirationibus sui similes, hoc est mendaces faciebant prophetas ; quibus proinde verus bonusque, et idem οὐσιώδης, id est *substantivus* Dei Spiritus opponitur.

XXI. Postremum contra Spiritus sancti divinitatem Crellii argumentum, quod ex illa

1 *Zach.* II, 3. — 2 Cap. XIV. — 3 I *Cor.* II, 1. — 4 I *Joan.* IV, 10. — 5 I *Tim.* I, 1.

Spiritus sancti ad Jordanem descendentis specie conficitur, ad externam Spiritus sanc. missionem refertur, nec nisi ea cognita diligentiusque perspecta, potest explicari; quod in postremo faciam operis hujus libro. Nunc unum hoc breviter attingam, tres in una divinitate personas ex apparitione illa non immerito colligi, non ex iis, quæ tum ad sensus appellebant, externis, et aspectabilibus signis, corporibus ac sonis, ut per sese spectantur. Sic enim a tribus ex æquo personis, non ab una quapiam seorsim efficiebantur; sed ut certam ex iis referebant, ad quam exprimendam communiter ab illis externa ista signa proferebantur. Quemadmodum si ab tribus hominibus, Socrate, Platone, et Aristotele, eamdem numero pronuntiari vocem cogitemus, ac nomen ipsorum aliquod, veluti Platonem; etsi ab tribus æqualiter profecta sit res ipsa, qui est sonus, et vox extrinsecus ad aures affluens, non tres tamen, sed una ex iis persona significabitur. Atque hoc rursus in postremo libro a nobis exponendum erit. Interim pauca ista sufficiunt ad retundendas Crellianas nugas, ut frustra tumultuari desinat, ac non minus tres putare, quam unam aliquam ibi repræsentatam esse personam.

CAPUT IX.

Dissolvuntur sophisticæ argutiæ Crellii, quibus Trinitatis fidem labefactare conatur. Etsi singulæ personæ sint Deus, non tamen Deos esse tres, uti personæ sunt. Crellii paralogismus principium petentis. Deum summun non esse unam personam. Athanasii symbolum ab ejus calumnia defensum, quatenus neque plures deos, neque plures omnipotentes, etc. nominari asserit; cujus ratio redditur. Quid significet vox, Deus. *Non esse unamquamque personam trinam. De hoc axiomate,* Quæ sunt eadem uni tertio, eadem sunt inter se. *Quid sit petere principium. Aliæ Crellii nugæ.*

Postquam satis superque divinis Scripturis Photinianus illusit Crellius, ex iisque toto priore libro contra divinitatem Filii ac Spiritus sancti, impietate magis horrendam, quam vi, et impetu metuendam instruxit aciem; altero deinceps in libro, seposita auctoritate, ad syllogismos et argumenta convertitur, ac sanctissimæ Trinitatis dogma non novis, aut arcessitis, vel excogitatis a se rationibus aggreditur, sed ex populari scientia et sermone depromptis. Nam omnis in hoc illius conatus incumbit, ut rancidas et obsoletas superiorum hæreseon nugas, et quisquilias colligat, atque ex humana sapientia et creatarum conditione rerum, metiendam esse persuadeat conditoris essentiam. Qua in re perpetuis fere paralogismis et sophisticis captionibus irretire studet, ac circumvenire parum callidos lectores; ut ad eum refellendum non tam divinis theologicisque principiis, quam Aristoteleis sophismatum elenchis opus ei sit, qui ad sordes istas everrendas animi satis habebit atque otii. Nos, ne quid ad institutum desit, postremam hanc confutandi illius operam, parce impendemus, ac leviter, quod, quæ ille firmissima et ad solvendum difficillima putat argumenta, ea in scholis theologorum usu trita et agitata sæpius, nullius momenti jam habeantur, sed inter indoctos ab eruditis contempta passim et proculcata jaceant.

Primus illius impetus ad Trinitatis elevandam universe fidem ita grassatur[1]: « Seipsum, inquit, dogma illud evertit, quia simul unus et tres dii forent. Nam ubi tres sunt personæ realiter inter se distinctæ, quarum quælibet sit Deus summus, ibi tres dii summi sunt. Omnino enim ex hac opinione sequitur, vel Patrem esse Filium, et Spiritum sanctum, ac vicissim, vel alium numero Deum esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum. » Quod ad prius attinet, sic ille argumentatur: « Unus ille Deus summus est Pater, testantibus sacris Litteris, et fatentibus adversariis. At Filius, ex adversariorum sententia, est unus ille Deus, ille idem nimirum numero, qui Pater modo dictus fuerat. Ergo Filius est Pater. » Posterius autem demonstrat sic. Quemadmodum recte colligitur, « Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus est persona divina; ergo tres sunt personæ divinæ, non una; similiter, inquit, recte argumentor: Pater est Deus summus; Filius est Deus summus, Spiritus est Deus summus; ergo tres sunt dii summi.»

Argumenta contra Trinitatem e ratione petita. I argum.

II. Quam hæc inania sint, et ad vexandam catholicam professionem imbecilla, utpote de trivio petita, nemo in re fidei utcumque doctus ignorat. Objiciebat eadem olim Paulus Samosatenus, et ab Antiocheni concilii Patribus ideo rejectus a communione christiana, eam damnationem excepit, quæ in Crellium,

1 Crell. lib. II, sect. I, cap. I.

ejusque consectaneos redundat. «Quisquis autem contradicit, aiunt Patres, ac Filium Dei negat esse Deum ante mundi constitutionem, credere profiterique asserens, duos prædicari Deos, si quis Filium Dei Deum esse pronuntiet, hunc ab ecclesiastico canone alienum esse censemus[a]. » Adversus istos ignavorum canum latratus armat nos catholicæ, et apostolicæ fides Ecclesiæ, quæ sic unamquamque de tribus personam summum esse confitetur, ac verum Deum, ut nonnisi unus sit summus ac verus Deus. Tertullianus auctor antiquissimus in libro *contra Praxeam* capite XIII, hæreticum istum eadem, quæ modo Crellius, contra catholicos opponentem, ita refellit: «Duos, inquit, definimus, Patrem, Filium, et jam tres cum Spiritu sancto, secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum, etc. Duos tamen deos, et duos dominos nunquam ex ore nostro proferimus, non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et Deus unusquisque. » «Nec eos audiamus, ait Augustinus[1], qui indignantur, et stomachantur, quia non tres deos colendos dicimus. Nesciunt enim, quod sit una eademque substantia, et phantasmatibus suis illuduntur; quia solent videre, corporaliter vel animalia tria, vel quæcumque corpora tria, locis suis esse separata. Sic putant intelligendam substantiam Dei, et multum errant, quoniam superbi sunt, et non possunt discere, quia nolunt credere. » Hilarius item in tertio libro, « Sunt plures, ait, sæculi prudentes, quorum prudentia Dei stultitia est, qui cum audiunt, Deum ex Deo, verum a vero, perfectum a perfecto, unum ab uno natum esse, tanquam impossibilia nobis prædicantibus contradicunt, quibusdam sententiarum collectionibus inhærentes. » « Nos itaque, ut cum Augustino[2] loquar, ita non dicimus duo, vel tria principia, cum de Deo loquimur, sicut nec duos deos, vel tres nobis licitum est dicere; quamvis de unoquoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto etiam singulum quemque Deum esse fateamur. Nec dicimus tamen, quod hæretici Sabelliani, eumdem esse Patrem, qui est et Filius, et eumdem esse Spiritum sanctum, qui est et Pater et Filius. »

III. Hujus admirabilis, et immensi, nec profanis auribus animisque committendi mysterii causa hæc una potissima est, quod sit una trium divinitas, et substantia. Sic Athanasius in libro *de Synodis*, « Si, inquit, unam agnoscimus, et solam Patris deitatem, hujusque Verbum, et Sapientiam esse Filium, et ita credentes, non dicimus duos filios, etc. Quare propterea non dicimus duos deos, sed unum Deum, quod sit una species divinitatis[b].» Et Gregorius Nazianzenus oratione XXXIX: « Unum enim in tribus divinitas est, et tria unum, ea, inquam, in quibus divinitas est, vel, ut magis proprie dicam, quæ divinitas est[c]. » Ambrosius in libro *de Symbolo*, cap. II. « Ita ergo rectum et catholicum est, ait, ut unum Deum secundum unitatem substantiæ fateamur, et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum in sua quemque subsistentia sentiamus, etc. Una est igitur in tribus deitas, et tria sunt, in quibus una deitas. » De qua unitate libro sequenti plenior erit habendus sermo. Neque igitur confundi personas necesse est, neque numero differentes fingi tres deos, ut Crellius existimat. Nam quod unum illum summum Deum esse Patrem objicit, et hunc eumdem summum Deum dici a nobis Filium, nominis ambiguitate non tam fallitur, quam studet fallere. Dei quippe vox aut naturam ipsam divinam significat, aut certam in illa personam; quæ cur in Scripturis sæpe intelligatur Pater, superius exposuimus. Non est igitur Filius idem ille unus Deus, qui Pater dicitur, etsi natura, et substantia unus sit cum illo Deus, quia personæ tres unus sunt Deus.

IV. In quo ridenda explodendaque est puerilis sophistæ illius argutia; qui de deorum numero similiter concludit, ac de personarum ternario, quasi, ut hoc sequitur, « Pater est persona divina; Filius est persona divina; Spiritus sanctus est persona divina; ergo tres sunt personæ divinæ, non una; » sic istud colligere liceat, « Pater est Deus summus;

a Epistola synod. Antioch. concilii *ad Paulum Samos.* Ὃς δ' ἂν ἀντιμάχηται τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ θεὸν μὴ εἶναι πρὸ καταβολῆς κόσμου πιστεύειν, καὶ ὁμολογεῖν φάσκων δύο θεοὺς καταγγέλλεσθαι, ἐὰν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ θεὸς κηρύσσηται, τοῦτον ἀλλότριον τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος ἡγούμεθα.

b Athan. *de Synod.* Εἰ δὲ μίαν οἴδαμεν καὶ μόνην θεότητα τὴν τοῦ πατρὸς, τούτου τε λόγον, καὶ σοφίαν εἶναι υἱὸν, καὶ οὕτω πιστεύοντες οὐ λέγομεν δύο θεούς, etc. ὥστε διὰ τοῦτο μὴ λέγομεν δύο θεοὺς, ἀλλ' ἕνα θεὸν, ἑνὸς ὄντος εἴδους θεότητος.

c Nazianz. orat. XXXIX. Ἓν γὰρ ἐν τρισὶν ἡ θεότης, καὶ τὰ τρία ἕν, τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης, ἢ, τό γε ἀκριβέστερον εἰπεῖν, ἃ ἡ θεότης.

1 Lib. *de Agon. Christ.* cap. XV. — 2 Aug. X *de Civit. Dei.*, cap. XXIII.

Filius est Deus summus; Spiritus sanctus est Deus summus; ergo tres sunt dii summi, non unus.» Sed quid hoc disputatore frigidius et importunius, qui quod in controversia positum est, quodque inficiantibus nobis cum veteri, et hodierna Ecclesia universa, ille cum suis, et paucissimis, et omnium sæculorum judicio damnatis tueri audet, eo ipso, velut certo confessoque ad probandum utitur, eamdem in divinis esse personæ rationem, et substantiæ, quam vox *Deus* significat? Hoc enim remoto, quid tandem afferet? Revocetur enthymema illud, quod ibi posuit, ad perfecti syllogismi formulam. Opinor sic instruenda erit argumentatio: In hoc conveniunt vocabula ista, *persona* et *Deus*, ut si de pluribus dicantur, multiplicatis subjectis, etiam ipsa multiplicentur: atqui de Patre, Filio, et Spiritu sancto, prædicantur ambo illa nomina *persona*, et *Deus*; igitur Pater, Filius, et Spiritus sanctus perinde tres dii sunt, ac personæ tres. Hoc modo nectenda collectio est, si quid contra nos efficere debet. At quis non videt falsum id esse, quod primo loco proponitur; idque ad probandum usurpari, de quo inter nos contendimus? Nam eamdem personæ esse rationem, quæ sit divinitatis, vel Dei, catholica omnis negat Ecclesia; siquidem una numero, et partitionis expers, atque integra in tribus est divinitas, adeoque unus est numero Deus; formæ autem *hypostaticæ*, ut sic loquar, quæ sunt relationes, tres sunt reipsa distinctæ invicem non una tantum. Itaque tres sunt hypostases, sive personæ, non una.

V. Pulchre declaravit hoc Gregorius Nazianzenus in oratione septima et tricesima, ubi sic disputat: « Nobis unus est Deus, quoniam una est divinitas, atque ad unum ea, quæ ex ipso sunt, referuntur, etsi tria credantur. Non enim hoc magis, illud minus est Deus; nec hoc prius, illud posterius, nec voluntate scinduntur, aut potentia dividuntur, aut denique quidquam eorum, quæ dividuis rebus contingunt, hic quoque reperitur. Sed individua in dividuis, ut uno verbo dicam, est divinitas[a]. » Deinde illud sibi objicit, in quo Crellianæ argumentationis vis tota consistit: Etiam Græcorum diis unam inesse divinitatem, et tamen plures nominari deos; quemadmodum et multi homines dicuntur, etsi eadem hominis natura continentur. Cui quidem sic ille respondet, ut erudito philosopho, ac theologo dignum est: multum interesse inter istos, et divinas personas, quod illic communitas naturæ ratione sola, et cogitatione constet. Est enim universalis hominum natura non reipsa, sed sola fictione mentis, cum sit per sese multiplex. At in Deo natura communis est reipsa, non humana cogitatione, tametsi singularis, et una numero sit. Similia leges et apud Joannem Damascenum[1], cujus, ut et Gregorii verba describemus, expendemusque in libro sequente. Hinc evidens est Crelliana aut inscita argumentandi, aut subdola, et malitiosa cavillatio; cujus existimationis interfuit, vel melius hoc intelligere, quod oppugnare vellet, vel callidius dissimulare, quod in propatulo, et communi scientia positum est hoc in genere mediocriter eruditorum.

Est quiddam tamen, quod ad personæ nomen spectat, hoc loco sciendum; dubitasse sanc. Augustinum[2], an quemadmodum dicimus Patrem esse Deum, Filium Deum, Spir. sanc. Deum, et tres simul unum esse Deum, ita dicere liceat, easdem tres personas unam esse personam; atque eo demum opinione duci, ut instituto, usuque christianæ fidei magistrorum factum esse credat, ut personæ duntaxat plurali numero tres, non una diceretur, ut esset, quod inquirenti, quid sint illi tres, responderi posset, esse personas; quemadmodum sciscitanti, quid unum tres illi sint, respondemus unam divinitatem atque naturam; tanquam sepositis illis sermonis angustiis, non minus una persona tres esse dici possent quam una essentia. De qua Augustini sententia disputabimus in libro sequente. Nunc illud unum asserimus, etsi id a nobis concessum fuerit, e tribus divinitatis personis communem quamdam personæ, velut formæ, ac speciei, notionem eximi posse, quæ de singulis enuntietur, non ideo tres personas unam dici posse personam; sicut homines tres, licet in communi hominis appellatione, ac specie conveniant, non tamen

a NAZIANZ. orat. XXXVII. Ἡμῖν εἷς θεὸς, ὅτι μία θεότης, καὶ πρὸς ἓν τὰ ἐξ αὐτοῦ τὴν ἀναφορὰν ἔχει, κἂν τρία πιστεύηται. οὐ γὰρ τὸ μὲν μᾶλλον, τὸ δὲ ἧττον θεός. οὐδὲ τὸ μὲν πρότερον, τὸ δὲ ὕστερον. οὐδὲ βουλήσει τέμνεται, οὐδὲ δυνάμει μερίζεται, οὐδέ τι τῶν ὅσα τοῖς μερισταῖς ὑπάρχει, κἀνταῦθα λαβεῖν ἐστίν· ἀλλ' ἀμέριστος ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης.

1 Lib. I, cap. XI. — 2 Lib. VII *de Trinit.* cap. IV.

unus homo dicantur. Cujus rei causam ex Gregorio Nazianzeno proxime ante citato repetere oportet : qui communitatem illam, vel, ut dialectici loquuntur, *unitatem specificam* non reipsa, sed sola ratione et fictione quadam mentis constare docuit. At communitas, sive *unitas* essentiæ divinæ, non ex intelligentia sola, cognitioneque redundat, sed in re est ipsa. Est enim natura singularis, et individua, in tribus subsistens, qui propterea unus Deus appellantur.

VI. At instat Crellius, eum ipsum Deum summum esse personam; idque dupliciter probat. Nam et sacræ Litteræ Deum illum unum esse Patrem ostendunt; et hoc ratio ista persuadet. Si enim negatur esse persona Deus ille, « Ita argumentari licebit, inquit : Deus ille unus non est persona divina ; Pater est persona divina; ergo Pater non est Deus ille unus. » Quanto satius erat tacere penitus, quam adeo futilia, et inepta garrire [1]. Nituntur enim hæc falsa opinatione, ac sive vera, sive affectata inscitia catholici dogmatis; quam in superioribus captitibus non semel convicimus, ut quamvis « eadem sæpe vana repetere istum non pudeat, tamen eadem sæpe quamvis vera, respondere nos (propemodum) pudeat , » ut Augustini verbis utar. Deum illum, qui in Scripturis unus, ac summus exprimitur, vel non esse solum Patrem, sed etiam Filium, et Spiritum sanctum, aut simul tres, aut seorsim singulos ostendimus supra : vel si Pater intelligatur, Dei nomen, et notionem ὅλως usurpari, non ὁλικῶς : quoniam « hæc Trinitas, ut ait Augustinus [2] idem, est unius ejusdemque naturæ, atque substantiæ, non minor in singulis, quam in omnibus, nec major in omnibus, quam in singulis, sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul, et Filio, et tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre, et Filio, et Spiritu sancto. » Et alibi [3] : « In summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul ; nec plus aliquid sunt duæ, quam una, et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. » Quocirca dum in sacris Litteris Deus, exempli causa, Filium suum mittere legitur, ut Pater intelligatur, vocabulum *Deus* certam Trinitatis personam offert mentibus nostris, in qua tota inest divinitas, quæ voce ista proprie significatur, sed non ex toto, aut, ut loqui solent, *totaliter*. Nam etiam in Filio subsistit, ac Spiritu sancto.

Totam.. totaliter.

VII. Illud est præterea non omittendum, personas tres, earumque proprietates, etsi invicem reipsa distent, re tamen idem prorsus esse cum essentia, et ab ea nonnisi ratione et ἐπινοίᾳ discrepare, quem *formalem sensum* scholæ nuncupant, cui *realis*, ut vocant, respondet, in quo, quid res ipsa in se spectata sit, attenditur, non cujusmodi a nobis illius informetur notio. Itaque pro duplici illo sensu, veræ, aut falsæ enuntiationes habentur a Patribus. Sic enim, exempli gratia, contra Anomœos Basilius , Gregorius Nyssenus aliique contendunt Sapientiam in Deo non esse justitiam; neque paternitatem ipsam esse naturam, ut in primo de Deo libro plenius exposuimus. Quod priore sensu, et κατ' ἐπίνοιαν intelligendum est. Falsum autem est, si ad rem ipsam, et *realem* in enuntiando *sensum* respicias. Siquidem, ut Lateranensis synodus[4] adversus Joachimum decrevit, « Una quædam res est, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina. »

Hinc Crellianæ argumentationis flagitium apparet, cum sic urget: Deum illum unum non esse personam, at vero Patrem esse personam; ideo Patrem non illum unum esse Deum. Etenim si Deus ille unus in sacris Litteris naturam ipsam divinam significet, non est persona Patris præcise, et κατ' ἐπίνοιαν, vel in *formali sensu ;* reipsa tamen idem est Pater cum illo Deo. Quare utrumvis concedi a nobis potest. Et multis modis contra dialecticorum regulas, imo contra communem sensum peccat ista Crellii ratiocinatio, quæ meris constat particularibus propositionibus [5], ex quibus syllogismus non texitur. Tum vero, quoniam Dei nomen commune istic a nobis sumitur, et ut tribus personis convenit; potest in similis exemplo nominis conclusionis illius falsitas ostendi. Ut si hominem, id est naturam spectes hominis, ut est communibus pluribus, itaque disputes : Homo non est persona, vel individuum, Socrates est individuum, et persona; igitur non est homo Socrates. Quæ, quomodo solvenda sint, discunt in scholis quotidie pueri; neque digna sunt, quæ in

1 Lib. X *cont. Faust.* — 2 Epist. LXVI *ad Max.* — 3 Lib. VI *de Trinit.* c. X. — 4 Cap. *Firmiter.* — 5 Arist. lib. I *Prior.*

graves ac serias tantis de rebus controversias interponantur.

Falsum est etiam illud, quod ex usu creatarum rerum transfert ad divinitatis negotium sophista Crellius : « Ubicumque reipsa multiplicantur subjecta, multiplicari etiam illa, quæ de singulis distincte dicuntur, et multiplicari pro numero suorum subjectorum. » Quod quidem exemplis adstruit rerum, ut dixi, conditarum a Deo. Sed quid hoc argumentandi genere est insulsius? Nam quod unius Dei peculiare et est, et ex sacris Libris ab catholicis defenditur ; stulte creatarum rerum ad id evertendum adhibet exempla. Quasi non illud sanctorum Patrum ac totius Ecclesiæ professione vulgatum sit, quod in Athanasii, ut vocant, symbolo continetur, ita Deum esse personam quamlibet, ut nonnisi unus sint Deus personæ illæ tres.

Etsi singulæ personæ sint Deus, non tamen Dei tres constituuntur.

VIII. At etiam fœdissime in hac Athanasiani symboli sententia confligit, ac « sibi illud plane contradicere » asserit, non modo cum ait Patrem esse Deum, Filium Deum, Deum item Spiritum sanctum, et tamen non esse tres Deos, sed unum Deum ; verum etiam cum eodem modo unumquemque ex iis tribus æternum et omnipotentem esse declarat ; et tamen non tres æternos, et omnipotentes esse, sed unum æternum, et omnipotentem. Quod et Toletana synodus undecima profitetur. Quod utrumque non solum nihil habet absurdi, sed etiam ex Dei natura necessario sequitur ; quæ unica et singularis est, neque dividi in plura potest individua, sed numero eadem inest in personis tribus. Cum autem proprietates omnes, quas οὐσιώδεις et absolutas vocant, et inter se, et cum natura ipsa sint idem et unum, adeoque singulare quiddam, et partitionis expers, personis et ipsæ tribus itidem, ut essentia, communicantur, et eædem sunt in illis numero, imo una eademque res simplicissima, quæ pro diversa notione, solaque nostra cogitatione distincta alias natura, alias proprietas naturæ dicitur. Quamobrem cum una numero et individua sit forma personis in tribus, a qua denominantur, nempe divinitas, et æternitas, et omnipotentia ; ita quælibet Deus, aut æterna, omnipotensve dicitur, ut tres deos, æternosque tres, vel omnipotentes appellare religio sit. Quemadmodum enim, ubi communis natura, vel forma pluribus attributa, reipsa et simpliciter multiplex, ratione duntaxat est una ; ibi quæ, ab illa denominantur individua, non singulari, sed plurativo numero collecta simul, efferuntur ; ita, quando forma communis reipsa est unum, et singulare aliquid, ratione vero, et fictione multiplex, individua, quæ illam capiunt, singulari ab ea numero congregata dicuntur. Prioris exemplum sit homo, sive humana natura, quæ in Socrate, Platone et Aristotele reipsa multiplicatur, cogitatione vero fit una. Itaque Socrates, Plato, et Aristoteles tres dicuntur homines, unus homo nequaquam vocantur. Posterioris exemplum nullum creatis ex rebus suppetit, atque in sola divinitate cernitur ; quam unam numero esse, non solum christiani, sed etiam paulo elegantiores intellexere gentilium philosophi ; eamdem porro tribus ex æquo convenire personis, sola ex christiana fide , et oraculo divini verbi didicimus. Quo semel constituto, jam illud sequi necesse est , ut cum una eademque forma insit pluribus, simplex itidem, et singularis fiat trium appellatio. Ita quidem, « ut etiam, cum de singulis quæritur, unusquisque eorum et Deus, et omnipotens esse respondeatur ; cum vero de omnibus simul, non tamen tres dii, vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens ; tanta est ibi in tribus inseparabilis unitas, quæ sic se voluit prædicari, » ait Augustinus [1].

IX. Quanquam hoc in loco solet ab nostris substantivorum et adjectivorum nominum fieri distinctio ; ut priora de pluribus dicantur singulari tantum numero, posteriora vel hoc, vel etiam plurali. Etenim Pater, et Filius, et Spiritus sanctus non tres dii nominantur, sed unus Deus, quia vox Deus est substantiva, omnipotentes tamen, et æternos tres vocare possumus, si hæc vocabula adjective sumantur, ut pluribus explicat sanc. Thomas [2]; qui quod in Athanasii symbolo scriptum est, non esse tres æternos, vel omnipotentes tres, ita declarat, substantive ibi nomina illa, non adjective sumi.

Sed haud scio, an discrimen istud adjectivorum substantivorumque nominum in illis symboli verbis locum habeat. Quis enim, nomina hæc æterni, omnipotentis, increati, immensi aliter ab auctore symboli, quam adjective usurpata esse sibi persuadeat? Quid autem necesse est, rem ad tantas angustias deducere, ut contra grammaticorum regulas affirmandum sit, vocabula ista esse substantiva potius, quam adjectiva, quæ substantivorum condi-

1 Lib. XI *de Civit. Dei*, cap. XXIV. — 2 In I, Par. qu. XXXIX art. III.

tionibus carent, adjectivorum habent omnes? Equidem, quod tanti viri ac theologorum cæterorum pace dictum sit, aliter existimo, non esse in illis Athanasiani symboli ac similibus veterum sententiis differentiam illam interponendam substantivi, vel adjectivi nominis *. Quocirca « intelligentia dictorum, ut ait Hilarius[1], ex causis est assumenda dicendi,» et quem ad finem verba illa in symbolo posita sint, imprimis spectare convenit. Hæc igitur adversus Arianorum hæresim opposita videntur a conditore symboli, quæ Trinitatem ex tribus componebant personis inæqualibus, et substantia diversis, quarum singulæ singulis constabant ut naturis, ita proprietatibus naturæ. Itaque formas iis inesse putabant totidem, quot sunt individuæ personæ; quas quidem formas, qui tolerabilius insaniebant in illo grege, in Patre saltem, ac Filio collocabant per omnia similes, quemadmodum in hominum genere, filii sunt patrum similes, et naturæ sunt in duobus duæ, ac naturales totidem affectiones. Quamobrem et homines illic duo, et sentientes, intelligentes, ac volentes sunt duo; quoniam formæ sunt, a quibus eæ denominationes oriuntur numero, reque ipsa diversæ. Quod ne idem de tribus divinitatis personis existiment christiani, jure hæc in symbolo formula credendi proponitur, ita singulas personas Deum esse, et æternum, et omnipotentem, ut tamen non sint tres dii, nec æterni, aut omnipotentes, sed unus Deus, æternus unus, et unus omnipotens. Ac nisi id, quod dixi, metuendum esset ab Ariana professione, poterant non minus enuntiari ista sic: tres sunt æterni, tres omnipotentes, sicut coæternæ in eodem symbolo personæ dicuntur. Ad hunc enim sensum illa revocantur: tres sunt habentes æternitatem, et omnipotentiam. Deos porro tres usurpari similiter nefas arbitror; quod non solum adversus Arianos, sed etiam contra gentiles, ea nos cautione Scripturæ sacræ præmuniunt, ut ne plures appellemus deos, cum ita scriptum sit *Deuteronomii* sexto: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est*: quod Augustinus [2] animadvertit. Possent tamen non dii tres, sed tres divini, id est divinitate dici præditi, si usus ita ferret Ecclesiæ sanctorumque Patrum; ex quo non modo sentiendi tantis de rebus, sed etiam loquendi regula ac disciplina peti debet: « Nam de Deo etiam, quæ vera sunt, loqui periculum est, et non parvum, » ut ait Sixtus[3]. « Et cum grandi metu ac disciplina, inquit Salvianus[4], etiam pro religione dicere debemus. » Cujusmodi loquendi cautio, et ea maxime, quam leviter hoc loco delibavimus, majore alias ex instituto copia pertractabitur.

Athanasii symbolum a Crelliana calumnia vindicatum.

X. Hoc interim minime est prætereundum, sophistice, et inepte nugari Crellium in vocabulo *Deus*, deque eo disputare, utrum personam, an naturam significet, tum in Athanasii symbolo, cum dicitur, *Pater est Deus*, aut, *Et hi tres sunt unus Deus,* tum alias plerumque. Cujus præstigias hac una præscriptione summovebimus. Nomen itaque *Deus*, cum sit ex eorum genere, quæ concreta dicuntur, formam significat, non abstractam ab individuis proprietatibus, sive ὑπάρξει, vel *exstantia*, aut hypostasi, sed in iis subsistentem. Est enim Deus substantia aliqua divinitatem habens. Sicut homo non humanam naturam separatam, sed in aliquo individuo subsistentem exprimit; ita tamen, ut individuum, ac personam, non certam ac determinatam, sed confuse, infiniteque repræsentet, hoc est naturam in aliquo, uti diximus, consistentem. Quare primaria, ac directa vocis istius notio, est humana natura; secundaria est ejus exstantia in quovis individuo; quam *assignificationem* vocari a grammaticis jam ante docuimus. Sic nomen *Deus* proprie ac directe divinitatem, naturamve divinam indicat; assignificat autem eamdem, ut in quapiam persona, subsistentem, nullam de tribus expresse designans, sed confuse et universe. Interdum vero Deus certam de tribus personam determinat, ut Damascenus [5] observat, ut in *Ps.* XLIV, *Propterea unxit te Deus*, ubi Pater intelligitur, atque ex contextu orationis quænam subaudienda sit persona, cognosci debet. Itaque infinita illa, et generalis notio substantiæ naturæque in aliqua persona

Quid significet vox *Deus.*

* Hunc Petavii locum redarguit P. de Rubeis, dissert. XXVII *de Gestis et scriptis et doctrina S. Thomæ Aquinatis*, cap. I, num. 4. Sed vereor, ut probari possit ejus consilium. Petavius enim non generatim carpit distinctionem illam substantivorum et adjectivorum nominum, ceu ad temperandas catholico sensu aliquas de Trinitatis mysterio duriores propositiones inutilem; sed negat non esse in illis Athanasiani symboli, ac similibus antiquiorum sententiis explanandis differentiam hanc advocandam. Quæ porro P. de Rubeis adfert, illud probant, posse usui esse interdum differentiam illam, a S. Thoma, ac theologis excogitatam; non probant (quod unum negat hic Petavius in illis symboli verbis, aut similibus plane sententiis locum habere. Z.

1 Lib. I *de Trinit.* — 2 Lib. VII *de Trinit.*, cap. IV. — 3 Sixtus in *Sentent.* — 4 Lib. I *de Gubern. Dei.* — 5 Lib. III, cap. IV.

subsistentis, per subjectum definitur, ac circumscribitur, in enuntiationibus istis, *Pater est Deus*, *Filius est Deus*. Ibi enim Deus, id est natura divina, in aliqua, sed non definita hypostasi ex sese consistens, affirmatione ac prædicatione ista ad certam personam restringitur, Patrem scilicet, vel Filium.

Crellianæ tricæ ridendæ.

Hæc si diligenter tenueris, Crellianas tricas et versutias ridebis; qui in hisce salebris imperitissime jactatur, atque ita concludit: « Etenim et ipsa Dei vox personæ non est, cum nomen sit ejus imprimis, qui imperium in alios habeat, et summus Deus supremum rerum omnium rectorem, ac monarcham significat. Imperare autem, ac regere nonnisi personarum est. » Quid hoc dialectico facias, qui de concretis vocabulis, quod vulgo traditur, ignorat, ea formam significare in subjecto aliquo et hypostasi consistentem, non tamen finito ac determinato? Nam ejusmodi sunt propositiones omnes, ut nonnisi de individuis *concreta* nomina prædicentur, et horum vaga hypostasis significatio per appositum subjectum circumscribatur; ut cum dico, « Socrates est homo. » Sic etiam *Deus* divinitatem subsistentem, et personam divinam nonnisi universe confuseque subjicit intelligentiæ nostræ, quæ enuntiatione ista, Pater est Deus, ad Patris hypostasim accommodatur. Hæc alibi a nobis, si bene meminimus, exposita, necessario hic repetenda duximus, quod ista complexorum vocabulorum notatio ad diluenda cætera Crellii sophismata singularem affert utilitatem.

Ex catholico dogmate non sequitur unamquamque personam esse trinam in personis.

XI. Ut cum in secundo argumento probare contendit[1], sequi ex catholico de Trinitate dogmate, « quamlibet divinitatis personam trinam in personis esse, et sic unam simul esse, et non unam. Etenim sic dicunt adversarii Deum illum unum trinum esse in personis; iidem rursus, ut diximus, asserunt, quamlibet personam divinam esse Deum illum unum. Unde consequitur, quamlibet personam divinam esse trinam in personis. » Contra hanc syllogismi larvam inanemque pompam, primum excipimus id, quod vidit ille quidem, sed verbis tantum eludere est conatus, majorem enuntiationem esse particularem aientem; itaque nihil ex ea concludi. Nam quod in contrarium affert, singularem quidem esse majorem, sed cum universali paria facere, « Cum nihil subsumatur in minori, quod sub illo singulari, quod majoris subjectum est, et medius argumenti terminus, non contineatur, seu de quo singulare illud dici nequeat; » age experiamur, an ita res habeat, et majorem universe pronuntiemus, « Omne id, quod est Deus ille unus, hoc est, quocum eadem res est, trinum est personis. » Perspicua est propositionis hujus falsitas. Nam paternitas, sive Pater, idem est reipsa cum divinitate, vel Deo subsistente in tribus personis, neque tamen trinus est in personis Pater. Itaque nihil ratiocinatione hac potest effici.

XII. Ut autem pressius cum hoc sophista pedem conferam, ejusque fraudulentam malitiam in apertum proferam, utar illa distinctione vocum, ac *prædicatorum*, ut in scholis appellant, quam Theodorus Abucara posuit in opusculo primo. Nam vocabula, quæ commune aliquid significant, partim philosophice usurpari dicit, partim logice. Philosophice sumuntur, cum et nomen ipsum et nominis definitio ad inferiora descendit. Ut est animal secundum rem naturamque sumptum. Nam et homo, et pecus, et subjectæ omnes animali species, et individua animalia vocantur, suntque sensu prædita. Logica vocabula sunt, quorum neque nomina, neque definitiones ad inferiora transeunt; ut est animal idem, qua genus est, vel substantia, ut est supremum categoriæ genus. Neque enim homo animali, et substantiæ subjectus, aut Socrates, aut Bucephalus, genera sunt interjecta, vel summa. Solent hæc duo nominum genera dialecticorum scholæ sic appellare, ut sint alia *primæ intentionis*, alia *secundæ*. De hac porro Abucaræ ratione sequente libro agam plenius. Nunc ut in re præsenti usus illius appareat, aio nomen istud *Deus* utroque illo modo sic accipi. Cum enim dico « Deus est id, quod est, » vel, « est æternum, immensum, increatum aliquid, » ad primum pertinet genus philosophicæ dictionis, et ad omnes proinde personas convenit, quæ eadem et appellatione Dei, et definitione censentur. At cum effero sic, Deus est in personis trinus, logice quodammodo consideratur; hoc est ut abstractum quiddam ab unaquaque persona cogitatione nostra fingitur, ac commune tribus est, atque indifferens. Quare ad individua sibi subjecta cum eo statu, modoque non transit. Licet hoc in iis exemplis experiri, quæ paulo ante perstrinximus. Nam qui ita proponit, animal, sive animalis natura de homine, et equo, deque

1 Crell. lib. II, sect. I, cap. I.

Socrate, et Platone, tum de Bucephalo, et Cyllaro equis dicitur, is verum loquitur. Sed etsi animalis ista ipsa natura re non differat ab illis, de quibus prædicatur, non tamen converti ratio potest, ut asseras Socratem prædicari de homine, et equo, vel de pluribus individuis. Quænam porro causa hujus est? Nimirum animalis natura, cum de multis prædicari, iisque convenire dicitur, non per se, neque ut in re est ipsa, sumitur, sed ut eam cogitatio nostra quodammodo conformat, et ab iis ipsis, ad quæ enuntiatio illam applicat, subjectis abstrahit ac suspendit.

XIII. Par est igitur fere divinitatis, et essentiæ, vel Dei ratio, cum ab iis, quibuscum res una sunt, tamen quasi intelligentia nostra separantur. Quamvis enim absoluta illic omnia, et inter se, et cum iis, quæ *relativa* nominantur, unum sint, hoc est una simplicissimaque res; fit tamen, cum de illis loquimur, et cogitamus, quædam in iis vel partitio, vel compositio, quæ non inest in re, sed in sola mentis contemplatione consistit. Etenim divinitas et essentia Dei est quidem singularis et individua; sed eamdem nihilominus communicandi sui vim habet, atque universalis natura, quam quidem in rebus creatis seductam ab inferioribus, ac per ea subinde diffusam ideo fingimus, quod rem nullam, quantumvis natura sua simplicem, aliter, quam dividendo componendoque intelligere possumus. Ita fit, ut ille, quem dixi, status *logicæ affectionis*, vel *intentionis secundæ;* aut ut cum eruditis Græcorum theologis τῆς ἐπινοίας particularibus istis formis in Deo non minus affingatur, quam universalibus illis, quibus enuntiationes dialecticæ nectuntur. Hæc paulo subtilius a nobis exposita sunt: et ut confido, dilucide satis; quam autem necessario cum præsentis argumenti, quod ex Crellio proposuimus, tum majoris cæterorum partis tractatio atque usus ostendet. Nam hic locus præcipuam latebram indicat, in qua Crellianorum sophismatum aucupia et tendiculæ delitescunt; cujusmodi in *Elenchis* Aristoteleis *accidentis fallaciæ* vocantur, cum certa rei cuipiam affectio, quæ non ei per se, ac natura convenit tanquam insita et naturalis affingitur.

XIV. Tertium Crellius[1] argumentum explicat adversus id, quod habet christiana professio: « Essentiam idem esse reipsa cum personis; personas autem inter se reipsa differre. Hinc enim sequitur, ait, idem simul, et unam rem esse, et plures realiter a se differre. Etenim, quæ sunt eadem realiter uni alicui rei, etiam inter se realiter sunt eadem. Atqui tres illæ personæ divinæ, realiter inter se distinctæ, realiter sunt idem uni cuipiam rei, nempe essentiæ divinæ. Ergo personæ illæ tres, realiter inter se distinctæ, inter se realiter sunt eædem. » In iis partim vera dicit; partim inscitia labitur. Natura quippe divina, sive essentia eadem res est cum personis tribus. Quare « res illa una, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, » ut Lateranenses Patres loquuntur, partim una est, partim tres; una est enim substantia, personis tres. Siquidem res illa una Deus est; Deum porro trinum, et unum esse passim dicimus; Deus autem res est. Ita Deum dicere trinum et unum, idem est, ac rem trinam unamque dicere. Sed non eo modo trinam quo est una, defendimus; neque vicissim unam itidem, ac trina ponitur; sed una est essentia, proprietatibus trina, sive personis. Hæc sunt rudimenta prima catholicæ, imo christianæ fidei; in quibus adeo peregrinatur Crellius, ut ad ea labefactanda, vulgaria quædam et usu contrita scholarum et ignota nemini pro magnis exquisitisque conferat. Quid enim habet, quod opponat ille contra difficile? Tota vis argumentationis illius uno isto philosophorum effato continetur; « Quæ sunt eadem cum uno aliquo tertio, eadem esse invicem. » Quo absolute negato, nihil habet ultra, quod dicat. Negetur itaque universe id esse verum*. Simul hoc respondere jubeamus, an non perinde commune sit illud philosophiæ veteris, et Aristoteleæ dictum,

Expenditur axioma *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.*

* Non facile admittent nostrates nuperi rationalistæ *axiomata* perinde non valere in agente increato ac in cæteris creatis. Veram solutionem digito tetigit auctor dicens Deum esse rem trinam et unam, sed non eodem modo *trinam* quo unam. Receptum axioma « quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se » locum habet in iis quæ sunt eadem uni tertio sub omni respectu, ut patet. Sed tres personæ non sunt quid idem cum divina essentia sub omni respectu; etenim proprietates personales, seu relationes notionales sunt quid superadditum divinæ essentiæ, proprium unicuique personæ, nec communicabile. Pater qua *Pater*, nostro modo concipiendi, aliquid addit divinæ essentiæ, scilicet *Paternitatem*, neque dici potest divinam essentiam esse *paternitatem*, eoque incommunicabili, scilicet paternitate, differt a Filio et Spiritu sancto, et sic de aliis. Unde patet objectionem Crellii ac aliorum rationalistarum adversus diversitatem personarum, meram esse cavillationem, nec locum habere axioma prædictum «quæ sunt una eidem tertio, una sunt inter se. » J. B. F.

1 Crell. lib. II, sect. I. cap. III.

« Nihil ex nihilo posse fieri. » Quod cum tantidem esse, ac prius illud, agnoverit, videat, quemadmodum cum illo fidei catholicæ conveniat, quæ de nihilo facta esse uuiversa defendit. Respondebit, opinor, verum istud esse pronuntiatum in iis, quæ naturaliter agunt, hoc efficientibus, citra Deum, causis omnibus; aliam porro conditoris esse rationem, qui, quod vult, sola voluntate perficit. Quod si quis vel ex aliis philosophiæ decretis, vel ex humano usu et ratione disputare contra voluerit, quæcumque is argumenta proferet, non aliter, ut puto, dissolvenda judicabit Crellius, quam hac communi exceptione, non idem valere in agente increato, et infinito, quod in creatis usuvenit.

XV. Quæ, malum, igitur hæc cæcitas est, aut stupor animi potius, cum in agendi vi, ac modo creatarum sit rerum dissimilis Deus, non videre, substantia quoque et essentia illarum eumdem esse dissimilem; nec quæ in istis consentanea sunt, statim in illo esse consequentia? Pugnant ista secum, idem esse rem unam, atque plures. Quam multa sunt in cæteris christianis dogmatibus, quæ similem habent repugnandi speciem, et tamen ab istis vera creduntur. Deum ubique esse, et implere omnes usquequaque mundi partes, certissima est fides. Cui non adversus hanc innumerabilia statim occurrant? Primum qui quantitate careat, quinam adæquari cum diffusa et exporrecta mole corporum potest? Deinde si cum tota Dei substantia, quæ individua est, et per partes non funditur, quodlibet corpusculum extenditur, nonne et ipsum ubique esse, hoc est ibi, ubi est Deus, consequens videtur? Nam de æternitate, et in ea, cum eaque creaturarum exstantia; de infinita Dei potentia, cum quæ fiunt, infinita esse nequeant; de ejusdem præscientia, libertate, et hujus generis aliis nihil hic dico.

Satis omnes intelligunt, quam multa et explicatu difficilia proponi adversus illa possint, quæ non solum christianorum, sed utcumque de Deo commode philosophantium ingenia subtilitate sua fatigant. An vero propterea, quia ejusmodi sunt ista, ut a communi notione, ac rerum cæterarum more desciscant, ejuranda erunt illa, quibus positis, hæc, quæ videntur absurda, et humanis ingeniis inexplicabilia, sequuntur? Contra hanc licentiam frenos injicit nobis gravis illa Cyrilli Alexandrini, et istorum argutulis nugis opponenda sententia. « Si nihil, inquit, inter nos, et Deum est discriminis, divina nostris metiamur. Sin autem incomprehensibile est intervallum, cur naturæ nostræ defectus canonem, et regulam, ac normam Deo præfiniunt ex iis, quæ nobis impossibilia sunt, necessitati subjicientes naturam omni necessitate potiorem [a]? »

XVI. Ac nos defensione ista, et inficiatione sic utimur, non ut alteri illi responsioni diffidamus, quæ ab nostris afferri vulgo solet, cum illud effatum, Quæ sunt eadem cum uno tertio, eadem sunt invicem, tum esse falsum asseruut, cum tertium illud communicari potest pluribus; verum autem, si communicari non potest. Nam est ea non improbabilis distinctio, quam frustrà labefactare studet Crellius. Quod enim refert, «meram hanc esse petitionem principii, » stulta est ratio. Imprimis non est appellauda *petitio principii* vitium illud argumentandi, sed petitio, sive usurpatio, et positio ejus, quod initio propositum est, et de quo disputatur, τοῦ ἐν ἀρχῇ αἴτησις. Qui argumentatur, is si petit principium, id est principio utitur ad probandum, extra vitium est, ac recte procedit. Sed si, quod est demonstrandum, pro concesso sumit ad hoc ipsum probandum, tum ad illud syllogismi vitium ostendit; quod est postulatio, sive sumptio ejus, de quo initio mota quæstio est. Si disserendi magistrum Aristotelem legisset, aut vero intellexisset Crellius, sciret hanc argumentandi labem nunquam ab eo committi, qui respondet, ac thesi patrocinatur, sed ab eo solo, qui contra thesim disputat. Nam genus vitii illius est, non demonstrare propositum, ut diserte docet Aristoteles. Hujus generis quatuor enumerat species; quarum illa est una, « Cum quod per se cognosci non potest, per seipsum demonstrare conatur quispiam, tunc postulatur, quod ab initio quæsitum est [b]. » Quid sit petitio principii.

Recte Philoponus, « Petere, quod ab initio

[a] CYRIL. lib. II *in Joan.* Εἰ μὲν γὰρ τὸ διεῖργον οὐδὲν ἢ ἀπομερίζον ὅλως εἰς διαφορὰν ἡμᾶς τε καὶ θεὸν, νοείσθω καὶ καθ' ἡμᾶς τὰ περὶ θεοῦ· εἰ δὲ ἀκατάληπτόν τι τὸ μεσολαβοῦν εὑρίσκεται· τί τὰ τῆς ἡμετέρας φύσεως ἡττήματα κανόνα, καὶ σταθμὸν ὁρίζουσι τῷ θεῷ, ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς ἀδυνάτων ἀνάγκαις ὑποτιθέντες τὴν ἁπάσης ἀνάγκης κρείττονα φύσιν;

[b] ARISTOT. lib. I *Prior. Anal.* cap. XV. Τὸ δὲ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι καὶ λαμβάνειν ἔστι μὲν ὡς ἐν γένει, λαβεῖν, ἐν τῷ μὴ ἀποδεικνύναι τὸ προκείμενον.

Ibid. Ὅταν τὸ μὴ δι' αὑτοῦ γνωστὸν, δι' ἑαυτοῦ τις ἐπιχειρῇ δεικνύναι, τότε αἰτεῖται τὸ ἐξ ἀρχῆς.

propositum est, est id, quod quæritur, tanquam confessum sumere[a];» quod fieri tunc explicat, « cum idem significantes termini, aut mutuo reciprocantes, » tanquam diversi adhibentur ad probandum. Vel, ut Magnentinus declarat, « cum per seipsum probatur aliquid, quod per alterum probari oportet[b]. »

Quocirca cum genus vitiosæ illius probationis sit, « non probare, quod est probandum,» manifestum est in eum solum istam cadere, cujus sunt probandi argumentandique partes, non in alterum, qui, quod proposuit, explicat ac tuetur.

XVII. Quod in vitium incurrit non raro Crellius, et adeo omnibus in argumentis ac syllogismis, quibus dogma catholicum ac vetustissimam Ecclesiæ fidem impugnat. Cum enim iidem illi, qui Trinitatis mysterium ex christiana regula præscriptoque defendunt, una illud asseverent, supra omnem naturæ usum, modum et exemplum esse, quæ de illo tradita sunt; ut exempli causa, Filium esse unum Deum cum Patre, et Spiritu sancto, hoc est unam esse numero trium essentiam, personas vero tres esse, totidem distinctas proprietatibus; Crellius, ut illam Trinitatis professionem argumentando convellat, nullo alio *medio*, ut vocant, utitur, nisi eorum aliquo, quæ in thesi nostra, et quæstione versantur, ac vel ita colligit: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus; igitur tres sunt dii. Inepte prorsus. Hoc enim ipsum habet illa, quam contra disputat, thesis, ita singillatim unumquemque esse Deum, ut non sint dii tres. Aut ita, Deum hunc, quocum unum sunt tres illi, hoc est essentiam divinam, esse trinum in personis, proinde singulos esse trinos in personis. Atqui istud ipsum propositum erat a nobis, sic unam quamdam rem esse cum natura divina personas singulas, ut tamen latius pateat natura, quam persona; hoc est ut singuli Deus sint, non tamen unus sit alter. Aut ita denique concludit: « Quæ sunt eadem cum uno tertio, eadem sunt inter se; igitur personæ tres eædem sunt inter se, quia sunt idem cum essentia. » Cum tamen id eodem, quod evertendum cepit ille, dogmate id invenerit, non propterea easdem inter se personas esse, quod idem sint cum essentia. Quid est aliud petere, quod initio propositum erat, si hoc non est? Nugari vero, et fuco quodam argumentandi, ac præstigiis illudere, num aliter quispiam potest, quam si ita, ut facit ille, disputare instituat? Uno verbo, divinam essentiam, hoc est rem illam, quam Deum vocamus, dicimus unam esse numero, qua est absolutum quiddam; tria vero, qua relativum est, et proprietatibus implicatum; proinde esse eamdem, et plures, sed non plures essentias, verum unam essentiam, personas tres.

Hugo Etherianus in primo libro *contra Græcos*, capite undecimo, non patitur tres appellari res in Trinitate: « Non enim, ut res numerabiles, tres personas credimus, ut unum et unum, sed solum differentiam proprietatum; neque tres diversæ res esse creduntur, etsi actu personæ tres existant, secundum tres proprietates, quæ rerum non introducunt sectionem, aut divisionem, sed proprium a communi distinguunt. Verum, si *rei* nomen universe capiatur, possunt tres dici res personæ, sed relativæ; absoluta autem est una, nec de verbis pugnandum est, si de re ipsa convenit.

XVIII. Quarto, discordare secum Trinitatis dogma Crellius[1] hinc efficit, «quod simul una, et tres supremæ deitatis substantiæ forent. Etenim si persona nihil aliud est, quam substantia prima intelligens; ubi sunt plures personæ, ibi plures substantias primas intelligentes esse necesse est. Multiplicato enim definito, quod hic persona est, multiplicatur etiam tota definitio. » Hæc ille. In quibus ad idem, quod proxime ante notavi, saxum offendit, ut quod est in quæstione situm, id ad probandum assumat. Etenim persona nihil ex catholicorum sententia aliud est reipsa, nisi quod est essentia, quia personarum proprietates, et personæ sunt eædem cum essentia. Verum ita personas esse tres existimant, ut una tantum sit substantia, vel essentia; cujus cum explicatio quædam sit definitio, cum eodem dogmate connexum illud est, unam trium esse definitionem. Quare ad oppugnandam thesim medium illud citra probationem intentat Crellius, quod in controversia positum fuit. En acumen dialecticum. Jam si

a Philop. Τὸ δὲ ἐξ ἀρχῆς αἰτεῖσθαι, τοῦτό ἐστι, τὸ ζητούμενον, ὡς ὁμολογούμενον λαμβάνειν· γίνεται δὲ τοῦτο, τὸ λαμβάνειν τοὺς δύο ὅρους ἀντιστρέφοντας, ὡς ἄνθρωπος, καὶ γελαστικόν· ἢ τὸν ἕνα ὑπάρχοντα τῷ ἑτέρῳ, ὡς τὸ ἡ ἡδονὴ, χαρά.

b Magnent. Ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαί ἐστι, ὅταν τι δείκνυται δι' ἑαυτοῦ, πεφυκὸς δι' ἄλλου δείκνυσθαι.

1 Crell. lib. II, sect. I. cap. IV.

enuntiatio illa, « Persona nihil aliud est, quam substantia prima intelligens, » hunc habet sensum, ut ratione et ἐπινοίᾳ, sive, ut alii loquuntur, *formaliter*, nihil sit aliud, nisi *substantia,* id est *essentia* particularis, falsum continet. Est enim persona, non solum *prima*, sed etiam individua, id est a quacumque alia persona divisa, minimeque communicabilis substantia rationis particeps. Sin id unum definitio ista vult, personam eamdem esse rem cum substantia, sive essentiam, vera est quidem, sed ad quæstionem non pertinet. Quocirca negatur a nobis, et quidem constanter, multiplicatis personis, sive individuis, multiplicari substantiam, si universe et absolute dictum illud efferas. Nam in divinis rem secus habere defendimus. Itaque ridicule disputat, dum ex creatis substantiis exempla repetit, quibus hoc ipsum labefactet, quod aliter in Deo, quam in illis, esse, in nostro dogmate ponimus.

XIX. Post hæc nescio quibus cum larvis depugnat toto reliquo capite. Etenim certos esse dicit, qui « personas divinas substantias esse negant, cum Deum substantiam esse dicant. » Sed si substantiæ vocabulo, ut ab nonnullis olim positum fuit, hypostasim ac personam intelligit, tres esse non diffitemur. Sin ut pridem inveteravit usus, essentiam interpretatur, quod et ipsum magis in animo habere sequens ejus declarat oratio; recte illi personas negant esse substantias, dum substantiam esse non negent. De hypostasis, sive personæ definitione, non est hic penitus agendi locus; erit autem in sequente libro. Unum tamen hoc loco adversus litigiosam istius loquacitatem obducimus. *Personam*, sive, ut nescio qui malunt, quos ille refert, *subsistentiam*, vel etiam *suppositum* esse *substantiam,* non præcise absoluteque sumptam; sed ut modo quodam existit, quem τρόπον τῆς ὑπάρξεως Græci theologi nominant. Itaque valde ignaros et futiles eos oportet esse, quos contra disputando multum verborum operæque perdidit Crellius, qui « personam non esse substantiam, seu rem per se subsistentem ausi sunt dicere, sed subsistentiam naturæ intelligentis incommunicabilem. » Quam etiam *subsistentiæ* vocem non *concretam*, sed *abstractam*, ut vocant, aiunt esse modum quemdam entis, non ens ipsum. » Ex quo consequitur, quod deinceps refellendo Crellius irridet, personam quamlibet, velut Patrem, non esse substantiam, vel rem per se subsistentem, sed modum entis. Apage hanc barbariem. Quis enim, nisi mentis inops, talia sibi fingat somnia, quæ nemo nisi impius iste Photinianus comminisci potuit? Hunc enim pro certo habeo sinistre intellectis catholicorum theologorum disputationibus, horrenda sibi hæc portenta peperisse. Personam, mi homo, nisi hebes et judicii nullius, nemo dubitat esse substantiam, sed quodammodo, uti diximus, affectam, hoc est per se cohærentem, et a quacumque alia persona divisam. Quare etsi res est una simplicissima persona Patris exempli gratia; tamen ἐπινοίᾳ, et *imaginatione mentis, ac speculatione tenuissima*, ut loquitur Rusticus Diaconus [1], duo quædam in illa discernimus; alterum naturam ipsam absolutam, et essentiam; alterum relationem, sive modum existendi. Utrumque persona est Patris, vel potius natura ipsa, et substantia ortum ab nullo habens altero. Sic enim Socrates Sophronisci filius cum dicitur, nullus relationem ipsam et habitudinem, qua ad patrem suum refertur, putet esse filium, sed ipsam hominis substantiam genitam a Sophronisco, et ad eum comparatam. Porro modus ille subsistendi, quo personæ invicem distinguuntur, a quibusdam *subsistentia* nominatur; quod est *proprietas personalis*. Sed Patrem, aut Filium proprietatem personalem nemo, nisi quid dicat nesciens, simpliciter appellet.

Modum subsistentiæ

XX. Atenim « tres unius ejusdemque rei subsistentia esse non possunt » occurrit in quinto argumento Crellius [2]. Nam « unius rei non possunt plures esse formæ ejusdem rationis, sive substantiales sint, sive accidentales, sive quocumque eas nomine appelles, ne modos rerum exclusos putes. Non possunt, inquam, inhærentiæ unius esse plures existentiæ, non plures rationalitates, non plures longitudines, aut albedines. » Hæc cum dicit, quid ipse sibi respondere debeat, ostendit. Nam ejusdem rationis formæ utut in eadem re consistere nequeant, possunt tamen eæ, quæ diversæ sunt rationis, ut in eodem homine relationes insunt duæ, una qua patrem illum respicit, a quo est genitus, altera, qua Filium, quem genuit. Ergo eadem Dei natura tribus modis proprietatibusque subsistens, una nihilominus et simplex manet. Proprietates porro istæ *relativæ* sunt, et supposita, quarum veluti formæ sunt, nonnisi relativa constituunt, ut liber sequens ostendet. Quod

1 Lib. *contra Aceph.* col. 845, tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 2 Crell. lib. II, sect. I, cap. V.

eo dixerim, ne quis contradicentem Crellium audiendum putet, qui *subsistentiam* ejusdem naturæ triplicem, non posse triplici respectu, quo illa sit affecta, defendi asserit, quia *subsistentia*, inquit, *non est relatum;* usque adeo ejus est, quod confutandum sibi sumpsit, dogmatis imperitus.

Neque vero *personalis* proprietas, quod idem opponit, substantiam protinus communicationis expertem reddit, sed personam ipsam, vel hypostasim. Non enim natura, sed persona definiri solet sic, ut sit *incommunicabilis substantia.* Ac quemadmodum anima, quæ hominis est forma, ad corpus accedens, non ejus naturam conditionemque commutat, ut esse materia, et quæ corporibus insita sunt, habere desinat, sed tertium quiddam cum illo componit, diversum ab singulis, ac sua propriaque natura constans. Ita proprietas quælibet, ut more intelligendi nostro loquar, ad substantiam adjuncta, non id aufert, quod ei convenit, ut communicari cæteris possit; sed cum eadem tertium veluti quiddam *incommunicabile* reddit, quod persona vocatur. Potest et hoc modo brevius res explicari : Communis illa substantia affecta *paternitate* incommunicabilis fit eatenus tantum, qua est in Patre, non enim plures esse Patres possunt; sed eadem nihilominus aliter modificata personas cæteras constituit.

Quid incommunicabile sit in personis divinis.

XXI. Ex quo sextum ejusdem Crellii[1] argumentum dissolvitur, qui ex christiano sequi dogmate fingit, easdem personas simul esse *communicabiles*, et *incommunicabiles*. Id autem sic probat; quod communicabile id sit, cujus essentia communicatur. In quo prius illud suum obtinet, ut, quod est in quæstione, id tanquam medium intexat argumentationi suæ. Hoc enim fundamenti loco catholica de Trinitate fides habet, eamdem Dei naturam, qua essentia est, communicari pluribus; qua persona est, esse communicationis expertem. Denique natura ista, ut est in aliqua persona, minime communicatur; sed ut in se, et ratione quodammodo distracta est a personarum proprietatibus, communicari potest.

At non inde sequitur, quod postremo Crellium movet[2], « infinitas esse personas statuendas, » si plures una statuantur. Neque vero quemadmodum id concludat, quod initio capitis inscripserat, deinceps ostendit; sed in ipsa disputatione ad alia omnia sese convertit. Hoc enim adstruit, nonnisi unam divinæ esse substantiæ personam; quod creata substantia non plus una persona potest obtinere. Atqui non eadem Dei est et creaturarum conditio. Cur in eo, de quo agimus, non sit eadem, quærit? Primum ego causam necesse non habeo reddere, nisi hanc, quod, quatenus ambo ista cognosci queunt, intelligo neque illum persona unica contineri, et in istis unam naturæ cujuslibet esse personam. Unum ecce Deum christianæ omnes Scripturæ prædicant, unamque potentiam illius et sapientiam, et quidquid Dei proprium est, id singulare esse demonstrant. Eædem porro Deum hunc esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, tres personas, non tamen deos tres asserunt. Quid est igitur inde consequens aliud, nisi id, quod catholica professio docet, unam trium personarum esse substantiam? Plures enim tribus non esse illæ ipsæ significant, nedum innumerabiles, ut ex humanæ sapientiæ, et rationis inventis impie cavillatur Crellius. Deinde vero possit, necne pluribus in personis singularis natura creata subsistere, si ita Deus pro summa sua potestate velit, ad rem non pertinet; atque utrum dixeris, nihil nostra refert. In hoc enim moramur uno, neque hactenus plures divinæ substantiæ personas esse, nec addi posse ad illas aliquam, quod minime voluntaria, sed necessaria personarum origo propagatioque sit; tum si qua fieri posset accessio, et omni jam æternitate fuisset, quia nullus, nisi ex æterno, Deus esse potest. Cætera, in quibus æstuat Crellius, ut suadeat, nihil esse causæ, cur divina potius, et infinita substantia, quam creata, pluribus in personis existat, tum otiosi sophistæ ludicra sunt, tum, ut dixi, ab eo, de quo agitur, aliena.

CAPUT X.

Crellii calumniæ reliquæ dissolvuntur. Non esse plures Filios. Cur Verbum ab solo Patre producatur, cum sit communis intellectio. De imagine. Non minus potentem Patre esse Filium, etsi non generet. Quid sit generatio. In Deo generationem nec initium habere, nec finem. Eamdem esse locutionem Patris.

I. Pauca supersunt argumenta Crellii, reliquo in posteriore libro posita, quæ ex ipsis personis Filii, ac Spiritus sancti, contra Trini-

1 Crell. cap. VI. — 2 Cap. VII.

tatis dogma proposuit. Ex iis, quæ ad Filium spectant, ea duntaxat hic enodabimus, quæ divinitatis illius propria sunt; cætera, quæ ad Incarnationem attinent, suo loco reservabimus. Non enim explicari facile possunt, nisi pleniori istius mysterii tractatione fundamenta quædam jacta fuerint, ad illos solvendos laqueos imprimis necessaria, quæ prælibanda hoc tempore non videntur. Paucis enim comprehendi, ut, quantum satis est, usui sint, omnino nequeunt.

Filium itaque [1], quod catholica Ecclesia docet, non sic « ab æterno ex essentia Patris esse genitum, ut nihilominus eamdem numero cum Patre essentiam habeat, » primum ostendere conatur; quia «inde sequitur, Filium esse sui ipsius Filium, ac Patrem. Etenim, ex cujus essentia quispiam generatur, ejus est Filius. At si illa adversariorum de Filio Dei sententia vera est, sequitur Filium ex sua ipsius essentia genitum. Quare Filius sui ipsius Filius, ac porro, et sui ipsius pater erit. »

Catholici ex adverso contendunt, ubi communis duorum est essentia, non eo ipso, quod illorum unus ex eadem, quæ utique sua est, essentia nascitur, a se genitum, vel sui Filium dici; quia non ex essentia ista generatur, qua sua est, aut in persona sua subsistit, sed ut Patris propria est, et ejus attributa personæ. Non enim id, quod gignit, essentia est; quod si esset, profecto Filius essentiæ qui genitus est vocaretur; sed persona est, quæ gignit, essentia principium, quo gignit. Hæc autem origine prius in Patre est, quam in Filio, non tempore, non intervallo aliquo, sed sola principii ratione; quæ differentias illas *nondum*, et *ante*, vel *post* respuit, si is sensus earum sit, uti prius in Patre constiterit, cum adhuc deesset Filio.

II. Sequitur verbosa catholici dogmatis expositio, quam ex theologorum disputationibus more suo transtulit Crellius, ut irrisa illa et elusa, christianam a se concussam, et convulsam fidem similibus sui, hoc est temerariis, et indoctis persuadeat. At quam insulse, quam non acute adversus illa theologorum placita disseruit! Nihil enim attulit, nisi obsoletum et vulgare, ac Scholarum usu detritum. Itaque non magnus ei respondere labor est, qui prima doctrinæ illius elementa degustarit. Nam cum Filium a Patre produci sic intelligant nostri, uti verbum, quod mentis dicitur, ex intelligentia nostra oritur; et alia eodem spectantia nonnulla pertexant; Crellius acutum quiddam, et solers contra illos opponit: Quoniam quidem « eadem numero in personis tribus est intellectus operatio, si intellectus operatione Pater genuit Filium, Filium quoque, cujus eadem fuit operatio, se ipsum genuisse. Quinetiam Spiritum sanctum genuisse Filium illum Dei. » Quod idem et de amore concludit, quo inter se mutuo Pater et Filius sanctum produxere Spiritum. Cum enim unus idemque numero sit amor omnium; inde fieri putat, ut se ipse quoque Spiritus sanctus amore illo produxerit. Vix ista digna sunt, quibus respondeatur; adeo pervagata sunt et quotidiana. Sed uno verbo sophistam hunc absolvimus. Est una quidem singularisque mens trium personarum, et unica illius intelligendi functio; quemadmodum una est substantia numero, et natura, quæ ab illa minime differt. Verum eadem ipsa mentis perceptio notionibus, et ἐπινοίαις distinguitur, atque ut est in Patre, genitali quadam fecunditate prædita, fetum intelligentiæ parit, qui est percipiendi terminus, et Verbum nominatur. Per hoc Pater intelligit cognoscitque tam seipsum, quam cætera omnia, quorum expressa est imago Verbum istud, sed naturæ imprimis, et essentiæ. Addam et illud, ut magis stupeant, et disrumpantur Ebionitæ, etiam Filium ipsum, sive Verbum per semetipsum intelligere, utpote quod forma quædam sit intelligendi, non mera, atque simplex, sed substantiva, per seque consistens; tum etiam Spiritum sanctum per idem quæcumque cognoscit, comprehendere Verbum; neutram autem personam hoc producere, quia jam productum sit. Itaque licet eadem cognitio, ut est a Patre, ad duo pertineat, Verbum mentis, tanquam terminum perceptionis, et res Verbo cognitas; tamen, ut in Filio est, et Spiritu sancto, nonnisi ad res cognitas per Verbum ipsum extenditur; Verbum autem nullum parit, quia solus Pater Verbum producit, uti Scripturæ nos docent. Par est amoris, sive dilectionis ratio, quæ ut a Patre Filioque proficiscitur, in substantiam quamdam, velut terminum, desinit, qui Spiritus sanctus, vel amor expressus dicitur; atque omnem vim amoris exhaurit, ut alio non sit opus, quo amet ipse, cum amore amor, hoc est seipso, amet quidquid amare potest. Quare nec aliud Verbum, amoremve alium, sive personas alias existere est necesse, uti fingit

Quomodo producantur Verbum et Spiritus

1 Crell. lib. II, sect. II, cap. XI.

Crellius; quamvis quælibet persona tam seipsam, quam cæteras intelligat, et amet, eadem prorsus numero perceptione et amore, sed notionibus et proprietatibus distincto. Neque enim difficultatis plus inest in una trium explicanda cognitione, quam in substantia, vel essentia.

Sic illud una diluitur, quod sophista noster intulit: plures esse oportere personarum imagines, quia invicem oppositæ sunt; « Oppositorum autem oppositas esse imagines oportet. » Sed sunt in imaginis proprietate duo quædam: alterum, ut ab eo, cujus est imago, producatur (de naturali loquor imagine, cujusmodi Filius est imago patris): alterum, ut naturam illius exprimat. Utrumque id in solo Verbo, ac Filio cernitur; qui et a Patre genitus est, et naturæ similitudinem vi suæ processionis solus obtinet. Porro ubi una numero, et singularis est natura, multiplicari ejus imagines nihil attinet. Non enim imago *personalium* proprietatum, sed naturæ ipsius subsistentis affectæque proprietate similitudo est expressa, uti postea latius exponam.

III. Nihilo majoris est operæ, ac momenti alterum sophisma Crellii[1], et iisdem ex principiis refellitur; quo ab Filio, et Spiritu sancto alios propagari filios, et ab his rursus alios consequens esse ait, si vera sunt, quæ catholici de personarum processione sentiunt. Cur enim « quod Pater potuit, Filius non potest, ac Spiritus sanctus? Non ergo idem sunt cum illo Deus, cum non eamdem habeant facultatem ac potentiam, sed inæqualem. » Quid causæ sit, cur neque Filius alterum Filium, neque Spiritus alterum vel Filium proferat, vel Spiritum, puto ex superioribus constare. Unus est in Trinitate Pater, unus Filius, unusque Spiritus sanctus. Plures ergo nec sunt, nec esse possunt. Nam si possent, essent utique. « Non relictus est hominum eloquiis de Dei rebus alius, quam Dei sermo, ait Hilarius[2]. Omnia reliqua et arcta, et conclusa, et impedita sunt, et obscura. » Cujusmodi sunt, quæ humana ratio et sapientia contra divinitatis fidem Crellio argumenta subjicit. Atqui « non est humano, inquit idem, aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam, atque impudentem prædicationem, cœlestium dictorum sanitati, alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus; et tunc perfectæ fidei officio fungemur.» *Unus est Pater*, ait Apostolus, *ex quo omnia*. Est etiam *unigenitus*, id est unus a Patre genitus Filius. « Unus quoque et idem Spiritus est dividens singulis, prout vult. » Hoc ipsum, quod legimus, pie accurateque teneamus: « In simplicitate quippe fides est. Nec per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ (addam et argutæ subtilitatis) genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas[3]. »

IV. Nihil autem minus formidandum est, quam quod narrat Crellius, minoris idcirco fore potentiæ Filium, quia non item, ut Pater Filium, potest alterum gignere. Non enim naturæ est, vel potentiæ cujusdam naturalis generare Filium, sed proprietatis ac personæ. Testis est Ambrosius[4], qui Arianos hoc eodem instantes argumento sic repellit. « Generavit, inquiunt, Pater, non generavit Filius. Quod hic argumentum est inæqualitatis? Generatio enim paternæ proprietatis est, non potentiæ.» Neque vero vis illa generandi in Patre potentia est, sed, ut dixi, notio quædam naturæ, ut est in Patre, conveniens; quia nulla est in Deo potentia, qui est *actus*, ut vocant, simplicissimus. Ac nihilo perfectior est Filio Pater, eo ipso, quod gignit, quam eo, quod iste est Pater, ille Filius; cum perfectio omnis in natura, et iis, quæ cum natura sunt conjuncta, posita sit; ac quidquid est præterea, mera sit σχέσις, habitudoque mutua, in qua varietas est nulla perfecti.

Quid illa duo, quæ contra divinam generationem totidem argumentationibus complexus est? quam communia et abjecta! Alterum[5] est: Si Filius a Patre genitus est, fuisse hunc ab æterno, et non fuisse. Alterum[6], generationem illius, ut ex omni æternitate fuit, sic nunquam esse desituram, atque ita perpetuo generari Filium. Horum duorum posterius verum; falsum est prius. Verbum illud, quod *in principio erat*, *et apud Deum erat*, *et Deus erat*, necesse est ex æterno fuisse; alioqui Deus non esset. Neque quominus fuerit ab æterno, obstitit generatio, sed hoc potius contulit. Ut enim ridiculus sit, qui impediri dicat hominis filium, ne verus homo sit, eo quod ab homine sit genitus, cum ex hoc potius homo esse monstretur, quod non aliunde sit ortus; sic ineptus sit, qui verum Dei Filium ob hoc esse Deum neget, quod a Deo sit genitus; quoniam eo ipso Deus est,

1 Crell., cap. II. — 2 Hilar., lib. VII. — 3 Hilar., lib. X. — 4 Ambr., lib. IV *de Fide*, cap. IV. — 5 Crell. cap. III. — 6 Ibid. c. V.

quod sit a Deo vero verus genitus Filius. Cum autem vero Deo naturalis et insita sit æternitas, ut sine hac ne cogitari quidem vera possit divinitas; ex eodem fonte manare ac derivari in Filium æternitatem necesse est, unde divinitatem accepit. Ita generatione illam habuit. Non igitur æternitati est adversa generatio.

Essentia.

Generationis propria ratio.

V. Cujus quidem generationis propria ratio, et quod philosophi vocant, τὸ τί ἦν εἶναι, in eo consistit, ut sit origo unius ab altero, cui sit natura par et simile. Quod autem ex nihilo progressum habeat, et id, quod generatur, ante non fuerit, ad intimam et nativam generationis conditionem minime pertinet. Imo, si in Deo inest generatio, ut est revera, siquidem verus ibi Pater est, verusque Filius, et idem unigenitus; abesse id ab illa necesse est, quod in creatarum rerum propagatione cernitur, ut existendi initium habeat, quod gignitur, et antequam gigneretur, nihil omnino fuerit; quoniam Deus ex Deo, nisi æternus sit, procedere generarique non potest. « Et natus igitur, et semper natus, et sine initio natus, ait Augustinus[1]. Non est tempus inter Patrem et Filium. Genuit Pater; natus est Filius. Sine tempore ille genuit; sine tempore natus est, per quem facta sunt tempora, etc. Respondere tibi habet caro tua, et confabulatura tecum, et dictura tibi in tenebris: Quomodo natus, si sic fuit? Tenebræ tecum loquuntur. Exponatur mihi, clamas, clamo, exponatur mihi. Quid tibi exponatur? Natus est, aut non natus? Non enim esset Filius, nisi natus. Si ergo natus est, fuit tempus, quando non erat. Falsum est hoc. Terra loqueris, de terra loqueris. Expone ergo mihi, ait, quomodo natus sit, si semper fuit? Non expono, non expono; sed pro me Prophetam oppono, Generationem ejus quis enarrabit[2]? » Qui Augustini locus utrique Crellii occurrit argumento, tam ei scilicet, quo generationem omnem ex non exstantibus proficisci asserit, quam alteri, quod absurdum esse sumit, sempiternam, ac nunquam desituram esse generationem. Quod tantum abest, ut inficiemur, ut hoc affirmemus ultro, præque nobis feramus, christiana omni consentiente vetustate, quæ nullam in Deum mutationem induci patitur, qualem haud dubie tribuunt ii, qui Filium vere a Patre genitum, hoc est ejus ex substantia natum in tempore esse, et generari postea desiisse putant.

VI. Ac cum generatio ista nihil sit aliud, quam locutio quædam ac dictio (id enim est τοῦ λόγου, seu *verbi sermonisve* productio), si ab Verbo generando destitit Pater, ab loquendo itidem destitit, ac deinceps tacuit. Non meus hic sermo est, sed magni Athanasii contra Arianos idipsum, quod Crellius modo facit, opponentes: quos ille castigat sic. « Ita enim est nunc, ut erat ante (nempe in Patre, ut et Pater in ipso). Quod si nunc ita est, ut erat antea, manifestum est non aliquando generatum fuisse, aliquando non fuisse; neque aliquando quietem in Deo fuisse, aliquando locutum esse, sed esse semper Patrem, et Filium ipsius Verbum[a]. » Cui Athanasii dicto eo magis assentiemur, si hoc esse Dei proprium cogitemus, agere semper, et nunquam ab actione desistere; cumque pura mens, et intelligentia sit Deus, intelligendo ac volendo agere ipsum. Intelligere autem, sine Verbo esse nequit. Quare cum mentis illa in Patre motio, ut ita loquar, sit Verbi productio; quemadmodum sempiterna est intellectio, ita Verbi nunquam est interrupta generatio. Denique dicere in Patre est Verbum proferre; hoc autem unicus in illo est operandi modus. Itaque ut idem est in eo operari ac loqui; sic ex adverso tacere hoc ipsum erit, nihil agere. Semper autem actuosus est Deus. Perpetuo ergo loquitur, ac Verbum suum producit. Hæc in sequentibus libris clarius atque uberius complectemur, quæ adversus Photiniani temeritatem modo brevius, quam res tanta mereatur, attigimus. De cæteris illius argumentis, quorum quatuor contra assumpti hominis a Verbo mysterium totidem reliquis sectionis secundæ capitibus exposuit, quintum et postremum sectione tota disputavit adversus Spiritus sancti divinitatem; non est consilii hoc loco mentionem facere. Siquidem illa, quæ ad Incarnationem spectant, in eam operis partem differenda sunt, quæ illi mysterio tribuitur. De Spiritu vero sancto quidquid disserit, uno capite continetur, an sit illius productio vera generatio, ut non minus, quam secunda persona, Filii nomen obtinere

Verbi non interrupta generatio.

a Athan. orat. v. Οὕτω γάρ ἐστι νῦν, ὥσπερ ἦν ἀεί. εἰ δ' οὕτως νῦν ἐστιν, ὥσπερ ἦν ἀεί· δῆλον ὅτι οὐ ποτὲ μὲν ἐγεννᾶτο, ποτὲ δὲ οὔ· οὐδὲ ποτὲ μὲν ἐν θεῷ ἡσυχία ἦν, ποτὲ δὲ ἐλάλει, ἀλλ' ἔστιν ἀεὶ πατήρ, καὶ υἱὸς ὁ τούτου λόγος.

1 Aug. in fragmento xxvi. — 2 *Isa.*, LIII, 8.

debeat. Quæ res in sexto libro studiose a nobis explicabitur. Id autem cum fiet, omnia illa eadem opera prædicentur, quibus argumentum illius innititur; quod quidem totum hallucinatione sola et theologiæ nostræ ignoratione constat. Hac igitur tractationis istius luce convicta, palam erit, quid non valde acuto disputatori responderi oporteat.

CAPUT XI.

Epilogus libri tertii, confutationisque Crellii, cujus ridicula oratio refellitur, qua christianos ad suam amplectendam hæresim invitat. Hujus imbecillitas et fucus detegitur. Scripturas solas, sine interpretatione, ad fidem dirigendam non sufficere. Photinianæ hæresis, et catholicæ partis momenta inter se componuntur. Crellium Scripturas perperam distorquere. Ecclesiæ auctoritatem ad constituenda fidei dogmata esse necessariam. Antiquam Ecclesiam aliter, ac novos Photinianos de fide sensisse contra Socinum et Crellium docetur veterum Patrum testimoniis.

I. Christiani nominis inimicam teterrimam hæresim cum propugnatore suo Joanne Crellio fractam et oppressam sic arbitror hoc toto libro, ut ei si non impudentia, ac temeritas excussa, illudendi certe iis, qui cum aliquo judicio nostra legerint, impunitas detracta sit. Ac nihil esse confido tam intricatum, ac difficile positum ab illo, cui non ex omni parte disputatio nostra satisfecerit; quæ quidem universas illius impressiones irritas, languidos enervatosque conatus, machinas, et præstigias inanes ac ludicras esse monstravit.

Sed tantum in hac caruncula confidentiæ fuit, ut sic tanquam pietatis causam contra manifestam infidelitatem perorasset, non Judaicæ, aut Muhammedanæ perfidiæ contra christianam religionem partes egisset, cohortari nos etiam lectores suos non dubitarit, ac velut convictos rationibus, permotione insuper animorum ad illam capessendam sectam impellere. Nam et initio operis acrem et vehementem præfationem explicat, in qua sempiterni interitus proposito metu, et salutis adipiscendæ spe, velut faces ac stimulos adhibet, ad putidam et fatuam, odioque dignam christianorum omnium adsciscendam hæresim. Et in fine, contractis in unum, et conglobatis rationibus, quas toto libro pertractarat, velut impetu facto, percellere conatur, si quos potest, ad seque rapere. Sed *quis hoc ferre, quis potest pati,* tantum assumere sibi hominem vulgariter litteratum, ac neque probabilem theologum, et dialecticum non nimis astutum, ut paucis argutulis, et contortis conclusiunculis, tantum efficere se posse confidat? Quid est enim illius in libro novum ac reconditum? quæ ratio tam deducta subtiliter? quæ tam ad assensum evidens conclusio? quod argumentum adeo firmum et præclarum, ut vel mediocriter iis in controversiis trito, ac subacto moram possit afferre? Ut enim profana ista secta fanaticorum hominum, ex veterum colluvione collecta concretaque est hæresum; sic argumenta nec affert, nec ab ejus patrono deprompta sunt alia, quam quæ ex apostolicis inde temporibus, primi illarum architecti, et inventores attulerunt. Quæ quidem millies agitata, et ultro citroque versata, jam acumen habere desierunt, ut eadem pro magnis et exquisitis opponere vel indocti sit, ac parum callidi, vel multum impudentis.

II. Age enim, quoniam in epilogo suo argumentationum omnium summam confecit Crellius, ut in unum vi collata, majorem ruinam ederet, paululum et nos faciamus idem, et summatim rationes illius ad sua capita revocemus. Ea sunt omnino duo. Nam aut Scripturæ testimoniis pugnat, aut dialecticis ex locis argumenta molitur, quibus catholicorum decretorum repugnantiam ac falsitatem redarguat. In utroque porro genere tritum iter insistens, nihil retrusum ac reconditum expromit; sed omnia in promptu, et in propatulo posita; quibus antiquorum Patrum, qui adversus auctores hæresum istarum certarunt, singulæ paginæ refertæ sunt. Summatim argumenta Crellii revocantur.

Ac prior quidem locus, qui sacrorum Librorum testimonia continet, plenius ab illo uberiusque tractatur, et majorem occupat operis partem, ut in eo morem cæterorum imitetur hæreticorum; de quibus verissime scripsit Hilarius in quarto *de Trinitate:* « Videntur, inquit, sibi de singulis, quæ asserunt, præstare rationem, quia singulis assertionibus suis quædam ex divinis voluminibus testimonia subdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantum ignorantibus blandiantur, speciem veritatis secundum pravitatem interpretantium præstatura. » Hinc

enim exortæ, imo non aliunde, ut ait Augustinus[1], « natæ sunt hæreses, et quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, et in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, temere, et audacter asseritur. »

III. Sed quodnam ab Photiniano Crellio commemoratum est Scripturæ testimonium, cui non statim responsio nostra sic occurrat, ut in eo præsidium nullum, ac latebram pestilentissimo errori reliquerit? Atque eo maxime piis et prudentibus acceptior, imperitis etiam plausibilior esse ratio nostra debet, quod non aliunde, quam ex ipso velut ore vetustatis exceptam singulorum locorum interpretationem adduximus. Meminimus enim apostolicæ illius regulæ, quam in tractandis divinis Litteris princeps illius ordinis edidit. « Omnis, inquit, prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit[a]: » quibus verbis Scripturas docet, utpote propheticum aliquid spirantes, non ex propriis inventis explicandas ac dissolvendas esse. Id enim Græcæ vis dictionis præ se fert, ut obscuras illas esse, et instar propheticorum oraculorum ambiguas ostendat. Quamobrem « ad divinæ legis auctoritatem, (interpres ejusdem adjungenda) Ecclesiæ catholicæ traditio, » ut præclare scripsit Vincentius Lirinensis. « Quia videlicet Scripturam sacram, pro ipsa sua altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cœlestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici, et catholici sensus normam dirigatur. » Siquidem « de intelligentia hæresis ait Hilarius[2], non de scriptura est, et sensus, non sermo fit crimen.»

Ad hanc igitur exponendæ Scripturæ præscriptionem omnia nostra dirigentes, duo universe contra Crelliana sophismata præscribimus, tam ex divina Scripturarum auctoritate, quam ex majorum decreto ac sententia. Alterum, quæ de Christo in canonicis libris tradita sunt, ea partim ad humanam ejus naturam, partim ad divinam pertinere. Alterum, Christum ipsum, qua Deus est, non a seipso esse, sed a Patre, tanquam originis stirpe ac principio, a quo etiam accepta per generationem et nativitatem habet, et ad eumdem refert omnia. Hæc nos catholicæ veritatis firmamenta duo tam in Scripturis, ut dixi, quam in sæculorum omnium approbatione ad hunc fixa diem, atque fundata, contra Crellianas artes et interpretandi temeritatem et calumniam objecimus. Nam pleræque omnes argumentationes, quas e sacrorum Librorum testimoniis struxit, in unum aliquod ex ambobus incidunt, iisque bene cogitatis ac perceptis, incredibilis est ad singula respondendi facilitas.

IV. Alter locus, qui ex repugnantibus ratiocinando progreditur, quam captiosus, insidiarumque plenus est! Nam cum sint ejusmodi christianæ religionis omnia dogmata, ut et humanæ modum rationis superent, et multas ideo ac difficillimas pariant quæstiones; imprimis autem illa, quibus Samosateni ac Photiniani refragantur, Trinitatis, et assumpti hominis: mirificum ad hæc labefactanda quiddam homo acutus reperit. Illas enim ipsas disputationum salebras, illa eadem argumenta, quibus confligere in scholis nostri solent illustrandæ gratia veritatis, comparavit ex eorum commentariis Crellius, et in catholicos effudit. Quo in facto stuporem hominis, an improbitatem mirer magis, equidem nescio. Stuporem, si vel pro novis, ac domesticis, tam trita et quotidiana venditare voluit, vel iis ipsis terreri nos expugnarive putavit posse, quibus aures nostræ assidue verberantur. Improbitatem autem, et malitiam; quod argumenta conclusionumque fallacias sic excerpsit illorum ex libris, ut eorumdem confutationes, quas ibi legerat, dissimulanter omiserit. Atqui par erat illum, qui bona fide ageret, quique aliud, quam tergiversari, ac rixari quæreret, non ea tantum persequi, quæ dubitando, ac percontando sciret ab iis, contra quos disputabat, esse posita, sed eorum quoque responsa cogitate accurateque perpendere. Nihil igitur iste, præter fucum et inanem pompam ad sectæ non solum nefariæ,

a II *Pet.* I, 20. Ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς, ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται.

1 Aug. Tract. XVIII *in Joan.* — 2 Lib. II.

sed etiam stolidæ patrocinium contulit; neque firmiorem illam, quam dudum erat, aut vendibiliorem conquisito sophismatum apparatu reddidit.

Item summatim retractantur argumenta pro catholica fide.

V. Atque ut causa cum causa, cum argumentis argumenta confligant, quæ sit partis utriusque, catholicæ, et Photinianæ istius ratio, ante lectoris oculos statuamus. Deum unum essentia, personis esse trinum, habet christiana professio, tum personas has esse Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Harum secundam, hoc est Filium, sive Verbum, carnem esse factum, hoc est hominis adjunxisse sibi et assumpsisse naturam, duplex ut in una persona sit substantia. Negat utrumque Photinianus Crellius; ac tum unam numero, et singularem esse Dei personam, tum Christum nihil esse, præter hominem affirmat. Non possunt ambo ista esse vera, sed vincat alterutra pars oportet. Vincet autem, opinor, ea, quæ hoc asseverat, quod Deus dixerit. Jam quid dixerit, vel solis e Scripturæ verbis, vel præter hæc, aliunde necesse est petere. Nolo hic de scripto, vel non scripto Dei verbo controversiam facere. Differamus hanc aliud in tempus, et in unis Scripturis hæreat nostra contentio. Quod igitur docere, ac testificari constabit sacros Libros, certum id erit, et pro mendacio repudiandum alterum. Quid autem doceant, potest vel ex vocibus ipsis, vel ex vocum sententia, et interpretatione colligi. Verba ipsa si spectes, et ad rem nostram transferas, lego illic Patrem Deum esse, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum. Lego trium istorum unum esse nomen, id est auctoritatem, majestatem et potentiam. Lego omnia, quæ sunt propria summæ divinitatis, tribus simul, et trium singulis attributa. Lego unum ex tribus illis Patrem esse unigeniti ac veri Filii; hunc Verbum illius esse, et ab eo ante omnia sæcula genitum, *per quem fecit et sæcula*[1]; eumdemque Deum, ac verum Deum. Hunc ipsum lego carnem esse factum, id est assumpsisse naturam nostram, et hominem inter homines vixisse, ac quæ sunt hominis propria, non minus usurpasse, quam quæ sunt Dei, procreationem omnium, et administrationem, summo cum jure, ac potestate. Hæc cum lego, præque oculis habeo, quod meum aliud debet esse judicium, nisi hoc, quod de Deo, personisque tribus, et Christo nominatim, catholica, quam initio posui, fides amplectitur? « Ab iis ergo evangelicis et apostolicis testimoniis, quæ teneo edoctus sum, ut cum Hilario[2] loquar, his immedicabiliter imbutus sum. Et ignosce, omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, et commori possum. Tarde mihi hos impiissimos, quantum ego arbitror, doctores ætas nunc hujus sæculi protulit. Sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros. Inauditis ego omnibus his, in te ita credidi; per te ita renatus sum, exinde tuus ita sum. » Et vero « quis audiens Filium, inquit Athanasius[3], non statim cogitat de eo, quod paternæ subtantiæ proprium est? Quis audiens in prima christianismi institutione Deum habere Filium, ac proprio verbo omnia fecisse, non sic illud intellexit, quemadmodum nos ipsi sentimus[a]? »

VI. Atenim alia sunt iisdem in Scripturis loca, quæ contrarium docent; et quibus verbis, ac sententiis significari illa credidi, ea sunt aliter interpretanda, et ita potius, ut Photinianis placet, eorumque suffragatori Crellio. Quis hoc dicit? Verba, inquit, ipsa si legeris, et intenderis animum, persuadere ita poterunt. Itaque « per veritatem, perque tuæ salutis amorem obtestamur, (ait Crellius) ut ea, quæ scribimus, expendas, atque ad verbi divini normam exigas. » Ego vero et legi ista diligenter, et cum scripto Dei verbo attente contuli; nec me adeo contemno, ut non tantumdem in me, quantum in isto nebulone, et ejus gregalibus inest, aut ingenii ad intelligendum, aut ad discernendum usus, ac judicii esse confidam. Duo igitur hic Crellius necesse est faciat, ut et illa testimonia, quæ pro nostro dogmate inde prompta sunt, contra exponat, ac catholici instituunt; et alia, quæ pro se attulit, vicissim a nostris secus, ac velit, explicata tueatur, et afferat. Utrumque porro suscepit ille quidem, sed adeo non probavit, ut superiorem causam nostram oppugnatione sua fecerit. Deum appellari Christum excipit iis in locis, quibus nitimur, non optimo jure, hoc est non pari ac Pater ipsius, Deus unus et summus. Verum quæ potest iniquior esse contentio? Ad Scripturæ verba ipsa, sicubi commodum sibi putat, adhærescit, nec illorum interpretationibus, quamvis æquis,

a Athan. orat. III. Τίς γὰρ ἀκούων υἱὸν, οὐκ ἐνθυμεῖται τὸ ἴδιον τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας; τίς ἀκούσας ὅτε κατηχεῖτο κατὰ τὴν ἀρχὴν, ὅτι θεὸς υἱὸν ἔχει, καὶ τῷ ἰδίῳ λόγῳ τὰ πάντα πεποίηκεν, οὐκ οὕτως ἐδέξατο κατὰ τὴν διάνοιαν, ὡς νῦν ἡμεῖς φρονοῦμεν;

1 *Hebr.* I. — 2 Hilar. I, lib. II. — 3 In *Prof.*

ac receptis, moveri se dicit. Cur non et idem hoc loco usurpari a nobis patitur? « Deum, ait Hilarius in septimo libro, Dominum nostrum Jesum Christum his modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione. Sed de nomine nihil puto ambiguitatis remansisse. Legimus enim, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Quid calumniæ est, cur non sit, quod nuncupatur? Aut numquid nomen non naturæ significatio est? » At etiam non simpliciter Deus, sed verus etiam nominatur Deus. *Hic est verus Deus*, ait Joannes, *et vita æterna*[1]. Quare « non perfunctorie nuncupandus Deus, ut Ambrosius[2] scribit, sed ita, ut eamdem divinitatem prædices in Filio, quam habet Pater. »

VII. Atque, ut præclare Nyssenus ait Gregorius: « Si extremæ stoliditatis est hunc equum, illum hominem dicere, siquidem vere ambo sint homines; paris ejusdemque stuporis est, cum et Deus Pater, et Filius esse Deus credatur, hunc creatum, illum increatum asserere; cum nec illic humanitas, neque hic divinitas ad id, quod diversi generis est, detorqueri vocabulum sinat[a]. » Qua certissima gravissimaque Gregorii sententia Photinianorum, et Arianorum vecordia constringitur. Etenim si pater quispiam cum filio adducatur in medium quos et homines, et veros esse homines constet, idque ipse fateare; non te insanire tute ipse judices, si illorum alterum hominem, alterum bovem dixeris? At idem amentiæ genus est in Crellii, ejusque sectæ nefario dogmate; qui cum Filium verum Deum perinde, ac Patrem pronuntiari audiant, et vero esse credant, tum hujus illum esse verum, et unigenitum Filium; iidem tamen et sui, et communis sensus obliti, Filium solo nomine Deum, re autem hominem esse merum, nihilque præter creaturam existimant. Atque uti si probare quis illic velit, ambos istos, Sophroniscum, exempli causa, et Socratem, homines esse, neque bovem esse Socratem, non alio utatur argumento, nisi isto, quod uterque verus homo et sit, et esse dicatur, et hic verus illius filius, et ab eo genitus. Sic in hac nostra de statu Filii controversia satis argumenti est, non ipsum esse creaturam, quod verus Deus verusque Dei Filius, et a Deo genitus esse dicatur.

Jam qui *omnia per ipsum facta*[3] Dei Verbum, et Filium, iisdem e Scripturis didicerit, potest dubitare, quin et antequam e Virgine matre nasceretur, exstiterit, et *cum caro factum esse Verbum*, hoc est, ut Paulus exponit, *semen apprehendisse Abrahæ* dicatur, idem duplicem in sese naturam contineat, sempiternam, et in tempore procreatam, adeoque sit homo pariter, ac Deus? « Nam si Christus merus est homo, ait Proclus in epistola *ad Armenos*, et non ipsum Dei Verbum, quomodo in principio omnia creavit, cum nondum tunc esset? Nam si creatis rebus posterior est homo, perspicuum est nequaquam iis, quæ ipsum antecesserunt, ortum contulisse Christum, ut qui posterius productus fuerit, tanquam homo simplex. Quinam igitur Paulus exclamat, *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*[4]? Nam si per Christum omnia, manifestum est Christum Deum esse Verbum, cum Evangelista clamet, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum.* Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. »

VIII Quamobrem merito sanctus Hilarius[5], in illos invehitur, « qui in confessione Patris, et Filii, et Spiritus sancti, veritatem naturalis significationis eludunt, ne id maneret in sensu, quod in regenerationis Sacramento est confitendum. Ob hoc, inquit, penes quorumdam conscientiam nec Pater pater, nec Filius filius, nec Spiritus sanctus Spiritus sanctus est. » Et Basilius in secundo *contra*

a Greg. Nyss. lib. VI *contra Eunom.* Εἰ γὰρ τῆς ἐσχάτης ἐστὶν ἠλιθιότητος, τὸν μὲν ἵππον, τὸν δὲ ἄνθρωπον λέγειν, εἴπερ ἄνθρωποι κατὰ ἀλήθειαν εἶεν ἀμφότεροι, τῆς ἴσης πάντως παραπληξίας ἐστὶ, θεοῦ μὲν τοῦ πατρὸς, θεοῦ δὲ τοῦ υἱοῦ εἶναι πεπιστευμένου, τὸν μὲν κτιστὸν, τὸν δὲ ἄκτιστον λέγειν, ὡς ἐκεῖ τῆς ἀνθρωπότητος, οὕτω καὶ ἐνταῦθα τῆς θεότητος οὐκ ἐπιδεχομένης τὴν πρὸς τὸ ἑτερογενὲς παρατροπὴν τοῦ ὀνόματος.

b Proclus. in ep. *ad Arm.* Tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Εἰ δὲ ὁ Χριστὸς ψιλός ἐστιν ἄνθρωπος, καὶ οὐκ αὐτὸς ὁ θεὸς λόγος, πῶς ἔκτισε τὰ πάντα ἐν ἀρχῇ, τότε οὐκ ὤν; εἰ γὰρ μεταγενέστερος τῆς δημιουργίας ὁ ἄνθρωπος, εὔδηλον ὡς τοῖς πρὸ αὐτοῦ τὴν γένεσιν οὐκ ἐχαρίσατο ὁ Χριστὸς, οἷα δὴ μεταγενέστερος προαχθεὶς, ὡς ψιλὸς ἄνθρωπος. πῶς οὖν ὁ Παῦλος ἐβόα, εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα; εἰ γὰρ διὰ Χριστοῦ τὰ πάντα, εὔδηλον ὅτι Χριστός ἐστι λόγος, τοῦ Εὐαγγελιστοῦ βοῶντος· ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν· καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο.

1 I *Joan.* v, 20. — 2 Lib. III *de Fide*, cap. vii. — 3 *Joan.* i, 3; *Heb.* i, 16. — 4 I *Cor.* viii, 6. — 5 Hilar. lib. II *ad Const.*

Eunomium queritur, hunc hæreticum « falso appellatum Patrem constituere, et voce tenus Filium prædicare, nihilque interesse putare vel Patrem, vel creatorem profiteri, et aut Filium, aut opificium dicere. Cuinam igitur sectæ adscribetur ille, aut cui parti annumerabitur? Judæorum, an gentilium? Non enim in christianorum se numerum referet is, qui vim pietatis, ac velut religionis nostræ characterem abnegat. Etenim nequaquam nos opificem, et opus credidimus ; sed in Patrem, et Filium per baptismi gratiam obsignati sumus[a]. » Qui hoc igitur in Scripturis, præsertim Testamenti Novi, attente cognoverit, tres eadem censeri divinitate, ac potestate, propriis distinctos nominibus, tum horum primum peculiari appellatione dici Patrem, alterum Filium, tertium Spiritum sanctum ; ac tres istos solos in legitima comprehendi baptismi formula, exclusis cæteris, eo deduci illum necesse est, ut et in Patris, ac Filii vocabulis contineri judicet naturæ æqualitatem, ac similitudinem, et his duobus nihilo deteriorem fateatur esse Spiritum sanctum, adeoque verum, et unum proinde cum ambobus Deum, quibuscum summæ consortio majestatis, potentiæ, auctoritatis æquatur ; quod ejusdem in regenerationis sacramento singularitas *nominis* ostendit. « Dicis, inquit Paschasius Diaconus[1] Photinianos Crellii antistites alloquens, Spiritum sanctum propriam non habere personam, nec amisisse te sentis regenerationis gratiam, qui in regenerationis tendis offensam, quem sibi in commune majestatis et virtutis unitum divina veritas protestatur, ita dicens : *Ite,* inquit, *baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* In nomine, inquit, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nominis singularitas unitatem loquitur, appellationum diversitas trinitatem. In nomine ergo unus, sed in personarum distinctione non unus. Quid est in tribus unius nominis prærogativa, nisi deitatis indiscreta concordia? Fac gradum, si potes, ubi præter unum, Deo hoc ipsum attestante, nihil invenis. Tres audis, ne unitatem Sabelliana permisceat et confundat impietas. Unum audis, ne trinitatem dividat Ariana perversitas. Spiritum sanctum audis, ut Macedonium confodiat distincti nominis expressa proprietas. Itaque non creaturæ, sed creatoris incommutabile opus agitur, ubi peccatorum abolitio et immunitas erogatur. »

IX. His et similibus argumentis, quæ in secundo libro proposita sunt, occurrunt tamen Photiniani, et Trinitatis hostes hæretici, quomodo possunt ; nec tantum, opinor, industria promovent, ut quod de antiquis illis sophistis olim jactabatur, deteriorem causam disputando potiorem faciant. Sed hoc demus illos consequi vi et subtilitate sua, ut in utrumvis difficile veri judicium reddant. Erit tunc videlicet anceps, et incertus auditoris, vel lectoris animus, et ne usquam errore labatur, assensum suum sustinebit. Quid igitur sic affecto et constituto homini faciendum vel illi ipsi suadeant? In hoc, inquam, partium conflictu, cum nec Photiniani nostro, neque nos istorum judicio, et Scripturarum interpretatione stare velimus ; quis erit, obsecro, rixarum ac jurgiorum modus, nisi, tanquam ex compromisso, controversiæ arbiter aliquis, ac disceptator adhibeatur? Quis autem magis idoneus capi potest, quam Ecclesia ipsa, quæ *columna est, et firmamentum veritatis*? Ac ne causæ quippiam ad tergiversandum, ac detrectandum habeant, non illis qualemcumque Ecclesiam arbitram damus, sed veterem, et quam illi incorruptam, si sani sunt, non negent, hoc est Apostolicæ ætati proximam. De Ecclesiæ istius ergo sententia et auctoritate, quinam aliter liquere potest, quam ex veterum Patrum, qui insignia ejus membra fuerunt, monimentis ac testimoniis? Hic enim procul dubio antiquæ fuit Ecclesiæ sensus, qui illorum fuit, qui in Ecclesia celeberrimi, ac sanctitate, doctrina, nominis fama principes exstiterunt. Hic vero ille locus est, in quo irretiti tenentur Photiniani isti, et quo se pars sola catholica vindicare ab eorum importunitate potest. Nam Calvinianis, Lutheranis, cæterisque Romanæ hostibus Ecclesiæ uti præsidio isto non licet, quod jamdudum a se et professione sua, et factis ipsis abjudicarunt.

a Basil. II *contra Eunom.* Ὁ δὲ πατέρα ψευδώνυμον καὶ υἱὸν μέχρι προσηγορίας ψιλῆς καταγγέλλων, καὶ οὐδὲν ἡγούμενος διαφέρειν ἢ πατέρα ὁμολογεῖν ἢ κτίστην, καὶ ἤτοι υἱὸν λέγειν, ἢ ποίημα, ποῦ τετάξεται παρ' ἡμῶν; ἢ τῆς ποίας εἶναι μερίδος συναριθμηθήσεται τῆς Ἰουδαίων, ἢ τῆς Ἑλλήνων; οὐ γὰρ δὴ Χριστιανοῖς ἑαυτὸν εἰσποιήσει· ὁ τὴν δύναμιν τῆς εὐσεβείας καὶ τὸν οἱονεὶ χαρακτῆρα τῆς λαθρείας ἡμῶν (μὴ) ἀρνούμενος. οὐ γὰρ εἰς δημιουργὸν καὶ ποίημα ἐπιστεύσαμεν, ἀλλ' εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν διὰ τῆς ἐν τῷ βαπτίσματι χάριτος ἐσφραγίσθημεν.

1 Paschasius lib. II, cap. IV. — 2 I *Tim.* III, 4.

Qui enim sola Scriptura, hoc est scriptis verbis fidem suam alligant, qui, præter hanc, nullam credendi sibi normam ac regulam constituunt, quoties cum talibus pestibus pugnam conserunt, quæ se solis itidem Scripturæ verbis tegunt ac tuentur, sudare plus satis eos necesse est, et suo artificio superari. Quod iis sæpius in colloquiis ac disputationibus, quas cum Photinianis Arianisque contulerunt, superiore illis accidisse sæculo memoriæ proditum est.

X. Sed etsi impudens est natio ista Photinianorum, et in verborum persequendis tricis, Lutheranorum et Calvinistarum exemplo stolide pervicax, non tamen adeo frontem periisse ex rebus humanis arbitror, ut non eos infinitæ illius et inextricabilis rixæ interdum pigeat, quam affert morosa dictionum et superstitiosa notatio. Quapropter antiquitatis auctoritate, ac judiciis armanda est Ecclesiæ causa, ut ea sit et veritatis opinione, et verbi Dei interpretatione pars potior, cui jam tum ab apostolorum ætate tot sæculorum lumina suffragata sunt. Ac nobis illa præsertim commemoranda sunt tempora, quibus integra, Photinianis etiam cum Crellio fatentibus, nec errorum violata pravitate christiana fuit religio; cujusmodi et ante Nicænam synodum, et aliquanto post exstitisse, sectæ illius antesignanus affirmat Faustus Socinus in epistola secunda *ad Matthæum Radecium*. Nam cum assererent ex eodem grege aliqui cum Radecio isto, « post ipsos apostolos plenam defectionem fuisse, sublatumque ex eo tempore ipsum fundamentum esse, quia cognitio vera essentiæ Dei, et personæ Jesu Christi obscurata, et abolita fuerit; » falsum id esse Socinus docet; « quia cognitio, inquit, ista sine ulla controversia usque ad tempora concilii Nicæni, et aliquanto post inter eos, qui Christum profitebantur, esse non destitit. Per totum enim illud tempus, ut ex omnium, qui tunc exstiterunt, scriptis liquet, ille unus verus Deus, quem passim sacra testimonia prædicant, solus Pater Jesu Christi est creditus, et qui contrarium sentiebant, ut Sabelliani, et eorum similes, pro hæreticis plane sunt habiti. Quinetiam, postquam opinio Trinitatis personarum in una Dei essentia, qualem antichristiana Ecclesia defendit, invecta est, et totum ferme christianum orbem occupavit, adhuc ipsi Patri prærogativa quædam est reservata, etc.» Quem Socini locum jam[2] supra descripsimus, cum de Spiritus sancti persona sermo nobis incidisset; de quo Crellius consentire secum priscos illos sine ullo pudore mentiebatur.

XI. Quoniam igitur tam incredibilis illorum mentes hebetavit stupor, ut sive statim post apostolos penitus defecisse fidem, ejusque fundamentum eversum esse dicerent, quod Radecius iste scripsit; sive aliquanto post Nicænum concilium, quod Socinus verius existimat; apparet, quam fœda sit, et ab omni specie veritatis aliena secta ista, quæ se partim ad execrandam blasphemiam implicat, partim adversariorum telis ultro confodiendam ac jugulandam objicit. Nam et Ecclesiam, ejusque sinceram fidem tam repente post apostolos intercidisse, impium est, et immane commentum; et ad illud usque tempus, quod Nicænam synodum secutum est, eamdem perseverasse credere, idipsum est, novam istam Photinianorum damnare perfidiam. Cum enim, ut paulo ante posui, quæ fuerit veteris et apostolorum ætati proximæ fides Ecclesiæ, ex eorum testimonio, nec aliunde, constet, qui tum aliquid scripserunt; omnium autem, quorum inter nos scripta versantur, stylo ac sententia confixa sint novæ istius hæresis dogmata; quid aliud, quam contra se testes producunt, qui illorum se temporum fidem probare amplectique profitentur? Poteram hic singillatim appellare singulos Patres, quorum ad nos usque libri pervenerunt; sed longum est, ac nos quædam ex illis testimonia capite illo septimo protulimus, quæ in cæterorum specimen capere licet, et sparsim hoc in opere innumera descripta sunt, quæ minime istud ignorari sinant, quæ fuerit, et quam nuperæ huic hæresi contraria antiquorum illorum persuasio de Deo ac Trinitate, deque Christo, et ejus natura duplici, sive incarnatione; quod utrumque nefarii isti sustulerunt.

XII. Verum ne aliunde potius omnia, quam ex hoc loco nonnulla secum auferat lector, quibus Photinianorum istorum ferreum os verberetur; paucas conferam cum eorum dogmate sententias scriptorum aliquot ætatis illius, quas in capite hujus libri VII prætermisimus, aut ibi commemoratas perstringendo repetam; ex quibus mentitos illos probem, qui de Christi persona et divinitate, atque etiam Spiritus sancti, consentientes habere se mentiuntur veteres illos, qui citra

Vetus Ecclesia cum hodierna in fide concordat.

1 Socin. ep. II *ad Radec.* — 2 Cap. VII.

Nicænam synodum, vel paululum ultra in Ecclesia vixerunt. Etenim quamvis eorum aliqui nondum plenam catholici decreti professionem expresserint, sed loquendi saltem genere ipso dissenserint ab ea regula, quæ post Nicænam constituta synodum est, ut in primo libro disputavimus; tamen et personas tres divinas reipsa distinctas, et harum secundam assumpta carne hominem factam, diserte omnes edocent, et contra sentientes Ebionitas refellunt.

Justinus Martyr, auctor perantiquus, et apostolicorum suppar temporum, in *Apologia* prima, « Christum Filium Dei Patris nominat, qui solus proprie Filius dicitur, estque Verbum, quod simul cum illo ante creaturas et existit, et gignitur, quando primitus per ipsum omnia creavit et ordinavit. Christus vero ideo, quod unctus est, et per eum ordinavit omnia, Deus appellatur ; quod ipsum nomen ignotam significationem continet ; quemadmodum et vocabulum Dei nomen non est, sed rei inexplicabilis naturæ hominum insita opinio. Jesus autem et hominis et servatoris nomen ac significationem habet. Nam et homo, sicut jam diximus, factus est, ex Dei, et Patris voluntate partu editus[a]. » Hic Justini locus et ad Dei proprietatem in Christo et ad utramque naturam probandam luculentissimus est ; qui et Christi nomen tribuit divinitati, tanquam inde ductum sit, quod unctus est Filius a Patre ad procreanda, et ordinanda, componendave omnia, sicut inungi reges solent, qui moderandis regnis adhibentur ; et Jesu vocabulum ejusdem Christi, qua homo est, proprium esse definit. Et aliquantis interjectis, « Christo vero, inquit, quem Socrates ex parte cognovit, (Verbum enim erat, et est, quod in universitate rerum existit, et per prophetas, quæ erant futura, prædixit, tum per semetipsum eadem nobiscum patiendi conditione præditus, ista ipsa docuit) non solum philosophi et litterarum studiosi omnes auscultarunt,[b]» etc. Vides, ut idem Verbum, quod per prophetas locutum est, ac totam hanc rerum universitatem continet, hominem esse factum asserit. Non igitur merum illum putavit hominem. Quod et in fine *Apologetici* ejusdem his verbis explicat. « Etenim verbum, ait, quod ab Ingenito est et ineffabili Deo, post Deum adoramus, et amamus ; quoniam et nostra causa homo factum est.» Quinetiam in *Apologetico* secundo, Photinianam impietatem forti, ac diserta oratione convincit, quæ quidem Christum adstruit nulla, præter humanam, constare natura ; Filium tamen appellari Dei ob functionis excellentiam, et ornamentorum aliorum, quæ nihil ab substantiam pertinent. At Justinus, quasi ex professo in illos disputans, « Filius, inquit, Dei, qui Jesus dicitur, quamvis communi tantum ratione homo esset, propter sapientiam dignus esset, qui Filius appellaretur Dei. Patrem enim virumque Deumque Scriptores omnes Deum vocant. Sin est, ut peculiari de causa, præter communem ortum, productum illum ex Deo dicamus Verbum Dei, ut antea diximus[d], » etc. Mox « et Jesus Christus solus, propria ratione, Filius Deo genitus, qui est Verbum ipsius, et primogenitus, et virtus, ac voluntate ipsius homo factus[e]. » Quid habent, quod adversus hæc hiscere audeant Socini omnes, omnes Crellii, cæteræque pestes ?

XIII. Vixit eodem sæculo martyr Ignatius, et paululum etiam Justinum antecessit, cujus epistolæ circumferuntur duodecim ; ex quibus nonnullæ in dubium vocantur. Sed sunt extra controversiam septem, quas Hieronymus in *Catalogo Scriptorum* enumerat ; e quibus qua-

a Justin. *Apol.* I. Ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν, καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε, καὶ ἐκόσμησε, Χριστὸς μὲν, κατὰ τὸ κεχρίσθαι, καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν θεὸν, λέγεται, ὄνομα καὶ αὐτὸ περιέχον ἄγνωστον σημασίαν· ὃν τρόπον καὶ τὸ θεὸς προσαγόρευμα, οὐκ ὄνομά ἐστιν, ἀλλὰ πράγματος δυσεξηγήτου ἔμφυτος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξα. Ἰησοῦς δὲ καὶ ἀνθρώπου, καὶ σωτῆρος ὄνομα, καὶ σημασίαν ἔχει. καὶ γὰρ καὶ ἄνθρωπος, ὡς προέφημεν, γέγονε κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς βουλὴν ἀποκυηθείς.

b Ibid. Χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους, ἀπὸ μέρους γνωσθέντι (λόγος γὰρ ἦν, καί ἐστιν ὁ ἐν παντὶ ὢν, καὶ διὰ τῶν Προφητῶν προειπὼν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δι' ἑαυτοῦ ὁμοιοπαθοῦς γενομένου, καὶ διδάξαντος ταῦτα) οὐ φιλόσοφοι, οὐδὲ φιλολόγοι μόνον ἐπείσθησαν.

c Ibid. Τὸν γὰρ ἀπὸ ἀγεννήτου, καὶ ἀῤῥήτου θεοῦ λόγον μετὰ τὸν θεὸν προσκυνοῦμεν, καὶ ἀγαπῶμεν· ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονεν. Vide et Apol. II. ubi eadem scribit.

d Justin. *Apol.* II. Υἱὸς δὲ θεοῦ ὁ Ἰησοῦς λεγόμενος, εἰ καὶ κοινῶς μόνον ἄνθρωπος, διὰ σοφίαν ἄξιος υἱὸς θεοῦ λέγεσθαι. πατέρα γὰρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε πάντες συγγραφεῖς τὸν θεὸν καλοῦσιν. εἰ δὲ καὶ ἰδίως παρὰ τὴν κοινὴν γένεσιν, γεγεννῆσθαι αὐτὸν ἐκ θεοῦ λέγομεν λόγον θεοῦ ὡς προέφημεν.

e Ibid. Καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ θεῷ γεγέννηται, λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων, καὶ πρωτότοκος, καὶ δύναμις, καὶ τῇ βουλῇ αὐτοῦ γενόμενος ἄνθρωπος, etc.

tuor citat etiam Theodoretus [1], *ad Romanos*, *ad Ephesios*, *ad Trallianos*, *ad Smyrnæos*; reliquæ sunt tres apud Hieronymum, *ad Magnesianos, ad Philadelphios, ad Polycarpum*, Athanasius [2] item Ignatii ejusdem sententiam de Christo refert, quæ Photinianis, ac Monophysitis omnibus vel sola silentium indicit. « Unus est medicus, inquit, carnalis, et spiritualis factus, et non factus, in homine Deus, in morte vita vera; et ex Maria, et ex Deo [a]. » Quid aliud scriberet, si Socinum, aut Crellium, ac totam illam nationem confutandam sumpsisset? Etenim nihil ἀγένητον est præter Deum summum, cujusmodi esse Verbum testis est Ignatius. Atque his similia leguntur hodieque in Ignatii epistola *ad Trallenses* de Christo Dei Filio, « qui vere natus est et ex Deo, et ex Virgine; sed non eodem modo. Non enim idem est Deus, et homo. Verbum enim caro factum est, et vixit sine peccato [b]. » Tum « Vere natus est Deus Verbum e Virgine, corpus eodem nobiscum modo affectum induens, vere in utero genitus est is, qui omnes homines in utero format; fecitque sibi corpus e sanguinibus Virginis; nisi quod citra congressum virilem hoc illud effinxit [c]. » Et in epistola *ad Magnesios*, « Jesum Christum ait ante sæcula apud Patrem genitum fuisse Verbum Deum, unigenitum Filium [d]. » Ac ne quis cum Sabellio Verbum illud prolatitium, ac minime subsistens fingeret, paulo post scribit sic : « Qui seipsum manifestum reddidit per Jesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum, non prolatitium, sed substantivum. Non enim est articulati sermonis locutio, sed actionis divinæ substantia genita [e]. »

Non factum.

XIV. Quid Irenæum commemorem gravissimum, ac vetustissimum scriptorem? cujus pene singula capita continent aliquid, quo nova ex veteri hæresis refellitur. Duo triave de tanta copia proferam. Velut est caput sextum libri tertii, in quo « Patrem vere Dominum, et Filium vere Dominum » esse dicit, deque iis scriptum in *Genesi; Et pluit Dominus super Sodomam, et Gomorrham ignem, et sulphur a Domino* [3]. Item Filium esse, qui cum Mose collocutus est [4]. Et alibi : « Cognoscunt enim eum hi, quibus revelaverit Filius; semper autem existens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem et angelis, et archangelis, et potestatibus, et virtutibus [5]. » Est igitur æternus cum Patre Filius, non in tempore initium habuit. Quod et in tertio libro capite XVIII et XIX uberius exponit ; ubi « Joannem ait unum et eumdem novisse Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum. » Item, « Filium Dei Filium hominis factum [6]. » Tum capite XX : « In principio, ait, Verbum existens apud Deum, per quem (λόγον) omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano; hunc in novissimis temporibus unitum suo plasmati passibilem hominem factum. » De quo reliquo deinde libro copiose disserit. Denique in quarto libro, capite XIV Christum non tunc cœpisse esse probat, « quando secundum hominem adventum suum egit, sed ab initio adstitisse suo plasmati. » Repetantur et illa ejusdem Irenæi testimonia de Filio, ac Spiritu sancto, quæ supra memoravi [7]. Tatianus Justini martyris discipulus « Verbum a Patre genitum scribit, ad imitationem illius, a quo genitus est, Patris, immortalitatis imaginem hominem fecisse [f]. » Necnon, « Deum in hominis forma natum esse. »

a Ignat. apud Athan. Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικὸς, καὶ πνευματικὸς, γεννητὸς, καὶ ἀγένητος, ἐν ἀνθρώπῳ θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρείας, καὶ ἐκ θεοῦ.

b Ignat. epist. *ad Trall.* Ὃς ἀληθῶς ἐγεννήθη καὶ ἐκ θεοῦ, καὶ παρθένου· ἀλλ' οὐχ ὡσαύτως. οὐδὲ γὰρ ταὐτὸν θεὸς, καὶ ἄνθρωπος· ἀληθῶς ἀνέλαβε σῶμα· ὁ λόγος γὰρ σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐπολιτεύσατο ἄνευ ἁμαρτίας.

c Ibid. Ἀληθῶς ἐγεννήθη ὁ θεὸς λόγος ἐκ τῆς παρθένου, σῶμα ὁμοιοπαθὲς ἡμῖν ἠμφιεσμένος. ἀληθῶς γέγονεν ἐν μήτρᾳ ὁ πάντας ἀνθρώπους ἐν μήτρᾳ διαπλάττων· καὶ ἐποίησεν ἑαυτῷ σῶμα ἐκ τῶν τῆς παρθένου αἱμάτων, πλὴν ὅσον ἄνευ ὁμιλίας ἀνδρός.

d Id. Epist. *ad Magn.* Ἰησοῦ Χριστοῦ. ὃς πρὸ αἰῶνος παρὰ τῷ πατρὶ γεννηθεὶς ἦν λόγος θεὸς, μονογενὴς υἱός*.

e Ibid. Ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, οὐ ῥητὸς, ἀλλ' οὐσιώδης. οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή.

f Tatian. Or. *cont. Græc.* Λόγος γὰρ ὁ ἐπουράνιος πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως κατὰ τὴν τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν πατρὸς μίμησιν εἰκόνα τῆς ἀθανασίας τὸν ἄνθρωπον ἐποίησε.

Idem. Οὐ γὰρ μωραίνομεν, ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ λήρους ἐπαγγέλλομεν, θεὸν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ γεγονέναι καταγγέλλοντες.

* Primus hic locus exstat in epist. ad Ephesios, legiturque etiam in Medicæo codice. Reliqua petita sunt ex editione interpolata, sed qua meliorem nullam norat tunc temporis Petavius. T. AL.

1 Dial. I, II et III.— 2 Ath. l. *de Synod.*— 3 *Gen.* XIX, 24.— 4 *Exod.* III.— 5 Iren. l. II, c. LV.— 6 Iren l. III, c. XVIII.— 7 Ib. c. XIX.

XV. Athenagoras in legatione pro christianis, quam M. Aurelio et L. Commodo imperatoribus obtulit, « Filium Dei Verbum esse Patris affirmat in specie et efficientia. Nam ab ipso, et per ipsum omnia esse facta, cum sint unum Pater, et Filius, sitque Filius in Patre, et Pater in Filio[a] ». Theophilus Antiochenus in libro secundo *ad Autolycum*, « Trinitatem agnoscit, Deum (Patrem videlicet) Verbum ejus, et Sapientiam[b]. » Et postea Verbum distinctam a Patre esse personam significat, cujus generationem describit. Clemens Alexandrinus in primo *Pædagogi*, capite octavo, hæreticos illos refutat, qui « bonum negabant esse Dominum, eo quod virgam habeat, et minas, ac terrorem intentet, » quos ille dicit « oblitos ejus, quod ipsius humanitatis est maximum, quod scilicet propter nos homo factus est[c]. » Hunc autem summum esse Deum inde fit perspicuum, quod illi ipsi, qui homo factus est, illa tribuit, quæ nonnisi vero supremoque Deo Scripturæ tribuunt. Ut illud e *Psalmo* CXVII, 18 : *Castigans castigavit me Dominus.* Et disertissime Verbum unum cum Patre Deum esse prædicat ita scribens : « Nihil igitur odio habetur a Deo, sed neque a Verbo. Unum enim ambo sunt, nempe Deus; quoniam dixit : In principio Verbum erat in Deo, et Deus erat Verbum[d]. » Clementis Origenes discipulus Verbum, ac Dei Filium Deum passim prædicat, et humanam assumpsisse naturam asserit; et in illo tam humanam istam, quam divinam inesse. Ut in septimo tomo *contra Celsum* : « Quod si divinum quiddam, inquit, erat in eo homine, qui in illo intelligitur, cujusmodi erat unigenitus Dei, et primogenitus omnis creaturæ, qui dicit : *Ego sum veritas;* et, *Ego sum vita;* et, *Ego sum ostium*, etc., alia nimirum est hujus, et substantiæ ipsius ratio præter eam, quæ est hominis in Jesu considerati[e]. » Paulo item postea divinitatem ab humanitate secernit in Christo. Tum alibi sæpe, ac nominatim in tractatibus *in Joannem*, eamdem fidei doctrinam explicat. Sed memorandus imprimis est locus ille; quem Athanasius[1] ex eodem refert Origene. « Sed fas non est, inquit, nec periculo vacat, propter imbecillitatem nostram, quantum in nobis est, privare Deum unigenito suo secum semper existente Verbo, quæ est sapientia, cui adgaudebat. Ita enim intelligeretur non semper gavisus fuisse. » Synodus Antiochena in ep. *ad Paulum Samosatenum*[f] : « Quod si Christus Dei virtus, et Dei sapientia, inquit, ante sæcula est, ita et quatenus Christus, unum et idem existens substantia, licet maxime pluribus notionibus consideretur[g]. » Ac ne tergiversationi locus sit, ut sola Dei præscientia, non reipsa, ex æterno exstitisse dicatur Filius, obviam ierunt iidem illi sic scribentes : « Hunc vero Filium genitum, unigenam Filium, imaginem invisibilis Dei, primogenitum omnis creaturæ, sapientiam, Verbum, et virtutem Dei, qui est ante sæcula, non præscientia, sed substantia, et hypostasi, Deum, Dei Filium, in Veteri, et Novo Testamento agnoscentes confitemur[h], » etc. Dionysius Alexandrinus, qui Pauli Samosateni tempore

a ATHEN. Ἀλλ' ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ, καὶ ἐνεργείᾳ. πρὸς γὰρ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ.

b THEOPH. lib. II. Αἱ τρεῖς ἡμέραι τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶ τῆς τριάδος τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ σοφίας αὐτοῦ.

c CLEM. ALEX. lib. I *Pæd.* cap. VIII. Ἐνταῦθα ἐπιφύονταί τινες, οὐκ ἀγαθὸν εἶναι φάμενοι τὸν κύριον διὰ τὴν ῥάβδον, καὶ τὴν ἀπειλὴν, καὶ τὸν φόβον· καὶ παρακούσαντες μὲν, ὡς ἔοικε, τῆς γραφῆς ὡδέπου λεγούσης· καὶ ὁ φοβούμενος κύριον, ἐπιστρέφει ἐπὶ καρδίαν αὐτοῦ· ἐκλαθόμενοι δὲ τὸ μέγιστον αὐτοῦ τῆς φιλανθρωπίας ὅτι δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος ἐγένετο.

d Idem, cap. VIII. Οὐδὲν ἄρα μισεῖται ὑπὸ τοῦ θεοῦ· ἀλλ' οὐδὲ ὑπὸ τοῦ λόγου. ἓν γὰρ ἄμφω, ὁ θεός. ὅτι εἶπεν· ἐν ἀρχῇ ὁ λόγος ἦν ἐν τῷ θεῷ, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

e ORIG. tom. VII *contra Cels.* Εἰ δέ τι θεῖον ἐν τῷ κατ' αὐτὸν νοουμένῳ ἀνθρώπῳ ἐτύγχανεν, ὅπερ ἦν ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ, καὶ ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὁ λέγων. ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια, καὶ, ἐγώ εἰμι ἡ ζωὴ, καὶ, ἐγώ εἰμι ἡ θύρα, etc. ἄλλος δήπου ὁ περὶ τούτου, καὶ τῆς οὐσίας αὐτοῦ λόγος ἐστὶ παρὰ τὸν περὶ τοῦ νοουμένου κατὰ τὸν Ἰησοῦν ἀνθρόπου.

f ORIG. Ἀλλ' οὐ θέμις ἐστὶν, οὐδὲ ἀκίνδυνον, διὰ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν τὸ, ὅσον ἐφ' ἡμῶν ἀποστερεῖσθαι τὸν θεὸν τοῦ ἀεὶ συνόντος αὐτῷ λόγου μονογενοῦς, σοφίας ὄντος ᾗ προσέχαιρεν· οὕτω γὰρ οὐδὲ ἀεὶ χαίρων νοηθήσεται.

g Synod. Antioch. Εἰ δὲ Χριστὸς θεοῦ δύναμις, καὶ θεοῦ σοφία, πρὸ αἰώνων ἐστὶν· οὕτω καὶ καθὸ Χριστὸς ἓν καὶ ταὐτὸ ὢν τῇ οὐσίᾳ, εἰ καὶ τὰ μάλιστα πολλαῖς ἐπινοίας ἐπινοεῖται.

h Ead. Τοῦτον δὲ τὸν υἱὸν γεννητὸν, μονογενῆ υἱὸν, εἰκόνα τοῦ ἀοράτου θεοῦ τυγχάνοντα, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, σοφίαν, καὶ λόγον, καὶ δύναμιν θεοῦ πρὸ αἰώνων ὄντα, οὐ προγνώσει, ἀλλ' οὐσίᾳ, καὶ ὑποστάσει θεὸν, θεοῦ υἱὸν, ἔν τε παλαιᾷ, καὶ νέᾳ διαθήκῃ ἐγνωκότες ὁμολογοῦμεν καὶ κηρύσσομεν.

1 Lib. *de Decret. Nic. syn.*

floruit, ejus hæresim luculentissima epistola, et responsis ad illius quæstiones editis refellit, quæ exstant hodie, et adversus novos Samosatenos documentum habent insigne, quæ tum Ecclesiæ fides, ac professio fuerit. Ibi enim Christum , etiam antequam ex Virgine nasceretur, Deum ac Verbum fuisse docet[a]; et contrarium dicentem Paulum Samosatenum silere jubet, quem et serpentis instar [1] *pectore, ac ventre humum*, ait *verrere* adversantem Deo, ac Patri, ejusque Christo, qui est « Dei virtus, et sapientia, Verbum sempiternum ; qui cum æternus esset, factus est puer, natus nobis Filius[b]. » Plena est epistola ista, cæteraque Dionysii scripta talibus sententiis, quæ nuperam illam blasphemiam eo detestabiliorem esse demonstrant quo vetustissimos quosque gravissima de illa ac severissima judicia fecisse constat. De quibus etiam , maxime quod ad Spiritum sanctum attinet, nonnulla capite hujus libri septimo complexi sumus, quæ hic non est necesse repetere.

Satis illa sunt ad Socinianorum refrenandam audaciam, qui cum suo dogmate consentientem esse veterem Ecclesiam, ad Nicænum usque, et aliquando post, concilium, vel imperite, vel sine ulla fronte prædicant. In quo præterea quam hebetes, ac stupidi sunt! Nam qui ad id etiam tempus, quod Nicænam synodum secutum est, verum in Ecclesia de Deo fuisse fidem fatentur; necesse est ea pro veris amplectantur, quæ de eadem fide tam illa ipsa Nicæna synodus, quam qui ei interfuere, catholici Patres professi sunt; imprimis autem Athanasius, ut de Eusebio Cæsariensi, ac similibus taceam, qui etsi de Trinitate perperam opinati sunt, plurimum tamen ab nuperis istis, et horum majoribus Photinianis, Ebionitis ac Samosatenis discrepant. Quid igitur amentius fingi potest iis hominibus, qui in tanta decretorum barbarie ac spurcitia eorum se advocatione ac patrocinio tutari student, quorum scriptis ac sententiis notati , proque hæreticorum pessimis damnati sunt? Et audent etiam in tam abjecta perditaque causa alios hortari, sibi ut auscultent potius, quam Evangelio, quam apostolis, quam veteri, et hodiernæ Ecclesiæ, quam sanctissimis eruditissimisque omnium ætatum magistris ac doctoribus? Nempe ut ejurata fide omni, speque sempiternæ salutis, Judæi, Gentiles, Muhammedani esse pro christianis incipiant. Quid enim inter hos, et novos istos Photinianos interest? Nonne omnia illorum venena sic in se recens iste collegit furor, uti singulorum diritatem addita cæterorum improbitate superarit? Etenim ab Judæis Christi divinitatem execrari didicerunt ; atque hoc illum appetere maledicto , *Quomodo tu*, *homo cum sis* , *facis teipsum Deum*[2]*?* Siquidem «horum discipulus est Samosatenus,» ait Athanasius. Quare non immerito, quæ ab illis dicta sunt, suis discipulis tradit[c]. » Gentiles porro hominem illos pro Deo venerari et adorare docuerunt, adeoque plures colere Deos. Tales enim ἀνθρωπολάτρας, id est *hominicolas* appellat Ignatius martyr, « quos et maledictos ab Hieremia propheta pronuntiari dicit. *Maledictus enim homo*, ait ille, *qui confidit in homine*[3]. » Augustinus[4] vero «homuncionistas vocat Photitinianos hæreticos, qui Dominum Jesum nisi hominem omnino non noverunt. » Qua voce utitur etiam auctor librorum *ad Theophilum*, qui Athanasio inscribuntur, in tertio, qui est *De assumptione hominis*, ubi *Homuncionitam* vocat Photinum. Quocirca cum et Christum nihil nisi hominem, et creaturam esse sentiant Photiniani illi novi, (*creaturam* enim diserte nominat Crellius[5] Dei Filium , « qui certo demum tempore exstitit) » et eumdem tamen Deum verum, et Dominum, ac pro Deo vero adorandum prædicent, deos utique duos gentilium more constituunt, dominosque duos, contra quam Deus veteri in lege docuit. *Audi Israel*, *Dominus Deus tuus Deus unus est*[6]. » Et : *Videte*, *quoniam ego sum Dominus et non est alius præter me*[7]. «Est enim alius Dominus Filius, si non est unus Dominus Pater, et Filius , ait Augustinus [8]. Quantumcumque enim excellentius laudes Patrem et infra eum deprimas Filium, id agis, ut æquales non sint, non ut duo non sint. Clama quantum

a Dionys. epist. *ad Paul. Samos.* Εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἦν, ἄρα, ὃ μὴ γένοιτο, οὔτε λόγος ἦν. σὺ γὰρ λέγεις, ὅτι πρὸ Μαρίας οὐκ ἦν.

b Ibid. Ἀλλὰ ἕρπεις ἐπὶ τῷ στήθει, καὶ τῇ κοιλίᾳ, γῆν ἐσθίων πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου· κατὰ τὰ ἔργα σου, καὶ τὰς πράξεις, ἐνθυμούμενος κατὰ τοῦ κυρίου, ὅς ἐστι πατὴρ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστι Χριστὸς θεοῦ δύναμις, ἡ τοῦ πατρὸς σοφία, ὢν λόγος ἀίδιος. ἀίδιος γὰρ ὢν, γέγονε παιδίον, γεννηθεὶς ἡμῖν υἱός.

c Athan. orat. v. Τούτων μαθητὴς ὁ Σαμοσατεὺς ὑπάρχει. ὅθεν εἰκότως τὰ παρ' αὐτῶν τοῖς αὐτοῦ ἀπαγγέλλει. Vide Cyril. lib. II *Comm. in Joan.* sub init.

d Ignat. *ad Trall.* I. Τοὺς ἀνθρωπολάτρας, οὓς καὶ ἐπικαταράτους λέγει Ἱερεμίας ὁ προφήτης.

1 *Gen.* III. — 2 *Joan.* x, 13. — 3 *Jerem.* XVII, 5. — 4 August. fragm. XXVI, — 5 Crell. lib. I, sect. III, — 6 *Deut.* VI, 4 — 7 *Deut.* XLII, 39. — 8 Aug. lib. III *contra Max.* cap. XXIII.

vis: Pater est major, Filius minor; respondetur tibi: Duo sunt tamen major, et minor. Nec dictum est: Dominus Deus tuus major, Deus unus est; sed dictum est: Dominus Deus tuus, Deus unus est. Neque dictum est: Non est alius æqualis mihi; sed dictum est: Non est alius Dominus præter me. Aut ergo confitere Patrem, et Filium unum esse Dominum Deum, aut aperte nega Dominum Deum esse Christum, sicut aperte negas, Dominum Deum esse Spiritum sanctum. » Hæc Augustinus contra Maximinum Arianorum episcopum, quæ in Crellium, ac totam illam Photinianorum sectam apprime conveniunt; ut ne mutire quidem adversus ista queant.

Dabo simillimam illi Augustinianæ collectioni, Athanasii alteram ex oratione quarta; ubi sic divinitatis in personis tribus singularitatem probat: « Nisi enim ita se habeat, sed ex non exstantibus opus est, et creatura Verbum, vel non est Deus verus, quod unus ipse sit e creaturis; aut si Deum illum nominant, ab Scripturis pudefacti, necesse est deos ab illis affirmari duos, unum creatorem, alterum creatum, ac duobus eos dominis servire, uni ingenito, alteri facto, et creaturæ; nec nos duplicem in illos habere fidem oportet, unam in verum Deum, alteram in factum, et effictum ab ipsis, appellatumque Deum[a]. » Vide Gregorium Nazianzenum[1] oratione XL.

His de causis Julianus Apostata, ex christiano factus gentilis et idololatra, ad Photinum, tanquam ejusdem professionis socium, epistolam scripsit, ejus opinionem catholico anteponens dogmati, quod « novum, inquit, Deum Galilæum, æternum fabulose prædicat, » ut est apud Facundum Hermianensem[2]. Ac tales quidem habent Socini, et Crellii patronos, et consectaneos Judæos, et Gentiles; multo autem Turcas, Saracenos, Muhammedanosque amplius; quibus quod ad θεολογίαν spectat, ut Græci Patres loqui consueverunt, hoc est partem illam fidei, quæ divinitatis dogma continet, plane concordes sunt, ac pene gemelli. Nam et singularem in Deo personam, itidem ut illi, statuunt, et Christum utcumque venerantur minus etiam, quam illi. Etenim honorificentius de Christo Muhammedes, quam isti, sensit, ac locutus est, ut qui Arianam sententiam propius expressit, nupera ista perfidia tolerabiliorem, quæ « in infimis serpit, et circa terram natat[b], » ut eleganter Proclus Constantinopolitanus ait. Itaque cum et christianos se ipsos nominent, et Christum pleno ore collaudent, deque eo nonnunquam magnifice scribant; nihil minus tamen sunt, quam Christi cultores, et christiani. « Christum enim confitentur, ut negent, » ut cum Hilario[3] dicam. Exclamare contra illos Cassiani verbis libet, in libro septimo *de Incarnatione*, capite VIII. « Impiissime, et callidissime hostis Dei, peragere vis scelus negantis sub nomine confitentis. » Vel illud usurpare, quod Martyr Ignatius iisdem exprobrat, « Christum nominant, non ut Christum prædicent, sed ut Christum rejiciant. » Sunt autem inter illos, de quibus loquitur, qui « Spiritum sanctum ne esse quidem confitentur, et Filium nudum hominem esse dictitant[c], » quæ sunt illorum, quæ contra disputamus, nefaria decreta. « Quid igitur, (si iis credimus, qui creaturam meram esse Christum fatentur), ab iis distabimus, qui solem, aut cœlum, sive quam aliam creaturam invocant? » ut cum Cyrillo Alexandrino dicam. « Quanquam, ut idem mox subjicit, stolidi dogmatis pudore quodam affecti, creaturam quidem illum esse dicant, perinde atque creaturas cæteras, sed supra omnes incomparabili quadam excellentia præditum. Verum sciant, nihilominus se Patris gloriam lædere, hoc est Filium, quando inter creaturas illum referunt. Quæritur enim, non utrum magna sit, an parva creatura; sed an omnino creatura sit, et non potius natura Deus[d]. » Merito ista Cyrillus. « Quid enim proficis, si dicas, quia Christus hæc, an illa sit

a ATHAN. Or. IV. Εἰ γὰρ μὴ οὕτως ἔχει, ἀλλ' ἐξ οὐκ ὄντων, ποίημα, καὶ κτίσμα ἐστὶν ὁ λόγος, ἢ οὐκ ἔστι θεὸς ἀληθινὸς διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἕνα τῶν κτισμάτων, ἢ εἰ θεὸν αὐτὸν ὀνομάζουσιν, ἐντρεπόμενοι παρὰ τῶν γραφῶν, ἀνάγκη λέγειν αὐτοὺς δύο θεοὺς, ἕνα μὲν κτίστην, τὸν δὲ ἕτερον κτιστὸν, καὶ δύο κυρίους λατρεύειν, ἑνὶ μὲν ἀγεννήτῳ, τῷ δὲ ἑτέρῳ γενητῷ, καὶ κτίσματι, δύο τε πίστεις ἔχειν, μίαν μὲν εἰς τὸν ἀληθινὸν θεὸν, ἑτέραν δὲ εἰς τὸν ποιηθέντα, καὶ πλασθέντα παρ' αὐτῶν, καὶ λεχθέντα θεόν.

b PROCLUS. ep. *ad Arm.* tom. I *Biblioth. PP. Græco-Lat.* Χθαμαλά τε ἕρπει, καὶ περὶ τὴν γῆν νήχεται.

c IGNAT. epist. *ad Trall.* Λέγουσι γὰρ Χριστὸν, οὐχ ἵνα Χριστὸν κηρύξωσιν, ἀλλ' ἵνα Χριστὸν ἀθετήσωσιν, etc. τὸ δὲ πνεῦμα οὐδὲ ὅτι ἐστὶν ὁμολογοῦσιν, τινὲς δὲ αὐτῶν, τὸν μὲν υἱὸν ψιλὸν ἄνθρωπον εἶναι λέγουσι.

d CYRIL. lib. IX *in Joan.* Εἰ γὰρ μὴ οὕτως ἔχειν ὑπολαμβάνουσιν αὐτὸν, γενητὸν δὲ εἶναι λέγουσιν. κατὰ τί διοίσομεν ἔτι τῶν ἐπικαλουμένων τὸν ἥλιον, ἢ τὸν οὐρανὸν, ἤγουν ἕτερόν τι τῶν κτισμάτων; εἰ γὰρ καὶ σφόδρα κακούργως τῆς ἑαυτῶν ἀλογίας τὸ ἀκαλλὲς δυσω-

1 Vide et Theod. qu. XXXVII *in Exod.* — 2 Facundus lib. IV. — 3 Hilar. in lib. I *ad Constant.*

creatura? ut ait Ambrosius[1], Creatura mutuatur, divinitas adoratur. » Sane nunquam eos, qui de Christo talia jactarent, christianos esse revera, vel ita nominandos christiana censuit Ecclesia, sed Judæos, uti diximus, aut ethnicos; vel, ut olim contra Arianos Constantinus decrevit, Porphyrianos, quos tanto intervallo distare sciret ab christiana fide, quæ in eo sita est, « ut in Christo Jesu, nec sine vera divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate divinitas, » ait Leo Papa[2]. Et cum infinita sint « nomina hæreticorum, diversarumque sectarum, inquit Ambrosius[3], « adversum omnes tamen generalis ista est fides, qua Christus est Dei Filius, et sempiternus ex Patre, et natus ex Virgine. » Quapropter, ut eleganter Gregorius Nyssenus observat, « media inter opiniones duas veritas ambulat, et utramque destruens hæresim, et ab utraque id, quod utile est, accipiens. Nam Judæi quidem dogma destruit eo ipso, quod Verbum admittit, et fidem Spiritus. Gentilium vero pluribus addicta diis superstitio e medio tollitur, dum naturæ unitas multorum falsam circumscribit, atque arcet imaginem [a]. »

Et Dionysius Exiguus in *Præfatione ad epistolam Procli ad Armenos* Latine a se versam, « Hæc confessio (inquit, unius essentiæ, et personarum trium) nos ab hæreticis, Judæis gentilibusque discernit, qui Trinitatem unius essentiæ prædicamus, cum omnes illi, aut pene omnes unum Deum se colere fateantur, sed mysterium Trinitatis aut non recte pronuntiant, aut prorsus ignorant. » Nominatim vero in Filii confitenda divinitate christianæ summam fidei esse sitam, recte ostendit Eusebius, qui Emissenus vulgo, sed falso nominatur, in homilia *de Nativitate Domini*: « Taceant igitur, inquit, quicumque Salvatorem nostrum, priusquam de Virgine nasceretur, non fuisse contendunt. Hoc enim Judæi, et gentiles, et quidam hæreticorum dicere solent; quorum quidem errores Evangelista destruit, dum eum in principio fuisse dicit: *Et Verbum erat apud Deum.* » Denique Ambrosius[4], « Desinant, inquit, viliora secundum divinitatem æstimare de Dei Filio, ne viliora quoque de Patre æstiment. Qui enim male crediderit de Filio Dei, non potest bene sentire de Patre; qui male crediderit de Spiritu, non potest bene sentire de Filio. Ubi enim una dignitas, una gloria, una charitas, una majestas est, in commune derogatur, quidquid in altero putaveris derogandum. »

« Sed de iis dicendum amplius non est, ut cum Salviano[5] concludam. Tam stulta enim sunt, et tam frivola (contra quæ hactenus disseruimus), ut cavendum sit, ne id ipsum, quod pro honore Dei dicitur, injuria Dei esse videatur, etc. Nam etiam, quæ pro religione dicimus, cum grandi metu ac disciplina dicere debemus. » Verum nihil aliud nisi « responsum a nobis est stultitiæ furentium, quod scribit Hilarius[6], ad demonstrationem tantum inanis mendacii, ne imperitos fallerent vanæ ac ridiculæ assertionis errore. Cæterum fides evangelica responsionis nostræ necessitate non eget. »

πούμενοι, κτίσμα μὲν λέγουσιν αὐτὸν, ἐν ἴσῳ τοῖς ἄλλοις κτίσμασιν, ἀσύγκριτον δέ τινα τὴν κατὰ πάντων ἔχειν ὑπεροχήν· ἀλλ' ἴστωσαν, ὅτι οὐδὲν ἧττον ὑβριοῦσι τὴν τοῦ πατρὸς δόξαν, τοῦτ' ἔστι τὸν υἱὸν, ἕστ' ἂν αὐτὸν ἐναρίθμιον λέγωσιν εἶναι τοῖς πεποιημένοις. τὸ γὰρ ζητούμενόν ἐστιν, οὐκ εἰ μέγα τυχόν ἐστιν, ἢ μικρὸν ποίημα, ἀλλ' εἰ ὅλως γενητὸς, καὶ μᾶλλον οὐχὶ θεὸς κατὰ φύσιν.

a Greg. Nyssen. *Catech.* cap. III. Διὰ μέσων τῶν δύο ὑπολήψεων χωρεῖν τὴν ἀλήθειαν, ἑκατέραν τε τῶν αἱρέσεων καθαιροῦσαν, καὶ ἀφ' ἑκατέρας παραδεχομένην τὸ χρήσιμον. τοῦ μὲν γὰρ Ἰουδαίου καθαρεῖται τὸ δόγμα, τῇ τε τοῦ λόγου παραδοχῇ, καὶ τῇ πίστει τοῦ πνεύματος. τῶν δὲ Ἑλληνιζόντων ἡ πολύθεος ἐξαφανίζεται πλάνη, τῆς κατὰ φύσιν ἑνότητος παραγραφομένης τὴν πληθυκὴν φαντασίαν. Vide Athan. in orat. *de Uno Christo.*

1 Amb. lib. *de Inc.* cap. IV. — 2 Leo ep. XVI, cap. V — 3 Amb. lib. *de Inc.* cap. V. — 4 Amb. lib. V *de Fide* cap II. — 5 Salv. lib. I *de Prov.* — 6 Hilar. lib. VIII.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE TRINITATE

LIBER QUARTUS

IN QUO COMMUNES PERSONIS TRIBUS NOTIONES PROPRIETATESQUE DECLARANTUR.

PROŒMIUM.

I. Quæ adversus sanctæ consubstantialisque Trinitatis fidem humanæ sunt inventa opinionis erroribus, quæque ad illam propugnandam peti e sacris Litteris præsidia possunt, superioribus tribus libris attigimus. Nunc omnis illius explananda ratio est; et, quatenus de ea intelligendo, disputandoque consequi fas est hominibus, partim ex earumdem auctoritate Litterarum, partim ex veterum conciliorum Patrumque decretis, ad ejus notitiam erudiendus est theologus; quod in sequentibus libris suscipimus. Quorum præsens ea continebit, quæ universe de sanctissima Trinitate disseruntur, et sunt personis tribus communia. Ac primum omnium certa quædam vocabula declarare oportet, quæ in hoc mysterio theologorum usu contrita sunt; cujusmodi est apud Græcos οὐσία, ὑπόστασις, φύσις, apud Latinos *substantia*, *persona*, *natura*, ac reliqua generis ejusdem, quorum necessaria patefacienda vis est, ac notio : « Ut quia malignitas instinctu diabolicæ fraudulentiæ excitata, veritatem rerum per naturæ nomina eludit, nos naturas nominum proferamus, » ut ait sanctus Hilarius[1]. Qui et hoc prudenter admonet, nullam tantis in rebus explicandis usurpandam esse vocem, quæ non Dei nobis significatione præscripta sit : « Ut ne ultra præfinitionem Dei sermo de Deo sit[2]. » Quippe « non relictus est, inquit, hominum eloquiis de Dei rebus alius, quam Dei sermo. Omnia reliqua et arcta, et conclusa, et impedita sunt, et obscura. Si aliquis aliis verbis demonstrare hoc, quam quibus a Deo dictum est, volet, aut ipse non intelligit, aut legentibus non intelligendum relinquit[3]. » Neque vero qui hoc dicit, nullum, nisi diserte in divinis Litteris expressum, assumendum esse vocabulum existimat; sed hoc unum requirit, uti re saltem, ac potestate Dei illud sermo contineat; quod uberius postea, maxime cum de ὁμοουσίῳ, et *consubstantiali* agetur, contra Arianos, et hujus ætatis hæreticos ostendendum erit.

Notiones præviæ.

II. Atque ut ab ipso rei capite disputatio nostra proficiscatur, sciri illud imprimis convenit, quidquid de sanctissima Trinitate vel cognoscendo capitur, vel dicendo a nobis explicatur, ad duo fastigia pertinere. Nam quædam Deo ipsi per sese tribuuntur, ac sunt communia personis tribus; quædam privatim unicuique conveniunt, per quæ invicem discernuntur ac discrepant. Primum genus naturam ipsam complectitur, sive essentiam, quam Græci οὐσίαν et φύσιν vocant; tum absolutas, et ab omni respectu liberas velut affectiones, quas *perfectiones* et *attributa* moris est dicere, ut sunt immensitas, æternitas, bonitas, sapientia, justitia. Posterius *personales*, ut vocant, *proprietates*, ac *notas*, quas vulgo *notiones* appellant. Græci variis utuntur nominibus. Vocant enim[4] ἰδιώματα [5] γνωρίσματα, vel γνωριστικὰς ἰδιότητας, σημεῖα[6], ἰδιάζοντας χαρακτῆρας[7], vel τὸ ἰδιάζον τῶν χαρακτήρων, et γνωριστικὰ τῆς κατὰ τὴν φύσιν ἰδιότητος σημεῖα, vel τὸ ἰδιάζον ἑκάστου σημεῖον, vel τῆς ἑκάστου ὑπάρξεως σημεῖον, et τὸ ἰδιαζόντως ἐπιθεωρούμενον, hoc est *notæ et characteres*, *sive formæ, vel propria signa, quibus distinguuntur invicem personæ, et una ab alia dignoscitur*; quæ omnia Basilius usurpavit in epistola XLIII. Gregorius Nyssenus[8] γνωριστικὰ τῶν ὑποστάσεων ἰδιώματα vocat. Alii[9] χαρακτηριστικὰ τῆς ἰδίας ὑποστάσεως, aut[10] ἰδιότητας τῶν ὑποστάσεων. Item[11] προσώπων ποιότητας, *personarum qualitates*. Alias[12] τὰ ἐπουσιώδη, *quæ ad essentiam velut adjuncta sunt*. Dicitur et σφραγὶς, hoc est

Quæcumque de Trinitate sciri possunt ad duo fastigia revocantur.

1 Lib. I *de Trinit.* — 2 Ibid.— 3 Lib. VII sub fin. — 4 Basil. II *cont. Eun.* et Leont. *de Sect.* init. — 5 Basil. ib. — 6 Basil. ep. XLIII. — 7 Ibid. — 8 Nyss. I *cont. Eun.* — 9 Dam. I *de Fide*, c. x. — 10 Chrys. hom. v *de Incomprehens.* — 11 Isid. Pelus. lib. II, ep. CXLII. — 12 Dam. in *Dialect.* cap. v et Abucara, opusc. XXVIII.

sigillum, libro *de Expositione fidei*, qui Justino tribuitur. Theodorus Abucara in opusculo secundo nominat ὁριστικὰς ἰδιότητας, *determinantes proprietates*. Basilius quoque μορφὰς, id est *formas*, aut *figuras*, in secundo *contra Eunomium* his verbis: « Nam proprietates notæ quædam, et formæ, quæ in substantia considerantur, dividunt, quod est commune propriis characteribus; at ejusdem communionem substantiæ non discindunt[a].» Eodem modo Tertullianus[1] *formas* nominat proprietates personarum, et species contra Praxeam scribens. « Tres autem, inquit, non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis, quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formæ, et species in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti deputantur. »

III. Ejusmodi sunt proprietates illæ, quæ σχετικαὶ dicuntur, et τῶν πρός τι, *relativas* Latini vocant, ex quibus personæ, sive hypostases aut constituuntur, aut certe dignoscuntur, et explicantur. Ac tametsi interdum

Hypostatica. universe τὰ ὑποστατικὰ proprietates eæ nuncupantur? quæ a priori genere distant, quod

Substantiales. οὐσιώδεις continet, et absolutas; nihilominus a quibusdam proprietates istæ personarum bi-

Hypostatica. fariam scinduntur. Quædam enim ὑποστατικὰ vocantur ἰδιώματα, hoc est « proprietates, quæ maximæ propriæ sunt personarum, et eas constituunt, ut ait Calecas; velut est paternitas, quæ personam Patris subsistentem facit[b].» Aliæ sunt, quæ tantummodo designant, et dignosci faciunt personam aliquam, sed non constituunt; verum constitutæ jam quodammodo accidunt, ut *Ingenitum* esse, quod cæteroqui, cum negatio sit, ut idem scribit Calecas, personam efficere non potest. Tum quæ ab Latinis *activa spiratio*, Græcis προβολὴ dicitur, quæ *personalis* quidem proprietas est,

Hypostatica vel subsistens. sed non ὑποστατικὴ vel συστατική[c]. Itaque « tres sunt omnino, inquit idem, proprietates, quibus persona Patris afficitur, ingenitum esse, Patrem esse, necnon spirantem, vel producentem, ex quibus Ingenitum, quod principii expers significat, etsi hoc ipso Pater a Filio, et Spiritu sancto discernitur, non constituit personam Patris, sed eam tantummodo designandi vim habet, et est nota, quæ illam jam subsistentem sequitur, velut propria simpliciter[c], » etc. Demum, remotis cæteris, solam paternitatem ὑποστατικὸν esse ἰδίωμα concludit; sicut Filii personam constituit υἱότης, Latini *filiationem* nominant, alii *filietatem*; ut inter alios Rathramnus Corbeiensis[2], ex monasterio, quod Adhelardus Corbeiensis abbas monasterii in Gallia, ejusdem cum suo nominis condidit in Germania, ut in illius vita testis est Paschasius Radbertus. Latini theologi proprietates utrasque personarum *notiones* appellare solent; atque ita videri possit Augustinus nominare, dum in quinto *de Trinitate*, capite v, sic scribit: « Alia notio est, qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus. » Verum notio hic communi significatione pro ἐννοίᾳ, et intelligentia sumitur; quasi dicat, alia ratione intelligi, et cogitatione percipi.

IV. Ex ejus tamen auctoritate *notiones* suas scholastici theologi non male statuerunt; quas ita definit sanctus Thomas[3], ut sit « notio id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. » Cujusmodi quinque esse vult, « innascibilitatem, paternitatem, filietatem, communem spirationem (quam vocant *activamspirationem*), et processionem; » quæ *passiva spiratio* dicitur. Græce ita nuncupantur[4], ἀγεννησία, πατρότης, υἱότης, προβολὴ, ἐκπόρευσις. Ex quibus σχέσεις, sive relationes esse quatuor postremas observat idem, tres autem *personales*, id est ὑποστατικὰς, quæ totidem personas constituunt, suntque *paternitas, filietas, processio*; reliquæ duæ *personarum notiones*, non *personales* appellantur, quoniam personæ non constant ex iis, etsi ad illarum intelligentiam spectant, et sunt *ingenitum*, ac *spiratio*, vel προβολή. Sed de ingenito veteres aliter loquuntur, qui et σχετικὸν interdum esse nomen asse- *Relativum.* runt, et idem plane cum *paternitate* significare. De quo agemus in libro sequente; de προβολῇ vero, sive productione Spiritus sancti, in

a Basil. II *contra Eunom.* Αἱ γάρ τοι ἰδιότητες χαρακτῆρές τινες, καὶ μορφαὶ ἐπιθεωρούμεναι τῇ οὐσίᾳ διαιροῦσι μὲν τὸ κοινὸν τοῖς ἰδιάζουσι χαρακτῆρσι, τὸ δὲ ὁμοφυὲς τῆς οὐσίας οὐ διακόπτουσι.

b Galecas cap. xxxviii, lib. *contra Græc.* Καὶ αὐτὸ τὸ ἰδικὸν ἴδιον, ὅπερ ἰδαίτατα τὸ τοῦ πατρὸς ὑφίστησι πρόσωπον.

c Calec. Τριῶν τοίνυν καινῇ περὶ τοῦ πατρὸς λεγομένων, τοῦ τε ἀγέννητον εἶναι, καὶ τοῦ πατέρα, ἀλλὰ δὴ καὶ τοῦ πνέοντα ἢ προβολέα, τὸ μὲν ἀγέννητον, ὃ δηλοῖ τὸ ἀναίτιον, εἰ καὶ κατὰ τοῦτο τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος ὁ πατὴρ διακρίνεται, ἀλλὰ τοῦ πατρὸς οὐχ ὑφίστησι πρόσωπον, σημαντικὸν δὲ μόνον, καὶ γνώρισμα αὐτοῦ ἐστιν ἤδη ὑφεστηκότι ἑπόμενον, ὡς ἴδιον ἁπλῶς.

1 Tertull. *contra Prax.* cap. ii. — 2 Rather. lib. III *de Sp. sanc.* — 3 S. Tho. I, qu. xxxii, art. 3. — 4 Dam. lib. I, cap. i et seq.

sexto libro; ex quo plenius intelligentur ea, quæ de duplici illo genere proprietatum diximus. De *notione* porro, ejusque nominis, et quod ei respondet, Græci τῆς ἐπινοίας, usu et potestate in primo de Deo libro uberrime disputavimus. Nunc generalia quædam nomina, ut instituimus, explicanda sunt, ne rerum contemplationi vocum ambiguitas obsistat.

CAPUT I.

De nominibus, quæ a Græcis theologis adhibentur ad Trinitatis explicandum mysterium, velut sunt οὐσία, ὑπόστασις; *quarum notiones declarantur.* Οὐσίαν *aliter Philosophi gentiles, aliter Christiani sumpserunt. Hypostasim plerique cum* οὐσίᾳ *confuderunt, etiam Nicæni Patres, contra quam Basilius credidit. Post usus obtinuit, ut ab illa distingueretur.*

Utilis vocabulorum distinctio et explanatio.

I. Ad intima et arcana Trinitatis explicanda dogmata, quod deinceps aggredimur, viam nobis præstruemus certis enucleandis vocibus; in quibus maximorum certaminum et quæstionum summa consistit. Neque nos, lectoresve nostros istius operæ pigere debet, qui hoc esse verissimum scimus, quod prudenter animadvertit Theodorus Abucara [1], « Iis, qui verorum dogmatum amatores defensoresque sunt, necessariam esse vocabulorum, in quibus occupantur maxime philosophi, distinctionem et explanationem. Nam accurata illarum notitia destituti complures, qui sapientes habebantur, a veritate aberraverunt, et ad absurda quædam ac blasphema delapsi sunt, atque ab recta in Deum fide ceciderunt[a]. » Nec sine laude aliqua scripsit illaudatus alioquin auctor Epicurus *in Physicis ad Herodotum*, « ante omnia nosse oportere, quæ sunt subjecta vocibus; ut habeamus ad quod referentes ea, quæ in opinione, vel dubio posita sunt, dijudicemus; ut ne temere ac confuse nobis in infinitum efficiant omnia; neve inanes sine re voces habeamus. Necesse est enim primam in unaquaque voce notionem considerari[b]. »

Usia et Hypostasis.

Ex iis vocibus Græcæ primum expendendæ sunt, quo plus contentionis habuerunt; tum Latinis usitatæ. Græcarum duæ sunt celeberrimæ, οὐσία, et ὑπόστασις: quas nonnulli de Deo vetuere dici et illam præsertim, ut alibi [2] docuimus; quod duplici de causa factum ab illis meminimus. Nam catholicos excellentia summæ majestatis impulit, ut ab ea οὐσίας nomen ablegarent, quod supra οὐσίαν esset, ut ait inter alios Gregorius Nazianzenus oratione duodecima, et Joannes Damascenus [3].

Consubstantialis.

Ariani vero, ut ὁμοουσίου vocabulum, quod terrori sibi erat, ex usu christianorum excuterent, οὐσίαν dici de Deo prohibuerunt ob eamdem causam, qua se nostrates etiam hæretici commoveri jactitant, ut certas voces condemnent, quibus catholicorum dogmatum velut tesseræ continentur: quod in Scripturis nominatim non erant expressæ. De qua re paulo post. Fuit et alia causa, ob quam οὐσίας nomen nostrorum aliqui usurpari de Deo nollent, quod οὐσία, qualem a philosophis, et principe illorum Aristotele sumpsimus, subjecta sit accidentibus, unde et *substantia* dicitur; ut Victorinus [4] in primo *contra Arium*, et Boetius [5] indicant; in Deo vero accidens est nullum.

Ens.

Verum, ut recte Cyrillus [6] ratiocinatur, quia τὸ ὂν de Deo dicitur, idque sibi nomen, tanquam proprium defendit *Exodi* tertio; merito vox οὐσίας, quæ ab illo deflexa est, eidem atttribuitur. Nihil enim prohibet, quominus ipsum per sese vocabulum vel οὐσίας, vel *esse*, absolutum ab omni ista fæce, ac sincerum, Deo congruat, ut nec derivationem,

Usia recte de Deo dicitur.

ac manationem intelligamus ullam, neque mutationem ex vicissitudine accidentium, sed nudam rei, ut cum Vigilio [7] loquar *exstantiam*, et ab eo, quod nihil est, sejunctionem, ac recessum; quo sensu non modo proprie Deo, sed insigni præ cæteris omnibus ratione com-

a Abuc. Τοῖς τῶν ἀληθινῶν δογμάτων ἐρασταῖς τε καὶ προασπισταῖς ἀναγκαία καθέστηκεν ἡ τῶν φωνῶν, περὶ ἃς οἱ φιλόσοφοι μάλιστα καταγίνονται, διάκρισίς τε καὶ διασάφησις. τὴν γὰρ τούτων ἀκριβῆ γνῶσιν πολλοὶ τῶν δοκούντων εἶναι σοφῶν ἀγνοήσαντες περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχεσαν, καὶ εἰς ἀτοπίας, καὶ βλασφημίας ἐξώκειλαν, καὶ τῆς εἰς τὸ θεῖον ὀρθῆς πίστεως ἐξέπεσον.

b Epicurus. Πρῶτον μὲν οὖν τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις, ὦ Ἡρόδοτε, δεῖ εἰληφέναι, ὅπως ἂν τὰ δοξαζόμενα ἢ ἀπορούμενα ἔχωμεν, εἰς ὃ ἀνάγοντες, ἐπικρίνειν, καὶ μὴ ἄκριτα πάντα ἡμῖν εἰς ἄπειρον ἀποδεικνύωσιν, ἢ κενοὺς φθόγγους ἔχωμεν. ἀνάγκη γὰρ τὸ πρῶτον ἐννόημα καθ' ἕκαστον φθόγγον βλέπεσθαι.

1 Opusc. II. — 2 Lib. I *de Deo*, cap. VII. — 3 Lib. I, cap. VIII. — 4 Tom. IV *Bibl. Patrum*. — 5 Lib. *de Duabus nat.* — 6 Dial. I. — 7 Lib. I *cont. Euty.* sub init.

petit, quia solus sic est, ut cum *nihilo* commercium habeat nullum ; cætera et ab nihilo ducta, et in nihilum reditura, si Deus sinat, tum etiam, cum sunt maxime, nihil esse dicantur. Inde est, quod Gregorius Nazianzenus[1] οὐσίας nomen potius, quam φύσεως, id est *naturæ*, Deo accommodandum, existimat, ut et Isidorus Hispalensis essentiam [2] potius quam substantiam.

Usiam aliter philosophi gentiles; aliter christiani sumpserunt

II. Quoniam autem nomen οὐσίας mutuo a philosophis sumpsere nostri, interest scire, quo utrique sensu istud usurparunt. Nam non eadem apud utrosque vis est illius, ut Anastasius[3] in Ὁδηγῷ, Theorianus in *Legatione ad Armenos* testatur. « Exteri, inquit, sapientes individuum, sive hypostasim, et quod unum est numero, definiunt usiam ; quod sane divini Patres non admittunt. Quippe Patres illi deiferi usiam, et naturam esse dicunt universalia, quam scriptores exteri formam, sive speciem appellarunt. Ideo in sancta Trinitate naturam unam, et usiam esse professi sunt, hypostases vero tres, natura nimirum et usia plures hypostases continente[a]. » De altera significatione, quam Patribus assignat, paulo post. Ad primam autem, et externorum philosophorum propriam quod attinet, non est dubium, quin illi οὐσίαν* imprimis dici putarint singularem individuamque substantiam, quam et *primam* idcirco nominarunt. Auctor ejus rei, et appellationis est Aristoteles, qui in libro *Categoriarum*, capite de substantia, « Substantiam, quæ maxime propria, ac primo, et præcipue ita vocatur, eam esse scribit, quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto inest aliquo ; ut hic homo, hic equus[b]. » Idem secundas substantias genera vocat, et species, quæ de primis, et singularibus dicuntur. Verum christiani scriptores aliter fere utuntur hoc nomine, et οὐσίαν appellant non singularem, individuamque, sed communem individuis substantiam ; primam vero, hypostasim. Pauci hanc etiam οὐσίαν nominant.

Usiam

Usiam.

Veteres usiam i. e. naturam, pro hypostasi promiscue usurpant.

Ignatius martyr in epist. *ad Magnesianos*, ita sumpsisse videtur, cum ait, « Non enim locutionis articulatæ vox est, sed operationis divinæ, substantia genita[c]. »

Usias et naturas.

Pierius item martyr et presbyter, Pamphili martyris præceptor, cum de Patre, et Filio catholico more sentiret, οὐσίας, et φύσεις duas esse dicebat, ut refert Photius : « usiæ, et naturæ vocabulo hypostasim significans, ut ex sequentibus, et antecedentibus constare dicit, non autem Ariano in eo dogmati favens[d]. »

Usiæ.

Nec ab usu isto τῆς οὐσίας abhorrere videtur interdum Epiphanius ; velut hæresi LXXVI[3] [d] in confutatione argumenti quinti Anomœorum principis Aetii ; ubi de Filii persona sic loquitur : « Unde nos neque creatam dicimus usiam, sive substantiam, neque alienam, tanquam facta sit, sed substantialiter genitam, nec a genitore diversam. Ob id increata permanet, non facta, sed ex ipsa Dei substantia genita, nec tempori subjecta. Non enim tem-

a THEORIAN. Ἐγὼ πλείστην ἐν τούτοις διαφορὰν τῶν ἔξω πρὸς τοὺς διδασκάλους τῆς ἐκκλησίας ὁρῶ. οἱ γὰρ ἔξω σοφοὶ τὸ ἄτομον, ἤτοι τὴν ὑπόστασιν, καὶ τὸ ἓν τῷ ἀριθμῷ, οὐσίαν ὁρίζονται· ὅπερ οἱ θεῖοι πατέρες οὐ παραδέχονται. οὐσίαν γὰρ οἱ θεοφόροι πατέρες, καὶ φύσιν τὰ καθόλου λέγουσι, ἅ τινα οἱ ἔξω εἶδος ὠνόμασαν. διὸ ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος μίαν φύσιν, καὶ μίαν ὑπόστασιν ἐδογμάτισαν, ὑποστάσεις δὲ τρεῖς· ὡς τῆς φύσεως, καὶ τῆς οὐσίας πολλὰς ὑποστάσεις περιεχούσης.

b ARISTOT. Οὐσία δέ ἐστιν ἡ κυριώτατά τε, καὶ πρώτως, καὶ μάλιστα λεγομένη, ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστιν· οἷον ὁ τίς ἄνθρωπος, καὶ ὁ τις ἵππος.

c IGNAT. Οὐ γάρ ἐστι λαλίας ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεικῆς, οὐσία γεννητή.

d PHOTIUS. Ἀλλὰ περὶ μὲν πατρὸς, καὶ υἱοῦ εὐσεβῶς πρεσβεύει· πλὴν οὐσίας δύο, καὶ φύσεις δύο λέγει· τῷ τῆς οὐσίας, καὶ φύσεως ὀνόματι, ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν ἑπομένων, καὶ προηγουμένων τοῦ χωρίου, ἀντὶ τῆς ὑποστάσεως, καὶ οὐχ ὡς Ἀρείῳ προσανακείμενοι, χρώμενος.

* Quidquid dicant Anastasius et Theorianus, mihi dubium non est quin οὐσία eodem sensu occurrat apud philosophos, eodem apud christianos. Cum enim philosophi loquuntur de *essentia* communi pluribus individuis, vocem οὐσία adhibent ; et ita etiam vocant singulares *substantias*. Liquet hoc ex loco Aristotelis unde allata verba a Petavio deprompta sunt, ubi primas οὐσίας vocat *essentias* vel *substantias* existentes, quales sunt singula individua, secundas vero genera et species, quæ sunt substantiæ in abstracto consideratæ. Lege quod de substantia habet in libro *de Categoriis*. Sic autem loquuntur quoque christiani, qui modo οὐσίαν abstracte considerant, quasi pluribus communem, modo concrete, quasi individui alicujus substantiam. Expendantur ad hanc distinctionem quæ postea habet Petavius.
T. AL.

1 Lib. ad Evagr. *de Divinit.* — 2 Lib. VII Orig. — 3 Anast. cap. VI.

pori subjectus est is, qui revera genuit, ut in tempore producat substantiam[a].» Antiochena præterea synodus[1] in epistola synodica contra Paulum Samosatenum οὐσίαν, pro *supposito* videtur accipere.

III. Gregorius quoque Nyssenus libro duodecimo *advers. Eunomium*, τὴν μὴ γεννηθεῖσαν οὐσίαν appellat Patrem, *non genitam usiam*. Et in primo editionis Gretseri, cum Eunomius τρεῖς οὐσίας nominasset, respondet ita: « Si quidem discrimen illud usiarum sic intelligat, ut non in Sabellii impietatem incurrat, uni subjecto tria accommodans nomina, et seipsum assentiri, neque quemquam piorum ei dogmati refragari; tametsi solis vocabulis, et sermonis sola pronuntiatione errare videatur, usias pro hypostasibus usurpans[b]. » Non igitur pugnaret admodum Gregorius, si quis οὐσίας plures in Deo esse diceret, dum de re ipsa recte alioqui statueret.

Tres usias.

Eodem spectat, quod[1] Athanasius in *Expositione fidei* profitetur, « se non, ut Sabelliani faciunt, μονοούσιον affirmare Filium, non vero ὁμοούσιον, eo ipso tollentes Filium[c].» Sabellius, qui μονοούσιον dicebat Deum, οὐσίαν cum persona confundebat. Alioqui non damnaret hoc Athanasius, quod sane verum est, unam, et solam esse οὐσίαν Patris et Filii. Sed nimirum intellexit οὐσίαν pro persona fuisse sumptam.

Unius substantiæ. Consubstantialem. Unius substantiæ. Substantiam.

Apud Anastasium Sinaitam, in capite sexto libri, qui ὁδηγὸς inscribitur, Scholion adnotat, Sabellium ex Aristotelicis decretis «naturam pro hypostasi sumpsisse, unam hypostasim asserentem esse sanctæ Trinitatis[d].» Nimirum ὑπόστασιν secundum posteriorem vocis istius usum accepit Anastasius, quo personam significat. Non enim cæteroqui damnandus foret Sabellius, si hypostasim unam esse diceret, secundum priorem, et antiquam notionem, hoc est essentiam; ac nisi cum ea personam etiam intellexisset unam.

Dux viæ

Eusebius Cæsariensis in secundo, quarto, et quinto *de Demonstratione*, dum voces istas οὐσιῶσαι, et οὐσίωσιν ad Filii ac divini Verbi productionem adhibet, οὐσίαν videri potest cum persona confudisse, pro eo atque fautor Arianæ fuit hæresis. Possunt tamen hæc ipsa vocabula commodo sensu ad eumdem usum accommodari, ut nonnulli catholici fecerunt; de quo alias[2].

Substantiare. Substantiationem.

IV. Igitur Aristotelis ac philosophorum cæterorum opinione perfusi Trinitatis hostes hæretici, impium dogma christianam in fidem invexerunt. Etenim Sabellium, et qui ante hunc errorem eumdem tutati sunt, arbitror οὐσίαν μίαν, sive μονοούσιον θεὸν plane Aristoteleo sensu defendisse, ut substantiam primam, sive individuam in Deo singularem, et solitariam esse dicerent, tam secundum essentiam, secundum existendi, subsistendive modum, quoniam talis ab philosophis οὐσία prima ponebatur.

Essentiam unam. Unius essentiæ Deum.

Essentia.

Sic post illos Arius tres quidem οὐσίας, adeoque personas asseveravit, sed inæquales, et harum unicam Dei veri ac supremi propriam; in quo illi cum Sabellio et Paulo Samosateno conveniebat. Ita denique Tritheitæ qui emersere postea, cum eorum príncipe Philopono, tametsi personas tres æquales ac divinas constituebant, οὐσίας nihilominus totidem, sive φύσεις prædicabant, ut ex Nicephoro liquet[3]. Anastasius denique Sinaita, in eo libro, quem Ὁδηγὸν nominavit, testis est hæreticos omnes, qui vel contra Catholicam de Trinitate fidem, vel contra Incarnationis dogma nefarium movere bellum, ex illo Aristoteleæ doctrinæ fonte fluxisse; ut vel hoc ipso hæreticorum antistites, et, ut cum Tertulliano loquar, patriarchas philosophos liceat agnoscere. Cyrillus Alexandrinus libro *Thesauri* XIX, οὐσίαν τοῦ υἱοῦ pro *persona Filii* sumpsit; cujus verba et sententiam enodabimus postea cap. XI hujus libri.

Essentias.

Essentias.

Naturas.

Hodegon.

Verum prætermisso illo vocis οὐσίας usu, qui perpaucorum est e catholicis, ac gentilium proprius, jamdudum Ecclesiæ consuetu-

Usiæ.

a Epiphan. Ἐντεῦθεν οὐ κτιστήν φαμεν τὴν οὐσανί, οὐδὲ ἀλλοτρίαν ὡς ποιητὴν, ἀλλὰ γεννητὴν οὐσιωδῶς, καὶ οὐκ ἀλλοίαν παρὰ τὸν γεγεννηκότα. διὸ καὶ ἄκτιστος διαμένει, καὶ οὐ ποιηθεῖσα, ἀλλὰ γεννηθεῖσα ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας θεοῦ· οὐ χρόνου ὑποπίπτουσα· οὐ γὰρ ὁ γεννήσας ἐν ἀληνείᾳ, χρόνῳ ὑπέπεσεν, ἵνα χρονικὴν ὑποστήσεται οὐσίαν.

b Nyssen. Εἰ μὲν οὖν οὕτω λέγει τὴν τῶν οὐσιῶν πρὸς ἀλλήλας διαφορὰν, ὡς μὴ δοκεῖν τῇ ἀσεβείᾳ τοῦ Σαβελλίου συμφέρεσθαι, ἑνὶ τῷ ὑποκειμένῳ τρεῖς ἐφαρμόζοντος προσηγορίας, καὶ ἡμεῖς συντιθέμενα, καὶ οὐδεὶς τῶν εὐσεβούντων ἀντιλέγει τῷ δόγματι. πλὴν ὅσον μόνοις τοῖς ὀνόμασι, καὶ τῇ προφορᾷ τοῦ λόγου πλημμελεῖν δοκεῖ, οὐσίας ἀντὶ ὑποστάσεων ὀνομάζων.

c Athan. Οὔτε γὰρ νἱοπάτορα φρονοῦμεν ὡς οἱ Σαβέλλιοι, λέγοντες μονοούσιον, καὶ οὐχ ὁμοούσιον, καὶ ἐν τούτῳ ἀναιροῦντες τὸ εἶναι υἱόν.

d Schol. Anast. Καὶ Σαβέλλιος ὁμοίως τὴν φύσιν λέγων ὑπόστασιν, μίαν ὑπόστασιν εἶπεν τῆς ἁγίας τριάδος.

1 Tom. I *Biblioth. Patrum Græco-lat.* — 2 Lib. IV, cap. XIX. — 3 Lib. XVIII, cap. XLVII.

[*Usiæ.*] dine receptum id est, ut hoc οὐσίας nomen significet, quod in cujusque rei definitione ponitur, quam *naturam*, aut *essentiam*, aut etiam *substantiam* vocant. [*Usia*.... *esse* vel *ens*.] Siquidem οὐσία ab eo, quod est εἶναι, vel τὸ ὄν deflectitur; quod Aristoteles appellare solet τὸ τί ἦν εἶναι, hoc est, quod affertur, ac respondetur sciscitanti, *quid res quæque sit*. [Quid ex ecclesiæ usu significet usiæ vocabulum.] Nam substantivum verbum ἦν pro ἐστὶ Attico more sumitur; [*Erat* pro *est*.] quasi dicat, τί ἐστι τὸ εἶναι τοῦ πράγματος, [*Quid sit esse rei.*] vel τί ἐστιν ὅσον κατὰ τὸ εἶναι. [*Quid sit quantum secundum esse.*] Præter quam rei essentiam, inest etiam ὕπαρξις, quam *existentiam*, aut *exstantiam* vocant, et hujus insuper modus, qui τρόπος τῆς ὑπάρξεως dicitur, vel ὑποστατικὸν ἰδίωμα, Latinæ scholæ *subsistentiam*, vel *subsistendi modum* nominant. Itaque Maximus Martyr in dialogo primo, ex iis, qui Athanasio falso tribuuntur, « divinam essentiam, sive deitatem ait esse τὸ τὶ εἶναι, [*Quiddam esse. Esse.*] hypostasim vero τὸ εἶναι[a]. Atque hoc modo sanctus Thomas Aquinas in libro *de Ente*, et essentia, et alibi passim, *essentiam* ab *existentia* discernit, et hanc *esse* simpliciter vocat.

V. Ut autem quid invicem ista duo discrepent, οὐσία, et ὑπόστασις, [*Usia. Hypostasis.*] exponamus, de hypostasi nonnulla seorsim exprimenda sunt, cujus in usu major etiam apud veteres, quam in οὐσίας vocabulo varietas incidit. [*Usiæ.*] Ac sciendum est, quod Socrates in *Historia ecclesiastica*[1] refert, apud exteros, elegantioresque Græcæ linguæ scriptores nomen hypostasis non in ea sumi notione, [Quid sit hypostasis.] quam Ecclesiasticorum illi usus asseruit, sed alia significare omnia; porro recentiores philosophos pro οὐσίᾳ illo uti solere. [*Usia.*] Verum Leontius libro *de Sectis*, actione septima, duas præcipuas et utiles instituto nostro significationes nominis illius affert; quarum prior est, ut sit id omne, quod revera et solide ac simpliciter existit, non adumbrate, ac specie tenus. Sic enim colorum alii veri sunt, qui ὑπόστασιν habere dicuntur, [*Hypostasim i. e. subsistentiam.*] alii apparentes, qui sunt ἀνυπόστατοι. [*Absque subsistentia*] Altera est, ut id intelligatur, quod per sese exstat; quales sunt primæ et individuæ substantiæ, exclusis ab hujus comprehensione vocis accidentibus, quæ hypostases non dicuntur. Joannes quoque Damascenus in *Dialecticæ* capite XLII[b]. « Nomen, inquit, hypostasis duo significat, Interdum simplicem exstantiam; qua in notione idem est usia, et hypostasis. Unde quidam e sanctis Patribus naturas ipsas appellarunt, nempe hypostases. [De *hypostasis* vocabulo.] Alias exstantiam illam, quæ est per sese, et propriam habet consistendi rationem. Atque in ista significatione individuum designat numero differens[b]. » Vide capita XI, XXIX, XXX ejusdem libri, ubi eadem fere tradidit. Sed de utraque plenius postea. Id modo considerandum est, quod et Socrates recentiores sensisse philosophos ait, et nos antiquioribus theologis placuisse diximus, ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ passim haberi. Etsi non satis hoc declarat ille, qualem intelligat οὐσίαν, eamdemne, quam in *Categoriis* exponit Aristoteles, ἄτομον, individuamque substantiam, an essentiam et naturam. Verum ut, hoc omisso, quid veteres Patres de illa senserint, inquiramus potius, occurrit imprimis Irenæus; qui libro quinto capite XXXVI, sic scribit, ut ex Andrea Cæsariensi in sextum *Apocalypsis*, Arethas in *Commentariis* refert. « Non enim substantia, neque essentia creaturæ delebitur. Verus est enim, et firmus, qui illam constituit[c]. » Vetus interpres Irenæi tum ὑπόστασιν *substantiam* posuit, tum pro οὐσίαν *materiam;* ut ὕλην legisse videatur.

Item in fragmentis Irenæi nuper editis, « Mutatio vero ipsius, quoniam mortalis et corruptelæ cum sit obnoxia, immortalis et incorrupta fit, non ex propria substantia, sed secundum Domini operationem[d]. » In his ὑπόστασιν pro *substantia*, et *natura* sumit Irenæus. Quanquam in hoc posteriore loco potest esse *productio* ipsa, vel *conditio*, id est *procreatio*. Dionysius[2] pontifex Romanus apud Athanasium, contra Sabellianos disputans, eos deinde redarguit, qui ex adverso pugnantes divinitatem, « ejusque singularem principatum tres in virtutes ac distinctas hypostases et deitates secabant[e]. »

a Maxim. Ἀλλ' ἡ θεότης τὸ τί (for. ἦν) εἶναι σημαίνει· ἡ δὲ ὑπόστασις, τὸ εἶναι.

b Damasc. *Dialect.* cap. XLII. Τὸ τῆς ὑποστάσεως ὄνομα, δύο σημαίνει· ποτὲ μὴ τὴν ἁπλῶς ὕπαρξιν, καθ' ὃ σημαινόμενον ταὐτόν ἐστιν οὐσία, καὶ ὑπόστασις. ὅθεν τινὲς τῶν ἁγίων πατέρων εἶπον αὐτὰς φύσεις, ἤγουν τὰς ὑποστάσεις· ποτὲ δὲ τὴν καθ' αὑτὸ, καὶ ἰδιοσύστατον ὕπαρξιν· καθ' ὃ σημαινόμενον τὸ ἄτομον δηλοῖ τῷ ἀριθμῷ διαφέρον.

c Iren. Οὐ γὰρ ἡ ὑπόστασις, οὐδὲ ἡ οὐσία τῆς κτίσεως ἀφανισθήσεται. ἀληθὴς γὰρ καὶ βέβαιος ὁ αὐτὴν συστησάμενος.

d Idem. Μετασχηματισμὸς δὲ αὐτῆς, ὅτι θνητὴ, καὶ φθαρτὴ οὖσα, ἀθάνατος, καὶ ἄφθαρτος γίνεται, οὐκ ἐξ ἰδίας ὑποστάσεως, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ κυρίου ἐνέργειαν.

e Dion. Papa. Διαιροῦντάς, καὶ κατατέμνοντας, καὶ ἀναιροῦντας τὴν μοναρχίαν εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς, καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις, καὶ θεότητας τρεῖς.

1 Lib III, cap. VII. — 2 Lib. *de Decr. Nic. syn.*

Hypostasim.

Sed et Origenes ante hunc ὑπόστασιν pro natura sumpsit. « Ut autem, inquit, omnia Dei dona multis partibus majora sunt mortali quavis substantia[a], » etc. Et quod præcipuum est, Nicæni ipsi Patres non aliter hypostasim usurparunt in *Expositione fidei*, dum ita pronuntiant : « Eos autem qui dicunt : Erat aliquando, quando non erat; et antequam nasceretur, non erat; et quia ex nullis substantibus factus est, aut ex alia subsistentia, vel substantia, etc., anathematizat catholica et apostolica Ecclesia[b]. » In quibus Nicæna synodus ὑπόστασιν cum οὐσίᾳ, id est *subsistentiam* cum *substantia* confundere videtur.

Quanquam reclamat Basilius in epistola LXXVIII, qui Marcellum Ancyranum, et alios quosdam Sabellianæ fautores hæresis, ex illis Nicæni concilii verbis patrocinium quæsisse opinionis suæ refert. Proinde οὐσίαν, et ὑπόστασιν negat, ἐκ παραλλήλου, et tanquam idem significantes voces adhibitas esse. Nam si eadem esset ambarum significatio, quid attinebat simul illas adhiberi ? Quare perspicuum est, ait, « eo quod alii negarent Filium e substantia esse Patris, alii neque ex ejus substantia , et ex alia insuper hypostasi esse dicerent ; utramque illos opinionem tanquam alienam a sensu ecclesiastico rejecisse[c]. »

Probatur contra Basilium Patres Nicænos usiam et hypostasim promiscue usurpasse.

Verum si quis rem propius consideret, a Basilio dissentiendum putabit. Primum, quia contra solum Arii dogma symboli clausulam istam addidisse Patres liquido constat. At nec Arius ipse, nec ulli alii per id tempus Filium ab alia persona, quam Patris, originem traxisse docuerunt. Neque hoc alii, quam prisci illi hæretici senserunt, Valentinus, ejusque similes, qui ex collatitia velut stipe ab Æonibus conflatum esse Jesum asserebant. De quibus nihil omnino pronuntiare voluit Nicæna synodus; ac si de illis cogitasset, non tam leviter eos perstrinxisset. Deinde quod Basilius objicit, si una et eadem notio esset istorum nominum, opus non fuisse ambo ponere, nihil est. Non enim frustra utrumque nomen expressum est. Quippe cum eamdem φύσιν, id est *naturam*, alii ὑπόστασιν, alii οὐσίαν vocarent, ne quis in voculis contentiose fucum deinceps faceret, utramque posuerunt; maxime cum Arius, ejusque socii in epistola[1], quam ad Alexandrum episcopum suum scripserant, τρεῖς εἶναι ὑποστάσεις, *tres esse hypostases*, hoc est *substantias*, sive οὐσίας, nominatim dixissent. Quod si Basilii ista ratio valeret, ne illud quidem reprehensionis expers foret, quod in eodem symbolo, cum Patres dixissent damnare se illos, qui *fuisse aliquando* putarent, *quando non erat Filius*, statim id subjiciunt ; quod idem significat, « et antequam nasceretur non erat ; » necnon, « quia ex nullis substantibus factus est. » Sed non est otiosa rei propemodum ejusdem diversis locutionibus iterata mentio, neque istic, neque in ὑποστάσει et οὐσίᾳ. Ad hæc Athanasius in epistola *ad Africanos* scribit, Nicænos Patres, contra Eusebianorum versutias, vocem τοῦ ὁμοουσίου in symbolo posuisse, ut varias, quæ in Scripturis occurrunt, loquendi formulas exprimerent, atque inter alias, quod χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως capite primo epistolæ *ad Hebræos* dicitur. Ergo οὐσίαν interpretandam esse ὑπόστασιν putarunt, de quo agemus postea.

Hypostasim. Usiam. *Consubstantialis.* *Figura substantiæ.* *Usiam, hypostasim.*

VI. Est et illud ad Nicæni concilii indagandam sententiam, et adversus Basilii interpretationem firmissimum argumentum, quod qui isti synodo interfuere Patres aliqui, aut paulo certe postea floruerunt, tum collecti aliis in synodis, tum seorsim singuli, ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ sumpserunt; quod nunquam fecissent, si contrarium apud Nicæam ante decressent.

Hypostasim pro usia.

Exstat apud Theodoretum[2] in *Ecclesiastica historia* epistola synodica concilii Sardicensis, et in ejus fine appendix quædam catholicæ adversus Arianos professionis summam continens; quæ tamen apud Athanasium deest, ut libro primo monui. Ibi vero ὑπόστασις diserte cum οὐσίᾳ confunditur. Etenim damnatos ob id Arianos ab sese docent, quod « differentes esse hypostases assererent, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et easdem separatas. Nos autem

Hypostasis. Usia.

a Orig. *Philocal.* cap. I. Ὥσπερ δὲ πάντα τὰ τοῦ θεοῦ δωρήματα εἰς ὑπερβολὴν μείζονά ἐστι τῆς θνητῆς ὑποστάσεως.

b Nicæn. conc. Τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν· καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας, etc. τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ, καὶ Ἀποστολικὴ ἐκκλησία.

c Basil. ep. LXXVIII. Εἰ γὰρ μίαν, καὶ τὴν αὐτὴν ἐδήλουν ἔννοιαν αἱ φωναὶ, τίς χρεία ἦν ἑκατέρων; ἀλλὰ δῆλον ὅτι, ὡς τῶν μὲν ἀρνουμένων, τὸ ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ πατρὸς, τῶν δὲ λεγόντων, οὔτε ἐκ τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἐξ ἄλλης τινὸς ὑποστάσεως· οὕτως ἀμφότερα ὡς ἀλλότρια τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ φρονήματος ἀπηγόρευσαν.

1 Apud Ath. lib. *de Synod.* — 2 Lib. II *Hist.*, cap. VI.

hanc accepimus, edoctique sumus, eamque catholicam habemus traditionem, et fidem, et professionem, unam esse hypostasim, quam ipsi hæretici usiam nominant, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et si quærant, quænam sit Filii hypostasis, fatemur hanc ipsam esse, quam solam esse Patris omnes agnoscunt[a]. » Ac deinceps bis terve unam esse Patris, et Filii hypostasim affirmant.

Romanum item concilium[1] sub Damaso collectum episcoporum nonaginta, « Spiritum sanctum ejusdem hypostasis et usiæ esse definit cum Patre ac Filio[b]. »

Sed imprimis hoc ipsum persuadet Athanasius, qui Nicæni concilii, cujus magna pars fuit, mentem et sententiam perspectam habuit. At is ὑπόστασιν haud temere alium in sensum usurpat, quam pro οὐσίᾳ, sive essentia, plerisque in libris, quos longe post Nicænæ tempora synodi conscripsit ; id utique minime facturus, si verum existimasset, quod de ista synodo Basilius credidit. Sic in epistola *ad Africanos*, « Hypostasis, ait, est usia, neque significationem habet aliam, nisi hoc ipsum, quod est, quam Hieremias vocat exstantiam, his verbis : *Et non audierunt vocem exstantiæ*. Nam hypostasis, et usia idem est cum exstantia; Est enim, et existit[c]. »

Item promiscue accepit Athanasius.

Et in oratione quinta *contra Arianos* : « Ut autem unum est principium, et ideo unus Deus, ita plane, ac revera una est, quæ vere est, essentia, et hypostasis una, quæ dicit : *Ego sum, qui sum*[d]. »

Item in libro *de Synodis*, Basilium Ancyranum, et Semiarianos collaudat, quod non longe a vera professione distent, ut qui una cum Nicænis Patribus Filium asserant ex usia esse Patris, et non ex altera hypostasi[e]; ex quo sequitur esse ὁμοούσιον.

Consubstantialem.

VII. Atqui Basilius iste cum Semiarianis suis ὑπόστασιν nihil aliud esse definit, nisi οὐσίαν apud Epiphanium[2] hæresi LXXIII. « Hanc igitur, inquit, hypostasim Patres usiam nominarunt[f]. » Neque tamen perinde atque Athanasius et cæteri catholici, unam esse personarum trium ὑπόστασιν putarunt, sed tres; ut in eadem hæresi[3] ex illorum libello intelligitur, ubi τὰς ἰδιότητας τῶν ὑποστάσεων nominant, et οἰκείαν ὑπόστασιν, id est *peculiarem hypostasim* Filio tribuunt.[4]

Hypostasim. Usiam.

Hypostasim.

Proprietates hypostaseon.

Denique[5] in subscriptione Basilius adjecit, « per omnia similem esse Filium, non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum hypostasim, et secundum exstantiam, et secundum esse[g]. » Nimirum qui Filium non ὁμοούσιον, sed similem οὐσίᾳ fatebatur, duas ut οὐσίας, sic ὑποστάσεις affirmabat, οὐσίαν idem esse putans cum ὑποστάσε, Nam ibi τὸ εἶναι, quod cum ὑποστάσει confert, pro οὐσίᾳ sumpsit. Cum igitur Athanasius Basilium laudet, quod ex usia Patris, et non ex altera hypostasi dicat esse Filium, Basilius autem hypostasim idem esse cum usia pronuntiet ; quis non videt ex opinione Athanasii, Nicænam synodum ista duo promiscue usurpasse ? Ita porro ὑποστάσεις tres Basilius iste dixit, quomodo et Ariani in formula Antiochiæ edita[6] per tempus Encæniorum, « propriam nominatarum personarum in baptismo hypostasim et ordinem, et gloriam, ut sint hypostasi tria, concordia vero unum[h]. » Hic enim ὑπόστασιν eamdem cum οὐσίᾳ fecerunt. Vide omnino Semiarianorum disputationem apud Epiphanium in hæresi illa LXXIII.

Consubstantialem. Usia... usias... hypostases.. usiam. Hypostasi... esse. Hypostasi... pro usia.

Hypostases.

Hypostasim. Usiam.

a Syn. Sardic. Καὶ ὅτιπερ τὸ τῶν αἱρετικῶν σύστημα φιλονεικεῖ διαφόρους εἶναι τὰς ὑποστάσεις τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ εἶναι κεχωρισμένας. ἡμεῖς δὲ ταύτην παρειλήφαμεν, καὶ δεδιδάγμεθα, καὶ ταύτην ἔχομεν τὴν καθολικὴν παράδοσιν, καὶ πίστιν, καὶ ὁμολογίαν, μίαν εἶναι ὑπόστασιν, ἣν αὐτοὶ οἱ αἱρετικοὶ οὐσίαν προσαγορεύουσι, τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. καὶ εἰ ζητοῖεν, τίς τοῦ υἱοῦ ἡ ὑπόστασίς ἐστιν ; ὁμολογοῦμεν ὡς αὕτη ἦν ἡ μόνη τοῦ πατρὸς ὁμολογουμένη.

b Rom. conc. Χρὴ δὲ τῆς αὐτῆς ὑποστάσεως καὶ οὐσίας, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πιστεύειν.

c Athan. Ἡ δὲ ὑπόστασις οὐσία ἐστὶ, καὶ οὐδὲν ἄλλο σημαινόμενον ἔχει, ἢ αὐτὸ τὸ ὂν, ὅπερ Ἱερεμίας ὕπαρξιν ὀνομάζει λέγων· καὶ οὐκ ἤκουσαν φωνὴν ὑπάρξεως. ἡ γὰρ ὑπόστασις καὶ οὐσία ὕπαρξίς ἐστιν. ἔστι γὰρ, καὶ ὑπάρχει.

d Idem, orat. v. Ὥσπερ δὲ μία ἀρχὴ καὶ κατὰ τοῦτο, εἷς θεὸς, οὕτως ἡ τῷ ὄντι, καὶ ἀληθῶς, καὶ ὄντως οὖσα οὐσία, καὶ ὑπόστασις μία ἐστὶν ἡ λέγουσα, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν.

e Idem, libro *de Synod.* Καὶ γὰρ ὁμολογοῦντες ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς εἶναι, καὶ μὴ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως τὸν υἱὸν, etc.

f Epiph. Ταύτην οὖν τὴν ὑπόστασιν οὐσίαν ἐκάλεσαν οἱ πατέρες.

g Basil. Ancyr apud Epiph. Κατὰ πάντα δὲ, οὐ μόνον κατὰ τὴν βούλησιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὑπόστασιν, καὶ κατὰ τὴν ὕπαρξιν, καὶ κατὰ τὸ εἶναι.

h Antioch. formula. Σημαινόντων ἀκριβῶς τὴν οἰκείαν ἑκάστῳ τῶν ὀνομαζομένων ὑπόστασίν τε, καὶ τάξιν, καὶ δόξαν· ὡς εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ, ἕν.

1 Apud. Theod. lib. II, cap. XXII, et Soz. lib. VI, cap. XXIII; Nicephor. lib. XI, cap. XXXI, — 2 Eph. Hær. LXXIII, n. 12. — 3 Num. 16. — 4 Num. 21. — 5 Num. 22. — 6 Apud Athan. lib. *de Syn.*

Hypostasim. Rursus Athanasius in libro, quo unum esse Christum probat, ὑπόστασιν aliter, atque in superioribus, pro persona sumpsisse videtur, dum illos redarguit, qui de Incarnatione prave sentientes, « pro una hypostasi Domini nostri Jesu Christi duas hypostases et personas, et pro sancta Trinitate, quaternitatem inepte simul et impie constituunt[a]. » Quod in sequentibus usurpare pergit, ubi unam ait esse hypostasim, et personam Christi. Quem quidem locum Centuriatores Magdeburgenses[1] ex Athanasii oratione quinta contra Athanasium citant. Sed alterius est orationis, cujus inscriptio est, ὅτι εἷς ὁ Χριστός, quæ est homilia *in Natalem Christi*, ut ex ejus fine constat. *Quod unus est Christus* Neque vero Athanasii videtur esse; quod ex stylo conjicimus, qui et diffusior est, et minus simplicitatis affectionisque plus habet, quam qui Athanasii germanus est, cujus nativam elegantiam, ac sponte fluentem nulla potest imitatio consequi. Tum ex eo, quod Marcellum Ancyranum statim cum Paulo Samosateno, tanquam certum, et confessum hæreticum, conjungit, cum tamen de Marcello non tam sinistre judicarit Athanasius, ut libro primo demonstratum est.

Poterit etiam aliquis nobis objicere, quod idem Athanasius oratione v Sabellii opinionem explicans ait ipsum « Patrem eumdem esse cum Filio dicere, et contra Filium esse Patrem, unum quidem hypostasi, nomine vero duo[b]. » *Hypostasis.* Hic enim ὑπόστασις persona videtur esse, sed non est; verum latius accepta vox illa id omne significat, quod revera exstat, et non *Nomine.* specie appellationeque tenus; itaque τῷ ὀνόματι est opposita : « Reipsa, inquit, et substantia unum esse dicit, sed solo differre nomine. » Ita sub finem ejusdem orationis, dum ait, « se non hypostasim divellere Dei Verbi ab homine ex Maria genito[c], » naturam ipsam, ac substantiam divini Verbi intelligit. At[2] paulo ante, cum dicit, « Prophetam paternam ὑπόστασιν clara voce pronuntiasse de ipso, ac *Hypostasim.* dixisse : *Et mittam Filium meum Christum*[d], » etc. non substantiam sic appellat, ut Latine reddit interpres, sed ut explicat idem Athasius, τὴν ὑπόσχεσιν, id est *promissionem*, Euthymius in *Panoplia* parte I, tit. IX, citat Athanasii locum ex libro *contra Valentinos*, in quo ὑπόστασιν pro persona sumere videtur, cum ait, « Filium, ac Deum dici esse passum, propter unam divinitatis hypostasim, quæ et naturæ humanæ facta est hypostasis [e]. »

Ad summam non puto Athanasium τὴν *Hypostasim.* ὑπόστασιν unquam pro mera persona, et ut ab οὐσίᾳ distinguitur, sumpsisse, sed pro natura, *Usia.* et substantia, quamvis ex consequenti etiam interdum subsistendi modum comprehendat. Nam qui circumferuntur Athanasii dialogi *contra Arium*, in quibus ex communi, et recentiore sententia perspicue ab οὐσίᾳ τὴν ὑπόστασιν *Usia hypostasim.* separat, non sunt illi Athanasii, sed Maximi martyris, ut Græci scriptores indicant, de quo postea.

Hypostasim pro οὐσίᾳ Epiphanius quoque *Usia.* æqualis illorum temporum sumit; ut in *Ancorato* : « Si, inquit, dicas consubstantiale, *Necnon Epiphanius.* vim Sabellii dissolvisti. Nam ubi est consubstantiale, unam substantiam significat[f]. »

Rursus in hæresi nona et sexagesima, quæ est *Arianorum* : « Hoc enim, inquit, videlicet ignorant, idem esse hypostasim, et substantiam dicere[g]; » quod deinde confirmat. Et in hæresi LXXIV[2]: « Trinitas hæc sancta nominatur, quæ sunt tria, una concordia, una divinitas, ejusdem virtutis, ejusdem hypostasis[h]. »

a ATHAN. Καὶ ἀντὶ μιᾶς ὑποστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δύο ὑποστάσεις, καὶ πρόσωπα, καὶ ἀντὶ τῆς ἁγίας τριάδος, τετράδα ἀπρεπῶς καὶ παρανόμως φρονήσαντες.

b ATHAN. orat. v. Μαίνεται δὲ καὶ Σαβέλλιος λέγων τὸν πατέρα εἶναι υἱὸν, καὶ ἔμπαλιν τὸν υἱὸν εἶναι πατέρα, ὑποστάσει μὲν ἓν, ὀνόματι δὲ δύο.

c Idem. Οὐ τὴν ὑπόστασιν χωρίζων τοῦ θεοῦ λόγου τοῦ ἐκ Μαρίας ἀνθρώπου.

d Idem. Ἄνωθεν τοῦ προφήτου σαφῶς ἐκβοήσαντος τὴν πατρικὴν ὑπόστασιν περὶ αὐτοῦ, καὶ εἰπόντος· καὶ ἀποστελῶ τὸν υἱόν μου τὸν Χριστόν.

e ATHAN. apud Euth. Αὐτὸς μὲν ὁ υἱὸς καὶ θεὸς πεπονθέναι λέγεται διὰ τὴν μίαν ὑπόστασιν τῆς θεότητος, ἥ τις καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει γέγονεν ὑπόστασις

f EPIPH. *Ancor.* num. 6. Ἐὰν γὰρ εἴπῃς τὸ ὁμοούσιον, ἔλυσας Σαβελλίου τὴν δύναμιν. ὅτε γὰρ τὸ ὁμοούσιον, μιᾶς ὑποστάσεώς ἐστι δηλωτικόν.

g Idem, hær. LXIX, num. 70. Οὐκ ἴσασι δὲ ὅτι καὶ ὑπόστασις, καὶ οὐσία ταὐτόν ἐστι τῷ λόγῳ.

h Idem, hær. LXXIV. Τριὰς αὕτη ἁγία καλεῖται, τρία ὄντα, μία συμφωνία, μία θεότης, τῆς αὐτῆς δυνάμεως, τῆς αὐτῆς ὑποστάσεως.

* Editores Benedictini supra positæ de hac homilia sententiæ hæc addunt : « His a Petavio sagaciter observatis, addimus; cum adversus hæreticos hic agatur qui duas esse personas in Christo tuerentur, ea item de causa videri hoc opusculum Athanasio abjudicandum, qui in nullo operum suorum hujus hæreseos meminit. Neque putatur Athanasii ætate de duabus in Christo personis agitata quæstio. Attamen exstat in antiquis codicibus, videturque sæculo quinto edita, quo vigebat Nestoriana hæresis. »

J. B. F.

1 Cent. IV, cap. IV — 2 Num. 4 et in *Ancor.* n. 67.

Cyrillus Hier.

Cyrillus item Hierosolymitanus *Catechesi* sexta, cum ait « Deum esse multinominem, et omnipotentem, et uniusmodi hypostasis [a]; » et in eadem pagina bis eamdem vocem repetens, ad essentiam refert.

Gregorius Naz.

Tum Gregorius Nazianzenus oratione XXXIV, ubi Deum secundum naturam suam cognosci non posse demonstrat, etsi non ignoremus illum esse immutabilem, et incorruptum, et si quæ alia de Deo, vel circa Deum prædicantur; rationemque ita reddit, « quod præterea studiose considerandum sit, quid illi secundum naturam et hypostasim existenti conveniat, neque principium habere, neque a se unquam desciscere, neque fine ullo terminari, sed totum esse complecti [b]. » In iis videtur ὑπόστασιν usurpare de communi essentia et natura.

Cyrillus Alex.

VIII. Præterea Cyrillus Alexandrinus in eadem significatione nomine ὑποστάσεως est usus, ut sit idem quod φύσις, id est *natura*, vel οὐσία, idque plurimis in locis. *Hypostasis.* In Anathematismo tertio de duodecim, « Si quis, ait, in uno Christo dividit hypostases post unionem, sola ipsas conjunctione, quæ est secundum dignitatem, sive auctoritatem, vel potestatem copulans, et non potius concursu eo, qui est secundum naturalem unionem, anathema sit [c]. »

Hypostasim. Eodem sensu et ὑπόστασιν Orientales in *Anathematismi* hujus *Confutatione* sumpserunt, qui hoc in illo reprehenderunt, quod cum antea naturas in Christo duas agnovisset, eas nunc εἰς μίαν ὑπόστασιν, *in unam hypostasim* confundat, naturali unione, quasi ex duabus una fiat natura, et hypostasis. Quinetiam, quod mirandum magis est, cum in *Anathematismo* quarto Cyrillus damnasset eos, qui dicerent, « in personas duas, sive hypostases distribuendas esse voces illas, quæ in Evangelicis Apostolicisve scriptis aut de Christo usurpantur a sanctis, aut ab ipso de seipso dicuntur, et alias tanquam homini, præter illud Verbum, quod ex Deo Patre genitum privatim intelligitur, attribuit, alias velut Deo dignas soli Verbo a Deo Patre genito, anathema sit [d] : » hæc, inquam, Theodoretus refellens, ὑποστάσεις, et πρόσωπα sic et a Cyrillo posita putavit, et posuit ipse, tanquam nihil ab eo, quod est φύσις, distarent. *Hypostases et personas.* Sane Cyrillus in *Apologia Anathematismi primi contra Theodoretum*, satis ostendit, se ὑπόστασιν non pro *persona*, id est *perfecte subsistente natura*, sed pro re, et eo, quod vere et non adumbrate, solave opinione exstat, accipere. *Natura.* *Hypostasim.* Ait enim, « rerum, id est ὑποστάσεων concursum esse factum, ut incarnationis mysterium reipsa factum esse credatur [e]; non autem similitudines simpliciter non exstantes, neque formas in se convenisse unione dispensatoria. » *Hypostaseon*

IX. Sic in libro tertio *contra Nestorium*[1], «unam ait, personam non fieri, cum unaquæque ὑπόστασις, quod sibi proprium est aufert, separatim posita [f]. » *Hypostasis.*

Item in libro decimo *Commentariorum in Joannem* ὑπόστασιν, cujus character [2] a Paulo dicitur Filius, interpretatur οὐσίαν. *Hypostasim.*

Ad hæc in *Scholiis de Incarnatione*[3]: « Quod autem naturæ, inquit, sive hypostases inconfusæ manserint, hinc discimus [g]; » quem locum in Ὁδηγῷ[4] citat Anastasius Sinaita. *Hodego.* Ubi etiam adnotat[5], Cyrillum hypostases non προσωπικὰς, id est *personales*, intelligi voluisse, sed ὑπάρξεις, sive ὑφιστάμενα πράγματα, hoc est, *res existentes*, et *subsistentes*.

Idem de Cyrillo, aliisque Patribus tradit Euthymius in *Panoplia*[6], cujus verba, quia Græce nondum exstant, hic referam. « Usum autem esse beatum Cyrillum, et alios Patres indifferenter duobus istis nominibus, cum de

a Cyril. Hieros. Τὸν πολυώνυμον, καὶ παντοδύναμον, καὶ μονοειδῆ τὴν ὑπόστασιν.

b Nazianz. Τί γὰρ ὄντι αὐτῷ κατὰ τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὑπόστασιν, ὑπάρχει τὸ μὴ ἀρχὴν ἔχειν, μηδὲ ἐξίστασθαι, μηδὲ περατοῦσθαι, ἀλλ' ὅλον τὸ εἶναι περιλαμβάνειν, λείπεται προσφιλοσοφεῖν.

c Cyril. Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίαν, ἢ δυναστείαν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον συνόδῳ τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, ἀνάθεμα ἔστω.

d Cyr. *Anath.* IV. Εἴ τις προσώποις δυσὶν, ἤγουν ὑποστάσεσι, τάς τε ἐν τοῖς Εὐαγγελικοῖς καὶ Ἀποστολικοῖς συγγράμμασι διανέμει φωνὰς, ἢ ἐπὶ Χριστῷ παρὰ τῶν ἁγίων λεγομένας, ἢ παρ' αὐτοῦ περὶ ἑαυτοῦ· καὶ τὰς μὲν ὡς ἀνθρώπῳ παρὰ τὸν ἐκ θεοῦ πατρὸς λόγον ἰδικῶς νοουμένῳ προσάπτει, τὰς δὲ ὡς θεοπρεπεῖς, μόνῳ τῷ ἐκ θεοῦ πατρὸς λόγῳ, ἀνάθεμα ἔστω.

e Cyrillus, *Apologia.* Οὐ γὰρ ὁμοιότητες ἁπλῶς ἀνυπόστατοι, καὶ μορφαὶ συνέβησαν ἀλλήλαις καθ' ἕνωσιν οἰκονομικήν· ἀλλὰ πραγμάτων, ἤγουν ὑποστάσεων γέγονε σύνοδος· ἵνα καὶ ὁ τῆς ἐνανθρωπήσεως λόγος ἀληθῶς γενέσθαι πιστεύηται.

f Idem, lib. III *contra Nestor.* Πῶς ἂν ἓν ἀποτελεῖται πρόσωπον, τὸ ἀμφοῖν ἑκατέρας ἡμῖν ὑποστάσεως φερούσης ἴδιον, ὡς ἀνα μέρος κειμένης;

g Cyril. Ὅτι δὲ ἀσύγχυτοι μεμενήκασιν αἱ φύσεις, ἤγουν ὑποστάσεις, ἐντεῦθεν εἰσόμεθα.

1 Cap. VI edit. Rom. — 2 *Heb.* I. — 3 Tom. V Oper. Cyr. — 4 Cap. X. — 5 Idem not. et c. XXII. — 6 Par. I, tit. II, Lat. edit.

humana suscepta natura disputarent, minime dubitamus. Abusi enim sunt, ut partim hypostasim pro usia, partim usiam pro hypostasi proferrent [a]. » Et allusit potissimum ad celeberrimam illam *ad Successum* epistolam Cyrilli ejusdem, quæ turbas maximas concitavit. In hac enim « hypostases duas, » id est naturas Christi diserte nominat. « Porro modum ipsum, quo incarnatus est, inquit, et homo factus Christus, si quis curiosius inquirat; consideret Deum Verbum ex Deo servi formam suscepisse, et in similitudinem hominum factum esse, sicut scriptum est [1]. Atque hac sola ratione intelligi potest naturarum, sive hypostaseon differentia. Non enim idem utique in naturali qualitate sunt divinitas, et humanitas [b]. »

Tam *hypostasim* pro *usia* quam *usiam* pro *hypostasi* sumere.

Longe autem usitatius est ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ, quam οὐσίαν pro ὑποστάσει sumere; hoc enim paucissimi duntaxat ex antiquis fecerunt, quos si qui post Nicænam maxime synodum imitati videntur, qui γεννητὴν οὐσίαν, aut ejusmodi scripserunt aliquid, possunt ad communem et receptam accommodari sententiam, uti suo loco declarabitur. Interim admirari subit Cyrillum tam promiscue vocabulo hypostaseos usum esse, cum Basilius, et Gregorii ambo, Nazianzenus et Nyssenus, aliique, sed Basilius imprimis, fere semper ab οὐσίᾳ separaverint. Nisi quod Athanasii popularis ac decessoris sui id amore et exemplo fecisse videtur.

Item ex Latinis Victorinus Afer.

X. Ex Latinis, qui hypostasim cum οὐσίᾳ confuderint, duo insigniter commemorandi sunt, Marius Victorinus Afer in opusculo *de Homousio*: « Ergo, inquit, hæc nemo negat, hoc esse Græce οὐσίαν, vel ὑπόστασιν dicunt, nos uno nomine Latine substantiam dicimus; » qui et in secundo libro *adversus Arium* idem docet.

Hieronymus

Tum Hieronymus, qui in epistola LVII *ad Damasum* copiosissime de ea re, ac significatione illius vocabuli disserit, ac demonstrat idem esse atque usiam; proindeque tres hypostases dicere metuit; de qua Hieronymi controversia agemus postea.

Triadem hypostaseon

Pene illud exciderat, quod sane prætermittendum non videtur, Gelasium Cyzicenum [2] in actis Nicæni concilii, ex totius synodi mandato ac decreto respondentem Hosium inducere, ac τριάδα ὑποστάσεων prædicantem; quod et postea per Leontium [3] episcopum Patres profitentur. Ex quo Anastasius Sinaita mutuatus est, quod scripsit, Nicænos Patres definiisse, tres hypostases, sive personas in sancta et consubstantiali Trinitate [c]. » Sed nunquam istud ab Nicæna synodo definitum, ac ne obiter quidem injectum est: quin potius contrarium illa significavit, ut contra Basilii sententiam paulo ante demonstravimus. Gelasius porro Cyzicenus auctor est futilis ac nullius judicii; qui si quid habet veri, id tanquam fucus ex alienis scriptis corrasit; pleraque autem prorsus inepta et absona de suo contulit, quæ tamen ex nescio quibus actorum Nicænorum commentariis domi paternæ a se repertis expressisse nugatur; quæ nonnullis imposuisse viris cæteroquin eruditis observavimus, ut ea pro Nicænorum Patrum decretis ac sententiis referrent, quæ ab illorum usu ac mente sunt alienissima.

Hypostasim ab *usia*.

XI. Venio jam ad illos, qui ὑπόστασιν ab οὐσίᾳ separant, qui ut antiquitate cedunt prioribus, sic eos numero superant. Sunt enim propemodum infiniti, e quibus aliquot recensendi sunt.

Recensentur qui *usiam* ab *hypostasi* dividunt.

Imprimis autem Constantinopolitanum primum, et œcumenicum secundum concilium in epistola synodica, quam ad Damasum aliosque Romæ congregatos episcopos scripsit, ex legitima christiani baptismi formula concludit, unam esse Patris, et Filii, ac sancti Spiritus οὐσίαν « in tribus perfectis hypostasibus, sive tribus perfectis personis. »

Usiam.

a Euthym. Κεχρῆσθαι δὲ πολλάκις τὸν μακάριον Κύριλλον, καὶ ἑτέρους πατέρας ἀδιαφόρως τοῖς δυσὶ τούτοις ὀνόμασιν ἐπὶ τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως, οὐκ ἀμφιβάλλομεν. κατεχρήσαντο γὰρ, πῇ μὲν τὴν ὑπόστασιν ἀντὶ οὐσίας, πῇ δὲ τὴν οὐσίαν ἀντὶ ὑποστάσεως ἐκφωνοῦντες.

b Cyril. Alexand. epis. II *ad Success.* Τὸν δὲ τρόπον, ὃν ἐσαρκώθη τε, καὶ ἐνανθρώπησεν εἰ περιεργάζοιτό τις, καταθρήσειεν ἂν τὸν ἐκ θεοῦ θεὸν λόγον δούλου τε λαβόντα μορφὴν, καὶ ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενον, καθὰ γέγραπται. καὶ κατ' αὐτὸ δὴ τοῦτο καὶ μόνον νοηθείη ἂν ἡ τῶν φύσεων, ἤγουν ὑποστάσεων διαφορά· οὐ γάρ που ταὐτὸν ἐν ποιότητι φυσικῇ θεότης καὶ ἀνθρωπότης.

c Anastas. in Ὁδηγ. cap. XXII. Ἰδοὺ γὰρ πατρικῶς καὶ μάλα συνοδικῶς, πρόσωπα εἶναι τὰς ὑποστάσεις ὁρίζεται, τοῖς ἐν Νικαίᾳ ἁγίοις πατράσιν ἑπόμενος τοῖς λέγουσιν τρεῖς εἶναι ὑποστάσεις, ἤτοι πρόσωπα ἐπὶ τῆς ἁγίας, καὶ ὁμοουσίου τριάδος.

d Concil. Constant. apud Theodoret. lib. V, cap. IX. Δηλαδὴ θεότητός τε, καὶ δυνάμεως καὶ οὐσίας μιᾶς τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος πιστευομένης, ὁμοτίμου τε τῆς ἀξίας, καὶ συναϊδίου τῆς βασιλείας, ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσιν, ἤγουν τρισὶ τελείοις προσώποις.

1 *Philip.* II, 7. — 2 Parte II, cap. XII. — 3 Ibid. cap. XXI.

Deinde concilium Chalcedonense [1] in fidei expositione μίαν ὑπόστασιν in Christo prædicans, personam intellexit, ut et concilium Constantinopolitanum secundum, et quintum œcumenicum, dum canone v et viii unam in Christo subsistentiam, quæ Græce est ὑπόστασις, constituit.

Et in concilio vi contra Monothelitas pluribus in locis idem asseveratur, ut in epist. Agathonis papæ [2], in epist. Sophronii [3]; ac demum in *Expositione fidei* [4].

Sic apud Theodoretum [5] Valentinianus Valens, et Gratianus in epistola *ad Episcopos Asianos*, ex mente Illyricianæ synodi, tradunt « unam esse et eamdem usiam Patris, et Filii, et Spiritus sancti in tribus personis, hoc est in tribus perfectis hypostasibus [a]. » Atque hunc Romanæ, et Gallicanæ synodorum consensum esse docent.

Ex Patribus autem primum Dionysius Alexandrinus episcopus scriptor pervetus occurrit, qui ὑπόστασιν pro substantia per se existente, sive οὐσίᾳ, cujusmodi a philosophis prima dicitur, sumpsit. Ut in responsione ad quæstionem quartam Pauli Samosateni, de duobus hircis agens, qui *Levitici* decimo sexto, ante tabernaculum sisti jubentur, eos vocat ὑποστάσεις duas [b]. Et de tribus personis Trinitatis loquens, « Duæ, inquit, hypostases (Patris scilicet, et Filii), inseparabiles sunt, et subsistens Patris Spiritus, qui erat in Filio [c]. » Nonnunquam autem pro οὐσίᾳ posuit; ut cum in quinta responsione dicit, Sethum ἐκ τῆς ὑποστάσεως *ex hypostasi lumborum Adami* fuisse, quemadmodum Filius character vocatur hypostasis paternæ. Eodem spectat, quod ἐνυπόστατον appellat id, *quod per se subsistit*, hoc est, quam cæteri vocant ὑπόστασιν, ut postea pluribus exponam.

Hypostasim. *Usia.* *Hypostasis.* *Subsistens.*

Sic hujus cognominis alter, Areopagita dictus, multo disertius et constantius tres hypostases in sancta Trinitate prædicat. Ut in secundo capite libri *de Ecclesiastica hierarchia* : « Ter, inquit, ipsum mergit antistes, ad tres ejus, qui initiatur, demersiones et emersiones trinam divinæ felicitatis invocans hypostasim [d]. » Et alibi μονάδα τρισυπόστατον appellat *unitatem trisubsistentem*. Vide caput primum libri *de Divinis nominibus*, ubi ὑπόστασιν in ea significatione plus semel usurpat. Alexander episcopus Alexandrinus, is, qui Arium initio damnavit, in epistola ad cognominem Alexandrum Constantinopolitanum episcopum, hypostasim pro persona videri potest usurpasse, cum « proprio modo constantem hypostasim Filii significasse Joannem, ait, his verbis : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* [e], » etc. Et postea, « Patris, et Filii duas esse hypostasi naturas, » ait. De quo postea.

Hypostasim.

XII. At præ omnibus istud ipsum discrimen accurate defendit magnus Basilius [6] plurimis in locis, quos paulo post referam, cum de hypostasis personæve ratione pressius disputabitur. Cujus ea est opinionis summa, quam plerique deinceps omnes amplexi sunt, hoc inter οὐσίαν et ὑπόστασιν interesse, quod οὐσία generale quiddam sit, et commune, ac minime definitum, ut est homo universe pro specie sumptus: hypostasis vero proprium aliquid, singulare ac definitum, quod ex illo communi, et peculiaribus cujusque notis ac proprietatibus veluti componitur, qualia sunt, quæ ἄτομα dicuntur, quæ sunt primæ et individuæ substantiæ, ut Socrates, Plato; qui præter communem cum cæteris essentiam, habent qualitates, et proprias, quibus ab illis differunt.

Usiam et hypostasim. *Individua.*

Gregorius Nazianzenus [7] crebro idem affirmat, esse in Deo μίαν οὐσίαν, et ὑποστάσεις τρεῖς; e quibus illam significare ait, τὴν φύσιν τῆς θεότητος, *naturam deitatis*, has vero, τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας, *trium proprietates*, Et alibi [8], Deum ἓν τῇ οὐσίᾳ, τὰ δὲ τρία ταῖς ὑποστάσεσι, *unum esse usia, tria hypostasibus*.

Unam usiam et hypostases tres.

Gregorius alter Nyssenus episcopus in primo libro *adversus Eunomium*, editionis posterioris, ὑπόστασιν simili ab οὐσίᾳ discrimine

Hypostasim. Usia.

a Theodoret. lib. IV, cap. vii. Μίαν εἶναι, καὶ τὴν αὐτὴν οὐσίαν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐν τρισὶ προσώποις, τουτέστιν ἐν τρισὶ τελείας ὑποστάσεσιν.

b Dion. Alex. *Respons. ad Propos.* IV *Pauli Samos.* Ἦσαν γὰρ αἱ δύο ἅμα ὑποστάσεις τῶν χειμάῤῥων προσδεδομέναι τῷ θυσιαστηρίῳ.

c Idem : Αἱ δύο ὑποστάσεις ἀχώριστοι, καὶ τὸ ἐνυπόστατον τοῦ πατρὸς πνεῦμα, ὃ ἦν ἐν τῷ υἱῷ.

d Dion. cap. ii *de Eccl. hier.* Τρὶς μὲν αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βαπτίζει, ταῖς τρισὶ τοῦ τελουμένου καταδύσεσι, καὶ ἀναδύσεσι τὴν τρισσὴν τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑπόστασιν.

e Alexand. Τὴν γὰρ ἰδιότροπον αὐτοῦ ὑπόστασιν ἐδήλωσεν εἰπὼν ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν.

Idem. Οὐδὲ τὰς τῇ ὑποστάσει δύο φύσεις μίαν εἶναι σαφηνίζων.

1 Act. sub. fin. — 2 Act. iv. — 3 Act. xi. — 4 Act. xviii. — 5 Apud Thcod. lib. I, cap. iii. — 6 Epist. xliii, et cccxlix et cccxci. — 7 Naz. orat. xxi. *in S. Athan.* et orat. i *ad Cledon.* — 8 Orat. xxxii et xxix.

Tres hypostases, unam usiam, unam deitatem.

sejunxit, ut supra memini. Epiphanius, hæresi LXXIII, num. 34 diserte τρεῖς ὑποστάσεις, μίαν οὐσίαν, μίαν θεότητα ex catholica, et Nicæna professione definit. Quem et Basilius epistola CCCXXV, quam ad eum scribit, collaudat, quod in litteris quas Antiochia ad se scripserat, « necesse esse dixisset tres hypostases confiteri. »

Isidorus item Pelusiota, « Naturæ, inquit, identitas hypostasibus dividitur ; hypostaseon vero proprietas in unam usiam copulatur [a]. »

XIII. Sic Chrysostomus passim idem prædicat. Ut in homilia secunda, *in Epistolam ad Hebræos*, et illa Pauli verba, *character substantiæ:* « Hic, inquit, nulla re differentem similitudinem ostendens istud ait, et ad propriam notam prototypi deducens te, ac docens in sua hypostasi per se illum existere [b]. »

Amphilochius apud Anastasium Sinaitam [1], de Christo, « Duplex, ait, erat secundum naturam, non secundum hypostasim. » Idem Amphilochius, « Qui non confitetur, inquit, tres hypostases in una substantia (porro non aliam dico substantiam, præter divinitatem, nec alteram divinitatem, præter substantiam; verum ut sic accuratius loquamur, substantiam nominamus, ut ne aliam, et aliam dicamus divinitatis speciem, occultata Trinitate) iste perperam sentit [c]. »

Usiam et hypostasim.

Theodoretus in dialogo primo scribit, etsi apud exteros scriptores ac philosophos nihil inter οὐσίαν et ὑπόστασιν distet, tamen apud Christianos theologos illud instar esse generis, et commune esse pluribus, hoc vero peculiare, ac demum ita concludit: « Nam hypostasim, et personam, et proprietatem idem significare dicimus, sanctorum Patrum definitiones secuti [d]. »

Quod unus Christus.

Hypostasim.

Accedit auctor illius sermonis ὅτι εἷς ὁ Χριστὸς qui Athanasio hactenus tribuitur, de quo supra. Hic enim ὑπόστασιν cum persona confundit.

Cyrillus quoque tum multis in locis, tum in dialogo primo *de Trinitate*, hypostasim et οὐσίαν eodem, quo illi, modo sejungit, ac fuse discrimen istud explicat. Idem tamen in secundo *contra Nestorium* [2] ambigue hoc vocabulo utitur, ut nescias οὐσίαν, an πρόσωπον interpretari malis. Vide novæ editionis Græcolatinæ paginas 33 et 34. Ephræmius Antiochenus apud Photium [3] in eadem est sententia, cujus et fautores affert Basilium, Athanasium, Julium papam, et Cyrillum. Sed ut de Basilio et Cyrillo concedimus, sic de Athanasio, et Julio merito dubitamus, ut cum de φύσει agetur, paulo post exponam.

Usiam an personam.

Natura.

Tum Eulogius Alexandrinus apud eumdem Photium [4], ubi late de hoc argumento disserit. Necnon Maximus [5] martyr, pene omnibus in libris, quibus Monothelitas, et Acephalos, Arianosve confutavit. Anastasius Sinaita, in Ὁδηγῷ. Joannes Damascenus [6] ubique fere. Leontius libro *de Sectis*. Theodorus Abucara [7], Theodorus Hagiopolitanus, Theorianus in *Legatione ad Armenos*, Euthymius in *Panoplia*, Thalassius Monachus [8], Demetrius Cydonius libro *de Processione Spiritus sancti*, Manuel Calecas, auctor sermonis *de Sancta Deipara* qui inter opera Athanasii [9] exstat. Idem et de Græcis testatur Augustinus libro V *de Trinitate,* capite VIII. Et Boetius libro *de Duabus naturis*, ait Græcos ita loqui solitos : « Usiæ in generalibus esse possunt; in particularibus solis subsistunt. »

Ex Græcorum itaque theologorum concordi opinione liquet, οὐσίαν idem esse cum natura, et essentia rei cujusque, et eam pluribus esse communem, ὑπόστασιν autem eamdem illam esse, sed proprietatibus definitam, et uni alicui affixam individuo, sive individuum ipsum ex usia, et proprietatibus conflatum. Quæ proprietates an sint accidentia mera, postea considerandum erit *.

a Isid. Pelus. Ἡ μὲν γὰρ ταυτότης τῆς φύσεως, ὑποστάσεσι διαιρεῖται· ἡ δὲ τῶν ὑποστάσεων ἰδιότης, εἰς μίαν οὐσίαν συνάπτεται.

b Chrysost. Ἐνταῦθα γὰρ τὸ ἀπαράλλακτον δεικνὺς τοῦτό φησι, καὶ πρὸς τὸν ἰδιάζοντα χαρακτῆρα τοῦ πρωτοτύπου παραπέμπων σε, καὶ διδάσκων ὡς ἐν ὑποστάσει ἐστὶ καθ' ἑαυτόν. Amphil. Διττὸς τὴν οὐσίαν, οὐ διττὸς τὴν ὑπόστασιν.

c Amphiloch. apud Damasc. *in Eclog.* cap. I. Ὁ μὴ ὁμολογῶν τρεῖς ὑποστάσεις ἐν μιᾷ οὐσίᾳ· (οὐχ ἑτέραν δὲ λέγω οὐσίαν παρὰ τὴν θεότητα· οὐχ ἑτέραν δὲ θεότητα παρὰ τὴν οὐσίαν· ἀλλὰ διὰ τὸ οὕτως ἀκριβοῦν οὐσίαν καλοῦμεν, ἵνα μὴ ἄλλο καὶ εἶδος εἴπωμεν τῆς θεότητος, τῆς τριάδος κρυπταζομένης) ὁ τοιοῦτος ῥᾳδιουργεῖ.

d Theodoret. Τὴν γὰρ ὑπόστασιν, καὶ τὸ πρόσωπον, καὶ τὴν ἰδιότητα ταὐτὸν σημαίνειν φαμὲν, τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἀκολουθοῦντες.

* Paulo clarius ac distinctius explicabimus ambiguitatem vocis ὑπόστασις, quia Petavius noster non satis perspicue hic locutus esse videtur, nec ad fontem ipsum harum locutionum, hoc est ad philosophos ascendit. Apud Platonicos

1 In Ὁδηγῷ — 2 In II *contra Nestor.* — 3 Cod. 229, edit. Aug. — 4 Cod. 230 et seq. — 5 In Dial. I, qui Athan. tribuitur, et in Opusc. *cont. Monoth.* — 6 Ut in lib. I et III *de Fide* et in *Dialect.* cap. V lib. *de Duabus volunt.* — 7 Opusc. II. — 8 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 9 In fine tom. II *Biblioth. Patrum. Græco-Lat.* Cent. IV, n. 88.

CAPUT II.

Quid sit φύσις, *cujus varia significatio traditur. Interdum pro hypostasi sumpta. De eo, quod est* πρόσωπον : *quemadmodum id a Sabellio intellectum sit. Rursus de* ὑποστάσει, *et* ἐνυποστάτῳ. *Tum de* ὑπάρξει, *quæ interdum pro* οὐσίᾳ, *alias pro* ὑποστάσει *usurpatur. Quatenus voces istæ e Scripturis colligantur; fœdus error Socratis de Alexandrina synodo.*

Usiam cum hypostasi. I. Quemadmodum οὐσίαν cum ὑποστάσει capite antecedenti comparavimus ; ita hoc in *Naturam cum persona.* ipso φύσιν cum προσώπῳ.

Φύσιν Gregorius Nazianzenus minus pro- *Naturam. Usiam.* prie Deo convenire putat quam οὐσίαν. « Quam, (inquit de Patris, et Filii, ac Spiritus sancti loquens natura) recte quispiam *usiam* potius, *Naturam.* quam φύσιν appellet [a]. » Quod idem et Dionysium existimasse in capite secundo libri *de Divinis nominibus*, Maximus in *Scholiis* adnotavit. Nam Deum dixit « ad naturam usque pro sua benignitate descendisse, ac revera substantiam accepisse [b]. » Verum non magis *Naturam. Usiam.* φύσιν ablegavit a Deo, quam οὐσίαν. Ibi enim ὑπὲρ οὐσίαν, id est *supra omnem usiam*, et ὑπερούσιον, et ἁπάσης οὐσίας ἐξῃρημένον Deum esse dicit. Itaque videndum, an idcirco φύσιν potius, quam οὐσίαν a Deo removerint, quod φύσις ab eo, quod est φῦναι, id est *nasci*, deflexum sit, sicut *natura*, quod est *nasci ;* ut propterea Latini quidam hanc de Deo vetent usurpari, ut postmodum dicam. *Natura.* Item quod φύσις, ut ait Euthymius [1] in *Panoplia*, « etiam de iis, quæ non consistunt, dicitur ; ut cum dicimus *Usia.* talem esse mendacii naturam [c] ; » οὐσία vero non nisi de rebus existentibus. Est et alia *Natura.* causa, quod φύσις, ut docet Aristoteles, « principium est motus et quietis iis, in quibus primis inest, et non ex accidenti [2] : » In Deo vero motus est nullus.

Naturæ. II. Vox ista nihilominus φύσεως passim ab veteribus attribuitur Deo, ipsoque adeo Gregorio Nazianzeno. Ut in oratione XXXII ubi *Naturam.* τὸ ἄναρχον, *principii expers*, negat esse φύσιν *Principium.* Dei, sicut neque ἀρχήν. « Hæc enim, ait, circa naturam sunt, non natura ipsa [d]. » Porro, natura, inquit, tribus est una, Deus. » Et in epistola prima *ad Cledonium*, « Naturæ sunt duæ, Deus, et homo, quemadmodum et anima *De physeos i. e. naturæ vocabulo.* et corpus ; non tamen duo Filii, nec dii [e]. » Quinetiam Athanasius in libro *de Incarnatione Verbi*, sub finem, « Una est, inquit, natura Trinitas, et ideo unam usiam præsentes etiam synodi Apostolice præscribunt [f]. » Et Basilius, « Nullum est, inquit, nomen unum, quod totam Dei naturam complexum idonee possit efferre [g]. » Tum in calce libri ejusdem, τὸ τῆς φύσεως ἀπαράλλακτον, *naturæ sine ulla discre-*

a Naziánz. *ad Evagr.* Ἣν ἄν τις ὀρθῶς οὐσίαν μᾶλλον ἢ φύσιν καλοίη.

b Dionys. Ὅθεν ἐπειδὴ καὶ ἕως φύσεως ὑπὸ φιλανθρωπίας ἐλήλυθε, καὶ ἀληθῶς οὐσιώθη.

c Euthym. Ἡ μὲν οὐσία οὐδέποτε λέγεται κατὰ ἀνυπάρκτων· ἡ δὲ φύσις πολλάκις. φύσιν γὰρ, φησὶν, ἔχει τὸ ψεῦδος τοιαύτην.

d Nazianz. Περὶ γὰρ τὴν φύσιν, οὐ ταῦτα φύσις. Mox. Φύσις δὲ τοῖς τρισὶ μία, Θεός.

e Idem, orat. LI. Φύσις μὲν γὰρ δύο, Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος· ἐπεὶ καὶ ψυχὴ, καὶ σῶμα· υἱοὶ δὲ οὐ δύο, οὐδὲ θεοί.

f Athan. Ὅτι μία φύσις ἡ τριὰς, καὶ κατὰ τοῦτο μίαν οὐσίαν, καὶ αἱ νῦν σύνοδοι γράφουσιν Ἀποστολικῶς.

g Basil. Ἓν μὲν οὐδέν ἐστιν ὄνομα, ὃ πᾶσαν ἐξαρκεῖ τὴν τοῦ Θεοῦ φύσιν περιλαβὸν ἱκανῶς ἐξαγγεῖλαι.

ὑφιστᾶναι vel ὑποστῆναι duo significat, nimirum 1° Simpliciter *esse* vel *existere* 2° *per se esse*, seu *existere instar substantiæ*. Exempli causa, Plotinus *Enn.* V, lib. I, cap. III, docet in igne duplicem intelligendum calorem, unum qui in eo manet, neque effluit, alterum qui emittitur et quem vocat θερμότητα ὑφισταμένην, hoc est existentem seorsim ab igne, quanquam in re calefacta. Idem cap. VI, *de Mente* quærit πῶς ὑπέστη, *quomodo exstitit*, distincta nempe et substantiali existentia, qua per se est. Hinc factum ut ὑπόστασις duo etiam apud philosophos significet. 1° Existentiam abstracte consideratum, 2° deinde concrete substantiam existentem. Sic cap. VI de summo Deo ita loquitur : ἐξ ἑνὸς τοιούτου ὄντος, οἷον λέγομεν ἓν εἶναι, ὑπόστασις ἔσχεν ὁτιοῦν, *ex uno tali ente, quale unum esse dicimus, existentiam quidvis habet*. In eadem disputatione, sæpius occurrit eo sensu, exemplaque alia invenire licebit apud Guil. Budæum, in comment. Linguæ Græcæ. At ὑπόστασις significat etiam *substantiam* ipsam existentem apud Plotinum. Sic lib. I. *Enn.* VII, inscribitur περὶ τῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, hoc est, *de tribus principalibus substantiis*. Vide et Budæum. Antiquiores tamen Patres ὑπόστασιν et οὐσίαν perpetuo ferme miscent, at recentiores maluerunt voce ὑπόστασις exprimere abstractam existentiam, aut etiam rem consideratam quasi aliter existentem, quamvis similis essentiæ. Nisi hæc diligenter distinguantur, consentire videbuntur qui dissentiunt, dissentire e contrario ii inter quos convenit, ut postea etiam videbimus si caput III attentius legatur. T. AL.

1 Part. I, tit. II. — 2 Lib. II *Phys.* cap. I — 3 Orat. LI. — 4 Lib. I *con. Eun.*

pantia unitatem, et τῆς φύσεως οἰκειότητα *naturæ conjunctionem*, Patrem inter et Filium appellat.

Naturam. Non minus Basilii germanus frater Gregorius Nyssenus φύσιν divinitati tribuit. Nam adversus Eunomium disserens, hunc ait hæreticum « bonam Patris naturam eripere Filio [a]. » Et subinde eumdem redarguens, « Hi sunt, inquit, qui hoc ipso, quod affirmant, non illum esse id, quod est natura genitoris, congruos ei se honores deferre simulant [b]. » Sic in libro quarto ἄκτιστον φύσιν, *increatam naturam* nominat, et θείαν φύσιν, *divinam naturam;* atque alibi passim eo nomine utitur, ut et cæteri fere.

Usiam et naturam. Joannes Damascenus in *Dialectica* refert « externos philosophos inter οὐσίαν et φύσιν hanc differentiam ponere, quod οὐσία significet simpliciter esse; φύσις vero usiam a substantialibus differentiis in certa specie constitutam; adeo ut, præterquam quod est simpliciter, habeat etiam, ut taliter sit [c]. » Ejusmodi esse infimam, quam vocant, speciem, ut angelum, hominem. Verum « sanctos Patres, hoc omisso discrimine, commune illud, quod de multis dicitur, sive speciem, quam specialissimam vocant, appellare speciem, usiam, et naturam, et formam, ut sunt angelus, homo, equus, canis, et id genus alia. Nam *usia* ab eo, quod est εἶναι, dicitur, et φύσις, ab eo, quod est πεφυκέναι. » Idem sunt autem εἶναι et πεφυκέναι.

Einai. physis. Pephukenai. Einai et pephukenai. Naturam.

Anastasius quoque Sinaita φύσιν ex usu catholicæ Ecclesiæ scribit esse veram rei alicujus exstantiam. Siquidem φύσει, id est *natura*, hoc ab Apostolo esse dicitur, quidquid est revera, non specie tenus apparet, ut sit τὸ τῶν πραγμάτων ἐνούσιον, *essentia rerum*. Addit et φύσιν dici ἀπὸ τοῦ πεφυκέναι, et οὐσίαν, quasi οὖσαν, et ambo promiscuo in usu versari. Ergo φύσιν, οὐσίαν, et ὕπαρξιν pro eodem usurpat; cum tamen philosophi οὐσίαν idem esse atque ὕπαρξιν velint, φύσιν autem ab ea diversam. Itaque in catholicorum Patrum usu Damascenus cum Anastasio concordat. Sed quod externos philosophos ait Damascenus οὐσίαν nihil aliud credidisse, quam ὕπαρξιν simplicem, vereor ut obtinere possit. Etenim οὐσίαν in capite antecedenti demonstravimus, ab Aristotele, aliisque vulgo philosophis, maxime propria notione individuam ac determinatam substantiam significare.

Auctor lib. *de Definitionibus* [2], qui Athanasii operibus adjunctus est, eadem de φύσει et οὐσίᾳ cum Damasceno, et Anastasio perhibet, nec ambas differre invicem; et uberrime de illarum vocum notione disserit. Necnon Theorianus in *Legatione ad Armenos*.

III. Quocirca duæ sunt usitatæ significationes τῆς φύσεως: altera, ut sit idem cum οὐσίᾳ, ut apud Latinos *natura*, et *essentia*, atque hoc modo passim usurpatur: altera ut sit id, quod reipsa, non opinione, aut specie tenus exstat. Ut cum Paulus dicit: *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis* [3]. Et in epistola *ad Ephesios: Et eramus natura filii iræ* [4]. Atque ita Cyrillus φύσεως, et φυσικοῦ nominibus utitur, dum quod in tertio *Anathematismo* dixerat, φυσικὴν ἕνωσιν, id est *naturalem unitionem* esse duarum in Christo substantiarum, ab Orientalibus reprehensum ita defendit: « Quod si dicamus naturalem unitionem, veram intelligimus, cum ita vocem hanc usurpare divina Scriptura consueverit. Scribit enim alicubi sanctus Apostolus: *Et eramus natura filii iræ*, » ut et cæteri. *Naturæ et naturalis.*

Sic Epiphanius in hæresi *Anomæorum*,

a Nyssen. in fine libri III *cont. Eun.* Ὁ τῆς ἀγαθῆς φύσεως τοῦ πατρὸς ἀφανίζων.

b Mox: Οὗτοί εἰσιν οἱ διὰ τοῦ μὴ εἶναι αὐτὸν λέγειν ὅπερ ἐστὶν ἡ τοῦ γεννήσαντος φύσις, τιμᾷν προσποιούμενοι ταῖς καθηκούσαις τιμαῖς.

c Damasc. Οἱ μὲν ἔξω φιλόσοφοι κατὰ τὸν προλελεγμένον λόγον διαφορὰν εἶπον οὐσίας καὶ φύσεως, οὐσίαν μὲν εἰπόντες, τὸ ἁπλῶς εἶναι· φύσιν δὲ, οὐσίαν εἰδοποιηθεῖσαν ὑπὸ τῶν οὐσιωδῶν διαφορῶν, καὶ μετὰ τοῦ ἁπλῶς εἶναι, καὶ τὸ τοιῶς δὲ εἶναι ἔχουσαα.

d Idem. Οἱ δὲ ἅγιοι πατέρες παρεάσαντες τὰς πολλὰς ἐρεσχελίας, τὸ μὲν κοινὸν, καὶ κατὰ πολλῶν λεγόμενον, ἤγουν τὸ εἰδικώτατον εἶδος οὐσίαν, καὶ φύσιν, καὶ μορφὴν ἐκάλεσαν, οἷον ἄγγελον, ἄνθρωπον, ἵππον, κύνα, καὶ τὰ τοιαῦτα· καὶ γὰρ καὶ ἡ οὐσία παρὰ τὸ εἶναι λέγεται· καὶ ἡ φύσις παρὰ τὸ πεφυκέναι· τὸ δὲ εἶναι καὶ πεφυκναι ταὐτέόν ἐστι.

e Anast. Καὶ φύσις μέν ἐστι κατὰ τὸ φρόνημα τῆς ἐκκλησίας ἀληθὴς πράγματος ὕπαρξις.

f Paulus. Ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες θεὸν, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς.

g Idem. *ad Eph.* Καὶ ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς.

h Cyril. *in Defens. anath.* III. Εἰ δὲ δὴ λέγομεν φυσικὴν τὴν ἕνωσιν, τὴν ἀληθῆ φαμεν, ἔθος ἐχούσης τῆς θεοπνεύστου γραφῆς οὕτω κεχρῆσθαι τῇ λέξει. γράφει γάρ πύ τισιν ὁ θεσπέσιος Παῦλος· καὶ ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς, ὡς καὶ οἱ λοιποί.

* Addit et *Physin* (naturam) dici a *pephukenai*, et *usiam* quasi usam (existentem) et promiscue in usu versari. Ergo *naturam, usiam, exstantiam* pro eadem usurpat, cum tamen philosophi *usiam* idem esse atque *exstantiam* velint, *naturam* autem ab ea diversam. J.-B. F.

1 Cap. xxx. — 2 In Ὁδηγῷ. — 2 Tom. II Oper. Athan. — 3 *Gal.*, IV 8. — 4 *Eph.* II, 3. —

Aetium appellans[1] « Quoniam, inquit, vere nunquam illum possedisti, quod ad timorem, fidem, spem et charitatem in illum[a]. »

Pachomius quidam monachus in libello *De dogmatibus*, « Natura, inquit, est generalis res, quæ comprehendit hypostases sibi subjectas. Vel, natura est vera rerum existentia[b]. »

Est et alia, præter duas istas, φύσεως significatio, qua pro hypostasi, sive persona sumitur; quæ ut infrequentior est, sic exemplis aliquot illustranda videtur. Imprimis Alexander episcopus Alexandrinus[2] in epistola *ad Alexandrum Constantinopolitanum:* « Cujusmodi est, inquit, *Ego et Pater unum sumus;* quod Dominus ait, non ut Patrem se esse pronuntiaret, neque ut duas hypostasi naturas unam esse declararet[c]. » Hic φύσεις appellat hypostases, sive personas sanctæ Trinitatis[b]. Et paulo post, de Deo et creaturis loquens, « Inter quæ unigenita, inquit, interveniens natura, per quam universa de nihilo fecit Pater Dei Verbi, quæ ex ipso existente generata est[d]. »

Naturas.

Cyrillus[3] vero sæpissime nomine φύσεως pro hypostasi abusus est. Ut in libro tertio *contra Nestorium*, « sed forte, inquit, objiciet aliquis : Quomodo illa sancta et adoranda Trinitas in tres hypostases distinguitur, et unam tamen deitatis, absolvit naturam? Quoniam, dixerim ego, eadem essentia, quæ necessario consequitur naturarum differentiam in unam deitatis naturam, fidelium mentem revocat[e]. » Qui locus mirificus est. Nam et φύσιν triplicem in Deo, et propter eamdem οὐσίαν, singularem constituit.

Naturam.

Et in dialogo secundo *de Trinitate*, « Filium ait propriæ naturæ pulchritudinem ostendere[f], » eodem loquendi genere, quo subinde ἰδίαν ὕπαρξιν, *propriam exstantiam* dixit, et, « manifestam, ac minime confusam trium hypostaseon in propriis exstantiis proprietatem conservandam esse[g]. » Quanquam ibidem *unam et consubstantialem* appellat *omnium reginam naturam.*

IV. Eodem spectat et celebris illa, ac tot tantisque de inde contentionibus agitata Cyrilli ejusdem sententia in epistola prima *ad Successum* : In Christo Domino « unam esse Dei Verbi incarnatam naturam[h] ; φύσιν enim ibi pro ὑποστάσει, sive *persona* sumpsisse Cyrillum, enixe probat Ephræmius Antiochenus patriarcha apud Photium[4]. Atque idem usurpasse Athanasium, et Julium Romanum pontificem affirmat; illum quidem in epistola *ad Julianum*, (corrige *Jovinianum*) imperatorem; hunc vero in epistola ad eos scripta, qui divini Verbi incarnationem oppugnabant. Sed epistola utraque falsa est, et supposititia. Nam apud Athanasium[5] in epistola, quæ exstat, *ad Jovinianum* nihil tale legitur. Et Leontius libro *de Sectis*, actione octava, negat dictum illud esse Athanasii, quod ex oratione quadam perbrevi citabant hæretici, ei, quod Ephræmius affert, simile, quatenus « unam in Christo dicit esse naturam incarnatam. » Idem etiam Julii papæ epistolam illam non Julii esse, sed Apollinaris hæretici confirmat ex Gregorii Nysseni testimonio, qui in libro *contra Apollinarem* multa ex epistola ista, tanquam ab Apollinari scripta, commemorat ac refellit. Denique primum omnium e sanctis Patribus eo genere usum esse loquendi Cyrillum asserit, quod sæpius Apollinaris usurpaverat, μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην. Atqui Cyrillus ipse contrarium docet, qui Patres ante se similiter esse locutos ait. Joannes porro Damascenus[6] Cyrilli verba explicans, φύσιν ibi non putat ὑπόστασιν significare, sed naturam communem in una aliqua conside-

Natura pro hypostasi.

Unam naturam. Dei Verbi incarnatam

Naturam... hypostasim.

a Epiph. Ἐπειδὴ φύσει κατὰ τὸν αὐτοῦ φόβον, καὶ πίστιν, καὶ ἐλπίδα, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀγάπην, οὐδέ ποτε αὐτὸν ἐκτήσω.

b Pachom. Φύσις μὲν οὖν ἐστι, τὸ καθολικὸν πρᾶγμα, καὶ περιεκτικὸν τῶν ὑπ' αὐτὴν ὑποστάσεων. ἢ φύσις ἐστὶν ἀληθὴς πραγμάτων ὕπαρξις.

c Alexand. Οἷόν ἐστι τὸ ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· ὅπερ φησὶν ὁ κύριος, οὐ πατέρα ἑαυτὸν ἀναγορεύων, οὐδὲ τὰς τῇ ὑποστάσει δύο φύσεις μίαν εἶναι σαφηνίζων.

d Ibid. Ὧν μεσιτεύουσα φύσις μονογενὴς, δι' ἧς τὰ ὅλα ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν ὁ πατὴρ τοῦ θεοῦ λόγου, ἣ ἐξ αὐτοῦ ὄντος πατρὸς γεγέννηται.

e Cyril. Ἀλλ' ἴσως ἐρεῖ τις, πῶς ἡ ἁγία, καὶ προσκυνουμένη τριὰς διορίζεται μὲν εἰς τρεῖς ὑποστάσεις, μίαν δὲ θεότητος ἀποτελεῖ φύσιν; ὅτι ἂν τῇ τῶν φύσεων διαφορᾷ τὸ ταὐτὸν εἰς οὐσίαν ἀναγκαίως ἑπόμενον, εἰς μίαν θεότητος ἀνακομίζει φύσιν τῶν πιστευόντων τὸν νοῦν.

f Cyr. dial. II. Τὸ τῆς ἰδίας φύσεως ἐκφαίνοντα κάλλος.

g Ibid. Οὕτω τε σαφῆ, καὶ ἀσύγχυτον τὴν τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν ὑπάρξεσιν ἰδικαῖς ἰδιότητα τηρῶν, μίαν τε καὶ ὁμοούσιον τὴν ἁπάντων βασιλίδα προσκυνήσεις φύσιν.

h Cyril. ep. I *ad Suc.* Ἀλλ' ἕνα φαμὲν υἱὸν, καὶ, ὡς οἱ πατέρες εἰρήκασι, μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην.

1 In Conf. v. — 2 Apud Theod. lib. I *Hist.* cap. III. — 3 Cap. VI edit. Rom. — 4 Cod. 238 et cod. 239. — 5 Tom. I Ath. — 6 Libr. III, cap. XI.

ratam hypostasi, ac Leontium Byzantinum suffragatorem adhibet, qui perinde φύσιν a Cyrillo non ὑπόστασιν, sed essentiam illic appellari voluit. Quæ opinio fit eo verisimilior, quod cum Græci plerique Christi ὑπόστασιν σύνθετον, id est *compositam* esse dicant, negent tamen iidem φύσιν esse σύνθετον, et qui hoc asserebant, Eutychianos, ac Monothelitas acerrime refutabant; de quo alias dicetur.

Natura esse compositam.

Agit hac de re, et vocabulo φύσεως pluribus Anastasius Sinaita [1] in Ὁδηγῷ. Ubi Aristotelem Græcosque reliquos philosophos φύσιν pro persona, et personam pro φύσει usurpare scribit, idque Ario, Severo, ac cæteris hæreticis fraudi fuisse. Ac deinde [2] latius probat, φύσιν a Patribus aliter sumi, ut sit οὐσία, sive *essentia;* potissimum a Cyrillo, cujus in decimo capite multa loca profert[3], in quibus πρόσωπον significare nullo modo potest.

Naturæ. Odego. Naturam. Natura. Naturam. Personam.

Ad extremum illud observabimus, Gregorium Nazianzenum videri posse φύσιν pro hypostasi posuisse in quodam versu, ubi de Filio loquens, *natura,* inquit, *genitori æqualis*[a]. Nisi quemadmodum Cyrillum Damascenus interpretatur, φύσιν illic naturam intelligat divinam, qua in una persona subsistit, quomodo capitur in iis loquendi formulis *Deus de Deo, Deus æqualis est Deo.* Non enim dii sunt propterea duo, sed una, eademque natura significatur in distinctis personis subsistens, ac diversis affecta proprietatibus.

Naturam. Naturam.

Solet interdum et εἶδος vocabulum pro φύσει, vel οὐσίᾳ poni; ut ab Athanasio in libro *de Synodis,* ubi «non esse duos idcirco deos, ait, quod una sit species divinitatis[b].» Sane Cyrillus in dialogo VII *de Trinitate* φύσεως nomen duplici notione accipit, tam pro natura, quam pro supposito, paucis adeo in versibus : « Cum et in unaquaque persona totam dicit intelligi φύσιν una cum eo quod proprium est, videlicet secundum hypostasim, et manere unamquamque trium personarum hoc ipsum, quod est, naturali cum cæteris unione, quas in propria natura possidet[c].»

Species... natura... usiæ. Naturæ. Naturam.

V. Sequitur id, quod ad φύσιν adjungere proposuimus, προσώπου nomen, quod sine ulla controversia particularem, et individuam, minimeque communem pluribus, ac per se subsistentem rem indicat; neque ut hypostasis, pro natura vel essentia capitur aliquando. Ea porro vox, ut et apud Latinos *persona,* complexionem quamdam proprietatum, vel qualitatum animi, corporisque significat, ac rerum insuper externarum, velut fortunarum, patriæ, generis; cujusmodi attributa, et circumstantiæ sunt, quibus unus aliquis homo ab quovis alio discernitur. Sic enim ἄτομοι, et *individuæ* substantiæ communibus subjectæ formis, cum in natura, et essentia conveniant, variarum conditionum, qualitatumque concursu a se invicem separantur. Atque hæc ipsa vocabula πρόσωπον, et *personam* a theatris esse translata scribit Boetius [4]. Ibi enim personæ dicuntur ludii, et histriones, qui eos, per quos actæ, celebratæque sunt fabulæ, specie ipsa, imitationeque referunt; ac multiplices illas, quas dixi, proprietates, qualitatesque singulorum, quam proxime licet, adumbrare conantur, cum gestu ipso corporis, et habitu, tum oris conformatione, figuraque membrorum; quam larvis circumpositis, quæ et personæ dictæ sunt, olim propius assimulasse dicuntur, quod capite tertio rursus explicabitur. Hoc si sensu *persona* capiatur, licet eumdem hominem plures vicissim suscipere personas, modo regis, ac principis, modo servi, divitis item, aut mendici; ut cum eadem sit illius cum hypostasis, tum natura, varia sit, ac dissimilis persona. In quo Sabelliani quondam calumniandi latebram invenerunt; qui cum unam prorsus et singularem divinitatis οὐσίαν, et ὑπόστασιν esse vellent, tamen προσώπων, et personarum varietatem assumi nonnunquam ab illa sentiebant. Nam eumdem aiebant Deum, hoc est unicam hypostasim alias pro Patre se gessisse, alias Filii, vel Spiritus sancti personam, sive speciem induisse.

Personæ. De personæ vocabulo. Usiam et hypostasim. Personarum.

VI. Testis est hujus rei Basilius; qui Antiochenos Paulini episcopi partiarios redarguens, quod hypostases tres negarent, ac personas tantummodo plures admitterent, idem ait docuisse Sabellium, nimirum « unum hypostasi esse Deum, sed ei varias ab Scriptura personas accommodari pro usus, ac negotii, quod identidem gerebatur, propria conditione: adeo ut modo Patri congruentes sibi voces

a Nazianz. carm. II *Arcan.* Φύσις γεννήτορος ἴση.
b Athan. lib. *de Syn.* Ὥστε διὰ τοῦτο μὴ λέγειν δύο θεοὺς, ἀλλ' ἕνα θεὸν, ἑνὸς ὄντος εἴδους θεότητος.
c Cyril. dial. VII. Ὥστε καὶ ἐν ἑκάστῳ τὴν ὅλην νοεῖσθαι φύσιν, μετὰ τοῦ προσεῖναι, καὶ τὸ ἴδιον αὐτοῦ· δῆλον δὲ ὅτι τὸ κατ' ὑπόστασιν. μένει γὰρ ἕκαστον τοῦθ' ὅπερ ἐστὶν ἑνώσει τῇ πρὸς τὰ ἕτερα φυσικῇ, κἀκεῖνα πλουτοῦν ἐν ἰδίᾳ φύσει.

1 Cap. vi. — 2 Cap. vi. — 3 Anast. in Ὁδηγῷ, cap. x. — 4 Lib. *de Duabus nat. et una pers. Chr.*

assumat; quoties istiusmodi persona opus est: modo Filio consentaneas, quando ad rerum nostrarum procurationem, aut alias dispensatorias functiones sese demittit: modo denique Spiritus sancti personam induat, cum ex ejusmodi persona profectas tales voces tempus exegerit. Quod si etiam apud nos inveniantur aliqui, qui unum esse subjecto Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum asserant, perfectas vero personas tres fateantur; nonne manifestam, et invictam demonstrationem afferre videbuntur, ut hæc, quæ de nobis jactantur, vera esse confirment [a]? » Et epistola CCCXCI: « Qui, inquit, usiam, et hypostasim idem esse statuunt, coguntur personas tantummodo fateri esse diversas, et in eo ipso, quod hypostases tres dicere verentur. Sabellii impietatem non videntur effugere, qui et ipse passim propriam notionem confundens, personas distinguere conatur, unam et eamdem hypostasin affirmans, pro eo atque res tulerit, varie transformari [b]. » Idem et Gregorius Nazianzenus testatur in calce orat. XXI, quæ est *in Sanctum Athanasium*; eos, qui personas tres profiterentur, Sabellianæ insimulatos esse perfidiæ, Arianæ autem eos, qui hypostases tres agnoscerent. Igitur Sabellius τρία πρόσωπα, sed ἀνυπόστατα constituit, hoc est personas tres, quæ per se distinctæ non existerent, vel subsisterent, ac sola specie, adumbrationeque constarent. Ex adverso vero catholici, non personas utcumque tres, sed τρία ἐν ὑποστάσει πρόσωπα, vel ἐνυπόστατα profitebantur, sicque ad προσώπων, ac *personarum* vocabula, hypostaseon insuper trium adjungenda esse nomina pugnabant. Est enim ὑπόστασις, id quod non longe ante significavi, solidum aliquid, quod re ipsa exstet, non specie tenus appareat. Proinde ὑπόστασιν habent, et ἐνυπόστατα dicuntur, quæ ad hunc existunt modum; e contrario autem ἀνόπόστατα, quæ in se, vereque talia non sunt, qualia videntur, sed fictam, et imitatricem habent verorum imaginem. Ita Plotinus[1] φωνάς πραγμάτων ἀνυποστάτων appellat *voces rerum non exstantium*, quibus nihil subest solidi. Et Gregorius Nyssenus lib. I *contra Eunomium*, aranearum telas « speciem habere texturæ dicit, at nihil in iis esse, quod exstet revera. Et qui tetigerit, nihil subsistens, ac solidum attinget [c]. »

Tres in subsistentia personas, vel tria subsistentia.

Hypostasis.

Hypostasim. Subsistentia.

Insubsistentia.

Hypostaseos

VII. Non alio sensu nomen ὑποστάσεως Apostolus posuit in epistola *ad Hebræos*[2], ubi fidem definit *sperandarum rerum substantiam*[d]. Quod ita declarat Chrysostomus[3]: « Nam quia quæ spe præcipiuntur, non videntur exstare, fides ipsis exstantiam tribuit, vel potius non tribuit, sed ipsa est earum essentia. Velut resurrectio mortuorum nondum advenit, neque adhuc in exstantia est, sed spes (*forte* fides) illam in anima nostra subsistere facit[e]. » Et Theodoretus fidem ait « monstrare tanquam subsistentia, quæ nondum facta sunt[f]. » Tum pulchre Œcumenius ad eumdem locum, « Fides, inquit, est ipsa substantia, et usia, id est essentia vel extantia rerum, quæ sperantur. Nam quoniam ea, quæ in spe sunt, non habent exstantiam, ut quæ nondum sint præsentia, fides est velut essentia quædam ipsorum, et substantia, dum esse illa, et adesse quodammodo efficit eo ipso, quod esse creduntur[g]. » Siquidem « certa illa persuasio dubitationis expers, quod nondum tempore præsens est,

a Basil. ep. CCCXLIX. Ἕνα μὲν εἶναι τῇ ὑποστάσει τὸν θεὸν, προσωποποιεῖσθαι δὲ ὑπὸ τῆς γραφῆς διαφόρως, κατὰ τὸ ἰδίωμα τῆς ὑποκειμένης ἑκάστοτε χρείας. καὶ νῦν μὲν τὰς πατρικὰς ἑαυτῷ περιτιθέναι φωνὰς, ὅταν τούτου καιρὸς ᾖ τοῦ προσώπου· νῦν δὲ τὰς υἱῷ πρεπούσας, ὅταν πρὸς τὴν ἡμετέραν ἐπιμέλειαν, ἢ πρὸς ἄλλας τινὰς οἰκονομικὰς ἐνεργείας ὑποβαίνῃ· νῦν δὲ τὸ τοῦ πνεύματος ὑποδύεσθαι προσωπεῖον, ὅταν ὁ καιρὸς τὰς ἀπὸ τοιούτου προσώπου φωνὰς ἀπαιτῇ. ἐὰν οὖν καὶ παρ' ἡμῖν φανῶσί τινες ἓν τῷ ὑποκειμένῳ πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα λέγοντες, τρία δὲ πρόσωπα τέλεια ὁμολογοῦντες, πῶς οὐχὶ σαφῆ, καὶ ἀναντίῤῥητον δόξουσι παρέχεσθαι τὴν ἀπόδειξιν τοῦ ἀληθῆ εἶναι τὰ λεγόμενα περὶ ἡμῶν;

b Idem. ep. CCCXCI. Οἱ δὲ ταὐτὸν λέγοντες οὐσίαν, καὶ ὑπόστασιν, ἀναγκάζονται πρόσωπα μόνον ὁμολογεῖν διάφορα, καὶ ἐν τῷ περιίστασθαι λέγειν τρεῖς ὑποστάσεις, εὑρίσκονται μὴ φεύγοντες τὸ τοῦ Σαβελλίου κακὸν, ὃς καὶ αὐτὸς πολλαχοῦ συγχέων τὴν ἔννοιαν, ἐπιχειρεῖ διαιρεῖν τὰ πρόσωπα, τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν λέγων πρὸς τὴν ἑκάστοτε παρεμπίπτουσαν χρείαν μετασχηματίζεσθαι.

c Greg. Nyss. Σχῆμα τοῦ ὑφάσματος· ὑπόστασις δὲ οὐκ ἔστιν ἐν τῷ σχήματι. ὁ γὰρ ἀψάμενος, οὐδενὸς ὑφεστῶτος ἅπτεται.

d Paulus. Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις.

e Chrys. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ ἐν ἐλπίδι ἀνυπόστατα εἶναι δοκεῖ, ἡ πίστις ὑπόστασιν αὐτοῖς χαρίζεται· μᾶλλον δὲ οὐ χαρίζεται, ἀλλ' αὐτό (for. αὐτή) ἐστιν ἡ οὐσία αὐτῶν. οἷον ἡ ἀνάστασις οὐ παραγέγονεν, ἀλλ' ἡ ἐλπὶς, (for. πίστις) ὑφίστησιν αὐτὴν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ψυχῇ.

f Theodoret. in ep. *ad Hebr.* Καὶ δείκνυσιν ὡς ὑφεστῶτα τὰ μηδέπω γεγενημένα.

g Œcum. Πίστις ἐστὶν αὐτὴ ἡ ὑπόστασις, καὶ οὐσία

1 *Enn.* VI, lib. VIII, cap. VII. — 2 Cap. XI. — 3 Hom. XXI in epist. *ad Hebr.*

tanquam si jam adesset, cogitationi nostræ exhibet, et quæ expectantur, pene sub aspectum perducit [a], » ut ait Proclus in epistola *ad Armenos*. Et Hugo Victorinus [1], necnon suppositititius Beda in Boetium *de Trinitate* : « quia per fidem in nobis subsistunt speranda. Ea enim nos facit sperare, quæ non videntur. »

Hypostaseos Ad hanc ὑποστάσεως significationem respexit Cyrillus in libro primo *contra Julianum*, cum de Patre, et Filio, ac Spiritu sancto loquitur : « Nihilominus, etsi subsistit singillatim unaquæque personarum illarum, existens revera id, quod esse dicitur, consubstantialis ipsa ratio, in indifferentem illas naturam colligit[b]. » Hic enim rationem vocabuli τῆς ὑποστάσεως tacite reddit, cum ideo singulas ait subsistere, quia reipsa id sunt, quod esse dicuntur. Hinc, opinor, explicandum illud est, quod Epiphanius, ut supra memini, modo eamdem hypostasim tribus personis assignat, ut cum sanctissimam Trinitatem τῆς αὐτῆς δυνάμεως, τῆς αὐτῆς ὑποστάσεως, *ejusdem virtutis*, *ejusdemque hypostasis esse* scribit [2]; alias tres in illa hypostases agnos- *Hypostasim.* cit. Nam in priore loco ὑπόστασιν pro *exstantia*, et ὑπάρξει potuit usurpare. Id enim commune est tribus, ut verum ac solidum habeant existendi modum, neque sola specie, adumbrationeque constent.

Hypostasis. VIII. Præterea ὑπόστασις productionem rei alicujus, et exstantiam, atque in rerum naturam extra potestatem causarum emersionem, exitumque significat. Ita Gregorius Nyssenus[3] Eunomii verba illa perpendens, γεννηθῆναι τὴν οὐσίαν, *gigni usiam* priori vocabulo gignendi doceri ait, τὸ ἐκ τινός, *ex aliquo esse;* posteriori, τῆς οὐσίας intelligi τὸ ὑποκείμενον, *rem subjectam*, ᾧ ἐκ τοῦ τινός ἐστιν ἡ ὑπόστασις, *cui ab aliquo communicatur hoc ipsum, uti exstet*, et in rerum natura consistat. Ac paulo post, « Abelem ait generatione productum, Adamum sine generatione[c], » et utrobique verbo ὑποστῆναι utitur. Et in quinto libro, τὴν πρώτην τοῦ μονογενοῦς ὑπόστασιν nominat, *primam et divinam unigenæ Filii Dei productionem, et exstantiam*. Ut sit idem plane, quod ὕπαρξις. Unde Gregorius *Exstantia.* idem in libro *Catechetico* [4] ἀνυπαρξίαν opponit *Non exstantiam opponit usiæ.* οὐσίᾳ. Sic apud Epiphanium [5] Semiariani, qui hypostasis naturam recte, accurateque declarant, « proprietates personarum subsistentes, et existentes[d] » vocant. Et subinde, « subsistentis et existentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti proprietates personarum subsistentium hypostases appellant Orientales[e]. » Gregorius item Nyssenus alibi, « Unigeniti Filii e Patre ὑπόστασιν generationis, ait, vocabulo nuncupant[f]. » Quo sensu eamdem vocem plus semel usurpavit Alexander episcopus Alexandrinus in epistola sua[6]; qui, quod Esaiæ LIII, 8 scriptum est, *Generationem ejus quis enarrabit ?* explicans, ὑπόστασιν τοῦ θεοῦ λόγου posuit. Nam et Arius, ejusque socii in epistola, quam illi obtulerant, post execrandam illam blasphemiam, qua dicunt, « non fuisse, antequam fieret, » addiderant « eumdem sine tempore ante omnia genitum solum a Patre substitisse[g], » hoc est *productum fuisse*, sive οὐσιωθῆναι, Iidemque τρεῖς ὑποστάσεις, *tres hypostases* in Deo inesse asserunt, quod ex eorum mente idem erat, ac τρεῖς οὐσίας. *Tres usias.*

Athanasius quoque ὑπόστασιν pro ὑπάρξει in *Hypostasim pro exstantia.* oratione tertia posuit, cum ait, « omnia ex nihilo ὑπόστασιν habere[g]. » Et ante hos omnes *Hypostasim.* Dionysius Alexandrinus, et Antiocheni Patres, qui contra Paulum Samosatenum epistolas ediderunt.

τῶν ἐλπιζομένων πραγμάτων. ἐπειδὴ γὰρ τὰ ἐν ἐλπίσιν ἀνυπόστατά ἐστιν, ὡς τέως μὴ παρόντα, ἡ πίστις οὐσία τις αὐτῶν, καὶ ὑπόστασις γίνεται, εἶναι αὐτὰ, καὶ παρεῖναι τρόπον τινὰ παρασκευάζουσα διὰ τοῦ πιστεύειν εἶναι.

a Proclus : Τῆς ἀναμφιβόλου πληροφορίας τὸ μή πω παρὸν τῷ χρόνῳ ὡς ἐνεστὼς ἤδη, τῷ λογισμῷ ἐγχειριζούσης, καὶ σχεδὸν τὰ προσδοκώμενα ὑπ' ὄψιν ἀγούσης.

b Cyr. I *contra Jul.* Πλὴν εἰ καὶ ὑφεστήκασιν ἰδικῶς τῶν ὠνομασμένων ἕκαστον, τοῦτο ὑπάρχον κατὰ ἀλήθειαν, ὅπερ εἶναι καὶ λέγεται, ἀλλ' ὅ γε τῆς ὁμοουσιότητος λόγος εἰς ἀπαραράλλακτον αὐτὰ συναγείρει φύσιν.

c Gregor. Nyss. lib. V. Τοῦ τοίνυν Ἀβὲλ γεννητῶς ὑποστάντος, etc. Mox : Ἀγεννήτως τὸν Ἀδὰμ ὑποστῆναι.

d Epiph. hær. LXXIII, num. 17. Τὰς ἰδιότητας τῶν προσώπων ὑφεστώσας, καὶ ὑπαρχούσας.

e Mox : Ὑφεστῶτος τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου τὰς ἰδιότητας προσώπων ὑπεστώτων ὑποστάσεις ὀνομάζουσιν οἱ ἀνατολικοί.

f Nyss. XII *cont. Eun.* Καὶ τὴν ἐκ πατρὸς τοῦ μονογενοῦς ὑπόστασιν τῷ τῆς γεννήσεως διασημαίνουσι ῥήματι.

g Athan. ex Ario lib. *de Syn.* Οὐκ ἦν πρὸ τοῦ γεννηθῆναι, ἀλλ' ἀχρόνως πρὸ πάντων γεννηθεὶς μόνος ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπέστη.

h Athan. orat. III. Καὶ πάντων ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἐχόντων τὴν ὑπόστασιν.

1 In *Sum. sent.* tr. I, cap. I. — 2 Hær. LXXIV, n. 4. — 3 Lib. II *cont Eun.* — 4 Cap. XXI. — 5 Lib. XII *con. Eun.* — 6 Apud Theodor. libr. I, cap. III.

IX. Quocirca* vis, et notio τῆς ὑποστάσεως ad πρόσωπον adjuncta, plenam, absolutamque divinarum personarum significationem continet; cum aut ἐνυπόστατα πρόσωπα, aut ὑφεστῶτα dicuntur, vel ut Gelasius Cyzicenus ait [1], τρία πρόσωπα καθ' ὑπόστασιν ἀληθινὴν, *tres personas secundum veram exstantiam*; sive, ut Sophronius Hierosolymitanus in epistola *ad Sergium* Constantinopolitanum episcopum, quæ in actione XI, synodi sextæ legitur προσωπικαὶ ὑποστάσεις, *personales hypostases*. Quæ loquendi rationes indicant, personas illas, quas certarum concursus proprietatum, ac notarum efficit, *Suppositum.* non unum et simplex habere τὸ ὑποκείμενον, neque diversas solum ejusdem individui *functiones*, et ἐνεργείας, quibus appellationes variæ competant; ceu cum idem homo regis, ac servi militisve personam agere dicitur, ut visum est Sabellio, sed diversitatem illam, et multiplicitatem in subjecto esse revera, ac tria omnino ex se distincta, et subsistentibus proprietatibus separata consistere. Est** enim aliud ὑπόστασις, aliud ἐνυπόστατον, et ὑποστατικόν· Ενυπόστατον duobus modis intelligitur, ut ait Damascenus [2]; vel quod simpliciter existit in rerum natura, qua ratione non tantum subs- *Enypostata. Non exstantia.* tantiæ, sed etiam accidentia vocantur ἐνυπόστατα quibus opposita sunt τὰ ἀνυπόστατα, quæ non habent exstantiam, sed ficta sunt, et adumbrata; vel id dicitur, quod, etsi per se, solumque *Hypostasis.* non subsistit, neque est ὑπόστασις, non est tamen accidens, sed in hypostasi subsistit, tanquam ejus pars, aut quoquo modo ad illam pertinens, et unum aliquid in ea, et cum ea componens. Sic*** anima rationalis, vel materia in Petro non est ὑπόστασις, sed ἐνυπόστατος. At τὸ ὑποστατικὸν vel est ad οὐσίαν adjecta proprietas ὑπόστασιν complens, et efficiens, ut Damascenus idem docet; vel, ut Theodorus Abucara [3], idem quod ἐνυπόστατον.

Enhypostaton. Hypostaseos Atque hæc duplex τοῦ ἐνυποστάτου significatio ex totidem τῆς ὑποστάσεως notionibus oritur, quas supra declaravimus, secundum quas aut id esse dicitur, quod reipsa, non specie tenus exstat; aut id, quod per se subsistit. Neutro modo ex illis ambobus τὸ ἐνυπόστατον interdum *Enhypostaton.* Patres usurpant, sed ut idem sit, quod ὑπόστασις, *Hypostasis.* hoc est per se consistens substantia, non, ut accidens, inhærens alteri. Ita Chrysostomus, et Cyrillus usi sunt, et ante hos Dionysius Alexandrinus, ut postea pluribus exponam. Nam de vocabulis istis plenius erit agendum, eo quod maximarum rerum ex iis momenta pendent. Atque eodem etiam modo dici ostendemus, τὸ ἀνυπόστατον *id, quod per se non subsistit*, etsi verum sit.

X. Quamvis autem ὑπόστασις, et πρόσωπον ex *Hypostasis et persona.* communi usu theologorum idem reipsa significant, ratione tamen nonnihil distant, non solum, quia ὑπόστασις generale nomen est om- *Hypostasis.* nium, quæ per se extant, et subsistunt, *persona* vero solis ratione utentibus convenit; sed alia insuper ex causa, quam Theorianus in *Legatione* declarat. Nam**** ὑπόστασις res est *existens per se*, ac *substantiva*, ex οὐσίᾳ, et proprietatibus constans; πρόσωπον est eadem ὑπόστασις, « qua per actiones, et proprietates suas manifestum, et distinctum ab aliis ejusdem naturæ consortibus sui præbet indicium. Veluti Michael archangelus, quando cum diabolo contendebat de Mosis corpore, et cum divinas illas prædictiones aperiebat Danieli, unam se nobis personam ab reliquis angelis sejunctam esse monstrabat. Itaque notitia cujuspiam, quæ ex ejus efficientia nobis inest, docet nos ut personam idipsum nominemus, quod efficit. Atque hæc ab illa cognitione, quæ per sensus habetur, ad eam, quæ intelligentia fit, translata est appellatio. Quoniam enim singulos ex ea vultuum forma, quæ in unoquoque cernitur, ab reliquis hominibus discernimus per oculorum contuitum; ideo quod propriis actionibus, et proprietatibus ab iis, quæ sunt ejusdem substantiæ, separatur, personam vocavimus[a]. » Singulari quadam notione, et sane observatione digna, προσώπου vocabulum *Personæ.*

[a] THEORIAN. *in Legat.* Πρόσωπον δέ ἐστιν, ὃ διὰ τῶν οἰκείων ἐνεργημάτων τε καὶ ἰδιωμάτων ἀρίδηλον, καὶ περιωρισμένην τῶν ὁμοφυῶν αὐτοῦ παρέχεται τὴν ἐμφάνειαν· οἷον Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος, ὅτε τῷ διαβόλῳ διεκρίνετο περὶ τοῦ Μωϋσέως σώματος, καὶ ὅτε τὰς θείας ἐκείνας προῤῥήσεις ἐνέπτυσσε τῷ Δανιὴλ, ἓν πρόσωπον

* Quorcirca vis et notio *hypostaseos* ad *personum* adjuncta, plenam absolutamque divinarum personarum significationem continet. Cum aut *enhypostatæ personæ*, aut *hyphestotæ* dicuntur, etc.
J. B. F.

** Est enim aliud *hypostasis*; aliud *Enhypostaton*, et *hypostaticon*. *Enhypostaton*, etc.
J. B. F.

*** Sic anima rationalis, vel anima in Petro, non est *persona*, sed *enhypostata*. At *hypostaticum* vel est ad *usiam* adjecta proprietas *hypostasim* complens, et efficiens, ut idem Damascenus docet, vel ut Theodorus Abucara, idem quod *enhypostaton*.
J. B. F.

**** Nam *hypostasis* est res existens per se, et substantiva, ex *usia* et proprietatibus constans : *persona* est eadem *hypostasis* qua, etc.
J. B. F.

1 Lib. II *de Actis. Nic.* cap. XII. — 2 *Dialect.* cap. XLIV. — 3 Opuscul. XXIX.

Cyrillus Alexandrinus in primo libro *in Joannem* posuit, verba illa declarans : « *Et habitavit in nobis*. Omnes, inquit, eramus in Christo, et communis persona humanitatis in ipso reviviscit[a]. » Ibi πρόσωπον pro communi natura, et substantia certis, et naturalibus definita, ac designata proprietatibus sumpsit. Nec tam proprie nomen illic ὑποστάσεως conveniret. Nam hypostasis singulare aliquid, et individuum significat; πρόσωπον idem hoc, qua suis actionibus, et proprietatibus agnoscitur, et ab aliis secernitur. Quod si eædem proprietates, et actiones speciei sunt totius, potest et ad illam personæ nomen accommodari; ut si dicam, Christum ex humani generis persona aliquid egisse, dixisseve, utputa pendentem in cruce id, quod est in *Psalm*. XXI, pronuntiasse, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum*. Nam peccata omnium in sese hominum transtulit. Sed de προσώπῳ rursum postea dicam, cum *personæ* Latina vox exponetur.

Persona. — *Hypostaseos* — *Persona.* — *Personæ.*

XI. Sequitur ὑπάρξεως nomen, quod a Græcis theologis, itidem ut ὑπόστασις, varie acceptum legitur. Ac primaria quidem ejus notio *exstantiam* rei, sive, ut vulgo loquuntur, *existentiam* designat, ut apud Cyrillum, cum ait creatas res « effectione opificis ad exstantiam esse productas[b]. » Et dialogo V : « Ut enim transitum ad esse sortitæ sunt ab eo, per quem omnia, et non alterum habent opificem, nisi eum, per quem ad exstantiam producta sunt, quæ ad hoc ut essent vocata sunt[c], » ὕπαρξις ibi idem est, ac τὸ εἶναι, hoc est *esse*, quod pro *exstantia* ponere consuevit sanctus Thomas. Et in libro I *Commentariorum in Joannem* : « Locus enim velut est aliquis creatarum rerum, quem ratione consideramus, hoc ipsum aliquando non esse; a quo ad esse quodammodo transeuntes, alium jam locum in exstantia capiunt[d]. » Porro ut ὑπόστασιν ostendimus alias id, quod personis est commune, significare, id est οὐσίαν, sive φύσιν, alias id quod peculiare est, nempe proprium existendi modum; sic ὕπαρξις in utrumque cedit usum : imprimis οὐσίαν singularibus communem significat apud Athanasium in epistola *ad Africanos*[e], cujus verba capite superiori descripsimus; in quibus ὑπόστασιν, οὐσίαν, et ὕπαρξιν idem esse docuit. Et in lib. *de Salutari adventu Jesu Christi*, Christum hominem « ostendisse se, non in divisione personarum, sed in exstantia deitatis, et humanitatis. » Et paulo post : « Quodnam ex istis in homines beneficium redundavit, nisi identitate exstantiæ, et naturæ novitate visus est Dominus[f]? » Cyrillus etiam Alexandrinus in dial. *de Trin.*, « Contrariæ, inquit, nullo modo invicem sunt naturæ. Cœli autem exstantia, sive exstantiæ ratio cum aliis minime pugnabit[g]. »

Exstantiæ, Hypostaseo. — *De hyparxeos i.e. exstantiæ vocabulo.* — *Exstantia esse.* — *Essentiam sive naturam.* — *Exstantia.* — *Essentia.* — *Hypostasim essentiam et exstantiam.*

Joannes Damascenus in *Dialectica* scribit, philosophos exteros id, « quod est singulare, appellasse hypostasim; quod generalius est, et hypostases comprehendit, vocasse naturam; simplicem autem exstantiam, nominasse usiam[h]. » Quem locum postea declarare conabimur. Theorianus in *Legatione ad Armenos* non aliter ὕπαρξιν intellexit : « Quorum, inquit, una est natura, communis est ratio; quorum autem ratio communis est, et exstantia ipsa consubstantialis est[i]. » Sophro-

Exstantiam.

ἀποκεκειμένον τῶν λοιπῶν ἀγγέλων ὄντα ἡμῖν ἐδείκνυ. ἡ οὖν διὰ τῆς ἐνεργείας ἐγγινομένη τινὸς ἡμῖν γνῶσις, πρόσωπον τοῦτο αὐτὸ τὸ ἐνεργοῦν καλεῖν ἡμᾶς ἐκδιδάσκει. καὶ τοῦ ἐκ τῆς κατ' αἴσθησιν, γνώσεως, ἐπὶ τὴν κατ' ἔννοιαν μετήχθη τὸ ὄνομα. ἐπειδὴ γὰρ τοὺς καθ' ἕκαστον ἀνθρώπους ἐκ τῆς ἐπιφαινομένης ἑκάστῳ ἰδέας τῶν προσώπων, τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων διακρίνομεν, κατὰ τὴν ἐπιβολὴν τῆς ὁράσεως, τούτου χάριν καὶ τὸ δι' οἰκείων ἐνεργειῶν τε καὶ ἰδιοτήτων τῶν ὁμοουσίων διαιρούμενον, πρόσωπον ἐκαλέσαμεν.

a Cyr. I *in Joan.* Πάντες γὰρ ἦμεν ἐν Χριστῷ, καὶ τὸ κοινὸν τῆς ἀνθρωπότητος εἰς αὐτὸν ἀναβιοῖ πρόσωπον.

b Cyril. dial. II. Ἤγουν ἐνεργείᾳ δημιουργικῇ παρενεχθέντα πρὸς ὕπαρξιν.

c Idem. dial V. Ὥσπερ γὰρ τὴν εἰς τὸ εἶναι πάροδον, δι' οὗ τὰ πάντα διεκληρώσατο, καὶ οὐχ ἕτερον ἔχει δημιουργὸν τὸν δι' οὗ παρήχθη πρὸς ὕπαρξιν τὰ κεκλημένα πρὸς γένεσιν.

d Id. *in Joan.* Τόπος γὰρ ὥσπερ τίς ἐστι τοῖς γενητοῖς ἐπινοίᾳ θεωρούμενος τὸ μὴ εἶναί ποτε· ἀφ' οὗ δὴ τρόπον τινὰ πρὸς τὸ εἶναι βαδίζοντα, τόπον ἕτερον ἤδη τὸν ἐν ὑπάρξει λαμβάνει.

e Athan. *ad Afric.* Ἐπειδὴ καὶ φύσει ὅλη τοῦ λόγου ἐν ἐπιδείξει μορφῆς τῆς ἀνθρωπίνης σαρκὸς τῆς ὁρωμένης τοῦ δευτέρου Ἀδὰμ, οὐκ ἐν διαιρέσει προσώπων, ἀλλ' ἐν ὑπάρξει θεύτητος καὶ ἀνθρωπότητος.

f Id. Τίς δ' ἐν τούτοις ἀνθρώπων εὐεργεσία, εἰ μὴ ταὐτότητι ὑπάρξεως, καὶ φύσεως καινότητι ὤφθη ὁ κύριος;

g Cyril. Ἐναντίαι γὰρ οὐδαμῶς ἀλλήλαις αἱ φύσεις· οὐρανοῦ δὲ ὕπαρξις, ἤγουν ὁ τῆς ὑπάρξεως λόγος οὐ διαμαχεῖται τοῖς ἄλλοις.

h Damasc. in *Dial.* Ὥστε τὸ μὲν μερικώτερον ἐκάλεσαν ὑπόστασιν· τὸ δὲ καθολικώτερον, καὶ περιέχον τὰς ὑποστάσεις, ἐκάλεσαν φύσιν, τὴν δὲ ἁπλῶς ὕπαρξιν, ἐκάλεσαν οὐσίαν.

i Theorian. Ὧν μία φύσις, κοινὸς ὁ λόγος. ὧν δὲ κοινὸς ὁ λόγος, καὶ ἡ ὕπαρξις ὁμοούσιος.

nius in epistola *ad Sergium Constantinopolitanum*, « identitatem substantiæ, et cognationem exstantiæ [a] » pro eodem usurpat.

Exstantiam. XII. At vero ὕπαρξιν pro eo, quod est proprium, et singulare in unaquaque substantia, sæpius usurpatum videas. Ut a Basilio in epistola XLIII, dum ait « hypostasim propriam esse singulorum exstantiæ notam [b]. » Et in libro quarto *contra Eunomium*, *ingeniti* nomen, et hujus generis alia τῆς ὑπάρξεως esse propria dicit, non οὐσίας. *Exstantiæ. Essentiæ*

Sic in eadem illa epistola XLIII, quod Apostolus dixit, Filium esse χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως [1], exponit, ut sit χαρακτηρισμὸς τῆς ὑπάρξεως : hypostasim vero ibi non οὐσίαν, et communem essentiam interpretatur, sed peculiarem existendi modum. Itaque Filium sic appellari ait, non tanquam propria ὑπάρξει, et ὑποστάσει careat, sive « tanquam per propriam Patris notam unigeniti exstantia designetur [c].» Tum in oratione *contra Sabellianos*, etc. *Exstantia et hypostasi.*

Exstantiam Cyrillus Alexandrinus crebro ὕπαρξιν hac significatione posuit. Libro quinto *in Joannem* agens de Verbo divino, sive λόγῳ, ait non esse « minime subsistens, sed substantivum, et vivens, tanquam quod propriam in Patre, et cum Patre habet exstantiam [d]. » Sic in Paschali epistola XV : « Et subsistit quidem, atque in exstantia propria intelligitur [e]. » Et in libro nono *in Joannem :* « Habet in seipso Patrem, hoc est Patris naturam in exstantia fert propria [f]. » Sic in dialogo secundo *de Trin.* ὕπαρξιν ἰδίαν dixit, et « manifestam, minimeque confusam trium hypostaseon in peculiaribus exstantiis proprietatem [g]. » *Exstantiam peculiarem.*

Sic enim ὕπαρξιν ἰδίαν personis attribuit, sicut passim ὑπόστασιν ἰδίαν in eodem dialogo et ὑφεστηκός ἰδικῶς. Tum in *Thesaurorum* lib. XXXII : « Cum sit igitur in propria, inquit, exstantia Pater, sit autem et in propria exstantia Filius [h]. » Et paulo post « unamquamque personam proprie in singulari exstantia considerari [i]. » Et in libro undecimo *in Joannem*, capite XII, τὴν κατ' ἰδίαν ὕπαρξιν, et τὴν καθ' ἑαυτὸν ὕπαρξιν appellat, hoc est *peculiarem*, et cum aliis minime communem *exstantiam* personæ cujuslibet. Nec non dialogo primo *de Trinit.*, « Cum sit, inquit, et subsistat uterque, et propriam habere dicatur exstantiam, substantiæ identitas unitatem moderatur [k]. » Et in primo *contra Nestorium*. *Hypostasim peculiarem. Subsistens peculiare.*

Gregorius vero Nyssenus insigniter usus est eodem nomine τῆς ὑπάρξεως in libro *de Communibus notionibus*. « Nam dicere, inquit, substantiam talem, nihil aliud est, quam dicere exstantiam vitæ participem, ad distinctionem illius, quæ non est ejusmodi ; vel exstantiam natura factam ad ratiocinandum, ut discernatur ab ea, quæ differt eo ipso, quod bruta est ; vel exstantiam, quæ insignita est, tanquam nota facultate hinniendi [l]. » Joannes item Damascenus libro *de Duabus Christi voluntatibus*, « Quia diversa est, inquit, cujusque personæ exstantia, tres sunt hypostases [m]. » *Exstantiæ.*

Eodem referendæ sunt tritæ illæ locutiones Græcorum usu, τρόπος τῆς ὑπάρξεως, vel τρόπος διάφορος τῆς ὑπάρξεως, *modus exstantiæ*, hoc est, *proprietates personæ*. Idem Damascenus, « Etsi, inquit, quælibet per se subsistit, hoc

a Sophron. *in Act.* II sextæ syn. Τὸ μὲν διὰ τὴν φύσιν, καὶ τὴν τῆς οὐσίας ταὐτότητα, καὶ τὸ συγγενὲς τῆς ὑπάρξεως.

b Basil. ep. XLIII. Εἶ γὰρ ἡ ὑπόστασις τὸ ἰδιάζον τῆς ἑκάστου ὑπάρξεως σημεῖόν ἐστι.

c Idem : Εἴπερ τῷ ἰδιάζοντι τοῦ πατρὸς, καὶ ἡ τοῦ μονογενοῦς χαρακτηρίζεται ὑπόστασις.

d Cyril. V *in Joan.* Καὶ ἐπείπερ ἐστὶν οὐκ ἀνυπόστατος, ὥσπερ ὁ ἀνθρώπινος, ἀλλ' ἐνούσιός τε, καὶ ζῶν, ὡς ἰδίαν ἔχων ἐν πατρὶ, καὶ μετὰ πατρὸς τὴν ὕπαρξιν.

e Idem, *in Pasch.* XV. Καὶ ὑφέστηκε μὲν, καὶ ἐν ὑπάρξει νοεῖται τῇ καθ' ἑαυτόν.

f Idem, IX *in Joan.* Ἔχει δ' αὖ πάλιν ἐν ἑαυτῷ τὸν πατέρα, τουτέστι τὴν τοῦ πατρὸς φύσιν ἐν ὑπάρξει τῇ ἰδίᾳ φορεῖ.

g Idem, dial. II. A. Οὕτω τε σαφῆ καὶ ἀσύγχυτον τὴν τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν ὑπάρξεσιν ἰδικαῖς ἰδιότητα τηρῶν.

h Cyril. lib. XXXII *Thes.* Ὄντος οὖν ἐν ἰδίᾳ ὑπάρξει τοῦ πατρὸς, ὄντος δὲ πάλιν ἐν ἰδίᾳ ὑπάρξει τοῦ υἱοῦ.

i Ibid. Καὶ ἰδιαζόντως ἐν ὑπάρξει μοναδικῇ νοουμένη.

k Idem, dial. I *de Trinit.* Ἀλλ' ὄντος τε, καὶ ὑφεστηκότος ἑκατέρου, καὶ ἰδίαν ἔχειν λεγομένου τὴν ὕπαρξιν, ἡ τῆς οὐσίας ταὐτότης βραβεύει τὴν ἕνωσιν.

l Gregor. Nyssen. lib. *de Com. not.* Τὸ γὰρ λέγειν οὐσίαν τοιάνδε, οὐδὲν ἕτερον λέγομεν, ἢ ὕπαρξιν ζωῆς μετέχουσαν, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς μὴ τοιαύτης· ἢ ὕπαρξιν λογίζεσθαι πεφυκυῖαν, πρὸς διάκρισιν τῆς ἀλογίᾳ διαφερούσης· ἢ ὕπαρξιν τὸ χρεμετιστικὸν ἔχουσαν χαρακτηριστικόν.

m Damasc. Ἐπειδὴ μὲν διάφορος ἡ ἑκάστου ὕπαρξις, τρεῖς ὑποστάσεις εἰσίν.

* Sic in eadem epistola LXIII quod Apostolus dixit, Filium esse *characterem hypostasis*, exponit ut sit *characterismus exstantiæ :* hypostasim vero ibi non *usiam* et communem, etc. J. B. F.

1 *Heb.* I. — 2 Epistola *ad Hebræos*, I.

est perfecta est hypostasis et suam proprietatem, id est exstantiæ modum differentem obtinet, tamen essentia unitæ sunt, et naturalibus proprietatibus. [a] »

Constantinus Pogonatus in *Edicto de Fide* quod in sexta synodo Patribus oblatum et approbatum legitur in actione xviii. « Et de sancta, inquit, atque immaculata carne ipsius (Virginis Mariæ,) in propria exstantia carnem accipiens consubstantialem nobis [b]. »

Essentiæ et hypostaseos.

XIII. Ad extremum sciri convenit, Arianos οὐσίας, et ὑποστάσεως nomina vehementer aversatos esse, et quoad in ipsis fuit, obliterare studuisse; cum negarent tribuenda hæc esse Deo, quæ nusquam in sacris Libris exstarent. Quare in plerisque illis fidei formulis, quas subinde, damnatis prioribus, reconcinnare solebant, quæque a nobis primo libro commemoratæ sunt [1], nomen οὐσίας partim sine ulla mentione prætererunt, ut in prima omnium, quæ Antiochiæ per Encænia est edita, et in quibusdam aliis; partim expresse repudiarunt, quod in Scriptura non legeretur, ac simplicius, quam par erat, a Nicænis Patribus adhibitum fuisset; ut in ea, quæ apud Sirmium paucis ab Arianis [2] concepta est anno cccLvii et in altera, quæ eadem in urbe post biennium condita est, et consulibus notata. Contra quos Semiariani primum, qui ὁμοιούσιον asseverabant, apud Epiphanium [3] ita disputant: Tametsi οὐσίας vocabulum aperte non contineatur in sacris litteris; nihilominus vi, ac significatione comprehendi. Ut cum Deus Mosem alloquens, *Ego sum*, inquit, *qui sum*, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Ex quo Patres οὐσίας nomen deflectere coacti sunt, ut Paulum Samosatenum excluderent; qui λόγον, id est *Verbum*, aut *Sermonem* sic esse volebant Filium Dei, ut non per se subsisteret, sed uti sermo noster, sola prolatione constaret, ac subinde transiret. Quam ob causam aiunt, Patres illi, qui contra Paulum Samosatenum sententiam dixerunt, Filium οὐσίαν dicere coacti sunt; « ut ostenderent eum subsistentiam habere, et existere, atque esse; ut discrimen ejus, quad existentia per sese caret, ab eo, quod existit, οὐσίας vocabulo demonstrarent [c]. » Ita quidem illi, qui οὐσίαν cum hypostasi, et persona promiscue habebant, ut supra meminimus; quod qui secus faciunt, eos necesse est hypostasis et personæ mentionem adjungere.

Homœousion id est Similis substantiæ.

Essentiam.

Essentiæ.

Essentiam.

At catholici nonnulli etiam nomen istud οὐσίας in sacris Litteris non deesse contendunt. Velut Ambrosius [4]; cujus hæc verba sunt: « An negare possunt οὐσίαν lectam, cum et panem ἐπιούσιον [5] Dominus dixerit: et Moses [6] scripserit, ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος? Aut quid est οὐσία, vel unde dicta nisi οὖσα ἀεὶ, quod *semper maneat*? « Verum levius id argumentum est, quam ut eo persuaderi possit οὐσίας vocem in Scripturis nominatim exprimi. Melius id alii demonstrant ex eo, quod Deus ipse ὁ ὤν appellatur, ut initio capitis hujus exposui, ac sanctus Athanasius disputat in epistola *ad Africanos*.

Essentiæ.

Essentiam.

Superessentialem.

Vos eritis mihi populus peculiaris.

Qui est.

XIV. Sic et hypostasis vocem de divinis personis usurpari iidem hæretici vetuerunt; eamque juxta cum οὐσίᾳ proscripserunt in fidei formula, quam post Seleuciense conciliabulum Acacius et Eudoxius, aliique Constantinopoli editam, Ariminum ad Occidentalium synodum miserunt, ut testatur Athanasius [7]. Qui in epistola illa *ad Africanos* ὑπόστασιν probat in Scripturis sanctis reperiri; primo quia ὑπόστημα, quod idem est, apud Jeremiam occurrit his verbis, τίς ἔστι ἐν τῷ ὑποστήματι αὐτοῦ; vulgo legitur τίς ἔστη ἐν τῷ ὑποστήματι κυρίου; Latinus noster: *Quis stetit in consilio Domini* [8]? Hebraice בדום, quod *consilium*, vel *secretum* significat. « Tamen LXX, et Theodotio substantiam, sive subsistentiam interpretati sunt, » ait Hieronymus; qui et Latinos quosdam asserit ex hoc loco probare nomen *substantiæ* de Deo dici, ut appareat ὑπόστημα etiam a Latinis ibidem de *substantia* intellectum fuisse. Verum

Usia.

Hypostasim.

Hypostema.

a Lib. III *de Fide*, cap. v. Εἰ γὰρ καὶ ἑκάστη καθ' ἑαυτὴν ὑφέστηκεν, ἤγουν τελεία ἐστὶν ὑπόστασις, καὶ τὴν οἰκείαν ἰδιότητα, ἤτοι τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον διάφορον κέκτηται· ἀλλ' ἥνωνται τῇ τε οὐσίᾳ, καὶ τοῖς φυσικοῖς ἰδιώμασι.

b Const. Imp. act. xviii sextæ syn. Καὶ ἐκ τῆς ἁγίας, ἀμώμου σαρκὸς αὐτῆς ἐν τῇ οἰκείᾳ ὑπάρξει, σάρκα λαβόντα τὴν ἡμῖν ὁμοούσιον.

c Epiph. hær. lxxiii, num. 12. Ἠναγκάσθησαν οἱ πατέρες, οἱ κρίναντες Παῦλον τὸν Σαμοσατέα, ἐπὶ τῷ τούτῳ ἐρωτισμῷ (leg. αἱρετισμῷ) ἵνα δείξωσιν ὅτι ὁ υἱὸς ὑπόστασιν ἔχει καὶ ὑπάρχων ἐστὶ, καὶ ὤν ἐστι, οὐχὶ δὲ ῥῆμά ἐστιν, οὐσίαν εἰπεῖν καὶ τὸν υἱὸν, τὴν διαφορὰν τοῦ τε καθ' ἑαυτὸν ἀνυπάρκτου, καὶ τοῦ ὑπάρχοντος τῷ τῆς οὐσίας ὀνόματι ἐπιδεικνύντες.

1 Cap. ix. — 2 Athan. *de Syn.* — 3 Hær. lvii, n. 12. — 4 III *de Fide* cap vii. — 5 *Matth.* vi. — 6 *Exod.* xix. — 7 *De Syn.* et *de Afric. cit.* — 8 *Jerem.* xxiii, 18.

Usiam. non tam personam, quam ipsam Dei οὐσίαν, communem personis tribus, *hypostema* perinde ut *substantia*, eo in loco significat, si quid divinitati insitum, intimumque vox ista *Hypostema. et hypostasim.* declarat. Sed non est necesse. Nam ὑπόστημα, et ὑπόστασιν videntur Græci Bibliorum interpretes quadam sermonis proprietate nominasse cœtum, et consessum hominum de re aliqua deliberantium, sive stationem eorumdem aliquo in loco commorantium. Etenim *Hypostasis.* ὑπόστασις inter alia ἐνέδραν, hoc est, *insidias*, quas etiam Latini *subsessas* vocant, significat; ut ex Sophocle Irenæus grammaticus apud Socratem[1] observat. Sic etiam Græci iidem *Hypostema et hypostasim.* interpretes ὑπόστημα, et ὑπόστασιν pro militum statione, præsidioque sumpserunt; ut I *Reg.* XIII, 23 et XIV, 1; tum II *Reg.* XXIII, 14; *stationem Philistæorum* מצב, Sixtiana Biblia *Hypostema.. systema. Hypostasim.* vocant ὑπόστημα. Complut. τὸ σύστημα.

Pergit Athanasius, et ὑπόστασιν Dei appellari substantiam, ex eodem illo Jeremiæ capite probat; cujus in 22 commate legitur, καὶ εἰ ἔστησαν ἐν τῇ ὑποστάσει μου : *si stetissent in substantia mea*, בסודי, *in consilio meo*, vel *consessu*, itidem ut in superiore versu. Quare non multum ad rem pertinent; uti nec alia loca, quæ nonnulli proferunt, ut e *Psal.* LXXXVIII, com. 48, et *Psal.* CXXXVIII, com. 24, *Job.* XXII, com. 20. Ibi enim de Deo non agitur. Validius id persuadet ex epistola Pauli *ad Hebræos*[2] ille locus, quem adjungit: *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus :* καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Nam hic Dei Patris substantiam ὑπόστασιν appellat, cujus expressa est imago Filius.

XV. Quare impudentissime fecerunt Ariminenses illi, qui ut scribit Athanasius, tam *Hypostaseos.* ὑποστάσεως, quam οὐσίας nomina usurpari vetuerunt, quasi nulla eorum in sacris libris fieret mentio; præsertim cum eadem ista vocabula in aliis conventiculis, fideique formulis non dubitaverint exprimere, ut libro primo meminimus[3]. Sed et Arius ipse, ejusque impietatis, ac damnationis participes, in libello, quem Alexandro episcopo Alexandriæ obtulerunt, τρεῖς ὑποστάσεις esse dixerunt in Deo. Ut omittam complures ex antiquis, hac eadem usos esse hypostasis voce, quod refert Athanasius libro *de Synodis*. Hic vero Socratis historici haud mediocris notandus ac vitandus est error, qui libro *Ecclesiasticæ historiæ* tertio, cap. septimo scribit in Alexandrina synodo, quæ post Constantii obitum ab Athanasio, aliisque celebrata est, de qua postea pluribus, decretum esse, « cum de Deo sermo est, iis vocabulis οὐσίας, et ὑποστάσεως uti non *Usiæ et hypostaseos,* oportere. Etenim usiæ quidem nomen nusquam in sacris Litteris expressum fuisse; hypostasi vero coactum uti Apostolum declarandi dogmatis necessitate : nihilominus alia ratione assumendas illas esse voces, cum Sabellii opinionem propulsare placet, ne angustiis dictionum inclusi, sic tanquam trinominem rem habere nos putemus, sed eorum, quæ nominantur, unumquodque in propria hypostasi Deum esse profiteamur[a]. » Nihil vidi negligentius scriptum hac Socratis narratione. Nam cum non aliunde, quam ex synodica concilii ejusdem epistola illam expresserit, non intellexit, quæ mens Athanasii, ac cæterorum illic esset. Exstat epistola hæc apud Athanasium, in qua inter cætera, de iis agentes episcopi, qui tres hypostases in Deo ponebant, aiunt « eos in invidiam adductos ab aliis qui unam asserebant, quod in Scripturis non essent, et ideo suspicionis aliquid haberent voces istæ. » Verum « ab sese rogatos illos esse, ne plus aliquid exigerent, quam quod inest in Nicæna professione[b]. » Hic sine dubio locus ille est, unde Socrates collegit, ab Alexandrina illa synodo dictiones has οὐσίαν, et ὑπόστασιν supprimi jussas esse. Atqui *Usiam et hypostasim,* dupliciter aberravit. Nam neque Athanasius, ejusque socii ἀγράφους esse voces ipsimet asserunt, sed quod una pars objiciebat alteri, simpliciter referunt, neque, quod caput est, αγράφους λέξεις intellexerunt οὐσίαν, et ὑπόστασιν, (de οὐσίᾳ enim neque quæstio ibi fuit, neque

a Socrat. Διὰ τοῦτο ἐν ταύτῃ τῇ συνόδῳ, περὶ οὐσίας τε, καὶ ὑποστάσεως, τάδε ἀπεφήναντο. οὐκ ἐπὶ θεοῦ δεῖν ἔφασαν ταύταις χρῆσθαι ταῖς λέξεσιν. οὐσίαν μὲν γὰρ μηδὲ ὠνομάσθαι ὑπὸ τῶν ἱερῶν γραμμάτων. τῷ δὲ τῆς ὑποστάσεως ὀνόματι καταχρήσασθαι τὸν Ἀπόστολον τῇ τῶν δογμάτων ἀνάγκῃ· καθ' ἕτερον δὲ λόγον προσταραλαμβάνειν τὰς λέξεις ἐδογμάτισαν, ὅτ' ἂν τὴν Σαβελλίου δόξαν ἐκβάλλωσιν· ἵνα μὴ στενώσει τῶν λέξεων, ὡς ἐν πρᾶγμα τριώνυμον νομίζωμεν, ἀλλ' ἕκαστον τῶν ὀνομαζομένων περὶ τῆς τριάδος ἐν ἰδίᾳ ὑποστάσει θεολογοῖτο.

b Athan. Tom. I. Οὓς γὰρ ἐμέμφοντό τινες, ὡς τρεῖς λέγοντας ὑποστάσεις, διὰ τὸ ἀγράφους, καὶ ὑπόπτους ἐντεῦθεν εἶναι τὰς λέξεις, ἠξιοῦμεν μηδὲν πλέον ἐπιζητεῖν τῆς κατὰ Νίκαιαν ὁμολογίας.

* Neque, quod caput est, *non scriptas voces* intellexerunt *usiam* et *hypostasim*, (de *usia* enim neque quæstio ibi fuit, neque mentio) sed *tres hypostases*. Quia etsi *hypostasis* in sacris Litteris habetur, non tamen *tres hypostases* in iisdem leguntur, etc. J. B. F.

1 Lib. III, cap. VII. — 2 Cap. I. — 3 Cap. IX.

mentio) sed τρεῖς ὑποστάσεις. Quia, etsi ὑπόστασις in sacris Litteris habetur, non tamen τρεῖς ὑποστάσεις in iisdem leguntur. Præterea quale *Non scripto.* illud erat, ut de ἀγράφῳ præscriberet Athanasius, contra vocabula illa duo, eaque propterea repudienda censeret, qui, ut supra demonstravimus, non solum in Scripturis illa contineri summa contentione pugnavit; sed etiam et Arianos interdum usu illorum interdicentes acerrime reprehendit? Denique qui utramque dictionem usurpatam ab Nicæna synodo meminisset, et ex harum altera summam propemodum confectam illic catholicæ professionis; potuitne tam sui, et catholici nominis immemor repente fieri, ut easdem illas obliterandas, quia scriptæ non erant, una cum aliis episcopis decerneret? Quid erat aliud, quam fidei causam prodere, et Arianis ultro id tribuere, de quo tandiu, tantoque conatu, ac tam atroci conflictu cum Ecclesia catholica dimicabant; nec extorquere hactenus potuerant, ut *Usiæ.* οὐσίας nomen, et quod inde est consequens, etiam *Homousii quia non scriptum.* ὁμοουσίου, quia ἄγραφον erat, e fidei symbolo, et usu Christianorum eximeretur? Hæc qui non vidit, quid aliud quam cæcum, ac præcipitem in historia scribenda Socratem; qui hunc secuti sunt, parum attentos in tanti momenti re fuisse putabimus?

CAPUT III.

De nominibus, quibus Latini theologi in sacrosanctæ mysterio Trinitatis utuntur: ac primum de substantia, subsistentia, persona, existentia, natura, et re naturæ, re, ac genere, tum supposito.

I. Exposui superiori capite Græcorum vocabula, quæ ad sanctissimæ dogma Trinitatis explicandum ab iis solent adhiberi. Latina modo supersunt, quibus Occidentis Ecclesiæ suam de eadem illa sententiam professæ sunt, uti vocibus disparem, sic re consentaneam, et concordem; tametsi propter linguarum dissimilitudinem, quod alteri alteros non caperent, ingens inter illos altercatio nonnunquam orta sit, quæ pene mutuam amborum communionem abscidit, qua de controversia paulo post. Prius enim, ut instituimus, nomina ipsa declaranda sunt hæc autem sunt præcipua substantia, subsistentia, persona, existentia, natura. *De substantiæ vocabulo.*

Substantiam proprie Deo non tribui docet Augustinus[1], quia de his rebus hoc nomen intelligitur, « in quibus subjectis sunt ea, quæ in aliquo subjecto esse dicuntur, sicut color, aut forma in corpore. » Atqui nihil in Deo subsistit, tanquam in subjecto. « Nefas est enim dicere, ut subsistat, et subsit Deus bonitati suæ; atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit, tanquam in subjecto. Unde manifestum est, Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia; quod vere, ac proprie dicitur ita, ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est. » Hinc substantiæ nomen, ut et consubstantialis, repudiabant hæretici. « Quippe aiunt (verba sunt Ambrosii[2]) cum omnis substantia contraria recipiat: Deus vero, qui nihil diversum admittere potest, substantia dici non debet. » Sed hoc facile refellit Ambrosius; quia non omne, quod substantia dicitur, ejusmodi censetur. Nam « et diversa genera rerum, et diversa corpora animalium; » et ut Apostolus ait, *Non omnis caro, una atque eadem caro; sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum. Et corpora cœlestia, et corpora terrestria*[3]; » ex quo ita concludit: « Si ergo ea, quæ a Deo facta sunt, diversas qualitates substantiarum suarum habent, tu putas in Deo talem esse substantiam, qualem habet aliquid horum, quod factum est, ut possit contraria recipere? Absit. » Hic Ambrosii liber falso Gregorio Nazianzeno inscribitur, et oratio ejus nona et quadragesima numeratur, atque ab Ruffino interpretata ponitur.

II. Cyrillus item Alexandrinus in libro tertio *Thesauri* indicat non eodem modo, ac *Usiæ.* philosophi utuntur, οὐσίας nomen in Deum transferri, quia contraria non recipit Deus, *Usiæ.* quod proprium esse volunt illi τῆς οὐσίας[a]. Sed *Usiam.* οὐσίαν eatenus de illo dici, quoniam *est*. Anselmus etiam in *Monologio*[4] « summam essentiam, quæ nullis subjacet accidentibus, proprie ait non posse dici substantiam, nisi substantia ponatur pro essentia. »

Victorinus Afer in libro quarto *contra Arium*, non modo adhibendum istud esse vocabulum divinis in rebus asserit, sed etiam

a Cyril. *in Thes.* Εἰ οὐσίαν λέγοντες ἐπὶ θεοῦ τῇ τῶν φιλοσόφων ἕπονται δόξῃ, ἴδιον ἔσται θεοῦ τἀναντία δέχεσθαι. εἰ δὲ εἶναι τὸν θεὸν σημᾶναι βουλόμενοι, τῷ τῆς οὐσίας, καθὰ καὶ ἡμεῖς, χρῶνται ὀνόματι.

1 VII *de Trinit.* cap. v. Vide Mag. Sent. I, dist. VIII. — 2 Amb. lib. *de Filii div.* cap. IV. Vide Epiph. hær. LXXIII, n. 17. — 3 I *Cor.* XV, 39. — 4 Cap. XXVI.

auctoribus Scripturis id fieri. « In supernis quidem, ait, et circa Deum maxime, quasi humilem, et alienum, et in posterioribus nomen non credunt convenire substantiæ. Sed cur a nobis fugiatur hoc verbum, cum esse cuique, hoc ei sit esse substantiam? Et in Jeremia Deus loquens, ita dicit, *Quod si in mea substantia staretis, videretis verbum meum*[1]. »

Et Sœbadius in libro *contra Arianos* multa Scripturæ loca refert, in quibus vox illa legitur; ut et Victor episcopus in *Fidei ratione*[2] Hunerico regi oblata. Tum latissime Ambrosius in libro tertio *de Fide*, capite septimo. Atque inter cætera testimonia, etiam illud *Jeremiæ* capite XXIII, 18 et 22 afferunt, quod superiori capite jam expendimus, ubi ὑπόστασις, vel ὑπόστημα Græce legitur. Tum alterum ex capite nono ejusdem[3], *Non audierunt vocem substantiæ a volucribus cœli, et usque ad pecora*[a]. Ita LXX qui ὑπάρξιν hic habent, eaque vox *substantiam*, id est *possessionem* significat. Hoc enim sensu sæpe in Latinis Bibliis *substantia* ponitur. Qua exceptione usi sunt Ariani contra catholicos substantiæ vocabulum ex Scripturis approbantes. Quod et Ambrosius observavit loco citato. « Aiunt enim inveniri quidem in divinis voluminibus nomen substantiæ; (verba sunt Sœbadii) sed non statim pertinens ad eamdem speciem, quæ inducatur. Ibi enim per substantiæ vocabulum aut virtutem, aut divinitatem significari. » Puto *aut divitias* legendum pro *aut divinitatem*, ut sequentia demonstrant. Nam *pares utriusque divitias* esse probat. Sed sunt alia iis certiora, et expressiora Scripturæ loca, in quibus substantiæ nomen usurpatur. Ut in epistola *ad Hebræos*, *Et figura substantiæ ejus. Psalmo* item CXXXVIII, 15: *Et substantia mea in inferioribus terræ*. Græce utrobique est ὑπόστασις. Ut alia prætercam, quæ iidem illi, quos citavi, Patres commemorant.

Hypostasis vel hypostema.

III. Igitur substantiæ vox, itidem ut Patris, ut Filii, ut aliæ complures, sic in divinis usurpatur, ut quod in rebus creatis, unde illa transfertur, imperfectum infimumque cernitur, id ab ejus notione segregetur, quod universe de istiusmodi vocabulis explicant apud Epiphanium[4] Semiariani, dum οὐσίας, et ὁμοουσίου nomina contra meros Arianos vindicant.

Substantiæ et consubstantialis.

Sed hoc ipsum nomen diversum apud Latinos Patres usum et significationem obtinet. Nam alias pro οὐσίᾳ, sive *essentia*, aut natura sumitur; alias pro persona, quemadmodum et οὐσίαν capite superiori demonstravimus interdum singularem, et per se subsistentem, ac separatam ab omnibus esse substantiam; nonnunquam vero pro natura, et essentia solere accipi. Imprimis οὐσίαν id esse quod substantiam, satis indicat, quod Latini theologi *substantiam*, et *consubstantiale* nuncupant id, quod Græci οὐσίαν, et ὁμοούσιον appellant; quod declarant Ariani illi, qui Sirmii, quo forte imperatoris conveniendi gratia convenerant, fidei formulam ediderunt, in qua οὐσίας, ὁμοουσίου, et ὁμοιουσίου nomina supprimi jusserunt. « Cæterum, quia multos commovet, inquiunt, vox Latine quidem dicta substantia, Græce autem οὐσία; hoc est, ut diligentius cognoscatur illud, quod homousion, vel homoousion dicitur, nullam eorum penitus mentionem oportet fieri; neque de his explicare in Ecclesia, ob hanc causam, et ob hanc rationem, quod in sacris Litteris de iis scriptum exstat nihil, quodque ista humanam cognitionem, ac mentem hominum excedunt[b]. » Quæ sic ab Hilario Latine sunt reddita in libro *de Synodis*: « Quod vero quosdam haud multos movebat de substantia, quæ Græce usia appellatur, id est, ut expressius intelligatur, homousion dicitur, aut homœusion, nullam omnino fieri oportere mentionem, nec quemquam prædicare, ea de causa, et ratione, quod nec in divinis Scripturis contineatur, et quod super hominis scientiam sit. » Atque in eodem libro *de Trinitate* loquens Hilarius, ait, « non unum esse subsistentem, sed unam substantiam non differentem. » Tertullianus c. XVIII libri *De carne Christi*, utramque substantiam Christi, et carnis, et spiritus appellat; et, duarum substantiarum conditionem. » Victorinus Afer[5]: « Quid dicimus esse substantiam, sicut

Usiam.

Usiam et homœousion.

Usiam, homousii et homœousii.

a HIER. IX, 10, etc. Οὐκ ἤκουσαν φωνὴν ὑπάρξεως ἀπὸ πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ, etc.

b Sirmiensis Professio apud Athan. *de Synod.* Ἐπειδὴ δὲ πολλούς τινας κινεῖ περὶ τῆς λεγομένης Ῥωμαϊστὶ μὲν σουβσταντίας, ἑλληνιστὶ δὲ λεγομένης οὐσίας· τουτέστιν, ἵν' ἀκριβέστερον γνωσθῇ, τὸ ὁμοούσιον, ἢ τὸ λεγόμενον ὁμοιούσιον· οὐ χρή τινα τούτων παντελῶς μνήμην γίνεσθαι, οὐδὲ περὶ τούτων ἐξηγεῖσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, καὶ διὰ τοῦτον τὸν λογισμὸν, ὅτι ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς οὐ γέγραπται περὶ τούτων, καὶ ὅτι ταῦτα ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην γνῶσιν, καὶ τῶν ἀνθρώπων νοῦν ἐστιν.

1 *Jer.* XXIII, 18. — 2 Tom. IV *Bibl. Patrum.* col. 403. — 3 *Jer.* IX, 10. — 4 Hær. n. 3. — 5 Lib. I *cont. Arium.* col. 199.

sapientes, et antiqui definierunt? quod subjectum, quod est aliquid, quod est in alio non esse. » Et paulo post, « Nunc autem fatemur, quod sit ibi substantia, quæ habet secundum proprium significatum hoc aliquid ὂν esse. » Ambrosius item epist. LXIII, « Trinitatem ait unius esse substantiæ, majestatis, divinitatis. » Et libro *de Filii divinitate* passim ea significatione substantiæ nomen posuit, præsertim his in verbis: « Ergo ipsum, quod est, hoc erit substantia hujus rei, quæ esse defenditur. » Et in libro tertio *de Fide* cap. VII substantiam pro divinitate sumit; et « non esse Filium insubstantivum docet qui aliis dedit habere substantiam. » Hic *substantiam* interpretatur, ὑπόστασιν, hoc est rei *exstantiam*, sive *esse*, non simpliciter, sed quæ per se non more accidentis existit. Ruffinus[1] in *Supplemento Eusebianæ historiæ*, « Substantia, inquit, ipsa rei alicujus naturam, rationemque, qua constat, designat; subsistentia autem uniuscujusque personæ hoc ipsum, quod exstat, et subsistit, ostendit. »

Augustinus[2] quoque, « Est tamen (Deus) sine dubitatione substantia, vel, si melius hoc appellatur, essentia, quam Græci οὐσίαν vocant, etc. Sed aliæ, quæ dicuntur essentiæ, sive substantiæ, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacumque mutatio; Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest, et ideo sola est incommutabilis substantia vel essentia, quæ Deus est. » Et in *Psal.* LXVIII: « Dicitur homo, dicitur pecus, dicitur terra, dicitur cœlum, sol, luna, lapis, mare, aer; omnia ista substantiæ sunt, eo ipso, quo sunt. Naturæ ipsæ substantiæ dicuntur. Deus est quædam substantia. Nam quod nulla substantia est, nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse est. Unde etiam in fide catholica contra venena quorumdam hæreticorum sic ædificamus, ut dicamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius substantiæ esse, » etc. Hoc sensu Lactantius nomen substantiæ in libro secundo, capite decimo sumpsit, cum de tempore agens, « Præteriti, inquit, est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio. »

Sœbadius Aginnensis[3] in libro *contra Arianos*, « Substantia enim, ait, dicitur id, quod semper ex sese est, hoc est, quod propria intra se virtute subsistit, quæ vis uni, et soli Deo competit. » Alludit ad οὐσίας etymon, cujus alibi meminimus, nempe οὐσίαν dici quasi οὖσαν ἀεί. Cui consentaneus est Rusticus Diaconus[4] in disputatione *contra Acephalos*: « Per se subsistens, ait, cum de Deo dicitur, significat, quod nullius alterius ad id, ut sit, indiget. Cum vero de creaturis, nequaquam, a Creatore enim esse sumpserunt, et in ipso vivimus, movemur, et sumus. Substantia vero, id est οὐσία, cum de Deo dicitur, ab eo, quod sit semper, nominata est. Quippe οὐσία est, quæ semper est, in creaturis vero minime. » Faustus Rhegiensis[5]: « Sicut in subsistentia triplex est, quia sibi quisque subsistit; ita in substantia simplex, quia unus seipsum præcedere nesciens, nec posteriorem recipit, nec priorem. » Sic Fulgentius libro *contra Fastidiosum*, « unam sanctæ Trinitatis ait manere substantiam, » et *substantialiter* opponit ei, quod est *personaliter*. Auctor *Breviarii fidei*[6] adversus Arianos, « Creduntur ergo tres personæ, sed non tres substantiæ. » Quod ipsum docet et Paschasius Diaconus[7], tres esse scribens « hypostases, vel subsistentias, sed non tres substantias. » Ita in symbolo, quod dicitur Athanasii, eadem trium personarum substantia prædicatur.

IV. Alii substantiam id appellant, quod Græci ὑπόστασιν, Latini personam. Sic Hilarius, quod Græce ita conceptum erat ab Arianis in Antiochensi formula, ὡς εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν, his verbis reddidit: « Ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum. » Quæ statim exponens ait illos, ut Sabellii errorem excluderent, ac ne « Pater solus, atque unus idem atque ipse haberet et Spiritus sancti nomen, et Filii, idcirco tres substantias esse dixisse, subsistentium personas per substantias edocentes, non substantiam Patris, et Filii, et Spiritus sancti diversitate dissimilis essentiæ separantes. » *Hypostasim.*

Ad hunc modum Joannes Maxentius[8] in dialogo secundo, tres in Deo substantias agnoscit; et Sabellium notat, « qui, sicut unam naturam, sic unam et substantiam, sive personam asserit Trinitatis. » Item, « Nisi forte nominibus tanquam, et non substantiis, sive personis Trinitatem juxta Sabellium, sicut superius dictum est, et Paulum Samosatenum, esse contendis. » Joannes quoque secundus papa in epistola *ad Avie-*

1 Lib. I, cap. XXIX. — 2 Lib. V *de Trinit.* cap. II. — 3 Tom. IV. *Bibl. Patrum.* col. 171. — 4 Tom. IV *Bibl. Patrum.* col. 884. *Act.* XVII, 18. — 5 Ep. V. — 6 In Opuscul. dogmat. — 7 Libr. I *de Spir. sanc.* cap. IV. — 8 Tom. IV *Bibl. Patrum.*

num, etc. : « Unum enim ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est unum de tribus sanctæ Trinitatis personis sanctam esse personam, sive substantiam, quam Græci ὑπόστασιν dicunt, in his exemplis evidenter ostendimus. » Augustinus[1] item « a Græcis quidem, ait, dicitur una essentia, tres substantiæ ; a Latinis una essentia, vel substantia, tres personæ. » Hic *substantiam* appellat, quam Græci nominant ὑπόστασιν, quod et vocabuli hujus originem propius attingit. Idem toto illo capite sæpius repetit, substantiam pro persona promiscue capiens, et initio octavi libri ; nec non Isidorus *Originum* VII, « Fides, inquit, apud Græcos de Trinitate hoc modo est ; una οὐσία, ac si dicatur una natura, aut una essentia ; tres hypostases, quod resonat in Latinum tres substantias. Nam latinitans proprie non dicit de Deo nisi essentiam ; substantiam vero non proprie dicit, sed abusive ; quoniam vere substantia apud Græcos persona intelligitur, non natura. » Atqui eodem isto libro non semel *substantiam* sumit pro *essentia*, communique tribus natura ; ut cum in I capite « unam, et coæternam substantiam » Trinitati tribuit, et sequenti capite Arianos reprehendit, qui « ea, quæ dicta sunt, ut ad se invicem personæ referantur, volunt nomina esse naturæ, atque substantiæ. » Tum de Christo, « Sic autem Dei Filio conjuncta est humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona. » Et capite IV *propria*, sive *essentialia* vocabula, quæ de Deo dicuntur, ea esse vult, « quæ ipsam substantiam significant ; appellativa vero, sive relativa, quibus hoc significatur, quod ad se invicem referuntur, non ipsa substantia, qua unum sunt. » Anselmus etiam præfatione in *Monologium* : « Quod enim dixi, Trinitatem posse dici tres substantias, Græcos secutus sum, qui confitentur tres substantias esse in una persona (*leg.* essentia) eadem fide, qua nos tres personas in una substantia. Nam hoc significant in Deo per substantiam, quod nos per personam. »

Et in capite XXV ac XXVI *substantiam* pro *essentia* usurpari admonet. Quid quod et Isidorus idem Hispalensis in libro I *de Differen.* num. 2 et seq., substantiam aperte pro essentia sumit ? tametsi num. 4 perleve utriusque discrimen adnotat. Ait enim ex quorumdam sententia nominari substantiam, « quod non ab alio, sed ex se est, id est quod propria in se virtute subsistit. Essentia vero in Deo idcirco est dicta, quia semper est, nec incipiens aliquando, nec desinens est, sed esse semper proprium ejus est. » Ubi una, eademque natura *substantia*, et *essentia* variis de causis appellatur. Victorinus Afer[2] negat « oportere dicere duas personas, unam substantiam, sed duo, Patrem, et Filium ex una substantia ; dante Patre a sua substantia Filio substantiam in hoc, in quo genuit Filium. » Et eodem in libro, « Non enim oportet dicere, nec fas est dicere unam esse substantiam, tres esse personas. Si enim ista ipsa substantia et egit omnia, et passa est, Patripassiani ergo et nos ; absit. » Quod non eo dicit, quasi substantia personam potius, quam naturam significet, sed ut Sabellii excludat hæresim, qui sic unam substantiam, sive naturam inesse Deo volebat, ut non ea in alteram, ac distinctam hypostasim gignendo transfunderetur. Idcirco *duo ex una substantia* dici malebat, ut invicem distinctas in eadem essentia personas, et subsistentes agnosceres, quarum una ab altera producta sit ; non autem simpliciter *personas tres, unam substantiam ;* ne sub *personæ* usu, et appellatione, Sabelliana illa, de qua superiore dixi capite, calumnia delitesceret. At idem in tertio, *unam esse substantiam, subsistentias tres*, scribit. Igitur apud Latinos *substantia* de eo, quod commune est personis tribus, hoc est natura, et essentia, frequentius usurpatur, ac melius, quam de persona, vel hypostasi.

In quo differunt substantia et subsistentia.

V. Boetius[3] vero Græca omnia, Latinaque nomina, quibus in explicanda Trinitate utimur, pluribus exponens, imprimis quid substantia a subsistentia differat, ita declarat : « Neque enim pensius subtiliusque intuenti idem videbitur esse subsistentia, quod substantia. Nam quod Græci οὐσίωσιν, vel οὐσιῶσθαι dicunt, id nos subsistentiam, vel subsistere appellamus. Quod vero illi ὑπόστασιν, vel ὑφίστασθαι, id nos substantiam, vel substare interpretamur. Subsistit enim, quod ipsum accidentibus, ut possit esse, non indiget. Substat autem id, quod aliis accidentibus subjectum quoddam, ut esse valeant, subministrat. Sub illis enim stat, dum subjectum est accidentibus. Itaque genera, vel species subsistunt tantum. Neque enim accidentia generibus, speciebusve contingunt. Individua vero non modo subsistunt (nam neque ipsa indigent accidentibus, ut sint) ; informata enim sunt jam propriis, et specificis differentiis ; et ac-

1 VII *de Trin.*, c. IV — 2 I *cont. Arian.* col. 187, tom. II *Bibl. Patrum.* — 3 Lib. *de Duab. nat.*

cidentibus, u esse possint, ministrant, dum sunt scilicet substantia. » Proinde subsistentiam vocat id, quod Græci theologi οὐσίαν nominant, vel φύσιν, *naturam*, et *essentiam*, tam universe consideratam, cujusmodi sunt genera, et species, quam in individuis exstantem; dum per se ipsa, sine complexione accidentium, ac sola spectatur; at substantiam illam eamdem appellat essentiam, quam in individuis ita contemplamur, ut subjecta sit accidentibus, et iis afficiatur. Quare ὑπόστασιν *substantiam*, et ὑφίστασθαι *substare* esse dicit; essentiam vero οὐσίαν, *subsistentiam*, οὐσίωσιν. Tum subjicit : « Ideo autem ὑποστάσεις Græci individuas substantias vocaverunt, quoniam cæteris subsunt, et quibusdam quasi accidentibus suppositæ subjectæque sunt; atque idcirco nos quoque eas substantias nuncupamus, quasi suppositas, quas ὑποστάσεις*. » Denique paucis interpositis : « Unde etiam dicimus, ait, unam esse οὐσίαν, vel οὐσίωσιν, id est *essentiam*, vel *subsistentiam*, sed tres ὑποστάσεις (ita legendum pro eo, quod male in vulgatis est οὐσιώσεις), id est *tres substantias*. Et quidem secundum hunc modum dixere unam Trinitatis essentiam, tres substantias, tresque personas. » Tum ista pertexit: « Nisi enim tres in Deo substantias ecclesiasticus loquendi usus excluderet, videretur idcirco de Deo dici substantia, non quod ipse cæteris rebus quasi subjectum supponeretur, sed quod idem omnibus uti præesset, ita etiam quasi principium subesset rebus, dum eis omnibus οὐσιῶσθαι, vel *subsistere* subministrat. » Quæ postrema non satis cum antecedentibus cohærent. Nam negat ex usu loquendi ecclesiastico, usurpari *tres substantias*, cum tamen contrarium semel iterumque jam dixerit. Sane Cyrillus Alexandrinus in secundo *contra Julianum*, ὕπαρξιν, id est *existentiam* ait esse οὐσίωσιν. Cæterum quod de discrimine *substantiæ* ac *subsistentiæ* Boetius docet, hoc Victorinus[1] inter *existentiam* et *substantiam* constituit, et existentiam vocat id, quod alter *subsistentiam* nominat. « Et dant (inquit de sapientibus, et antiquis loquens) differentiam existentiæ, et substantiæ; existentiam quidem, et existentialitatem præexistentem subsistentiam sine accidentibus; puris et solis ipsis, quæ sunt in eo, quod est, solam esse, quod subsistat; substantiam autem subjectum cum iis omnibus, quæ sunt accidentia in ipsa separabiliter existentia. »

At Richardus Victorinus lib. IV *de Trinitate*, cap. IV non probat dici tres in Deo subsistentias, et unam substantiam. Sed personas tres usurpare mavult; in quo minime est audiendus. Vide et Ottonem Frisingensem libro primo *de Gestis Friderici*, cap. LIII ubi accurate de persona, et subsistentia disputat, ac Boetium secutus, οὐσίαν ait, esse Latine *essentiam*, οὐσίωσιν *subsistentiam*; et ab ὑποστάσει distinguit. De quo postea.

Vocabula *subsistentiæ* et *existentiæ* aliter ab antiquioribus, aliter a recentioribus theologis usurpata.

VI. Est autem animadversione dignum, aliter fere ab antiquioribus theologis, quam ab scholasticis usurpari hæc vocabula *subsistentiæ*, et *existentiæ*. Nam isti pro *abstractis*, ut vocant, nominibus hæc habere solent; ut sint modificationes quædam naturæ, sive essentiæ, quos *modos* vulgo nuncupant, et ex utriusque complexu componi putant eam, quam personam, vel etiam substantiam individuam appellant. Etenim existentiam paulo generalius accipiunt, ut sit modus, quo res quæpiam extra causæ suæ potentiam producta consistit, quæ tam accidenti, quam substantiæ convenit; tametsi huic, quam illi, perfectius congruat, et potiori jure tribuatur. Subsistentiam vero modum ejusmodi constituunt, quo res quæpiam producta sic existit, ut per se sit, et non alteri inhæreat; unde solis substantiis competit. At veteres *subsistentiam*, et *existentiam* pro *concretis*, ut dici solet, nominibus sumpserunt, et cum *persona*, ac *substantia* confuderunt. De subsistentia manifeste id constat ex antecedentibus Patrum testimoniis, ut Victorini, Boetii, Paschasii, Fausti, Ruffini.

Accedat his Ambrosius[2], qui sic loquitur : « Sabellius enim docuit unam subsistentiam esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unamque trinominem personam. Sed dum omnes unam esse personam reputat, nihil esse unamquamque designat. » Tum Joannes Maxentius[3], qui in *Professione fidei*, *subsistentiam* idem ait esse, quod *personam*; atque ita deinde loquitur: « Nos autem unum et idem sentientes, subsistentiam esse, quod et personam, non dicimus Trinitatem in Christo inhabitare; sicut consueverunt Theodori Mopsuestiensis et Nestorii sectatores, quasi quid extra Trinitatem sit Christus ; sed Deum Ver-

* Mancus est ille textus. *Legendum* : « Idcirco nos quoque eas substantias nuncupamus, quasi suppositas, quos illi ὑποστάσεις » id est *hypostases*.

J.-B. F.

1 *Adver Arium.*, col. 199, edit. ult. Tom. IV *Bibl. Patrum.* — 2 Amb. in *Symb. Apost.* cap. II. — 3 Tom. IV *Bibl. Patrum.*

bum unigenitum Filium Patris Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis unius divinitatis esse credimus. »

Ad hæc Facundus Hermianensis ex Gregorio Nazianzeno, « Deum cum nomino, uno lumine illustramini, simul et tribus. Tribus quidem, secundum uniuscujusque proprietates, sive subsistentias, sicut placet aliquibus dicere, sive personas[a]. » Et idem antea in Christo unam esse subsistentiam dixerat, « quæ naturarum adunatione, id est divinitatis et humanitatis existat. »

Synodus Mediolanensis, cui Mansuetus ejus urbis episcopus præfuit, Trinitatem profitetur « unius essentiæ, uniusque substantiæ in tribus subsistentiis, sive personis. » Et paulo post : « Credimus autem ipsum Dei Verbum, hoc est Filium Patris sine initio genitum, eumdem unum ex tribus subsistentiis de sancta Trinitate æternum Filium. » Et Christum asserit duas habere « naturas in una subsistentia, sive persona. » Romana quoque synodus[1], sub Agathone, act. IV sextæ synodi, ad imperat. Constantinum scribens, profitetur « unitatem quidem essentiæ, trinitatem vero personarum, sive subsistentiarum, » etc., ac subinde, non trium « nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam substantiam. » Rusticus Diaconus in libro *contra Acephalos*, « tres item subsistentias ob hoc confiteri se dicit, quod non in eo, quod quid est secundum naturam, sed in eo, quod qualiter sit, unumquodque distinguatur. » Ac subinde subsistentiam latius explicans, idem ac personam esse demonstrat et subjectum proprietatum omnium; de qua re capite sequenti. Anastasius Bibliothecarius *Præfatione in septimam synodum*, quam e Græco vertit, « Sed et illud notandum, quoniam ubicumque in hujus synodi textu subsistentiam posui, personam intelligi volui. Quod enim Græce hypostasis dicitur, hoc nonnulli personam, nonnulli vero subsistentiam interpretati sunt. Porro subsistentiam multi personam, multi vero substantiam etiam intellexerunt. At illos ego secutus sum, qui subsistentiam non substantiam, sed personam intelligi voluerunt (magni quippe sunt) ubicumque Græce in hoc codice hypostasim reperi, in subsistentiam transtuli, hanc personam, sicut et alii quamplurimi, volens intelligi. »

VII. De existentia, tametsi rariora, nonnulla tamen suppetunt exempla; velut est Victorini locus ille, quem adduximus, in quo existentiam idem ait esse ac subsistentiam sine accidentibus. Tum quod Græci Patres ὕπαρξιν, quæ proprie est *essentia*, pro ὑποστάσει sumunt, sive *persona;* ut Basilius[2], et alii superiori a nobis capite citati, quibus adjungendus est Richardus sancti Victoris[3] ad Lutetiam monachus; quanquam is de existentia paulo subtilius enucleatiusque disputans, ad hunc fere modum explicat, ut non solam subsistentiam, personamve, sed etiam essentiam demonstret. Quippe in substantiis[4], quæ personæ dicuntur, duo consideranda esse dicit; quale quid sit; et unde habeat ut sit. In priore, natura illius inquiritur, ac definitio; in posteriore, rei ipsius origo. « Illa consideratio versatur circa modum essendi; ista vero versatur circa modum obtinendi; » quam idem vocat *obtinentiam*, quæ est « modus, quo quis obtinet, quod substantialiter est, vel naturaliter habet; » hoc est[5], ut vel ab alio id habeat, quæ sit alia substantia, velut creatæ res omnes, vel per semetipsam, non ab alia substantia, quod soli divinæ convenit[6]. Jam existentiæ nomine utrumque contineri ait, tam id, quod pertinet ad rationem essentiæ, quam quod spectat ad rationem obtinentiæ. Etenim existere, unde ducitur existentiæ vocabulum, componitur ex particula *ex*, et *sistere*. Sistendi vox id significat, quod per se est, non in alio, ut in subjecto. Nam accidentia non tam *sistere* dicuntur, quam *insistere*, hoc est alicui subjecto inhærere. Est autem *sistere* simpliciter in se esse, sive idipsum subjectum esse possit, quod proprie *subsistere* vocatur, unde est nomen *subsistentiæ*, nec non *substantiæ*, sive nulli alteri subjiciatur : quorum illud creatis, hoc increatæ ac divinæ existentiæ tribuitur. Quocirca existendi vocabulum significat, « ex aliquo esse substantialiter, » vel[7], « quod habet substantiale esse ex aliqua proprietate; » quæ in origine, vel obtinendæ naturæ modo, ac ratione spectatur.

VIII. Secundum hæc Richardus existentiam dupliciter usurpari admonet. Esse enim aliam communem pluribus, aliam incommunicabilem. « Nam angelicæ, et humanæ naturæ

De *existentiæ* vocabulo.

a Facundus lib. I; Greg. Nazianz. orat. xxxix. Θεοῦ δὲ ὅταν εἴπω, ἑνὶ φωτὶ περιαστράφθητε, καὶ τρισί. τρισὶ μὲν κατὰ τὰς ἰδιότητας, ἤγουν ὑποστάσεις, εἴ τινι φίλον καλεῖν, εἴτε πρόσωπα.

1 In *Exposit fidei* in sexta synodo. Edit. Rom.— 2 Epist. xliii.— 3 IV *de Trinit.*— 4 Cap. xi. — 5 C. xvi.— 6 C. xii.— 7 C. xvi.

commune est non esse ex se, sed aliunde; solius vero Dei est, non aliunde, sed ex seipso esse. Existentia vero incommunicabilis est, quæ nonnisi alicui personæ convenire potest. » Sic in Deo alia est existentia communis, alia minime communicabilis. Ad priorem pertinet, quod divina natura « habet substantiale, imo supersubstantiale esse sine creatione, sine inchoatione, » vel quod sit « substantia illa, quæ non est ab aliqua alia substantia, sed a semetipsa. » Quippe, ut jam dictum est, existentia est substantia non simpliciter, sed cum aliqua proprietate originis, ut vel ab alio sit, vel a semetipsa; cumque proprietas illa, quæ est esse a semetipso, communicabilis sit, ac tribus personis competat, existentia, quæ ex ea proprietate petitur, communis sit oportet. Posterioris generis [1] id est incommunicabilis existentia, dicitur substantia divina cum incommunicabili, sive personali proprietate, velut in Patre, quod a nullo sit, tanquam a principio, in Filio, quod ab alio tanquam generante procedat. Hæc enim personalis est proprietas. Ea vero quotuplex est, totidem sunt peculiares, et communes existentiæ. Ex quibus efficitur, personam nihil aliud esse, quam *incommunicabilem existentiam* [2]. Deinde quid substantia, subsistentia, et existentia sint, exponit[3]. Substantiam ait esse « substantiale, vel supersubstantiale esse ; substantiale, in quantum tale quid est, quod consistit in semetipso ; » hoc est quod per se est, et non in altero, tanquam in subjecto; « supersubstantiale vero, in quantum ei nihil inest, velut in subjecto. » Id enim substantiæ proprium est, ut sit accidentium subjectum. Divina porro natura nulli accidenti subjicitur. Atque hoc modo *substantia* naturam, vel *essentiam* proprie significat, non *personam*.

Interdum tamen substantia personam ipsam exprimit, quod a Græcis ait usurpari maxime; quod ea ratione fit, quoniam personalibus proprietatibus subest, quæ inhærentium subjecto accidentium nonnullam habent similitudinem; ex quo *substantia* a *substando*, et *subsistentiæ*, a *subsistendo* dicta deducitur. Ita tres a Græcis *substantiæ*, a nostris *subsistentiæ*, vel, quod aptius significat, *personæ* nominantur ; ut sit substantia idem, quod existentia communis; subsistentia, existentia incommunicabilis. Cæterum quod dixerat, proprietates personales inesse personis, unde substantiæ, et subsistentiæ vocantur, minus id proprie affirmari significat, quoniam proprietates illæ, cum inesse dicuntur, non tam subsistere dant, quam existere. « Et idcirco, inquit, personæ rectius dicuntur existentiæ, quam substantiæ, vel existentiæ [4]. » Hæc fere Richardus, qui *existentiam* cum *substantia* idem esse revera, sed modo quodam significandi paululum discrepare demonstrat, eamdemque, ut generalius accipitur, substantiam esse secundum Latinorum usum : ut autem angustius, ac velut proprietatibus restricta sumitur, esse subsistentiam, aut personam, sive substantiam, quo sensu a Græcis adhibetur ; utrobique tamen præter substantiam, assignificare quamdam originis proprietatem , ut vel aliunde sit, et esse illud substantiale habeat, vel a semetipso. Essentia denique illud ipsum esse simpliciter, absolutumque declarat.

IX. Porro ut *existentia*, *subsistentia*, et interdum etiam *substantia* pro persona sumitur, quæ ex natura, vel essentia communi tribus, et proprietate personali coalescit, ac quodammodo componitur; sic interdum *naturæ*, et *essentiæ* vocabula paululum ab usitata deflecti notione videas, etsi minus ad personas ipsas, certe ad aliquid significandum, quod personis singulis est peculiare , transferri. Etenim Augustinus[5] « essentiam de essentia, et sapientiam de sapientia» esse Filium asserit, idemque esse Verbum, ac natam sapientiam, cum essentialiter sapientia sit; Verbum autem relative, quod vox *nata*, demonstrat. Quem locum ex Augustini septimo *de Trinitate* Magister sentent. attulit[6]. Sed de his, ac similibus dicendi formulis, quæ a plerisque usurpatæ Patribus, offensionis habere nonnihil videntur, erit cum plenius agemus. At in *Breviculo historiæ Eutychianorum*, essentiæ nomen pro persona sumitur his verbis : « Cum catholica fides verum Deum, verumque hominem Christum Dei Filium esse fateatur, non unius naturæ, sed unius essentiæ, atque personæ. » Sic Paschasius Diaconus in libro primo *de Spiritu sancto*, capite octavo, « Non dixit genitum, inquit, ne Filium crederes ; non dicit genitum, ne Patrem putares. Sed ad essentiæ distinctionem, procedere eum ex Patre testatus est. » Et capite decimo : « Si non alter alterum sine permixtione sui penetrat incorporea suæ claritatis unione, erit confusa divinitas. Permixtio enim tollit essentiæ triplicis proprietatem : infusio vero mutua distinctam ostendit essentiam. »

1 Cap. XVII. — 2 Cap. XVIII. — 3 Cap. XIX. — 4 Cap. XX. — 5 Lib. VII *de Trin.* cap. II, et lib. XV, cap. XIV. — 6 In I, dist. V.

Posset et hoc sensu vox *essentiæ* ab Gregorio papa posita videri libro XVI *Moralium*, capite v, cum de terra cœlo que in finemundi transituris, agens, « Utraque, ait, per eam, quam nunc habent, imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt, « Sed est vero similius, *essentiam* ibi naturam, et substantiam significare, sive potius exstantiam, et ὕπαρξιν ; quemadmodum apud eumdem in libro XVIII *Moralium*, capite XXVII : « Aliud quippe illis est (inquit de creatis rebus, præsertim hominibus loquens) esse, aliud vivere; quia in ipso parente primo essentiam habuere per initium, vitam per accessum. » Est ergo communior hæc, et usitata magis *essentiæ* significatio, ut idem sit, quod οὐσία, et τὸ τί ἦν εἶναι, quod in Deo ipsa ejus est *exstantia*, sive existentia , et ὕπαρξις. Etsi in creatis rebus saltem ratione ista differunt ὕπαρξις, et οὐσία, sive *natura*.

Usia et *quid sit esse rei.*

De naturæ vocabulo.

Sed quod ad *naturæ* vocabulum spectat, non est ignorandum, quosdam dici de Deo noluisse, eo quod *natura* a *nascendo* derivata sit, sicut Græca vox φύσις ab eo, quod est φύεσθαι, id est *nasci*. Lactantius in secundo libro, capite VIII, de materia loquens, probat eam non a se, sed a Deo exstitisse. « Quam, inquit, vim potuit habere, nullo dante? quam naturam, nullo generante? Si habet vim, ab aliquo eam assumpsit. A quo autem sumere, nisi a Deo, potuit? Porro, si habuit naturam, quæ utique a nascendo dicitur, nata est. » Ideo naturam Deo tribuere noluit in libro *de Ira Dei*, capite XV. « Nolo enim, ait, naturam dicere, quia Deus noster nunquam creditur natus. » Hinc tergiversandi data est Arianis occasio, « ut ejusdem naturæ, cujus Pater est, non esse contenderent Filium. » Quos sic refellit Augustinus[1] contra Maximinum scribens. « Sed forte, quia natus non est, ideo eum non vultis esse naturam. Putatis enim, quod a nascendo natura sit dicta. Scitote ergo, quod unaquæque res esse dicitur per substantiam, hoc esse utique per naturam. Certe si non putatis esse dicendum, ejusdem Filium, cujus Pater est, esse naturæ, dicite, cujus Pater est, substantiæ, et ad causam, quæ inter nos agitur, sufficit nobis. »

Ambrosius in libro *de Incarnatione Christi*, cap. VIII, cum Arianis objicientibus, « non esse scriptum, Dei esse substantiam, atque naturam, » pressius pedem confert, ac tam *substantiam* ostendit legi in capite primo epistolæ *ad Hebræos*, quam *naturam* in secunda *Petri*, cap. I, 4 : *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ;* necnon *ad Galatas* IV : *His, qui natura non sunt dii, servistis*. Sed hoc posteriore loco *natura* idem est, quod *revera*, et *proprie*, uti supra meminimus. Augustinus libro secundo *de Moribus Manichæorum*, capite secundo ; « Nam et ipsa natura, inquit, nihil est aliud, quam id, quod intelligitur in suo genere esse aliquid. Itaque, ut nos jam novo nomine ab eo, quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque substantiam etiam nominamus; ita veteres, qui hæc nomina non habebant, pro essentia, et substantia naturam vocabant. »

De rei vocabulo.

X. Cum naturæ vocabulo connexum est *rei* nomen, sive utroque juncto, *rei naturæ*, quo usus est Hilarius in octavo libro. Sed quo sensu id usurpaverit, cum sit alioqui perspicuum, dubium fecerunt theologi quidam de schola, qui Magistro non auscultantes , a vero itidem aberrarunt. Magistrum dico sententiarum[2], qui recte Hilarii mentem accepit, ut dicam paulo post. Verba Hilarii sunt hæc : « Non idem est natura, quod naturæ res, sicuti non idem est homo, et quod hominis est; nec idem est ignis, et quod ignis ipsius est, et secundum hoc non idem est Deus, et quod Dei est. » Hunc locum luculenter exposuit Magister sententiarum, et eos redarguit, qui non idem esse naturam et personam ex eo colligebant, « intelligentes per rem naturæ personam, et nomine naturæ divinam naturam. » Ad quam vocum duntaxat interpretationem (nam de re ipsa recte sentiunt) adhæsere scholastici, principe eorum præeunte sancto Thoma[3]. Qui suppositum, rem naturæ, subsistentiam, et hypostasim idem significare putat ; « ac *rem naturæ* dici substantiam, secundum quod supponitur alicui naturæ communi ; secundum vero quod supponitur accidentibus, dici hypostasim, vel substantiam. » Sic etiam sancto Thoma antiquiores alii, ac deinde recentiores opinati sunt. Sed qui Hilarium paulo attentius legat, merito repudiatam ab Magistro judicabit sententiam istam, etsi non satis perspicue, quid tandem *naturæ res* esset, exposuit. Equidem *naturæ rem* ab Hilario non dubito nominari id, quod conjunctum est cum natura, et ab ea vel oritur, vel quoquo modo cum ea nectitur , sive proprietas illius est, sive quiddam ex ipsa consequens. Sic natura hominis est ipsa hominis substantia, vel essentia ; *res*

1 Aug. lib. III *cont. Max.*, cap. XV. — 2 In I, dist. XXXIV. — 3 In I par., qu. XXIX, art. 2.

naturæ hominis proprietas quælibet ejusdem, et quidquid naturam consequitur. Sic Bernardus[1], sive quis alius in epistola de vita solitaria ad fratres de Monte Dei, « Virtus, inquit, quoniam naturæ res est, cum venit in animum aliquando, non venit sine labore, » etc. Sic Tertullianus in primo *contra Marcionem*, capite quarto; « Divinis forsitan comparabuntur humana; Deo non item. Aliud enim Deus, aliud quæ Dei. » Deus est natura ipsa Dei. Quæ autem Dei sunt, sive divina, sunt Dei proprietates, et quæ naturæ illius consectaria sunt; quorum in hominibus quædam similitudines imitationesque sunt, ut bonitatis, potentiæ.

XI. Hanc esse mentem Hilarii series ipsa demonstrat orationis. Propositum enim illi est ostendere, Filium unum esse cum Patre, non voluntate solum, et consensione, sed unitate naturæ. Hoc autem inter alia probat ex illis Christi verbis, in quibus Spiritum sanctum pollicetur apostolis suis, qui illa ipsa doceat, et annuntiet, quæ tum capere non poterant. *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur. Quoniam de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, de meo accipiet, et annuntiabit vobis*[2]. Jam vero cum dicit, *De meo accipiet;* et alibi, *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt*[3], vox illa *mea*, vel *meum* naturam ipsam, sive naturæ unitatem indicat. Quod sic argumentando colligit. Paulus in octavo capite epistolæ *ad Romanos, Spiritum Christi* eumdem vocat et *Spiritum Dei*, sive *Spiritum ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis*. At vero Spiritus Dei naturam ipsam Dei exprimit, sive quod idem est reipsa cum natura Dei, non autem aliquid ad naturam pertinens, quod sine ea communicari possit. Nam Spiritus Dei nomen interdum Patrem, et Filium significat. Quare naturam ipsam Dei contineat oportet; quæ certa proprietate modificata, tertiam Trinitatis personam constituit, quæ reipsa sit idem cum communi natura, vel essentia. Unde cum Spiritus Dei in Christo sit, et idem Dei Spiritus, qua persona tertia est, de eo, quod Filii est, accipiat, hoc est de natura, et divinitate, quam Pater Filio ita communicat, ut una vim transfundat ejusdem producendi Spiritus, necesse est unam in Patre, Filioque naturam esse; quia vocabulum illud *meum* non potest aliquid significare, quod Dei sit, et ab ipsa divinitate, vel natura Dei separatum; eo quod natura Dei, et res naturæ, sive quod ex natura Dei procedit, reipsa non differunt; quemadmodum in rebus creatis. « Deus enim, ait Hilarius, se omnem per sua edocet, et sua non aliud, quam se esse significat, ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur. » Hinc ille mutuus nexus, ac cohærens ordo, quem Græci ἀλληλουχίαν vocant, apud eumdem Hilarium: « Habitat in nobis Christus, inquit, et habitante Christo, habitat in nobis spiritus Christi: habitante tamen in nobis spiritu Christi, non alius tamen spiritus habitat, quam spiritus Dei. Quod si per Spiritum sanctum Christus in nobis esse intelligitur, hunc tamen ita spiritum Dei, ut spiritum Christi esse noscendum est. Et cum per naturam Dei natura ipsa habitet in nobis, indifferens natura Filii esse credetur a Patre, cum Spiritus sanctus, qui et spiritus Christi, et spiritus Dei est, res naturæ demonstretur unius. » Hic naturæ rem vocat Spiritum sanctum, quoniam ex natura Dei, quæ est in Patre, et quam a Patre Filius habet, oritur, id est accipit. Ex quo unum esse natura Patrem, et Filium erudite colligit Hilarius; tum esse Deum ipsummet Spiritum sanctum. « Quæro nunc igitur, ait, quomodo non ex natura unum sunt. A Patre procedit spiritus veritatis, a Filio mittitur, et a Filio accipit. Sed omnia, quæ habet Pater, Filii sunt; et idcirco, qui ab eo accipit, Dei spiritus est; sed idem et spiritus Christi est. Res naturæ Filii est, sed eadem res et naturæ Patris est. » Spiritum sanctum naturæ Patris, ac Filii rem appellat, quod ex amborum una, et eadem natura accipit, id est procedit, et oritur, et est reipsa idem cum natura. Quare, quod universe antea pronuntiare visus est, « Non idem est natura, quod naturæ res, » etc., id de solis creatis rebus intelligendum est, ut bene Magister sententiarum animadvertit; non de Deo, in quo naturam, et rem naturæ idem esse demonstrat; tametsi intelligentiæ, ac rationis nonnulla sit distinctio. Sic in libro nono. « Christum mediatorem ait utrumque unum existentem, id est Deum et hominem, ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque rem eamdem esse: » hoc est ad utramque naturam pertinere, et ex utraque conflari.

XII. Cæterum rei vocabulum per sese pro natura, et οὐσία ab Latinis usurpatur, ut et
χρῆμα apud Græcos, sive πρᾶγμα. In epistola *Res.*
synodica Romani concilii a Damaso, aliisque

1 Bernard. *ad Fratr. de Mon.* col. 1040. — 2 *Joan.* XVI, 13. — 3 *Joan.* XVII, 10.

episcopis ad Illyricos missa, « Pater, et Filius unius dicuntur esse divinitatis, unius virtutis, et rei[a]; » ἑνὸς χρήματος, inquit. Sic Aristophanes in *Nubibus*, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον ἀπέραντον ; *Res noctium ista quam infinita*. Verum apud Theodoretum in eadem epistola, pro ἑνὸς χρήματος, scriptum est ἑνὸς χαρακτῆρος, *unius characteris*. Nihilominus existimo vocabulum χρήματος minime rejiciendum esse. Nam et ita Gelasius Cyzicenus loquitur in actis Nicæni concilii : « Simul autem existit, inquit, cum Patre, Filioque Spiritus sanctus, qui ejusdem est substantiæ, ejusdemque rei, cujus est Pater, et Filius[b]. » Sic Hugo Etherianus libro primo *de Spiritu sancto*, cap. XI, de divinis personis agens, « Neque tres diversæ res esse creduntur, ait, etsi actu personæ tres existant, secundum tres proprietates, quæ rerum non introducunt sectionem, aut divisionem, sed proprium a communi distinguunt. » Augustinus libro primo *de Doct. christ.* capit. V, « Trinitatem vocat unam quamdam summam rem. » Nihilominus idem in tractatu XL *in Joannem*, « Ipse est Pater, inquit, ipse est Filius : duo sunt nomina, sed res una. » Quod et Magister sententiarum usurpat; et Lateranense concilium Innocentio tertio pontifice celebratum, in decreto fidei statuit « unam quamdam rem esse Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. » Item « quamlibet trium personarum esse illam rem, videlicet substantiam, essentiam, sive naturam divinam. » Verum Rusticus Diaconus in disputatione *contra Acephalos*, « Res, inquit, et personam significat, et naturam. Et una igitur res Christus, et duæ, magis vero ipse quidem res una est, quippe ut una persona, in duabus vero naturis agnoscitur. » Et Anselmus in libro *de Incarnatione Verbi*, capite tertio; personas tres secundum communem essentiam unam esse rem fatetur, secundum proprietates, res esse tres. « Solemus enim usu dicere rem, quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid. » Et Theodorus Abucara opusculo secundo tam Deum ait esse πρᾶγμα, quam tres hypostases esse τρία πράγματα.

Rem... tres res.

De generis nomine

Superest *generis* nomen, quod pro natura sumi interdum solet ab Hilario, et Prudentio. Hic in *Hamartigenia* ita canit.

« Fons unicus orbis,
Naturalis apex, generisque, et originis auctor. »

Et mox

« Non amor adscitus sociat, nec jungit utrumque
Conjurata fides, pietas sed certa, genusque
Unum, quod Deus est, summam revocatur ad unam. »

Item,

« Non tamen idcirco duo numina, nec duo rerum
Artifices, quoniam generis dissensio nulla est. »

Hilarius in septimo libro : « Universa, inquit, nativitas non potest non in ea esse natura, unde nascitur. Non affert externi generis substantiam, quia ex uno subsistit alienum. Quod autem alienum a se non est, id unum est genere naturæ. » Et in octavo libro, « Neque alterius generis Deus est, inquit, sed Pater, et Filius unum sunt. »

Sic Facundus Hermianensis [1] ex Eustathio Antiocheno refert, « homines Christo similes esse genere. » Eusebius quoque, qui Emissenus vulgo nuncupatur, in homilia prima *de Symbolo*, « Tres, inquit, videntur in distinctione, sed unum probantur esse in genere. » Auctor libri *de Definitionibus* sub nomine Athanasii, « Natura, inquit, et οὐσία, et genus, et forma unum sunt[c]. » Quod Pachomius quidam Monachus in libello dogmatico refert, etc., ex Scriptura probat, quæ *secundum genus creata esse* dicit *animantia*[2]. Paschasius Diaconus libro primo *de Spiritu sancto*, capite secundo, « Conceptus est potentia, ait de Christo loquens, non substantia; operatione, non participatione; virtute, non genere. » Ita Cicero in secundo *Academicarum quæstionum*: « Rerum natura non patitur, ut non suo quoque genere sit tale, quale est. » Ac Lucretius in primo libro,

« Omnia quando
Paulatim crescunt, ut par est, semine certo,
Crescendoque genus servant. »

a Apud Sozom. lib. VI, cap. XXIII. Ὥστε τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν μίας θεότητος, μιᾶς ἀρετῆς, καὶ ἑνὸς χρήματος πιστεύεσθαι.

b GELASIUS Par. II, cap. XII. Συνυπάρχει δὲ ὡσαύτως πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, τῆς αὐτῆς οὐσίας, καὶ τοῦ αὐτοῦ χρήματος ὄν, οὗπερ ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱός.

c Lib. *de Definit.* Tom. II. Athan. Φύσις, καὶ οὐσία, καὶ γένος ἕν ἐστι.

1 Facun. lib. II et seq. — 2 *Gen.* I.

Tertullianus in libro *de Carne Christi*, capite XIII. « Argilla excocta, inquit, testæ vocabulum suscipit, nec communicat vocabulo pristini generis, quia nec cum ipso genere. » Et capite XVI carnem Christi ait fuisse « genere, non vitio, Adæ. » Et in libro *de Resurrectione carnis*, capite LVII. « Prius est genus, quam casus. »

Hinc illa priscis usitata locutio est orta, ut *consubstantiali degenerem* opponerent, tanquam a genere, id est natura desciscentem. Ita sæpe Hilarius, et Ambrosius. Velut in octavo *de Trinitate* Hilarius. « Nec per sacramentum, ait, dispensationis unum sunt, sed per naturæ nativitatem, dum nihil in eo ex se Deus eum gignendo degenerat. » Ambrosius de Filio loquens in secundo libro *de Hexaemero*, capite quinto, « Nihil in illo, inquit, naturæ degeneris invenitur, cujus opus a paterna non degenerat voluntate. »

Consubstantialis. Ita Græci ἑτερογενῆ, καὶ ἔκφυλον dicunt fore Filium, nisi sit ὁμοούσιος, hoc est *degenerem*, et *monstruosum*. Ut Cyrillus Alexandrinus libro secundo *in Joannem:* « E contrario, inquit, non mediocre dedecus est, degenerem et abhorrentem a natura sua illum habere, quem ex seipso genuit [a]. » Et in decimo ejusdem operis ὁμοούσιον opponit τῷ ἀλλογενεῖ.

Consubstantiale.... alienigeno. Sequitur *suppositi* nomen, quod minus Latinorum Patrum usu contritum est, in ea significatione, qua passim in scholis auditur, ut sit *hypostasis*, vel *persona*. Apud Ambrosium tamen occurrit libro *in Symbolum Apostolorum*, capite XIII. « Hanc (inquit de humana loquens anima ab Christo suscepta) pro totius humani generis salute in unitate suppositi assumpsit. »

Postrema vox est *formæ*, Græcis μορφή, quam Apostolus pro natura posuit in capite secundo epistolæ *ad Philippenses*, ut Vigilius libro secundo *contra Eutychen* observat. Nam formas in Christo duas distinguit Apostolus. Ita Leo papa in celebri illa *ad Flavianum* epistola, quæ est X*:* « Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est ; » et in epistola XCVII quem utrumque locum Agatho papa citavit in epistola *ad Imperatores,* quæ est actione quarta synodi sextæ.

CAPUT IV.

De personæ *vocabulo ; tum de controversia Catholicorum super hypostasi triplici, et Antiocheno schismate indidem conflato; Alexandrina synodo; Hieronymi dubitatione, et cæteris eodem spectantibus.*

I. Nunc de *personæ* nomine, ac significatione dicendum superest, quam accurate Boetius [1] explicat. Ac *personam* docet imprimis, neque accidentibus convenire, neque substantiis omnibus, sed iis tantummodo, quæ rationis sunt participes, sive corporeæ sint, sive corporis expertes ; tum iis, quæ singulares sunt, non autem universalibus naturis. Ex quo personæ definitionem sic absolvit: « Quocirca si persona in solis substantiis est, atque in his, rationalibus ; substantiaque omnis natura est, nec in universalibus, sed individuis constat; reperta est personæ diffinitio, *naturæ rationabilis individua substantia.* » Paulo post vero pro *substantia* subsistentiam ponit. Hujus deinde vocis originem a comœdiis, tragœdiisque repetit in quibus fictos hominum vultus, ac larvas inducebant; quæ personæ a personando dictæ circumflexa penultima, atque ab sono, « quia concavitate ipsa major necesse est volvatur sonus, » quod ex Gellio mutuatus videtur. Eas personas Græcos ait [2] vocare πρόσωπα, παρὰ τὸ πρὸς τὰς ὦπας τίθεσθαι, « quod obtegant vultum. Sed quoniam personis inductis histriones individuos homines, quorum intererat, in tragœdia, vel comœdia repræsentabant, id est Hecubam, vel Medeam, vel Simonem, vel Chremetem ; idcirco cæteros quoque homines, quorum certa pro sui forma esset agnitio, et Latini personas, et Græci πρόσωπα nuncupaverunt. » Addit Græcos felicius hoc ipsum quod Latini *personam* nominant, per vocabulum ὑποστάσεως exprimere. Est autem, quod ad præsentem usum vocis istius attinet, magis ambigua προσώπου dictio, quam personæ. Nam πρόσωπον et *faciem*, sive *vultum* et ὑπόστασιν, *subsistentiam*, aut *personam* significat. Qua etiam ex notione transferri ad divinas hypostases προσώπου vocabulum Gelasius Cyzicenus indicat in secundo *de Act. Nicænæ* — *De personæ vocabulo.*

a CYR. Ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων αἶσχος οὐ μικρὸν ἑτερογενῆ τε, καὶ ἔκφυλον ἔχειν τὸν ἐξ αὐτοῦ, etc. Ita libro I *contra Nest.*

1 Lib. *de Duab. nat.* — 2 Lib. V, cap. VII.

synodi, « Quippe, inquit apud eum Leontius cum philosopho disputans, cœlum, et terram πρόσωπον habere ex Scripturæ testimonio constat; quemadmodum Dominus ipse in Evangeliis ad scribas, et pharisæos verba faciens dixit [1] : Hypocritæ, faciem cœli et terræ dijudicare nostis, et cætera. Quidquid enim per se subsistit, quatenus per se subsistit propriæ naturæ personam, sive faciem, sive figuram habere dicitur[a].»

II. Ut de personæ nomine potissimum agam, ejus præcipua sunt significantia duo; alterum, ut certam substantiæ conditionem; alterum ut substantiam ipsam singularem exprimat. Priori modo, quo rei alicujus, et substantiæ qualitatem, vel affectionem significat, multi veterum personæ vocabulum in usum acceperunt. Eustathius Antiochenus in lib. VI *adversus Arianos* apud Facundum Hermianensem [2], duas in Christo personas illo sensu confitetur : « Dum *sederit*, ait *Filius hominis in sede majestatis suæ*[3], alia quidem videtur loqui persona, de altera autem facit manifeste sermonem. » Ergo quod Facundus expendit, « in Christo alteram Dei, alteram hominis intelligi personam voluit. » Sic Ambrosius in libro secundo *de Fide*, capite quarto, « Et miraris, inquit, si ex persona hominis Patrem dixit majorem, qui in persona hominis se vermem dixit esse, non hominem? » Ita enim personam, id est πρόσωπον ambo dixerunt, ut cum vulgus ait, Ex persona alicujus loqui, vel agere, aut personam aliquam suscipere. Sic Theophilus ait Filium assumpta Patris persona cum Adamo collocutum[b].

Nec absimili ratione Tertullianus in secundo *adversus Marcionem* capite XXVII, cum dixisset Christum in Patris « auctoritate, et nomine Deum fuisse, qui videbatur Dei Filius, » mox ait sic: « Sed et penes nos Christus in persona Christi accipitur. » Ibi persona idem est, atque auctoritas, et nomen. Ut cum Athanasius inquit, « Joelem ex persona Patris dicere: *Effundam de spiritu meo*[c]. »

III. Est de hac personæ significatione mirificus, et inquisitione non indignus locus Paschasii Diaconi [4] in secundo libro *de Spiritu sancto*, ubi duas in Christo substantias, unam vero ait esse personam, et cur una sit, rationem ita reddit: « Denique quando Verbum transit in carnem, et hominis habitum Deus induit, etsi *in circuitu ejus tabernaculum ejus, et splendorem suum tenebris nostræ fragilitatis involvit, et ponit tenebras latibulum suum*[5], Dei quidem et hominis duplex substantia est, sed tamen una persona. Quamobrem? Quia dum formam servi accipiens famulo Deus jungitur, minoris humilitas intra reverentiam majoris absconditur, et superioris lumine exinanita consumitur, ac sic proprietatem personæ humanitas divinitate abumbrante, vel eminente non obtinet. Ibi ergo potest esse personarum parilitas, ubi meritorum, ac dignitatum consistit æqualitas. » Deinde paucis interjectis, « De duabus, ait, rationalibus, diversisque substantiis, præsertim de Dei, et hominis, de creatoris et creaturæ, una fieri non potest; de duabus vero personis, una fieri non potest, sicut legimus caput et corpus, Christum et Ecclesiam unam tenere personam, *Erunt enim*, inquit, *duo in carne una*[6]. Et sicut apud nos homines, filius patris familias juxta patrem, vel servus juxta dominum personæ propriæ locum non habet; ita in Deo et homine gemina quidem substantia, sed non gemina persona est; quia persona personam consumere potest, substantia vero substantiam consumere non potest. Siquidem persona res juris est, substantia res naturæ. » Hæc Paschasius, qui *personam*, non pro hypostasi sumpsit, sed pro qualitate et conditione, quæ juris est alicujus, hoc est quam propriam habet, et qua censetur quispiam, ut est domini et servi status, vel Patris et Filii. Hæc enim nomina affectionem quamdam atque ἕξιν indicant, quæ naturæ ac substantiæ accidit. Sic regis et subjecti, doctoris ac discipuli *personæ* nominari possunt. Quærenti igitur, quid causæ sit, cur personæ in Christo non sint duæ, cum sint duæ substantiæ, respondet Paschasius, id eo fieri, quod inferioris subsantiæ persona, id est status et dignitas velut

a Gelasius. Καὶ γὰρ καὶ ὁ οὐρανὸς, καὶ ἡ γῆ πρόσωπον ἔχειν μεμαρτύρηται, καθὰ αὐτὸς ὁ κύριος ἐν εὐαγγελίοις πρὸς τοὺς γραμματεῖς, καὶ φαρισαίους διαλεγόμενος ἔφη· ὑποκριταὶ, τὸ πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῆς γῆς οἴδατε δοκιμάζειν, καὶ τὰ ἑξῆς· παὶ γὰρ τὸ ὑφεστὸς, ἐφ' ὅσον ὑφίσταται, πρόσωπον ἔχειν λέγεται τῆς οἰκείας φύσεως, ἤτοι σχῆμα.

b Theoph. in I *ad Autol.* Ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ, etc. Ἀναλαμβάνων τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου τῶν ὅλων, οὗτος παρεγίνετο εἰς τὸν παράδεισον ἐν προσώπῳ τοῦ θεοῦ.

c Athan. *de Humana nat. susc.* Καὶ ἐν τῷ Ἰωὴλ ἐκ προσώπου πατρὸς λέγει· ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου.

1 *Luc.* XII, 57. — 2 Lib. XI. — 3 *Mat.* XIX, 28. — 4 Tom. IX *Bibl. Patrum*, cap. IV, l. II. — 5 *Psal.* XVII, 2. — 6 *Gen.* II, 29.

absorbetur, et consumitur, splendore divinitatis offusa, quemadmodum lumen lucernæ luce solis obscuratur, et vanescit, atque ut persona servi cum domini persona, vel Filii cum Patris comparata, nulla fit, Augustinus itidem tractatu XXIV *in Joannem*: « Venit ipse unus, inquit, utramque personam in se portans, sacerdotis et regis. » Sic in tractatu *ad Psalmum* XXXVI.

IV. Sed hæc Paschasii ratio minus est exacta. Neque enim prohibere potest, quin reipsa sint in Christo personæ duæ; quamvis una longe minor altera sit, et in ejus quodammodo fulgore delitescat. Sicut filii ac servi status, et conditio, ac jus etiam quoddam illorum est, quamdiu in aliena sunt potestate; adeo ut certarum rerum potestatem habeant, uti peculii, in quibus potest illis injuria fieri, quæ sine jure intelligi nequit. Quinetiam jurisconsulti personam vocant non modo liberum caput, sed et servile. Velut « personam patris vel domini[1] et personam filii[2]. » Tum universe « summa, inquiunt, de jure personarum divisio hæc est, quod omnes homines aut liberi sunt, aut servi[3]. » Quocirca mirari subit, Paschasium de divinis personis talia per id tempus scripsisse, quo hæc jam erant plurimorum illustrata monimentis, ac toto orbe Christiano cognita. Non enim personæ nomen, personarumve numerus ad distinguendas divinitatis hypostases assumitur a Patribus ea notione, qua jus, qualitatem, functionem, affectionemque significat; quo sensu plures personas eadem, et singularis capere natura potest, vel hypostasis. Sic enim nihil ab Sabelliano errore catholica fides abhorreret. Sed tum scilicet ea intelligitur natura, quæ per se, perfecte separatimque consistit. Bene itaque Hugo Etherianus observat, « aliter apud grammaticos accipi personam, et aliter apud theologos Etenim in grammatica quælibet res persona nuncupari potest sive per se subsistat, sive per aliud, sive substantia sit, sive accidens[4]. » Apud theologos vero personæ nomen, nonnisi substantiam significat, non tamen sine qualitate vel functione aliqua. Nam utrumque potestas istius appellationis continet, quod Boetius agnovit, dum personæ vocabulo « homines significari asserit, quorum certa pro sui forma esset agnitio, » hoc est, qui cæteris proprietatibus, et notis ab aliis discernuntur; cujusmodi formas, et notis χαρακτῆρας Græci vocant. Non igitur *persona* solas istas notas proprias significat; sed una cum iis substantiam, quam afficiunt, ac singularem constituunt, et ab reliquis separant.

V. Ex quo Laurentii Vallæ[5] acris vehementisque potius, quam prudentis litteratoris castiganda temeritas est, qui Boetium reprehendere est ausus, quod personam ita, ut dixi, definierit, « rationabilis naturæ individuam substantiam. » Ipse vero contendit personam esse qualitatem, qua alius ab alio differimus tum in animo, tum in corpore. Deinde tres in Deo sunt personæ, non et tres substantiæ. Unde concludit, personam non significare substantiam. Ad hæc « nulla vox meram substantiam significat; neque ulla res est mera substantia. » Sed hæc argumenta jocularia sunt, et boni sensus inania. Etenim *personæ* vox utrumque, ut jam dictum est, exprimit. Nam est ex eorum genere, quæ complexa, vel *concreta* nomina vulgo nuncupant; quorum significatio est duplex, uti subjectam substantiam indicent cum qualitate aliqua eam afficiente. Qualitatem hic voco laxius usurpato nomine de eo omni, quod ad naturam et essentiam adjungitur, quoque individuæ substantiæ invicem distinctæ sunt. Hoc enim modo Patris vox qualitatem substantialem, et σχετικὴν significat proprie, oblique *Relativam.* vero communem tribus substantiam, quæ proprietatis, et qualitatis accessione modificatur, atque ex communi propria fit. Quocirca non minus in sanctissima Trinitate personæ nomen usitatam illam, et cujusmodi Laurentius Valla defendit, significationem obtinet, quam in rebus humanis. Nam et Filii, exempli causa, personam cum dicimus, peculiarem ejus conditionem, ac proprietatem ostendimus; quod a Patre genitus est, quod ad eum comparatur, quod principio et origine non caret. Sed hoc interest, quod ratio ipsa Patris, quam *paternitatem* vocamus, in Deo subsistens est aliquid, et *substantivum*, non accidens. Ideo persona illic utraque notione, hoc est directa, et obliqua, substantiam significat. Siquidem et οὐσία, sive *essentia* substantia est, et relationes substantiæ sunt, quatenus substantiæ nomen non solam, ut Valla putat, essentiam indicat. Unde et tres substantiæ a nonnullis dictæ sunt, de quo dicetur postea.

1 Lib. II *D. de Leg.* I. — 2 Lib. XIX § *Servus D. de Stip. serv.* — 3 Lib. III *D. de Statu hom.*, et lib. I *Inst.* Just. tit. III. — 4 Lib. II *cont. Græc.* cap. XIX. — 5 Valla lib. VI *Eleg.* c. XLIV.

VI. Cæterum indocte Laurentius iste Valla personam negat pro substantia sumi, solamque putat rei significare qualitatem apud Latinos auctores. Nam et Cicero in Lucullo eo sensu posuit, quem Valla reprehendit, cum excusat se, quod in dialogis iis, quos de philosophia scripsit, loquentes introducat viros graves, et reipublicæ principes*. « Ac vereor, inquit, ne talium personarum cum amplificare velim, imminuam etiam gloriam. » Et paulo post, « Restat ut iis respondeam, qui sermonibus ejusmodi nolint personas tam graves illigari. » Quinetiam Lactantius[1] itidem, ut Boetius, cæterique vulgo Patres, ac theologi, *utramque personam* Patris nominavit, ac Filii, tametsi non eamdem utriusque substantiam esse crediderit, ut est dictum superiore libro.

Sane jurisconsulti** personam appellare solent ipsam individuam hominis substantiam, et Vallam silere jubent; ut cum dicunt[2], « Omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. » Item[3] *actio* apud eosdem « aut in rem esse dicitur, aut in personam. »

Cæterum quid in Deo *personæ* notio supra divinam *essentiam*, ac naturam adjiciat, postea declarabitur. Id enim scire in præsentia satis est, *personam* ad hoc significandum adhiberi, quod in Trinitate singulare est minimeque commune, atque ex propriis cujusque conditionibus, non ex iis, quæ secundum naturam congruunt, trium numerum, discrimenque constare. Ob id *personas tres* potius, quam substantias dici oportere Latini Patres admonent; tametsi substantias plures interdum numerent. « Nam hæc duo nomina, ait Anselmus[9], aptius eliguntur ad designandam pluralitatem in summa essentia; quia persona non dicitur, nisi de individua rationali natura, et substantia principaliter dicitur de individuis, quæ maxime in pluralitate subsistunt. »

VII. Nec est prætermittendum perleve discrimen inter ὑπόστασιν, et πρόσωπον a Græcis traditum; quod Damascenus, et post eum totidem verbis Theorianus in *Legatione ad Armenos* exponit. Ubi postquam ὑπόστασιν esse docuit substantiam, sive rem subsistentem, quæ congerie certorum accidentium afficitur, mox πρόσωπον ita definit, ut sit id, « quod per operationes, et proprietates suas manifestum et distinctum ab aliis ejusdem naturæ consortibus indicium sui præbet. » Igitur ὑπόστασιν substantiam volunt individuam esse, et solis individuis proprietatibus affectam; nihil autem molientem, ac velut inertem; personam vero eamdem substantiam, ut est actuosa, et efficiens aliquid; quod ad priorem illam personæ notionem proxime videtur accedere. Declarant hoc exemplo Gabrielis, ac Pauli. Nam Gabriel cum beata Virgine colloquens, et solus illic ex omni angelorum numero consistens, per hanc loci præsentiam, et collocutionem ab ejusdem naturæ cæteris disjungitur. Sic Paulus[5] e gradibus pro concione verba faciens, ac solus ibidem stans, propriis quibusdam notis, et actionibus ab reliquis hominibus separatur. Hæc Damascenus; qui in eo dissentit a Boetio, quod[6] hic non modo personæ nomen solis vindicat præditis ratione substantiis. Nam « Græcum, ait, de irrationalibus animalibus ὑπόστασιν non dicere, sicut nos de eisdem nomen substantiæ prædicamus; quoniam nomen hoc meliori applicatum est, ut aliqua id, quod est excellentius, tametsi non descriptione naturæ, secundum id, quod ὑφίσταθαι, atque *substare* est, at certe ὑποστάσεως, vel substantiæ vocabulis discerneretur. » Joannes vero Damascenus ὑπόστασιν tam de

Hypostasim et personam

Hypostasim.

Personam.

Hypostasim.

Hypostaseos

Hypostasim

a DAMASC. *Dialect.* cap. XLIII. et THEORIAN. in *Legat.* Πρόσωπον δέ ἐστιν ὃ διὰ τῶν οἰκείων ἐνεργημάτων τε, καὶ ἰδιωμάτων ἀρίδηλον, καὶ περιωρισμένην τῶν ὁμοφυῶν αὐτοῦ παρέχεται τὴν ἐμφάνειαν.

* In hisce locis Ciceronis, voce *persona* non significantur simpliciter homines, quatenus certa qualitate præditi. Gallice non satis bene verteris, *des personnes graves*. Vertendum esset periphrasi hac aut simili; *des gens de ce rang et de cette gravité*. At vero jurisconsulti et theologi aliter loquuntur. Verum si de usu aliorum scriptorum agamus, sine dubio recte sentit Valla. T. AL.

** Ut sensus constet oporteret hic legi : *Quod non eamdem utriusque substantiam*, etc. Nam Petavius vult probare *personam* dici sæpe a Latinis *substantiam* ex Lactantii loco. Quod si recte probetur, oportet eum qui dixit *duas personas*, (sic enim habet Lactantius, non *utramque personam*) intellexisse duas substantias. Alioqui Lactantii locus frustra hac in re laudaretur. Attamen Lactantius diserte docet utrique esse *unam substantiam*, quod intellexit forte Petavius de una specifica substantia, non de unitate numerica ut loquuntur scholastici. Qua de sententia multa in sequentibus. Verum hoc hic videtur esse ἀπροσδιόνυσον, itaque suspicor mendum quodpiam quod non assequor, in Petavianis verbis subesse. T. AL.

1 Lact. lib. IV, cap. XXIX.— 2 Just. lib. II, *Instit.* tit. II, et lib. I *L. de Stat. hom.*— 3 IV Lib. *Instit.* tit. VI. 4 *Mono.* c. LXXVI.— 5 *Act.* XXI, 40.— 6 Boet. in lib. *de Duabus nat.*

brutis, quam de ratione præditis usurpari asserit, πρόσωπον etiam non peculiari usu solis rationalibus attribuit, sed una cum ὑποστάσει, et ἀτόμῳ, etiam ratione carentibus commune videtur facere. Est tamen illud Boetii de persona non minus in Græco προσώπου vocabulo verum. Quis enim equi, vel bovis πρόσωπον appellari unquam audiit, cum vox ista individuam designet substantiam?

Personam. Hypostasi et individuo.

Paschasius Radbertus in *Vita Adelhardi abbatis Corbeiensis*, personæ voces ea, quam Damascenus usurpat, significatione posuit, personam dicens « considerari nomine, natione, patria, genere, dignitate, fortuna, corpore, institutione, moribus, vita; quomodo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit, affectione, arte, conditione, » etc. Quibus rebus, ac velut adjunctis, et accidentibus etiam hypostases constare, Græci fere sentiunt, ut jam dixi[1].

Insignis locus Vincentii Lirinensis.

VIII. Facit ad hanc personæ notionem insignis locus Vincentii Lirinensis; qui cum de unitate personæ in Christo dissereret, prudenter adjecit: « Sed cum personam sæpius nominamus, et dicimus, quod Deus persona homo factus sit, vehementer verendum est, ne hoc dicere videamur, quod Deus Verbum sola imitatione actionis, quæ sunt nostra susceperit, et quidquid illud est conversationis humanæ, quasi adumbratus, non quasi verus homo fecerit; sicut in theatris fieri solet, ubi unus plures effingit repente personas, quarum ipse nulla est. Quotiescumque etenim aliqua suscipitur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia, aut opera patrantur, ut tamen hi, qui agunt, non sint ipsi, quos agunt. Neque enim, ut, verbi gratia, sæcularium, et Manichæorum utamur exemplis, cum actor tragicus sacerdotem effingit, aut regem, sacerdos, aut rex est: nam desinente actu, simul et ea, quæ susceperat persona desistunt. Absit hoc a nobis nefarium, sceleratumque ludibrium, » etc. Ac paulo post: « Abjiciatur ergo tota penitus personæ illius intelligentia, quæ fingendo imitatione suscipitur; ubi semper aliud est, et aliud simulatur; ubi ille, qui agit, nunquam is est, quem agit. Absit etenim, ut hoc fallaci modo Deus Verbum hominis personam suscepisse credatur: sed ita potius, ut incommutabili sua manente substantia, et in se perfecti hominis suscipiendo naturam, ipse caro, ipse homo, ipse persona hominis existeret, non simulatoria, sed vera, non imitativa, sed substantiva, non denique, quæ cum actione desisteret, sed quæ prorsus in substantiam permaneret. » Quocirca persona hypostasis est, sive individua substantia agens, et moliens aliquid, ac certis insignita notis actionis, loci, temporis, et id genus cæteris, quæ ex natura, et essentia, ceu fonte prodeunt. Cujusmodi affectiones, et proprietates ex humana profectas natura Christus habuit, ideoque verus homo, non imitatione sola exstitit; quia fundus illarum qualitatum non personalis est proprietas, sed natura sive sua, sive aliena proprietate subsistens.

IX. Facundus Hermianensis auctor est, personæ nomen tum in Ecclesia adhiberi cœpisse, cum est orta Sabellii hæresis. « Nam sic, inquit[2], Ecclesia Christi, etiam cum necdum ad distinctionem Patris, et Filii, et Spiritus sancti uteretur nomine personæ, tres credidit, et prædicavit, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. » Mox: « Personarum autem nomen, nonnisi cum Sabellius impugnaret Ecclesiam, necessario in usum prædicationis assumptum est; ut qui semper tres crediti sunt, et vocati, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, uno quoque simul, et communi personarum nomine vocarentur. » Verum ex iis, quæ capite primo commemoravi de *personæ* usu, et Sabellianorum fuco, satis apparet, non eos personarum multitudini adversatos fuisse: dummodo personas easdem per se subsistentes, ac subjecto diversas esse, non affirmarent catholici, hoc est τρία πρόσωπα ἐνυπόστατα, vel tres hypostases non facerent. Quocirca verius est, quod idem Facundus continenti oratione subjicit, *subsistentiæ* vocem contra Sabellianos per idem tempus usurpari cœpisse; « quoniam Ecclesiæ placuit, ad significandam Trinitatem, et hoc nomen distinctioni personali tribuere. » Nam, ut Gregorius Nazianzenus meminit, « qui tres personas profiterentur, iis Sabellianus error impingi consueverat; ii autem, qui tres hypostases defenderent, Arianæ perfidiæ affines esse credebantur[a]. » Potest tamen Facundi opinio illa sic exponi; ut exorta Sabellii hæresi, quæ unum, ac singulariter subsistentem

[a] NAZIANZ. orat. XXI, sub fin. Εἶτα Σαβελλισμὸς ἐνταῦθα ἐπενοήθη τοῖς τρισὶ προσώποις, καὶ Ἀρειανισμὸς ταῖς τρισὶν ὑποστάσεσι.

1 Sup. cap. II. — 2 Lib. I.

asseverabat Deum, cum catholici personas distinctas ex adverso illis opponerent, ii personæ vocabulum stulta illa tergiversatione conati sint eludere, ac se eatenus amplecti responderint, ut ne separatim subsistentes esse putarentur. Sane ad Sabellianam retundendam hæresim, personæ vocabulum sedulo adhibet auctor libri *de Trinitate*, qui vulgo Novatiano inscribitur, cum sit alterius illo recentioris, sed tamen antiqui. Nam Christum « secundam ait[1] esse personam post Patrem, » idque pluribus Scripturæ testimoniis demonstrat.

Hac personarum trium, vel totidem hypostaseon professio magnas in Oriente turbas concivit; imo Orientis et Occidentis Ecclesias inter se commisit; cum Græci tres hypostases, et unam usiam asseverarent, Latini unam hypostasim, sive usiam, personas tres; qua ex controversia natum esse Antiochenæ illud Ecclesiæ dissidium, refert Basilius[2], in quo catholicarum partium duo eodem tempore constituti sunt episcopi. Quod ut planius intelligatur, paulo diligentius exponendum videtur.

Origo Antiocheni dissidii.

X. Cum ob catholicæ fidei constantiam, et Nicæni professionem dogmatis in exilium ejectus esset Eustathius Antiochenus episcopus, Constantio imperatore anno CCCXL, ut ex Athanasio[3] colligitur, ac suffectus ei ab Arianis esset suarum partium antistes; complures hæreticorum communionem veriti, ab ecclesiasticis cœtibus abstinebant, ac separatim suos ipsi conventus agebant, ut scribit Theodoretus[4]; qui Eustathiani ex eo nominati sunt. Postea, cum Eudoxius Arianus, Antiochena relicta sede, Constantinopolitanam, submoto Macedonio, vacuam occupasset, Antiochiæ Meletius fit episcopus, qui cum Semiarianis sentire videbatur; ob idque Acacii Cæsariensis, Georgii Laodiceni, et Eudoxii ipsius opera, qui eadem labe contacti erant, illo e Sebastia translatus est anno CCCXL[5]. Sed cum Nicænum deinde dogma tueri cœpisset, nihilominus Eustathiani, quod ab hæreticis ordinatus esset, ad eum se adjungere noluerunt[6]. Itaque tres in partes Antiochena scissa est Ecclesia. Nam alii erant Ariani : catholicorum vero alii Eustathii ; alii Meletii sectatores. Brevi post tempore Meletius ob desertum Arianæ sectæ patrocinium ab Constantio relegatur, ejusque loco Euzoius, qui cum Ario primum damnatus erat, episcopus conseeratur. Inde mortuo Constantio, cum Juliani edicto omnibus, qui ab Constantio relegati erant, concessus esset reditus, Eusebius Vercellensis, et Lucifer Calaritanus, qui in vicina Ægypto loca deportati fuerant, varias in partes abiere[7]. Eusebius Alexandriam ad Athanasium accurrit, qui eo post Georgii necem redierat. Lucifer delegatum pro se diaconum suum misit Alexandriam, qui communi concilio interesset. Ipse Antiochiam abiit, ubi conciliandarum studio partium Paulinum creat episcopum, virum sanctum et hoc gradu dignissimum, ratus in concordiam revocari posse hanc Ecclesiam, si talis ordinaretur antistes, in quem pars utraque consentire posset. Sed eum spes[8] fefellit. Nam nihilo magis restituta est Ecclesiæ pax; et cum subinde Meletius Antiochiam revertisset, pro uno in parte catholica episcopi fuere duo : in totum vero, annumerato Ariano Euzoio, tres. Alexandriæ porro per idem tempus ab Athanasio, Eusebio Vercellensi, aliisque numero paucis, sed fidei integritate, et confessione præclaris celebrata est synodus : in qua decretum est, ut, perfidiæ auctoribus rejectis, reliqui episcopi, ac clerici, si resipiscere vellent, pristinos gradus reciperent[9]. Deinde legati ab synodo missi sunt Antiochiam Eusebius Vercellensis, et Asterius, aliique cum synodicis litteris, quæ apud Athanasium leguntur, et ad Eusebium alterum, puto Samosatenum, Luciferum, aliosque directæ, de quibus paulo post. Eusebius Vercellensis, cum Antiochiam venisset, ibique contra pollicitationem creatum a Lucifero cognovisset episcopum, pudore, et indignatione commotus abscessit, cum neutra parte communicare volens. Tunc Meletius ab exilio regressus, quia numerosior cum eo populus erat, ecclesias tenuit, ait Ruffinus[10]. Socrates[11] vero ecclesias omnes urbicas Euzoium obtinuisse scribit, præter unam exiguam, quam Paulinum, ob ejus venerationem, habere permisit : Meletium vero extra urbem conventus suos celebrasse. Sic igitur Antiochiæ catholici duo fuerunt episcopi. Lucifer offensus Eusebio, quod factam a se ordinationem improbasset, cœpit ipse et illud damnare, quod in Alexandrino concilio constitutum erat, de sacerdotibus ab hæresi reversis pristinum in gradum recipiendis : ex quo Luciferianum schisma originem accepit.

XI. Apud Athanasium in fine epistolæ

1 Cap. XXI. — 2 Epist. XLIX.— 3 Epist. *ad Solit.* — 4 Lib. I, c. XXII.— 5 Sozom. IV, c. XXVIII. Vide lib. I hujus oper. c. ult.— 6 Socr. II, c. XLIV. — 7 Ruff. I, c. XXVII. — 8 Ruff. ib. c. XXX. — 9 Ruff. c. XXVIII et seq. — 10 Ruff. c. XXX. — 11 Lib. III. c. VIII.

synodicæ subscripsisse leguntur diaconi duo Luciferi Herennius, et Agapetus: totidemque Paulini diaconi, Maximus, et Calemerus. Porro missa dicitur epistola ad Eusebium Vercellensem, Luciferum Sardiniæ episcopum, Asterium Petræ in Arabia, etc., scripta autem ab Athanasio, et iis, qui cum ipso erant, nempe Eusebio ipso, et Asterio, ac reliquis. Ex quo manifestum est Luciferum prius Antiochiam adiisse, ac Paulinum ordinasse, quam Alexandrina synodus haberetur: Eusebium quoque Vercellensem, peracto concilio, prius excurrisse Antiochiam, quam eodem epistola mitteretur.

Jam vero auctor est Basilius dissidium illud Antiochenum ex eo natum esse, quod alii unicam et singularem hypostasim in Deo profiterentur: alii tres. Nam ad Terentium comitem scribens ait imprimis, se nullo pacto deduci posse a communione Meletii, quamvis Paulinus ab Romano pontifice, et Occidentalibus episcopis litteras acceperit, quibus ratus illi fiebat episcopatus; necnon ab Athanasio, qui cum Meletio hactenus communicare noluerat. Tum « haud parvi momenti se quæstiones illas ducere, ob quas initio schisma conflatum est[a]. » Quippe hoc ipso, quod unica hypostasis in Deo ponitur, occasionem Arianis præberi, qui propterea τὸ ὁμοούσιον repudiabant, quod id secundum hypostasim asseri ab catholicis interpretabantur; quasi singularem in Deo hypostasim eo vocabulo declararent, quæ varias identidem functiones, et personas obiret, ac modo consentaneas Patri voces usurparet, modo Filio, alias Spiritui sancto, cum subjecto revera esset idem. Addit, Occidentales eam calumniam veritos, cum hypostasim promiscua significatione cum οὐσίᾳ caperent, ob linguæ suæ angustias Græcum usiæ nomen expressisse. Scripserat eadem de re ad Basilium Epiphanius, cui ille CCCXXV epistola respondet; qua hortanti, ut relicto Meletio, se ad Paulinum adjungeret, rescribit, adduci non posse se, id ut faceret; tum hoc probat, quod tres ab Epiphanio hypostases in Deo esse dicerentur.

Consubstantiale.

Alexandrina synodus.

XII. Ex his apparet, in Alexandrino concilio, quod ab Athanasio, Eusebio Vercellensi, aliisque celebratum diximus, ut Antiocheno illi schismati remedium adhiberent Patres, merito de illa unius, triumve hypostaseon quæstione disceptasse. Qua de re fuse scribit Athanasius in epistola synodica, cujus paulo ante memini; ubi episcopos, qui Antiochiæ erant, hortatur, ut in concordiam revocent catholicos omnes, sive tres, sive unam in Deo hypostasim asseverent, dummodo reipsa, et sententia nihil ab Nicæna professione discordent; neque formulam quamdam fidei tanquam ab Sardicensi editam synodo recipiant; cum synodus ista nullam fidei novam professionem condere voluerit, ne Nicænæ obrogaretur. Porro diligentem inquisitionem a se habitam fuisse de his, qui tres hypostases, et qui unam constituerent. Igitur qui tres defendebant, interrogatos esse, num sic tres hypostases statuerent, quomodo Ariani, ut eas invicem alienas, peregrinasque ponerent sic, ut unaquæque hypostasis per se ipsam separata consisteret, quemadmodum creaturæ reliquæ, et qui ex hominibus nascuntur[b]. At illos respondisse, nequaquam se ita credere; verum ideo tres asseverare hypostases, quod Trinitatem non voce tenus esse defenderent, sed revera talem esse, ac subsistere adeo, ut Pater vere esset, ac subsisteret, Filius item vere existens, ac subsistens, necnon Spiritus sanctus haberetur. Neque se propterea tres Deos, aut tria principia, sed Trinitatem in una οὐσίᾳ, et ὁμοούσιον confiteri. Qua illorum probata ratione, vertisse se ad illos aiunt, qui unicam hypostasim tuerentur; sciscitatosque, num, ut Sabellius olim faciebat, ita ipsi hoc assererent, ac Filium ἀνούσιον, id est *substantia carentem,* et Spiritum sanctum ἀνυπόστατον, *non subsistentem* asserere vellent. Ad hæc vero subjecisse illos, longe se alia sentire. Nam idcirco singularem Trinitatis hypostasim statuere, quod ὑπόστασιν idem esse cum οὐσίᾳ putarent. Quibus auditis, vehementer assensisse partis alterius homines; atque ita convenisse omnes, ut ne aliam fidei formulam, verborumque conceptionem exigerent, præter eam, quam Nicæna synodus expresserat. Hæc synodica Alexandrini concilii; cui Paulinus deinde subscripsit.

XIII. Ruffinus[1] de eadem agens synodo: « Sed et de differentia substantiarum, inquit,

a Basil. ep. CCCXLIX. Οὐ μέν τοι τούτου γε ἕνεκεν δυνάμεθα ἑαυτοὺς πεῖσαί ποτε, ἢ Μελέτιον ἀγνοῆσαι, ἢ τῆς ὑπ' αὐτὸν ἐκκλησίας ἐπιλαθέσθαι· ἢ τὰ ζητήματα, ὑπὲρ ὧν ἐξ ἀρχῆς ἡ διάστασις γέγονε, μικρὰ ἡγήσασθαι.

b Athan. Ἀνακρίνειν δὲ ὅμως τούτους διὰ φιλονεικίαν, μὴ ἄρ' ὡς Ἀρειομανῖται λέγουσιν ἀπηλλοτριωμένας, καὶ ἀπεξενωμένας ἀλλήλων, καὶ ἑκάστην καθ' ἑαυτὴν ὑπόστασιν διῃρημένην, ὡς ἔστι τά τε ἄλλα κτίσματα, καὶ οἱ ἐξ ἀνθρώπων γεννώμενοι.

1 Lib. I *Hist.* cap. XXIX.

et subsistentiarum sermo eis per Scripturam motus est, Græci οὐσίας, et ὑποστάσεις vocant. Quidam etenim dicebant, substantiam, et subsistentiam unum videri : et quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debeamus. Alii vero, quibus longe aliud substantia, quam subsistentia significare videbatur, dicebant, quia substantia ipsa rei alicujus naturam, rationemque, qua constat, designet ; subsistentia autem uniuscujusque personæ hoc ipsum, quod exstat, et subsistit, ostendat. Ideoque propter Sabellii hæresim tres esse subsistentias confitendas : quod quasi tres subsistentes personas significare videretur, ne suspicionem daremus, tanquam illius fidei sectatores, quæ Trinitatem in nominibus tantum, et non in rebus, ac subsistentiis confitetur. » Sic Nazianzenus ad centum et quinquaginta episcopos, qui in Constantinopolitana synodo convenerant, verba faciens, ambas inter se partes conciliat[1]. Et in *Encomio* Magni Athanasii, studium ejus in resarcienda Ecclesiæ concordia prædicans, ita rem omnem explicat: « Nam cum usia, sive substantia una, et hypostases tres a nobis pie dicerentur (quod alterum divinitatis naturam, alterum trium proprietates declaret) atque eodem quidem modo apud Italos intelligerentur ; cæterum ob linguæ illius angustiam, et verborum inopiam, hypostasim ab usia distinguere non possent, eoque factum esset, ut pro ea, ne tres substantias admittere viderentur, personarum vocabulum inducerent, quid tandem contigit? Res profecto ridicula, vel potius miseranda. Diversæ fidei speciem præbuit levis illa, et jejuna de vocum sono altercatio. Hinc deinde et Sabellianismus ob tres personas excogitatus est, et Arianismus ob tres hypostases ; quorum utrumque pertinax contendendi studium effinxerat[a]. » Mox, annitente Athanasio, pacem inter ambos ait esse constitutam. Hanc eamdem inopiam, et angustiam Latini sermonis affert Acacius Berœensis in epistola *ad Cyrillum ;* propter quam tres hypostases dicere nequiverint, qui illo utebantur[b].

XIV. Quanquam non omnino sublata ista discordia est, sed Antiochiæ diu postea catholicos exercuit ; quod testatur Hieronymus[2], qui se scribit hominem Romanum ab Syris, et Antiochensibus exagitatum esse, quod hypostases tres aperte profiteri nollet, veritus ne hac voce usia significaretur. « Non novi, inquit, Vitalem ; Meletium respuo ; ignoro Paulinum. » Nempe tres isti Antiochiæ tum suæ quisque partis erant episcopi. Vitalis enim Meletii presbyter Flaviano succensens ejusdem partis, et ordinis, ad Apollinarem defecit, et episcopus postea factus est illius sectæ[3]. « Nunc igitur, proh dolor ! (pergit Hieronymus) post Nicænam fidem, post Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum trium hypostaseon ab Arianorum præsule, et Campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæso, ista Apostoli prodidere ? qui novus magister gentium Paulus hæc docuit ? Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus, nos ita credere. Non sufficit sensus ; ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres hypostases, aut tria enhypostata, hoc est tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non ediscimus, hæretici judicamur. Si quis autem hypostasim unam intelligens, non in tribus personis usiam hypostasim dicit, alienus a Christo est. » Postea quid hypostasis proprie sit, exponit : « Decernite, si placet, obsecro. Non timebo tres hypostases dicere. Si jubetis, condatur nova post Nicænam fides, et similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi. Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam, novit. Et qui, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit ? Una est Dei, et sola natura, quæ vere est. Id enim, quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cætera, quæ creata sunt, etiamsi videantur esse, non sunt, quia ali-

Tres hypostases profiteri veritus est Hieronymus

a NAZIANZ. orat. XXXII. Τῆς γὰρ μιᾶς οὐσίας, καὶ τῶν τρίων ὑποστάσεων λεγομένων μέν ὑφ' ἡμῶν εὐσεβῶς· τὸ μὲν γὰρ τὴν φύσιν δηλοῖ τῆς θεότητος· τὸ δὲ τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας· νοουμένων δὲ καὶ παρὰ τοῖς Ἰταλοῖς ὁμοίως ἀλλ' οὐ δυναμένοις διὰ τὴν στενότητα τῆς παρ' αὐτοῖς γλώττης, καὶ ὀνομάτων πενίαν, διελεῖν ἀπὸ τῆς οὐσίας τὴν ὑπόστασιν, καὶ διὰ τοῦτο ἀντεισαγούσης τὰ πρόσωπα, ἵνα μὴ τρεῖς οὐσίαι παραδειχθῶσι, τί γίνεται ; ὡς λίαν γελοῖον ἢ ἐλεεινόν ; πίστεως ἔδοξε διαφορὰ ἡ περὶ τὸν ἦχον μικρολογία. εἶτα Σαβελλισμὸς ἐνταῦθα ἐπενοήθη τοῖς τρισὶ προσώποις, καὶ Ἀρειανισμὸς ταῖς τρισὶν ὑποστάσεσι, τὰ τῆς φιλονεικίας ἀναπλάσματα.

b In epist. Cyril. tom. V, par. II. Ἠκολούθησε δὲ τοῖς δυτικοῖς θεοφιλέσιν ἐπισκόποις, τῷ ἐστενῶσθαι τὴν Ῥωμαϊκὴν φωνὴν, καὶ μὴ δύνασθαι πρὸς τὴν ἡμετέραν τῶν Γραικῶν φωνὴν τρεῖς ὑποστάσεις λέγειν.

Orat. XXXII. — 2 Epist. LVII *ad Damascen.* — 3 Sozom. VI, cap. XXV ; Epiph. hær. LXXVII, n. 20.

quando non fuerunt; et potest rursum non esse, quod fuit. Deus solus, qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet. Ideirco et ad Mosem de rubo loquitur: *Ego sum qui sum;* Et rursum: *Qui est, me misit.*» Denique, «Sufficiat, inquit, nobis dicere, unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, et una teneatur. Non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiunt. Sufficiat nobis memorata credulitas. Aut si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus, sed, mihi credite, venenum sub melle latet.» Hæc Hieronymus; qui eo maxime suspectam habuit hanc trium hypostaseon professionem, quod cum reipsa, et significatione idem, quod Meletii sectatores, defenderet; illi tamen insisterent, ut ipsas voces *trium hypostaseon* ederet.

XV. A Meletii vero parte Hieronymum potissimum esse vexatum inde colligitur, quod *Arianorum præsulem*, et *Campenses* nominet. Nam Meletius ab Arianis ordinatus olim fuerat. Et *Campenses*, ut opinor, illius partiarios vocat, quod ecclesiis urbicis exclusi, extra urbem in campis conventus suos haberent; ut ex Socrate[1] supra commemoravimus. Quod autem ad Paulinum attinet, is Alexandrinæ synodi decretum approbarat, eique subscripserat, adeoque tam *hypostases tres*, quam *unam hypostasim* affirmari posse decreverat eo sensu, quem synodica epistola posuerat. Quam Paulini professionem describit[2] Epiphanius, eamdem omnino cum ea, quæ inter Athanasii opera, synodicæ Alexandrini concilii subjecta legitur. Acacius vero Berœensis in epistola *ad sanc. Cyrillum*[3] scribit, Paulinum *tres hypostases* diserte noluisse dicere, et cum Occidentalibus episcopis consensisse.

Quinetiam Epiphanius eodem loco pluribus exponit, quemadmodum ambos episcopos Vitalem, et Paulinum conciliare invicem frustra tentavit; ac demum Vitalem de Trinitate alioqui recte sentientem, de incarnatione perperam cum Apollinare pronuntiantem animadverterit. Quo tempore suspicor Epiphanium ad Basilium scripsisse, ut eum ad ineundam cum Paulino concordiam induceret; cui ille vicissim rescripsit, eaque est CCCXXV inter Basilianas. Hæc enim ad Epiphanium Antiochiæ degentem missa videtur. Tandem Paulinus, uti dixi, Damasi impetrata communione, Occidentis Ecclesiarum una societatem est adeptus, necnon Athanasii, et Epiphanii, quos Hieronymus secutus est; qui ab eodem presbyter ordinatus est; et cum illo ipso, ac cum sancto Epiphanio Romam ad synodum accessit ut ipsemet testatur[4]: cum Meletio vero Orientales fere communionem colebant, ut inter alios Basilius[5], ambo Gregorii, Nyssenus, et Nazianzenus, ac cæteri. Athanasius vero illius communionem refugit; quod Basilius[6] ad Epiphanium scribens non sine dolore commemorat. Idem porro Athanasius cum cæteris, qui ex Alexandrina synodo ad Antiochenses scripserunt, in epistola synodica, hortantur illos, uti cum Paulino communicent. Ad extremum Meletius[7], cum a Valente denuo relegatus, eo mortuo, ab Gratiano revocatus esset, cum Paulino communionem iniit, ea conditione mutuo accepta, ut alterutro vita functo, alter in solidum Ecclesiam obtineret; quod tamen, Meletio Constantinopoli per œcumenicæ secundæ synodi tempus mortuo, Flavianus in locum Meletii ordinatus ratum habere noluit, atque ita rursus Antiochiæ schisma renovatum est; quod tandem Theophili Alexandrini opera sublatum est, qui Flavianum cum Siricio papa conciliavit[8].

XVI. Antequam ab hac de tribus hypostasibus quæstione discedam, libet illud expendere, quod Græci plerique jactitare solent, Latinos *linguæ suæ inopia, et angustia*, διὰ τὸ στενὸν τῆς ἑαυτῶν γλώττης cunctatos esse, tres hypostases usurpare, ut Basilius[9] loquitur, et Gregor. Nazianzenus[10], necnon Acacius[11] ad Cyrillum scribens; quibus e Latinis suffragatur Boetius libro *de Duabus naturis*; quasi adeo sit inops Latina lingua, ut nulla satis idonea nomina reperire potuerit, quibus οὐσίαν et ὑπόστασιν distingueret. Atqui οὐσίαν recte *essentiam*, vel *substantiam;* ὑπόστασιν *subsistentiam* Latini reddiderunt. Quanquam Richardus Victorinus[12] haud probat tres dici subsistentias, et unam substantiam, mavultque tres personas prædicari. Sed sive subsistentias, sive personas tres proferre libet, non minus apte id Latinus faciat, quam Græcus suas ὑποστάσεις efferens. Nam quod ad οὐσίαν spectat, si ea vox ad Aristotelis, cæterorumque philosophorum usum exigatur, minus *Hypostases. Usiam.*

1 Lib. III, c. VIII. — 2 Hær. LXXVII, n. 21. — 3 Exstat in concil. Ephes. et est XV inter epist. Cyr. — 4 Hier. in Ep. Paul. — 5 Ep. CCCXXV et CCCXLIX, etc. — 6 Epist. CCCXXV. — 7 Socr. V, c. V. Vide *Rationarium* nostrum, lib. VI, c. IX. — 8 *Rat.* temp. VI, c. X. — 9 Epist. CCCXLIX. — 10 Orat. XXI et XXXII. — 11 Exstat epist. inter Cyrillianas XV. — 12 Lib. IV *de Trinit.* cap. IV.

quam Latina *essentiæ*, Deo convenire videbitur. *Usiam.* Quippe οὐσίαν individuam, ac singulariter existentem substantiam magis, quam communem appellari censuerunt. Verum uti Græcorum theologorum usus obtinuit, ut *Usiæ. Hypostasis.* vox οὐσίας naturam ipsam, et essentiam, ὑπόστασις id, quod multiplex, et particulare est, in Trinitate significaret; sic idem dicendi, ac scribendi magister usus Latinis theologis *Hypostasi.* concessit, ut pro οὐσίᾳ *essentiam,* ac post etiam *substantiam*, pro ὑποστάσει *subsistentiam*, *personamque* dicerent. Neque dubium est quin *personæ* nomen ad hoc institutum accommodatius sit, quam ὑπόστασις.

Illud Latinorum haud paucorum sermone contritum est, Græcos tres substantias, et unam essentiam consuevisse dicere; quod Augustinus[1] asserit his verbis: « Itaque loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Græcis, una essentia, tres personæ; quia, sicut jam diximus, non aliter in sermone nostro, id est Latino, essentia, quam substantia solet intelligi. » Idemque Boetius[2], et Richardus[3] affirmant; *Una usia, tres hypostases.* quod ita Græce concipitur, μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις. Verum qui potius *unam essentiam*, quam *substantiam unam* Græcos dixisse putabimus? cum utique τὴν οὐσίαν id intellexerint, quod Latini *substantiam* nominant, ut illi ipsi declarant in ea fidei formula, quam supra[4] commemoravimus. Itaque non, ut Richardus ex Augustino refert, Græci aliter substantiam, quam Latini accipiunt, sed οὐσίαν plane substantiam interpretantur. In quo sane mira est *Incogitantia* Latinorum quorumdam Patrum ἀπροσεξία, qui in eodem contextu sermonis Græca vocabula *Usiæ et hypostaseos.* οὐσίας, et ὑποστάσεως, eodem Latino *substantiæ* nomine reddiderunt. Sic Hilarius in libro VI *de Trinitate*, Arii, ejusque sociorum epistolam, et fidei professionem Alexandro urbis Alexandrinæ oblatam episcopo Latine referens, quæ apud Epiphanium[5] Græce legitur, quod illi scripserant, esse τρεῖς ὑποστάσεις Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, sic vertit: « Quapropter tres substantiæ sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » At idem tamen quod in Græco ita concipitur, οὐδὲ ὡς Μανιχαῖος μέρος ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς τὸ γέννημα εἰσηγήσατο, interpretatur: *Nec sicut Manichæus partem unius substantiæ patris natum exposuit.* Et subinde μέρος τοῦ ὁμοουσίου, vertit *partem ejus unius substantiæ*, quasi οὐσία, et ὑπόστασις sint *Usia et hypostasis.* substantia, cum ibi distinguere prorsus oportuerit.

CAPUT V.

De vocabulo τοῦ ὁμοουσίου, *id est* consubstantialis; *quod olim, et ante Nicænam synodum a catholicis, et hæreticis usurpatum, qua ratione ab illis etiam rejectum initio; postea vero ab Nicæna synodo receptum. Hujus opportunitas ad refellendas hæreses. Ideo ab Arianis oppugnatum acerrime. Quorum argumenta contra ipsum omnia dissolvuntur. Tum vis ejus, et potestas exponitur. Quatenus adversus Arianos, et Sabellianos usui sit. De* συνουσίῳ, *et* ταυτοουσίῳ.

I. Ex οὐσίας nomine per compositionem de- *Usiæ.... homousii et homœousii id est similis substantiæ.* flexa sunt ὁμοούσιου, et ὁμοιουσίου nomina, ut ab Latino *substantiæ* fit *consubstantiale*. Quibus in vocibus catholicorum cum Arianis controversia omnis, ac discrimem professionis utriusque resedit. Neque vero ὁμοουσίου no- *Consubstantialis.* men ab Nicænis Patribus excogitatum est, sed longe ante ab veteribus usurpatum, ut Athanasius confirmat in libro *de Decretis Nicænæ* *Vocabuli consubstantialis etymon.* *synodi*, et in libro *de Sententiis Dionysii contra Arianos*, et *de Synodis*, ubi Dionysium Alexandrinum ait in epistola *ad* cognominem *Dionysium* Romanum pontificem dixisse, Christum esse ὁμοούσιον τῷ θεῷ, *consubstantialem Deo,* quod et Romanus alter Dionysius ab eo exigebat. Et in epist. *ad Paulum Samosatenum*, quæ exstat hodieque, « consubstantialem dici Filium Patri ab antiquis[a] » affirmat Dionysius ille. Quinetiam Theognostus[b] scriptor eruditus in secundo *Hypotyposeon*, « Filium dixit non ex exstantibus, sed ex Patris substantia productum esse*. »

II. At non solos catholicos eam vocem usur-

a Dion. *ad Samos.* Καὶ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ εἰρημένον ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων.

b Theogn. apud Athan. lib. *de Decr. Nic. syn.* Οὐκ ἔξωθέν τίς ἐστιν ἐφευρεθεῖσα ἡ τοῦ υἱοῦ οὐσία, οὐδ' ἐκ μὴ ὄντων ἐπεισήχθη, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἔφυ.

* Sed et aliis monumentis ostendi potest, novam non fuisse *homousii* vocem, neque a Nicænis Patribus primum excogitatam. Nam id conceptis verbis tradunt et Eusebius, cujus sequente numero citat Petavius locum, et Philostorgius maximus Arianorum defensor *Hist. eccles.* sect. VII. Enimvero ne Jacobi apostoli Liturgiam ab eruditioribus

1 VII *de Trin*, cap. IV. — 2 Lib. *de Duabus nat.* — 3 IV *de Trinit.* cap. XX. — 4 In *Sirmi. profes.* lib. I, cap. IX. — 5 Hær. LXIX, n. 7.

Synodo Nicæna antiquioris hanc vocem usurparunt.

passe, sed hæreticos etiam Nicæna antiquiores synodo reperio. Nam Athanasius [1] in libro *de Synodis Arim. et Seleuc.* testis est, Paulum Samosatenum*, qui Christum asserebat minime ex æterno Deum exstitisse, sed in tempore, eo usum argumento, « quod, nisi ita esset, consequens foret, illum esse Patri *consubstantialem*, adeoque tres esse substantias, unam primariam, duas ex illa derivatas[a]. » Sic enim ὁμοούσιον interpretabatur, quomodo in rebus creatis et corporeis usuvenit, ut ab una aliqua substantia diversa, et separata altera propagetur. Ideo qui adversus Paulum Samosatenum convenere Antiochiam episcopi numero septuaginta, ut Athanasius [2], vel, ut scribit Hilarius, octoginta, decrevere, Filium non esse ὁμοούσιον, *consubstantialem* Patri, eo videlicet sensu, quo Paulus id Samosatenus intellexerat, quemadmodum et Basilius epistola ccc declarat. Qua illorum auctoritate plurimum deinde usi sunt Ariani, et qui ex catholicis supprimendam amore concordiæ vocem illam arbitrati sunt; ut Athanasius, et Hilarius ostendunt. Eusebius quoque Cæsariensis in epistola, quam ad Cæsarienses suos ex Nicæna synodo scripsit, testis est, « veterum nonnullos doctos, et illustres episcopos, ac scriptores, cum de Patris, et Filii divinitate agerent, usos esse *consubstantialis* vocabulo [b]. » Quo illius testimonio Athanasius ad Africanos scribens nititur. Cæterum Hilarius in fine libri *de Synodis*, Paulum Samosatenum refert nomen illud ὁμοούσιου confessum esse. « Male, inquit, ὁμοούσιον Samosatenus confessus est; sed numquid meliud Ariani negaverunt ? » Quod ea ratione potuit admittere, qua Sabellius, cui in Trinitatis dogmate consentaneus erat, uti scilicet unicam substantiam divinitatis, et οὐσίαν poneret; a qua plane separandus esset Christus, qui ne ὁμοούσιος Deo constitueretur, in tempore Deus esse cœpisset. Quod enim eodem sensu ὁμοούσιον Verbum esse Samosatenus affirmarit, quo Sabellius, ibidem Hilarius ostendit, cum illum dicit ὁμοουσίον esse Filium docuisse, quod in Antiochena synodo Patres usurpari vetuerunt ; « quia per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium, atque unicum sibi esse Patrem, et Filium prædicabat.»

III. Atque uti catholici præsules in Antiocheno concilio acceptam illam ab hæretico vocem ὁμοουσίου, ac prava interpretatione detortam funditus repudiarunt; quia nondum legitimus, ac probabilis illius constabat usus ; sic e contrario ex hæretico perinde arreptam ore, catholici apud Nicæam episcopi libenter amplexi sunt, eamque pro orthodoxæ fidei tessera deinceps haberi voluerunt; cujus rei fidem faciunt Athanasius, et Ambrosius. Athanasius[3] quidem hanc illius sanciendi vocabuli causam fuisse prodit, quod cum episcopi catholici in Nicæna synodo inter se deliberarent, quanam verborum formula veram fidei professionem conciperent, ut Arianam perfidiam extinguerent; primum iis in mentem venit dicere, Filium esse Deum de Deo, et unigenitum, et hujus generis alia, quæ ex Apostolo colliguntur. Sed cum Eusebius Nicomediensis gregales suos admonuisset, non esse, quod his assentiri vererentur, propterea quod res omnes creatæ perinde sunt a Deo; id animadvertentes Patres apertius enuntiasse « ex substantia Patris esse Filium. » Deinde cum illud etiam addi placuisset, « Filium esse potentiam, et imaginem Patris, eique per omnia similem, et immutabilem, » ne huic quidem

Quanam ratione vox *consubstantialis* a Patribus Nicænis admissa.

a Athan. *de Syn.* Τοῦ Παύλου σοφίζεσθαί τε θέλοντος, καὶ λέγοντος. εἰ μὴ ἐξ ἀνθρώπου γέγονεν ὁ Χριστὸς θεὸς, οὐκοῦν ὁμοούσιός ἐστι τῷ πατρὶ, καὶ ἀνάγκη τρεῖς οὐσίας εἶναι, μίαν μὲν προηγουμένην τὰς, δὲ δύο ἐξ ἐκείνης.

b Euseb. Cæsar. in epist. apud Socrat. lib. I. Ἐπεὶ τῶν παλαιῶν τινας λογίους καὶ ἐπιφανεῖς ἐπισκόπους, καὶ συγγραφέας ἔγνωμεν ἐπὶ τῆς τοῦ πατρὸς, καὶ υἱοῦ θεολογίας τῷ τοῦ ὁμοουσίου συγχρησαμένους ὀνόματι.

quibusque inter apocrypha recensam huc advocem, in qua non semel nomen illud legere est, pseudo-Trismegistus, quem ante Justinum Martyrem floruisse supra Petavius ostendit, eo utitur. Tertullianus quoque sub initium libri *adversus Praxeam*, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum esse *unius substantiæ* adfirmat; quod quid quæso est aliud, quam Græcum *homousion* latine reddere? Si, quod Westenius multis contendit, Origenes dialogi *contra Marcionitas* auctor fuisset, disertum in hanc rem testimonium Origenis haberemus; sed cum docti viri non pauci opus illud Origeni abjudicent, id saltum adnotabo, et Ruffinum hanc vocem non in uno Origenis libro reperisse se testari, et Pamphilum in *Apologia* pro Origene ex ejusdem in epistolam *ad Hebræos* commentario insignem locum proferre, ubi *homousii* nomen occurrit. Z.

* Præter Paulum Samosatenum, et Manichæos, de quibus vide infra numero 7, Arii testimonium, alios hæreticos ante Nicænam synodum homousii voce abusos fuisse ostendit Stephanus le Moyne in notis *Ad varia Sacra* p. 258. Quem confer cum Petri Zornii dissertatione de varia fortuna vocis ΟΜΟΟΥΣΙΟΣ , sect. II, § 1. Z.

1 *De Synodis.* — 2 Lib. *de Synod.* in fine. — 3 Lib. *de Decr. syn. Nic.* et *ad Afr.* Vide et lib. *de Synod.*

subscribere detrectarunt Ariani, quod hæc omnia nobiscum illi essent communia. Tum vero ad istorum penitus labefactandam hæresim, de communi sententia additum esse nomen ὁμοουσίου, id est *consubstantialis*, ut non solum ei similis, sed ejusdem omnino cum illo naturæ, essentiæ, ac substantiæ crederetur. Ambrosius[1] vero auctor est, Eusebium ipsum Nicomediensem in quadam epistola vocem illam posuisse tanquam absurdam, et ex eo tamen consequentem, quod verus Dei Filius, increatusque dicatur : « Nam quid est aliud, inquit, cur ὁμοούσιον Patri nolint Filium dicere, nisi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? Sicut auctor ipsorum Eusebius Nicomediensis epistola sua prodidit, dicens: Si verum, inquit, Dei Filium et increatum dicimus, ὁμοούσιον cum Patre incipimus confiteri. Hæc cum lecta esset epistola in concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei posuerunt Patres, quod id viderunt adversariis esse formidini; ut tanquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ caput hæresis amputarent. »

IV. Ab iis initiis profectus vocabuli istius usus, magnas deinceps opportunitates catholicæ professioni attulit. Nam paucis istis syllabis hæresum omnium, quæ sanctissimam Trinitatem oppugnabant, propulsata sunt, eversaque commenta; ac discrimen inter partes constitutum, ut alieni, adulterinique discernerentur ab germanis et legitimis christianis, hoc est catholicis; cum ambage omni submota disputationis, unius pronuntiatione voculæ isti fidem suam approbarent, eamdem illi rejiciendo, hæreticos se esse proderent. Hinc Athanasius[2] τὸ ὁμοούσιον merito στηλογραφίαν κατὰ τῆς ἀσεβείας αὐτῶν vocat, hoc est « columnam, vel cippum, in quo illorum impietas proscribitur, ac velut trophæum de ea superata, prostrataque statuitur. ». Et in eodem libro, « Vocis, inquit, istius exquisita ratio cum omnem ipsorum simulationem, siquidem illum dicant ex Deo esse, redarguit, tum omnes eorum argutias, quibus simplices circumveniunt, excludit. Sane cum omnia sophisticis calumniis adulterare, et immutare possint ad arbitrium, solam hanc dictionem, ut quæ ipsorum convincit hæresim, reformidant; quam quidem Patres pro munimento, et arce contra omnia illorum impia commenta scriptam objecerunt[a].» Quod hic refert Athanasius, hoc unum esse vocabulum, quod Ariani nullo fuco depravare potuerunt, egregie confirmat Ambrosius[3] his verbis : « Denique et nunc possent ὁμοούσιον, sicuti et cætera, verbo tenus nominare, si haberent quomodo illud ad aliam intelligentiam scævo sensu perverterent. Sed cum viderent se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem hujus fieri voluerunt. » Epiphanius de præstanti illa voce hæc memoranda prædicat : « Ut serpens, inquit, bituminis odorem refugit, aut cervæ halitum, aut gagatæ lapidis suffitum, aut styracis suffitum; sic Arius, et Sabellius illam veritate constantem consubstantialis professionem exosam habet[b]. » Et in *Ancorato*[4] vocat σύνδεσμον πίστεως, id est *vinculum fidei.* Marius Victorinus in secundo *adversus Arium*, *murum, et propugnaculum*. Ac fuit hæc propemodum unica tessera catholicarum partium; ob quam ab Arianis, et similibus pestibus, Homousiani per ludibrium appellari solebant; quod testatur Augustinus in libro *contra Sermonem Arianorum* c. XLVI. « Et tamen, si quis istorum, inquit ille, qui nos Homousianos vocant, filium suum, non cujus ipse esset, sed diversæ diceret esse naturæ, exheredari se ab eo mallet filius, quam hoc putari. Quanta itaque impietate isti cæcantur, qui cum confiteantur unigenitum Dei Filium, nolunt ejusdem naturæ, cujus est Pater, confiteri, sed diversæ, atque imparis, et multis modis, rebusque dissimilis; tanquam non de Deo natus, sed ab illo de nihilo sit creatus, ac per hoc et ipse creatura sit, gratia filius, non natura. Ecce qui nos, quasi macula novi nominis, vocant homousianos, nec seipsos, cum ita sentiunt, intuentur insanos. » Græce item ὁμοουσιαστὰς vocabant, ut est in dialogo I Maximi[5], qui sub Athanasii titulo editus est.

Vox consubstantialis, hæreticorum terriculum.

a ATHAN. *de Syn.* Ἡ γὰρ τῆς λέξεως ταύτης ἀκρίβεια τήν τε ὑπόκρισιν αὐτῶν, ἐὰν λέγωσι τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ ῥητὸν, διελέγχει· καὶ πάσας αὐτῶν πιθανότητας, ἐν αἷς ὑφαρπάζουσι τοὺς ἀκεραίους, ἐκβάλλει· πάντα γοῦν δυνάμενοι σοφίζεσθαι, καὶ μεταποιεῖν ὡς θέλουσι, ταύτην μόνην τὴν λέξιν, ὡς διελέγχουσαν αὐτῶν τὴν αἵρεσιν, δεδίασιν, ἣν οἱ πατέρες ὥσπερ ἐπιτείχισμα κατὰ πάσης ἀσεβοῦς ἐπινοίας αὐτῶν, ταύτην ἔγραψαν.

b EPIPH. *hær.* LXIX, num. 70. Ὥσπερ γὰρ μισεῖ ὁ ὄφις τὴν ὀσμὴν τῆς ἀσφάλτου, καὶ τὴν πνοὴν τῆς ἐλάφου, καὶ τὸ θυμίαμα τοῦ γαγάτου λίθου, καὶ τὸ κάπνισμα τοῦ στύρακος. οὕτω καὶ Ἄρειος, καὶ Σαβέλλιος μισεῖ τὸν λόγον τῆς ἐν ἀληθείᾳ ὁμολογίας τοῦ ὁμοουσίου.

1 III *de Fide* cap. VII. — 2 Athan. *de Synod. Arim.* — 3 Lib. *de Filii div.* cap. IV. — 4 Num. 6. — 5 Tom. I oper. Athan.

Fulgentius vero in libro *contra Objectiones Arianorum*, responsione VII, « Mirum est autem eos, inquit, qui pro unius substantiæ credulitate volunt nos Homousianos dici, quomodo se nolunt Triusianos pro tribus, et diversis substantiis appellari. » Liberius certe pontifex in epist. XI fidem catholicam testatur « vi et nomine *consubstantialis* comprehensam, tanquam propugnaculum firmum, et inexpugnabile, omnes impetus, et nefarias pestiferæ opinionis Arii machinas retudisse, repressisseque. » Hac unica suppressa voce, Constantino Arius illusit, a quo fidei sui confessionem postulatus fuerat, et in integrum jussu illius restitutus est[1].

Objecta Arianorum adversus vocem *consubstantialis.*

V. Itaque machinas omnes, et impetus ad illam abolendam dictionem adhibuerunt hæretici; ac repetitis sæpe fidei professionibus, ex usu christianorum tentarunt eripere. Ac tria, quatuorve præsertim contra illam objicere consueverant. Imprimis, quod in Scripturis nullo loco prodita exstaret, ac ne ipsum quidem οὐσίας nomen. Huic vero bifariam Patres occurrunt. Primum adversus illos excipiunt, ab iis etiam ipsis, qui ἀγράφου litem intendunt, voces aliquot nusquam scripto proditas usurpari; velut ἐξ οὐκ ὄντων *ex non exstantibus* esse Filium : « fuisse quando non erat. » Item, « Dei voluntate productum esse [a]. » « Nam si penitus excludenda putant vocabula omnia non scripta, ait Athanasius, cur, cum Arius tantum acervum dictionum, quæ nusquam in Scripturis occurrunt, accumulaverit, quales sunt, ex non extantibus, et, non erat Filius, antequam gigneretur; et, erat quando non erat; et mutabilis est; et, ineffabilis est, atque invisibilis Pater suo Filio; et, Filius ne suam quidam novit substantiam, et cætera, quæ in ridiculo, impioque commentario suo Arius evomuit ex opinione sua, non illi contradixerunt[a] ? » Nec solum impias, ac nefarias voces ἐξ ἀγράφων adhibebant hæretici; sed alias insuper aut tolerabiles, aut pias, et cum catholicis communes. Ut cum ἀγέννητον *ingenitum* dicebant Patrem; ἐκ τῆς οὐσίας, *de substantia Patris* exstitisse Filium. Tum vero quidam illorum ὁμοιούσιον, *substantia similem*. Quod Athanasius ibidem pergit objicere, necnon Epiphanius[2], Ambrosius[3], Cyrillus[4], Nazianzenus[5]. Secundo etsi totidem syllabis in Scriptura vox ista non compareat, ejus tamen vim, et sententiam reperiri docebant. Quippe Filium a Patre procedere, et ejus unigenitum, ac verum propriumque esse Filium, sacræ Litteræ testantur, quæ omnia, et ejusdemmodi cætera, τοῦ ὁμοουσίου nomen exprimit. Ita sanctus Athanasius disserit lib. *de Decr. Nic. syn.*

De non scripto.

Responsa Patrum.

De non scriptis.

VI. Sed luculentissime omnium Gregorius Nazianzenus, qui inter cætera ita scribit orat. XXXVII : « Quid causæ est, cur litteræ tantopere servias, Judaicæque sapientiæ teipsum adjungas, relictisque rebus, syllabas consecteris ? Quod si te bis quinque, aut bis septem dicente, decem, aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem; aut ex eo, quod animal ratione præditum, et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi nugari viderer ? Nequaquam profecto, cum tua dicerem. Neque enim hæc verba magis sunt ejus, qui loquitur, quam illius, qui loquendi necessitatem affert, » etc. Sic et Ambrosius in libro *de Divinit. Filii*[6], et Augustinus epistola CLXXIV, Fulgentius

a ATHAN. lib. *de Syn.* Εἰ γὰρ ἐκβλητέα νομίζουσι τὰ μὴ γεγραμμένα, διὰ τί τῶν περὶ Ἄρειον τοσοῦτον ῥηματίων συρφετὸν τό, ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ, οὐκ ἦν, ὁ υἱὸς πρὶν γεννηθῇ· καὶ ἦν πότε, ὅτε οὐκ ἦν· καὶ τρεπτός ἐστι καὶ ἄῤῥητος, καὶ ἀόρατος ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ· καὶ ὁ υἱὸς οὐκ οἶδεν οὐδὲ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν· καὶ ὅσα ἐν τῇ γελοίῳ, καὶ ἀσεβεῖ αὐτοῦ (for. συγγραφῇ τὰ) ἑαυτοῦ φρονῶν ἐξήμεσεν Ἄρειος, οὐκ ἀντειρήκασιν*; Vide et lib. *de Decret. Nic.*, et epist. *ad Afr.*

b NAZIANZ. orat. XXXVII. Πῶς οὕτω σὺ λίαν δουλεύεις τῷ γράμματι, καὶ γίνῃ μετὰ τῆς Ἰουδαϊκῆς σοφίας, καὶ συλλαβαῖς ἀκολουθεῖς ἀφεὶς τὰ πράγματα; Εἰ δὲ σοῦ τὰ δὶς πέντε λέγοντος, ἢ τὰ δίς ἑπτὰ, τὰ δέκα συνῆγον, ἢ τεσσαρεσκαίδεκα ἐκ τῶν λεγομένων· ἢ ἐκ τοῦ ζῶον λογικὸν θνητὸν, τὸν ἄνθρωπον· ἆρα ἄν σοι ληρεῖν ἐνομίσθην; καὶ πῶς τὰ σὰ λέγων; οὐ γὰρ τοῦ λέγοντος μᾶλλον οἱ λόγοι, ἢ τοῦ λέγειν συναγκάζοντος.

* Mancus est supra citatus S. Athanasii textus quem sic, ex optimis codicibus restituunt ed. Benedictini :

Εἰ γὰρ ἐκβλητέα νομίζουσι τὰ μὴ γεγραμμένα, διὰ τὶ τῶν περὶ Ἄρειον ἐξ ἀγράφων ἐπινοησάντων τοσοῦτον ῥηματίων συρφετὸν, τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ, οὐκ ἦν ὁ Υἱὸς πρὶν γεννηθῇ· καὶ, ἦν πότε, ὅτε οὐκ ἦν· καὶ τρεπτός ἐστι· καὶ, ἄῤῥητος καὶ ἀόρατος ὁ Πατὴρ τῷ Υἱῷ· καὶ, ὁ Υἱὸς οὐκ οἶδεν οὐδὲ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν· καὶ ὅσα ἐν τῇ γελοίῳ καὶ ἀσεβεῖ Θαλίᾳ ἑαυτοῦ φρονῶν ἐξήμεσεν Ἄρειος οὐκ ἀντειρήκασιν. « Si enim verba non scripta putant rejicienda, quare Ario non obsistunt, qui tot sententiolarum quæ in scriptis non habentur, colluviem excogitavit : quales sunt : *ex non exstantibus* ; et, *non erat Filius antequam gigneretur*; et, *erat tempus quo non erat*, et *mutabilis est*; et, *ineffabilis et invisibilis est Pater Filio*; et, *Filius non novit suam substantiam* ; et quaslibet ejus sententias, quas in ridicula et impia *Thalia* sua evomuit. »

J. B. F.

Exstat Arii professio apud Socr. l. I, cap. XXVI. — 2 Hær. LXIX, n. 70. — 3 *De Div. Fil.* c. III. — 4 Lib. I Dial. *de Trin.* — 5 Orat. XXXVII. — 6 Cap. V et IV.

in *Responsione ad Arianos*, Cyrillus dialogo I. Atque hac ratione contre Semiarianos potissimum pugnant, qui vel plurima Filio tribuebant, ex quibus consequens illa vox erat; vel rem nomine ipso significatam ita fatebantur, ut ab usu nominis temperandum dicerent, ne quid non scriptum de summa divinitate sermone ipso proferrent. Hilarius itaque in libro *contra Constantium Augustum,* qui ex hac secta fuit, eodem modo ista dissolvit. « Nolo, inquit, verba, quæ scripta non sunt, dici. Hoc tandem rogo, quis episcopis jubeat? et quis apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius, si recte dici putas : Nolo adversum nova venena novas medicamentorum comparationes : nolo adversum novos hostes nova bella : nolo adversum novas insidias consilia recentia. » Ac subinde illud aptissime : « Novitates vocum, sed profanas devitari jubet Apostolus[1]. Tu cur pias excludis? cum præsertim ab eo dictum sit : *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est.* Innascibilem scriptum nusquam legis. Numquid et hoc negandum erit, quia novum est? Decernis similem Patri Filium. Evangelia non prædicant. Quid est, quod non refugis hanc vocem? in uno novitas eligitur; in alio submovetur. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur; ubi autem religionis maxima, et sola cautela est, excluditur. »

Marius Victorinus [2] in secundo *adversus Arium*, utroque modo oppugnatores illius nominis repellit. Nam et ab iis ipsis usurpari quamplurimas voces objicit, citra scripti auctoritatem; ut sunt, *Deus de Deo, lumen de lumine;* necnon ὅμοιον κατ' οὐσίαν, sive ὁμοιούσιον; et quamvis non totidem litteris, ac syllabis illud in Scriptura non exstet, exstare tamen ea, ex quibus istud efficitur. « Si ideo, inquit, dicitis lumen de lumine, quia et Deus lumen dictus, et Christus lumen, et item Pater Deus, et Christus Deus dictus; id quidem manifestum; verum de Deo non lectum, lumen de lumine. At licuit sumere. Liceat ergo de lectis non lecta componere. » Tum ostendit in Scripturis legi nomen οὐσίας, et ab ea derivatum ἐπιούσιον, et περιούσιον, « quod eodem modo denominatum est. Et hoc nomen omnes excludit hæreticos. Necessario ergo positum est a majoribus. » Mox illud egregie : « Magnum miraculum; verbum vos hæreticos facit, vel potius sonus verbi, quod Græce dicitur. » Et vero quid est « contentiosius, ait Augustinus[3], quam ubi de re constat, certare de nomine? » Vide et Victorem episcopum[4] in *Fidei ratione ad Hunericum*.

Similem quoad substantiam sive homœousion

Usiæ.

Epiousion, periousion.

VII. Rursus ad ὁμοουσίου criminandum vocabulum, invidiosæ quædam illius notiones, explicationesque proferebantur; quas creatis ex rebus petitas, quibus accommodari usus ipsius solet, ad divina transferebant. Nam imprimis Ariani id in illa voce reprehendebant, per eam Sabellii, et Samosateni significari, ac roborari perfidiam, qui esse μονοπρόσωπον, et *una hypostasi* constare Deum asserebant. Hoc enim declarare nomen ὁμοουσίου causabantur, aiebantque « Patrem et Filium in his nominum professionibus ad unionis, ac singularis solitudinem, negata personarum proprietate revocari, » ut loquitur Hilarius[5]. « Tanquam ipse sit Pater, qui et Filius, ex infinitate videlicet sua protensus in Virginem; ex qua corpus assumens sibi, in eo corpore, quod assumpsit, Filii nomen addiderit, » scribit idem initio quarti libri. Quippe οὐσίαν, et ὑπόστασιν idem esse statuebant, quod Basilius refert epistola LXXVIII *.

Homousii.

Homousii.

Deinde si ὁμοούσιος Patri dicatur esse Filius, sequi putabant, generationem hujus creatarum esse similem, in qua substantiæ quædam desectio sit. Nam pars ejus in Filium a Patre transfusa videbitur. Sic Arius argumentabatur in epistola, quam cum suis Alexandro episcopo Alexandriæ obtulit; in qua profitebatur « non esse Filium, ut Manichæus volebat, ejusdem cum Patre substantiæ partem[a]; » vel, ut vertit Hilarius lib. VI : « Nec sicut Manichæus, partem unius substantiæ Patris natum exposuit. » Tum ista subtexit : « Quod si istiusmodi loquendi rationes, *Ex utero*; et *A Patre exivi*, *et venio*; quasi consubstantialis partem, aut emissionem cum nonnullis acci-

Homousios.

a EPIPH. hær. LXIX, num. 7. Οὐδ' ὡς Μανιχαῖος μέρος ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς τὸ γέννημα εἰσηγήσατο.

* Negat Bullus *Defensionis fidei Nicænæ* sect. II, § 9, negat et Zornius citato antea loco Sabellianos homousii vocabulum usurpasse; verum Hilario magis credendum. Nam quæ duo illi ex Basilio Magno ep. CCC (vide hujus verba infra num. 12.) colligunt, id unum probant, Sabellianos inconsequenter locutos, quod et incredibile non est, et hæreticis familiare; non efficiunt, clarissimo Hilarii testimonio fidem habendam non esse. Z.

1 II *Tim.* — 2 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 222. — 3 Aug. ep. LXXIV. — 4 Tom. IV *Bibl. Patrum*, col. 403. — 5 Lib. *de Syn.*

piamus, compositus erit, ac divisibilis Pater, et mutabilis. Imo illorum opinione corpus, et, quoad in ipsis est, quæ corpori consentanea sunt, patietur expers corporis Deus[a].» Eamdem

Homousii.

ὁμοουσίου interpretandi falsitatem Athanasius [1] refellit, et Basilius [2], Cyrillus item Alexandrinus multis in locis, maxime in *Thesauri* libro

Homousion.

nono, ubi inter alia, contra τὸ ὁμοούσιον hoc adversarios objecisse refert : « Si Pater et Filius sint ὁμοούσιοι, divinam naturam sectionem quamdam admittere, et in dualitatem dividi. Neque enim aliter consubstantialem esse posse[b]. »

VIII. Eusebius Cæsariensis in epistola [3], quam ad Ecclesiam suam Nicæa scripsit, refert, τὸ ὁμοούσιον in illa synodo a se, aliisque, qui prius resistebant, admissum, postquam intellectum est, ipsomet interpretante Constantino, non sic ὁμοούσιον dici Dei Filium, uti in creatis rebus usuvenit, in quibus divisio aliqua incidit, ac sectio, decisioque substantiæ, quam nimirum calumniam Ariani isti vocabulo struxerant[c]. Ad hæc in plerisque fidei formulis, dum de Filii productione mentionem facerent, addere hoc solebant, illum ἀπαθῶς, sine ulla passione esse genitum, quasi hujus cautione vocis veram, proprieque dictam generationem, ac τοῦ γεννήματος significationem excluderent, quæ citra passionem ne cogitari quidem posse. Unde etsi de Patris substantia esse Filium quidam ex illis, uti Semiariani, faterentur, non eodem modo ac genitum, sed ut præcipua factum ratione oriri indidem asseverabant, ut demonstrat tractatus perbrevis *contra Hypocrisim Meletii*, qui Athanasio tribuitur.

Sozomenus narrat Constantium imperatorem, etsi similem esse substantia Filium assereret, ὁμοουσίου vocem respuisse, quod ab Eusebio, aliisque principibus Arianorum jactaretur, nomen illud « de corporibus proprie intelligi, velut hominibus, et cæteris animalibus, arboribus, et plantis, quæ ab similibus participatione gignuntur. At ὁμοιούσιον

Homœousion.

de rebus incorporeis usurpari, uti Deo, et angelis, quorum unumquodque per sese, ac secundum substantiam propriam intelligitur.»

Quid significare consubstantialem aiebant Ariani ut huic voci invidiam suscitarent.

Socrates in eodem illo loco, ubi Eusebii epistolam illam ad Cæsarienses suos describit, auctor est, Arianos τὸ ὁμοούσιον id appellari dixisse, quod aliquo ex his tribus modis oritur, « vel partitione, vel profluvio, vel propagatione. Propagatione quidem, ut ab radicibus germen; profluvio vero, sicut paterni filii; partitione, ut auri glebæ duæ, vel tres[e].» Aliam ex Platonis doctrina calumniam contra ὁμοούσιον molitur, taciteque significat Eusebius in libro undecimo *de Præparatione evangelica.* Ubi summum illud bonum, quem unicum, ac supremum nominat Deum, intelligitque Patrem, ait « non esse οὐσίαν, sed eam excedere antiquitate et virtute supergressum: adeo ut nec ista dicantur illi ὁμοούσια, sed neque ingenita[f].» Loquitur autem de substantiis omnibus intelligibilibus ab illo summo Patre distinctis, adeoque de Filio, et Spiritu sancto,

Substantiæ intelligibiles. Usia.

quæ sunt οὐσίαι νοηταί, ac propterea cum eo adæquari nequeunt, qui οὐσίᾳ omni præstantior est.

Quarto nomen homousii dicebant rem quamdam, et naturam significare, quæ sit anterior iis, qui eam participant. « Tanquam prior substantia, vel usia materiæ alicujus exstiterit, quæ participata duobus, et in utroque consumpta, utrumque illum et naturæ anterioris, et rei esse testetur unius. Atque idcirco improbare se homousii aiunt confessionem, quod enuntiatio ejus neque Filium a

a Epiph. hær. lxix, num. 8. Καὶ εἰ τὸ, ἐκ γαστρὸς, καὶ τὸ, ἐκ πατρὸς ἐξῆλθον, καὶ ἥκω, ὡς μέρος τοῦ ὁμοουσίου, ὡς προβολὴ ὑπό τινων νοεῖται, σύνθετος ἔσται ὁ πατὴρ, καὶ διαιρετὸς, καὶ τρεπτὸς, καὶ σῶμα κατ' αὐτοὺς, καὶ τὸ ὅσον ἐπ' αὐτοῖς τὰ ἀκόλουθα σώματι πάσχων ὁ ἀσώματος θεός.

b Cyril. IX *Thes.* Ἡ μία θεότης ἄρα τομήν τινα χωρήσασα γέγονεν εἰς δυάδα. οὐ γὰρ ἑτέρως ὁμοούσιος εἶναι δύναται. Vide et lib. IV, et lib. VI *Thes.*, et lib. XVI, et ep. Pasch. XII.

c Euseb. in ep. *ad Cæsar.* Ὃ καὶ αὐτὸς ἡρμήνευσε λέγων, ὅτι μὴ κατὰ τὰ τῶν σωμάτων πάθη λέγοι, τὸ ὁμοούσιον, οὔτε οὖν κατὰ διαίρεσιν, οὔτε κατά τινα ἀποτομὴν, ἐκ τοῦ πατρὸς ὑποστῆναι.

d Sozom. lib. III, cap. xviii. Τὸ μὲν γὰρ ὁμοούσιον ἐπὶ σωμάτων κυρίως νοεῖσθαι, οἷον ἀνθρώπων, καὶ τῶν ἄλλων ζώων, καὶ δένδρων, καὶ φυτῶν, οἷς ἐξ ὁμοίου ἡ μετουσία, καὶ ἡ γένεσίς ἐστι. τὸ δὲ ὁμοιούσιον ἐπὶ ἀσωμάτων, οἷον ἐπὶ θεοῦ, καὶ ἀγγέλων, ἑκατέρου πρὸ ἑαυτοῦ κατ' ἰδίαν οὐσίαν.

e Socrat. lib. I, cap. vi. Ἐπεὶ γὰρ ἔφασαν ὁμοούσιον, εἶναι ὅ ἐκ τινός ἐστιν, ἢ κατὰ μερισμὸν, ἢ κατὰ ῥεῦσιν, ἢ κατὰ προβολήν. κατὰ προβολὴν μὲν, ὡς ἐκ ῥιζῶν βλάστημα· κατὰ δὲ ῥεῦσιν, ὡς οἱ πατρικοὶ παῖδες· κατὰ μερισμὸν δὲ, ὡς βώλου χρυσίδες δύο, ἢ τρεῖς.

f Euseb. *de Præpar.* Τό, τε ἀγαθὸν μὴ εἶναι οὐσίαν, ἀλλ' ἐπέκεινα τῆς οὐσίας, πρεσβείᾳ, καὶ δυνάμει ὑπερέχον· ὥστε μὴ ὁμοούσια αὐτὰ τίθεσθαι, ἀλλὰ μηδὲ ἀγέννητα νομίζειν.

1 Lib. *de Syn.* — 2 Epit. ccc. — 3 Exstat apud. Soc. lib. I.

Patre distinguat, et posteriorem Patrem materia, quæ sibi de Filio sit communis, ostendat, » ait Hilarius sub initium quarti libri.

Sic Eunomius vocem illam τοῦ ὁμοουσίου invidiose interpretatur apud Basilium. « Non enim, inquit, dixerimus, communem quidem utriusque esse substantiam, ordine vero, et temporis antecessione hunc esse priorem, illum posteriorem ; quoniam certe oportet in omnibus, quæ excedunt, aliquam esse causam excessus [a]. »

Quod Eunomii commentum Basilius ita, ut diximus, exponit, ac refellit. « Sic igitur communem, inquit, substantiam sic intellexit, ac locutus est, quasi ex præcedenti materia distributionem quamdam, ac divisionem in ea, quæ ex ipsa sunt constituat, ne nos quidem ipsi sententiam ejusmodi recipimus [b]. »

Athanasius quoque sic illorum argumentum explicat : « Qui dicit consubstantialem, tria significat ; substantiam aliquam præsubjectam, duosque ex illa genitos consubstantiales esse ; atque ita concludunt : Si Filius consubstantialis est Patri, necesse est ante eos subjectam esse substantiam, ex qua gignantur ; adeo ut non sit alter eorum Pater, alter Filius, sed ambo invicem fratres [c]. » Idem et Basilius scribit epist. ccc, necnon Marius Victorinus lib. I *adversus Arium* [1]. Hinc apud Epiphanium hæresi LXIX, num. 7, Arius, ejusque socii in libello, quem Alexandro episcopo suo obtulerunt, inter cætera dicunt, se non, ut Manichæus, asserere, ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς τὸ γέννημα, quod Hilarius ita Latine reddidit in libro sexto : « Nec, sicut Manichæus, partem unius substantiæ Patris natum exposuit ; » tanquam ὁμοούσιον id significaret, quod *partem substantiæ* habet ex toto refectam. Auctor dialogi secundi *contra Macedonianos*, qui Athanasio inscribitur [2], eadem illa de ὁμοουσίῳ sibi objicientem Macedonianum inducit, ac refellit.

Homousion.

Homousio.

IX. Hæ sunt fere nominis illius falsæ notiones, ob quas ab eo se abhorrere dicebant hæretici. Sed eas facile refellebant antiqui Patres, qui de hac, et cæteris vocibus, quibus ad res divinas explicandas utimur, exceptionem istam potissimum adhibebant, quam Hilarius exponit initio quarti : « Non ignoramus autem, inquit, ad res divinas explicandas, neque hominum elocutionem, neque naturæ humanæ comparationem posse sufficere. Quod enim inenarrabile est, id significantiæ alicujus finem, et modum non habet ; et quod spirituale est, id a specie corporalium, exemploque diversum est. Tamen cum de naturis cœlestibus sermo est, illa ipsa, quæ sensu mentium continentur, usu communi et naturæ, et sermonis sunt eloquenda ; non utique dignitati Dei congrua, sed ingenii nostri imbecillitati necessaria ; rebus scilicet, verbisque nostris ea, quæ et sentimus, et intelligimus locuturi. » Eodem modo Sozomenus respondet in loco illo, quem paulo ante commemoravi. Nam ridiculam plerisque visam esse illam Eusebii, aliorumque tergiversationem. « Quippe ex apparentibus aiebant peti oportere nomina, quæ intelligibilibus accommodentur, ac nullum dictionis esse periculum, nisi peccetur in sensu [d]. » Igitur quæ ab rebus creatis, et corporeis transferuntur nomina, et ad divinas explicandas accommodantur, ab nativa illa originis suæ fæce purganda sunt ; ut quidquid in his, unde sunt petita, rebus impurum, et imperfectum cernitur, id ab divinis illis, et cœlestibus cogitatione separatur. « Ut cum aliquid ex humanis comparationibus proferimus, ait Hilarius, non secundum naturas corporales de Deo sentire credamur, nec passionibus nostris spiritualia comparare, sed potius rerum visibilium speciem ad intelligentiam invisibilium protulisse. » Athanasius itidem [e] de illa ipsa ὁμοουσίου appellatione loquens, eximendum ab ejus notione docet id omne, quod est concretum, et corporeum, et hoc solum exprimendum, eliquandumque esse, quod in usu illius proprie spectatur, nimirum propriam cum Patre Filii germanitatem, et

a Eunom. apud Basil. lib. I *cont. Eun.* Οὐ γὰρ δὴ τοῦτο ἂν εἴποιμεν ὡς κοινὴ μὲν ἀμφοῖν ἡ οὐσία, τάξει δὲ, καὶ τοῖς ἐκ χρόνου πρεσβείοις ὁ μέν ἐστι πρῶτος, ὁ δὲ δεύτερος. ἐπειδή γε δεῖ προσεῖναι ἐν τοῖς ὑπερέχουσι τὸ τῆς ὑπεροχῆς αἴτιον.

b Basil. ibid. Εἰ μὲν οὖν τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας οὕτω νοήσας εἶπεν, ὡς ἐξ ὕλης προϋπαρχούσης διανομήν τινα κατὰ διαίρεσιν εἰς τὰ ἀπ' αὐτῆς νοεῖν, οὔτ' ἂν αὐτοὶ καταδεξαίμεθα τὴν διάνοιαν ταύτην.

c Athan. Ὁ λέγων ὁμοούσιον, τρία λέγει· οὐσίαν τινὰ προϋποκειμένην, καὶ τοὺς ἐκ ταύτης γεννωμένους ὁμοουσίους εἶναι· καὶ ἐπιλέγουσιν· ἐὰν ὁ υἱὸς ὁμοούσιος ᾖ τῷ πατρὶ, ἀνάγκη προϋποκεῖσθαι αὐτῶν οὐσίαν, ἐξ ἧς ἐγεννήθησαν, καὶ μὴ εἶναι τὸν μὲν πατέρα, τὸν δὲ υἱὸν, ἀλλ' ἀμφοτέρους ἀδελφούς.

d Sozom. lib. III, cap. XVIII. Ἐκ γὰρ τῶν φαινομένων ἔφασκον χρῆναι καὶ περὶ τῶν νοητῶν τὰ ὀνόματα μεταλαμβάνειν, λέξεως τε τὸν κίνδυνον μηδένα εἶναι, ἢν μὴ περὶ τὴν ἔννοιαν ἡ ἁμαρτία γένηται.

e Athan. *de Decr. Nic. syn.* Ἐξηρήσθω δὲ πάλιν

1 Tom. IV. *Bibl. Patrum*. col. 199. — 2 Apud Euthy. *Pan.* par. II, tit. XIII.

Verbi ad Deum habitudinem. « Atque uti cum fetum, sive germen, aut Filium audimus, nihil humanum, sed cujusmodi Deo convenit, dici, et inesse cogitamus; ita cum ὁμοούσιον audimus, quod est consubstantiale, caveamus, ne ad humanos sensus revoluti, partitiones quasdam divinitatis, divisionesque cogitemus, sed tanquam de corporis expertibus animo versantes, unitatem naturæ, et identitatem lucis minime dividamus [a].» Quin et ipsa τοῦ κτίζειν, *creandi* vel *fabricandi* notio, cum ad Deum ex usu rerum infimarum traducitur, segreganda est ab imperfecta omni, et creatarum rerum propria conditione, ut idem Athanasius alibi demonstrat [1]. Videndus et Basilius epistola trecentesima. Cyrillus etiam Alexandrinus libro quarto *Thesauri*, argumento illo, et similitudine creationis, vel fabricationis utitur. Nihil enim homo condere, architectarive potest, nisi ex aliqua materia; et tamen cum *creandi*, vel condendi notionem ad Deum transferimus, aliter de eo judicamus. «Dicant igitur, inquit, quid causæ sit, cur cum de generatione agitur, nihil amplius homine velint habere Deum; cum autem de condendo sermo est, non jam illi, quæ sunt hominis propria, tribuant. Quod si factor est eo modo, qui Deo convenit, erit eodem et generator [b].» Præclare igitur non in istos tantum, sed in omnes prorsus hæreticos, qui humanis momentis, et ex captu suo divina metiuntur, convenit illud Clementis Alexandrini: « Infideles, ait, ut videtur, de cœlo, et eo, quod non est aspectabile, omnia trahunt in terram, manibus revera petras, et quercus apprehendentes, ut ait Plato. Omnia enim, quæ ejusmodi sunt, apprehendentes, id esse solum affirmant, quod appulsum, et contactum habet; idem esse definientes corpus, et substantiam [c]. »

Homousios. Quamobrem ὁμοούσιος id unum in Filio significat, unam, et eamdem essentiam, sive substantiam illius esse, quæ Patris sit, etsi persona, sive hypostasis alia sit utriusque; quam falso Sabellius, et Paulus Samosatenus ideo confundebant, quod οὐσίαν, et ὑπόστασιν, sive æquipollentes illis voces, nihil omnino differre crederent. *Usiam et hypostasin.* Toletana synodus XI contra illam substantiæ sectionem hoc decreto pugnat: « Nec enim eumdem Filium Dei, pro eo quod de Patre sit genitus, desectæ naturæ portiunculam nominamus; sed perfectum Patrem perfectum Filium, sine imminutione, sine desectione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est, inæqualem Filium non habere. Intellige duratione, et perfectione ab ortu ipso. »

X. Nam quod ad sectionem illam, ac partitionem substantiæ attinet, quæ ad ὁμοουσίου significationem videtur adhærescere, ne ejusmodi aliqua temere fingatur in Deo, recte provisum esse docet Athanasius eo ipso, quod idem Dei Filius λόγος, et σοφία, *Verbum*, et *Sapientia* Patris appellatur, « ex quibus illa de Patre generatio neque passioni, neque divisioni obnoxia cognoscitur. Etenim verbum ne in hominibus quidem pars est illorum; neque cum passione ex ipsis progreditur, nedum Dei Verbum, quem Filium suum esse significavit Pater [d].» Eodem pertinent et aliæ similitudines, quibus incorrupta illa, expersque passionis Filii generatio declarari solet. Ut cum *lumen de lumine*, et *ex sole splendor* emanans assumitur. Egregie ad hanc sententiam disserit Basilius Ancyranus, ac Semiariani reliqui in synodica Ancyrani concilii, cujus decreta in libro *de Synodis* approbavit, explicavitque sanct. Hilarius; totam vero epistolam descripsit Epiphanius hær. LXXIII [2]. In ea porro recte illi declarant, quemadmodum, cum aut creator inferiorum rerum Deus appellatur, aut unigeniti Filii Pater, ab iis vocabulis intelli-

Homousii.

ἐν τούτοις πῶς λογισμὸς σωματικὸς· φαντασίαν τε πάσης αἰσθήσεως ὑπερβάντες, καθαρᾷ τῇ νοήσει, καὶ μόνῳ τῷ νῷ νοῶμεν υἱοῦ πρὸς πατέρα τὸ γνήσιον, καὶ λόγου τὴν πρὸς τὸν θεὸν ἰδιότητα.

a Mox : Ὡς γὰρ τὸ γέννημα, καὶ τὸ υἱὸς, οὐκ ἀνθρώπινον· ἀλλ' ὡς θεῷ πρέπον ἐστὶν, εἴρηταί τε, καὶ ἔστι· τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦ ὁμοουσίου ἀκούοντες, μὴ εἰς τὰς ἀνθρωπίνας αἰσθήσεις πίπτοντες, μερισμοὺς, καὶ διαιρέσεις τῆς θεότητος λογιζώμεθα. ἀλλ' ὡς ἐπὶ ἀσωμάτων διανοούμενοι, τὴν ἑνότητα τῆς φύσεως, καὶ τὴν ταὐτότητα τοῦ φωτὸς μὴ διαιρῶμεν.

b Cyril. Alex. lib. IV *Thes.* Ἢ λεγέτωσαν τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἐπὶ μὲν τοῦ γεννᾷν οὐδὲν ἀνθρώπου πλέον ἔχειν βούλονται τὸν θεόν· ἐπὶ δὲ τοῦ κτίζειν οὐκέτι τὰ ἀνθρώπου προσάπτουσιν αὐτῷ. εἰ δὲ ποιητής ἐστιν, ὡς πρέπει θεῷ, ἔσται καὶ γεννήτωρ κατὰ τὸν ἴσον τρόπον.

c Clem. Alex. II *Strom.* Οἱ δὲ ἄπιστοι, ὡς ἔοικεν, ἐξ οὐρανοῦ, καὶ τοῦ ἀοράτου πάντα ἕλκουσιν εἰς γῆν, ταῖς χερσὶν ἀτεχνῶς πέτρας, καὶ δρῦς περιλαμβάνοντες, κατὰ τὸν Πλάτωνα. τῶν γὰρ τοιούτων ἐφαπτόμενοι πάντων, διϊσχυρίζονται τοῦτ' εἶναι μόνον, ὅπερ ἔχει προσβολὴν, καὶ ἐπαφήν τινα, ταὐτὸν σῶμα, καὶ οὐσίαν ὁριζόμενοι.

d Athan. lib. *de Syn.* Λόγος γάρ ἐστι, καὶ σοφία τοῦ πατρὸς ὁ υἱός· ἐξ ὧν τὸ ἀπαθὲς, καὶ τὸ ἀμέριστον τῆς ἐκ τοῦ πατρὸς γεννήσεως γνωρίζεται, λόγος γὰρ οὐδὲ ὁ τῶν ἀνθρώπων μέρος ἐστὶν, οὐδὲ κατὰ πάθος ἐξ αὐτῶν προέρχεται, μή τι γε ὁ τοῦ θεοῦ, ὃν υἱὸν εἶναι ἑαυτοῦ ὁ πατὴρ ἐδήλωσεν.

1 Lib. *de Synod. Arim et Sed.* — 2 Num. 2 et seq.

gendo secernere oporteat omnia, quæ in infimis et creatis rebus cum eorum notionibus implicata cernuntur, ut ea tantummodo seligantur, quæ perfectionis aliquid continent. Velut si ex *creatione*, et *creatore* id unum exprimamus, quod voces istæ significant, productionem rei cujuspiam, sine ulla producentis mutatione, qui et ipse perfectus intelligitur; illud vero detrahamus, quod in creaturis nomen idem cogitationi nostræ objicit, separatam a producente rei productæ subsistentiam, et cum materia conjunctionem, aliaque generis ejusdem. Tum ex Patris, ac Filii, et generationis nominibus excludamus id ipsum, quod in creaturis animadvertitur, profluvium, sectionemque substantiæ, indidemque ortam personarum et hypostaseon varietatem; ac solum illud assumamus, quod a divina majestate non abhorret, perfectam in substantia similitudinem. Hæc illi, qui solum ὁμοιούσιον, et *similitudinem substantiæ* vindicabant Filio. Nos non solam *substantiæ similitudinem*, sed *identitatem* insuper ex illa vocum proprietate sumemus, quam ὁμοούσιον declarat. Vide et Cyrillum Alexandrinum iis locis, quos citavimus.

Homousion.

XI. Illud vero ridiculum est, quod contra ὁμοούσιον ab Arianis objectum, tertio loco commemoravimus, naturam aliquam, vel substantiam illo vocabulo demonstrari, quæ velut separata in plures participes tribuatur. Hoc enim nihil est necesse fieri. Quippe vel unus a patre genitus ὁμοούσιος ei dicitur, ut Athanasius[1] disputat, et sive uni, sive pluribus essentia, naturaque communicatur, nequaquam ab iis separata, vel anterior existit; ipsa vero generantis persona origine saltem eo, quod genitum est, prior intelligitur, uti postea latius exponetur; et Marius Victorinus in primo *adversus Arium*, hanc Arianorum calumniam refellit, ac negat necesse esse, quod isti jactitabant, posito homousio, sequi præexistentem esse substantiam.

Discussis cavillationibus Arianorum, et falsarum interpretationum calumniis, vera, sinceraque τοῦ ὁμοουσίου vis, et potestas catholicorum usui relinquitur, cujus constituendi hæc de Scripturis ratio ab Nicænis Patribus inita est, ut testatur Athanasius [2]. Cum enim et *Deus*, et *de Deo*, et *Filius*, et *unigenitus*, adeoque singulari modo a Patre productus in sacris Libris legeretur, primum ἐκ τῆς οὐσίας, *de essentia*, vel *substantia* Patris illum esse statuerunt, et in Symbolo professi sunt. Quippe ἐκ τοῦ θεοῦ *de Deo* esse, nihil aliud est, ut Athanasius disputat, quam de ejus esse substantia, vel οὐσίᾳ; quoniam Deus sua est οὐσία. Nam et ὁ ὢν appellatur. Neque nos aliud intelligimus, cum Deum, vel Patrem nominamus, quam ipsam ejus, qui est, *substantiam*, aut *essentiam*, cum nihil aliud de Deo informare cogitando possimus[a]. Sed accedit γεννήματος, id est *fetus*, et *unigeniti*, ac *Filii*, proprietas; quæ sic illum de patris esse *substantia*, et *usia*, demonstrat, ut non extrinsecus factus sit, neque diversam ab illo sortitus essentiam, sed ex intimo processerit; hoc est, ut Scriptura loquitur, *ex utero*, et eamdem prorsus, atque individuam substantiam, sine ulla differentia rei ullius acceperit. Non enim ποίημα est, sive *opus*, vel *factura*, quæ ab facientis substantia plane diversam habet essentiam; neque ex interiore illius natura generatione profunditur, sed extrinsecus existit.

Consubstantialis.

Quænam in synodo Nicæna fuerit ratio constituendi vocem *Consubstantialis.*

Usia.

Qui est.

Jam vreo si ἐκ τῆς οὐσίας *de substantia* Patris est Filius, ac singulare hoc et eximium præ creatis habet omnibus; non id alia voce commodius, aptiusque potuit exprimi, quam ut ὁμοούσιος, *consubstantialis* appellaretur. Hæc enim ingenuum, et nativum Patris esse fetum, hoc est γέννημα, demonstrat Filium, ut idem docet Athanasius [b]; nihilque cum iis, quæ creata sunt, et facta, illi esse commune. Itaque sanctus Hilarius[3] ideo negatum ait ab Arianis esse « homousion, ne ex substantia Patris Deus Filius natus, sed secundum creaturas ex nihilo conditus prædicaretur. »

Factura.

XII. Ex adverso vero catholici, quia Deus est ipsum, quod est; id autem est substantia ejus rei, quæ esse defenditur; ac Filius de eo est ipso, quo Deus est, verusque Filius, in Patre, et in eo Pater; ideo ὁμοούσιον vocarunt, id est unius substantiæ cum Patre. Sicut ipse Dominus ait, *Ego in Patre, et Pater in me* [4], *Ego et Pater unum sumus* [5]; et, *Ego de Patre exivi* [6]; et, *Qui me videt, videt et Patrem* [7], ut totidem fere verbis scribit Ambrosius. Cyrillus[8] item inde homousion appellatum asse-

a Athan. *de Syn.* 'Αλλ' ἀκούντες τὸ πατὴρ, καὶ τὸ θεὸς, καὶ τὸ παντοκράτωρ, οὐχ ἕτερόν τι, ἀλλ' αὐτὴν τὴν τοῦ ὄντος οὐσίαν σημαινομένην νοοῦμεν.

b Athan. *de Syn.* Ἵνα καὶ τὸ γνήσιον ἀληθῶς ἐκ τούτου γνωσθῇ τοῦ υἱοῦ, καὶ μηδὲν κοινὸν ἔχῃ πρὸς τοῦτον τὰ γεννητά. Vide et seqq. et epist. *ad Afric.*, et lib. *de Decr. syn. Nic.*

1 Lib. *de Synod.* — 2 Lib. *de Synod.* et lib. *de Decr. Nic.* — 3 Lib. *de Synod.* sub. fin. — 4 *Joan.* XIV. — 5 *Joan.* X. — 6 *Joan.* XVI. — 7 *Joan.* XIV. — 8 Lib. *de Fil. div.* cap. IV.

rit, « quod Filius Dei, ac Patris natus ex ipsa substantia, non alterius naturæ, neque etiam externus ab eo sit, qui genuit, sed conformis, et æqualis naturæ [a].» Nam neque τεξρούσιον, neque ἀλλοτριούσιον, hoc est *alterius*, vel *alienæ substantiæ* Filium dici convenit; cujusmodi creaturæ sunt, ne, ut ait Athanasius [1], ὄργανον ἑτεροφυὲς et ἑτερούσιον cum impiis Arianis Deum Filium esse fateamur. Ob id ergo nomen illud ὁμοουσίου necessario Patres apposuerunt; quo uno hæreses omnes evertuntur, quæ contra Dei Filium ab nefariis capitibus excogitatæ sunt. Nam non solum Arium, eosque, qui creaturam esse, et ex non exstantibus prodiisse volebant, redarguit, sed etiam Sabellium, et Samosatenum; quamvis eadem usi voce, perperam eam interpretari conati sunt. «Quippe tollit ὑποστάσεων identitatem, ut docet Basilius, perfectamque personarum intelligentiam inducit. Non enim idem sibi ipsi consubstantiale est, sed alterum alteri. Proinde recte ac religiose admodum usurpatur, cum et hypostaseon proprietatem discernat, et naturæ sine ulla diversitate communionem exprimat [b]. » Quod et Epiphanius animadvertit, qui particulam « ὁμοῦ non de uno, ac singulari posse dici asserit; sed eo vocabulo ὁμοούσιον, duo significari perfecta, quæ nec a se invicem diversa, nec ab unitate sua sunt aliena [c]. » Ut autem Sabellii, quam Marcellus Ancyranus instauravit, falsa excluderetur opinio, qui τὸ ὁμοούσιον ad personarum tollendam diversitatem pertinere volebat; Nicæni Patres prudentissime quædam alia Symbolo suo addiderunt, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*, ut Basilius explicat epist. LXXVIII. His enim formulis satis ostenderunt, alium esse gignentem, exempli causa, Deum, vel lucem, alium genitum; ita tamen ut Deus ac lux utrobique esset.

Instrumentum alterius naturæ et substantiæ.

XIII. Denique cum οὐσία, sive *substantia* Dei, Deus ipse sit, ac quidquid est in Deo, hoc est Dei æternitas, immensitas, omnipotentia, bonitas, veritas, sapientia, et si quid aliud vero ac summo Deo tribuitur; qui ὁμοούσιον, id est *ejusdem substantiæ* Filium esse cum Deo, ac Patre dixerit, hunc et divinitate præditum eadem, et æternitate, veritate, bonitate, omnipotentia, cæterisque dicit, quæ Ariani Filio impie ac nefarie detrahebant. Pluribus hoc Cyrillus exponit in nono *Thesauri* libro, ac de æternitate præsertim id esse consequens docet : « Ut enim si ad Patrem accessisset, inquit, in tempore, non esset consubstantialis; ita quia illud verum non est, sed semper erat cum ipso, omnino consubstantialis erit [d]. » Tum paucis interjectis, « Non enim erit aliquid coæternum Patri, quod non est naturaliter ex ipso; ne etiam istud creaturis inesse dicamus, quod inest divinæ soli naturæ. Quamobrem etsi Filius principium habet Patrem suum; tamen quatenus ex principio est, concurrentem cum ipso habens exstantiam, non erit ei dissimilis substantia. Nam quia est ex principio, ideo consubstantialis principio. Porro quod est Patri consubstantiale, id adventitium non est in tempore, ne et Pater ipse talis esse reperiatur [e]. »

XIV. Sed de ὁμοουσίου vocabulo, et proprietate pulcherrime Marius Victorinus [2] in secundo libro *adversus Arium*, tum in peculiari, ac perbrevi tractatu *de Homousio recipiendo* disputat, iisdem pene utrobique verbis, ac sententiis, quarum est hæc summa. Deum esse fatemur omnes; sed et Christum fatemur esse; atque hoc modo dico, est Deus, est Christus. « Quid est autem istud esse? lumen esse, Spiritum esse, Deum esse, λόγον esse fatemur [3]. » Hoc autem est οὐσία, vel ὑπόστασις,

Homousii.

a Cyril. dial. I *de Trin.* Ὡς ἐξ αὐτῆς ἀναφὺς τῆς οὐσίας ἡμῖν τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς ὁ υἱὸς, οὐ ἐκφύλος ἔσται, κατὰ τὸ αὐτοῖς εὖ ἔχειν δοκοῦν, οὔτε μὴν ὀθνεῖος τοῦ γεγεννηκότος· ἀλλ' ὁμοούσιός τε αὐτῷ, σύμμορφός τε, καὶ ὁμοφυής.

b Basil. ep. ccc. Ἀναιρεῖ γὰρ τὴν ταυτότητα τῆς ὑποστάσεως, καὶ εἰσάγει τελείαν τῶν προσώπων τὴν ἔννοιαν. οὐ γὰρ αὐτό τί ἐστιν ἑαυτῷ ὁμοούσιον, ἀλλ' ἕτερον ἑτέρῳ. ὥστε καλῶς ἔχει, καὶ εὐσεβῶς τῶν τε ὑποστάσεων τὴν ἰδιότητα διορίζουσα, καὶ τῆς φύσεως τὸ ἀπαράλλακτον παριστῶσα.

c Epiph. hær. LXIX, num. 70. Τὸ δὲ ὁμοῦ οὐχ ἕνα πάλιν σημαίνει, ἀλλὰ ἀπὸ τοῦ ὁμοουσίου δύο σημαίνει τέλεια, ἀλλ' οὐκ ἀλλοῖα ἀλλήλων ἐστιν, οὐδὲ ἀλλότρια τῆς αὐτῶν ἑνότητος.

d Cyril. IX *Thes.* Καὶ ὥσπερ εἰ προσγεγονὼς ἐφαίνετο οὐκ ἂν ἦν ὁμοούσιος· οὕτως ἐπεὶ μὴ τοῦτό ἐστιν, ἀλλ' ἦν ἀεὶ σὺν αὐτῷ, πάντως ἔσται καὶ ὁμοούσιος.

e Ibid. Οὐ γὰρ ἔσται τι συναΐδιον τῷ πατρὶ, μὴ ὂν ἐξ αὐτοῦ φυσικῶς· ἵνα μὴ καὶ τοῖς κτίσμασι τοῦτο προσεῖναι λέγωμεν, ὃ μόνῃ πρόσεστι τῇ θείᾳ φύσει. οὐκοῦν κἂν ἀρχὴν ὁ υἱὸς ἔχῃ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, ἀλλὰ καθὸ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐστι, σύνδρομον αὐτῇ τὸ εἶναι ἔχων, ἀνόμοιος οὐκ ἔσται κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτῇ. ἐπειδὴ γὰρ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐστι, διὰ τοῦτο καὶ ὁμοούσιος τῇ ἀρχῇ. τὸ δὲ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, ἐπιγενητὸν οὐκ ἔστι· ἵνα μὴ τοῦτο ὢν εὑρίσκηται καὶ αὐτός.

1 Athan. *de Decret.* — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum*, col. 255. — 3 Lib. *de Homousio.*

Latine *substantia*. « Est autem substantia Dei lumen, Spiritus, Deus. Item substantia Christi est λόγος, lumen, Christus. Hinc omnes vere dicimus, Christum verum lumen de vero lumine, Deum de Deo: recte ergo dicitur ejusdem esse substantiæ; hoc est ὁμοούσιον: fatemini ergo ὁμοούσιον, cum dicitis lumen de lumine, Deum de Deo. » Postea nomen istud *Homousion.* *Homou et usia.* ὁμοούσιον ex duabus componi voculis ait, ὁμοῦ, et οὐσία. *Homou.* Ὁμοῦ tale est, ut cui jungitur, nunc significet eamdem rem ambo esse, nunc simul cum re rem esse. *Homoides, homonymos.* Nam cum dico ὁμοειδής, vel ὁμώνυμος, significo ejusdem speciei, vel nominis duo quædam esse. Qua ratione *Homousion.* ὁμοούσιον ejusdem substantiæ, vel essentiæ rem esse demonstrat. Rem vero esse cum re significat, ut cum dico ὁμῆλιξ, ὁμότροφος, *simul ætate*, vel *simul nutritus*. Atque hoc etiam sensu ὁμοούσιον erit *simul substantiale*, vel *consubstantiale*. Ex priori significatione damnatur Arius, qui dixit, « ex nihilo productum esse Filium; » posteriore idem ille, cum dixit, « fuisse quando non erat. » Quippe si et semper, et in principio fuit Pater, simul cum eo *Homousion.* Filium oportet fuisse, qui sit ὁμοούσιον. Idem etiam in IV *adversus Arium*: « Hoc est enim ὁμοούσιον ὁμοῦ οὐσίαν ἔχον, *simul substantiam habens*, paremque existendi vim, atque virtutem, eamdemque substantiæ naturam, nullo tempore præeunte; quod nos consubstantiale dicimus. » Quamobrem *adversus utrumque sacrilegium* Arii, quo et Filium diversæ a Patre substantiæ, atque *ex non exstantibus* factum esse docuit, et in tempore productum, non ex æterno genitum, *verbi hujus potentia repugnat*, ut Victorini verbis utar, *Homousion.* *quo* ὁμοούσιον *dicitur*. Et « o docti episcopi! (jure idem exclamat) o sancti! o fidem spiritu confirmantes! o verbum vere verbum Deo, *Verbum.* quod[1] Deus, et λόγος ostenditur simul ex æterno, et semper eadem, quæ substantia. »

Nec solum Arii venenis medetur ista vox, sed etiam Sabellii, ut ex Basilio, et Epiphanio paulo ante memini; tametsi Ariani hoc se odio Sabellii facere dictitarent, ut ne vocem illam admitterent: quos Ambrosius[2], præter superiores istos refellit sic: « Frustra autem verbum istud propter Sabellianos declinare se dicunt, et in eo suam imperitiam produnt; ὁμοούσιον enim aliud alii, non ipsum est sibi. Recte ergo ὁμοούσιον Patri Filium dicimus, quia verbo eo et personarum distinctio, et naturæ unitas significatur. »

XV. Cæterum quæ de hoc ὁμοουσίου vocabulo veteres prædicant, eam vim ejus esse, ut ad Trinitatis explicandum dogma pene unicum sufficiat, et ad Arii confutandam hæresim, nec non Sabellii; quod et unam trium esse substantiam, et tres nihilominus esse distinctos significet: id per se, ac propria sua notione neutiquam illi convenit, sed quatenus in Deo, ac de Deo ista vox usurpatur *. Etenim vera illius, et nativa significatio non minus iis in rebus valet, quæ numero discrepantes in eamdem includuntur speciem, quam quæ eadem numero constant substantia. Quippe vox ista unam substantiam, sive naturam indicat, quæ in pluribus individuis una esse dicitur. Lucifer Calaritanus[3] ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, « quod dicunt Græci, nos, inquit, Romani dicimus *unius substantiæ cum Patre*. » Quamobrem eatenus contra Arianos, et Sabellianos valet, quod Filium significat de Patris esse substantia, non ex alia, neque extrinsecus operis instar effectum, neque vel ex nihilo, aut materia quapiam. Ita Victor episcopus in *Fidei ratione ad Hunericum regem*: « Ad hanc impietatis professionem, quæ contra fidem emerserat, refellendam, et penitus abolendam, ὁμοούσιον sermo Græcus positus est, quod interpretatur unius substantiæ, vel essentiæ, significans Filium non ex nullis exstantibus, nec ex alia

* Multis hoc exemplis et philosophorum et Patrum probare liceret. Sed paucula tantum afferam. Claudius Neapolitanus sic loquitur apud Porphyrium, lib. I, *de Abstin. animal.* § 19, ubi loquentes inducit Pythagoreos: Ἀλλ' οὐ χρῆναι φήσει τις, κτείνειν τὸ ὁμόφυλον· εἴγε ὁμοούσιαι αἱ τῶν ζώων ψυχαὶ ταῖς ἡμετέραις. *Sed non oportere, inquiet aliquis, occidere id quod est ejusdem generis, siquidem animæ animalium sunt nostris consubstantiales.* Ubi manifestum est τὸ ὁμόφυλον et τὸ ὁμοούσιον idem esse. Sic et Jamblicus *De myst. Ægyptiorum* sect. III, cap. XXI, Εἰ γάρ που τὰ ἐκ δυοῖν ἓν ἀποτελοῖτο, ὁμοειδὲς τοῦτο καὶ ὁμοφυὲς πᾶν ἐστι, καὶ ὁμοούσιον; οὕτω τὰ στοιχεῖα συνερχόμενα εἰς τ' αυτὸ ἐκ πολλῶν ἕν τι ἀπεργάζεται, καὶ ψυχαὶ πλείονες εἰς ψυχὴν μίαν τὴν ὅλην συμπήγνυνται. *Si quando enim unum duobus perficiatur, hoc totum est unius speciei, unius naturæ et consubstantiale. Sic elementa in unum coeuntia, ex pluribus unum quiddam perficiunt, et animæ plures in unam animam conjunguntur.* Sic symbolum Chalcedonensis concilii ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἕνα καὶ αὐτὸν ὁμολογοῦμεν υἱὸν... ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ καθὰ τὴν Θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. *Secuti igitur sanctos Patres, unum et eumdem fatemur Filium, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Vide et locum Plotini quem affert Petavius, § 17 T. AL.

1 For. *quo eademque.* — 2 Ambros. lib. III *de Fide,* cap. VII. — 3 Lucif. in lib. *De non parc. in Deum delinq.*

substantia, sed de Patre natum esse. » Quam nominis potestatem egregie synodica[1] concilii Parisiensis exponit : quod insigne Gallicanæ fidei, professionisque monimentum ab Hilario descriptum legitur in ejus *Fragm.* Edita est
Homousii. autem anno Christi CCCLXII ac de ὁμοουσίου voce sic loquitur : « Nam homousion sermonem ad veram, et legitimam ex Deo Patre unigeniti nativitatem sumus amplexi, detestantes secundum Sabellii blasphemias ipsam unionem, neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes, sed ex toto, atque perfecto innascibili Deo, totum atque perfectum unigenitum Deum natum, unius a nobis idcirco vel usiæ, vel substantiæ cum Deo Patre confessum, ne creatura potius, aut adoptio, aut appellatio videretur. Et quia ex ipso esset, ut ex Patre Filius, ut ex Deo Deus, ut ex virtute virtus, ut ex spiritu spiritus, ut lumen ex lumine. »

XVI. Nihil accuratius, nihil plenius, pulchriusque vocis hac interpretatione, quæ opportunitatem ejus ad obterenda Sabellii, Ariique commenta demonstrat. Nam illud ὁμοῦ non confusionem, vel ut loquuntur, *unionem* significat. « Ita ut non unio divinitatis (aiunt paulo post), sed unitas intelligatur ; quia unio sit singularis, unitas vero secundum nativitatis veritatem plenitudo nascentis sit. » Quod eo sensu dicunt, ut Filius sic natus e Patre credatur, non ut portione aliqua substantiæ recisa, ut fit in corporum generatione, sed tota, plenaque communicata substantia, verus ex Patre Deo Deus originem capiat Filius. Quæ cautio Arianorum calumniæ aditum obstruit, profluvia nescio quæ, portionesque substantiæ, ac sectiones stolide cogitantium ; tum etiam Sabellianorum jugulum petit, dum unionem , id est singularitatem excludit , unitatem recipit, quæ separationem, ac divulsionem alterius ab altero prohibet. « Quia quod *unius est substantiæ*, id est ὁμοούσιον, separari non potest, etiamsi non sit singularitatis, sed unitatis, ait Ambrosius[2]. *Singularitatem* hanc dico, quæ Græce μονότης dicitur ; singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam. » Hanc Sabellianam conturbationem, confusionemque τὸ συνούσιον appellat Cæsarius[3] in responsione ad interrogationem decimam : « Crede, inquit, homousion, id est consubstantialem esse Patri Filium, non synusion, secundum Sabellii proverbium[a]. » Atqui τὸ συνούσιον potest idem videri, quod ὁμοούσιον, quatenus ὁμοῦ in similibus compositionibus idem est ac *simul*. Non enim Toletanos[4] Patres audiemus, quod ad ὁμοουσίου etymum spectat ; etsi de re ipsa recte, et cum aliis Patribus concordissime ita statuant. « Hic etiam unius cum Patre substantiæ creditur, propter quod et homousios Patri dicitur, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ ; ὁμὸς enim Græce unum, οὐσία vero substantia dicitur, quod utrumque conjunctum sonat una substantia. Nec enim de nihilo, neque de alia aliqua substantia, sed de Patris utero, id est de substantia ejus, idem Filius genitus, et natus esse credendus est. » Verum constituenda vox aliqua fuit, quæ catholicam fidem ab Sabelliana perfidia distingueret, et hujus confusionem elideret.

Synusion. Synusion. Homousion. Homousii.

XVII. Hujusmodi est τὸ συνούσιον , quod Cæsarius ille ab Epiphanio didicit ; qui in *Ancorato* Filium ait esse οὐ συνούσιον, ἀλλ' ὁμοούσιον. Quia prior vox τὴν συναλοιφὴν, id est *confusionem* personarum significat ; posterior vero, « non extra Patrem esse genitum, ut nonnulli cavillantur, qui Filium non ex rei veritate esse, sed adoptione statuunt. Porro fidei vinculum est, consubstantialem profiteri. Si enim consubstantialem dixeris, vim omnem Sabellii dissolvis. Nam ubi consubstantiale est, unam hypostasim significat[b]. » Hic Epiphanius hypostasim cum οὐσίᾳ promiscue sumpsit, ut ipse alias, et plerique per id tempus solebant, quod supra[5] docui.

Synusion. Non synusion sed homousion. Usia.

Idem alio loco ταὐτοούσιον dixit pro συνούσιον. « Neque ταὐτοούσιον, inquit, appellamus, ne vox ista a nonnullis usurpata, Sabellianum ad dogma trahatur[c]. » Addit et novam τοῦ ὁμοουσίου interpretationem : « Homousion,

Toutousion. Synousion. Toutousion. Consubstantialis.

a CÆSAR. Πίστευε οὖν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν, μὴ συνούσιον κατὰ τὴν Σαβελλίου παροιμίαν. for. παροινίαν.

b EPIPH. in *Ancor.* num. 6. Οὐ συνούσιος, ἀλλ' ὁμοούσιος, τουτέστιν οὐκ ἔξωθεν τοῦ πατρὸς γεννηθεὶς, ὥς τινες εἰρωνείᾳ φέρονται, θέσει θέλοντες εἶναι τὸν υἱὸν καὶ οὐκ ἀληθείᾳ. σύνδεσμος δὲ τῆς πίστεως ὁμοούσιον λέγειν. ἐὰν γὰρ εἴπῃς τὸ ὁμοούσιον, ἔλυσας Σαβελλίου τὴν δύναμιν· ὅπου γὰρ ὁμοούσιον, μιᾶς ὑποστάσεώς ἐστι δηλωτικόν.

c EPIPH. hær. LXXVI, num. 7. Καὶ οὐ λέγομεν ταὐτὸ ούσιον, ἵνα μὴ ἡ λέξις παρά τισι λεγομένη Σαβελλίῳ ἀπεικασθῇ.

1 Exstat tom. I Conc. Gall — 2 Ambr. V *de Fide*, cap. I. — 3 Tom. I *Biblioth. Patrum. Græco-lat* — 4 Tolet. conc. undecimum in *Confes. fid.* — 5 Cap. I.

inquit, dicimus, ut sancta fides habet, ut particula ὁμοῦ perfectas esse personas significet; quoniam Filius ex Patre, perfectus ex perfecto, perfectus itidem est Spiritus sanctus [a].» Quæ notatio nominis sic intelligenda est, non ut vox ὁμοῦ *perfectum* proprie significet; id enim sit absurdum: sed quod unitatem, et convenientiam naturæ ejusdem exprimat, quæ in singulis integra est. Itaque in propagatione corporatarum rerum corpus ipsum, et materia non ex toto derivatur ab generante in id, quod gignitur, sed ejus pars aliqua desecta et avulsa ; essentia vero et natura in solidum transfunditur. Ideo perfectus est homo, qui ab homine gignitur. Atque hoc propria et germana notione vocis includitur. Denique Basilius in secundo *contra Eunom.* demonstrat ὁμοούσιον communitatem significare naturæ, vel essentiæ, quam communitatem interpretatur sic, ut sit, « essentiæ rationem unam et eamdem in utrisque spectari, ut si Patris substantia ratione subjecti esse lux intelligatur, etiam Unigeniti substantiam lucem esse profiteamur, et qualemcumque in Patre quis inesse dicat naturæ rationem, eadem accommodetur et Filio. Ad hunc modum, si communio substantiæ intelligatur, eam nos admittimus [b].» Hoc vero etiam in iis locum habet, quæ eadem comprehensa specie, naturas habent singulares. Unde et hæc ὁμοούσια vocantur. Nam et Plotinus cum dixisset, « animam sempiternæ ac diviniori naturæ esse cognatam quatenus corporis est expers [c], » mox ait, divinum quoddam esse bonum prudentiam, et virtutem. «Prudentia, inquit, et virtus vera non potest inesse in vili quapiam, mortalique re, sed necesse est divinum ejusmodi esse, utpote quod divinis rebus plenum sit propter cognationem, et unitatem substantiæ. » Sic τὸ ὁμοούσιον dixit de iis, quæ numero saltem differentes naturas sortiuntur.

Homou.

Homou.

Verum cum ad Deum, ejusque propriam substantiam, ac substantiæ communionem significandam a creatis rebus ea vox attollitur, majorem quamdam, et arctiorem unitatem exprimit; ut non specie solum, sed etiam numero eadem in utrisque natura sit. Non enim multiplicari divina potest essentia. uti plures sint naturæ; quia neque plures esse possunt dii, quorum unus sit altero prior, aut posterior. Sed si cui communicatur individuo, ac personæ, ex toto communicatur, eademque numero, et singularis, cum proprietatibus omnibus, adeoque æternitate ipsa; ut perinde necesse sit æternum esse, qui ex æterno nascitur, ac Deum esse qui ex Deo *.

CAPUT VI.

De nomine τοῦ ὁμοιουσίου, *id est* substantia similis; *quæ ejus origo fuerit; variæ in illa ludificationes Arianorum, Semiariani proprius ad catholicum dogma illud accommodarunt, sed subdole. Catholici quomodo eodem vocabulo usi sunt, ac varia de eo illorum judicia. Athanasius id oppugnat, necnon alii. Quidam tamen approbarunt, præsertim Hilarius: quatenus cum recta fide consentiat. De* identitate *essentiæ, quod est* ταὐτοούσιον, *et æqualitate. Alchuvini de ea sententia notatur.*

I. Cum ὁμοούσιον, et *consubstantiale* in Nicæna constitutum synodo tam hæreticos, quam etiam catholicos nonnullos offenderet, idque unum ad ineundam, faciendamque partium concor- Homousion Origo homœousiou.

a Epiph. hær. LXXVI, num. 7. Ὁμοούσιον δέ φαμεν ὡς ἔχει ἡ ἁγία πίστις· ἵνα ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ σαφῶς σημανθῇ τὰ τέλεια· ὅτι ὁ υἱὸς ἐκ πατρὸς, τέλειος ἐκ τελείου τέλειον δὲ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα.

b Basil. II *contra Eunom.* Εἰ δὲ οὕτω τις ἐκλαμβάνοι τὸ τῆς οὐσίας κοινὸν, ὡς τὸν τοῦ εἶναι λόγον ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἐπ' ἀμφοῖν θεωρεῖσθαι· ὥστε καὶ εἰ καθ' ὑπόθεσιν φῶς ὁ πατὴρ τῷ ὑποκειμένῳ νοοῖτο, φῶς καὶ τὴν τοῦ μονογενοῦς οὐσίαν ὁμολογεῖσθαι· καὶ ὅν περ ἄν τις ἀποδῷ ἐπὶ τοῦ πατρὸς τὸν τοῦ εἶναι λόγον, τὸν αὐτὸν τοῦτον καὶ τῷ υἱῷ ἐφαρμόζειν· εἰ οὕτω τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας λαμβάνοιτο, δεχόμεθα.

c Plot. Enn. IV, lib. VII, cap. x. Ὅτι δὲ τῇ θειοτέρᾳ φύσει συγγενὴς ἡ ψυχὴ, καὶ τῇ ἀϊδίῳ, δῆλον μὲν ποιεῖ καὶ τὸ μὴ σῶμα αὐτὴν δεδεῖχθαι.

Mox : Φρόνησις γὰρ, καὶ ἀρετὴ ἀληθὴς θεῖα ὄντα οὐκ ἂν ἐγγένοιτο φαύλῳ τινὶ, καὶ θνητῷ πράγματι· ἀλλ' ἀνάγκη θεῖον τὸ τοιοῦτον εἶναι, ἅτε θείων μεστὸν αὐτῷ διὰ συγγένειαν, καὶ τὸ ὁμοούσιον.

* De voce ὁμοουσίου præter theologos cæteros consule Natalis Alexandri dissertationem XIV *in Hist. eccles.* sæc. XIV, auctoresque ab Joh. Georgio Walchio recensos *Hist.* n. 3, pag. 195. seqq.; Zornium cum primis qui tamen ridiculus est, dum p. 91, inter scriptores qui ex voce ὁμοούσιος Tritheismum exsculpere conantur, Petavium adnumerat; quo ineptius commentum fingi non potuit , cum Petavius in id hactenus omni potius studio conatus fuerit, ut ab omni hæreseos suspicione adversus Arianorum criminationes Nicænos Patres vindicaret.

diam moræ esse putaretur; visum est quibusdam, hoc professionis idoneum fore temperamentum, ὁμοιούσιον, una addita litterula, pro ὁμοουσίῳ diceretur, hoc est *similis*, non *ejusdem* cum Deo Patre *substantiæ*. Quam quidem vocem non eodem sensu omnes, et animo receperunt. Etenim Ariani, tam deteriores illi, qui merum Arii virus expresserant sub ipsum nascentis illius hæresis initium, quam eodem e grege commodiores alii, quos *Semiarianos* vocarunt, aliter de hujus significatione nominis arbitrati sunt, quam catholici complures, qui ab eo vocabulo non abhorrebant. Ac Nicænæ synodi tempore scribit Athanasius [1], cum in eo Patres essent, ut certam fidei professionem conderent, quæ Arianam perfidiam prorsus elideret, decrevisse primum, ἐκ τοῦ Θεοῦ, *ex Deo* esse Filium. Cui cum Eusebius Nicomediensis ejusque gregales, non gravate essent assensi, quod nihil ea vox illorum obesset hæresi, quatenus id unum declarabat, Filium non ab alio, neque alterius interventu, sed ab ipsomet Patre esse productum; ea cavillatione conspecta, additum ab iis esse τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας, *hoc est e substantia*, ut solus ex Dei, Patrisque substantia productus ac genitus, adeoque Filius haberetur. Postea cum id etiam addi placuisset, « Imaginem Patris esse Verbum, ac per omnia sine ulla diversitate simile [a];» Eusebium ne huic quidem reclamasse, quod diceret etiam hominem Dei imaginem appellari. Ob id demum ad eludendam penitus hominum vafritiem, inter Patres convenisse, ut ὁμοούσιος *consubstantialis* vocaretur; « ut non tantum similem esse Filium, sed eumdem etiam assimilatione ipsa ex Patre esse monstrarent [b]. »

Homœousion

Homousion.

Arianorum cavillationes de homœousio.

II. Quocirca similem Patri Filium esse germani illi, ac sectæ principes Ariani eo sensu fatebantur, ut non in substantia, vel essentia similitudo ista constaret, sed in consensione voluntatis, atque doctrinæ, vel in virtute, ut idem Athanasius [2] confirmat. In quo nihil illi præcipuum, et a creaturis diversum attribuebant. Alias, quod ridiculum magis, et ineptum est, ob id unum similem esse fingebant, « quod talem eum constituere Pater, qualis est ipse, voluerit; quemadmodum domus in certam conformata speciem, velut imago est cogitationis artificis [c], » aiunt apud Cyrillum hæretici; tanquam exemplaris et ideæ, quæ est in artifice Dei sapientia, similis dicatur Filius, non autem οὐσίας ipsius. Eodem spectat, quod Eunomius imaginem et sigillum aiebat esse Filium ἐνεργείας, id est *actionis* Dei; quod Basilius [3], et Gregorius Nyssenus [4] refellunt, necnon Cyrillus Alexandrinus lib. III *in Joannem*, capite quinto, ac nos de ea re dicemus alio in loco.

Rursus similem esse voluntatis aliter interpretabantur, et quidem stolidissimo sensu, quem refert Hilarius [5] in concilio Seleuciensi se a quodam episcopo Arianarum partium non sine stupore audisse, « Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse. De quo cum iterum interrogarem, inquit, tunc hæc ita locutus est: Dico eum dissimilem Deo esse, similem Patri posse intelligi; quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia sui vellet; et idcirco similem Patri esse, quia voluntatis potius esset Filius, quam divinitatis. » Quem locum libro primo [6] commemoravimus. Atque hanc similitudinis explicandæ perfidam cavillationem Constantio imperatori, qui eam amplexabatur, audacter exprobrat. « O fallax, inquit, blandimentum tuum! Paleis enim aquas tegis, et foveas cespitibus occultas, et escis laqueos supponis. Satisfacere ignorantibus putas, quia dicis similem Patri secundum Scripturas. »

III. Alii, qui propius ab catholicis partibus aberant, similem in omnibus, et ipsa adeo substantia, prædicabant Filium, *sine ullo plane discrimine*, quod ἀπαραλλάκτως dicitur. Ita Semiariani, et eorum princeps Ancyræ episcopus Basilius, in Ancyrano conciliabulo decreverunt, quod Epiphanius in hæresi LXXIII descripsit, et Hilarius multum commendavit in libro *de Synodis*. Ibi enim dimidiati isti catholici, formulam illam fidei, quam ab Osio Cordubensi per vim expressam publicarant Aetii, et Eunomii fautores Anomœi, pluribus anathematismis insectantur, asseruntque

a Εἰκόνα τοῦ Πατρὸς τὸν λόγον ὅμοιόν τε καὶ ἀπαράλλακτον αὐτὸν κατὰ πάντα τῷ πατρί.

b Ἵνα μὴ μόνον ὅμοιον τὸν υἱὸν, ἀλλὰ ταὐτὸν τῇ ὁμοιώσει ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι σημαίνωσι.

c CYRIL. lib. XIII *Thes*. Ὅτι διὰ τὸ θελῆσαι μόνον τὸν πατέρα τοιοῦτον ὑποστῆσαι τὸν υἱὸν, ὁποῖός ἐστιν αὐτὸς, τὴν πρὸς αὐτὸν ὁμοίωσιν ἔχει. ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ οἶκος εἰς εἶδός τι, καὶ σχῆμα μεταπεποιημένος ὥσπερ εἰκών ἐστι τῆς τοῦ δημιουργήσαντος ἐννοίας.

1 Lib. *de Decr. Nic. syn*. Vide et epist. *ad Afric*. — 2 Lib. *de Synod*. — 3 Lib. IV *contra Eunom*. — 4 Lib. I cont. eumdem. — 5 Hilar. lib. I *ad Const*. — 6 Lib. I, cap. x.

Filium Patri per omnia sine ulla differentia esse similem, adeoque natura, et οὐσίᾳ; a qua voce impii sic abhorrebant, ut eam funditus abolere niterentur. Tum idem postea Basilius in conventiculo quodam Sirmiensi coram Constantio celebrato ante Ariminensem synodum, professioni fidei, cui Marcus Arethusius, Valens, et Ursacius, cæterique ita subscripserant, ut vel « similem esse per omnia, » vel tantum « similem esse Patri Filium » dicerent, in ea verba consentit ut scriberet « similem esse Filium Patri per omnia. Per omnia vero non solum secundum voluntatem; sed secundum hypostasim, et secundum existentiam, et secundum hoc, quod est esse, utpote Filium, secundum divinas Scripturas[a]. » etc. Acacius[1] quoque Eusebii Cæsariensis discipulus et successor, contra Marcellum scribens, qui Filium negabat Dei Patris imaginem esse secundum divinitatem, ac similitudinem evertebat, idem asserit; unaque illud explicat, quid sit ἀπαραλλάκτως. « Jam cum nulla re discrepare dicitur, non perinde est, ac si ingenitam esse fateremur; sed illud solum ostenditur, ad paternæ bonitatis, et divinitatis, et actionis omnis exemplar exactissime, absolutissimeque esse illam expressam[b]. »

Nulla re discrepans.

IV. Usque adeo vero illam *essentiæ similitudinem*, et τὸ ὁμοιούσιον amplexati sunt, ut vel adversus τοῦ ὁμοουσίου professionem, ea, tanquam propugnaculo uterentur; vel si τὸ ὁμοούσιον usurpare cogerentur, idipsum ad ὁμοιουσίου notionem interpretando deflecterent. Sane Eusebius Cæsariensis, cum in concilio Nicæno ad ὁμοούσιον approbandum Constantini eum auctoritas, et imperium urgeret, maligna, et veteratoria tergiversatione ita declaravit ad Cæsarienses suos epistolam scribens, quam Socrates[2] descripsit. Nam, cum rationes exponeret, ob quas τὸ ὁμοούσιον inseri passus esset in fidei Symbolum, cum alia quædam nimis jejune de hujus potestate vocis explicat, tum hoc ipsum, « significare id, quod dicitur, consubstantialem esse Patri Filium, nullam habere Dei Filium, cum rebus factis, et creatis similitudinem, sed ei soli, qui genuit, Patri modis omnibus assimilari[c]. » Quod antecedenti capite referebamus: ut et illud Constantii imperatoris, qui ut Sozomenus in quarto libro, capite XVIII, refert, cum initio Nicænam professionem, ac τὸ ὁμοούσιον secutus esset, et postea sententiam mutavit, proque eo τὸ ὁμοιούσιον ascivit: quem etiam, ait, Eusebii (Cæsariensem, opinor, intelligit) et aliorum auctoritate commotum, hoc illi anteposuisse; quod homousion ad corpora proprie pertinet, quæ similis cujusdam participatione, talia dicuntur; homœusion vero de rebus corpore carentibus usurpatur, ut Deo, et angelis, quæ per se secundum propriam substantiam ita denominantur. His igitur assensum imperatorem ait, repudiato homousio, homœusion elegisse. Addit et fabellam Arianorum sequenti capite, de Constantino, qui paulo ante mortem alterum concilium cogere statuerat, in quo controversia illa de integro disceptaretur. Quo mortuo, Constantium in eam curam successisse, et Ariminensem convocasse synodum; quæ sunt anilium lucubrationum inania commenta.

Homœousion. Homousion. Homousion. Homœousii. Homousion. Homousion. Homousion. Homœousion

V. Cæterum antequam τὸ ὁμοιούσιον, et illam *naturæ similitudinem* ad usum perfidiæ suæ, fraudemque nectendam catholico dogmati traxissent Ariani, nonnulli veterum naturæ conjunctionem illam, sive unitatem potius, qua cum Patre copulatur Filius, quamque verbis istis expressit ipse, *Ego et Pater unum sumus*[3], » similitudinis, et imaginis ratione declararunt. Ut Alexander episcopus Alexandriæ ad cognominem Constantinopolitanum episcopum scribens, vim illius sententiæ, ex qua deinde τὸ ὁμοούσιον exculpsere catholici, ad similitudinem refert. Nam idcirco dictum illud ait a Christo, « quod ita natus sit Filius, ut paternam effigiem exacte retineat, ut qui omnimodam ipsius natura sua similitudinem expresserit, ac sit nulla re discrepans imago Patris, et prototypi expressa figura[d]. » Verum

Homœousion

a Apud Epiph. hær. LXXIII, num. 22. Ὅμοιον ὁμολογῶν τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα δὲ, οὐ μόνον κατὰ τὴν βούλησιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὑπόστασιν, καὶ κατὰ τὴν ὕπαρξιν, κατὰ τὸ εἶναι, ὡς υἱὸς κατὰ τὰς θείας γραφάς.

b Epiph. hær. LXXIII, num. 7. Τὸ δὲ ἀπαραλλάκτως εἰπεῖν οὐχ οἷόν τι καὶ ἀγεννήτως, ἀλλ' ὅτι ἐκτυπῶς, καὶ ἀκριβῶς ὡμοιωμένην πρὸς πατρικὴν ἀγαθότητα, καὶ θειότητα, καὶ πᾶσαν ἐνέργειαν.

c Euseb. in epist. *ad Cæsar*. apud Socr. lib. I. Παραστικὸν δὲ εἶναι τῷ πατρὶ τὸ ὁμοούσιον, τὸ μηδεμίαν ἐμφέρειαν πρὸς τὰ γενητὰ κτίσματα τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐμφαίνειν· μόνῳ δὲ τῷ πατρὶ τῷ γεγεννηκότι κατὰ πάντα τρόπον ἀφομοιοῦσθαι.

d Alexand. apud Theodor. lib. I *Hist*. cap. III. Ἀλλ' ὅτι τὴν πατρικὴν ἐμφέρειαν ἀκριβῶς πέφυκε σώζειν ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, τὴν κατὰ πάντα ὁμοιότητα αὐτοῦ ἐκ φύσεως ἀπομαξάμενος, καὶ ἀπαράλλακτος εἰκὼν τοῦ πατρὸς τυγχάνων. καὶ τοῦ προτοτύπου ἔκτυπος χαρακτήρ.

1 Apud Epiph. hær. LXXIII, n. 6 et seq. — 2 Lib. I cap. IX. — 3 *Joan*. X, 30.

ubi isidias in isto vocabulo tendere cœperunt hæretici, falsam horum interpretationem, ὁμοούσιον nihil esse, quam ὁμοιούσιον asserentium, nostrorum plerique detestati sunt. Ut inter alios Athanasius (ita enim inscribitur) in brevissimo tractatu, cujus titulus est, *Contra hypocrisim Meletii*, etc., ubi illos refutat, qui ὁμοούσιον idem esse volebant, atque ὅμοιον τῇ οὐσίᾳ, « ut alteram substantiam Deo assimilatam inducerent[a]. « Quod opusculum non esse Athanasii, libro primo demonstravimus. Videtur autem adversus Antiochenum concilium editum, quod Joviano imperante celebratum est. Cum enim post Juliani Apostatæ necem, ad catholicum imperatorem rerum summa rediisset, isque Nicænam professionem manifeste præ se ferret, atque Athanasium coleret; Arianorum principes aliqui, quorum dux erat Acacius Cæsariensis, homo vafer, ac subdolus, tempori serviendum putantes, Antiochiam venerunt ad Meletium, quem apud Jovianum in magna esse gratia videbant, in eaque urbe conventu habito, Nicænam fidem, ac τὸ ὁμοούσιον ratum esse decreverunt. Sed iidem tamen hujus ipsius vocabuli similem, ac paulo antea posuimus, sententiam aperuerunt. Sic enim loquuntur : « Quandoquidem et illud, quod quibusdam peregrinum in illa videtur, consubstantialis nomen, tutam et commodam apud Patres interpretationem habuit; quæ id unum demonstrat, ex Patris substantia genitum esse Filium; tum eumdem Patri esse substantia similem adeo, ut passio nulla in generatione illa inexplicabili cogitetur[b],» etc. Huic professioni subscripti leguntur Meletius Antiochenus, Eusebius Samosatenus, Acacius Cæsariensis, aliique plures. Atqui opusculo huic, quod diximus, Athanasii, titulus iste præfixus est : ἔλεγχος τῆς ὑποκρίσεως τῶν περὶ Μελέτιον, καὶ Εὐσέβιον (καὶ) τὸν Σαμοσατέα τῶν κακοδόξων περὶ τοῦ ὁμοουσίου. *Confutatio hypocrisis Meletii, et Eusebii Samosateni, ac sociorum male de fide sententium de consubstantiali*. Tum ostendere nititur, non esse satis ad catholicæ fidei integritatem asserere, Filium Patri similem esse, vel ὁμοιουσιον *substantia similem*; neque porro ferendos esse, qui ὁμοοῦσιον exponant, ut sit ὅμοιος τῇ οὐσίᾳ, ac denique qui ad professionem ὁμοουσίου qualicumque sensu receptam adjiciunt ἀπαθῶς, id est *sine passione* id fieri ; quod callide usurpari ab illis ait, non ut passionis expertem affirment Deum, quod minime sit necesse, cum ea de re dubitet nemo, sed ut veram generationem, proprieque dicti Filii notionem excludant, tanquam citra passionem consistere neutra possit. Ex quibus conjectura fit nostra probabilis, brevem hunc tractatum adversus Antiochenam illam synodum scriptum fuisse. In qua iidem illi, qui inscripti sunt huic opusculo, subscripserunt episcopi ; et, quod ibidem refellitur, in synodica sua posuerunt, ὁμοούσιον nihil esse aliud, quam ὅμοιον τῇ οὐσίᾳ, ac « nullam prorsus intercessisse passionem. »

Homousion. Homœousion

Homousion. Similem usia.

Homousion.

Homousion.

Similis substantia. Homousii.

Homousion. Similem substantia.

Igitur Antiochenus iste conventus verbo Nicænam fidem, et τὸ ὁμοούσιον admisit, reipsa sustulit; ac τὸ ὁμοιούσιον adscivit, dum utriusque promiscuam esse significationem statuit. Hinc sane. Hieronymus in *Chronico* ita scribit : « Synodus Antiochiæ a Meletio, et suis facta, in qua homousio, anomœoque rejecto, medium inter hæc homœousion Macedonianum dogma vindicaverunt. » Sic omnino legendum, non ut erudito viro placebat, *homousio*, et *homeusio rejecto*, quod quid sit divinare nemo potest. Nam Græce unica tantummodo vox est ὁμοιούσιον, quod est *homœousion*. At debent esse duæ, et quidem oppositæ, quas inter medium sit homousion.

Homousion. Homœousion

VI. Cæterum catholici de ὁμοιουσίῳ illo varie judicarunt. Quidam enim funditus rejiciendum putarunt, quod de divina substantia pronuntiari nullo modo debeat. Sic in opusculo illo *Contra hypocrisim Meletii*, etc., ubi ideo refellitur ; quoniam id, quod alteri simile dicitur, non est idem cum eo, velut homo ad imaginem, similitudinemque Dei factus est. Quinetiam canis lupo similis est, et stannum argento, et æs auro; non tamen eadem est in illis natura. « Proinde non est, inquit, Deo similis Filius, cum Deus sit, sed unum et idem ; sicut scriptum est : *Ego, et Pater unum sumus*, ubi divinitatem interpretatur unitatem[c]. »

Homœousio.

Quidam e catholicis homœousion funditus rejecerunt.

a ATHAN. *contra Melet.* Ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ ἐξηγούμενος τὸ ὁμοούσιον ὡς ὅμοιον τῇ οὐσίᾳ, ἑτέραν τὴν οὐσίαν λέγει, Θεῷ δὲ ὡμοιωμένην.

b Synod. Antioc. apud Socrat. lib. III, cap. XXV, et Sozom. lib. VI, cap. IV. Ὁπότε καὶ τὸ δοκοῦν ἐν αὐτῇ τισι ξένον ὄνομα, τὸ τοῦ ὁμοουσίου φαμὲν, ἀσφαλοῦς τετύχηκε παρὰ τοῖς πατράσιν ἑρμηνείας, σημαινούσης ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς ἐγεννήθη, καὶ ὅτι ὅμοιος κατ' οὐσίαν τῷ πατρί· οὔτε δὲ ὡς πάθους τινὸς περὶ τὴν ἄῤῥητον γένεσιν ἐπινοουμένου, etc.

c ATHAN. *in Confut. hypocr. Melet.* Θεῷ οὖν οὐχ ὅμοιος ὁ υἱὸς, Θεὸς ὤν. ἀλλ' ἕν, καὶ τοῦτο (ταὐτὸ) ὡς γέγραπται· ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· καὶ θεότητα ἡρμήνευσε τὴν ἑνότητα.

Docet hoc Athanasius idem alio loco pluribus, eruditeque disputat his verbis : «Nam et vos scitis ipsi, nec ambigere quisquam potest, nomen similis de substantiis non usurpari, sed de figuris et qualitatibus dici. Nam in substantiis non similitudo, sed identitas affirmari debet. Sic homo homini similis dicitur, non secundum substantiam, sed secundum figuram, et formam. Quod enim ad substantiam attinet, ὁμοφυεῖς, id est *ejusdem naturæ* sunt. Ac rursus homo cani nequaquam similis dicetur, sed natura diversus. Quocirco quod est ὁμοφυὲς, id est *ejusdem naturæ*, etiam ὁμοούσιον erit, id est *consubstantiale*; quod autem ἑτεροφυὲς, *diversæ naturæ* est, erit ἑτερούσιον, *diversæ substantiæ*. Unde qui secundum substantiam simile dicit, participatione quadam simile esse definit. Nam simile qualitas est quædam, quæ substantiæ advenit. Hoc vero factarum rerum proprium est, quæ propter participationem fiunt similes Deo [a]. »

Quatuor argumentis *homœousion* impugnat Athanasius.

VII. Quamobrem tribus, quatuorve argumentis τὸ ὁμοιούσιον, id est *substantiæ similitudinem* impugnat Athanasius. Imprimis quod similitudinis notio ταὐτότητα, hoc est *identitatem* excludit. Quæ enim similia sunt, non sunt ejusdem cum iis, quorum sunt similia, naturæ ac substantiæ, ut crystallus adamanti similis, stannum argento, quæ multum inter se natura distant. Deinde quod si similis substantia dicatur Patri Filius, consequens est duas esse substantias, ut in opusculo illo *contra Meletium* scriptum est, et iis verbis, quæ indidem descripsimus. Ad hæc similitudo non usurpatur, nisi secundum qualitates; substantia vero per se similis non dicitur. Quibus argumentis nonnunquam et alii Patres uti solent.

Basilius epistola CXII Filium Patri neque similem, neque dissimilem proprie esse dicit, eo quod similitudo qualitatis est, quæ nulla sit in Deo. « Porro identitatem naturæ confitentes, et consubstantiale recipimus, et compositionem effugimus; cum is, qui secundum substantiam Deus est, et Pater, eum genuerit, qui secundum substantiam Deus est, et Filius [b].»

Marius quoque Victorinus libro primo *adversus Arium*, « Impii, inquit, et illi rursus, qui dicunt, ὁμοιούσιον (ita enim legendum, non *Homœousion*
ὁμοούσιον) esse Filium Patri. Substantia enim, *Homousion.*
secundum quod substantia est, non est alia, ut sit similis ad aliam. Eadem enim est in duabus, et non est similis, sed ipsa. Sed alia cum sit, non quo substantia est, similis dicitur, sed secundum quamdam qualitatem. » Ac mox ita : « Substantia autem, secundum quod substantia est, non recipit similem esse, aut dissimilem. Juxta quod autem receptibilis est qualitatis, similis, aut dissimilis dicitur, in potentia sua, vel existentia manente substantia vel eadem, vel diversa. Quid autem vero illa substantia vel Dei, vel τοῦ λόγου, numquid *Verbi.*
receptibilis est dissimilitudinis, ut dicatur similis esse? Sed impossibile. Nec similes ergo. Non igitur ὁμοιούσιον. » Multa deinceps alia ad idem argumentum disputat obscure, ut solet, Victorinus, ac pene barbare. Accedit ad styli pravitatem librariorum incuria, editionumque menda frequens, quæ difficilem de auctoris istius sententia conjecturam facit. Ac passim in illo loco, unde ista selegimus, ὁμοούσιον *Homousion.. homœousion.*
scriptum est, ubi ὁμοιουσιον legi omnino debet.

VIII. Illud ab eodem animadversum prætermittere non licet; frustra esse Arionitas (an Ariomanitas legendum ?) qui cum ὁμοούσιον ab *Homousion.*
Nicæna comprobatum synodo repudient, pro eo τὸ ὁμοιούσιον recens excogitatum substituerint, *Homœouion.*
eoque inter cætera nitantur, quod capite antecedenti memoravimus, ubi τὸ ὁμοιούσιον *Homœousiou*
constituitur, ibi esse *præexistentem*, aliquam *substantiam*, cujus participatione *consubstantialia* velut inferiora dicantur. Contra quos merito instat ille; idem et de ὁμοουσίῳ posse *Homousio.*
vicissim hujus defensoribus objici. « Quid ergo dicit, inquit, dicens : Præexistit substantia, *Homousion.. homœousion.*
ὁμοούσιον est [c]? Quid vero si ὁμοιούσιον est, non necesse est, sic intelligere, quod præexistat substantia, a quo duo ista substantia similia

a Athan. *de Syn.* Οἴδατε γὰρ καὶ ὑμεῖς, καὶ οὐδ' ἄν τις ἀμφιβάλλοι, ὅτι τὸ ὅμοιον οὐκ ἐπὶ τῶν οὐσιῶν, ἀλλ' ἐπὶ σχημάτων, καί ποιοτήτων λέγεται ὅμοιον. ἐπὶ γὰρ τῶν οὐσιῶν οὐχ ὁμοιότης, ἀλλὰ ταὐτότης ἄν λεχθείη. ἄνθρωπος γοῦν ἀνθρώπῳ ὅμοιος λέγεται οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὸ σχῆμα, καὶ τὸν χαρακτῆρα. τῇ γὰρ οὐσίᾳ ὁμοφυεῖς εἰσι. καὶ πάλιν ἄνθρωπος κυνὶ οὐκ ἄν ὅμοιος λέγεται, ἀλλ' ἑτεροφυής. οὐκοῦν τὸ ὁμοφυὲς, καὶ ὁμοούσιον· τὸ δὲ ἑτεροφυὲς καὶ ἑτεροούσιον. Διὸ καὶ ὁ λέγων ὅμοιον κατ' οὐσίαν, ἐκ μετουσίας τοῦτο λέγει ὅμοιον. τὸ γὰρ ὅμοιον ποιότης ἐστὶν, ἥ τις τῇ οὐσίᾳ προσγένοιτ' ἄν. τοῦτο δὲ τῶν ποιημάτων ἴδιον ἂν εἴη· ταῦτα γὰρ ἐκ μετοχῆς ὁμοιοῦται τῷ θεῷ.

b Basilius. Καίτοι ἡμεῖς κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον, οὔτε ὅμοιον, οὔτε ἀνόμοιον λέγομεν τὸν υἱὸν τῷ πατρί. ἑκάτερον γὰρ αὐτῶν ἐπίσης ἀδύνατον. ὅμοιον γὰρ καὶ ἀνόμοιον κατὰ τὰς ποιότητας λέγεται· ποιότητος δὲ τὸ θεῖον ἐλεύθερον. ταὐτότητα δὲ τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, καὶ τὸ ὁμοούσιον ἐκδεχόμεθα, καὶ τὸ σύνθετον φεύγομεν, τοῦ κατ' οὐσίαν Θεοῦ καὶ πατρὸς τὸν κατ' οὐσίαν Θεὸν, καὶ υἱὸν γεγεννηκότος.

c *Lego* si ὁμοούσιον cst.

acta sunt ? et secundum tuam rationem, et tu in idipsum incurris, quod metuis in ὁμοούσιον. An tibi soli licet intelligere ὁμοιούσιον, Patre dante substantiam Filio, nobis autem non est ista excogitatio, ὁμοούσιον esse, Patre causa existente ad hoc, ut sit Filius ? » Addit ad eosdem convincendos homœusiastas ex Esaia petitum argumentum; apud quem Deus ita loquitur : *Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit similis*[1]. Quinam igitur et Deus substantia diversus a Patre Deo Filius est, et eidem substantia similis, cui Deus nullus est similis ? Tum illud etiam adjicit Athanasio, aliisque consentaneum; non dici aliquid alteri substantia simile, vel dissimile, sed qualitate. « Quid est, inquit, esse substantia simile ? Ex ipsa ista substantia, secundum quod ista ipsa substantia est, idem est non simile. Simile enim qualitate efficitur, quæ similitudo, colore, habitu, affectione, virtute, forma similitudo est. » Et in libro tertio, « Substantia, inquit, in eo, quod substantia est, maxime si sit ejusdem generis, et hæc in duobus pluribusque sit, hæc eadem, non similis dicitur esse substantia. Ut anima substantia est, sint licet multæ animæ, in eo, quod animæ sunt, una est illis, eademque substantia. » His assentientem Ambrosium audiamus, et Semiarianos τοῦ ὁμοιουσίου patronos gravi oratione castigantem [2]. « Denique, inquit, sublato ὁμοούσιου, id est *unius substantiæ* vocabulo, ὁμοιούσιον, id est *similem* factori suo posuerunt, cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam et homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est, nec tamen Deus est; nec quod Deus est, homo exstitisse credendus est. Ita et Filium Dei similem volunt, ut eum aliunde similem, non de ipsa una sancta, et beata Patris substantia dicant. Qui si de Patris substantia non est, ἐξ οὐκ ὄντων est, id est de nullis exstantibus, ut idem Arius tradidit. Sublato enim eo, quod Pater est, undecumque fuerit Filius, necesse est ut et initium ex nihilo, et ortum ex tempore habeat. » Cyrillus item in dialogo primo *de Trinit.* plene de eodem argumento disputat.

Homœousii.

Homousio.

Homœousion

IX. Alii tamen et ὅμοιον κατὰ πάντα *per omnia similem, et essentia*, vel *substantia similem*, id est ὁμοιούσιον, Patri Filium esse non modo non negarunt, sed ex Patris, et Filii, ac generationis proprietate collegerunt. Sic Athanasius oratione II *cont. Arian.* « Quomodo, inquit, amplius exaltari poterat, qui est in Patre, et Patris per omnia similis [a] ? » Et orat. III. « Nam cum sit Dei Filius, consequens est, ut sit similis ipsius. Cum autem similis sit omnino dominus et rex erit. Quippe ipse dicit; *Qui vidit me vidit et Patrem* [b]. » Et in eadem oratione. « Nam principio insitum fuit in cujusque animo, et sempiternum, Deum habere Filium Verbum, sapientiam, virtutem; atque hæc esse ipsius imaginem, et splendorem. Ex his porro, quæ dicta sunt, oritur, ut sit semper; ut ex Patre; ut sit substantia similis ei, qui genuit; nec ulla operis, vel creaturæ in istis notio continetur [c]. » Rursus oratione IV. « Sed ne quis, ait, videns Filium habere omnia, quæcumque habet Pater, ob nulla re discrepantem similitudinem, et identitatem eorum, quæ habet, deceptus, Sabellii impietatem sequatur [d], » etc. ac mox, « sempiternus est ejus Filius; qui quidem ob similitudinem Patris habet perpetuo, quæcumque habet ab ipso; cum autem Filius sit, ex Patre habet, quæ proprie habet. »

Alii homœusion acceperunt, sed non eodem sensu quo Semiariani.

At vero oratione II *contra Arianos*, demonstrat Filium imaginem esse Patris, ideoque omnia in sese continere, expressaque habere, quæ sunt in Patre, ut sit sempiternus, immortalis, omnipotens Deus, etc. ut verum sit quod scriptum est, *Qui videt me, videt et Patrem meum.* » Hoc enim in divinitate necessario consequens est, quoniam *æternitas*, *omnipotentia*, ac reliquæ perfectiones ipsa Dei substantia sunt. Proinde non potest imago esse perfecta Dei, nisi æternitatem illius, cæteraque

a ATHAN. orat. II. Ποῦ οὖν πλεῖον εἶχεν ὑψωθῆναι ὁ ἐν τῷ πατρὶ ὤν, καὶ ὅμοιος κατὰ πάντα τοῦ πατρός;

b Idem. Υἱὸς γὰρ ὢν τοῦ Θεοῦ ὅμοιος ἂν εἴη αὐτοῦ. ὅμοιος δὲ ὤν, πάντως ἐστὶ καὶ κύριος, καὶ βασιλεύς. αὐτὸς γάρ φησιν· ὁ ἐμὲ ἑωρακὼς, ἑώρακε τὸν πατέρα.

c Idem. Τὸ μὲν γὰρ σπειρόμενόν ἐστιν ἐξ ἀρχῆς ἑκάστῃ ψυχῇ, καὶ ἀΐδιον, ὅτι ὁ Θεὸς υἱὸν τὸν λόγον, τὴν σοφίαν, τὴν δύναμιν ἔχει, καὶ ταῦτά ἐστιν αὐτοῦ εἰκὼν, καὶ ἀπαύγασμα. φύεται δὲ εὐθύς ἐκ τῶν ῥηθέντων τὸ ἀεὶ· τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς τὸ ὅμοιον τῆς οὐσίας τοῦ γεννήσαντος, καὶ οὐδὲ μία περὶ ποιήματος, ἢ κτίσματος ἐν τούτοις ἔννοια.

d Idem. orat. IV. Ἵνα οὖν μή τις βλέπων τὸν υἱὸν ἔχοντα πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐκ τῆς ἀπαραλλάκτου ὁμοιότητος καὶ ταυτότητος ὧν ἔχει, πλανηθεὶς, κατὰ Σαβέλλιον ἀσεβήσῃ, etc.

Ib. Καὶ ὁ ἀΐδιος υἱός ἐστιν ὁ διὰ μὲν τὴν ὁμοιότητα τοῦ πατρὸς, ἔχων ἀϊδίως ἅπερ ἔχει παρ' αὐτοῦ· διὰ δὲ τὸ εἶναι τὸν υἱὸν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἔχει ἅπερ ἰδίως ἔχει.

1 *Isa.* XLI, 4 et XXIV, 6. — 2 Amb. lib. *de Divinit. Fil.* cap. II.

habeat omnia, uti in secundo libro demonstravimus. « Quia diversitatem substantiæ geniti ex substantia Patris Filii similitudo non recipit, et omnem in se divinitatis paternæ, qualis, et quanta est, formam invisibilis Dei Filius, et imago complectitur; et hoc est vere esse Filium, paternæ scilicet formæ veritatem coimaginatæ in se naturæ perfecta similitudine retulisse, » ut scribit Hilarius in libro *de Synodis*. Quo in libro Semiarianorum, qui Ancyræ, Basilio ejus urbis episcopo præside, conventum habuerunt, decreta commendat, quibus Filium Patri per omnia sine ulla discrepantia esse similem, ac substantia etiam ipsa constituerunt.

X. Hoc vero plane catholicum esse dogma pluribus Hilarius ostendit. Imo vero utile esse docet, non solum unam substantiam Filii et Patris asserere, sed etiam similem, ne in Sabellii delabamur errorem, qui personæ solitudinem, et unionem invexit, præsertim cum ex eo, quod similis dicatur, consequens sit æqualem esse. Sed et similitudo ipsa diversitatem, non identitatem personarum arguit : « Numquid non id est, esse simile, quod æquale? Si unum dico, habet et unici suspicionem. Si similem dixero, habet indifferentis comparationem. Inter similem, et unum quæro, quem locum habeat æqualis, et interrogo, utrum similitudinis potius, aut solitudinis res sit. Non est æqualitas in dissimilibus, nec similitudo est intra unum. Aut quid differunt, similis, et æqualis, ut ab uno iterum discernatur æqualis ? Non sunt itaque dissimiles æquales. Et quid aliud possunt esse similes, quam æquales, cum in dissimilibus non sit æqualitas ? Prædicantes itaque, fratres charissimi, similem Filium in omnibus Patri, nihil aliud, quam æqualem prædicamus. Perfectæ æqualitatis habet significantiam similitudo. » Declarat hoc deinde generationis exemplo creatis e rebus assumpto, velut Adami, et Sethi; qui etsi diversa ratione producti, ita similitudinem habere inter se dicuntur, ut et æqualitatem habeant. « Omnis enim filius secundum naturalem nativitatem æqualitas patris est, quia est et similitudo naturæ. » Atque hoc potissimum contra Semiarianos valet; qui similem dicebant Patri secundum essentiam, et substantiam Filium. Quippe nulla divinæ substantiæ similis esse potest substantia, nisi divina sit, ac Deus, quoniam creata omnis substantia, vel alia, quam divina, divinæ dissimilis est. » Si ergo naturam neque aliam (colligit idem) neque dissimilem ei, quem impassibiliter generabat, dedit, non potest aliam dedisse, nisi propriam. Ita similitudo proprietas est, proprietas æqualitas est, et æqualitas nihil differt. Quæ autem nihil differunt, unum sunt, non unione personæ, sed æqualitate naturæ. »

Quin et Arianos insuper alios , qui similitudinem essentiæ detrahentes, virtute tantummodo similem esse fatebantur, illa ipsa, quam dabant, similitudine virtutis egregie refellit[1] : « Stulti, inquit, atque impii non intelligentes, nonnisi ex naturæ similitudine similitudinem esse virtutis. Neque enim aliquando inferior natura superioris a se, potiorisque naturæ virtutem consequetur. Aut quid hæ asserentes de omnipotente Patre Deo profitebuntur, si virtuti suæ virtus naturæ inferioris exæquatur? Non enim potest negari, quin Filius idem possit , cum dixerit : Quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter. Sed similitudini virtutis naturæ similitudo succedit , cum dicit : Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; ita et Filio dedit vitam habere in semetipso. In vita naturæ et essentiæ significatio est; quæ sicut habetur, ita data esse docetur ad habendum. Tenet ergo vitæ similitudo virtutis similitudinem. Similitudo enim virtutis non potest esse dissimilis naturæ, atque ita necessse est, ut essentia similitudo virtutis similitudinem consequatur. »

XI. Quamobrem magna vis est omnino « similitudinis secundum essentiam et substantiam, » id est ὁμοιουσίου, ad *consubstantialis* adstruendam fidem; et quemadmodum vocum illarum inter se, sic etiam significationum summa est affinitas, præsertim si vocabulum ἀπαραλλάκτως, *sine ulla differentia* conjungatur, ut dicatur Filius ὅμοιος κατ' οὐσίαν ἀπαραλλάκτως. *Similis secundum substantiam sine ulla differentia.*
Sic Basilius epistola LXI definit his verbis : « Ego vero, si quid privatim sentiam, dicendum mihi est, hæc vocabula simile substantia, dummodo adjunctum habeant, citra ullam varietatem, prorsus amplector, tanquam eodem cum ὁμοουσίῳ, id est *consubstantiali* pertinentia, secundum sanam τοῦ ὁμοουσίου notionem; *Homousii.* qua ratione Nicæni Patres cum dixissent, *lumen de lumine* , *et Deum verum de Deo vero*, et id genus alia, atque unigenitum appellassent, consentanee τὸ ὁμοούσιον, id est *Homousion.* consubstantiale subjecerunt. Sane neque lu-

1 Ad Athan. VI.

minis ad lumen, neque veritatis ad veritatem unquam, neque unigeniti substantiæ ad Patris substantiam comparatæ, ulla potest vel fingi cogitatione diversitas. Quare si quis ita, ut dixi, intelligat, ejus vocem admitto. Sin est, ut quispiam ab simili τὸ ἀπαράλλακτον, id est *sine ulla diversitate* separet, quod Constantinopolitanæ synodi episcopi fecerunt, suspecta mihi similitudinis vox redditur, ut quæ unigeniti gloriam imminuat. Etenim obscuris plerumque similitudinibus, et plurimum ab *Homœon.* archetypo discrepantibus, nomen ὅμοιον accommodare consuevimus. Unde cum minus *Homousii.* calumniæ sit obnoxium nomen ὁμοουσίου, sic etiam ipsemet assentior[a].» Hic ille Constantinopolitanam synodum eam intelligit, cujus formula decimo a nobis loco recensita est inter Arianas professiones in libro I cap. IX. Nam *Similem.* ibi ὅμοιον simpliciter Filium Patri, qui genuit, *Substantiæ.* esse decreverunt, οὐσίας voce proscripta. Quanquam ex eo, quod et *Pater* prima Trinitatis persona dicitur, et *Filius unicus*, vel *unigenitus* secunda, etsi nihil addatur amplius; satis illa ipsa naturæ vel substantiæ simili- *Homousion.* tudo, ac τὸ ὁμοούσιον insuper ostenditur, uti libro secundo, cap. XI disputavimus. Proinde recte sanctus Leo epist. X *ad Flavianum* docet[1] his Symboli sententiis, quibus profitemur nos *credere in Deum Patrem omnipotentem*, *et in Jesum Christum Filium ejus unicum*, Arianam omnem elidi perfidiam. « Cum enim Deus et omnipotens, et æternus creditur Pater, consempiternus eidem Filius demonstratur, in nullo a Patre differens; quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus est coæternus, non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia. » Ex quo minime id mirum videtur, cur sanctus Hilarius decretum illud Ancyranæ synodi a Basilio, et aliis Semiarianis editum, tanti fecerit, nihil ut a catholica, et Nicæna professione discrepare statueret.

XII. Agit de hac substantiæ similitudine latissime Cyrillus Alexandrinus[2] tum aliis in locis, tum in tertio libro *Commentariorum in Joannem*, et adversus Arianos similem esse Patris Filium ἐνέργείᾳ duntaxat adstruentes, *Efficientia.* totis viribus decertat, et naturæ substantiæque istam esse similitudinem ostendit. Idem insuper in dialogo primo Semiarianorum illud ὁμοιούσιον castigat, quatenus excepta natura et *Homœousion* substantia, adventitia quapiam perfectione, et qualitate similem Patris esse Filium asserebant itidem, ut nos Dei similes efficimur. Verum, si in omnibus, citra differentiam ullam, adeoque natura similis dicatur, non dubitat, quin naturæ unitas, et identitas sequatur, quod est ὁμοούσιον. Quæ enim invicem naturalem in omnibus habent similitudinem, ea nulla ratio ab eo prohibebit, ut naturali inter se cognatione contineantur[b]. » Idipsum et in secundo *Commentariorum in Joannem* docet[3], et in *Thesaurorum* nono capite libri primi, ut ab Euthymio citatur[4]; ubi scribit, « Quod autem in omnibus simile est, etiam consubstantiale est[c]. » Sic etiam Augustinus libro tertio *contra Maximinum*, capite XV. « Nam si per omnia, inquit, similem diceretis, consequenter intelligeremini, quod eos diceretis, etiam unius ejusdemque esse naturæ, sive substantiæ. » Item, « Quomodo enim dicitis, et verum Filium vos profiteri, et Patri similem non negare, quando eum negatis unius cum Patre esse substantiæ? » Rursus, « Quomodo autem Filium Patri similem dicitis, cui Patris substantiam dare non vultis? Nonne similis homini est pictura, vel statua, et tamen Filius dici non potest, quia diversa substantia est? Homo nempe ad Dei similitudinem factus est, tamen, quia non est unius, ejusdemque substantiæ, non est verus

a Basil. ep. XLI. Ἐγὼ δὲ, εἰ χρὴ τοὐμὸν ἴδιον εἰπεῖν, τὸ ὅμοιον κατ' οὐσίαν, εἰ μὲν προσκείμενον ἔχει τὸ, ἀπαραλλάκτως, δέχομαι τὴν φωνὴν, ὡς ταὐτὸν τῷ ὁμοουσίῳ φέρουσαν, κατὰ τὴν ὑγιῆ δηλονότι τοῦ ὁμοουσίου διάνοιαν· ὥσπερ καὶ τοὺς ἐν Νικαίᾳ φήσαντας, φῶς ἐκ φωτός· καὶ, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, καὶ τὰ τοιαῦτα, μονογενῆ προσειπόντας ἐπαγαγεῖν ἀκολούθως τὸ ὁμοούσιον. οὔτε οὖν φωτὸς πρὸς φῶς, οὔτε ἀληθείας πρὸς ἀλήθειάν ποτε, οὔτε τῆς τοῦ μονογενοῦς οὐσίας πρὸς τὴν τοῦ πατρὸς ἐπινοῆσαί τινα παραλλαγὴν δυνατόν. Εἴ τις οὕτως, ὡς εἶπον ἐκδέχοιτο, προσίεμαι τὴν φωνὴν αὐτοῦ. εἴτις δὲ τοῦ ὁμοίου τὸ ἀπαράλλακτον ἀποτέμοι, ὅπερ οἱ κατὰ τὴν Κωνσταντίνου πόλιν πεποιήκασιν, ὑποπτεύω τὸ ῥῆμα, ὡς τοῦ μονογενοῦς τὴν δόξαν κατασμικρῦνον. καὶ γὰρ καὶ ἀμυδραῖς ἐμφερείαις, καὶ πλεῖστον τῶν ἀρχετύπων ἀποδεούσαις, τὸ ὅμοιον πολλάκις ἐπινοεῖν εἰώθαμεν. ἐπεὶ οὖν ἧττον οἶμαι κακουργεῖσθαι τὸ ὁμοούσιον, οὕτως καὶ αὐτὸς τίθεμαι.

b Cyril. dial. I *de Trin*. Τὰ γὰρ πρὸς ἄλληλα τὴν εἰς πᾶν ὁ, τιοῦν ὁμοίωσιν ἔχοντα φυσικὴν, οὐδεὶς ἂν οἶμαί που τῆς πρὸς ἄλληλα φυσικῆς οἰκειότητος ἀποτεμεῖ λόγος.

c Cyrill. apud Euthym. Τὸ δὲ ὅμοιον κατὰ πάντα καὶ ὁμοούσιον.

1 Cap. II. — 2 Cyril. lib. III *in Joan*. cap. V. — 3 Lib. II, cap. VI. — 4 Euth. *Panop*. par. I, tit. XI.

Filius. Si ergo vultis Dei Filium verum confiteri, prius illum, ac præcipue dicite unius, ejusdemque substantiæ, ut tanquam verum Filium, et Dei Filium per omnia similem Patri esse dicatis. Nam quem substantiam putatis habere diversam, plus eum dissimilem, quam similem dicitis, et omnino verum Filium denegatis. » Et synodica concilii Parisiensis, quod Hilarii tempore celebratum est [1] : « Similitudinem quoque ejus ad Deum Patrem non inviti audientes, ait, quippe cum imago invisibilis Dei sit. Sed eam solum similitudinem dignam ad Patrem intelligentes, quæ veri Dei sit ad verum Deum. »

Homœousion

XIII. Quapropter τὸ ὁμοιούσιον, et similitudinem substantiæ quicumque ex antiquis Patribus segregandum ab usu catholicæ professionis arbitrati sunt, id eatenus fecerunt, si eo sensu intelligatur, quem dimidiati illi Ariani propositum habebant, ut non exacta, neque perfecta, et ut cum illis loquar, οὐσιώδης, et φυσικὴ sit ista similitudo, sed superficiaria, et in qualitate aliqua, vel affectione, aut proprietate consistens, quæ ad substantiam accedit. Quod si bona fide similem quis substantia profiteretur Patri Filium, hoc est κατὰ πάντα, et ἀπαραλλάκτως, satis iidem habebant ; neque quidquam interesse putabant, inter illud nomen, et τὸ ὁμοόύσιον. Qua in re disputanda plurimi illi sunt, præsertim Cyrillus in *Thesauris*, et ex eo, cæterisque Euthymius in *Panopliæ* parte prima, titulo XI.

Substantialis et naturalis.

Per omnia et absque discrimine.

Homousion.

Homœousion

Hinc illa quoque contra τὸ ὁμοιούσιον argumenta, quæ ex Athanasio potissimum attuli, explicari facile poterunt, si ad illam, quam dixi, perfectionem similitudinis exigatur vox ista.

Nam quod secundo loco propositum est, consequens videri, ut duæ sint substantiæ, si substantia sint similes duo ; de illa inchoata, et adumbrata, non perfecta similitudine vere est dictum. In hac autem nihilo magis nos movet, quam in ὁμοουσίῳ, in quo una consubstantialium duorum est substantia, sicut duorum in substantia perfecte similium est una substantia, si quidem ἀπαραλλάκτως, id est *nullo penitus interjecto discrimine* similes habeantur.

Homousio.

Tertium denique argumentum, quod similitudinem sola qualitate metitur, valet in ea similitudine, quam rudem, minimeque perfectam creatis in rebus aspicimus ; non in illa, de qua modo agimus, absoluta, exactaque, quæ nihil ab ea, quam vocant ταὐτότητι, liceat *identitatem* appellare, distat.

XIV. De qua quidem *identitate* libet hoc etiam observatione dignum adnotare ; videri posse dissidere invicem veteres quosdam, dum alii ab sanctissimæ Trinitatis mysterio vocem illam longius excludunt, alii autem adhibent. Basilius epistola CXLI in divinis negat esse ὁμοιότητα, id est *similitudinem*, sed esse ait ταὐτότητα, id est *identitatem*. Gregor. item Nazianzenus oratione XXXVIII magis in Deo esse ταὐτὸν, ἢ ἀφομοίωμα, putat, hoc est *idem*, *quam simile*. Cyrillus item ταὐτότητα τῆς οὐσίας agnoscit libro tertio *Commentariorum in Joannem*. Et libro quinto, ῆς τοὐσίας ταὐτότητα, et φύσεως ἀπαράλλακτον ὁμοιότητα conjungit id est *substantiæ identitatem, et naturæ nulla re discrepantem similitudinem*. Marius etiam Victorinus libro primo *contra Arium*, « ex substantia, secundum quod ipsa substantia est, idem esse dicit, non simile. » Athanasius quoque libro *de Synodis*, ταὐτότητα non similitudinem usurpari probat. Atqui Epiphanius, quem superiori capite commemoravimus, ταὐτούσιον in personis divinis dici non patitur, quod tamen ἐκ τῆς ταὐτότητος τῆς οὐσίας deductum sit. Verum non repugnant invicem sanctissimi illi Patres ; cum qui superioribus refragari videtur Epiphanius, eo sensu vocem illam rejiciat, quem Sabelliani præ se ferebant, ut cum reipsa sit in Deo persona eadem, ac natura, sive substantia, secundum id totum, quod re est, unicam et eamdem asseverarent esse substantiam, hoc est personam eamdem non minus, quam essentiam *.

Identitatem substantiæ.

Identitatem.

Toutousion.

Ex identitate. substantiæ.

* Ταυτότης vox est ambigua, significat enim identitatem *numericam*, vel *specificam*. Posteriorem intelligunt Gregorius, Basilius et alii, priorem Epiphanius. Hoc ex ejus verbis colligere est, quibus contra Paulum Samosatenum rectam sententiam interpretatur, § 8. Οὐ δύναται (λογος) δὲ εἶναι ἑτερούσιος τῷ γεγεννηκότι, οὐδὲ ταυτούσιος, ἀλλὰ ὁμοούσιος : *Non potest vero esse alterius essentiæ quam is qui eum genuit, neque ejusdem, sed consubstantialis*. Deinde ita pergit : Οὐδὲ πάλιν λέγομεν αὐτὸν μὴ εἶναι ταὐτὸν τῇ οὐσίᾳ τῷ Πατρί· ἔστι γὰρ ταὐτὸν τῇ θεότητι καὶ τῇ οὐσίᾳ ὁ υἱὸς πρὸς τὸν Πατέρα, καὶ οὐκ ἀλλοῖος παρὰ τὸν Πατέρα, οὐδὲ ἀπὸ ἄλλης ὑποστάσεως, ἀλλὰ ὡς ἀληθῶς υἱὸς Πατρὸς τῇ τε οὐσίᾳ, καὶ τῇ ὑποστάσει, καὶ τῇ ἀληθείᾳ. *Neque rursum dicimus eum non esse eumdem essentia cum Patre, est enim idem divinitate et essentia Filius Patri collatus, non vero alienus Patri, neque ab alia hypostasi, sed quam verissime Filius Patris et essentia et hypostasi et veritate*. Sic unus idemque Epiphanius uno eodemque loco ταυτούσιον probat atque improbat, sensibus nimirum antea indicatis. T. AL.

1 Tom. I Conc. Gall. — 2 Cap. v. — 3 Hær. LXXVI, n. 7.

XV. Juvat illud etiam, quod apud Albinum Flaccum de eadem similitudine legi, diligentius expendere. Scribit ille in secundo libro *de Trinitate*[1], «Melius esse, videri æqualitatem de divinis dicere personis, quam similitudinem, ob illa Apostoli verba, *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*[2]: quanquam utrumque inveniatur. Quia una quælibet substantia, secundum quod substantia est, non est alia, ut sit similis ad aliam. Nec enim in sancta Trinitate substantia substantiæ similis est, sed una, et ipsa, eadem est substantia Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nec sunt tres substantiæ similes, sed una trium æqualiter. Nec Pater Filio prior, nec Filius Patre posterior, sicut Ariani voluerunt. Nam Abraham, et Isaac, licet unius sint substantiæ secundum humanitatem, tamen Abraham prior est tempore, et Isaac posterior. Quamvis hi sint similis substantiæ, tamen illa similitudo substantiæ in filio Isaac posterior est tempore, etc. Addunt quoque dialectici, quod omne simile receptibile possit esse dissimilitudinis, sicut duo homines, quamvis similis sint substantiæ, dissimiles tamen possunt esse moribus. Ideo non possunt recte per omnia æquales dici, et sunt duæ substantiæ in eis divisæ, unusquisque in sua substantia plenus homo. In Patre vero, et Filio, et Spiritu sancto, non est similis substantia substantiæ, sed una æqualis per omnia, et ideo ὁμοούσιος, id est unius substantiæ, non ὁμοιούσιος, id est similis substantiæ, sicut hæretici voluerunt.»

In his Alchuini verbis partim negligenter, aut absurde dicta multa sunt, partim vere quidem, sed nihil ad rem spectantia. « Melius esse dicit æqualitatem de divinis dicere personis, quam similitudinem.» Cur? Si utrumque scriptum est, ut idem fatetur; non utique male similis esse dicitur. *Melius* si sic intelligeret, ut sit ad vitandam hæreticorum cavillationem, et commendandam Christi divinitatem aptius, ferrem ita loquentem. Nunc disputare sic pergit, ut non unum altero melius videatur, tanquam et hoc bonum sit, quo melius illud judicat, sed ut ne ipsum quidem bonum sit, quocum confertur, sed sit illud altero, velut malo, melius. Nam deinceps probat, in substantia, etiam divina, non dici similitudinem. Si de substantia usurpari similitudo non potest, maxime divina, quomodo scriptum invenitur, similem esse personam unam alteri? An id Scripturæ docent, quod sit falsum, dicique nequeat? Nam et Filium imaginem esse Patris, et ejus similem, luculenter, ac sæpius, addo et disertius inculcant, quam hoc, quod perinde certum est tamen, esse eidem æqualem Deum[3]. Illud vero quam incuriose, ac parum attente, quod ea ratione probat, quod vult, non dici de substantia simile, vel dissimile; ut ex eadem id sit consequens, quod minime vult, ne æqualitatem quidem dici posse; tum vero alia potius omnia, quam id, de quo agitur, argumentatione sua concludat. « Substantia, inquit, substantiæ similis non est, quia quælibet substantia, secundum quod substantia est, non est alia, ut sit similis ad aliam.» Primum id universe verum non est, si tam creata, quam etiam divina comprehenditur. Etenim creatæ omnes substantiæ sub eadem specie aliæ sunt atque aliæ, numero duntaxat. Itaque similes appellari possunt. Aut si ideo similes non vocantur, quia una sunt, eademque substantia, quod est natura vel essentia; ne æquales quidem esse poterunt, quia, ut nihil simile sibi, ita nec æquale potest esse. Sunt enim vocabula ejusmodi, simile vel æquale, τῶν πρός τι, hoc est *relativa*, quæ nonnisi in diversa, et opposita invicem congruunt. Ad hæc substantia, siquidem pro natura, vel essentia sumitur, ut intellexisse videtur Alchuinus, neque est æqualis in Deo, neque similis, neque ὁμοούσιος. Nam una tantum est, quæ cum altera proinde comparari, et ad eam referri nequit. Sed neque catholica fides, neque Patres, aut theologi, dum hæc affirmant de Deo, similitudinem, æqualitatem, vel τὸ ὁμοούσιον, et ὁμοιούσιον, eo sensu dicunt, ut velint substantiam substantiæ esse similem, aut ὁμοιούσιον, ac reliqua; sed unam personam cum altera comparatam similem et æqualem, et ejusmodi esse cætera pronuntiant. Quis unquam ὁμοούσιον, id est *consubstantialem* esse dixit οὐσίαν, hoc est *essentiam*, vel *substantiam*? Facit igitur absurde prorsus Albinus Flaccus, qui quod de personis dicitur, id ad substantiam refert; et « In Patre, et Filio, et Spiritu sancto non esse similem substantiæ substantiam ait, sed unam æqualem per omnia, et ὁμοούσιον.» Nihilo certe magis æqualis substantia, id est natura, vel consubstantialis, quam similis, et ὁμοιούσιος dicitur. Quemadmodum autem persona una alteri similis aut æqualis, in eadem, et indivisa substantia dici possit, sequente libro propria quæstione disputabitur.

Homousion. et homæousion Homœousion

1 Alcuin. lib. II, cap. III. — 2 *Philip.* II, 6. — 3 Vide lib. II *de Trinit.* sup. cap. XII et postea lib. V, cap. IX.

CAPUT VII.

Usiæ, sive substantiæ et hypostasis discrimen ex antiquorum opinione uberius exponitur, qui usiam commune aliquid esse dicunt, hypostasim particulare quiddam, et individuum.

I. Quod et catholica fides habet, et antiquorum Patrum auctoritate traditum accepimus; id superiori omni sermone patefactum est, Deum cum cogitamus, aut dicimus, duo quædam occurrere mentibus nostris; quorum alterum commune tribus, idemque; alterum singulorum proprium est, et in unoquoque distinctum. Hinc merito Nyssenus Gregorius, « hoc ipsum, quod revera est, nimirum Deum unum ait esse, et non unum. Nam essentiæ quidem ratione unum est; ideoque nos ad unum respicere nomen Dominus ipse præcepit: at personarum proprietatibus, quibus una ab alia discernitur, in Patris, et Filii, et Spiritus sancti fidem distinguitur: sicut absque separatione partitum, et sine confusione sit unitum[a]. » Nunc tempus est, ut illud ipsum quale sit inquiramus, per quod multiplex sit, et distinctum id, quod alioquin unum est, ac simplicissimum, cujus summa disputationis hæc erit, ut quæ sit personalium proprietatum conditio, ac velut natura, hoc est τὸ τί ἦν εἶναι, declaremus quomodo possumus. Hujus vero creatarum ex rerum similitudine notitia capitur. In iis porro substantiæ nomen duobus modis dicitur, ut Aristoteli[1], cæterisque philosophis placet. Nam est altera communis, et ab individuis cogitatione mentis avulsa: altera singularis, qualia sunt individua formis, generibusque, hoc est prioribus istis substantiis, subjecta, quæ et magis, quam illæ, proprium hoc sibi substantiæ nomen assumunt. Ea sunt, quæ a Græcis appellantur ἄτομα, vel ἄτομοι οὐσαι; eædemque generatim, et in substantiis omnibus ὑποστάσεις, in rationabilibus personæ dicuntur. Hinc a Boetio persona ita definitur, ut sit *rationabilis naturæ individua substantia*.

Quid sit esse rei.

Individua vel individuæ substantiæ.

Quam rem in superioribus capitibus[2] nonnihil attigimus, atque ex veterum theologorum decretis ostendimus, individuas substantias hominum, et personas ex natura communi, certisque componi, ac constare proprietatibus, sive conglobatione quadam rerum plurimarum, quæ in nullum alterum cadere possunt; quod τῶν ἰδιοτήτων ἄθροισμα Porphyrius appellat. Hoc vero nunc uberius, pleniusque declarandum est, quid οὐσίαν inter, et ὑπόστασιν intersit, sive personam, primum absolute, et in genere, deinde quatenus in Deo considerantur. Cujus quæstionis accurata diligensque tractatio tum in ea disputatione, quæ de sacrosanctæ mysterio Trinitatis suscipitur, tum etiam cum de incarnatione agitur, prorsus est necessaria adeo, ut hoc in uno capite tota fere utriusque ratio, ac summa consistat.

Proprietatum coacervatio.

Essentiam. Personam.

II. Atque ut more instituto que nostro, ab inquirendis, et illustrandis de eo antiquorum placitis ordiamur* in hoc uno Græcorum præsertim omnium judicia, opinionesque concordant, οὐσίαν, id est *essentiam*, sive *substantiam*, aut *naturam*, quam φύσιν vocant, generale esse aliquid, et commune, ac minime definitum; ὑποστάσιν vero proprium, singulare, circumscriptum, quod ex illo communi, et peculiaribus quibusdam notis, ac proprietatibus veluti componitur. Quas etiam proprietates accidentia esse statuunt, quorum coacervatione, et in idem concursu fiunt, quæ dicuntur individua, sive hypostases, aut personæ.

Inter usiam et hypostasin discrimen juxta auctores Græcos.

Hypostasim.

Græcorum, qui ita sentiunt, Patrum primus in medium adducetur magnus ille Basilius qui epistolam de hoc argumento luculentam scripsit ad Gregorium fratrem Nyssæ episcopum, in qua id, quod dixi, longa, et eleganti oratione declarat.

« Nam nominum, inquit, alia sunt, quæ de pluribus, iisque differentibus numero dicuntur, et generaliorem habent significationem, ut homo. Qui enim hoc pronuntiat, communem eo vocabulo naturam indicans, non certum aliquem loquendo circumscripsit, qui hoc nomine proprie discernatur. Quippe nihilo magis Petrus homo est, quam Andreas et Joannes, et Jacobus. Quare significati com-

a GREG. NYSSEN. 1 *cont. Eunom.* Εἰς κατανόησιν τοῦ ὄντως ὄντος· ὅπερ καὶ ἕν ἐστι, καὶ οὐχ ἕν. τῷ μὲν γὰρ λόγῳ τῆς οὐσίας ἕν ἐστι· διὸ καὶ εἰς ἓν ὄνομα βλέπειν ὁ δεσπότης ἐνομοθέτησε· τοῖς δὲ γνωριστικοῖς τῶν ὑποστάσεων ἰδιώμασιν, εἰς πατρός τε, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος πίστιν διήρηται, ἀδιαστάτως τε μεριζόμενον, καὶ ἀσυγχύτως ἑνούμενον.

* Intelligendi minus antiqui Patres, nam antea Petavius ostendit cap. I hujus libri, Nicænos Patres, eisque proximos, voces ὑπόστασις et οὐσια passim miscuisse.
T. AL.

1 Arist. in *Categ.* cap. *de Subst.* — 2 Vide cap. I et III hujus libri.

munitas ad omnes similiter pertinens, qui sub eodem nomine continentur, subdistinctione opus habet, per quam non hominem universe, et infinite, sed Petrum, vel Joannem internoscamus. Alia nomina peculiarem aliquam notionem habent, per quam non naturæ communitas in re significata perpenditur, sed rei cujuspiam circumscriptio, nullam in eo, quod proprium est, cum iis, quæ eadem sunt natura prædita, communionem habens. Veluti Paulus, aut Timotheus. Non enim jam vox ejusmodi ad naturæ communitatem pertinet; sed ab generali et complectente omnia notione separatam rerum quarumdam definitarum significationem certis vocabulis exprimit[a].» Igitur Paulus, Timotheus, Silvanus ὁμοούσιοι sunt, pergit idem. Nam quæ in uno essentiæ, naturæve ratio redditur, eadem in cæteris valet. At si quis generali, communique omnium conditione cognita, singulorum proprietates intueri velit, non eadem ratio, qua unus aliquis dignoscitur, ac discernitur, penitus in omnibus reperitur, etsi in aliquibus consentiat. Ut in historia Jobi, Scriptura, cujusmodi tandem iste fuerit, explicare volens, primum generale nomen usurpavit ἄνθρωπος, *Vir*, vel *homo erat;* tum proprias illius notas subjecit, quibus ab aliis distinguitur, nomen, patriam, mores, liberos, fortunas, etc. Atque hoc ipsum, ait Basilius, est, quod ὑπόστασιν dicimus, quæ communem, neque circumscriptam naturam, et essentiam apparentibus quibusdam proprietatibus certa in re declarat, ac definit[b].

Hypostasim.

III. Ad hunc modum illa omnia, quæ Deo per se conveniunt, et quæ divinam ejus naturam, essentiam, et absolutas conditiones, quæ vocantur *attributa*, spectant, ea sunt peræque in personis tribus, nec in ulla discrepant. Sunt autem præterea in unaquaque proprietates quædam et notæ; ut in Patre, quod a nullo principio sit, quod Filium generet; in Filio, quod a Patre gignatur; in Spiritu sancto, quod procedat. Ea porro σημεῖα, et γνωρίσματα communem illam naturam definiunt, et ad unam peculiarem, subsistentemque personam, atque ab cæteris distinctam applicant.

Signa et notæ.

Sic in epistola CCCLXIX: « Quæ est ratio communis, inquit, ad proprium, eamdem habet usia ad hypostasim. Nam unusquisque nostrum et secundum communem usiæ rationem, esse participat, et secundum peculiares sibi proprietates talis, vel talis existit. Sic in Deo usiæ ratio communis est; velut bonitas, divinitas, et si quid aliud intelligatur. At hypostasis in proprietate paternitatis, aut filietatis, aut virtutis sanctificantis cernitur[c]. » Tum in epistola CCCXCI eamdem differentiam οὐσίας et ὑποστάσεως enarrat, et oportere ait ad id, quod commune est, quod proprium, et singulare est, adjungere, uti catholica de singulis personis fides constet: « Commune est deitas: proprium est paternitas; utroque ergo conjuncto ita profitendum est: Credo in Deum Patrem[d]; » quod et in reliquis eodem modo facere convenit. Vide et librum *de Spiritu sancto* capite XVIII. Gregorius item Nazianzenus non uno in loco μίαν οὐσίαν, et ὑποστάσεις τρεῖς asseverat; e quibus[2] illam significare ait τὴν φύσιν τῆς θεότητος, *naturam divinitatis*; has vero τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας, *trium proprietates*. Et[3] alibi Deum ἓν τῇ οὐσίᾳ, τὰ δὲ τρία ταῖς ὑποστασεσι, *unum usia*, *tria hypostasibus* definit. Gregorius item Nyssenus libro

Substantiæ et personæ.

Unam substantiam et personas tres.

a Basil. ep. XLIII. Πάντων τῶν ὀνομάτων τὰ μὲν ἐπὶ πλειόνων, καὶ τῷ ἀριθμῷ διαφερόντων λεγόμενα πράγματων, καθολικωτέραν τινὰ τὴν σημασίαν ἔχει· οἷον ἄνθρωπος. ὁ γὰρ τοῦτο εἰπὼν, τὴν κοινὴν φύσιν διὰ τοῦ ὀνόματος δείξας οὐ περιέγραψε τῇ φωνῇ τόν τινα ἄνθρωπον, τὸν ἰδίως ὑπὸ τοῦ ὀνόματος γνωριζόμενον. οὐ γὰρ μᾶλλον Πέτρος ἄνθρωπός ἐστιν, ἢ καὶ Ἀνδρέας, καὶ Ἰωάννης, καὶ Ἰάκωβος. ἡ οὖν κοινότης τοῦ σημαινομένου ὁμοίως ἐπὶ πάντας τοὺς ἐπὶ (ὑπὸ) τὸ αὐτὸ ὄνομα τεταγμένους χωρήσασα χρείαν ἔχει τῆς ὑποδιαστολῆς, δι' ἧς οὐ τὸν καθόλου ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸν Πέτρον, ἢ τὸν Ἰωάννην ἐπιγνωσόμεθα. τὰ δὲ τῶν ὀνομάτων ἰδικωτέραν ἔχει τὴν ἔνδειξιν, δι' ἧς οὐχ ἡ κοινότης τῆς φύσεως ἐνθεωρεῖται τῷ σημαινομένῳ, ἀλλὰ πράγματός τινος περιγραφὴ μηδεμίαν ἔχουσα πρὸς τὸ ὁμογενὲς, κατὰ τὸ ἰδιάζον τὴν κοινωνίαν· οἷον ὁ Παῦλος, ἢ ὁ Τιμόθεος. οὐκέτι γὰρ ἡ τοιαύτη φονὴ ἐπὶ τὸ κοινὸν τῆς φύσεως φέρεται, ἀλλὰ χωρήσασα τῆς περιληπτικῆς σημασίας, περιγεγραμμένων τινῶν πραγμάτων ἔμφασιν διὰ τῶν ὀνομάτων παρίστησιν.

b Basil. ibid. Τοῦτο οὖν ἐστιν ἡ ὑπόστασις, οὐχ ἡ ἀόριστος τῆς οὐσίας ἔννοια, μηδεμίαν ἐκ τῆς κοινότητος τοῦ σημαινομένου στάσιν εὑρίσκουσα. ἀλλὰ τὸ κοινόν τε, καὶ ἀπερίγραπτον ἐν τῷ τινι πράγματι διὰ τῶν ἐπιφαινομένων ἰδιωμάτων παριστῶσα, καὶ περιγράφουσα.

c Basil. Ὃν ἔχει λόγον τὸ κοινὸν πρὸς τὸ ἴδιον, τοῦτον ἔχει ἡ οὐσία πρὸς τὴν ὑπόστασιν. ἕκαστος γὰρ ἡμῶν καὶ τῷ κοινῷ τῆς οὐσίας λόγῳ τοῦ εἶναι μετέχει, καὶ τοῖς περὶ αὐτὸν ἰδιώμασιν ὁ δεῖνά ἐστι, καὶ ὁ δεῖνα. οὕτω κἀκεῖ ὁ μὲν τῆς οὐσίας λόγος κοινός· οἷον ἡ ἀγαθότης, ἡ θεότης, καὶ εἴ τι ἄλλο νοοῖτο· ἡ δὲ ὑπόστασις ἐν τῷ ἰδιώματι τῆς πατρότητος, ἢ τῆς υἱότητος, ἢ τῆς ἁγιαστικῆς δυνάμεως θεωρεῖται.

d Basil. Ep. CCCXCI. Κοινὸν ἡ θεότης· ἴδιον ἡ πατρότης συνάπτοντας δέ λέγειν· πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα.

1 Orat. II *de S. Athan.* et orat. I *ad Cledon.* — 2 Orat. XXXII. Vide et orat. XXXI et XXXIX. — 3 Orat. XII. Vide et orat. XXIX et XXXIX.

primo *contra Eunomium* eodem modo rem istam explicat, et ad id, quod commune est, accessionem fieri proprietatum asserit, quibus singulæ constituuntur, et invicem distinguuntur hypostases, necnon in libro *de Communibus notionibus*.

Usiæ et hypostasis.

IV. Cyrillus Alexandrinus in primo dialogo *de Trinitate*, οὐσίας et ὑποστάσεως differentiam hanc affert, quod οὐσία sit *natura* communis, sive hominis species; *hypostasis*, individuum quodlibet sub illa specie comprehensum. « Substantiæ significatio, inquit, ad commune aliquid pertinere videtur; hypostasis vero nomen de unoquoque, verbi gratia, sub illo communi comprehensorum enuntiatur, et dicitur [a]. » Quod exemplo deinceps illustrat. « Definimus, inquit, hominem, animal rationale mortale, secundum congruentem illi rationem, atque hoc substantiæ definitionem esse dicimus, quæ ad omnes particulatim subsistentes pertinet. Sub hoc igitur generali, nimirum homine, sive hominis definitione, cadit, opinor, Thomas, et Marcus, aut exempli gratia, Petrus et Paulus. Et substantia quidem hoc pacto significatur; nondum tamen clara et manifesta fiet eorum, quæ singillatim intelliguntur, expressio. Homo enim simpliciter dictus non est Petrus, et Paulus. Sed qui Thomam, aut Petrum dixerit, id, quod significatum est, extra substantiæ terminos non statuet. Nam homo nihilo secius erit, verum in tali, exempli causa, specie, et in propria hypostasi, et particulatim versari demonstraverit. Igitur substantia et de omni homine, utpote quæ communem generationem continet: hypostasis vero de uno convenientius intelligetur [b]. »

Atreptas.

Usiæ et hypostasis.

Consonat his Theodoretus in primo dialogo *adversus Hæreses*, qui Ἄτρεπτος inscribitur, ubi statim initio discrimen οὐσίας, et ὑποστάσεως accurata oratione ita declarat: « Secundum externam, inquit, sapientiam nullum inter ambas discrimen est. Nam et usia id, quod est, significat, et quod subsistit, hypostasis. At secundum doctrinam Patrum, quam habet differentiam a proprio commune, vel genus a specie, aut individuo: eam habet οὐσία ab ὑποστάσει [c]. » Mox explicata notione speciei et individui, ac singularis hominis, ita colligit: « Ut ergo nomen istud, homo, communis naturæ est appellatio; sic divinam substantiam, sanctam significare Trinitatem accepimus; hypostasim vero personam aliquam exprimere, velut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti. Etenim hypostasim, et personam, et proprietatem idem significare dicimus, sanctorum Patrum definitiones secuti [d]. »

V. Ephræmius Antiochenus patriarcha apud Photium, usiam vocat genus, sive speciem, et ab hypostasi discrepare ait, « quod illa commune aliquid significat, hæc autem personam, et quod externi philosophi nominant, singulare [e]. » Accedit et Eulogius Antiochiæ patriarcha apud eumdem Photium codice CCXXX, ubi late de hypostasi, et proprietatibus personarum disputat. Et Leontius Byzantinus in *Confutatione Nestorii, et Eutychis*, et libro *de Sectis*, actione prima [1]. Necnon auctor libri *de Definitionibus*, qui inter Athanasii opera cusus est, « Usia, inquit, genus, natura,

a Cyril. dial. I *de Trin.* Οὐκοῦν τῆς οὐσίας ἡ δήλωσις κατὰ κοινοῦ τινος ἔοικεν ἰέναι πράγματος. τὸ δὲ τῆς ὑποστάσεως ἑκάστου τυχὸν ὄνομα, τῶν ὑπὸ τουτὶ τὸ κοινὸν κατηγορεῖται, καὶ λέγεται.

b Mox : Ὁριζόμεθα τὸν ἄνθρωπον ζῶον λογικὸν, θνετὸν, κατὰ τὸν αὐτῷ πρέποντα τιθέμενοι λόγον, καὶ τοῦτο, τῆς οὐσίας ὅρον εἶναί φαμεν, κατὰ παντὸς ἰοῦσαν τῶν κατὰ μέρος ὑφεστηκότων· οὖν ὑπὸ τὸ κοινὸν δὴ τουτὶ, τουτέστι τὸν ἄνθρωπον, ἤτοι τοῦ ἀνθρώπου τὸν ὅρον, πίπτει μὲν, οἶμαι, Θωμᾶς τε, καὶ Μάρκος, ἢ, φερε εἰπεῖν, Πέτρος τε, καὶ Παῦλος, καὶ τὴν μὲν οὐσίαν ὡδὶ κατασημάναι τις ἄν· τῶν δὲ καθέκαστον νοουμένων οὔπω σαφῆ τε, καὶ ἐναργῆ τὴν δήλωσιν ἐποιήσατο. οὐ γὰρ ἔτι ἄνθρωπος ἁπλῶς, τοῦτό ἐστι Πέτρος, καὶ Παῦλος. Θωμᾶν δὲ, ἢ Πέτρον εἰπὼν, τῶν μὲν τῆς οὐσίας ὅρων οὐκ ἐξοίσει τὸ δηλούμενον· ἄνθρωπος γὰρ οὐδὲν ἧττόν ἐστιν· ἐν εἴδει δὲ ὄντα τῷ τοιῷδε τυχὸν, καὶ ἐν ὑποστάσει τῇ ἰδικῇ, καὶ μεμερισμένως ὑπέδειξεν. ἡ οὐσία τοιγαροῦν καὶ καθ' ἀνθρώπου παντὸς, ἅτε δὴ τὸν κοινὸν τοῦ γένους ὠδινοῦσα λόγον· ἡ δὲ ὑπόστασις καθ' ἑνὸς ἂν νοοῖτο πρεπωδέστερον.

c Theodoret. Κατὰ μὲν τὴν θύραθεν σοφίαν οὐκ ἔχει (διαφορὰν) ἥ τε γὰρ οὐσία τὸ ὂν σημαίνει, καὶ τὸ ὑφεστὸς ἡ ὑπόστασις. κατὰ δέ γε τὴν τῶν πατέρων διδασκαλίαν, ἣν ἔχει διαφορὰν τὸ κοινὸν ὑπὲρ τὸ ἴδιον, ἢ τὸ γένος ὑπερ τὸ εἶδος, ἢ τὸ ἄτομον, ταύτην ἡ οὐσία πρὸς τὴν ὑπόστασιν ἔχει.

d Ibid. Ὥσπερ τοίνυν τὸ ἄνθρωπος ὄνομα, κοινόν ἐστι ταύτης τῆς φύσεως ὄνομα. οὕτω τὴν θείαν οὐσίαν, τὴν ἁγίαν τριάδα σημαίνειν εἰλήφαμεν. τὴν δέ γε ὑπόστασιν, προσώπου τινὸς εἶναι δηλωτικήν· οἷον ἤ τοῦ υἱοῦ, ἢ τοῦ ἁγίου πνεύματος. τὴν γὰρ ὑπόστασιν, καὶ τὸ πρόσωπον, καὶ τὴν ἰδιότητα ταὐτὸν σημαίνειν φαμὲν τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἀκολουθοῦντες.

e Ephræmius apud Phot. cod. CCXXIX. Μετὰ ταῦτα δὲ περὶ τῆς διαφορᾶς, ἣν ἡ οὐσία, καὶ τὸ γένος, καὶ τὸ εἶδος πρὸς τὴν ὑπόστασιν ἔχει, διαλαμβάνει· ὅτι τὰ μὲν τὸ κοινὸν δηλοῦσι, τὰ δὲ τὸ πρόσωπον, καὶ ὃ λέγεται τοῖς ἔξω καθ' ἕκαστον.

1 Tom. IV *Bibl. Patrum.* col. 960.

forma, una res est; persona vero, et character, hypostasis, individuum, et proprium, etiam ipsa sunt unum. Nam et natura potest in seipsa continere plures hypostases. Quippe homines non uno constantes corpore, et uno spiritu, unius omnes naturæ sumus, et usiæ; hypostases vero multæ. » Mox : « Et natura quidem, atque usia dicitur universalis : hypostasis autem particularis[a],» quod subinde copiosius enarrat.

Maximus quoque martyr quamplurimis in locis eadem sentit ; ut in dialogo primo *de Trinitate** (nam dialogi isti, qui a Beza editi, et Athanasio inscripti sunt, Maximo tribuuntur, ut a Demetrio Cydoniata libro *de Processione Spiritus sancti* capite tertio) *Usiam.* οὐσίαν ait esse *humanitatem*, sive ἀνθρωπότητα, quæ in multis inest singularibus, iisque communis est; *Hypostasim.* ὑποστάσιν autem esse quemlibet hominem, et individuum. Et in opusculo *de Definitionibus* inter illa edito, quæ contra Monothelitas inscribuntur, substantiam, sive naturam definit « id, quod commune est, et universale, ac de pluribus, et numero differentibus prædicatur. » Hypostasim autem, sive personam « particulare, et proprium significare ait, tanquam in seipsis circumscriptionem, sed non in pluribus prædicationem naturaliter habentia. » Anastasius Sinaita in *Viæ dux.* eo libro, cui nomen est Ὀδηγὸς : « Cujusvis, inquit, rei natura est quiddam commune ; at hypostases sunt ea, quæ propria sunt ;» quod multis deinceps exemplis explicat. Vide *Explicationem orthodoxæ fidei* ex Anastasio, et Cyrillo confectam quæ a Beza primum edita est.

VI. Sic Joannes Damascenus sæpe idem inculcat, οὐσίαν, et naturam esse id, quod commune est singularibus multis ; hypostasim vero individuum, et singulare ; tum hypostasim constitui ex οὐσίᾳ, sive communi, et accidentium conglobatione, quæ cujusque propria sit. « Quæ communia et universalia sunt, inquit, prædicantur de subjectis sibi particularibus. Igitur commune est substantia, ut species; particulare vero hypostasis; particulare vero dicitur, non quod aliquam partem habet naturæ, aliam non habet , sed particulare numero, tanquam individuum. Numero enim, non natura differre dicuntur hypostases. Prædicatur autem substantia de hypostasi, quoniam in unaquaque hypostaseon ejusdem speciei perfecta inest substantia. Ideo non differunt invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum accidentia, quæ sunt characteristicæ proprietates, characteristicæ, inquam, hypostasis, non naturæ. Etenim hypostasim definiunt, substantiam cum accidentibus. Quare hypostasis, quod commune est cum proprietate, habet et ut per seipsam existat. Substantia vero secundum se hypostasis non est, sed in hypostasibus consideratur[c]. »

Tum eodem capite, « Omnis, inquit, substantia communis est omnibus, quæ sub ipsa continentur, hypostasibus. Nec inveniri potest particularis, et propria singularis alicujus natura, sive substantia ; alioqui necesse esset easdem hypostases et consubstantiales, et diversarum substantiarum dicere ; tum sanctam Trinitatem et consubstantialem, et di-

a Athan. Ἡ μὲν οὐσία, καὶ τὸ γένος, καὶ ἡ φύσις, καὶ ἡ μορφὴ, ὡς εἴρηται, μία ἐστί· τὸ δὲ πρόσωπον, καὶ ὁ χαρακτὴρ, καὶ ἡ ὑπόστασις, καὶ τὸ ἄτομον, καὶ τὸ ἰδικὸν ἕν ἐστι. καὶ γὰρ ἡ φύσις δύναται ἔχειν ἐν ἑαυτῇ πλείους τὰς ὑποστάσεις· καὶ γὰρ οἱ ἄνθρωποι ἐξ ἑνὸς σώματος ὄντες, καὶ μιᾶς πνοῆς πάντες, μιᾶς ἐσμεν φύσεως, καὶ οὐσίας· ὑποστάσεις δὲ πολλαὶ, etc. Καὶ ἡ μὲν φύσις, καὶ ἡ οὐσία λέγεται καθολική· ἡ δ' ὑπόστασις μερική.

b Anast. in Ὁδηγῷ. Κοινότης γάρ ἐστιν ἡ φύσις ἑκάστου πράγματος, ἴδια αἱ ὑποστάσεις.

c Damasc. lib. III, cap. vi. Τὰ κοινὰ καὶ καθολικὰ κατηγοροῦνται τῶν αὐτοῖς ὑποκειμένων μερικῶν. κοινὸν τοίνυν ἡ οὐσία, ὡς εἶδος, μερικὸν δὲ ἡ ὑπόστασις· μερικὸν δὲ, οὐχ ὅτι μέρος τῆς φύσεως ἔχει, μέρος δὲ οὐχ ἔχει· ἀλλὰ μερικὸν τῷ ἀριθμῷ, ὡς ἄτομον. ἀριθμῷ γὰρ καὶ οὐ φύσει, διαφέρειν λέγονται αἱ ὑποστάσεις. κατηγορεῖται δὲ ἡ οὐσίᾳ τῆς ὑποστάσεως, διότι ἐν ἑκάστῃ τῶν ὁμοειδῶν ὑποστάσεων τελεία ἡ οὐσία ἐστί. διὸ οὐδὲ διαφέρουσιν ἀλλήλων αἱ ὑποστάσεις κατ' οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὰ συμβεβηκότα, ἅ τινά εἰσι τὰ χαρακτηριστικὰ ἰδιώματα· χαράκτηριστικὰ δὲ ὑποστάσεως, καὶ οὐ φύσεως. καὶ γὰρ τὴν ὑπόστασιν ὁρίζονται οὐσίαν μετὰ συμβεβηκότων. ὥστε τὸ κοινὸν μετὰ τοῦ ἰδιάζοντος ἔχει ἡ ὑπόστασις, καὶ τὸ καθ' ἑαυτὴν ὑπάρξαι· ἡ οὐσία δὲ καθ' ἑαυτὴν οὐχ ὑφίσταται, ἀλλ' ἐν ταῖς ὑποστάσεσι θεωρεῖται.

* Sæpe citantur hi de Trinitate dialogi tanquam genuini Maximi Martyris fetus ab auctore nostro. Magnam inde mutuarentur auctoritatem, si hac de re nullum esset dubium. En quæ leguntur in ultima editione operum Athanasii ab editoribus Benedictinis adornata. « Maximo sane potius adscribenda (quam Athanasio) licet insignis codicum varietas, quorum plerique neminem præferunt auctorem, non modicum hac in re ingerat scrupulum; suadentque ne festinanter et absque ullo dubio ipsi (Maximo) adjudicemus, donec major in dies lux vestigantibus effulgeat. Aliud est quod Maximo abjudicandum hoc opus fortasse suadeat : quia scilicet multis ille sæculis floruit post exortas hæreses quæ hic impugnantur. » J. B. F.

versæ substantiæ secundum divinitatem dicere. Eadem ergo natura in unaquaque hypostaseon spectatur[a]. »

Sic in libro *de Duabus Christi voluntatibus*, de natura et hypostasi similiter disserit, et hanc definit οὐσίαν μετὰ συμβεβηκότων, *substantiam cum accidentibus;* tum *Dialecticæ* capite nono et vicesimo. Et in *Isagoge dogmatica* capite septimo, « Hypostasis, inquit, est et individuum, et persona, velut Pater, Filius, et Spiritus sanctus; species vero illa comprehendens est supersubstantialis, et incomprehensibilis divinitas[b]. »

Usiam et hypostasim.

VII. Theodorus Abucara in opusculo secundo, præ cæteris accurate, ac subtiliter οὐσίαν, et ὑπόστασιν, et utriusque discrimen explanat. Imprimis enim voces, quibus utuntur philosophi, bifariam partitur. Alias quippe philosophicas vocat, alias logicas: priores sunt substantia, animal, homo, Petrus: logicæ sunt genus maxime generale, species, natura, substantia, individuum, hypostasis, persona. Vulgus dialecticorum ea vocat nomina *primæ, et secundæ intentionis.* Differunt autem invicem sic. Quidquid commune est in philosophicis vocibus, tam nomen, quam definitionem in ea, quæ sibi sunt subjecta, derivat; ut animal communicat homini, equo, et bovi tum nomen ipsum, tum definitionem suam. In logicis vero, quod commune est, neque nomen, neque rem nominis in inferiora transfundit. Non enim species, quæ generi subjicitur, generis appellationem, ac definitionem obtinet; neque individuum vocatur species. Præterea differunt, quod in philosophicis vocibus quidquid definitur, statim in seipso veram esse definitionem ostendit; ut homo definitur animal ratione præditum, eamque definitionem in se veram esse demonstrat. At logica vox definitionem propriam non in se, sed in philosophica voce esse veram approbat. Siquidem species est, quæ prædicatur de multis numero differentibus, in quibus, quid sit, quæritur. Hoc autem, si ad ipsam referatur speciem, est falsum; non enim vox ipsa species de multis dicitur; sed homo, cui convenit, ut sit species, de singulis hominibus prædicatur.

Naturam et usiam. Ejusdem naturæ et ejusdem substantiæ.

His ad hunc modum expositis, docet, « rem omnem, cui convenit, ut sit forma, sive species extrema, postquam speciei nomen accepit, appellari naturam, et substantiam. Idcirco omnia, quæcumque ipsam participant, ejusdem naturæ, ejusdemque substantiæ esse dicuntur[c]. » Quæ autem in genere conveniunt, non dici ait ejusdem naturæ, vel substantiæ, ut Socrates, et Bucephalus. Itaque non genus, sed infimam, quam vocant, speciem, φύσιν et οὐσίαν nominari, a qua ὁμοφυεῖς, et ὁμοούσιοι vocantur. Quin et οὐσίας vocabulum dupliciter sumit[a]. Primum universe, et ut genus est, definiturque « res per se existens, nec ad sui existentiam indigens alio[d]; » deinde proprie, quatenus ab illo ὁμοούσια, *ejusdem substantiæ* nuncupantur ea, quibus tribuitur. Cujusmodi sola est infima species; velut substantia et οὐσία Petri, Pauli, et cæterorum hominum, est humana natura. Hæc latius Theodorus Abucara, qui et in opusculo XXVIII de eodem argumento disserit, et οὐσίαν communem esse naturam ait, ὑπόστασιν singularem, individuamque substantiam. Quod opusculum sub Theodori Hagiopolitani nomine Latine est editum in *Bibliothecæ Patrum* tomo quarto.

Usia. *Usiam.* *Hypostasim.*

VIII. Euthymius in *Panoplia* « Usia, inquit, et natura, et genus, ac species, forma, et figura idem sunt in Deo, secundum divinos Patres. Rursus vero hypostasis, persona, character, proprietas, et individuum idem sunt. Atque usia quidem, et natura de omnibus dicuntur æqualiter subjectis, quatenus omnes homines unius usiæ sunt, et naturæ; hypostasis vero, et persona, et individuum est, quod proprie per seipsum subsistit, et divisionem citra corruptionem non recipit[e]. » Ac paulo post, « Quam habet, inquit, diffe-

a Damasc. Πᾶσα γὰρ οὐσία κοινή ἐστι τῶν ὑπ' αὐτῆς περιεχομένων ὑποστάσεων. καὶ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν μερικὴν, καὶ ἰδιάζουσαν φύσιν, ἤ τοι οὐσίαν. ἐπεὶ ἀνάγκη τὰς αὐτὰς ὑποστάσεις, καὶ ὁμοουσίους, καὶ ἑτερουσίους λέγειν, καὶ τὴν ἁγίαν τριάδα καὶ ὁμοούσιον, καὶ ἑτερούσιον κατὰ τὴν θεότητα λέγειν. ἡ αὐτὴ τοίνυν φύσις ἐν ἑκάστῃ τῶν ὑποστάσεων θεωρεῖται.

b Idem. Ἔστι μὲν οὖν ὑπόστασις μὲν καὶ ἄτομον, καὶ πρόσωπον οἷον ὁ πατὴρ, ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· περιεκτικὸν δὲ αὐτῶν εἶδος, ἡ ὑπερούσιος καὶ ἀκατάληπτος θεότης.

c Abucara, opusc. II. Πᾶν πρᾶγμα, καθ' οὗ τάττεται τὸ εἰδικώτατον εἶδος, φύσις τε ὀνομάζεται, καὶ οὐσία. διὸ καὶ πάντα, ὅσα ἐπίσης αὐτοῦ μετέχουσι, ὁμοφυῆ τε λέγεται, καὶ ὁμοούσια.

d Idem. Ἧς ὁ ὅρος, πρᾶγμα αὐθύπαρκτον μὴ δεόμενον ἑτέρου πρὸς σύστασιν.

e Euthym. par. I, tit. II. Οὐσία, καὶ φύσις, καὶ γένος, καὶ εἶδος, καὶ μορφὴ ταὐτόν ἐστι ἐπὶ θεοῦ κατὰ τοὺς θείους πατέρας. ὑπόστασις δὲ πάλιν, καὶ πρόσωπον, καὶ χαρακτὴρ, καὶ ἰδιότης, καὶ ἄτομον ταὐτόν. καὶ οὐσία μὲν, καὶ φύσις κατὰ πάντων ἐπίσης λέγονται τῶν ὑποκει-

rentiam commune a proprio, et universale a particulari, et non definitum a definito eamdem habet et natura ab hypostasi. »

Subscribit et Thalassius monachus [1], et Theorianus in *Legat. ad Armenos*, « Natura, inquit, de universalibus, et communibus dicitur, non de particularibus, et individuis. Homo quiddam est universale ; nam de Petro, et Paulo, et omnibus particularibus hominibus prædicatur [a]. »

Manuel item Calecas libro *de Spiritu sancto*, capite XXIV et XXV ubi differentiam οὐσίας, et ὑποστάσεως ex Basilio tractat, « Ejus, inquit, quod est commune, ratio ad substantiam reducitur; hypostasis autem peculiaris est uniuscujusque nota [b]. » Quæ sunt Basilii verba ex epistola XLIII ad fratrem suum Gregorium; quibus idem ille Calecas adjungit et illa Damasceni, « Hypostasis est commune cum proprio [c]. » Utrumque locum cum aliis quibusdam, quæ et Calecas refert, citat etiam Demetrius Cydones in libro *de Processione Spiritus sancti*, capite secundo. Michael Psellus in politicis versibus, quos in veteri codice reperi.

Ἄλλη δέ ἐστιν ὑπόστασις, καὶ ἕτερον οὐσία.
Ἡ μὲν οὐσία τὸ κοινὸν ὑποστάσεως εἶδος.
Ἡ δὲ ὑπόστασίς ἐστιν ἓν πρόσωπον, καὶ μόνον.

Item,

Οὐσία μὲν οὖν, καὶ μορφὴ, καὶ φύσις ἓν τῷ λόγῳ.
Ἄτομον δὲ καὶ πρόσωπον, ἓν σὺν τῇ ὑποστάσει.

« Alia est hypostasis, et aliud usia.
Usia quidem est communis hypostasis species;
Hypostasis vero est una persona, et sola. »

Item illud :

« Usia ergo, et forma, et natura, ratione sunt [unum.
Individuum vero, et personæ idem sunt cum [hypostasi. »

Pachomius quoque monachus in sermonibus dogmaticis, « Natura, inquit, est universalis res, quæ subjectas sibi hypostases complectitur. Vel natura est vera rerum exstantia. Hypostasis vero est usia cum quibusdam proprietatibus numero differens ab iis, quæ ejusdem sunt speciei [e].»

Denique in Florentina synodo Michael Ephesinus istud ipsum commemoravit obiter, in eoque putare se dixit Græcos, Latinosque convenire.

IX. Verum quod ad Latinos spectat, minus illi hoc expresse, diserteque, quam Græci auctores, explicant; neque hoc facile apud illos legas, naturam, sive substantiam, aut essentiam, hoc est οὐσίαν, esse aliquid universale, cujusmodi est hominis natura communis; hypostasim vero individuum, sub illa comprehensum, de quo mox. Ex iis tamen hoc loco complectar aliquos, qui id clarius elocuti sunt.

Usiam.

Boetius in libro *De duabus naturis, et una persona Christi*, Græcorum adhibens testimonium, sic illud exponit : « Atque uti Græca utar oratione in rebus, quæ a Græcis agitatæ Latina interpretatione translatæ sunt, αἱ οὐσίαι ἐν μὲν τοῖς καθολικοῖς εἶναι δύνανται, ἐν δὲ τοῖς κατὰ μέρος μόνοις ὑφίστανται, id est, *essentiæ in universalibus quidem esse possunt, in solis vero individuis et particularibus substant*. Intellectus enim universalium rerum ex particularibus sumptus est. Quocirca cum ipsæ substantiæ in universalibus quidem sint, in particularibus vero capiant substantiam, jure substantias particulares ὑποστάσεις appellaverunt.

Hypostases.

Rusticus Diaconus in *Disputatione contra Acephalos* [2]. «In sermone, quem de definitionibus contra Acephalos simul, Nestorianosque conscripsi, demonstratum est, inquit, quod natura quidem communem, sicut dici solet, speciem repræsentet, persona vero sit concursus eorum,

μένων, καθὸ πάντες ἄνθρωποι μιᾶς οὐσίας, καὶ φύσεως. ὑπόστασις δέ ἐστι, καὶ πρόσωπον, καὶ ἄτομον τὸ ἰδιαζόντως καθ᾽ ἑαυτὸ ὑφεστὸς, καὶ διαίρεσιν χωρὶς φθωρᾶς μὴ ἐπιδεχόμενον.

a Euthym. part. I. tit. II. Οὐ ταὐτὸν οἶδεν ὁ τῆς ἐκκλησία ὅρος, καὶ νόμος φύσιν, καὶ ὑπόστασιν. ἣν γὰρ ἔχει διαφορὰν τὸ κοινὸν πρὸς τὸ ἰδικὸν, καὶ τὸ καθολικὸν πρὸς τὸ μερικὸν, καὶ τὸ ἀόριστον πρὸς τὸ ὡρισμένον, ταύτην ἔχει καὶ ἡ φύσις πρὸς τὴν ὑπόστασιν.

b Theorian. II. Φύσις ἐπὶ τῶν καθόλου, καὶ κοινῶν λέγεται, οὐκ ἐπὶ τῶν μερικῶν, καὶ ἀτόμων, ὁ οὖν ἄνθρωπος [καθόλου ἐστί. κατὰ γὰρ Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ πάντων κατὰ μέρος ἀνθρώπων κατηγορεῖται.

c Calecas, lib. *de Sp. sancto.* cap. XXIV. Ὁ μὲν τῆς κοινότητος λόγος εἰς τὴν οὐσίαν ἀνάγεται. ἡ δὲ ὑπόστασις τὸ ἰδιάζον ἑκάστου σημεῖόν ἐστι. Ex Basilio in epistola *ad Gregorium Nyss.*

d Damasc. lib. III, cap. VI. Ὑπόστασίς ἐστι τὸ κοινὸν μετὰ ἰδιάζοντος.

e Pachom. mon. in libro nondum edito. Φύσις μὲν οὖν ἐστι, τὸ καθολικὸν πρᾶγμα, καὶ περιεκτικὸν τῶν ὑπ᾽ αὐτὴν ὑποστάσεων. ἡ φύσις ἐστὶν ἀληθὴς πραγμάτων ὕπαρξις· ὑπόστασις δέ ἐστιν οὐσία μετά τινων ἰδιωμάτων ἀριθμῷ τῶν ὁμοειδῶν διαφέρουσα.

1 Tom. II *Biblioth. Patrum. Græco-Lat.* centur. IV, n. 88. — 2 Tom. IV *Bibl. Patrum.*

quæ describunt subsistentiam rationalem. » Maxentius in dialogo I. « Discernitur, inquit, a natura persona; quia personæ unam rem individuam naturæ significant; natura vero communem cognoscitur declarare materiam, ex qua plurimæ possunt personæ subsistere. »

Hugo Etherianus libro primo *contra Græcos*, capite undecimo, « Persona quod singulare est, et per se, manifestat, concursumque insiguitivarum proprietatum, secundum rationem ex proprietatibus consideratam, ut individuum a communi secernit, et indicat. »

At Augustinus in quinto *de Trinitate*, capite octavo, Græcorum illam sententiam de οὐσίας et ὑποστάσεως discrimine levissime perstrinxit, nec diligentius exposuit; « Dicunt quidem, ait, et illi hypostasim; sed nescio quid volunt interesse inter usiam, et hypostasim ita, ut plerique nostri, qui hæc Græco tractant eloquio, dicere consueverint, μίαν οὐσιαν, τρεῖς ὑποστάσεις, quod est Latine, *unam essentiam, tres substantias.*

Naturæ et personæ.

X. Est igitur Græcorum fere enucleata illa, et subtilis explicatio οὐσίας, et ὑποστάσεως, ex qua tria fere capita colliguntur, quæ ad Trinitatis, et assumpti hominis declaranda dogmata incredibilem lucem afferunt.

Usiam.

Usiæ est aliquid commune et universale.

Primum est, οὐσίαν commune aliquid esse, non particulare; hypostasim vero idem, quod individuum, vel singulare communi subjectum. Hanc porro universalem, communemque naturam, quæ οὐσία vocatur, partim solam putant esse speciem citimam, quam *infimam*, et *specialissimam* scholæ nominant; partim etiam genus annectunt. Alii neutrum concedunt. Joannes certe Damascenus in eodem *Dialecticæ* libro, contraria scripsisse videri potest. Nam in capite quinto, ubi de quinque vocibus disserit, « Sancti, inquit, Patres speciem, et genus vocant naturam, et formam, et usiam [a]. » At in capite undecimo. « Ista, inquit, interjecta summum inter genus, velut substantiam, et species infimas, ut hominem, et bovem, genera sunt, et species subalternæ. Hæc autem dicuntur substantivæ, et naturales differentiæ, et qualitates, quæ superiora dividunt, et inferiora constituunt, ac species infimas specificant, constituentes ipsas, et naturam ab natura dirimentes. Natura porro in specie infima collocatur [b]. » Sic in libro *De duabus Christi voluntatibus* : « Natura quidem, ait, ut placet sanctis Patribus, commune quiddam est, et infinitum, sive infima species, ut homo, equus, bos; hypostasis vero est quiddam singulare, et per se subsistens : usia quædam cum accidentibus [c]. » Hic solam extremam speciem ait esse naturam; illic etiam genus adscribit. Cui posteriori assentitur Euthymius; ubi variorum Patrum sententias colligens, ita scribit : « Usia natura, genus, species, et forma idem est in Deo, ut divini Patres asserunt [d]. » Quæ et in libro *de Definitionibus*, inter opera Athanasii leguntur [e]. At priorem sententiam Theodorus Abucara secutus est in opusculo secundo; ut supra docuimus. Nam ea sola οὐσία dici meretur, cujus *Usia.* qui sunt participes, ὁμοούσιοι vocantur. Nemo *Homousii.* autem hunc hominem consubstantialem esse dixerit hujus equi, vel canis. Quare non putat, οὐσίαν, id est substantiam hujus hominis *Usiam.* appellari posse animalis naturam, sed humanam, quæ est infima species. Potest tamen utrumque verum esse. Nam si οὐσία completa, *Usia.* et absoluta sumitur, sola hoc nomen species infima obtinere debet. Unde etiam forte factum est, ut *natura* interdum *forma* dicatur; quemadmodum φύσις εἶδος. Est autem εἶδος et *forma* *Natura, species.* idem, quod species. Hinc etiam Boetius in libro *De duabus naturis*, « Natura, inquit, est cujuslibet substantiæ specificata proprietas. » Sin pars essentiæ, et οὐσίας in partem itidem appel- *Usiæ.* lationis hujus admittitur, οὐσία nominari potest *Usia.* etiam genus quodlibet, quo *gradus* aliquis *essentiæ* continetur. Sic enim philosophi vocare solent eas, quas dicunt, *metaphysicas partes*, ex quibus natura componitur.

Ex hoc Græcorum decreto, quod οὐσίαν commune, sive universale aliquid esse statuit,

a Damasc. Οἱ δὲ ἅγιοι πατέρες τὸ εἶδος, καὶ τὸ γένος ἐκάλεσαν φύσιν, καὶ μορφὴν, καὶ οὐσίαν.

b Idem, cap. II. *Dial.* Ταῦτα τὰ μέσα τοῦ γενικωτάτου γένους, ἤτοι τῆς οὐσίας, καὶ τῶν εἰδικωτάτων εἰδῶν, ἤτοι ἀνθρώπου, βοῦ, γένη εἰσὶ, καὶ εἴδη ὑπάλληλα. ταῦτα δὲ λέγονται οὐσιώδεις, καὶ φυσικαὶ διαφοραὶ, καὶ ποιότητες, διαιρετικαὶ τῶν ἐπάνω, καὶ συστατικαὶ τῶν ὑποκάτω, καὶ εἰδοποιοὶ τῶν εἰδικωτάτων εἰδῶν, συνιστῶσαι αὐτὰ, καὶ διαιροῦσαι φύσιν ἀπὸ φύσεως· ἡ δὲ φύσις ἐπὶ τοῦ εἰδικωτάτου τάττεται.

c Damasc. Φύσις μὲν οὖν ἐστι κατὰ τοὺς ἁγίους εἰπεῖν πατέρας, τὸ κοινὸν, καὶ ἀόριστον, ἤτοι τὸ εἰδικώτατον εἶδος, οἷον ἄνθρωπος, ἵππος, βοῦς· ὑπόστασις δὲ τὸ μερικὸν, καὶ καθ' ἑαυτὸ ὑφεστὸς, οὐσία τις μετὰ συμβεβηκότων.

d Euthym. *Panop.* par. I, tit. II. Οὐσία, καὶ φύσις, καὶ γένος, καὶ εἶδος, καὶ μορφὴ, ταὐτόν ἐστιν ἐπὶ θεοῦ κατὰ τοὺς θείους πατέρας.

e Necnon apud Anastasium Sinaitam in Ὁδηγῷ.

quoddam velut corollarium nectitur : singularia omnia, et individua, quæ sub eadem infima specie comprehenduntur, non solum ὁμοούσια, id est, *ejusdem substantiæ*, vel *essentiæ* dici, sed una tantum οὐσίᾳ constare, et idcirco plurali numero commune de iis formæ nomen dici proprie non debere, veluti tres homines, aut equos tres. Ita Gregorius Nyssenus, Cyrillus, Joannes Damascenus, Theodorus Abucara, Theorianus, et alii quidam, quos postea nominatim appellabimus, cum in eorum sententiam inquiremus.

Paradoxale. Proximum est et illi alterum hoc, quod ab Græcis nonnullis, traditum, non minus παράδοξον habetur : humanam a Christo naturam assumptam non singularem fuisse, sed universalem, ut Ephræmius Antiochenus episcopus apud Photium[1], Victorinus, Abucara, aliique sentiunt.

Negant hoc tamen aliqui Græcorum, qui τὰ καθόλου vim nullam habere dictitant, ac merito non esse οὐσίαν existimant; de qua re magis idoneo in loco dicturi sumus.

Hypostasis est compositum e communi et proprio.

XI. Alterum opinionis illius consectarium est, ὑπόστασιν omnem ex duobus esse compositam, communi videlicet natura, et proprietate. Sed hæc in Deo compositio *sola ratione*, et ἐπινοίᾳ constat, non re; ut in secundo libro partis prioris ostendimus, ubi de Dei simplicitate agitur.

Jam vero proprietatem istam, quæ hypostasim constituit, Græci fere, sed et Latini quidam conglobationem esse volunt, et concursum accidentium, sive qualitatum, quæ sic in unam coeunt individuam substantiam, ut in alia nulla reperiri possint; quod esse Græcorum illius opinionis corollarium potest tertium. Joannes Damascenus id passim prædicat; ut in *Dialecticæ* capite secundo, et quadragesimo, et initio libri *De duabus voluntatibus*, « Fieri, inquit, non potest, ut una, et eadem hypostasis careat propriis notis, quibus constat, et ab reliquis hypostasibus discernitur, videlicet, hypostaticis proprietatibus. Atque hæc accidentia, et ad substantiam adjuncta vocare mos est harum rerum peritis; quorum congeries in alia hypostasi considerari non potest [a]. »

Et in *Dialectica* [2], de accidente loquens, vocat illud τὴν ἐπουσιώδη διαφορὰν, *differentiam advenientem substantiæ*, ut ab οὐσιώδει differentia secernat, quæ cum genere componit speciem, id est οὐσίαν. Rursus cum accidens aliud sit separabile, aliud quod separari nequit, hoc posterius nominat « characteristicam proprietatem. Hæc enim propria nota hypostasim perficit, nimirum individuum. Est autem individuum, quod ex substantia, et accidentibus per se subsistit, numero separatum ab iis, quæ sub eadem sunt specie [b]. » Idem asserit et in libro *De duabus voluntatibus*, quem locum supra descripsi. Theorianus in legatione *ad Armenos*, « Hypostasis est, inquit, res subsistens, et substantiva, in qua congeris accidentium, tanquam in uno subjecto, re, et actu subsistit. Est igitur usia res ipsa, quæ est, hypostasis vero tum ipsum, quod est, tum quæ in eo, velut ex accidente, considerantur [c]. »

Videas et antiquiores idem Græcorum theologorum tradere. Sic Basilius in epistola XLIII cujus ante meminimus. Chrysostomus quoque in homilia prima ad priorem epistolam Pauli *ad Timotheum*, « Similis est, inquit, Patri Filius, sed non itidem, ut in Deo; major enim hic propinquitas. Illic enim, etsi sub-

a DAMASC. lib. *de Duabus volunt.* Ἀδύνατον δ' αὖ πάλιν τὴν μίαν, καὶ τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν μὴ κεχρῆσθαι τοῖς χαρακτηριστικοῖς, καὶ συστατικοῖς αὐτῆς, καὶ ἀφοριστικοῖς ἐκ τῶν λοιπῶν ὑποστάσεων, τοῖς ὑποστατικοῖς φημὶ ἰδιώμασι. συμβεβηκότα δὲ ταῦτα, καὶ ἐπουσιώδη καλεῖν ἔθος τοῖς περὶ ταῦτα δεινοῖς· ὧν τὸ ἄθροισμα ἐφ' ἑτέρας ὑποστάσεως θεωρηθῆναι ἀμήχανον.

b Idem, cap. v. *Dialect.* Τοῦτο τὸ ἀχώριστον συμβεβηκὸς λέγεται χαρακτηριστικὸν ἰδίωμα. τοῦτο γὰρ ἀφόρισμα ἀποτελεῖ τὴν ὑπόστασιν, ἤγουν τὸ ἄτομον. Ἄτομον δέ ἐστι τὸ ἐξ οὐσίας, καὶ συμβεβηκότων καθ' αὑτὸ ὑφιστάμενον, ἀριθμῷ τῶν ὁμοειδῶν κεχωρισμένον.

c THEORIAN. Ὑπόστασις δέ ἐστι πρᾶγμα ὑφεστός τε, καὶ οὐσιῶδες, ἐν ᾧ τὸ τῶν συμβεβηκότων ἄθροισμα, ὡς ἐν ἑνὶ ὑποκειμένῳ πράγματι, καὶ ἐνεργείᾳ ὑφέστηκεν. ἔστιν οὖν ἡ οὐσία, αὐτὸ τὸ ὂν πρᾶγμα· ἡ δὲ ὑπόστασις καὶ αὐτὸ τὸ ὂν, καὶ τὰ τούτῳ ὡς κατὰ συμβεβηκὸς ἐπιθεωρούμενα.

* Vix crediderim hanc fuisse mentem veterum, sed tantum eos existimasse esse iis quæ subjacent infimæ speciei, naturam unam specie, si ejus attributa communia abstracte spectentur, sed plures numero, si in concreto, atque vere substantiæ existentes considerentur. Exempli causa, esse unam humanitatem communem nobis omnibus, abstracte, nimirum, consideratam, sed esse nos varios homines. Scio eos interdum abuti ambiguitate vocis *unus*, et quædam ῥητορικωτέρως de *unitate* dicere, sed illa non sunt nimium urgenda. Si attendat lector, animadvertet eos ita loqui, ne quis dicat ex veterum hypothesi sequi plures esse deos, ut sunt plures homines. T. AL.

1 Cod. 229. — 2 Cap. v et XLII.

stantia sunt idem, tamen multis aliis differunt, colore, habitu, prudentia, tempore, proposito voluntatis, iis quæ insunt in animo iis, quæ in corpore, externis rebus, ac pluribus aliis invicem distant, quam inter se conjunguntur. At in Deo nullum est ejusmodi discrimen [a]. »

Hanc hypostasis naturam ab externa philosophia didicerunt nostri. Siquidem individuam substantiam, quam eamdem esse atque hypostasim arbitrati sunt, non aliunde constitui, quam ex concursu et multitudine proprietatum istarum, Porphyrius tradidit : « individua, inquit, dicuntur ejusmodi, quod e proprietatibus unumquodque constat, quarum congeries nunquam in ullo alio reperiri potest [b]. » Quasnam autem proprietates intelligat, exponit Ammonius elegans, et doctus interpres : « Veniamus, inquit, ad individuum, veluti Socratem. Proprietates ipsius sunt, quod sit philosophus, quod calvus, quod ventriosus, quod Sophronisci filius, quod Atheniensis, et si quid est hujus generis. Horum itaque quodlibet per se quidem in aliis inesse potest. Nam sunt, et alii calvi, et simi, et philosophi, et Athenienses, et si forte, Sophronisci quoque filii. At vero congeries ex omnibus conflata, ut idem sit philosophus, calvus, simus, ventriosus, et in tali ortus tempore, soli inest Socrati, et nulli alteri [c]. » Atque hoc Boetius ex Latinis significat in libro *de Duabus naturis*.

CAPUT VIII.

Exponitur vera, et accurata hypostasis ratio, ejusque proprietates omnes; substantia esse τὸ τί ἦν εἶναι *rei, hypostasim esse substantiam per se, ac perfecte existentem. Non constare hanc ex accidentibus, et quo sensu id ab antiquis usurpatum fuerit. Hypostasim esse substantiam cum modo quodam existendi, ex eorumdem veterum sententia docetur. Quid sit* ἀνυπόστατον, *et* ἐνυπόστατον, *et quatenus hoc ab hypostasi discrepet.*

I. Hæc sunt de hypostasi universe, et ut creatis, ac divinis commmuniter convenit, ab antiquis tradita. Ex quibus propria illius gradatim, ac velut per partes informanda notio est. Imprimis enim constat publico quasi consensu omnium, substantiam esse id, quod Græci post Aristotelem philosophi nominant τὸ τί ἦν εἶναι rei, nostri barbarissantes, *quidditatem* vocant, quoniam sciscitanti, quid sit res, illud ipsum respondetur ; hypostasim vero, esse τὸ εἶναι id est *esse*, nempe reipsa exstare, et in rerum natura consistere [a]. Maximus martyr in dialogo primo, ex iis, qui Athanasio perperam vindicantur, « Aliud est hypostasis, et aliud deitas; non ut alia sit, et alia res, sed quod aliud significet hypostasis, aliud deitas. Nam hypostasis ipsum esse significat; divinitas, aliquid esse [d]. » Quatuor hypostasis proprietates

Quæ Maximi verba ad calcem opusculi octavi et vicesimi Theodori Abucaræ adscripta sunt, et in *Bibliotheca Patrum* Theodoro Hagiopolitæ inscribuntur. Sic Ruffinus libro primo *Ecclesiasticæ historiæ* capite XXIX. « Substantia, inquit, ipsa rei alicujus naturam, rationemque, qua constat, designat ; substantia autem uniuscujusque personæ hoc ipsum, quod exstat et subsistit, ostendit. »

a CHRYS. Hom. I *ad Timoth.* Ὅμοιός ἐστιν υἱὸς τῷ πατρὶ, ἀλλ' οὐχ οὕτως, ὡς ἐπὶ θεοῦ· πλείων γὰρ ἐγγύτης ἐκεῖ. ἐνταῦθα μὲν γὰρ, εἰ καὶ τῇ οὐσίᾳ ταὐτόν εἰσιν, ἀλλ' ἑτέροις πολλοῖς διεστήκασι, χρώματι, σχήματι, συνέσει, χρόνῳ, προαιρέσει τοῖς περὶ ψυχὴν, τοῖς περὶ τὸ σῶμα, τοῖς ἐκτὸς, καὶ πλείοσιν ἑτέροις διεστήκασιν ἀλλήλων ἢ συνάπτονται πρὸς ἀλλήλους· ἐκεῖ δὲ τούτων οὐδέν ἐστι τῶν διαφραγμάτων.

b PORPHYR. *Instit.* cap. II. Ἄτομα δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα, ὅτι ἐξ ἰδιοτήτων συνέστηκεν ἕκαστον, ὧν τὸ ἄθροισμα οὐκ ἂν ἐπ' ἄλλου τινός ποτε τὸ αὐτὸ γένοιτο.

c AMMON. *in Porphyr.* Ἔλθωμεν ἐπὶ τὸ ἄτομον, οἷον, τὸν Σωκράτην. ἰδιότητες αὐτοῦ, τὸ φιλόσοφον, τὸ φαλακρὸν, τὸ προγάστορα, τὸ Σωφρονίσκου υἱὸν, τὸ Ἀθηναῖον, καὶ εἴ τι τοιοῦτον. ἕκαστον οὖν τούτων, καθ' αὑτὸ μὲν δύναται καὶ ἄλλοις ὑπάρχειν. εἰσὶ γὰρ καὶ ἄλλοι φαλακροὶ, καὶ σιμοὶ, καὶ φιλόσοφοι, καὶ Ἀθηναῖοι, εἰ τύχοι δὲ, καὶ Σωφρονίσκου υἱοί. τὸ δὲ ἐκ πάντων ἄθροισμα, τὸ φιλόσοφον, τὸ σιμὸν, τὸ προγάστορα, καὶ ἐν τῷδε γενέσθαι τῷ χρόνῳ, μόνῳ Σωκράτει ὑπάρχει, καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ.

d Ἄλλό ἐστιν ὑπόστασίς, καὶ ἄλλο θεότης, οὐχ ὡς ἄλλο· ἀλλ' ὡς ἄλλό τι σημαινούσης τῆς ὑποστάσεως, καὶ ἄλλο τῆς θεότητος. ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασις τὸ εἶναι σημαίνει, ἡ δὲ θεότης τὸ τί εἶναι.

II. Altera hypostasis conditio est, ut existat per se, non in alio, vel per aliud, quod eam sustentet, et fulciat. Joannes Damascenus hypostasi tribuit « per seipsam existere; at substantia per seipsam minime subsistit, sed in hypostasibus spectatur[a]. » Quod etiam tradit in *Dialecticæ* capite XLII quod est de hypostasi.

Leontinus Byzantinus libro primo *contra Nestorium et Eutychem* : « Natura rationem essentiæ recipit; hypostasis vero rationem per se essentiæ[1]. » Hunc per se existendi statum Cyrillus Alexandrinus voce hac ἰδιοσύστατον explicare solet. Ut in libro nono *Commentariorum in Joannem*, ad hæc verba Christi, *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est* [2] ? Unumquemque esse id, quod est, et nominatur apud nos, proprie consistendo, credimus[b]. » Et in libro XI ad illa verba, *Quia a Deo exivi*, quæ ita declarat « Quod autem ait, *a Deo exivi*, hic vero rursus significare putabimus sive idem, ac si diceret : Natus sum, et ex substantia ejus effulsi, processione ejusmodi, quo sum; et intelligor proprie, ac per me consistens, non tamen omnino sejunctus[c]. »

Et in dialogo secundo *de Trinitate* : « Quod est alicujus, et per se subsistit, aliud utique est ab eo, cujus est[d]. » Tum multis interjectis , « Effulsit enim modo quodam, qui intelligentiam omnem superat, et quem oratione nemo potest assequi, ex Patris substantia Filius, non per sectionem, aut divisionem genitoris, suam existentiam diversam, et aliam habens, verum ita, ut in propria existat hypostasi ; eo vero modo natus, quo res corporis expers potest gignere, quæ sectione, ac divisione prorsus caret[e]. »

III. Tertium illud est, ut sit perfecta, et completa substantia, quam Græci vocant αὐτοτελῆ. Dionysius Alexandrinus in epistola *ad Paulum Samosatenum*, « Sic igitur, inquit, et forma Dei, et Verbum ipsius non possunt homo esse perfectus, sive persona[f]. » Hæc conditio ab hypostasis complexu partem excludit, quæ tametsi substantia sit singularis, atque ex proprietatibus, et communi natura constet, in quo cum hypostasi convenit : non tamen est perfecta, neque complementum habet ultimum. Ita Theodorus Abucara opusculo XXIX inter id, quod ὑποστατικὸν vocat, ut est pars subsistentiam componens, et ὑπόστασιν distinguit, « quod hypostasis non sit pars cujuspiam. » Tum subinde : « At non sufficit naturam componi ex propriis notis ad constituendam hypostasim ; sed ad hoc concurrere insuper oportet, ut non sit pars[g]. » Eadem causa humanam in Christo naturam hypostasim esse prohibet, ut tum idem Theodorus demonstrat, tum sanctus Thomas opusculo *contra Græcos*. « Non omnis, inquit, substantia particularis hypostasis dicitur, sed solum illa, quæ ab aliquo principaliori non habetur. Manus enim homini substantia est quædam particularis, non tamen potest dici hypostasis, nec persona, quia habetur a principaliori, quod est homo ; alioquin in quovis homine essent tot hypostases, vel personæ, quot membra, vel partes. Humana ergo natura in Christo non est accidens, sed substantia, non universalis, sed particularis ; nec tamen hypostasis dici potest, quia assumitur a principaliori, scilicet a Dei verbo. » Similia quædam explicat in *Compendio Theologiæ*, c. CCXI. Atque, ut hæc hypostasis proprietas illustretur magis, et adversus hæreticorum calumnias theologus noster instructior sit, quoniam perfectus quidam per sese existendi modus hypostasi congruit, in quo a parte discrepat, ipsa *perfecti* notio ex rerum naturæ fontibus haurienda nobis est, cujus interpres erit[a] Aristoteles. Hic

Autotele.

a DAMASC. lib. III, cap. VI. Ὥστε τὸ κοινὸν μετὰ τοῦ ἰδιάζοντος, ἔχει ἡ ὑπόστασις, καὶ τὸ καθ' ἑαυτὴν ὑπάρξαι. ἡ οὐσία δὲ, καθ, ἑαυτὴν οὐχ ὑφίσταται, ἀλλ' ἐν ταῖς ὑποστάσεσι θεωρεῖται.

b CYRIL. IX *in Joan.* Ἀλλ' εἶναι μὲν ἕκαστον τοῦθ' ὅπερ ἐστι, καὶ κατωνόμασται παρ' ἡμῖν ἰδιοσυστάτως πιστευόμεν.

c CYRIL. II *in Joan.* Τὸ δὲ, ἐξῆλθον παρὰ τεοῦ ἐνταῦθα δὴ πάλιν οἰησόμεθα δηλοῦν, ἢ ὅτι γεγέννημαι, καὶ ἐξέλαμψα τῆς οὐσίας αὐτοῦ, κατὰ πρόοδον μὲν τὴν πρὸς τὸ εἶναι τε, καὶ νοεῖσθαι τυχὸν ἰδιοσυστάτως, οὐ μὴν εἰς ἅπαν διῃρημένως.

d Id. Dial. II *de Trin.* Τὸ γάρ τινος ὂν, καὶ ὑπάρχον ἰδιοσυστάτως, ἕτερόν που πάντος ἐστὶ παρὰ τὸν οὗ ἐστι.

1 Leont. lib. I *Biblioth. Patrum.* — 2 *Joan.* XIV, 11.

e Ibid. Ἐξέλαμψε γὰρ τρόπῳ τε τῷ ὑπὲρ νοῦν, καὶ ὡς οὐκ ἄν τις φράσαι, τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ὁ υἱὸς, οὐ κατὰ μερισμὸν, ἢ διαίρεσιν τοῦ γεγενηκότος, τὴν ἰδίαν ὕπαρξιν ὡς ἑτέραν ἔχων. ἀλλ' ὑπάρχων μὲν ἰδιοσυστάτως, γεννηθεὶς δὲ οὕτως, ὡς ἂν ἀποτέκοι τὸ ἀσώματον, ὃ τομῆς τέ ἐστι, καὶ μερίσμου παντελῶς ἀπείρατον.

f DION. ALEXAND. Οὕτως ἄρα ὅτι καὶ ἡ μορφη τοῦ θεοῦ, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ἄνθρωπος εἶναι οὐ δύναται αὐτοτελὴς, ἤγουν πρόσωπον.

g THEOD. ABUC. Διαφέρουσι δὲ ὅτι ἡ μὲν ὑπόστασις οὐκ ἔστι μέρος τινὸς, etc. Ἀλλὰ οὐκ ἀρκεῖ τὸ συγκεῖσθαι τὴν φύσιν τοῖς ἰδιώμασιν εἰς γένεσιν ὑποστάσεως, ἀλλὰ δεῖ συνδραμεῖν εἰς τοῦτο καὶ τὸ μὴ εἶναι μέρος.

in quarto libro *Metaphysicæ perfectum* definit sic : « Perfectum est illud, extra quod non potest ulla accipi particula. Velut tempus uniuscujusque perfectum hoc dicitur, extra quod non potest ullum tempus accipi, quod pars sit istius temporis [a]. » Quod Asclepius in commentariis ad hunc locum ita declarat : Velut exempli gratia, definita est hominum vita centum et viginti annis. Hoc igitur tempus perfectum est in hominibus. Nihil enim extra capi potest ipsius. Nam fieri nequit, ut humana natura in præsenti vita spatium illud excedat annorum centum et viginti[b]. » Et ut universe loquamur, perfectum illud est, cui nihil deest eorum, quæ in suo genere illi congruunt. « Unumquodque enim, pergit Aristoteles, tum est perfectum, et omnis substantia tunc est perfecta, cum secundum propriæ virtutis speciem, nulla deest pars ejus magnitudinis, quam natura sua requirit[c]. » Ut si humani corporis statura quatuor, vel quinque cubitis circumscripta sit, ait Asclepius, perfecta tunc erit, cum ad quinque perveniet, quoniam ultra progredi non potest. Quod non solum de extensione, et quantitate proprie dicta intelligi oportet; sed de qualibet alia metaphorice sumpta, quam utcumque metimur, ac per partes dividimus. Hoc sensu *plenum* ab Augustino vocatur, « quod tantum est, ut aliquid ei jam non sit addendum[1]. »

IV. Quamobrem cum substantia id ex natura sua habeat, ut per sese constet, et existat; « Nam accidentia nequaquam per se ipsa, sed in aliis existentia considerare quis potest[d], » ait Cyrillus Alexandrinus; id autem multis modis, et quasi gradibus distinctum in rebus ipsis appareat, quoniam alia per se eatenus existunt, quod non accidentium instar hæreant in subjecto, tametsi a toto aliquo separata non exstent; alia sejuncta manent, sed nihilominus σχέσιν quamdam, et *habitudinem* habent natura sibi insitam, ut cum aliis rebus copulentur ad totum aliquod efficiendum, uti materia et forma quædam, qualis anima est hominis; summus, ac perfectus existendi per se gradus est substantiæ, cum ita seorsim ab aliis omnibus existit, ut ad nullam rem aliam naturali habitudine comparetur, velut sociam, comparemque partem, quacum in totius compositionem veniat. Hujusmodi est hypostasis. « Nam per se unum est, ait Otto Frisingensis, quod nec actu, nec natura potest, potuit, poterit, cum alio ad constituendum totum concurrere[2]. » Etenim, ut scribit Joannes Damascenus, « omne id, quod ex imperfectis coalescit, omnino compositum est. Ex perfectis autem hypostasibus non potest fieri compositio[e]. » Sed perfectum in substantia dupliciter dicitur; natura, et exstantia, sive exstantiæ modo. Quorum posterius intelligendum est, cum de hypostasi loquimur. Nam natura alioquin hominis in Christo perfecta est, et est « Christus idem divinitate perfectus et humanitate perfectus[f], » ut ait Eulogius Alexandrinus. Quatenus vero perfectum aliquid, aut non perfectum appellandum sit, ex hac regula dignosci jubet Joannes Damascenus : « Imperfecta, inquit, diximus, quæ non servant speciem rei, quæ ex ipsis absolvitur. Nam lapis, et lignum, et ferrum, singula per se ex propria natura perfecta sunt. Sin ad illam domum, quæ ex istis absolvitur, comparentur, imperfectum est horum quodlibet. Non enim unumquodque per sese est domus[g]. »

Hæc magis ad exemplum allata sunt ex populari usu, atque sensu, quam ad limatam exactæ rei naturam. Etenim non id omne,

a Aristot. lib. IV *Metaph.* cap. xvi. Τέλειον λέγεται, ἓν μὲν οὗ μή ἐστιν ἔξω τι λαβεῖν, μηδὲ ἓν μόριον· οἷον χρόνος τέλειος ἑκάστου οὗτος, οὗ μή ἐστιν ἔξω τι λαβεῖν χρόνον τινὰ, ὃς τούτου μέρος ἐστὶ τοῦ χρόνου.

b Asclepius. Οἷον εἰ τύχοι ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος ὥρισται μέχρι τῶν ἑκαστόν εἴκοσι ἐνιαυτῶν. οὗτος τοίνυν ὁ χρόνος τέλειός ἐστιν ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων· οὐδὲν γάρ ἐστιν ἔξω λαβεῖν αὐτοῦ. οὐ γὰρ δυνατόν ἐστι τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἐν τῷ νῦν βίῳ ὑπερβῆναι τὰ ἑκατὸν εἴκοσι ἔτη.

c Arist. ibid. Ἕκαστον γὰρ τότε τέλειον, καὶ ἡ οὐσία πᾶσα τότε τελεία, ὅταν κατὰ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς μηδὲν ἐλλείπῃ μόριον τοῦ κατὰ φύσιν μεγέθους.

d Cyril. Dial. II. Τὰ ἐν τάξει τῶν συμβεβηκότων, ἢ καὶ ἐνόντων ἁπλῶς κατηριθμήμενα, ἥκιστα μὲν σφίσιν αὐτοῖς ἑτέροις δὲ μᾶλλον ἐνυπάρχοντα καταθρῆσαι τις ἄν.

e Damasc. lib. I, cap. x. Πᾶν γὰρ ἐξ ἀτελῶν συγκείμενον σύνθετον πάντως ἐστίν· ἐκ δὲ τελείων ὑποστάσεων ἀδύνατον σύνθεσιν γενέσθαι.

f Eulog. apud Phot. cod. ccxxx. Καὶ τέλειον εἶναι τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον ἐν ἀνθρωπότητι.

g Damasc. ibid. Ἀτελῶν δὲ εἴπομεν τῶν μὴ σωζόντων τὸ εἶδος τοῦ ἐξ αὐτῶν ἀποτελουμένου πράγματος. λίθος μὲν γὰρ, καὶ ξύλον, καὶ σίδηρος, ἕκαστον καθ' ἑαυτὸ τέλειόν ἐστι κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν, πρὸς δὲ τὸ ἐξ αὐτῶν ἀποτελούμενον οἴκημα ἀτελὲς ἕκαστον αὐτῶν ὑπάρχει. οὐδὲ γάρ ἐστιν ἕκαστον καθ' ἑαυτὸ οἶκος.

1 August. tract. cii *in Joan.* — 2 Otto lib. I *de Gest. Frid.* cap. liii.

quod in compositionem venit qualemcumque rei alterius, non est perfectum, aut ab hypostasis ambitu segregandum est; sed cum ea res, quæ ex illa componitur, unum est per se, sive natura, non ex accidenti, et coacervatione quadam, vel humano artificio. Itaque lapis, et ferrum hypostases sunt; quia domus non est unum quiddam proprie, ac naturaliter, sed *contactu*, ut loquitur Aristoteles: « Secundum se, inquit, continua sunt, quæcumque non sunt unum contactu. Si enim posueris invicem tangentia se ligna, non dices ea unum esse, neque lignum, neque corpus, neque aliud omnino continuum[a]. » Quare nihil causæ fuit, cur Otto Frisingensis, quem paulo ante citavimus, negaret beryllum, quæ est gemma, non esse « plenarie individuam substantiam, » tanquam ideo, quod cum alia re singulari convenire potest in totius cujusdam compositionem. Id enim minime obstare debet, cum per se sit una, et individua substantia, perfecteque subsistat. Atque hoc rursus ex Joanne Damasceno, in illo, quem proxime adduximus, loco sciri necesse est, cum dicimus hypostasim hoc habere, ut cum nulla re alia in ejus, quod per se sit unum, compositionem venire queat, hoc de ea re intelligendum esse, quæ et ipsa sit hypostasis. Ait enim Damascenus, « ex perfectis hypostasibus componi nihil posse. » Itaque cum eo, quod non sit hypostasis, potest hypostasis aliqua unam quippiam per se constituere, ut in Christo perfecta Verbi hypostasis unam cum humana natura, quæ persona non est, personam efficit.

Hypostasis accidentibus substat.

V. Postrema hypostasis proprietas est, ut subjecta sit accidentibus, quod *substare* vocant, unde et substantiæ ortum est vocabulum, necnon *suppositi*. Boetius in libro *De duabus naturis*; « Quod vero illi ὑπόστασιν, inquit, vel ὑφίστασθαι, id nos substantiam, vel substare interpretamur. Subsistit enim, quod ipsum accidentibus, ut possit esse, non indiget. Substat autem id, quod aliis accidentibus subjectum quoddam, ut esse valeant, subministrat. Sub illis enim stat, dum subjectum est, accidentibus. Itaque genera, vel species subsistunt tantum; neque enim accidentia generibus, speciebusque contingunt. Individua vero non modo subsistunt, nam neque ipsa indigent accidentibus, ut sint; informata enim sunt jam propriis, et specificis differentiis, et accidentibus, ut esse possint, ministrant, dum sunt scilicet substantia. » Hic Boetius inter hoc, quod est subsistere, et substare, adeoque subsistentiam inter, et substantiam discernit; ac subsistere proprium vult esse, sive τὸ τί ἦν εἶναι categoriæ illius, quam substantiam vocant; substare vero, individuorum, sive hypostaseon.

Sic Rusticus Diaconus in *Disputatione contra Acephalos*, « Individuam subsistentiam ait esse velut fundamentum, in quo incumbunt, quæ circa sunt reliqua, sicut ipsum nomen ostendit; et tanquam maxime propriam causam, in qua universa, quæ accidentia nominantur, ut color, ut mores, ut habitus, et dispositiones, et quæ iis sunt similia, et proprietates confluunt ipsæ. Interempto enim primo subjecto eorum, quæ circa sunt, individuorum, nihil ultra esse possibile est, a maxima vero causa, ut sit unumquodque, id vero est, in quo incumbit ipsa totietas, nominatur; id est, ab illo subjecto, quod tanquam fundamentum est iis, quæ circa sunt, tota consistentia subsistentia nominatur. » Hoc vero, quod illi asserunt, substantiam primam, sive hypostasim subjici accidentibus, non sic interpretandum est, tanquam accidentia hæreant in tota illa substantia. Nam ad ejus partem interdum adhærescunt, ut sint spirituum propriæ qualitates, quarum subjectum sola in homine est anima. Sed nimirum accidentia illa toti substantiæ tribuuntur, deque ea prædicantur; quod *subjectum attributionis* scholæ nuncupant, uti prius illud *inhæsionis*. Quoniam igitur partes illæ compositæ substantiæ, quæ peculiaribus formis, et accidentibus privatim afficiuntur, in illa, quam constituunt, substantia natura sua continentur, in eaque vel insunt reipsa, vel ut separatim existant, ad eamdem tamen insitam et ingenitam propensionem retinent; ideo partibus primum istis, tum accidentibus, quæ sunt propria partium, subesse, ac supponi dicuntur individuæ illæ substantiæ, et hypostases, quæ propterea vulgo *supposita* nominantur. Hinc apud Græcos ὑπόστασις id, quod omnium postremum est, imumque significat, ac velut basis, et fundamenti loco subjectum omnibus, ac suppositum.

Ex quo illud consectarium efficitur, si presse, enucleateque res ista tractetur, non esse verum, quod Græcos fere tradere supra meminimus, hypostases constare ex acciden-

a. Arist. lib. IV *Metaph.* cap. VI. Καθ' αὑτὰ δὲ συνεχῆ, ὅσα μὴ ἁφῇ ἕν. εἰ γὰρ θείης ἁπτόμενα ἀλλήλων ξύλα, οὐ φύσεις ταῦτα εἶναι ἕν, οὔτε ξύλον, οὔτε σῶμα, οὔτε ἄλλο συνεχὲς οὐδέν.

tibus, quæ sint proprietates, vel formæ, quibus constituuntur, et ab οὐσίᾳ, vel substantia discrepant. Nam si hypostasis velut solum et fundamentum est omnium accidentium, ante illa sit, et consistat oportet, quam accidentes illas formas excipiat, et sustineat; de quo non multo post accuratius dicam.

Vera de hypostasi sententia.

VI. Est hæc recepta fere in scholis de hypostasi sententia, cum sit, ut antea demonstratum est, ex duobus contexta, uno communi, quod est natura ipsa, altero proprio; hoc quod proprium est, et accedit ad commune esse modum quemdam existendi. Quod equidem arbitror esse verissimum; eoque magis, quod ita fere Græci Patres consuevere dicere. Basilius in libro secundo *contra Eunomium* differentias personarum appellat *modos proprietatem indicantes*. « Non enim, inquit, modi proprietatem indicantes simplicitatis rationi officient [a]. » Et in homilia *contra Sabellianos modum existentiæ* nominat. Cur non, inquit, cum omnibus et de modo exstantiæ Spiritus sancti, ignorantiam, quæ periculo caret, absque ullo pudore confiteris [b]? » Agit autem de eo, an sit ἀγέννητον, aut γεννητὸν, aut κτιστὸν πνεῦμα, hoc est, *Ingenitus*, *an genitus*, vel *creatus Spiritus*, e quibus priores duæ proprietates sunt personarum. Quare *modos exstantiæ* vocat proprietates hypostaseon. Gregorius item Nyssenus in libro *ad Ablabium*, ubi causam inquirit, cur non sint tres dii, cum fratre suo consentiens, quæ duo diximus in hypostasim concurrere, essentiam et proprietatem, ea sic distinguit, ut sit essentia idem, atque τί εἶναι *esse aliquid*, » proprietas autem τὸ πῶς εἶναι, *quodammodo esse*. « Alia est ergo ratio ejus, quid res sit; alia ejus, quomodo sit. Igitur ingenito modo esse aliquid dicere : quomodo id sit, ostendit; quid sit autem, ea voce simul non indicat [c]. »

Demonstrat hoc ipsum plane, ac luculenter auctor *Expositionis fidei*, quæ Justino martyri inscribitur; ubi de personarum divinarum differentia disputat, eaque substantia unum esse dicit, modo vero existendi plures, et differentes. « Non igitur, inquit, idem est cum Patre Filius, et Spiritus sanctus; quoniam hæc nomina ingenitum, genitum, et procedens, non sunt essentiæ propria, sed modi existentiæ; modus autem existentiæ nominibus istis velut notis designatur; at essentiæ significatio Dei vocabulo continetur adeo, ut differentia Patris a Filio, et Spiritu sancto in modo existendi posita sit; esse autem idem, ratione substantiæ conveniat [d]. » Declarat hoc subinde Adami exemplo, cujus *proprius existendi modus* fuit, Dei manibus esse formatum; natura vero, seu essentia, esse hominem [e]. Ex quo fortasse concludat aliquis, τρόπον ὑπάρξεως ab auctore illo vocari *modum originis*, sive *productionis*, quo aliquid a causa sua, principioque processit. Ac verum id quidem est, sed nihilominus etiam hypostasis est illa nota propria. Nam paulo post istas ipsas proprietates. « Ingenitum, genitum, et procedens non essentiam indicare dicit, sed hypostases significare. Sunt enim idonea illa ad distinguendas nobis personas, et Patris, ac Filii, et Spiritus sancti privatam ostendendam hypostasim [f]. »

VII. Sed imprudens locum unum alterumve Basilii sane insignem prætermisi. In illo de proprietate personæ sancti Spiritus disserens, quæ iis verbis in Scripturis exprimitur *Spiritus oris ejus*; « Sed et, inquit, os nominatur, quatenus Deo convenit, et Spiritus substantia vivens sanctificandi jus habens, unde cognatio quidem illius ostenditur, sed modus existentiæ tacitus custoditur [g]. » Alter locus est in quarto libro *contra Eunomium* : « Si is, qui ingeni-

a Basil II *contra Eunom.* Οὐ γὰρ δὴ οἱ δεικτικοὶ τῆς ἰδιότητος αὐτοῦ τρόποι τὸν τῆς ἁπλότητος λόγον παραλυπήσουσι.

b Idem, tom. I, hom. xxvii *contra Sabell.* Τί οὐχὶ μετὰ πάντων καὶ περὶ τοῦ τρόπου τῆς ὑπάρξεως τοῦ ἁγίου πνεύματος τὴν ἀκίνδυνον ἄγνοιαν ἀνεπαισχύντως ὁμολογεῖς;

c Gregor. Nyssen. tom. II *ad Ablab.* Ἄλλος οὖν ὁ τοῦ τί ἐστι, καὶ ἄλλος ὁ τοῦ πῶς ἐστι λόγος. τὸ οὖν ἀγεννήτως εἶναί τι λέγειν πῶς μέν ἐστιν ὑποτίθεται, τί δέ ἐστι τῇ φωνῇ ταύτῃ οὐ συνενδείκνυται.

d Justin. in *Exposit. Fid.* Οὐ ταὐτὸν οὖν τῷ πατρὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ὅτι τὸ μὲν ἀγέννητον, καὶ γεννητὸν, καὶ ἐκπορευτὸν, οὐκ οὐσίας ὀνόματα, ἀλλὰ τρόποι ὑπάρξεως· ὁ δὲ τρόπος τῆς ὑπαρξεως τοῖς ὀνόμασι χαρακτηρίζεται τούτοις· ἡ δὲ τῆς οὐσίας δήλωσις τῇ θεὸς ὀνομασίᾳ σημαίνεται· ὡς εἶναι τὴν διαφορὰν τῷ πατρὶ πρὸς τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα, κατὰ τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον· τὸ δὲ ταὐτὸν κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον.

e Ibid. Ἀλλ' ἡ διάπλασις τὸν τρόπον τῆς ὑπάρξεως δηλοῖ· τὸ γὰρ ὅπως ἐγένετο σημαίνει.

f Ibid. Ὥστε τὸ ἀγέννητον, καὶ γεννητὸν, καὶ ἐκπορευτὸν, οὐκ οὐσίας δηλωτικὰ, συμαντικὰ δὲ τῶν ὑποστάσεών ἐστι. ἱκανὰ γὰρ ἡμῖν διακρίνειν τὰ πρόσωπα, καὶ τὴν πατρὸς, καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ἰδιαζόντως δεικνύειν ὑπόστασιν.

g Basil. cap. xviii. lib. *de Sp. sancto.* D. Ἀλλὰ καὶ τὸ στόμα θεο πρεπῶς, καὶ τὸ πνεῦμα οὐσία ζῶσα, ἁγιασμοῦ κυρία. τῆς μὲν οἰκειότητος δηλουμένης ἐντεῦθεν, τοῦ δὲ τρόπου τῆς ὑπάρξεως ἀῤῥήτου φυλασσομένου.

tum Patrem, et genitum Filium, inquit, dixerit, substantias significavit; idem cum existentiæ modum exprimere volet, quinam aliter, quam illa ratione declarare poterit? Igitur existentiæ modus est ingenitum, non substantiæ nomen [a]. » Modum esse vocat existendi, hoc est τρόπον τῆς ὑπάρξεως, proprietatem, qua hypostasis constat. Addit auctor *Quæstionum et responsionum ad Orthodoxos*, qui Justino tribuitur, « modum existentiæ hypostasis; Differentia autem est, ait, in sancta Trinitate, secundum modos existentiæ hypostaseon [b]. »

Modum exstantiæ.

Maximus item martyr apud Euthymium differentiam illam, qua diversæ personæ in eadem substantia invicem distant, appellat modum existentiæ: « Eamdem, inquit, revera monadem et Trinitatem et dictam, et intellectam: illud quidem ratione substantiæ, hoc vero secundum existentiæ modum; totam monadem eamdem distinctam hypostasibus [c]. » Quem locum citat Demetrius Cydones libro *de Spiritu sancto* capite III. Joannes item Damascenus non raro genere utitur eodem loquendi; ut in primo *de Fide orthodoxa* capite nono, proprietates divinarum personarum vocat τρόπους τῆς ὑπάρξεως. Et in capite undecimo, perfectam hypostasis rationem definit modo existentiæ: « Unum, inquit, Deum cognoscimus in solis quidem proprietatibus paternitatis, filietatis, et processionis, secundum causam, et id, quod a causa ortum est, ac perfectionem hypostasis, id est existentiæ modum, differentiam intelligimus [d]. » Manifeste Damascenus perfectam, ultimamque rationem hypostasis, hoc est complementum ejus, definit existendi modo; ne quis id, quod paulo ante attigi, ὑπάρξεως τρόπον velit esse *productionis modum*, sive rationem, modumve, quo exstitit. Quod etsi interdum sic explicari possit; non valet tamen in omnibus; ut cum τὸ ἀγέννητον modum esse dicunt Patres illi τῆς ὑπάρξεως τοῦ πατρός. Non enim productio illic, vel emanatio quædam existentia significari potest, sed fixa, et solida personæ consistentis exstantia.

Ingenitum.. modum existentiæ Patris.

Clarius hoc idem et capite XIII demonstrat, ubi de personarum proprietatibus loquens, « Ingenito, genito, et procedente, sic scribit: Quæ quidem non substantiæ significandæ vim habent, sed mutuam habitudinem, et existentiæ modum [e]. » Sic in libro *De duabus Christi voluntatibus* hypostaseon creatarum discrimen constituit in modo *existentiæ*, quem vocat « divisam, et proprie consistentem hypostasim. » Hinc Manuel Calecas libro *de Processione Spiritus sancti* contra Græcos, differre ait οὐσίαν et ὑπόστασιν κατὰ τὸ ἁπλῶς καὶ πῶς; id est *ut absoluta res a modo*. Et ante omnes illos Alexander Alexandriæ episcopus, in epistola *ad* cognominem *Alexandrum Constantinopolitanum*, Filii hypostasim *proprio modo subsistentem* appellat [g]: « Nam proprio, inquit, modo subsistentem hypostasim designavit dicens, *In principio erat Verbum*, et *Verbum erat apud Deum* [f]. » Ubi ὑπόστασιν, ut jam superius notavimus, pro ὑπάρξει, et *exstantia* sumit, quæ notio temporibus illis usitata fuit.

Usiam et hypostasim.

Huc illud Tertulliani referendum arbitror, quod frequenter apud eum legitur, *modulo alterum* esse Filium, *non numero* [1]. Vel *modulo alium ab alio* [2]. Vel *modulum derivationis* [3]; quod jam libro primo, capite quinto scripsimus. Nam modus quidam existendi significatur in Filio, quatenus *portio* quædam est,

a Idem, lib. IV *contra Eun.* Εἰ ἀγέννητον τὸν πατέρα, καὶ γεννητὸν τὸν υἱὸν εἰπών τις, τὰς οὐσίας ἐδήλωσε, τὸν τρόπον τῆς ὑπάρξεως αὐτῶν εἰπεῖν θελήσας, πῶς ἂν ἑτέρως εἰπεῖν δυνήσεται ἢ οὕτως; ὑπάρξεως οὖν τρόπος τὸ ἀγέννητον, καὶ οὐκ οὐσίας ὄνομα *.

b Justin. Resp. ad Quæst. CXXIV. Διαφορὰ δέ ἐστιν ἐν μὲν τῇ ἁγίᾳ τριάδι κατὰ τοὺς τρόπους τῆς τῶν ὑποστάσεων ὑπάρξεως.

c Maxim. apud Euthym. *in Panop.* par. II, tit. II. Lat. Ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὡς ἀληθῶς μονάδα, καὶ τριάδα καὶ λεγομένην, καὶ νοουμένην. τὸ μὲν τῷ κατ' οὐσίαν λόγῳ, τὸ δὲ, τῷ καθ' ὕπαρξιν τρόπῳ, ὅλην μονάδα τὴν αὐτὴν μεμερισμένην ταῖς ὑποστάσεσιν.

d Damasc. lib. I, cap. II. Ἕνα γὰρ θεὸν γινώσκομεν, ἐν μόναις δὲ ταῖς ἰδιότησι τῆς τε πατρότητος, καὶ τῆς υἱότητος, καὶ τῆς ἐκπορεύσεως, κατά τε τὸ αἴτιον, καὶ τὸ αἰτιατὸν, καὶ τὸ τέλειον τῆς ὑποστάσεως, ἤτοι τὸν τῆς ὑπαρξεως τρόπον, τὴν διαφορὰν ἐννοοῦμεν.

e Damasc. lib. I, cap. XIII. Ἅ τινα οὐκ οὐσίας εἰσὶ δηλωτικὰ, ἀλλὰ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως, καὶ τοῦ τῆς ὑπάρξεως τρόπου.

f Idem, lib. *de Duab. volunt.* Ὁ δὲ τρόπος τῆς ὑπάρξεως, καὶ ἡ ὑποτετμημένη, καὶ ἰδιοσύστατος ὑπόστασις.

g Alexand. apud Theodor. lib. I, cap. III. Τὴν γὰρ ἰδιότροπον αὐτοῦ ὑπόστασιν ἐδήλωσαν εἰπών· ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν.

* Dubiæ auctoritatis esse IV *adv. Eun.* libr. jam monuimus. J.-B. F.

1 Ter. in *Apol.* cap. XXI. — 2 Tert. *cont. Max.* cap. IX. — 3 Ibid. cap. XIX.

non *plenitudo divinitatis*; ut ille falso credidit. Unde *moduli* vox tantummodo Filio tribuitur ab eodem, non Patri. Quippe *modulus* delibatum aliquid, ut ita dixerim, e pleno, ex ejus mente significat. Quasi aliud sit τὸ ἁπλῶς, *quod simpliciter dicitur*, et est *absolutum*, aliud id, quod modificatum est, ac velut restrictum. Quod non de Filio diceret, sentiretve Tertullianus, si eamdem numero, et individuam, in utroque naturam inesse crederet. Sed vide caput illud nostrum quintum primi libri hujus operis.

Vera hypostasis ratio.

VIII. Quamobrem tot antiquos, summosque theologos secuti, merito illud asseveramus, propriam hypostasis rationem in modo quodam existendi sitam esse, quo substantia singularis per se exstat, idque perfecte, ut neque hæreat in subjecto, velut accidens; neque pars si totum aliquod reipsa componens, vel ad componendum facta natura; sed per semetipsam constet, neque cum alia hypostasi unum quiddam naturale, et proprie dictum constituat.

Quod autem ad communem illam Græcorum spectat sententiam, quæ hypostases conglobatione quadam definit accidentium; quod de individuis Porphyrius, aliique confirmant; si accidentia intelligas, cujusmodi in exemplum afferre solent, quæ sunt qualitates quædam ad subjectam adhærentes substantiam; ad communem notitiam hæc illorum referenda est oratio. Sunt enim occultæ nobis et abstrusæ interiores, si quæ sunt, individuorum, vel substantiarum differentiæ; qualitates vero, et cætera proprie dicta sic accidentia in sensus incurrunt, et in propatulo versantur. Ideo nihil, præter hæc, afferre possumus, quo hypostases, earumque discrimen mutuum declaremus. Verum dupliciter accidentis vox sumi consuevit. Alterum enim est quod *physicum* vocant, idque revera est accidens, et in subjecto hæret, ut sunt ea, quæ in categorias novem vulgo tribuuntur. Alterum est, quod *metaphysicum* nominant aliqui, et universe id amplectitur, quod est extra rei substantiam, vel essentiam, ideoque accidit ei, et adventitium censetur, sive reipsa, proprieque sit accidens, sive substantia, vel *substantiale*, ut loquuntur quippiam. Talis est *exstantia* rei, et ὕπαρξις, qua substantiæ in rerum natura sunt, et existunt, postquam e causarum sinu, ac potentia sunt emersæ; tum etiam τρόπος ille τῆς ὑπάρξεως, *existendi modus* perfectæ proprius substantiæ, et ejusmodi eam faciens, qui ab substantia divelli potest; ut in humana Christi substantia usuvenit, quæ modo illo caret proprio, et alieno fulcitur. Itaque accidit illi, et accidens dicitur, non prioris generis, sed posterioris.

IX. Hunc igitur per sese consistendi modum, propriam esse differentiam hypostasis, χαρακτηριστικὴν ἰδιότετα, quæ illam ab οὐσίᾳ discernit, tum ex iisdem illis Græcis scriptoribus conficitur, qui *proprietates*, hoc est ἰδιότητας, sive ἰδιώματα ὑποστατικὰ vocant τρόπους τῆς ὑπάρξεως. ut jam ostendimus, tum ex Joannis Damasceni disertis ad hanc rem testimoniis. Hic in libro primo, hypostases creatas communis naturæ ait esse participes, nec in se invicem esse, sed proprietatibus differre plurimis, loco, tempore, sententia, robore, forma seu figura, et reliquis, quibus discernuntur, propriis notis: « Maxime autem, inquit, omnium eo ipso, quod non in se invicem, sed separatim existunt [a]. » Itaque præter accidentia, quibus, velut signis, personas dignoscimus, habent hoc eædem, ut separatim subsistant, et conjunctionem personæ alterius excludant. Quod ipsum aliud nihil est, nisi modus quidam existendi, ab conglobatione illa qualitatum, et accidentium diversus. Qui quidem modus in creatis substantiis communionem excludit etiam individuæ substantiæ; in divina vero, nonnisi personæ. Quare in libro tertio, capite sexto, hypostasim generali descriptione ita designat, ut divinis perinde, ut creatis, accommodari possit. Postquam enim tritum illud Græcorum usu tradidit, hypostases non φύσει, hoc est *natura* differre, sed numero, et accidentibus adeo, ut ὑπόστασις definiatur οὐσία μετὰ συμβεβηκότων, *substantia cum accidentibus*, adjungit statim; « Quare hypostasis, quod commune est, habet cum proprio: tum hoc etiam obtinet, ut existat per sese. Usia vero per se neutiquam subsistit, sed in hypostasibus spectatur [b]. » Per se igitur existere substantiam, idem est, ac per se subsistere, et hoc modo ab eadem substantia hypostasis differt.

Characteristicam. proprietatem.

Idiomata hypostatica. modos, exstantiæ.

Hypostasis.

X. Pertinet ad perfectæ illius substantiæ, sive hypostasis pleniorem colligendam notitiam, genus alterum cum ea contendere im-

a Damasc. lib. I, cap. II. Πλέον δὲ πάντων τῷ μὴ ἐκ ἀλλήλαις, ἀλλὰ κεχωρισμένως εἶναι.

b Damasc. lib III, cap VI. Ὥστε τὸ κοινὸν μετὰ τοῦ ἰδιάζοντος ἔχει ἡ ὑπόστασις, καὶ τὸ καθ' ἑαυτὴν ὑπάρξαι. ἡ οὐσία δὲ καθ' ἑαυτὴν οὐχ ὑφίσταται, ἀλλ' ἐν ταῖς ὑποστάσεσι θεωρεῖται.

Anhypostatus. Enhypostatus. Hypostasim. Ens. Anhypostatum. Enhypostatum. Anhypostatum.

perfectæ, minimeque completæ substantiæ; quæ tum ἀνυπόστατος, tum contrario nomine ἐνυπόστατος appellari solet. Supra, cum de hypostasis vocabulo verba faceremus, observabamus ὑπόστασιν interdum dici de eo quod est reipsa non specie tenus, et adumbrate, sed solidam habet exstantiam, ut sic idem ac τὸ ὄν; alias pro eo sumi, quod est per sese, perfecteque subsistit. Totidem modis usurpari demonstravimus ambo illa nomina ἀνυπόστατον, et ἐνυπόστατον. Nam τὸ ἀνυπόστατον id significat primo, quod vere non exstat, sive accidentis in genere, sive substantiæ; deinde id, quod perfecte non subsistit, sed in altero, et cum altero, ut pars quælibet totius substantiæ. Dionysius Alexandrinus, aliique episcopi in epistola *ad Paulum Samosatenum*, « Ratio hominis, et sapientia, et potestas ac forma, partes sunt unius hominis, per se non subsistentes; sed unaquæque earum non est homo, neque filius hominis. Sic igitur et forma Dei, et Verbum ejus esse non potest homo perfectus, id est persona; forma autem Dei, et Verbum cum ipso Deus, et Filius Dei subsistens est Verbum Patris [a]. » Hic τὸ ἀνυπόστατον vocat, quod non est αὐτοτελὲς πρόσωπον, ut ex eodem supra diximus, hoc est *persona per se perfecte subsistens*; hanc vero ἐνυπόστατον etiam appellat. Quod cum Paulus calumniari instituisset, qui et humanam Christi naturam ἐνυπόστατον, sive ὑπόστασιν esse volebat[1]; contradicit illi Dionysius, et utrumque dici de homine, qui est in Christo, non patitur. Cyrillus Alexandrinus *in Commentariis in Joannem*, « Ipse est enim, inquit, vivens et subsistens consilium, et voluntas genitoris. » Tum paucis interpositis, « Quoniam ipse Deus est, et Verbum, et sapientia Dei, et Patris, quæ in ipso sunt, eloquitur. Et quia non caret propria subsistentia, sicut humanum verbum, sed substantivum est, et vivens, tanquam propriam habens in Patre, et cum Patre exstantiam [b]. » Vides ut ἀνυπόστατον id vocet, quod non per se absolute subsistit, cui τὸ ἐνυπόστατον opponit, quod idem et ἐνούσιον nominant.

Anhypostaton. Enhypostaton. Enusion.

Anhyposta-tum. Enhyposta-tum. Enhypostatam sive hypostasim.

XI. Joannes item Damascenus in *Dialectica*, cap. XXIX τὸ ἀνυπόστατον et ἐνυπόστατον bifariam sumi asserit. Nam et ἐνυπόστατον id vocari, quod est simpliciter in rerum natura, sive substantia sit, sive accidens; tum quod per se subsistit, et hypostasis, sive individuum dicitur. Similiter etiam τὸ ἀνυπόστατον idem esse primo ac nihil, vel quod non est; secundo esse accidens, quod non subsistit per se. Quæ repetit in capite XLIV. Ut autem ὕπαρξις idem fere significat, quod ὑπόστασις, sic τὸ ἀνύπαρκτον itidem usurpatur ut τὸ ἀνυπόστατον. Itaque Basilius Ancyranus apud Epiphanium τὸ ἀνυπόστατον vocat id, quod existit quidem, sed non perfecte, neque est ὑπόστασις, aut οὐσία. « Coacti sunt, inquit, Patres, qui Paulum Samosatenum ob talem hæresim condemnarunt, ut ostenderent, Filium hypostasim habere, et existentem esse, et ejusmodi, qui sit, non autem dictionem aliquam usiam vocare Filium, ut hoc usiæ nomine differentiam ejus, quod per se non existit, et existit, exprimerent. Etenim dictio per semetipsam non existit, et non potest esse Filius Dei; alioqui multi erunt filii Dei. Nam Pater multa, omnium confessione, Filio locutus est [c]. » In his verbum οὐσίαν pro ὑποστάσει Basilius Ancyranus usurpat; quemadmodum Cyrillus paulo ante citatus, ἐνούσιον pro eo, quod est ἐνυπόστατον. Ne quis ad Semiarianam hæresim respiciens, cujus fuit Basilius antistes, putet id suo quodam jure fecisse, ut nullum inter οὐσίαν, et ὑπόστασιν discrimen poneret.

Anhypostaton. Exstantia. Hypostasis.

XII. Quamobrem veteres τὸ ἐνυπόστατον pro substantia per se exstante, sive hypostasi plerumque dixerunt. Ac Dionysius Alexandrinus ἐνυπόστατον Christum, et ἐνυπόστατον πνεῦμα nominat, hoc est hypostases, et personas.

Enhypostaton.

a Dion. Alex. Λόγος γὰρ ἀνθρώπου, καὶ σωφία, καὶ δύναμις, καὶ μορφὴ ἀνυπάστατα μέρη τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου θεωρεῖται· ἀλλ' οὐκ ἄνθρωπος ἕκαστον τῶν εἰρημένων, οὔτε υἱὸς ἀνθρώπου· οὕτως ἄρα ὅτι καὶ ἡ μορφὴ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ἄνθρωπος εἶναι οὐ δύναται αὐτοτελὴς, ἤγουν πρόσωπον· ἡ δὲ μορφὴ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ λόγος μετ' αὐτοῦ Θεὸς, καὶ υἱὸς Θεοῦ, ἐνυπόστατος λόγος ἐστὶ τοῦ πατρός.

b Cyril. lib. V *in Joan.* cap. III. Αὐτὸς γάρ ἐστιν, ἡ ζῶσα, καὶ ἐνυπόστατος βουλή τε, καὶ θέλησις τοῦ γεννήσαντος αὐτόν, etc. Mox : Ἐπείπερ ἐστὶν αὐτὸς Θεὸς, καὶ λόγος, καὶ σοφία τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς, τὰ ἐν αὐτῷ διαλέγεται. καὶ ἐπείπερ ἐστὶν οὐκ ἀνυπόστατος, ὥσπερ ὁ ἀνθρώπινος, ἀλλ' ἐνουσίος τε, καὶ ζῶν, ὡς ἰδίαν ἔχων ἐν πατρὶ καὶ κατὰ πατρὸς τὴν ὕπαρξιν, etc.

c Basil. Ancyr. apud Epiph. hær. LXXIII, num. 12. Ἠναγκάσθησαν οἱ πατέρες οἱ κρίναντες Παῦλον τὸν Σαμοσατέα, ἐπὶ τῷ τοιούτῳ ἐρωτισμῷ (Cor. αἱρετισμῷ) ἵνα δείξωσιν ὅτι ὁ υἱὸς ὑπόστασιν ἔχει, καὶ ὑπάρχων ἐστὶ, καὶ ὤν ἐστι, οὐχὶ δὲ ῥῆμά ἐστιν, οὐσίαν εἰπεῖν, καὶ τὸν υἱὸν, τὴν διαφορὰν τοῦ τε καθ' ἑαυτὸν ἀνυπάρκτου, καὶ τοῦ ὑπάρχοντος τῷ τῆς οὐσίας ὀνόματι ὑποδεικνύντες. τὸ μὲν γὰρ ῥῆμα καθ' ἑαυτὸ ἀνύπαρκτόν ἐστι, καὶ οὐ δύναται εἶναι υἱὸς Θεοῦ. ἐπει πολλοί γε οὕτως ἔσονται υἱοὶ Θεοῦ. πολλὰ γὰρ ὁ πατὴρ ὁμολογεῖται λαλῶν τῷ υἱῷ, etc.

1 In Propos. III Pauli et Resp. Lion. Vide et Prop. ac resp. VII.

Tum episcopi, qui in Antiochena synodo Paulum Samosatenum damnarunt, in epistola ad hunc scripta dicunt, Patrem « genuisse Filium tanquam viventem efficientiam, et subsistentem, efficientem omnia in omnibus[a].» Chrysostomus homilia secunda in epistolam *ad Hebræos* verba illa declarans, *Figura substantiæ ejus*, ita scribit, « Sicut Pater est subsistens, et ad subsistendum nullius indiget, ita et Filius[b]. »

Essentiale, hypostaticum, enhypostaticum.

Cyrillus quoque Alexandrinus in libro *Thesauri* octavo, οὐσιῶδες, ὑποστατικὸν, ἐνυπόστατον, ἐνούσιον promiscue sumpsit pro eo, quod per se subsistit, et propriam habet hypostasim, dum adversus hæreticos ostendit Filium distinctam esse hypostasim a Patre; atque illis omnibus opponit τὸ ἀνυμόστατον. Interdum tamen τὸ ἐνυπόστατον ab hypostasi discernitur, idque significat «*proprie*, quod non per se consistit, nec est tamen accidens, sed in hypostasi consideratur. Velut species, sive natura hominum, in hypostasi propria minime spectatur, sed in Petro, et Paulo, ac cæteris hominum hypostasibus, ait Joannes Damascenus. Item illud, quod cum alio essentia differente ad totius alicujus productionem componitur, et unam efficit compositam hypostasim. Velut homo ex anima et corpore compositus est, ac anima sola dicitur hypostasis, neque corpus, sed enhypostata. Quod autem ex ambobus perficitur, hypostasis amborum dicitur. Hypostasis enim proprie id, quod per seipsum privatim consistens subsistit, et est, et dicitur[c]. » Addit et enhypostaton appellari etiam naturam, quæ ab altera sic assumpta est, ut in ea exstantiam habeat, neque puncto ullo temporis per se substiterit, ut humana in Christo natura, quæ proinde non est ὑπόστασις, sed ἐνυπόστατον; hujus autem hypostasis est Deus Verbum. Hæc Damascenus, ex quibus hypostaseos ratio, et natura perspicue constat, quæ in modo illo per se, ac separatim existendi posita est. Leontius Byzantinus in libro *adversus Nestorium* [1] *et Eutychem;* « Non est idem, ait, hypostasis, et enhypostaton, id est, quod est in subsistente: sicut aliud est substantia, et aliud esse in substantia. Siquidem hypostasis aliquem unum declarat; esse autem enhypostaton declarat substantiam, sed non aliquem unum: et hypostasis quidem personam definit proprietatibus designantibus; enhypostaton vero significat, non esse accidens, quod in alio habet, ut sit, et non in se cernitur. »

Anhypostaticum.

Enhypostaticum vocat hypostaticum.

Theodorus Abucara opusculo secundo, et vicesimo nono τὸ ἐνυπόστατον vocat ὑποστατικὸν, idque ejusmodi esse dicit, quod aliud perficit, ut corpus est ὑποστατικὸν hominis. « Habent autem commune hoc ambo illa, inquit idem opusculo XXIX, ut componantur ex natura, et proprietatibus; differunt tamen, quia hypostasis non est pars alicujus, hypostaticum vero pars est. Verbi gratia, Petrus non est pars alicujus, quare hypostasis est, corpus autem Petri pars est, quare hypostaticum, et non hypostasis est corpus Petri, quamvis natura est cum proprietatibus. Sed non satis est compositam esse naturam cum proprietatibus ad productionem hypostasis; sed oportet concurrere ad hoc, ut et pars non sit[d].» Anastasius Sinaita in libro, qui inscribitur ὁδηγὸς, id est, *Viæ dux*, ἐνυπόστατον eodem modo explicat, et addit, proprietates personarum divinarum esse ἐνυπόστατα, non hypostases, quatenus videlicet cogitatione nostra, et ratione divelluntur ab essentia. Jure id quidem. Nam hypostasis quælibet ex natura, et proprietate suo modo componitur, et hæc illam perficit, quod τοῦ ἐνυποστάτου proprium est. Maximus quoque in *Definitionibus*, quæ intra opuscula tredecim

Enhypostatum.

Enhypostata

a Synod. Antioch. Γεννήσαντος μὲν τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν, ὡς ζῶσαν ἐνέργειαν, καὶ ἐνυπόστατον ἐνεργοῦντα τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.

b CHRYS. Hom. II in epist. *ad Hebr*. Ὥσπερ ἐστὶν ὁ πατὴρ ἐνυπόστατος, καὶ πρὸς ὑπόστασιν οὐδενὸς δεόμενος, οὕτω καὶ ὁ υἱός.

c DAMASC. *Dialect*. cap. XLIV. Κυρίως δὲ ἐνυπόστατόν ἐστιν τὸ καθ' ἑαυτὸ μὲν μὴ ὑφιστάμενον, ἀλλ' ἐν ταῖς ὑποστάσεσι θεωρούμενον. ὥσπερ τὸ εἶδος, ἤγουν ἡ φύσις τῶν ἀνθρώπων, ἐν ἰδίᾳ ὑποστάσει οὐ θεωρεῖται, ἀλλ' ἐν Πέτρῳ, καὶ Παύλῳ, καὶ ταῖς λοιπαῖς τῶν ἀνθρώπων ὑποστάσεσιν· ἢ τὸ σὺν ἄλλῳ διαφόρῳ κατὰ τὴν οὐσίαν εἰς ὅλου τινὸς γένεσιν συντιθέμενον, καὶ μίαν ἀποτελοῦν ὑπόστασιν σύνθετον· οἷον ὁ ἄνθρωπος ἐκ ψυχῆς ἐστι, καὶ σώματος συντεθειμένος· καὶ οὔτε ἡ ψυχὴ μόνη λέγεται ὑποστάσις, οὔτε τὸ σῶμα, ἀλλ' ἐνυπόστατα. ὑπόστασις γὰρ κυρίως τὸ καθ' ἑαυτὸν, ἰδιοσυστάτως ὑφιστάμενόν ἐστί τε, καὶ λέγεται.

d ABUCARA. Καὶ κοινὸν ἀμφοτέρων ἐστὶ τὸ συγκεῖσθαι ἐκ φύσεως, καὶ ἰδιωμάτων. διαφέρουσι δὲ, ὅτι ἡ μὲν ὑπόστασις οὐκ ἔστι μέρος τινός· ὥστε ὑπόστασίς ἐστι· τὸ δὲ σῶμα τοῦ Πέτρου μέρος ἐστι· Πέτρου γάρ ἐστιν· ὥστε ὑποστατικὸν καὶ οὐχ ὑπόστασίς ἐστι τὸ σῶμα τοῦ Πέτρου. καί τοι φύσις ἐστι μετὰ ἰδιωμάτων. ἀλλ' οὐκ ἀρκεῖ τὸ συγκεῖσθαι τὴν φύσιν τοῖς ἰδιώμασιν εἰς γένησιν ὑποστάσεως, ἀλλὰ δεῖ συνδραμεῖν εἰς τοῦτο καὶ τὸ μὴ εἶναι μέρος.

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum*, col. 960. — 2 Anast. in Ὁδηγῷ.

contra Monothelitas editæ sunt, similia tradidit de hypostasi, et enhypostato.

Denique Psellus in *Politicis* versibus, quæ de hoc vocabulo dicta sunt, ita perstringit :

Τὸ δέ γε ἐνυπόστατον πολυσήμαντον ἄναξ.
Ἔστι γὰρ ἐνυπόστατον τὸ ἀληθὲς ὑπάρχον.
Καὶ αὖθις ἐνυπόστατον τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας,
Ἤγουν τὸ εἶδος, δέσποτα, τὸ ἐπὶ τοῖς ἀτόμοις
Πραγματικῶς ὑφεστηκὸς, οὐ ψιλῇ ἐπινοίᾳ.
Ἔστι δὲ ἐνυπόστατον, οὗ πλέον φροντιστέον,
Ὅπερ ἐστὶ συγκείμενον μετ' ἄλλου διαφόρου
Κατὰ οὐσίαν, δέσποτα, εἰς σύστασιν προσώπου
Ἑνὸς, καὶ ὑποστάσεως μιᾶς γένεσιν, ἄναξ.
Ὑπόστασις δὲ πέφυκε κυριολογουμένη
Πρᾶγμα ἰδιοσύστατον, ἓν μᾶλλον πρόσωπόν τε.

« Enhypostaton vero multa significat, o Rex!
Est enim enhypostaton, quod verum est.
Et rursus enhypostaton commune substantiæ,
Videlicet species, Domine! in individuis
Reipsa subsistens, non simplici cogitatione.
Est et enhypostaton, quod amplius curandum,
Quod est compositum cum alio differente
Secundum essentiam, Domine! ad constituendam personam
Unam, et hypostasis unius productionem, o Rex!
Hypostasis vero natura sua est, si proprie sumatur,
Res per se consistens, et una magis persona.»

Rusticus Diaconus in *Disputatione contra Acephalos*[1] τὸ ἐνυπόστατον illo modo sumptum *substantivam rem* appellare videtur, eamque distinguit a substantia. Ac denique « substantivum quidem esse Christum ait, non tamen unam substantiam. Unam siquidem personam dicimus substantivam, sicut si aliquis, verbi gratia, dicat, hunc mundum non esse insubstantivum ; non tamen ex hoc ejus unam cogeretur affirmare substantiam. » Quæ τοῦ ἐνυποστάτου notio in priorem e duabus supra commemoratis incidit, ut id absolute significet, quod utcumque subsistit, sive in una, sive in pluribus substantiis, hoc est naturis ; adeoque sit idem, quod hypostasis. *Enhypostaton.*

1 Tom. IV *Bibl. Patrum.* col. 825.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

LIBRORUM AC CAPITUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER NONUS

DE DEO QUI EST PRIMUS DE PRÆDESTINATIONE.

Caput I. Quid vox prædestinationis significet, ac destinationis : tum præscientiæ ; et quid invicem distent. Prædestinatio tam in bonum, quam in malum dicitur ; sæpe tamen in bonam partem. Ad hanc pertinere illa quoque, quæ pendent ab libera hominum voluntate. Damasceni locus contrarius explicatur. Prædestinationem non tantum esse gratiæ, et mediorum, sed etiam finis ; quæ est æterna felicitas, contra quam recentiores aliqui theologi sentiunt. Itaque prædestinatio cum electione promiscue habetur : etsi nonnihil differant. 5

Caput II. Quid de electione divina, vel prædestinatione senserint antiqui, ac primum hæretici, vel a communi sensu catholicorum abhorrentes, Valentiniani, Prædestinatiani ; horum hæresim certam fuisse. De Semipelagianorum opinione circa prædestinationem. De eadem, sententia Catharini. 11

Caput III. Quid de eadem electione, vel prædestinatione Græci præsertim Patres docuerunt, Irenæus, Origenes, Chrysostomus, etc. Refelluntur qui putant illos de vocatione tantum ad primam gratiam loqui : ac docetur, eos prædestinationem ad gloriam ex meritorum prævisione statuisse. 16

Caput IV. Exponuntur regulæ quædam, ex quibus veterum dicta probabiliter interpretari licet, quæ gratiam tribui ex meritis affirmare videntur ; et a Pelagiana labe illos defendere adversus recentiorum quorumdam sententiam. Plerumque Patres gratiæ nomine externam vocationem, ac statum significare ; quomodo Deus in danda gratia voluntates hominum respiciat. Interdum eam gratiam Patres intelligere, quæ perfectior sit, non inchoata. Alias salutis initia nominare salutem. 23

Caput V. Explicatur usus regularum antecedenti traditarum capite, et ostenditur, Græcos Patres a Pelagiano errore alienos fuisse, nec fidem primamve gratiam humanis attribuisse viribus. Irenæus, et Chrysostomus exponuntur. Refutatur opinio illa, quæ Patres eosdem asserit, prædestinationem non ex meritis, sed ex sola Dei voluntate definisse ; ac de præscientia practica interpretandos esse. 27

Caput VI. Demonstratur ex Augustini sententia, electionem ad gloriam, sive prædestinationem ex nullis prævisis a Deo meritis fieri : sed ex gratuita voluntate : ad idque octo ex ejusdem scriptis argumenta promuntur. 33

Caput VII. Pergitur in eadem probanda Augustini sententia : cujus ex scriptis argumenta quatuor alia proferuntur ; præsertim vero ex perseverantiæ dono, quod ex dandæ salutis proposito tribuitur, tum ex Christi prædestinatione, quæ prædestinationis hominum est imago, ac typus. 39

Caput VIII. Afferuntur alia ex Augustino eodem argumenta, quibus ostenditur prædestinationis ab eo decretum ex nullis electorum meritis a Deo manasse. 44

Caput IX. De reprobatione, qua non solum in massa perditionis relinquuntur aliqui, sed etiam destinantur ad pœnam æternamque damnationem, quid senserit Augustinus. Ac docetur ex nullis propriis meritis, sed ob solum originale peccatum absolute reprobari homines censuisse : tametsi ratio et quantitas supplicii in adultis ex propriorum delictorum modulo constituatur. Ex quo duodecimum et validissimum argumentum de prædestinatione sine meritis efficitur. 49

Caput X. Exponitur aliud argumentum Augustini, quo reprobationem, ut et prædestinationem ad gloriam, nullo ex propriorum intuitu meritorum fieri probat : quod a parvulis petitur. Hos, propter originale peccatum, non privari solum Dei conspectu ; sed etiam cruciari, cremarique, sensisse tum Augustinum, tum alios Patres. Explicatur ejusdem sententia, in qua dubitat, an melius esset parvulis sine baptismo mortuis, non natis esse. In Florentino concilio decretum esse, parvulos pœnas sentire. 53

Caput XI. Ex superioris capitis doctrina refutatur quorumdam error, qui parvulis sine baptismo nescio quam felicitatem promittit. Pelagianos itidem docuisse de naturali quodam statu beatitudinis : Gersonis, Bielis, Cajetani, et aliorum commentum de illorum salute refellitur. Nec non Calvini, et similium asserentium, illos in utero sanctificari. 59

Caput XII. Exponitur accuratius Augustini sententia de prædestinatione ; ex qua docetur, æternam gloriam non præcise, sed ut merces est bonorum operum, a Deo destinari ; tum eidem prædestinationi gratiam perinde subjici,

atque gloriam. De duplici electionis genere ex Augustino. 62

Caput XIII. Expenduntur alia Augustini testimonia quæ ab nonnullis perperam, et aliena ab illius mente interpretatione solent accipi. 66

Caput XIV. Expenduntur Augustini loca quædam, ex quibus, electionem ad gloriam fieri propter merita prævisa, nonnulli adstruunt; præsertim locus ex libro ad Simplicianum primo; ubi iterum de duplici electione agitur. 72

Caput XV. Quæ adversus explicatam hactenus Augustini sententiam objici solent, ex ejusdem doctrina refelluntur. Quomodo reprobis a Deo gratia detur, sine voluntate salutis dandæ, ex illius mente: quod apposito exemplo declaratur. Nullam antecedentem necessitatem ex Augustini opinione colligi 79

Caput XVI. De prædestinatione, ac reprobatione, Latinorum Patrum ac cæterorum doctrina traditur, tam qui Augustino priores fuerunt, quam qui eum secuti sunt: quorum variant sententiæ. Joannis Scoti, et Gothescalci Monachi opiniones. 82

LIBER DECIMUS

QUI EST DE PRÆDESTINATIONE SECUNDUS.

Caput I. Retractatur Augustini sententia de Prædestinatione et reprobatione, superiore libro declarata. Ea ad fidem minime pertinet. Ideo in eam inquiritur. Quæ sint illius firmamenta. Apostolum in epistola ad Romanos, de vocatione duntaxat ad Evangelium, et prædestinatione ad fidem, non ad salutem agere. Massam esse aliquam ad exitium damnatam; ex qua fiat quorumdam electio, aliorum reprobatio, non posse ex Apostolo, aut e Scripturis aliunde colligi. 89

Caput II. Ostenditur e Scripturis, electionem ad gloriam, et reprobationem a Deo fieri ex præscientia meritorum cujusque. Duo fontes operum providentiæ, divina misericordia, et justitia, eorumque proprietates. Compensationem bonorum operum ex meritis fieri e sacris Litteris probatur. 98

Caput III. Constituuntur e Scripturis certa capita verioris de prædestinatione, ac reprobatione sententiæ. Ac primum ostenditur, Deum omnes velle salvos facere antecedente voluntate, et quidem efficaci, sed conditionata. Illustratur Apostoli locus ex priore ad Timotheum; ejusque variæ interpretationes expenduntur. Deum omnes homines diligere, odisse neminem: ex quo prius illud de gratia omnibus oblata concluditur. Nullam esse reprobationem, quam vocant mere negativam. Amorem et odium Dei intelligendum de præsenti hominum statu. Non posse baptizatos, propter massæ vitium, et peccatum originale, reprobari. 103

Caput IV. Expenditur adversariorum calumnia, qui ita Pauli locum illum, in quo *Deum omnes velle salvos fieri* dicit, contra communem sententiam detorquent, ut huic Pelagianam maculam aspergant. Demonstratur veteres plerosque Græcos et Latinos istam Pauli sententiam sic interpretari, ut omnes salvos esse velit Deus, etiam illos, qui minime salvantur; præsertim Hieronymum, et Ambrosium. De auctore Commentariorum in Paulum, quibus inscriptus est Ambrosius. Augustinum ipsum alicubi in eadem esse sententia; ut et Prosperum, nec non Damascenum. 107

Caput V. Explicatur illa quæstio, utrum Christus pro solis prædestinatis passus fuerit. Ostenditur ex antiquis Patribus, etiam pro reprobis esse passum; et quatenus etiam pro iis, qui antea mortui erant. 113

Caput VI. Calvini de prædestinatione, ac reprobatione sententiam eamdem cum Augustiniana falso a plerisque jactari. Quod antequam probatur, accurate Calviniana prius exponitur. Calvinum existimasse, Deum sola sua voluntate, sine ulla prævisione peccati, certos homines ad damnationem ordinasse, et ad peccatum incitare: imo necessitate compellere. 119

Caput VII. Augustini de prædestinatione, ac reprobatione sententia cum Calviniana comparatur; et ab ea differre plurimum ostenditur. Augustinum reprobari neminem putasse, nisi præviso Adami peccato, in quo ab Calvino discrepat. Eumdem sensisse, neminem damnari posse sine peccato; alioqui injustum fore. 123

Caput VIII. Capita cætera, in quibus ab Augustini sensu Calvini sententia discrepat. Veluti quod Deum peccati auctorem faciat; quam esse Calvini sententiam, planeque ac diserte ab eo traditum, ostenditur. Ridicula ejusdam effugia. Deum ab illo non bene a peccato vindicari. Huic contrarium Augustini dogma proponitur, et illustratur. Quo sensu voluntates in malum excitari, inclinarive scripserit: Longe diverso id modo Calvini blasphemia ex illius opinione fieri. 126

Caput IX. Calvini nefaria dogmata duo: alterum, fidem et justitiam reprobis nunquam a Deo tribui; alterum, in electis nunquam ne ad breve quidem tempus. Quibus contrarium esse Augustinum probatur. Gregorius Papa temere notatus a Calvino defenditur. Horrendæ blasphemiæ ex doctrina Calvini colliguntur.

Caput X. Calvini tergiversatio, et κρύψες in proferendo suo dogmate de reprobatione. Deum ab illo fingi tyrannico more in insontes sævire; Joannes Piscator, et Beza aperte Calvinianam blasphemiam propugnant. 134

Caput XI. Calvini, ac Bezæ sententiam de reprobatione, consensu omnium fere illius sectæ rejectam, ac damnatam fuisse, ex Actis Dordrechtani conventus ostenditur; novissime item ab ministro quodam, qui Calviniani de reprobatione decreti patrocinium sumpsit. Cujus prævaricatio, et ficta Calvini defensio detegitur; et ostenditur, Arminii ab eo sectam, et dogma propugnari, quam se impugnare simulat. Quod ex Actis Dordracenis probatur, ac Protestantium omnium Calviani nominis sententiis. 139

Caput XII. Calvinianæ opinionis flagitia, ejusque patroni prævaricatio certis rationibus patefacta, et convicta, Novitatis imprimis arcessitur, et quidem profanæ, et impiæ. Tum fatalem ex ea sequi necessitatem. Stoicorum fatum tolerabilius esse Calvini dogmate. De necessitate imperite quædam a Calvini patrono jacta. Item de voluntate dicta quædam intricate, et absurde. Ejusdem de Calvino mendacium. Scripturis adversari eamdem illam sententiam. 146

Caput XIII. Calvinianæ reprobationis dogma Dei naturæ, ac sanctitati repugnare, contra ejus defensorem probatur. Calvinum contraria invicem scripsisse; neque ideo excusari merito debere. Ex illius doctrina consequens esse, Deum peccati auctorem esse magis, quam aut reprobum, aut diabolum. Adamum non libera voluntate sua, sed necessitate impulsum ad peccandum ex Calvini sententia. Calviniani defensoris falsa, et imperita de necessitate disputatio. Duplex necessitas explicatur, absoluta, et conditionata. 151

CAPUT XIV. Calvinianum de reprobatione decretum pugnare cum Dei justitia. Calvini patronum ministrum nequiter dissimulare, aut nescire, quæ sit magistri sui opinio. 154

CAPUT XV. Calvini de reprobatione sententiam simulationem affingere Deo, ac sinceritatem adimere : qui quod se velle et ardenter cupere demonstrat, nolit absolute Deum omnes homines serio ad salutem invitare, et quantum in se est, adjuvare, oblata etiam interiore gratia. Ex quo idolum Calvini refellitur, quod histrionis more ludit, et mentitur. Reprobationis Calvinianæ patronus erroris, et inscitiæ, vel imposturæ convincitur. Demonstratur iterum, ex Calvini sententia, Deum absoluto, et antecedente decreto reprobos ad æternum interitum destinare, nulla eorum prævisa culpa propria, vel originali, sed ostentandæ severitatis gratia. Tum illos ad peccatum, et damnationem necessitate propellere. Patroni inscitia, qui, contra quam ille sentit, ac scribit, reprobos ex meritis suis destinari ad exitium asserit. Legem nullam æquam esse, vel obligare, quæ sit impossibilis ; cujusmodi ex mente Calvinianorum est a Deo lata. 157

CAPUT XVI. Tridentini concilii decreta de gratia contra Calvinum, ejusque fautores illustrantur, ac propugnantur. Gratiam sufficientem, et efficacem recte ab illo constituram ; quæ divisio non est generis in species ; sed speciei secundum accidentia. Refelluntur qui nullam, nisi reipsa, et actu efficientem esse Christi gratiam putant. Augustinus, quo auctore nituntur, exponitur. Quibus de causis ille, cum de gratia loquitur, cum eo conjungat effectum. Facultates, et habitus sæpe per actiones exprimi, ac definiri. Gratiam ab Augustino in possibilitate constitui. Eumdem, cum de gratia loquitur, eam, quæ electorum propria est, in exemplum assumere, nec tamen sequi, quod Calvinus asserit, nullam in reprobis inesse gratiam. Et regulæ quædam ad Augustinum intelligendum utiles explicantur. 164

CAPUT XVII. Ostenditur ex locis aliquot Augustini hunc, cum de gratia loquitur, ad eam respexisse, quæ est propria Prædestinatorum. De adjutorio *sine quo* non fit, et *quo* fit ; quid utrumque sit ex Augustini sententia. Quid sit possibilitas bene agendi apud Augustinum, et in quo consistat. Cujusmodi Pelagiani eam statuerint. Explicatur Apostoli locus contra Calvinum, in quo gratia nobiscum operari dicitur. Catholicos a Calvini sectariis Pelagianismi perperam insimulari. Causa, et potestas agendi per actionis verba sæpe definitur. Quomodo possibilitas boni a gratia tribuatur, eaque diligenter exponitur. Libertatis status ab Augustino constituitur. 175

CAPUT XVIII. Refellitur Calvini fautorum argumentum, quod ex Semipelagiana opinione colligunt, nullam esse gratiam, nisi operis efficientem. Ostenditur nihil habere commune cum illis catholicum decretum. Explicatur Massiliensium istorum opinio, qui perperam Augustinum interpretati sunt. Adjutorium gratiæ ab catholicis, et Tridentino concilio constitutum non pertinere ad naturam. Quid a natura distet gratia : χάρις a Græcis Patribus pro eo sumitur, quod extraordinaria fit Dei potestate. Uterque status, naturæ et gratiæ, propria requirit adjumenta. Quid differat adjutorium gratiæ conveniens naturæ integræ, et lapsæ. De eo, quod *supernaturale* dicitur. Gratia apud Augustinum profluentem efficientiam significat. Necessariam esse gratiam sufficientem. Novæ legis gratia quanto sit præstantior, quam ea, quæ primo homini data est. Eodem sufficiens gratia non tantum dat, ut possimus agere, sed etiam ut agamus. 181

CAPUT XIX. Explicatur contra Calvinum, ejusque fautores, quid sit adjumentum idoneum gratiæ in Tridentina synodo constitutum, et a catholicis defensum ; et quid distet ab eo, quod reipsa est efficiens. Non esse discrimen inter ambos speciei, vel essentiæ. Gratiam, qua nonnisi sufficiens est, non esse adjumentum ; sed negationem meram. De lege, et adjumento necessario ad ejus observationem, ac divinitus dato. Hoc ex adversariorum ipsorum confessione adjunctum esse legi, cum asserant ideo dari legem, ut humiles fiant, et peccata sua cognoscant, et ad Dei opem implorandam convertantur homines. 183

CAPUT XX. Veteres, cum de gratia loquuntur, sæpe perfectam, et robustam intelligere, et ab initiali distinguere : quod ex Augustino probatur. Qua de causa lex a Deo data dicatur ab Augustino. Perfectam illam gratiam, charitatem ab eodem nominari. Eamdem merito fidei, et orationis acquiri. De præveniente et subsequente adjutorio gratiæ ex eodem disputatur. Ad charitatem referri motus omnes piæ, ac bonæ voluntatis. 194

CAPUT XXI. Idonea gratiæ adjumenta dici comparata cum statu præsente hominum, non absolute. Ea dari omnibus hominibus contra Calvinianos, et Armacanos ostenditur. Qua ratione Augustinus gratiam a lege secreverit. Illustratur Apostoli locus ex Epistola ad Romanos, in quo ambo ista confert invicem. Non in eum finem datam esse legem, ut homines magis peccarent ; neque Deum directe velle malum, ac peccatum. Quomodo lex peccatum auget, ejusque concupiscentiam. Item, qua ratione gratia, cum non sit a lege, tamen cum ea conjungitur. Tum veteres, qui sub lege fuerunt quemadmodum ad gratiam pertinuerint. 199

CAPUT XXII. De Calvinianorum dogmatistarum errore fanatico, in quo Manichæorum impietatem recoquunt asserentes legem Mosaicam malam et impiam fuisse. Pelagii opinio, regnum cœlorum veteri in lege promissum fuisse. Quid lex, et Testamentum significet ; ac variæ illorum significationes. Lex, qua lata est a Mose, proprie cum pœna consideratur ; nec tam ea ratione, qua aliquid præcipit. Ea maxime continetur in præcepto, *Non concupisces.* Quid sit esse sub lege. 207

CAPUT XXIII. Ex superiori disputatione Manichæi fautores dogmatis confutantur. Ostenditur ex eorum placitis, legem Mosaicam malam fuisse, cujus in auctorem invidia transeat. Exagitantur improbæ illorum, ac nefariæ sententiæ. Ut cum Synagogam, qua Synagoga est, congregationem fuisse dicit carnalium hominum Tum ex professo. Deum lege lata malam in hominibus accendisse cupiditatem. Contra quæ demonstratur, Synagogam, id est, Ecclesiam veterem, sanctam fuisse, ac posse eamdem importari calumniam Ecclesiæ christianæ, in qua carnales longe plures quam spirituales censentur, De qua re Cypriani locus illustris expenditur, necnon Eusebii Cæsariensis. Quo sensu carnalis iste populus dici debeat. Vetus homo quid significet ; et qua ratione figuram expresserit Synagoga Testamenti Novi. 212

CAPUT XXIV. De Mosaica lege, ac Veteri Testamento. Hujus sanctitas asseritur ex ipsis primum Scripturis tam veteribus, quam apostolicis. Circumcisionem in bonum finem a Deo præscriptam, ut et alia vetera mandata. Legem qua ratione malam appellent. Nihilominus absolute dicendam esse bonam. Ejus sanctitas ex evangelicis, et apostolicis testimoniis, ac Patrum sententiis asseveratur. Quæ in illa moralia sunt, esse perpetua, et in Novo Testamento perseverare. Quomodo Christus legem implevit,

et perfecit. Judæi an peccata cogitationis solius intellexerint. Legem nonnisi externa peccata vetuisse proprie, et directe, quod ad pœnam attinet. 219

CAPUT XXV. De fine ac scopo, quem in danda lege Deus sibi proposuit. Hunc esse maxime duplicem, quorum prior est ad cavenda peccata, nec non ad eadem cognoscenda, et iis cognitis implorandam gratiam : hoc est quod ait Apostolus, *propter transgressiones*. Quomodo ex accidenti factum est, ut lex majoris occasio peccati fuerit, Quod sic explicant Scripturæ, quasi ob id data sit, ut homines peccarent. Ex quo refellitur quorumdam falsus et impius error, nullam cum lege sufficientem ad eam servandam oblatam esse gratiam asserentium. Finis legis, qui propter transgressiones dicitur, trifariam patet. Quo sensu Scriptura dicit Deum conclusisse omnia sub peccato. 226

CAPUT XXVI. De alio fine legis ac fructu, qui in eo positus erat, id pædagogi instar esset. Quibus tirociniis Judæos imbuerit. Ea in præmiis rerum terrenarum, et pœnis sita fuisse. Quorum prius institutum ideo est, ut ne ad idola delaberentur : quem in finem et sacrificia illis imperata, cæterique ritus. Calvinianos dogmatistas, qui legem ex professo vitiosam fovisse cupiditatem adstruunt, Marcionis et Manichæi hæresim refricare. Deum spe terrenorum promissorum colere, ac diligere quatenus malum sit. Explicatur locus Apostoli, in quo dicit, legem tutoris et curatoris instar datam fuisse. Quo argumento novum illud dogmatistarum flagitium retunditur. Veterum quorumdam opinio notata, qui dixerunt Deum voluisse, solem et lunam et cætera coli ab gentilibus. Neque mentiri, nec aliud ullum peccatum licere facere majoris vitandi gratia, ex Augustini decreto. Ex quo novi dogmatis falsitas revincitur. 233

CAPUT XXVII. De animorum affectu, qui Testamenti veteris proprius fuit et proximus Mosaicæ Legis effectus, hoc est de amore Dei propter commoda terrena, vel metu pœnarum. Neutrum per se esse vitiosum, et quatenus culpabilis sit. Tum qua vitiosus est, non ex intentione legis esse talem, sed ex accidenti, et hominum culpa. Plures in antiqua lege carnales, et carnaliter Legem servantes fuisse. Error Calviniani asseclæ id Legi tribuentis, quod hominum vitio accidit. Augustini loca declarantur, quæ pro se ille perperam citavit. Ejusdem dogmatistæ falsa ratio, Synagogam, qua Synagoga est, culpæ, et infamiæ notantis. Hanc, ut et vetus Testamentum, extra culpam fuisse per se, et ex primaria institutione. Quomodo tunc ad perfectam justitiam, et qua via perducti homines. Quadruplex genus eorum, qui sub antiqua Lege, et in Synagoga vixerunt. 242

PRÆFATIO.

CAPUT PRIMUM. Trinitatis mysterium fundamentum esse christianæ professionis. Ideo de illo universe disputandum; quibus venis illius ad nos traditio pervenerit. De traditione, ejusque vi ad fidei dogmata conservanda. Aliud est δόγμα, aliud κήρυγμα. Traditionis usus duplex, tum ad propaganda fidei decreta non scripta; tum ad interpretanda scripta. Qua ratione fides Trinitatis per ætatum successiones delapsa fuerit ; ac de antiquis Patribus, qui Nicænæ synodi tempus antecesserunt, quorum aliqui non satis accurate de hoc mysterio locuti sunt. Quid in illis spectandum. 253

CAPUT II. Ostenditur primum, universe, et infinite traditionem in Ecclesia versatam esse de Trinitatis vera, et catholica fide, ex Alexandrinæ, et Antiochenæ duplicis synodi, et ex Athanasii, Basiliique testimoniis. Tum singillatim ex trium sæculorum scriptoribus, ac primum ex iis, qui primo floruerunt, Herma, sive *Pastoris* auctore, Clemente Romano, Ignatio, Polycarpo; quorum indubitatæ sententiæ proponuntur, ex quibus vera Trinitatis fides, et traditio firmatur. 260

CAPUT III. Quibus testibus ex secundo sæculo, traditionis de Trinitate perpetuitas probetur. Ea ex Justino martyre demonstratur : tum ex Irenæo, Athenagora, Theophilo Cæsariensi. Memorabilis ratio traditur; cur nonnulli antiquiores Patres de mysterio Trinitatis minus interdum accurate, castigateque locuti sint : quod eos fecisse justis de causis ostenditur. 266

CAPUT IV. De Scriptoribus tertii sæculi, qui traditioni veteri de Trinitate testimonium præbent, Hippolyto Portuensi, Clemente Alexandrino. Origene, Dionysiis, Romano et Alexandrino, Theognosto, Gregorio Thaumaturgo, Methodio. 271

CAPUT V. De Latinis scriptoribus tertii sæculi; qui traditionis antiquæ de vero Trinitatis dogmate fidem faciunt, Tertulliano, Cypriano, Novatiano, Minucio, Arnobio, Lactantio. 274

CAPUT VI. Epilogus Præfationis; in quo docetur, quemadmodum mira quadam ratione Veteres illi in eo ipso Traditionem dogmatis de Trinitate adstruunt, in quo illi adversarii videntur. Quomodo ex iis, quæ communiter omnes asserunt, certa Trinitatis professio confici possit. 277

DE TRINITATE LIBER PRIMUS.

CAPUT I. Quid de Trinitate veteres philosophi, præsertim Platonici tradiderint. Platonis mens de Deo varie ab ejus interpretibus ac discipulis accepta. 278

CAPUT II. De Trinitate quemadmodum Philo Judæus, ac Mercurius Trismegistus senserint ; hunc posteriorem supposititium videri, ac sub apostolorum tempore prodiisse. 287

CAPUT III. Exponuntur veterum quorumdam, qui ante Ariana tempora in christiana professione floruerunt, de Trinitate sententiæ ab catholica regula, saltem loquendi usu, discrepantes; ut Justini Martyris, Athenagoræ, Tatiani, Theophili, Irenæi, Clementi Romani. 291

CAPUT IV. Clementis Alexandrini, Origenis, Dionysii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Methodii, Lucinianim artyris de Trinitate sententiæ declarantur. Origenem autem de ea præsertim haud recte sensisse. 300

CAPUT V. Quid Tertullianus et Lactantius de Trinitate senserint. Mira Zenonis Veronensis de eadem, et priscis illis consentanea sententia. 309

CAPUT VI. De veteribus hæreticis, qui catholicum de Trinitate dogma contrariis oppugnarunt erroribus, maxime Patripassianis, Noeto, Sabellio, Paulo Samosateno. 318

CAPUT VII. De Ario præcipuo Trinitatis inimico; cujus, et Nicænæ contra illum synodi habitæ historia describitur. De Colluthianorum secta. Alexander Arium ejicit; ideo turbatus Oriens. Osii legatio ad pacem restituendam irrita. Tum Nicæni concilii acta. In quo neque Arius, neque alii exilio damnati. 325

CAPUT VIII. Cujusmodi mera et primigenia fuerit Arii hæresis, ac quibus infamiæ notis ab catholicis inusta sit. 328

CAPUT IX. De variis, ac dissonis fidei professionibus paucis annis ab Arianis editis, quæ intra annos circiter viginti numerantur quatuordecim; et earum accurata historia describitur. 331

CAPUT X. De multiplici Arianorum discrimine, ac præsertim meris Arianis, et Semiarianis. Explicantur hæresis istius factiones tres; tum variæ de iis auctorum sententiæ. Semiarianorum præsertim divortia declarantur. Cassiani de his error. Gennadius explicatus. De Donatistis, Priscillianistis, Apollinaristis, quatenus de Trinitate prave senserunt. 339

CAPUT XI. De nonnullis, quorum ad nomen infamia Arianæ hæresis adhæsisse videtur; ac primum de Eusebio Cæsariensi, quem Arianum fuisse contra Molinæum asseritur. 346

CAPUT XII. Expenduntur omnia, quæ ad purgandum suspicione Arianæ labis Eusebium ab antiquis, ac recentioribus, ex illius scriptis adducuntur, Semiarianarum maxime fuisse partium ostenditur. 355

CAPUT XIII. De Marcello Ancyrano, ecquid recte de Trinitate senserit. Excutiuntur illa, quæ ei Eusebius Cæsariensis objecit : tum Athanasii de eo judicia diversa. Item de Meletio, et Cyrillo Hierosolymitano. 362

CAPUT XIV. De his, qui Spiritum sanctum nominatim erroribus oppugnarunt suis. De Sadducæis, Tertulliano, Lactantio; ac de Tertulliani hæresi accurate agitur, quatenus Montani sectam amplexus est. De Simone item Mago; deque Origene, et libris *Periarchon*; quorum historia diligenter exponitur, necnon *Apologiæ* sub nomine Pamphili editæ. De Dionysii Alexandrini errore circa Spiritum sanctum; item Pierii, Eusebii, Arii. Cur, cum Ariani non minus impie de Spiritu sancto statuerent; soli Semiariani Pneumatomachi dicti sint. Epiphanii mirus de his locus, et fortasse corruptus. De synodis catholicis, quarum decreto Spiritus sancti divinitas est constituta, Alexandrina, Illyriciana, Romana sub Damaso; tum Constantinopolitana. Plerosque catholicos Spiritum sanctum Deum aperte profiteri ausos non fuisse; ac ne Constantinopolitanam quidem œcumenicam diserte Deum appellasse. 368

DE TRINITATE LIBER SECUNDUS.

PROŒMIUM. Hæreticorum argumenta adversus catholicum de Trinitate dogma, et catholicorum ad ea responsa, eorumdemque pro vera fide argumenta complectens. 381

CAPUT I. Quibus scripturæ testimoniis Arius hæresim suam munire conatus sit ; ac primum locus ille Proverb. VIII, 22 : *Dominus creavit me*, etc. proponitur; et cum variæ de eo veterum opiniones, tum vera illius sententia declaratur. De vera significatione verbi κτίζειν. 384

CAPUT II. De loco illo Joannis, *Pater major me est*, quem ex Patribus quidam de Christo, qua Dei Filius est, alii, qua homo est, intellexerunt : utraque sententia declaratur. Quo sensu verum sit, quod plerique veterum asserunt, nonnisi inter ea, quæ sunt naturæ ejusdem, comparationem fieri. Pleraque alia Patrum dogmata illustrantur. 391

CAPUT III. De quibusdam aliis Scripturæ locis, quibus abusi sunt Ariani : velut in quibus factus dicitur Christus : tum ignorasse diem judicii; de quo variæ Patrum sententiæ declarantur. Item de eo quod Christus ait, non esse suum dare regnum; quod pro nobis interpellat; quod subjectus sit Patri; quod ejus caput sit Deus; quæ omnia Scripturæ loca declarantur. 401

CAPUT IV. De aliis quibusdam Scripturæ testimoniis, quibus usi sunt Ariani; quæ ambiguitate majori ad alterutram in Christo naturam referuntur. Velut quod primogenitus dicitur omnis creaturæ; quod nihil a se potest facere; quod a Patre discit; quod Pater solus bonus, verus, etc., vocatur. 409

CAPUT V. Arianorum, et Sabellianorum argumenta præcipua, quibus catholicam de Trinitate oppugnabant fidem. Generationi divinæ nullam subesse corporum propriam labem. Nec ideo initium cepisse Filium, quod genitus sit, quod ex æterno sit, nec unquam desitura ista generatio. Utrum volens, an nolens Pater genuerit Filium. Refellitur Arianorum commentum aientium, Filium a Patre ad res creandas cæteras tanquam instrumentum esse productum. 417

CAPUT VI. Quæ contra Spiritus sancti divinitatem et ὁμοτιμίαν ab hæreticis olim objecta sunt, expenduntur, ac refelluntur. De particulis ἐν, σὺν, διὰ, ἐξ, quibus in hoc mysterio usi sunt Patres. 426

CAPUT VII. Personarum in eadem natura differentia, primum ex Veteri Testamento contra Judæos, et Sabellianos, adstruitur. Trinitatis notitiam paulatim, et per incrementa processisse. De vocabulo Elohim. Explicatur locus ille Geneseos, *Faciamus hominem*, etc., de quo variæ opiniones explicantur, partim probabiles, partim absurdæ, et inter has, Tertulliani. Expenduntur et alia loca ; eorumque vis, aut imbecillitas ad institutum probandum exponitur. 430

CAPUT VIII. Personarum in Deo distinctio, et eadem omnium natura, ac divinitas, præsertim Filii cum Patre, ex præcipuis Novi Testamenti locis approbatur. Explicatur Joannis initium : *In principio erat Verbum* : item illud : *Ego et Pater unum sumus*; deque eo cavillationes hæreticorum discussæ. Alia Scripturæ illustrata testimonia. 438

CAPUT IX. Eadem Filii æqualitas, et cum personarum differentia, naturæ unitas adstruitur ex aliis Novi Testamenti locis, quæ sparsim leguntur, tum argumentis, quæ ex illis ipsis locis efficiuntur. 446

CAPUT X. Eadem personarum varietas, et naturæ, ac divinitatis æqualitas, ac τὸ ὁμοούσιον ostenditur ex ipso usu nominum *Patris*, et *Filii*, tum *unigeniti*, ac *gignendi*, quæ passim in sacris Libris exprimuntur, et hæreticorum calumniæ refelluntur. 452

CAPUT XI. Demonstratur Filii æqualitas, et vera divinitas ex Imaginis, et similitudinis vocabulis, quæ in Scripturis illi tribuuntur; una cum Verbi notione, et Arianorum ludificationibus exclusis, vera imaginis ratio traditur. 463

CAPUT XII. Afferuntur alia e Scripturis argumenta, quibus Filii divinitas, et cum personæ diversitate, naturæ ac substantiæ unitas cum Patre defenditur. 470

CAPUT XIII. Spiritum sanctum verum esse Deum et ejusdem cum Patre et Filio majestatis ac dignitatis, primum ex iis nominibus ostenditur quæ in sacris Litteris illi tribuuntur, velut Dei, Domini, Paracleti. 482

CAPUT XIV. Eadem Spiritus sancti majestas ac divinitas ex iis rebus probatur quæ, cum Deo propriæ sint, eidem in Scripturis tribuuntur. 485

CAPUT XV. Ex efficientia et operatione Spiritui sancto in Scripturis attributa demonstratur illius divinitas. 491

DE TRINITATE LIBER TERTIUS.

PROŒMIUM. Qui Photinianorum et Ebionitarum recentium in Polonia, et unius ex iis Joannis Crellii, contra sacrosanctam Trinitatem dogmata argumentaque refellit. 501

CAPUT I. Explicandur loca quædam Scripturæ contra Filii divinitatem a Crellio proposita, in quibus Pater *solus verus Deus*, vel *unus verus Devs* appellatur; idque quo sensu dictum sit exponitur. De vetere Ecclesiæ symbolo, et aliis in quibus unus Deus vocatur Pater. Ostenditur non excludi ab hujus communione Filium. Tum alia Scripturæ loca ab eodem objecta Crellio declarantur Filius Dei cur diem ignorare se judicii dixerit. 504

CAPUT II. Alia contra Filii divinitatem ab Crellio proposita declarantur. Plures ab illo deos asseri, itidem ut gentiles faciebant. De mediatore Christo, et qua ratione hoc illi officium congruat. Naturæ in Christo duæ quæ sibi sunt propria retinent. Actiones esse suppositorum quatenus verum sit. De missione Christi. Cur a Spiritu sancto proprie non mittatur. Christum in Scripturis Deum appellari, et quidem tetragrammato et in communicabili nomine. 512

CAPUT III. Crellii argumenta varia diluuntur, quibus probat Christum a summo Deo distingui. Significatio vocabuli *Deus*. Calvini temeraria sententia de hac locutione: *Deus est ex Deo*, quam duram esse asserit. De appellatione *summi Dei*; vel *supremi;* et quatenus Christus sit summus Deus. Calvini ejusdem falsa opinio, Christum esse αὐτόθεον. De iis locis in quibus Christus nihil *a seipso* facere dicitur, vel loqui, et similibus naturas in Christo duas inesse e Scripturis colligi, et *humanam* carnis nomine designari. Explicatur locus Apostoli ex capite I *ad Romanos*, in quo duæ illæ naturæ distinguuntur. Regulæ quædam de Incarnatione, ac duabus in Christi naturis loquendi traditæ. Hypostasim Christi esse compositam, nec tamen ex partibus proprie dictis. Utramque naturam esse perfectam; et quatenus ab reliquis quæ composita sunt, compositio ista differt. 522

CAPUT IV. Confutantur alia Photinianorum argumenta, et Scripturæ loca declarantur. De ignoratione diei judicii, qua ratione in Christum cadat. Ostenditur ab eo non nesciri. De missione Filii secundum utramque naturam. Quemadmodum actiones personales dici debeant, inque eo Crellii inscita cavillatio. Explicatur locus *Hebræorum* V de Christi εὐλαβείᾳ. Calvini et Bezæ horrenda blasphemia. Quo sensu data Christo divinitas, et alia hujusmodi. Explicantur illæ Pauli sententiæ, in quibus Deus Christi, vel caput ejus vocatur Pater. 533

CAPUT V. Explicantur varia Scripturæ testimonia quibus Ebionita Crellius abusus est. De regno ab Christo tradendo Patri; quod nihilominus ipse retinebit. De mediatoris et sacerdotis officio, quod Christo secundum humanam convenit naturam. Operationes Trinitatis prorsus eædem contra Bisterfeldium Crellii oppugnatorem docetur. Christum suapte vi excitatum a mortuis. Qua ratione Patris imago sit, idque summæ ejus divinitati non obsistere. Bisterfeldii ejusdem hæresis et inscitia, Patrem solum invisibilem facientis. 540

CAPUT VI. Diluuntur argumenta quibus Crellius Christum astruit non esse Deum. Quibus ex Scripturæ locis divinitas ejus approbetur. *Lucæ* locus ex cap. I ab Crellii falsa expositione vindicatur et illustratur. Quæ sit virtus Altissimi. De illis Christi verbis: *Ego et Pater unum sumus*. Tum de illo loco *Psalmi* II: *Ego hodie genui te*. Aliæ Crellii blasphemiæ diluuntur. Quomodo Christus Spiritum sanctum accepit, et cujusmodi sanctitatem accepit. De tentatione Christi, et Crellii super hac re inscitia. De voce *primogeniti*. Τίκτειν sæpe est gignere. Joannes Piscator redarguitur. Christus æqualis Patri et quomodo. 545

CAPUT VII. Crellii contra Spiritum sanctum argumenta diluuntur. De dogmatibus fidei non scriptis obiter. Multa etiam ab adversariis non scripta credi. Quid sit contineri in Scriptura. Cur rarius hæc divinitatis Spiritus sancti meminerit. Non ideo non exstare aliquid in Scriptura, quod ejus testimonia aliter interpretari possint. Vincentii Lirinensis hac de re sententia. Sic igitur ex multis Scripturæ locis adstrui divinitatem Spiritus sancti. Templum nonnisi Deo consecrari. Ex baptismi formula divinitas Spiritus sancti adstruitur. Crellii stupor suapte confessione revincitur. Hilarium de Spiritus sancti divinitate recte sensisse, ejus ex verbis, adversus Erasmum et Crellium ostenditur. Idem de aliis antiquis Patribus demonstratur, præsertim Dionysio Alexandrino, Irenæo, Clemente Alexandrino, etc. Cur ad Patrem publicæ Ecclesiæ preces diriguntur. Interdum unius tantum ex tribus personis in Scriptura mentionem fieri. Rursus divinitas Spiritus sancti probata, et Crellii sophismata discussa.

CAPUT VIII. De illo *Joannis* loco capite XVI, 13, in quo Spiritus sanctus a seipso non loqui dicitur, cujus falsa interpretatio a Crellio, et ejus confutatore Bisterfeldio allata discutitur. Quid sit loqui, vel audire Spiritum sanctum, necnon accipere. Refelluntur interpretationes loci illius a nonnullis excogitatæ, partim catholicis, partim hæreticis. Crellii inscitia in oppugnando catholico dogmate. Bisterfeldii ἀσυλλογιστία. Theodori Bezæ ludicra et falsa de eodem loco et aliis similibus opinio. Exponitur alter locus I *Cor*. II, ubi Spiritus sanctus scrutari corda dicitur. Tum illa verba declarantur in quibus nemo nisi Spiritus sanctus nosse dicitur quæ sunt Dei, ex quibus non esse Deum perperam concludit Crellius. Varia spirituum genera. 564

CAPUT IX. Dissolvuntur sophisticæ argutiæ Crellii, quibus Trinitatis fidem labefactare conatur. Etsi singulæ personæ sint Deus, non tamen deos esse tres, uti et personæ sunt. Crellii paralogismus principium petentis. Deum summum non esse unam personam. Athanasii Symbolum ab ejus calumnia defensum, quatenus neque plures deos, neque plures omnipotentes, etc.. nominari asserit, cujus ratio redditur. Quid significet vox *Deus*. Non esse unamquamque personam trinam. De hoc axiomate: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Quid sit petere principium. Aliæ Crellii nugæ. 575

CAPUT X. Crellii calumniæ reliquæ dissolvuntur. Non esse plures Filios. Cur Verbum a solo Patre producatur, cum sit communis intellectio Non minus potentem Patre esse Filium, etsi non generet. Quid sit generatio. In Deo generationem nec initium habere nec finem. Eamdem esse locutionem Patris. 586

CAPUT XI. Epilogus libri tertii, confutationisque Crellii, cujus ridicula oratio refellitur qua christianos ad suam amplectendam hæresim invitat. Hujus imbecillitas et fucus detegitur. Scripturas solas sine interpretatione, ad fidem dirigendam non sufficere. Photinianæ hæresis et catholicæ partis momenta inter se componuntur. Crellium Scripturas perperam distorquere. Ecclesiæ auctoritatem ad consti-

tuenda fidei dogmata esse necessariam. Antiquam Ecclesiam aliter ac novos Photinianos de fide sensisse contra Socinum et Crellium docetur veterum Patrum testimoniis. 590

DE TRINITATE LIBER QUARTUS.

PROOEMIUM. 603

CAPUT I. De nominibus quæ a Græcis theologis adhibentur ad Trinitatis explicandum mysterium : velut sunt οὐσία, ὑπόστασις, quorum notiones declarantur. οὐσίαν aliter philosophi gentiles, aliter christiani sumpserunt. Hypostasim plerique cum οὐσίᾳ confuderunt, etiam Nicæni Patres, contra quam Basilius credidit. Post usus obtinuit ut ab illa distingueretur. 605

CAPUT II. Quid sit φύσις, cujus varia significatio traditur. Interdum pro hypostasi sumpta. De eo quod est πρόσωπον. Quemadmodum id a Sabellio intellectum sit. Rursus de ὑποστάσει et ἐνυποστάτῳ. Tum de ὑπάρξει quæ interdum pro οὐσίᾳ, alias pro ὑποστάσει usurpatur. Quatenus voces istæ e Scripturis colligantur. Fœdus error Socratis de Alexandrina synodo. 616

CAPUT III. De nominibus quibus Latini theologi in sacrosanctæ Trinitatis mysterio utuntur : ac primum de substantia, subsistentia, persona, existentia, natura et re naturæ, re ac genere; tum supposito. 627

CAPUT IV. De personæ vocabulo; tum de controversia catholicorum super hypostasi triplici, et Antiocheno schismate indidem conflato, Alexandrina synodo, Hieronymi dubitatione, et cæteris eodem spectantibus. 637

CAPUT V. De vocabulo τοῦ ὁμοουσίου, id est consubstantialis. Quod olim, et ante Nicænam synodum a catholicis et hæreticis usurpatum. Qua ratione ab illis etiam rejectum initio, postea vero ab Nicæna synodo receptum. Hujus opportunitas ad refellendas hæreses. Ideo ab Arianis oppugnatum acerrime. Quorum argumenta contra ipsum omnia dissolvuntur. Tum vis ejus et potestas exponitur. Quatenus adversus Arianos et Sabellianos usui sit. De συνουσίῳ et ταὐτοουσίῳ. 646

CAPUT VI. De nomine τοῦ ὁμοιουσίου, id est, ***substantia similis***. Quæ ejus origo fuerit. Variæ in illa ludificationes Arianorum. Semiariani proprius ad catholicum dogma illud accommodaverunt, sed subdole. Catholici quomodo eodem vocabulo usi sint, ac varia de eo illorum judicia. Athanasius illud oppugnat, necnon alii. Quidam tamen approbarunt, præsertim Hilarius. Quatenus cum recta fide consentiat. De identitate substantiæ, quod est ταὐτοούσιον, et æqualitate, Alchuvini de ea sententia notatur. 658

CAPUT VII. Usiæ, sive substantiæ et hypostasis discrimen ex antiquorum opinione uberius exponitur, qui usiam commune aliquid esse dicunt : hypostasim, particulare quiddam et individuum. 668

CAPUT VIII. Exponitur vera et accurata hypostasis ratio, ejusque proprietates omnes. Substantiam esse τὸ τί ἦν εἶναι rei, hypostasim esse substantiam per se ac perfecte existentem. Non constare hanc ex accidentibus, et quo sensu id ab antiquis usurpatum fuerit. Hypostasim esse substantiam cum modo quodam existendi ex eorum veterum sententia docetur. Quid sit ἀνυπόστατον et ἐνυπόστατον; et quatenus hoc ab hypostasi discrepet. 676